Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXX
E
25
NAPOLI

XXX
E
25

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PAULI DE SORBAIT
BELGÆ,
UNIVERSÆ MEDICINÆ OPERA.

Goog

Univerſa Medicina,

PAULI DE SORBAIT

Belgæ, Philoſ. & Medic. Doctoris, Sacræ Imperatricis ELEONORÆ Medici, nec non praxios Medicinæ Profeſſoris Primarii &c.

Tàm Theorica quàm practica,

nempè,

ISAGOGE

INSTITUTIONUM MEDICARUM ET ANATOMICARUM, METHODUS MEDENDI, CUM CONTROVERSIIS, ANNEXA SYLVA MEDICA.

Deinde ſequuntur

CURATIONES OMNIUM MORBORUM, VIRORUM, MULIERUM ET PUERORUM A CAPITE AD CALCEM, NEC NON CURA MORBI VENEREI, ET TRACTATUS DE FEBRIBUS, PESTE ET VENENIS,

Cum reſolutis per objectiones difficultatibus,

Item,

CHIRURGIA cùm EXAMINE CHIRURGICO, METHODUS CONSULTANDI CUM ANNEXIS

Obſervationibus aliquot peculiaribus, cuivis Philiatro utiliſſimis, denique Modus Viennæ Doctores creandi, triplici Diſcurſu exornatus.



NORIBERGÆ,

Sumptibus MICHAEL. & JOHAN. FRIDERICI ENDTERORUM.

Anno M. DC. LXXII.

Digitized by Google

Digitized by Google

DEO TER OPTIMO MAXIMO
ET CÆSARI

LEOPOLDO PRIMO

ROMANORUM IMPERATORI SEMPER AUGUSTO, HUNGARIÆ BOHEMIÆQ; REGI, DUCI BURGUNDIÆ &c. &c.

Potentiſsime Jehovah, *ſine cujus Numine nihil eſt in homine*, qui ad te humiliter confugientem repellis neminem, cujus miſericordia *abyſſus infinita*, qui *Populum Iſraeliticum* de manu Pharaonis exemiſti, *Danielem* in lacu Leonum, *Suſannam* inter Senes, *Joſephum* in carcere, *Job* in ſterquilinio, *tres pueros* in fornace Babylonicâ, *Moyſen* & *Aaronem* in perſecutione populi, *Jonam* in ventre ceti, *Paulum* in profundo maris protexiſti, *Davidem* à furente Saule defendiſti, qui *SS. Eccleſiam* tuam inter tot procelloſiſsimas mundi tempeſtates, ne *porta Inferni prævalerent adverſus eam* impenetrabili omnipotentiæ tuæ ſcuto tutatus es, qui à Sereniſsimâ Domo Auſtriaca fidei & honoris tui protectrice vigilantiſsimâ, tot inſidiatorum machinas repreſsiſti, qui Auguſtiſsimum Imperatorem noſtrum Leopoldum Primum tot victoriis, verſipellem Lunam calcare, Leonem debellare, Daniam & Poloniam agonizantes, priſtinæ libertati reſtituere, recalcitrantem, & à fallacibus Lunæ radiis, aliorumq; ficto candore, velut igne fatuo, in devia ſeductam Hungariam, in

virgâ etiam ferreâ, contra clementisſimum ejus morem coactum domare; ſicariorum & paricidarum inſidias, toties eludere, in adverſis fortem, in dubiis conſtantem, patientem in contrariis perſiſtere, Viennam orbis Chriſtiani unicum antimurale fortisſimis mœnibus circumvallare; infinita pietatis, caſtitatis, morum integritatis & Juſtitiæ ſpecimina edere, Intellectu & memoriâ, plus quàm humanâ in Conſiliis, omnes longiſsimè ſuperare, viduas & pupillos paternè fovere & protegere feciſti, qui me de terra inopem erexiſti,

Cui mare, cui tellus, famulantur & ignea Cœli
ſidera, quem metuunt, mortalia ſecla animantum.
Al me Deus ſine quo dias in Numinis oras,
nil venit & ſine quo nil hoc diſcedit ab orbe.

Qui lutum animaſti in prima rerum Creatione, qui ſolo nutu mundum gubernas, Infernum conculcas, cui reſpondent ſtellæ, famulantur elementa, tempora obtemperant, deſerviunt Angeli, dæmones obediunt, ad quem omnis Pontificia, Cæſarea & Regia ſeſe inclinat Majeſtas; quem volatilia pennata, beſtiæ quadrupedes, piſces natantes, plantæ vegetantes, exorientia ſemina, Zephyri ſpirantes decurrentia adorant flumina, Patere hoſce Amore in te & Charitate in proximum, collectos Medicinæ floſculos, ad te qui horum ingreſſum liberaliter inſtruxiſti, progreſſum direxiſti, egreſſum compleviſti, ad te inquam unde orti ſunt redire, & immenſo nomini tuo, famuloq;

muloque tuo dilectiſsimo, Imperatori noſtro Leopoldo, conſecrari, à lingua iniqua & doloſa libera me, obliquos Invidorum oculos ſerena, Momis compedes injice, *in veritate tua diſperde eos*, & me coram malevolorum tribunali ſtantem ita tuere, ut nulla in me librumque meum, adverſa feratur ſententia.

Tu vero Auguſtiſsime Imperator Leopolde, orbis Romano germanici, Hungar. Bohemiæque moderator Clementiſsime, Dei in terris vicarie vigilantiſsime qui *diviſum Imperium cùm Jove Cæſar habes,*

qui, ſi verum eſt, Principes velut Numinis dextras manus, ſingulares præ cæteris influentias, divinitatis ſcintillas & proprietates habere, profectò ſingulariſsimas & innumeras obtines, mitis enim cum Chriſto es & humilis corde, ſuavis & bonus, juſtus & potens, clemens & miſericors, ita ut te hic Jovi Chriſtiano individuum, velut alterum Jovem in terris hyperdulicè adorandum, jure dicam meritiſsimo. Qui me Univerſitatis tuæ Viennenſis Profeſſorem octodecim integris annis, immò & ejusdem inter armorum ab impiis hebræis concitatorum immanes ſtrepitus Anteſignanum, Sacræ Imperatricis & Sereniſsimarum ſororum tuarum ſedecim annis Medicum, benigniſsimè foviſti, æmulatoribus & ſermonibus odii oppugnantibus, caſtiſsimas aures ſæpius obturaſti, cùm *exaudierit dominus deprecationes meas*, protectionis mandata, promptus (uti ſoles) exequere momos compeſce,

&

& me tractatumque meum, DEO T. O. M. Majeſtati Auſtriæque tuæ incolumitati dicatum, inexpugnabili tuo protege ſcuto, fortisſimis aquilæ tuæ alis obvela, defende, tuere. Vive diu felix, nobisque quod unicum in votis totus habet orbis, innatæ virtutis tuæ Auſtriacæ æternùm perennaturam relinque propaginem.

DEI T. O. M.

&

Majeſtatis tuæ Cæſareæ

Minimus & ſubmiſſiſſimus Cliens Servusq́; indignisſimus

PAULUS DE SORBAIT,
Phil. & Med. Doctor.

Ana-

Anagramma in Clariſs. Auctorem Sorbait

SAT ORBI.

SCripſiſti, dixſti, feciſti, Paule SAT ORBI.
morbo dum pulchrâ condis ab arte necem.

In ſingularis obſervantia & amicitia Teſſeram offerebat

Bernardus Schlütter Philoſ. & Med. Doctor
inclytæ Fac. Med, Viennenſis Senior.

Acclamatio Votiva

In Editionem OPERIS Medicinæ Univerſæ

à Viro

Magnifico, Nobilisſimo, Excellentisſimo & Experientisſimo

Dn. PAULO de SORBAIT,

Phil. & Med. Doct. Fac. Med. in Univerſitate Viennenſi Decano & Profeſs. Primario, nec non Sereniſs. Imperatricis ELEONORÆ Perſonæ Medico

procurata.

QUis tua fatidicos curet Dodona vapores?
Ammonis ſileant vaniloqui Nemora.
Delphica quis dubiæ ſortis fanatica clauſtra,
Atque Sibyllinos ſollicitare velit?
Mendaces falſique ſoni non vulnera curant;
Ægrotos ſanant Pharmaca, non Tripodes:
Et quæ veridici fundunt oracula Myſtæ
Artis Apollineæ, hæc hæc medicamen agunt.
Talia prudenti SORBAIT depromit ab ore,
Docta Machaonii pagina farcta logis,
Olim quæ Cous docuerunt, quæq; Galenus,
Hermes, monſtravit qualia turba Σοφῶν
Nocturnâ hæc verſanda manu, verſanda diurnâ
Ægris ipſa ſalus vix meliora feret:

Non

Non ſorbere *juvat medicum hic, ſed* guttura *plena*
Funditùs immergas *Nectar in æthereum.*
Pro tantis gazis Medicis ſummoq; labore
Poſteritas famæ grata brabéa dabit.

Debitæ obſervantiæ ergo effuſa
Vratislau: Sileſ: à

Philippo Jacobo Sachs à Levvenheimb. & *Med. Doct.*
& S. R. Imp. Acad. Nat. Curioſ. adjuncto.

In prænobilem, Magnificum & Excellentiſſimum Auctorem.

QUiſquis Apollineum contendit ſcandere montem,
Telluris per eat quidquid penetralia torquent,
Neptuni pariter viſcus quid limina ſtringunt,
Quid rus, quidq; nemus tranſcendunt æthera quonam,
Perlegat, & tandem proprio quæ Marte Machaon
Ordine conſcripſit, nobiſque legenda reliquit.
Hoc vaſtum peragravit iter fidiſſimus Auctor
Paulus de Sorbair, modò calcans culmina montis
Lydius hic factus lapis, hic marpeſia cautes
Lucidat obſcuras methodos, mendoſaque cuncta
Jucundè, ſubitò, tutò mala noſtra fugando,
Hinc tibi laudandus, Lector venerandus, Amandus.

Antiquæ conſuetudinis & non fictæ ergo ponebat

Petrus Leonardus de Monquintin, Phil.& Med.
Doctor, practicus Viennenſis, & p. t. Dec.

Cum Titulo pleno.

P*Ræclarum ingenii fœtum Clariſſime Sorbait*
Talem non vidit, clara Vienna diu.
Mortuus en vives, nunquam peritura virebit
Fama, ſed æternum creſcet eundo tua.
Hoc decet ut clarus vivat poſt funera Phœnix
Qui vivens etiam clarus in arte fuit.

Antiquæ & Fraternæ amicitiæ ergo
aggratulatur

Ferdinandus Joannes Slabius Phil. & *Med. Doct.*
Illuſtriſſimorum Statuum inferi: Auſtr. Medicus
Neoſtadii.

Salve

SAlve apis Elyſia, & plures è divite cella
Salvete ingenii nobilioris opes.
Tot gemmæ, quot verba libris condigna Sophorum,
Magnaque ſub quavis voce medulla latet.
Parnaſſi ut ſummo flos hic plantetur in agro,
Phœbum Calliopes, dulcia plectra monent.
Tu quam das aliis Sorbait Clariſſime vitam
Ingenii ſpondent hanc monumenta tibi.

ita honoris & amoris ergo

Magnifico Viro feliciſſimo practico Doctori Clariſſimo Profeſſori famigeratiſſimo olim Præceptori fideliſſimo nunc Collegæ, Amico & fautori colendiſſimo cecinit

Fridericus Ferdinandus Illmer à Wartenberg, Phil. & Medicinæ Doctor, ac inſtitutionum in hac antiquiſſima & celeberrima Univerſitate Viennenſi Profeſſor publicus atque ordinarius.

Ad Nobilisſimum Excellentisſimum & Doctisſimum Dominum
Theoriæ ac praxis Medicæ Authorem.

CEdite Galeni Sorbaito cedite Celſi
Chiron, Hippocrates, cedat & Hermogenes.
Legibus illorum Medicina exordia dantur
Hujus doctrinâ laus utriusq; manet.
Si quis noſſe virum cupit? ejus ſcripta revolvat
Ex illis ſtudium, conſtat & ingenium.
Sorbait vive diu, merito es Galenus habendus
Chiron, Hermogenes, Celſus, & Hippocrates.

In ſignum addictiſſimæ obſervantiæ adjecit

Jacobus Joſephus Nawvvitz.
Regiament Baruſſus.

In Clariſſimum Auctorem.

QUas lites inter veteres, noſtrosque modernos?
Quot rixæ? hos ambos conciliare ſtudes.
Perge bonis avibus, ter felix Paule beatum,
Numinis & Natum Te Deus ipſe vocat.

Aliud.

Pacis amans, antiqua ſtudet ſociare modernis
Sic verè amborum conciliator erit.

Aliud.

Quid juvat antiquos ſimul & legiſſe recentes
Sorbaitum ſolum perlege, doctus eris.

In veteris amicitiæ teſſeram accinebat

Georgius Saur, Phil. & Med. Doctor,
Civitatis Carolopolitanæ Phyſicus.

In Clariſſimum Dn. Auctorem.

PRodiit è cerebro Jovis ingenioſa minerva.
Sic liber è cerebro prodiit iſte tuo.
Jupiter Ergone tu? ſed non vis Jupiter eſſe.
Jupiter ut non ſis : ſis bonus ergo Pater.

Applaudebat

Guilielmus Henricus Behr/ *Phil. & Med. Doctor, Phyſicus Herbipolitanus.*

In prænobilis, Magnifici, & Excellentiſſimi Domini
Authoris univerſam Medicinam.

In ejusdem inſtitutiones.

MObilis es nimium Cartes, furioſus es Helmont,
hic ſis placatus, figat & ille pedem.
Plus ultra ducunt hæc fundamenta legentem,
Iſtis non ſatis eſt ſola ſuperficies;
Nec furor Archæi, nec nitro ſulphure junctas
Particulas curant, nec minus ac acidum.
Sunt immobilia hæc, & fundamenta quadrata,
Nam firma & mitis ſit medicina decet.

In ejusdem materiam remediorum.

HIc non eſt campus, mare nec plus, æthera ſcandit,
Cuncta hic tranſivit luxurians animus,
Sed non delicias pro ſe captaret ut inde,
Aſt ut communi ſerviat ille bono
Herbas collegit, lapides, penetralia terræ
Deſcendit, rurſus ſcandit ad usque polum.
Nam cum morborum pateat permulta ſuppellex
Sic quoque non una his eſt panacæa ſatis.

In

In ejuſdem Methodum medendi.

ECce modum curæ veræ, methodumque medendi,
Morborum in pelago hæc ſit Cynoſura tibi,
Si labyrinthæo de corpore pellere monſtrum,
Morbum cogaris, pro duce fila dabit
Virgo hæc Minois, ſequere hanc, ſemper cito, tutò
à monſtro victor lætus abire potes.

In ejuſdem totam praxin Medicam.

PRaxis adeſt qua cuncta tibi prædicta patebunt,
Non ſatis eſt ægro verba ſuperba loqui.
Hos digitos nullus pulſus deceperat unquam
Non mirum lector, Muſica nam manus eſt,
Iſta Viennenſis nulli ceſſura per orbem
Praxis te doceat, quæ facienda tibi,
Quænam paſſivis jungenda activa, proinde
Si fueris medicus verus, amabis eam.

In ejuſdem Tractatum de morbis puerorum.

INfirmi, miſeri, plorantes atque puelli
Te patrem implorant pro auxiliante manu,
Non mirum ſi te puerorum dixero patrem,
Nunquid qui ſanat, dicitur atque pater?
Si nunc qui ſanat, pater eſt, dic quæſo quid obſtat
Ut non cunctarum ſis genitor ſobolum?
Gignant infirmas alii, tu non niſi ſanas
(ex Thalamo paucas) ex ſtudio generas.

In ejuſdem tractatum de Lue Venerea.

SI oppoſita oppoſitis ſanas, cur Jupiter, aut non
Triſtis Saturnus concutiunt Venerem?
Reſponſio
Mercurii Venus ægra dolo tandummodo cedit,
Non quia fidus amor, ſed quia fœdus amor.

In ejuſdem tractatum de Febribus & Venenis.

HUc huc febricitans curras & lætus in æſtu
Temperiem ſumas, quam dabit iſta manus;
Adſunt antidota & proſtant tibi pharmaca tuta.
Frigora nulla time, toxica nulla time.
Æſtum non cures, liber hic tibi temperet æſtum,
Pro calido ac gelido ſervit utrinque bene.

In ejuſdem Chirurgiam.

NOnne ſalutaris manus eſt, quæ vulnera ſanat?
Ex ſanante manu, pendet amanda ſalus.
Hæc manus eſt talis, feriens licet, at quoque ſanans,
Nam ferit ut proſit, non ferit ut noceat.

In ejuſdem modum conſultandi.

COnſilium medici ſemper laudatur ab uſu,
hinc ut lauderis, da bona conſilia;
En ediſce modum, quo tu prodeſſe ſaluti
Infirmi poteris, qui tua vota petit;
Conſilium nam quandò tuum bene profuit ægro
Huic eris ex medicis Angelus atque Deus.

Pauca hæc debitæ gratitudinis ergo paterno affectu appoſuit

Joannes Georgius Greiſel Phil. & Med. Doctor, anatomiæ Profeſſor Extraordinarius.

In Clariſsimum Authorem.

QUod ſit vita brevis longa præcepta ſed artis
Plurima, lux Mundi ſplendida Cous ait.
At nunc dat Sorbait longa ut ſit vita, breve artis
Præceptum hoc medicis maxima cura viris,
Paſſim conjunctis morbo dum viribus inſtant,
Vitaque quæ conſtet longior arte docent.
Et paſſim brevibus concludunt dogmata ſeptis,
Quæ longis veteres propoſuêre libris.
Hos inter merita quoque tu fers præmia laudis
Ritè explens partes parte in utraq; tuas.
Longam dum vitam, brevem & artem tu facis ipſam,
Incultumq; colis Palladis arte ſolum.
Ut q; diu hæc præſtes, longam tibi Numina vitam
Dent, precor, & ſtudiis cætera digna tuis.

Honoris & obſervantiæ ergo appoſuit

Matthæus Ludovicus Urſinus, Phil. & Medic. Doctor Facult. Med. Vienn. Collegiatus.

Præno-

:(o):

Prænobili, Magnifico, & Excellentisſimo
Domino
PAULO DE SORBAIT Philoſ. & Medic. Doctori
Profeſſori quondam ſuo, ac Promotori clariſſimo, cum
edictis operibus medicis, quaſi fœcundâ ſcientiæ allu-
vione jatricum irrigaret orbem.

ARtis Apollineæ quæ docta volumina fundis,
Illa ſalutifero dogmate plena ſcatent.
Gemmea non aliter manant de fonte fluenta,
Limpida doctrinæ, quam fluat unda tuæ.
Hiſce ſcientifluis crevit mea laurus ab undis.
Et traxit quidquid germinis ipſa tulit.
Hinc quoque ſtillantem poſſunt ſorbere medelam
Morbida, quæ triſtis pectora languor habet.
Huic igitur latici ſua fontanalia dignis
Plauſibus & donis concelebrare decet.
Prima litat grato mea ſe pro munere laurus,
Serta dat, & prono fronde coronat aquas.
Inclyta perpetuo ſua Fama virebit, & hujus
Nullo marceſcet tempore Frontis honor.

In debita obſervantiæ characterem poſuit
Jacobus Henricus Kielman, Phil. & Med. D.

In Magnifici, Excellentiſſimi Viri, ac Clariſsimi Domini
Authoris deſideratum opus.

M*Actè animis Lector! fateor, quod* maximus Author
Et magno *dignum* Nomine, *condit opus.*
Nil exile vides: agitant nam maxima magni,
Et tantum magnos *magna movere ſolent.*
Herculis eſt, curſu totum *complectier orbem,*
Herculeo ne pars ulla labore vacet.
Herculis eſt plusquam, totam *complectier* Artem,
Ut jam pars docto nulla labore vacet.
Æmulus *eſt* noſter *magni* Mavortius Author
Herculis, Herculeo dignus honore *coli:*
Magnificè *nimium, felix Medicina triumphas*
Magnificus *quam ſic promovet orbe* labor.

MagnIfICentIæ ſVæ IſtIs IVre
appLaVDebat

Joannes Chriſtophorus Nabroth.
Phil. & Med. Doctor.

MAGNALIUM ARTIS ET NATURÆ
ILLUSTRATOR MAX:
UNIVERSÆ MEDICINÆ CORYPHÆUS
Revelatur

PAULUS DE SORBAIT

Anagramma

BEATUS PLUS RADIO
SALUBRE DO PASTUI.

ASTra beas, Medices Phœbus virtute BEATUS.
Gloria quæ major ? PLUS ais hic RADIO:
Omne ſalubre meum pandens DO PASTUI Apollo
Voce tonas, Tibi & en plauſus in orbe ſonat.
Unice Fautor oves, Autor (venit Echo) ſalutis
AVſtrIa reDDet aVe DoCta VIenna VaLe.

Εκτενῶς ἐπαναβοῶν &c.

Ferdinandus Fridericus Pock N.A.V.AA.LL.
& Philoſ. Magiſt. nec non Saluber. Medic.
Doctor.

Nomina

Digitized by Google

Nomina omnium Auctorum in Univerſô hoc Opere.

A.

ADrianus Mynſicht.
Æginera.
Aetius.
Agrippa.
Albertus Magnus.
Albucaſis.
Alexander Pretonius.
Alexander Trallianus.
Aloyſius Mundella.
Alſaharavius.
Altomarus.
Amatus Luſitanus.
Ambroſius Nūnenz.
Ambroſius Paræus.
Andreas Ceſalpinus.
Andreas Lacuna.
Andreas Laurentius.
Anſelmus Retzer: M.S.
Antonius Gallus.
Antonius Muſæ Braſſavolus.
Antrochus Tiberius.
Archangelus Piccolomineus.
Archigenes.
Arculanus.
Arethæus Cappadox.
Argenterius.
Ariſtoteles.
Arnoldus de villa nova.
Averroes.
Avenzoar.
Augenius.
Auguſtinus.
Avicennas.

B.

Baccanelius.
Baronius.
Bartha Palæa.
Bartholinus.
Baſilius.
Bauhinus.
Beguinus.
Benedictus Faventinus.
Benedictus Victorius.
Bernardus Lomitanus.
Binsfeldius.
Bodinus.
Bonamicus.
Bonaventura.
Botallus.
Bovius.
Brachelius.
Bravo Salmaticenſis.

C.

Calepinus.
Cajetanus.
Campegius.
Capivaccius.
Capreolus.
Cardanus.
Carpenſis.
Carpus.
Carolus Piſo.
Carteſius.
Caſſianus.
Candirus.
Celſus Thuanus.
Chriſtophorus Batzzius.
Claudinus.
Clemens Papa.
Cnefelius. M.S.
Coelius Rhodiginius.
Collegium Conimbricenſe.
Conciliator.
Cornelius.
Crato.
Crollius.
Curelanus.
Cuſpinianus.
Cyprianus de Meroza.

D.

Dalmarius.
Daniel Propheta.
David.
Delrio.
Democritus.
Diocles.
Diogenes.
Dioſcorides.
Divus Thomas.
Dodonæus.
Dumanus.
Duncanus Lidellus.
Durandus.
Duretus.
Dyoniſius Halicarnaſſius.

E.

Eccleſiaſtes.
Empedocles.
Engellinus.
Eraſiſtratus.
Eraſtus.
Euſtachius.
Ezechiel.

F.

Fabricius Hildanus.
Fallopius.
Ferrerius.
Fernelius.
Foreſtus.
Foro Livienſis.
Fracaſtorius.
Franciſcus Alphanus.
Franciſcus Arcæus.
Franciſcus Rota.
Fuchſius.
Fulginus.
Fumanellus.

G.

Gabucinus.
Galenus.
Gaſparus Hiſpanus.
Gentilis.
Gerardus de ſolo.
Glanz M.S.
Gilbertus Anglicus.
Gordonius.
Gregorius Nazianzenus.
Gregorius Sanctus.
Grilandus.
Gueldera de Heredia.
Guilielmus de Saliceto.
Guilielmus Mannagetta. M.S.

H.

Haly Abbas.
Hartmannus.
Hartmannus.
Helmontius.
Hennemannus.
Henricus.
Hercules Saxonia.
Herophylus.
Heurnius.
Hollerius.
Hieronymus Monticus.
Hippocrates.
Hippolitus Grillus.
Horatius.
Horſtius.

Jachi-

J.

Jachinus.
Jacobus Lanellus.
Jacotius.
Jambilicus.
Jandinus.
Jnſulanus.
Joannes de Vigo.
Joannes Georgius Greiſel.
Jobelius.
Joubertus.
Julius Alexandrinus.
Juvenalis.

K.

Kemmanus.

L.

Langius.
Layman.
Leonellus.
Levinus Lemnius.
Licetus Patavinus.
Lucas Henricus Epiſcopus.
Lucidanus.
Lucippus.

M.

Manardus.
Mantuanus
Marcellus Capra.
Marcellus Donatus.
Marcus Sanctus.
Marcus Gattinaria.
Marſilius Ficinus.
Maſſarias.
Martinez.
Martinus de Eſparſa.
Matthias Cornax.
Matthias de Gradis.
Matthiolus.
Mercatus.
Mercurialis.
Meſue.
Metamoros.
Mindererus.
Mirandus.
Mithridates.
Montagnana.
Montanus.

N.

Nicolaus Benivenius.
Nicolaus Florentinus.
Nicolaus Maſſa Venetus.
Nicolus.
Novellanus.

O.

Oddi de Oddis.
Oribaſius.
Origenes.
Ovidius.

P.

Palladius.
Paracelſus.
Paſchalius.
Paulus Sanctus.
Paulus Venetus.
Pecoetius
Pecquetus.
Petrus Garzias.
Petrus Spoletanus.
Philippus in Garſſia.
Philotheus.
Platerus.
Plato.
Plempius.
Plinius.
Plutarchus.
Praxagoras.
Procopus.
Propheta Amos.
Pythagoras.
Pytheus.

Q.

Quercetanus.
Quintilianus.
Quintus Caſſius.

R.

Rabbi Moyſes.
Renodæus.
Rex Joſaphat.
Rhazis.
Rhodericus à Caſtro.
Rhodericus à Fonſeca.
Riolanus.
Riverius.
Rolfinkius.
Rondeletius.
Roſelius.
Rulandus.

S.

Salius.
Sancher.
Sanct. Eparchus.
Santa Crux.
Santorius.
Savonarolla.
Scenkius.
Schaliger.
Sciffelius Brüxellenſis.
Scröderus.
Seneca.
Sennertus.
Septalius.
Serapio.
Severinus.
Socrates.
Spangius.
Suarez.
Svetonius.
Suidas.
Sylvaticus.
Sylvius.

T.

Tertullianus.
Theophraſtus.
Thomas de Garbo.
Thomas de Kempis.
Thomas de Willis.
Thucidides.
Trallianus.
Trincavellius.
Tullius.

V.

Vagaranus.
Vaherius.
Valentia.
Valleriola.
Valleſius.
Varandæus.
Varro.
Vaſquetz.
Vega.
Veſalius.
Villanovanus.
Vlpianus.
Vnzerus.

W.

Weckerus.
Weslingius.
Wie[illegible]
Wolpius.

Z.

Zachias.
Zacutus Luſitanus.
Zechius.

TRA-

TRACTATUUM
& in eis Contentorum Capitum Index.

TRACTATUS PRIMUS
ISAGOGES MEDICÆ PHYSIOLOGIAM CONTINENS
habet Capita XV.

Caput primum de Medicinæ definitione & diviſione, folio 1
2. de Elementis. 3
3. de Temperamentis & eorum qualitatibus. 8
4. de Humoribus. 11
5. de Facultatibus & Spiritibus. 15
6. de Calido innato. 18
7. de Partibus in genere. 20
8. de Oſſibus, Cartilaginibus, Articulis & Vinculis. 22
§. 1. de Oſſibus Capitis. 22
2. de Oſſibus Thoracis. 23
3. de Oſſibus Artuum. 24
§. 4. de Articulationibus, Cartilaginibus, Vinculis & Tendinibus. 25
5. de modo conficiendi Sceletum. 26
Caput 9. Myologia, ſeu de Muſculis. 26
10. de Jecore & Venis. 29
11. de Corde & Arteriis. 33
12. de Cerebro, membranis ejus, ſpinali medulla, & Nervis. 35
13. de internis partibus inferioris ventris. 38
14. de internis partibus ſuperioris ventris, ſeu vitalibus. 40
15. de Sanitate. 41

TRACTATUS SECUNDUS
CONTINENS PATHOLOGIAM
habet Capita V.

Cap. 1. de Morbo. 43
2. de cauſis morborum. 47
3. de ſex rebus non naturalibus, aëre ſcilicet, cibo & potu, ſomno & vigiliis, motu & quiete, excretis & retentis, & animi pathematibus, ut ſanitatis & morborum ſunt cauſæ. 52
Cap. 4. de Plethora & Cacochymia, ſeu de ſpiritibus, ſangvine, bile, pituitâ, melancholiâ, ſero, vaporibus, fuliginibus, flatibus, ſabulo, calculo, vermibus, prout morborum cauſæ evadunt. 55
5. de Symptomate. 58

TRACTATUS TERTIUS
CONTINENS SEMEIOTICAM
habet Capita XI.

Cap. 1. de Signis in genere. 61
2. de Urinarum differentiis. 63
3. de Judiciis, cauſis, & prævidentiis ex urinis. 64
4. de contentis urinarum. 66
5. de hypoſtaſi, & cautelis Medico Urologo conſiderandis, 68
Cap. 6. Sphygmologia, ſeu Pulſuum doctrina 70
7. Ætiologia, ſeu de cauſis pulſuum. 71
8. de Cauſis pulſuum relativorum. 73
9. de Criſibus. 77
10. de Signis, quibus cognoſcitur, per quas vias ſit futura criſis. 79
11. de Diebus decretoriis & criticis. 83

)( )( )(

TRA-

INDEX
TRACTATUS QUARTUS
CONTINENS HYGIEININ
habet Capita VIII.

Cap. 1. de Alimentis in genere 89
2. de qualitate alimentorum, & ſumendi tempore, ordine, præparatione. 90
3. de victu cuivis ætati, & anni tempori congruo. 92
4. de alimentis in ſpecie. 93
Cap. 5. de partibus animalium, & quibusdam adjunctis. 95
6. de Volatilibus, avibus, ovis, piſcibus, melle, oleo, aceto. 96
7. de aqua, vino, cereviſia, & condimentis. 98
8. de Controverſiis ad Hygieinin pertinentibus. 101

Brevis Univerſalis & Accurata
MEDENDI METHODUS
Decem Capitibus, cum Controverſiis, & C. Quæſtionibus utiliſſimis abſoluta.

Cap. 1. de ratione, ſignificatione, diviſione & fine Methodi medendi. 104
2. de variis methodi medendi principiis. 107
3. quod morbi è cauſis naturalibus orti, vel maleficio illati, non maleficio, vel arte magica, ſed remedio vel naturali, vel Divino ſint curandi. 112
4. Quid ſit indicatio & indicans, cum utriusque differentiis & diviſionib9. 116
5. de indicato, ejus differentiis, & diviſione, item de indicantium ſignis, & veris indicantibus. 119
6. de indicante curatorio. 120
7. de indicante præſervatorio, id eſt de cauſa morbi. 122
Cap. 8. de indicante vitali, ſeu de viribus. 124
9. de falſitate Empiricorum, & methodicorum in præſidiis inveniendis, experientiæ & analogiſmi. 126
10. Quomodo brevi hac Methodo utendum ſit, cum additione 100. utiliſſimarum Quæſtionum. 129
Sylva Medica, ſeu Farrago remediorum ſimplicium & compoſitorum, cum brevi iis utendi modo, & doſi ad Praxin utiliſſima. 149
Prædicta cum additis ad Alphabeticum ordinem redacta ſuis illuſtrantur doſibus. 196
Characteres Pharmaco-Chymici. 203

TRACTATUS PRIMUS
PHYSIOLOGO-PRACTICUS
in quo Theoria reducitur ad Praxin, & morborum à capite ad calcem curæ methodicè tractantur, cum Controverſiis utiliſſimis ſingulis capitibus annexis, continet capita LXXXVI.

Cap. 1. de dolore Capitis. 205
2. de Hemicrania. 209
3. de Apoplexia. 211
4. de Comate, Lethargo, & Caro, item de Catalepſi & vertigine. 216
5. de Convulſione & Epilepſia. 222
6. de Paralyſi. 233
7. de Phrenitide. 237
8. de Mania. 242
Cap. 9. de Lycanthropia. 245
10. de Mania dæmoniaca, & energumenis, ſeu verè obſeſſis, & extaſi morboſa. 246
11. de Fatuitate & Amentia. 251
12. de Memoriæ læſione. 254
13. de Hydrophobia ſeu rabie canina. 257
14. de Ophthalmia, Vacillatione, Chemoſi, Sugillatione & Hypopyo. 260

Cap. 15

Cap. 15. de Suffuſione ſeu Cataracta, Leucomate, & Glaucomate. 264
16. de humoris cryſtallini affectibus, ſeu glaucomate, ſeu vitiato ſitu. 269
17. de ungue & albugine. 270
18. de pupillæ dilatatione nimiâ, & conſtrictione. 272
19. de viſus decilitate, & obſcuritate, item de Nyctalopia & Myopiâ. 272
20. de procidentiâ, ſtaphylomate, item de clavo oculi. 274
21. de oculi exitu & profundatione, item de quibuſdam in oculos illapſis. 275
22. de Ectropio, ſeu palpebrarum inverſione, ſcabie, cum rubigine, item de ulceribus & chalazio. 276
23. de difficultate aperiendi & claudendi oculum cum inflatione palpebrarum, item de hordeolo, phthiriaſi, & madaroſi, ſeu defluvio capillorum ex ciliis & ſuperciliis, lagophthalmia & tremore. 277
24. de Anchylope, ægylope, ſeu fiſtula lachrymali, rhyade, & Encanthide, item de Epiphora. 278
25. de aurium dolore, & exeuntibus præter naturam. 280
26. de aurium ſonitu & tinnitu. 283
27. de gravitate auditus, & ſurditate. 284
28. de narium hæmorrhagia. 287
29. de Sarcomate, Polypo, læſo olfactu, fœtore narium & Ozœna. 290
30. de Sternutatione. 291
31. de dentium dolore, nigredine, & corroſione ſeu carie. 293
32. de gingivarum affectibus, inflammatione ſcilicet, eroſione, exulceratione, ſerpente, & hæmorrhagia. 297
33. de Batracho & Aphthis ſeu oris ulceribus item de Uvulæ relaxatione. 298
34. de variis linguæ tumoribus. 299
35. de guſtu læſo, item de balbutie, & paralyſi ſeu reſolutione linguæ. 301
36. de Angina. 303
37. de Catarrho & Rheumatiſmo. 306
38. de Raucedine. 312
39. de Pleuritide. 314
40. de Peripneumonia ſeu inflammatione pulmonum. 318
41. de Empyemate. 320
Cap. 42. de Phthiſi ſeu ulcere pulmonum. 322
43. de Aſthmate, Dyſpnæa, & Orthopnæa. 329
44. de Tuſſi. 331
45. de Hæmoptoiſi ſeu ſanguinis ſputo. 335
46. de virium imbecillitate, Lipothymia ſeu animi deliquio & ſyncope. 337
47. de palpitatione cordis. 340
48. de imbecillitate ſtomachi, inappetentiâ & cibi faſtidio. 343
49. de Cardialgia & dolore ventriculi. 346
50. de fame canina, ſiti morboſa, pica, malacia, ructu & ſingultu. 349
51. de Nauſeâ, Vomitu, & Valvuloſa ſtomachi ſubverſione. 353
52. de Cholera, Lienteria, & affectione cœliaca. 357
53. de debilitate & intemperiebus hepatis. 361
54. de Hepatis obſtructione. 364
55. de Ictero. 367
56. de Scyrrho hepatis. 370
57. de intemperie calida, & inflammatione in ſpecie. 372
58. de Cachexia & Hydrope. 375
59. de affectibus Lienis, inflammatione ſcilicet, dolore, obſtructione, & ſcirrho. 380
60. de Scorbuto. 383
61. de Melancholia hypochondriaca. 389
62. de Colica paſſione. 395
63. de Iliaca paſſione, aliàs miſerere mei. 400
64. de Arthritide. 403
65. de Lumbricis. 408
66. de Diarrhæa. 410
67. de Dyſenteria, Teneſmo, & fluxu hepatico. 415
68. de Hæmorrhoidibus, ani procidentiâ & rhagadibus. 420
69. de Herniis ſeu rupturis. 424
70. de Calculo renum & veſicæ. 427
71. de inflammatione & ulceribus renum, & veſicæ, obſtructione, urinæ ardore, & ſtranguria. 431
72. de mictu ſanguinis, diabete, & urinæ incontinentia. 435
73. de Gonorrhæa, Priapiſmo, inflammatione teſtium & impotentia virili. 438

Cap. 74. de Suppreſſione menſium & chloroſi, ſeu morbo virgineo. 441
75. de fluxu menſium immodico. 446
76. de fluore muliebri, item de gonorrhæa muliebri. 449
77. de furore uterino. 452
78. de uteri præfocatione ſeu hyſterica paſſione. 454
79. de procidentiâ uteri & ejus clauſura. 457
80. de uteri inflammatione, ſcirrho, inflatione, & hydrope. 459
81. de uteri cancro, ulceribus, & rhagadibus item de mola. 461
82. de Sterilitate utriusque ſexus. 462
83. de morbis acutis prægnantium & abortu. 464
84. de partus difficultate & fœtu mortuo. 467
85. de Secundinis retentis, lochiorum fluxu immodico eorumque ſuppreſſione. 469
86. de morbis acutis puerperarum & torminibus à partu. 471

TRACTATUS SECUNDUS

DE MORBO GALLICO ET GONORrhæa, reliquisque ſymptomatibus ei ſupervenientibus diviſus in §. XVII.

§. 1. de Origine & definitione morbi gallici. 474
2. de cauſis morbi gallici. 475
3. de ſignis morbi gallici cum diagnoſticis tum prognoſticis. 475
4. de cura morbi gallici per indicationes, diætam, digeſtiones, & evacuationes. 476
5. de cura morbi gallici per ſudores ad membra & qualitatem malignam oppugnandam. 477
6. de continuatione curæ per Mercurii aſſumptionem, & ptyaliſmum ſeu ſalivationem. 478
7. de ſalivatione procuranda per inunctiones, ſuffumigia, & emplaſtra. 479
§. 8. de accidentium correctione. 480
9. de cura gonorrhææ & teſtium tumore. 480
10. de Bubonibus Venereis. 481
11. de carie gallica. 482
12. de oſſium corruptione. 483
13. de tumore & callo præputii. 484
14. de verucis ſeu poris. 485
15. de Gummatibus ſeu nodis gallicis, item de rhagadibus. 485
16. de præſervatione à lue gallica. 486
17. in quo controverſiæ, quæ moveri poſſunt circa ea, quæ de hoc affectu dictavimus, proponuntur. 487

TRACTATUS TERTIUS

cum Appendice,

DE PESTILENTIA ET VENENIS

habet Capita XVII.

Cap. 1. de Eſſentia & ſubjecto febris. 490
2. de differentiis febrium. 493
3. de cauſis febrium. 496
4. de febre diaria ſive ephemera. 497
5. de febre hectica. 499
6. de febre humorali in genere. 505
7. de ſynocho putrida & imputrida. 506
Cap. 8. de febre ardente & cõtinua tertiana. 510
9. de tertiana intermittente exquiſitâ & nothâ. 512
10. de febre quotidiana. 516
11. de febre quartana. 519
12. de peſtis eſſentia. 524
13. de differentiis peſtis ſeu febrium peſtilentium. 528

Cap. 14. de cauſis peſtis in genere & in ſpecie. 530
15. de ſignis peſtis & ejus cura. 533
16 de febre Ungarica & Petechiali. 539
Cap. 17. de Variolis & morbillis. 545
Appendix de venenis & eorum differentiis, ſignis in genere & curatione in particulari. 552

TRACTATUS QVARTUS
DE MORBIS PUERORUM
habet Capita XXXIII.

Cap. 1. Continet theoremata & aphoriſmos utiliſſimos de natura & affectibus nutricum & puerorum. 558
2. continuatio theorematum. 559
3. de electione, lacte & victu nutricis. 561
4. de curatione morborum nutricis, item de inflammatione & dolore mamillarum, & earum abſceſſu, item de rimis papillarum. 562
5. de vitiis lactis. 463
6. de infantium diæta. 566
7. de cruſta lactea, item de eryſipelate infantis. 568
8. de Herpete exquiſito, exedente & miliari. 569
9. de achoribus, favis, tinea & ſiriaſi. 569
10. de inflationibus capitis cùm internis, tum externis. 570
11. de terroribus in ſomno & vigiliis infantis. 572
12. de Epilepſia, convulſionibus ac paralyſi puerorum. 572
13. de Suffuſione oculorum, ſtrabiſmo, & pruritu palpebrarum. 574
14. de dolore aurium, & nimia ſternutatione infantis. 575
15. de catarrhis, reſpirationis difficultate, & oregmo ſeu aſthmate, germanis dicto Herggeſpör / & tuſſi. 576
16. de gingivarum prurigine, abſceſſibus, aphthis, ſuperflua carne, veſiculis, ex dentitione doloritica, & tonſillarum inflammatione. 577
17. de inciſione fileti ſub lingua, item de ranunculo ſeu batracho & linguæ gravedine. 579
18. de ſtomachi debilitate, vomitu & ſingultu. 579
19. de colica & ventris dolore. 581
20. de fluxu ventris & Diarrhæa. 581
21. de Teneſmo. 583
22. de alui adſtrictione. 583
23. de inflatione ventris. 584
24. de lumbricis. 585
25. de inflammatione, tumore, ſeu eminentia umbilici. 586
26. de calculo veſicæ. 586
27. de urinæ incontinentia. 587
28. de retentione urinæ. 587
29. de herniis puerorum ani procidentia & intertrigine. 588
30. de Scabie infantium. 589
31. de febribus infantium præcipuè de hectica. 590
32. de ambuſtione. 591

TRACTATUS QVINTUS.
CHIRURGICO-MEDICUS
ſeu
De Chirurgicis adminiſtrationibus
cum appenſo
Chirugi examine habet Capita LIII.

Cap. 1. de Chirurgiæ definitione & diviſione. 592
2. de ſanguinis miſſione. 592
3. quid ante V. S. faciendum, quid ipſo Sectionis tempore, quid poſt, quæ in extracto ſanguine obſervanda, & quodnam oportunum ſit ſectionis tempus. 595

Cap. 4. de Arteriotomia, cucurbitulis, ſcarificationibus, & veſicatoriis, item de hirudinibus. 597
5. de tumoribus præter naturam in genere, eorum differentiis, cauſis & ſignis. 599
6. de phlegmone & aliis à ſanguine procreatis tumoribus. 601
7. de Carbunculo ſive anthrace & pernionibus. 604
8. de Gangræna & Sphacelo ſeu ſideratione. 606
9. de Phygethlo ſive pano & bubonibus. 610
10. de phymate, furunculo, epinyctide, terminthо. 612
11. de Eryſipelate. 613
12. de Herpete & phlyctænis. 615
13. de Impetigine item de Tinea. 617
14. de Oedemate. 617
15. de Tumoribus aquoſis & flatulentis. 619
16. de Tumoribus aquoſis, hydrocephalo ſcilicet, hydromphalo, & hernià aquoſà ſeu hydrocele. 622
17. de Strumis & ſcrophulis. 624
18. de glandula, ganglio, nodo, lupia, atheromate, ſteatomate, meliceride. 625
19. de ſcirrho. 625
20. de cancro. 627
21. de Elephantiaſi. 628
22. de Polypo, Verrucis, mariſcis, ſeu ficubus, callo & clavo. 630
23. de parotidibus, ægilope, grandine, hordeolo. 632
24. de ranula, panaritio, unguium pterygio & tumore umbilici. 633
25. de vulneribus in genere, de differentiis ſolutæ unitatis, ſignis prognoſticis & curâ in genere. 635
26. de conſervanda partis temperie in vulnere. 637
27. de diæta, venæ ſectione & purgatione in vulneribus inſtituenda. 637
28. de corrigendis accidentibus, quæ vulneribus eveniunt. 639
29. de ſuperficialium & profundorum ſeu cavorum in carne vulnerum cura in particulari. 640
Cap. 30. de facienda cicatrice, eademque tollenda, & renovanda, & de auferenda carnis ſupercreſcentia. 642
31. de vulnere contuſo, ecchymoſi, & flagellatis. 643
32. de vulnere à morſu vel ictu venenatorum, & non ita venenatorum animalium illato, & præcipue de morſu canis rabidi. 644
33. de vulnere venarum, præcipuè hæmorhoidalium & arteriarum ſanguinem profundentium. 646
34. de vulneribus nervorum, tendinum & ligamentorum. 647
35. de vulneribus capitis. 649
36. de vulneribus duræ & piæ matris cerebri, item de curatione fracturæ cranii abſque cutis inciſione, item de dolore capitis ex ictu vel caſu vel plaga orto. 651
37. de oculorum, aurium, & narium vulneribus. 653
38. de vulneribus thoracis tum externis tum internis. 654
39. de externis & internis abdominis vulneribus. 658
40. de vulneribus ex globis ſclopetorum & ambuſtis. 659
41. de ulceribus in genere. 661
42. de ſimplicibus, & cum intemperie conjunctis ulceribus. 663
43. de ulcere vel cum tumore vel labiorum duritie ac livido colore item de ulcerum varice & ulcere verminoſo. 665
44. de ulcere cum oſſe corrupto, item de ulcere cum humorum affluxu, item de ulcere virulento, phagedæna & nomodes dicto. 666
45. de ulcere ſordido, item de ſinuoſo ulcere & fiſtulis. 669
46. de manantibus capitis ulceribus, ſive de tinea, item de ulceribus oculorum item de Ozœna. 672
47. de ulceribus oris, & partium in eo contentarum, item de linguæ & labiorum ſciſſuris. 674
48. de aurium, axillarum, Inguinum, pectoris, abdominis & penis ulceribus item de caruncula. 675

Cap. 49.

Cap. 49. de ulceribus Uteri, item de rhagadibus ejuſdem & ani; item de hæmorrhoidibus. 677
50. de Fracturis in genere & in particulari. 679
Cap. 51. de Luxationibus in communi. 681
52. de luxationibus in particulari. 682
53. de Lithotomia in mare & fœmina. 685
Examen Chirurgicum ex iis quæ tradita ſunt. 687

TRACTATUS SEXTUS

DE METHODO, ARTE, ET REGULIS

bene conſultandi, directis ad rationem mixti: quibus acceſſerunt rariores quædam Obſervationes & notatu digniores, habet Capita XXI.

Cap. 1. de neceſſitate & utilitate hujus tractatus cum expoſitione tractandorum, & ordine inter Conſultores ſervando. 691
2. circa quæ & quot conſultationes verſari debeant. 692
3. Quid dicendum ſit in conſultatione, quando ejuſdem finis eſt cognitio tantùm, & non actio. 693
4. Quid dicendum ſit in conſultatione, cujus finis eſt actio. 694
5. Quis ordo ſit in narrandis ſervandus. 695
6. Dum de morbo deliberatur, quænam de illo præferenda ſint. 696
7. de aliis in conſultatione circa eſſentiam & definitiones morbi conſiderandis. 697
8. Quid conſultori de cauſa morbi dicendum ſit. 699
9. de diſcurſu formando in ordine ad Symptomata. 700
10. Qualis diſcurſus eſſe debeat de ſymptomatum cauſis. 703
11. Diſcurſus de cauſis Symptomatum in excretis & retentis, item de qualitatibus mutatis. 705
12. Quid in conſultationibus de ſignis dicendum ſit. 706
13. Exemplo dilucidantur prædicta. 709
14. de modis & differentiis actionum. 710
15. Proponitur modus agendi, prædictis ſcopis accomodatus. 711
16. Expenduntur inſtrumenta, quibus hi ſcopi poſſint acquiri. 711
17. Formatur Conſilium de Pleuritide ſecundum regulas hactenus traditas in genere. 713
18. Conſultationis per ſignâ diagnoſtica & prognoſtica continuatio. 715
19. de agendis, id eſt de indicationibus Pleuritidis. 717
20. de materiâ remediorum, ſeu curâ univerſali in conſultatione proponenda. 718
21. Conſultatio particularis in Pleuritide. 722

Obſervationes rariores & notatu digniores

in XVI. Capita diſtinctæ.

Cap. 1. de Flatu furioſo. 725
2. de Angina periculoſiſſima ter recidivâ, & tandem curatâ. 727
3. de Puella octo annorum, phthiſi ſpuriâ & mirabili laborante, quæ rejectâ tandem carneâ quadâ vel verrucoſâ ſubſtantiâ ex toto convaluit, & nunc etiam valet, vivitque incolumis. 731
4. de Hyprope deſperato curato. 733
5. de Ictero mirabili & periodico, cum excretione calculorum per alvum. 738
Cap. 6. de Podagra & Iſchiatica paſſione. 741
7. de Apoplexiâ curatâ, & quibusdam fumo carbonum extinctis. 744
8. de miris Excreſcentiis. 746
9. de Peſte multoties curatâ. 748
10. de Colica curatâ. 749
11. de magnis Vulneribus, ubi expenditur Hipp. aphoriſmus 8 t. ſect. 6. *veſicam præciſam habenti* &c. 751

Cap. 14.

Cap. 12. de Tumoribus quibusdam ſpongioſis genuum curatis, item de aliis abdominis tumoribus non curatis. 754
13. de Variolis periculoſiſſimis curatis. 756
14. de Tineâ curatâ. 757
15. de ſputo Sanguinis, & Catarrhis periodicis. 758
16. de variarum partium, utpote capitis, gingivarum, cutis, narium, uteri hæmorrhagiis curatis. 760

Modus promovendi Doctores in Archy-Lycæo Viennenſi, tribus Apologicis diſcurſibus in Medicinæ & Medicorum encomia exornatus. 463
Oratio prima habita in promotione VII. D.D. Doctorum Medicinæ. 766
Oratio ſecunda habita in promotione IV. D.D. Doctorum Medicinæ. 770
Oratio tertia habita in promotione VI. D.D. Doctorum Medicinæ. 775

Præ-

Digitized by Google

Præfatio Univerſalis

ad

Benevolum Lectorem.

MEdicinam Hippocratico-Galenicam, opulentiſſimis olim gazis, margaritis, auro, gemmisq; micantem, nunc Empiricorum, & Ciniflonum, impuris manibus deve-nuſtatam, methodo & præceptis ſpoliatam, chlamyde mille laciniis dilancinatâ, & fruſtis indecenter aptatis, mirè miſeréque variegatis & confutis tectam, non quidem ex toto re-ſtitutam (vana procul hinc gloria) ſed mediocri & decurtatâ, decenti tamen, & minimè pompoſâ, exornatam togâ, Tibi, *Amice Lector*, ob oculos pono: bis, immò fermè ter, à principio usque ad finem, ſtylo minimè æquivoco, aut ænigmatico, ſed humili & claro (res enim, non verba, venamur) ex Cathedrâ explicatum, dicta-túmque hunc Tractatum meum: combinationes, inquam, Anti-quorum cum Recentioribus, per annexas, ad Diſputationem, de quavis materiâ, aptas Controverſias, Tibi ſummâ animi ſub-miſſione offero. Si me doctior es, Diſcipulum habes, & imi-tatorem: ſi rudior, Magiſtrum, ſed verè ſincerum; qui è ſecretiſ-ſimis cordis penetralibus, jubente id charitate, omnia Tibi ſua, immò plura, fragrantiſsimos ſcilicet, ex doctiſsimis Authoribus, apum more, quæ cadaveribus non inſident, collectos flores im-pertitur. Si Hippocratem, Galenum, & Avicennam; ſi in-comparabilem Duretum, doctiſsimum Fernelium, Bravonem, ævi hujus miraculum, ſi Valleſium, & ſexcentos alios, legiſti, il-lorum hîc imitatorem habes, & qui aliena alieno, propria pro-prio, ſine ullâ fuci ſuſpicione, vendit titulo: proprium non quærit bonum, ſed Tuum: non aucupatur honorem, ſed dicit

cum

cum Propheta : *Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini Tuo da gloriam.* Non lucrum meditatur, niſi id, quod ſummus retributor proximum diligentibus in alterâ vitâ pollicetur. Brevem itaque, & ſecurum, multis experientiis, cùm in Hoſpitalibus, periculoſo etiam Peſtis tempore, tum ad innumerabiles Ægrorum gemitûs, probatum Curandi Modum ſequere, & ex facili omnes conſcientiæ nævos, errorumque charybdes evitabis. Si mendas, & vitia (de quo non dubito) repereris, hæc modeſtè, Chriſtianè, & absque calumniâ (nullam enim in hoc toto Opere reperies) corrige, eáque temporis brevitati, & negotiorum multitudini adſcribe. Recipe igitur, *Lector non Amuſe*, haſce qualescunque Lucubrationes noſtras, fidelis animi teſſeram, quas, Æſculapii familiam, & proximi bonum, promovendi ſtudio ſuſcepi; & æqui boníque conſule. Spero enim, fore, ut, ſi eas ſiniſtro non aſpexeris oculo, Deo T. O. M. vitam ex benignitate ſua ulteriorem concedente, & plura adjecero, & Te ſuſcepti non pœnituerit laboris. Vale.

Ad
Benevolum Lectorem
Præfatio Particularis:

Unà cum Canonibus quibusdam utiliſſimis, &, ad benè inſtituendum Medicinæ ſtudium, perquàm idoneis:

Quantumvis primum hunc laborum & lucubrationum mearum partum (Iſagogen, inquam, Medicam) detractorum invidiâ ſuperiorem fore, minimè confidam; ejus tamen, ob brevitatem, facilitas; ob ſubtiles difficultatum enodationes, utilitas; ob minimè fucatam, quam cum vera Philoſophia habet, affinitatem & connexionem, raritas, publico eam emolumento conſecrare facit. Hæc enim ſcienti reminiſcentiam, diſcenti ſolidiſſima afferet, in Medicinâ, fundamenta. Non, niſi mente captus, hæc aſpernabitur, & omnia ſeſe didiciſſe exiſtimabit; nam plura, quàm didicit, ignorat. Ego hiſce meliorem tradentis, ingenuè & ingenioſè corrigentis, augentis, illuſtrantis, diſciplinam ambabus amplectar ulnis. Tuum interea erit, Benevole Lector, *hæc æqui bonique conſulere, & ſequentes* Canones, *tanquam diſpoſitiones, & methodos regulares, tum ad Medicinæ, Artium nobiliſſimæ matris, ſolidam & fundatam cognitionem acquirendam, tum ad honeſtè ſalubriterque vivendum ſuſcipere; nam* moleſta corporis diſpoſitio perturbat animum: Sap. 9. Canones.

Canon I. A Jove principium: Archiatri nimirum, ſeu Proto-Medici cæleſtis, auxiliares manus holocauſtis aſſiduis ſollicitandæ ſunt, ut divinâ ſuâ gratiâ noſtras ſanctificet animas. Sicut enim mites corporum cæleſtium influentiæ, in corpora noſtra immediatè transfuſæ, proſpero ejuſdem ſtatui plurimum conferunt: ſic influentiæ Spiritus Divini, & gratiæ ejus, in animas noſtras à Deo infuſæ, longè plurimum eas reficiunt; quas piis ad Chriſtum ſupplicationibus nobis conciliaturi ſumus. Nam veluti

cedunt aſtra Deo, (*ſic*) precibus Deus ipſe ſuorum.

Digitized by Google

Canon II. Poſt ſufficientem actionum noſtrarum in ſummi Numinis manùs reſignationem, quotidiè capilli capitis anteriores retrorſum, poſteriores antrorſum, pectantur, ut ſordes à capillorum radicibus arceantur; idq; jejuno ſtomacho, ne, corpore cibis diſtento, humores in venas attrahantur, & ſublimentur.

Canon III. Excreta oris expuendo; pulmonum excreando; narium emungendo, evacuanda ſunt. Melius enim eſt, & ſatius, ſuperfluitates ejuſmodi per os, & nares, ſecernere, quàm, deglutiendo, ſtomachum excrementis onerare. Nam è ſtomacho feculento impuri in cerebrum vapores exhalant; unde memoria debilitatur.

Canon IV. Urina, ventris onus, & flatus, primo irritamento excernantur. Nam ab excrementis, & flatibus, retentis graviſſima ſæpe oriuntur mala.

Canon V. Cœna prandio ſit minùs larga: Illa enim nocturnis caput affligit deſtillationibus: calida frigidis, concoctu facilia difficilibus, ſolidis liquida, præmittantur edulia: cibi probè maſticentur: potus ſenſim hauriatur: avida vitetur ingurgitatio: deniq; alimenti quantitas viribus ſumentis, non appetitui, reſpondeat. Aliud *enim* homini, aliud humanitati, debetur: *inquit Varro.*

Canon VI. Vitentur comeſſationes, & pitiſſationes; à cænâ non bibatur: ſomnus enim ſatis humectat. De his vide plura in Inſtitutionibus.

Canon VII. Vitæ ſocios, & conſortes, elige ſolidæ viros doctrinæ, & à moribus commendatos, & tales, quorum familiaritate & peritior fias, & melior: Nam cum bono bonus eris; cum perverſo perverteris.

Canon. VIII. Mens in præceptis, & ſententiis, in Medicina ſelectioribus, memoriter ediſcendis aſſiduè exercenda eſt, ut uſu quotidiano reminiſcendi facultas vegetetur. Nam ſicuti vires corporis exercitatione jugi augentur, ignaviâ verò minuuntur: ita anima aſſiduo bonarum literarum aſſuefacta ſtudio vigoratur, diſſuetudine torpet: & ſicuti frequens Diſputatio peritum Logicum, & frequens Oratio diſertum reddit Oratorem: ſic frequens memoriter ediſcendi Praxis memoriam reddit promptiorem, & firmiorem.

Canon IX.

Canon. IX. Tempus ſtudiis aptiſſimum eſt matutinũ, & jejuno ſtomacho. *Nam* Auroræ Muſis amica. *Prodeſt etiam, ut, quicquid die commentati ſumus, noctu ſummatim repetamus: quod præceptum* Pythagoræ *adſcribitur: quin &* Tertulliano *ſæpius repetita ruminatio placuiſſe fertur.*

Canon. X. Si folia pertimeſcas, ſylvas vites: ſi cædes, vulnera, lamentationes, ſordes, fœtores, mortes, cadavera, horres, te ad Medicinam ineptum arbitreris.

Canon. XI. Inſtructorem ſelige, in Profeſſione Medica, peritiſſimum; cujus ſummâ cum admiratione, tanquam oracula profundentis, doctrinam auſcultes; & abditiſſima Profeſſionis Medicæ myſteria cognoſcas; nec te priùs pudeat eſſe Diſcipulum, quàm ſolidam acquiſiveris ſcientiam: immò nec tunc quidem. Nam optimus & graviſſimus quisque confitetur, ſe multa ignorare, & multa ſibi etiam atque etiam eſſe diſcenda: *Cicer.* 3. Tuſc.

Canon. XII. Auctores in Arte peritos, non rudes, aut infarctores, ſeu nugivendulos, eósq; paucos, ſelige, tam Priſcos, quàm Recentiores: Ex his optima quæq; Theoremata, Sententias, & Axiomata excerpe, in codicem refer, & nocturnâ verſato manu, verſato diurna; *nec multa ſint. Quemadmodum n. non, multum comedere, ſed comeſtum bene digerere, corporis ſanitati confert: ſic menti utilior eſt deliberata lectio, quàm avida & confuſa. Methodum itaq; ſecteris breviſſimam, ne in loca prærupta, & viarum latebras (id eſt ignorantiæ labyrinthos) deflectas.*

Canon. XIII. Nec ſolitariæ lectioni totus incumbas; ſed alios Tibi in ſtudiis comites adjungas; & frequens tibi ſit cum illis altercatio. Nam vexatio dat intellectum: *& ſpecies clamoribus impreſſæ fortiùs memoriæ adhærent, lingua ſolvitur, pectus dilatatur, & dicendi conciliatur audacia.*

Canon. XIV. Mentis aciem non nimium obtundat ſtudium. Arcus *enim,* ſi nunquam ceſſes tendere, lentus erit; *ut canit Poëta: &:* Interpone tuis nonunquam gaudia curis. *Faceti̇is deniq;, leporibus, confabulationibus honeſtis, ſpectaculorum ſolemnium inſpectionibus, interdum refocillandus eſt animus; ſed μεσότης ἡ ἀρετὴ, κακία ὑπερβολὴ πέλεται:* modus virtus eſt, vitium nimietas.

Canon XV. *Cùm Deus ter-Optimus-Maximus ſit omnium rerum principium & finis; cum eo incipiendum finiendumq́, & cum Pſalmiſta, 117. dicendum:* Fili, honora Dominum, & confortaberis, & extra nullum timueris. *Accedente tandem morum intaminata integritate, non deerit auxilium Dei, dicentis, Eſai. 49.* Tempore opportuno exaudivi te, & in die auxiliatus ſum tibi: *quin &*, ſat bene equitat, quem Dei gratia portat: *ſat bene proficit, qui ita proficit in literis, ut non deficiat in moribus. Hinc profani ſunt quidem pervolvendi Codices, ſed lectio profana Divinâ, velut ſale, condienda eſt; ut caveatur Atheiſmus, Medicis ſæpe contagioſus: quia deſeruntur à Deo, quem prius deſeruerunt, divina profanis poſtponentes, & Verbum Dei, ſeu Conciones, ſurda aure prætereuntes.* Quàm magnus eſt, qui invenit ſapientiam, ſed non eſt ſupra timentem Dominum. Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis ſuæ benedicetur: *Eccleſ. 15.* Sed impietas impio non nocebit, in quacunque die converſus fuerit: *Ezechielis* 18. Convertamur ad Deum, & miſericordiam conſequemur. *Nam* Deus non vult mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur, & vivat. *Cæterùm concludo verbis Divi Auguſtini*, in Præfat. lib. 3. de SS. Trinitate: Quiſquis hæc mea legit, ubi pariter certus eſt, pergat mecum; ubi hæſitat, quærat mecum; ubi errorem ſuum agnoſcit, redeat ad me; ubi meum, moneat me.

Sacroſanctæ & Individuæ Trinitati Gloria, Honor, & Benedictio, per æviterna ſæcula: Amen.

TRACTA-

TRACTATUS PRIMUS

ISAGOGES MEDICÆ.

CAPUT PRIMUM,

De

Medicinæ Definitione, & Diviſione.

TRadioſam cane pejus & angve vitaturi polylogiam, de ſaluberrimæ Artis Origine, Dignitate, & Cultoribus, ſuperſedentes ambagibus, compendioſæ brevitatis causâ, cujus inviolabi nos obſervationi in annua hac lucubratione devincimus, recurrendum indicamus ad Hippoc. *l. de Veteri Medicina, fol. 8.* Galeni *Iſagog. in r.* ad Valleriolam, *l. 1. de Locis Communibus, cap. 1.* Plempium, *l. 1. Phyſiologiæ. c. 8. de fundamentis Medicinæ*, & alios cuique familiares Authores.

Medicinæ definitiones. *Medicinam* varii variè *definiunt.* Herophilus ait, *eſſe ſcientiam ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum.* Hipp. *l. de flatibus: adjectionem deficientium & detractionem redundantium.* Gal. *de conſtitutione Artis*, Medicinam vocat *Artem præſentis ſanitatis conſervatricem, & labefactatæ inſtauratricem.* Avicen. *fen. 1. doctr. 1. ait: eſſe ſcientiam, quâ humani corporis diſpoſitiones noſcuntur, ut ſanum eſt, vel à ſanitate recedit, ut bona ſanitas conſervetur, & amiſſa recuperetur.* Ex reliquis aliorum Authorum definitionibus primas habere videtur ultima hæc *Avicennæ* definitio, requiſitis omnibus, utpote genere, differentiâ, materiali, & formali objecto, causâ denique formali ſtipata.

Avicennæ. Explicatio definitionis. *Scientia* eſt genus, non ſtrictè accepta, uti Ariſtoteles, *3. de Cœlo, text. 6.* effectivæ ſcientiæ finem dicit non eſſe, ſed opus. Si tamen ſumatur pro habitu ſcientifico Medicinæ Dogmata, excluſis *Artium* illi miniſtrantium habitibus, Pharmacia ſcilicet, & Chirurgia, *ſcientia* propriè dicta & eſſe optimo jure dici poteſt. *Quâ humani corporis diſpoſitiones noſcuntur*, eſt differentia: *corporis humani, ejusq; partium, affectiones* objectum materiale conſtituunt: *quâ ſanum eſt, & à ſanitate recedit*, objectum formale: *ut præſens ſanitas conſervetur, & amiſſa recuperetur*, eſt cauſa finalis; ob quam omnia, quæ in Medicinâ fiunt, inſtituuntur.

Diviſionis. Miſſâ Philothei, in *Speculativam*, & *Activam*, Medicinæ diviſione; & Avicennæ, in *Theoricam* ſcilicet, & *Practicam*, nos eam dividimus in *Phyſiologiam, Pathologiam, Semioticam*, ſalubrem, ſeu *ὑγιεινήν*, & *Therapeuticam*, ita, ut in trium rerum, Naturalium ſcilicet, non-Naturalium, & præter-Naturalium, cognitione totus Medicinæ cardo rotetur. Res autem Naturales, quæ ad *Phyſiologiam* referuntur, ſunt *Elementa, Temperamenta, Spiritus, Partes, Humores, Functiones, & Facultates*: res-non Naturales, quæ ad *ὑγιεινήν* ſpectant, ſunt ſex: *Aër; Cibus & Potus; Somnus & Vigilia; Excreta & Retenta; Motus & Quies; Animi pathemata*: res contra- ſeu præter-Naturam ſunt tres; *Cauſa morbi, Morbus, & Symptomata*: quibus è corpore eliminandis occupatur *Therapeutica*; cui etiam non parum *Diætetica* famulatur. *Therapeutica* ſubdividitur in *Chirurgicam, Pharmaceuticam, & Diæteticam.*

Medicinæ Elementa. Et hæc dici verè poſſunt *Medicinæ Elementa. Semiotica*, teſte Galeno, *in Arte parva*, ſuam deſumit ex reliquis Medicinæ partibus materiam: ſiquidem ſignum aliud eſt ſalubre; & ſic *ad Phyſiologiam*: aliud inſalubre; & *ſic ad Pathologiam*, &c. refertur: Gal. *loc. cit.* Hiſce Medicus, velut alter Architectus, inſtructus ſcientificè, media demonſtrat, & modum acquirendi, & acquiſitam conſervandi, ſanitatem: cui deſerviunt *Miniſtri*, ſuis artibus muniti, *Chirurgus* ſcilicet, & *Pharmacopæus*. Miniſt.

Objectiones.

1. Object. 1. De re inutili fruſtra inſtituitur Tractatus: ſed Medicina eſt res inutilis; Ergo. Minor probatur ex Plinio, *lib. 29. Natur. Hiſtor.* ſiquidem Romani 600. annis ſine Medicina vixerunt. Probatur, *ſecundò*, ex *Hipp. in lib. Epid.* ubi ait: *Naturam eſſe morborum medicatricem*: *tertiò*; conſtitutus eſt à Deo terminus, qui præteriri non poterit, quique ante omnia ſæcula immutabili & indefectibili determinatione præfixus eſt: Ergo Medici non erit, ſubſidium homini adeò mortali ferre. ℞. Plinium fuiſſe garrulum, & Romanos quoque ſine Theologis fuiſſe; non tamen ideò ſuam Theologis demendam eſſe dignitatem. ℞. Ad ſecundum: *Natura eſt morborum medicatrix*: in parvis, ſine Medici ope, concedo: in magnis, nego: vel, ſola, nego; ope Medici, concedo. Quis enim afferet, Naturam ſolam membra luxata reponere, ingentes inflammationes temperare, &c? Ad tertium dico, conſtitutum eſſe homini terminum, ſed, teſte *Lullio*, eum accelerari poſſe. Hinc duplex eſt vitæ noſtræ terminus: præfixus unus; acceleratus alter.

2. Obj. 2. Scientia eſt univerſalium, neceſſariorum, & eorum, quæ ſeſe aliter habere nequeunt; ſed Medicina verſatur circa particularia, id eſt, circa ſpecificas differentias, quæ ſunt in individuo: Ergo Medicina non videtur eſſe ſcientia. ℞. Primò: Non univerſale in communi, ſed univerſale in particulari, id eſt, ſpecificas differentias, quæ ſunt in individuo; non ipſa individua, quatenus individua, curari. ℞. Secundò: Medicina agit circa particularia: ſi ſumatur pro habitu, & artibus illi miniſtrantibus, concedo: ſi pro ſcientifico habitu, nego.

3. Obj. 3. Avicennæ *commentaria*, & plurimi alii Authores, dicunt, Medicinam eſſe Artem: Ergo non eſt ſcientia. ℞. 1. Diſtinguendo antecedens: Medicina eſt Ars: prout Ars diſtinguitur à Scientia, nego: prout eſt quid ſuperius ad artem, & ſcientiam, concedo. 2. Non ſtrictè hìc accipitur nomen Artis, ſed lato modo, cum *Ariſtotele*, *1. metaph. 1.* ubi artem dividit in *Mechanicam*; ut eſt lanificia, militaris: & *Doctrinalem*, uti eſt omnis dicta liberalis, *Grammatica* ſcilicet, *Rhetorica*, *Logica*, *Muſica*, *Arithmetica*, *Geometria*, *Aſtronomia*, *Ethica*, *Politica*, *Phyſica*, *Medicina*, *Metaphyſica*, & *Theologia*; quarum duæ ultimæ Divinæ appellantur; reliquæ Naturales. Ex quibus patet, ſub Artis, latè dictæ, nomine multas ſcientias contineri: immò Ars ſemper reſpicit objectum ut factivum, ſeu factibile; Medicina verò non reſpicit corpus humanum ut factibile, ſed ut jam factum ſanabile.

Obj. 4. Rei unius dari non debent plures definitiones, ſed una tantùm: Ergo fruſtra ab Authoribus tot definitiones traduntur. ℞. Neg. antecedens: poteſt enim dari definitio alia *Phyſica*, ex materiâ & formâ: alia *Metaphyſica*, ex genere & diferentia: immò ſub diverſis formalitatibus, ſeu rationibus formalibus, dari poſſunt plures definitiones, in ordine ad plura cauſarum genera. 4.

Obj. 5. Sanitas non eſt Medicinæ finis: ſiquidem plurimi ſunt morbi incurabiles: ut Hectica tertii gradus, ſeu Maraſmus, Sideratio, Apoplexia fortis, &c. ℞. hos, ſecundum Hipp. *l. de arte*, non pertinere ad Medicinam: impropriè tamen eò referri, non inficiamur: tractatur enim à Medicis, ad inducias inter mortem & vitam ineundas. 5.

Obj. 6. In præcedenti Medicinæ diviſione membra dividentia non ſunt ſibi oppoſita: Ergo diviſio non eſt regularis. ℞. non ſunt oppoſita contradictoriè, concedo: non ſunt oppoſita relative, nego: ergo non ſunt oppoſita: nego conſequentiam. 6.

Obj. 7. Corpus humanum, quà ſanabile, non videtur eſſe objectum Medicinæ adæquatum: quia Medicina non tantùm docet corpora morboſa curare, ſed etiam ſana in ſanitate conſervare: Ergo: ℞. corpus humanum ſanum non eſt ſanabile, ut ſanum eſt, reduplicativè, concedo: ſpecificativè, ut corpus humanum eſt obnoxium morboſæ diſpoſitioni, nego: vel aliter: ſanabile ſanitate reductionis, ſive curationis, concedo; ſanitate conſervationis, nego. 7.

Qua-

Medicorum Sectar. præſtantia.

Quæres: quotnam ſint *Medicorum Sectæ*, & quænam illarum *præſtantior?*
℞. Quatuor eſſe Sectas, *Empiricam*, *Rationalem*, ſeu *Dogmaticam*, *Methodicam*,
& *Spagyricam*: quibus omnibus ſecta
Rationalis, ſeu *Dogmatica*, palmam præripit, ūsque tutior & præſtantior eſſe
jure meritiſſimo videtur. Fallit enim
Methodica, quæ, ſignis & cauſis contemptis, ſine diligenti circumſpectione, communitates quaſdam invenit,
laxum ſcilicet, & ſtrictum, cum medio. *Spagyrica* ſibi non conſtat, quæ
tria tantum numerat principia, *Salem*,
4 *Sulphur*, & *Mercurium*, volens evertere
famoſiſſimum illud, & veriſſimum
Axioma: *Contraria contrariis curantur; ſimilia ſimilibus conſervantur.* *Empirica*, quæ ſolis Analogiſmis curat, facitq; mera ab uno ad aliud conſequentias, & plures unâ fideliâ dealbat parietes, cùm tot medicamenta, quot Patientes, habere debeat rationalis Medicus, omnia mobili fundat in arena.
Secta itaque inter omnes præſtantiſſi-
5 ma eſt *Rationalis*, ſeu *Dogmatica*, quæ ſe
ad *Empiricam* habet, ſicut homo videns ad cæcum.

Caput II.

De Elementis.

Elementa quid.

Sine cognitione entis non facilè ad
6 ſuum reducitur principium entis
ens, ſeu accidens; adeóque ſine notitia eorum, ex quibus corpus humanum, aliáque mixta, ſunt conflata, debitas illis operationes diſtinguere à non
debitis, qualitates & virtutes eorum
ſpecificare, exorbitantias diſtinguere,
7 non poterit Medicus. Non tamen agere hic intendimus cum Ariſtotele,
l. de cælo, præcisè, quatenus univerſi hujus partes exiſtunt, diverſaſque locomotivas qualitates, gravitatem ſcilicet, & levitatem habent, quibus ad propria loca deferuntur; neque etiam quatenus ſunt prima generationum principia, & corruptionum: ſed de Elementis hîc pertractamus, quatenus ſunt partes mixti ſimpliciſſimæ; ex quibus oritur temperies, conſervationis & interitûs cauſa: & hâc quidem progreſſionis ſerie: ex elementis fiunt humores (intellige ſemen, & ſanguinem menſtruum, mediatè ſaltem) ex humoribus partes ſimiliares; ex his organa compoſita; ex organis bene conſtitutis actiones inculpatæ eduntur; ex iis malè affectis actiones vel depravatæ, vel diminutæ, vel abolitæ eſſe dicuntur. Quòd itaque elementa ſint corpora quædam ſimplicia, ac primitivæ mixti partes, quæ in alia diverſarum formarum corpora, in quæ ſecantur compoſita, ſecari nequeunt, & ex quorum mutuâ temperaturâ variæ rerum generatarum ſpecies conſurgunt, ſcientiæ Phyſicæ, cui Medicina ſubalternatur, eſt credendum. Ita enim mixtum fit ex Elementis, ut id tandem in ea reſolvatur. Omiſſis ergo Pſeudo-Phyſicorum deliramentis, de binario Elementorum numero, craſſo, & tenui; de gravitate, & levitate; de infinito *Anaxagoræ*, *Leucippi*, *Democriti*, & Novatoris *Carteſii*, qui jamdiu exploſam nuper conatus eſt reſuſcitare ſententiam; Elementa numero *quatuor*, gravia duo; *terram* ſcilicet, & *aquam*; levia duo; *ignem* & *aërem*, adſtruimus: quod docet ipſa avtopſia, ſeu ocularis inſpectio. *Terra eſt corpus ſimplex, in medio totius, frigidum & ſicciſſimum*: Gal. *5. de medicament. ſimplic.* ejus officium eſt, in mixtis retinere formam, & figuras impreſſas conſervare, figere, &c. *Aqua eſt corpus ſimplex frigidiſſimum, & humidum, terram circumdans*: in generatis facit ad formationem, figurarum delineationem, temperantiam, ut fiat ſeparatio, & unio, figurales impreſſiones facilè recipiantur, & facilè amittantur; quod ſiccis modo evenit contrario. Unionem, v. g. in lapidibus ab humiditate provenire, in propatulo eſt; dum in calcinatione, pereunte humido, mixtum diſſolvitur, ſibique adhærere deſinit. *Aër eſt corpus ſimplex calidum & humidiſſimum*, in cavâ cœli ſuperficiei, inter ignem, & aquam, in generatis, ſeu mixtis; rarefaciens, allevians, ſubtilians; ſurſum movens. *Ignis eſt corpus ſimplex calidiſſimum & ſiccum*, reliquis elementis ſuperius: cujus effectus eſt, maturare, ſubtiliare. *Aquâ*, & *terrâ*; utitur natura ad generationem membrorum, & quietem;

Quot.

Terra.

Aqua.

Aer.

Ignis.

aëre verò, & *igne*, ad ſpirituum generationem, & motum, &c. Plures elementorum effectùs pete ex Phyſicis. Advertendum hîc duntaxat, binas ſemper uni elemento attribui qualitates; unam in remiſſo; alteram in intenſo gradu.

Objectiones. 1. Obj. 1. Elementa Grammaticæ; immò os, cartilago, materia prima, &c. etiam videntur eſſe elementa, quia ſunt ſimpliciſſimæ partes eorum, quorum ſunt elementa. ℞. Elementa Grammaticæ impropriè dici talia: os verò, & cartilago, ſunt tantum ad ſenſum partes ſimplices, non in ſe: ad tertium conſequentia reſpondebunt.

2. Obj. 2. Illa non ſunt ſimpliciſſima corpora, quæ componuntur ex materia & forma: Ergo. ℞. quòd ſimplicitas elementorum non quamlibet neget compoſitionem, ſed eam tantum, quæ fit ex præſuppoſitis corporibus, quæ poſſunt in res ſpecie diverſas ſecari, aut dividi.

3. Obj. 3. Tota elementorum definitio videtur etiam convenire principiis Phyſicis: immò Ariſtoteles, *1. de generation.* elementa vocat principia generationis: Ergo. ℞. elementa ex ſe invicem oriri; principia verò non: ſecundò elementa ſunt ejuſdem generis cum iis, quorum ſunt elementa; quod de principiis Phyſicis aſſeri nequaquam poteſt.

4. Obj. 4. Ignis non videtur eſſe elementum, quia non concurrit ad mixti generationem: probatur: nihil violenter concurrit ad mixti generationem; ſed ignis eſt hîc violenter: ergo hîc non concurrit. ℞. Ignis non concurrit ad mixti generationem purus, conc. impurus, nego: Ergo concurrit violenter: nego conſequentiam.

5. Obj. 5. Unumquodque reſolvitur in ea, ex quibus conſtat: ſed omne mixtum Spagyricæ artis beneficio reſolvitur in ſalem, ſulphur, & Mercurium: ergo illa erunt elementa, in rebus deſtinata, pro mixti generatione. ℞. Diſt. Minorem: omne mixtum reſolvitur in ſalem, ſulphur, & Mercurium, ultimâ reſolutione, & tanquam in partes ſimpliciſſimas, nego: reſolutione mediâ, concedo: ſal enim, ſulphur, & Mercurius reducibilia adhuc ſunt in vera elementa: hinc patet, reſolutionem mixti in ea non eſſe ultimam.

Obj. 6. Si elementa tantùm virtualiter remanerent in mixto, ut multi aſſerunt, principia illius potiori jure eſſent ſal, ſulphur, & Mercurius; hæc ſiquidem ſunt corpora: &, ut mixtum ſit corporeum, ejus quoque principia decet eſſe corporea. Nam quale compoſitum, talia ſunt principia. ℞. ut mixtum ſit corporeum, non eſt neceſſarium, ut componatur ex aliis principiis, quæ ſunt adæquatè corporea: ſufficit, quod fiat ex elementari materia, & forma; quarum quælibet eſt corporea incompletè; & per illas completur in ſuo eſſe Phyſico entitativo, ſubſtantiali, corporeo, & totali. 6.

Obj. 7. Si Ignis eſt calidiſſimus; ergo, ubicunque erit, uret. ℞. Ignem eſſe calidiſſimum vel intenſivè, vel extenſivè; ſi intenſivè eſſet calidiſſimus, ubique ureret, concedo: ſi extenſivè, nego. 7.

Obj. 8. Aër non videtur eſſe humidiſſimus: aqua enim plus humiditatis obtinere videtur. ℞. licet aqua plus humiditatis habeat, quàm aer, ob id tamen non eſſe humidiorem; quia à majori activitate & intenſione argumentamur; quâ ratione penetrantia convenit aëri: quòd verò aquæ humiditas magis reſiſtat, fit ob denſius ejus ſubjectum. Ad hunc ſcopum ait Ariſtoteles, humidum eſſe, quod proprio termino difficilè terminatur: idque aëri convenientius, quàm aquæ, eſſe videtur. 8.

Obj. 9. Si aër eſſet calidus, non refrigeraret nos; non frigeret, abſente Sole; in media regione aëris non generarentur grandines; flabello motus aër non refrigeraret; cùm motus in calidis generet calorem, in frigidis frigus. ℞. Aërem nos refrigerare, quia nobis frigidior eſt: quòd verò magis refrigeret abſente Sole, hoc fit ratione ambientis, aquæ ſcilicet, & terræ, nubium, &c. Denique, quòd motus aërem refrigeret, ratio eſt, quòd motu diſcutiatur calor, qui ex ſe, & naturâ ſuâ, eſt maximè mobilis. 9.

Quæ-

Quæſtio. Quæres : *Utrum elementa maneant formaliter in mixto?* ℞. cum Ariſtotele, *1. de generatione, cap. 7. text. 4.* Divo Thoma, *l. 1. de generatione, cap. 10. & 99. de anima*; Scoto, *in 2. diſt.* 15. Cajetano, Capreolo, Thoma de Garbo, Sanctæ Cruc. in Avicenn. *opuſculo ſecundo*, Petro Garzia, *in fen. 1. diſp. 7. cap. 16. &* toto Connimbricenſium Collegio, negativè; cùm mixtum ſit tale ſubſtantificè, tale per formam ſubſtantialem, diſtinctum eſſe à formis elementorum: & probatur, quia unitas ſubſtantialis entis naturalis provenit ab unitate ſubſtantialis formæ, tribuentis mixto eſſe tale, & eſſe unum tale: ſed formæ elementorum unum tale eſſe tribuere non poſſunt: Ergo ab unâ formâ ſubſtantiali mixtâ, ab illis diſtinctâ, tribuitur. *Deinde* ſunt multæ proprietates in mixto, quæ non poſſunt oriri à formis elementorum: quales ſunt, quæ oriuntur à forma ſpecificè tali: v.g. vis attractrix in Magnete: venenum in Vipera, Baſiliſco &c: Ergo ab alia forma, quàm à formis elementorum, ſuum eſſe recipit mixtum. Probatur ſecundò: ſi forma mixti ſuperveniret formis ſubſtantialibus elementorum, adveniret enti in actu conſtituto, & conſequenter mixtum eſſet ens per accidens; quod mixto competere nequit, utpotè in prædicamento ſubſtantiæ conſtituto. Idem de quovis elemento cenſendum eſt. Eſt enim ens completum ex materiâ & formâ ſubſtantiali, determinatæ ſpeciei; ſed ex duobus entibus completis & actu exiſtentibus, non poteſt fieri unũ per ſe: Ergo. Probatur *tertiò*: ſi formæ elementorum remanerent in mixto, vel eſſent perfectæ, vel remiſſæ: perfectas non poſſe ſimul exiſtere, probatum eſt: nec remiſſæ poſſunt: quia ſubſtantia non recipit magis & minus. Probatur *quartò*: non eſſet una materia in mixto, ſed tot eſſent materiæ, quot ſunt elementa, remanente ſemper eodem individuationis principio. Probatur *quintò*: ſi neceſſariæ eſſent elementorum formæ in mixto; ideò maximè eſſent, ut qualitates primæ ab ipſis producerentur: ſed hoc non eſt neceſſe: quia mixta diſpoſitio eſt propria paſſio mixti, & debet produci ab illa forma, cujus eſt paſſio; & illa forma eſt forma mixti: ergo ab illa debet produci mixta diſpoſitio, id eſt qualitatis primæ &c.

Objectiones. 1. Obj. *Primò*: Unumquodque reſolvitur in ea, ex quibus conſtat: ſed mixtum reſolvitur in quatuor elementa; uti apparet in viridi ligno; cujus, dum igneſcit, aërea pars in fumum, ignea in flammam, terrea in cineres ſenſibiliter reſolvitur, aqua viſibiliter exſudat: Ergo videtur, mixtum ex elementis formaliter exiſtentibus conſtare. ℞. hic tantùm probari, quòd elementa maneant in mixto ſecundùm materias qualitatibus ſigillatas, quas tamen à forma mixti informari, nihil importat. ℞. ſecundò, diſtinguendo: mixtum reſolvitur in 4. elementa formaliter, nego: materialiter, concedo; vel dicam, aquam exire è mixto, quæ in eo erat tanquam alimentum. Idem cenſendum eſt de reliquis è mixto exeuntibus.

2. Obj. *Secundò*: Materiæ elementorum non poſſunt recipere formam mixti, niſi per mixtam diſpoſitionem determinentur ad illius receptionem: ſed corruptis elementorum formis, non poſſunt in materiâ dari qualitates elementorum, ex quibus fiat mixta diſpoſitio (cùm formâ corruptâ fiat reſolutio uſque ad materiam primam) Ergo nunquam poteſt recipi mixta diſpoſitio ſine illis ℞. diſt. conſequens; non poteſt recipi mixta diſpoſitio, per introductionem formæ mixti, poſt adventum ipſius formæ; concedo: immediatè, antequam forma mixti recipiatur in materia; nego.

3. Obj. *Tertiò* cum *Mercato*: Mixtum ab intrinſeco poteſt corrumpi: ergo: quia elementorum formæ actu manent in illo. Probatur: corruptio ab intrinſeco provenit ab excedente calore ipſius mixti, corrumpente formam mixtam; ſed à forma mixta tantùm qualitates ſui conſervativæ producuntur: Ergo qualitates corruptivæ ab elementorum formis proveniunt. ℞. Neg. conſeq. Sufficit enim virtualis continentia elementorum in mixto, ut poſſit producere non ſolùm conſervativas qualitates, ſed etiam ſui corruptivas. Quòd autem virtualiter elementa contineantur in mixto, probatur: quia in mixtis reperi-

reperiuntur qualitates primæ, quæ ſunt effectûs proprii formarum elementorum: Ergo debent produci ab eorum formis, vel actualiter, vel virtualiter, ibi exiſtentibus: non àctualiter, uti probatum: ergo virtualiter. Ubicunque enim elicitur aliqua operatio, cauſa efficiens illius vel actu debet reperiri, vel virtute.

Quæſtiones I. Quæres primò: *Quid igitur eſt continentia illa virtualis elementorum in mixto?* Non ideò continentur elementa formaliter in mixto, quòd mixtum contineat qualitates elementorum refractas; quia aliàs etiam, dum calor eſſet in aqua, in hac quoque contineretur formaliter ignis; quod aperte claudicat: ſed propterea dicuntur elementa manere in mixto virtualiter, quòd forma mixti poſſit elementorum formas producere: idque probatur ex hoc, quòd generatio ex Ariſtotele, *l.1. de gener.* ſit mutatio totius in totum, nullô ſenſibili remanente: Ergo dum mixtum generatur, nulla ſenſibilis qualitas remanet: Ergo qualitates primæ debent produci à forma mixti; & quidem, ſicuti ait Petrus Garzias, virtute illimitatâ; uti patet in productione qualitatum, diverſis ætatibus aptarum; & habitualis intemperiei in hydrope, & hectica. Si itaque virtutem habeat mixtum producendi qualitates elementorum, quæ ſunt diſpoſitiones ad eorum formas, quantum eſt ex parte virtutis, etiam ipſas formas valebit producere forma mixta: & hinc dicitur virtualiter continere elementa.

II. Quær. ſecundò: *Per quid determinetur forma mixti, ut qualitates ſibi debitas producat?* ℟. Per partes materiales elementorum. Ubi enim pars materialis ignea reliquas elementorum partes exſuperat, ibi forma mixti determinatur ad producendum temperamentum calidum: ubi pars elementaris aquea excedit, ibi producitur temperamentum humidum: & ſic de reliquis. In mixto enim non reperiuntur nudæ materiæ elementorum, ut ſunt materia prima; ſed quælibet appropriata ſuo elemento, & retinens qualitates illius, nempe, ut ait D. Thomas; humiditatem, ſiccitatem. Ad quid enim omnes omnium elementorum materiæ requiruntur in mixto, niſi ut determinent differentiam formæ mixtæ? Alius, me-Hercule, finis non eſt. Hinc tenuitas partium à tenuioribꝰ elementis; craſſities à craſſioribus tantùm provenit: Ergo. Reſponſio hæc ulteriùs probatur, ab eadem formâ mixtâ viventis, à quâ temperies debita ponitur; ſi partes frigidæ, & aqueæ reſolvantur, fit febris hectica: item ex nimio uſu calidi alimenti, ſi plures partes igneæ, aut aëriæ, reponantur, eodem modo evenit. Ergo ſicuti jam per exceſſum partium materialium ignearum, ad producendam qualitatem hecticam, determinatur forma mixta: ita etiam in ſtatu ſanitatis determinabatur, ad producendam debitam temperiem, per partes materiales elementorum proportionatas: ita nullum eſt aliud determinans, per quod vel cor, vel jecur, ex chylo quatuor producat humores, niſi ipſa elementorum materia in chylo exiſtens. Nam ex igneâ fit bilis; ex terreâ melancholia; ex aëreâ ſanguis; ex aqueâ pituita.

Objectiones 1. Obj. 1. Contra hanc doctrinam materia prima eſt pura potentia, ab omni entitate nuda, ad quam fit reſolutio in generatione, nullo ſenſibili remanente: Ergo non poterit determinare formam mixtam, ad producendam hanc vel illam temperiem. Reſp. materiam non eſſe nudam hîc, quin adhuc in ea reperiatur præceſſiſſe formas antecedentes, per quas materia remanet ſubſtantifice ſigillata: quin & alii ſunt materiæ modi: ut ſubſiſtentia, exiſtentia, &c.

2. Obj. 2. Formæ elementorum producunt qualitates ſibi debitas, ſine aliquo determinante: Ergo idem poterit forma mixta. Reſp. magnam hîc eſſe diſparitatem. Nam formæ elementorum qualitates ſecundùm totam intenſionem, eamque virtutem habent à Deo: formæ verò mixtæ id faciunt dependenter ab elementis. Et cùm qualitates primæ non debeantur mixto in gradu ſummo; neceſſe fuit, ex parte principii materialis eſſe aliquod determinans intenſionem mixto debitam.

Quæres:

Digitized by Google

Quæſtio. Quæres: *Utrùm ſub minima particula mixti omnes elementorum materiæ remaneant?* *Reſp.* Negativa eſt Sanctæ Cruz. *in fen. 1. Avicennæ: opuſculo de temperamentis, cap. 6.* Numez. *l. de coctione, & putredine, qu. 2.* & plurimorum aliorum. Si in minima particula mixti omnes elementorum materiæ reperirentur, daretur penetratio corporum; cùm quælibet pars elementaris ſub forma mixta ſuam retineat quantitatem alteri impenetrabilem. Probatur ulteriùs: quælibet elementi pars naturalis non requiritur, ut determinet formam mixti ad producendam qualitatem ſui generis; ſed ſufficit ad id, ut materiæ juxta ſe poſitæ uniantur à forma mixta, eas informante: Ergo non reperiuntur diverſæ partes materiales ſub quacunque minima parte materiali. Denique demonſtratur id ab Avicenna, *l. 2. c. 1. tr. 1.* his verbis: & cùm Medici dicunt, quòd Medicinæ ſic diſpoſitæ virtus eſt compoſita; non oportet, ut ipſi intelligant à ſe ipſis, quòd ſit pars una ferens frigiditatem, & caliditatem, operans unamquamque earum ſingulariter, ſicut illæ, quæ ſunt diverſæ: nam illud non eſt poſſibile, ſed illæ ambæ ſunt in duabus partibus diverſis, ex quibus ipſa eſt compoſita: Ergo ſufficit, partes materiales elementorum à forma mixti uniri: id eſt, formaliter uniri; non materialiter.

Objectio, 1. Obj. 1. Omnis pars, licet minima, eſt mixta: Ergo in hac reperiuntur omnium elementorum materiæ. *Reſp.* Omnis particula, etiam minima, eſt mixta formaliter; nego: materialiter; concedo. Dicitur enim pars mixta dupliciter: formaliter, in qua omnia ſunt elementa; materialiter verò pars dicitur mixta, quæ unius tantùm eſt elementi; ex ea tamen, unà cum aliis elementis, poteſt fieri pars formaliter mixta.

2. Obj. 2. Dum corrumpuntur formæ elementorum, fit reſolutio usque ad materiam primam: Ergo nulla remanet quantitas in materia, quæ poſſit impedire illarum materiarum penetrabilitatem: Ergo ratio ſuperius adducta non ſubſiſtit. Reſp. conceſſo, quòd fiat reſolutio usque ad materiam primam; manent tamen ſigillatæ partes, ut à forma ſubſequente in inſtanti generationis reproducantur in iiſdem partibus eadem accidentia, & ſpecies, quæ præceſſerunt: & ideò materiæ elementorum remanent cum iiſdẽ, refractis tamen, ſeu minùs intenſis, qualitatibus, cum eadem quantitate, & cum iiſdem ſubſtantiæ modis; ſolúmque ſuperadditur in illis, ut illæ materiæ ſint continuæ ſub una forma, quæ erant priùs contiguæ ſub diverſis.

Quæres: *Quid, propriè, & quotuplex, ſit illa Sigillatio?* Reſp. Cùm materia ſit ſuſceptiva omnium formarum, & ad eas appetitum habeat; ad formas ſubſtantiales, quatenus per ipſas habet eſſe; ad accidentales verò, quatenus per eas habet conſervari; & cùm ulteriùs nullam poſſit ſuſcipere, niſi determinetur ad illam; præterea cùm in inſtanti generationis nullum reale accidens determinans poſſit inhærere materiæ: hinc provenit, ut ex aliquo accidente in illa, ante illud inſtans, determinata manere debeat pro eo, quod recipit; hæc autem determinatio reſpectu formæ recipiendæ in materia dicitur *Sigillatio*; quia ex vitiliis, quod præceſſit, materia manet ſigillata pro tali formâ, & nulla alia, recipiendâ. Quæſtio. Sigillatio quid? *Sigillatio* alia eſt *qualitativa*, alia *ſubſtantifica*: *qualitativa* eſt determinatio in materia, ad receptionem determinatæ formæ ſubſtantialis, proveniens ex prægreſſis qualitatibus, ſeu diſpoſitionibus, remanentibus ante inſtans generationis: ſigillatio *ſubſtantifica* eſt determinatio in materia, ut mediâ forma ſubſequenti recipiat qualitates ſimiles eis, quæ adfuerunt formæ corruptæ, ex debito proveniens ex præceſſiſſe formæ ſubſtantialis, in tali materia, ante inſtans generationis.

Obj. 3. *Sigillatio*, ſeu præceſſiſſe formæ ſubſtantialis, nihil reale relinquit in materia: fit enim omnium reſolutio: Ergo per ſigillationem non valet materia determinare formam mixtam ſubſequentem, ut has, vel illas producat qualitates. Reſp. diſtinguendo: ſigillatio, ſeu præceſſiſſe, nihil reale relinquit in materia, quod ſit reale immediatè ad inſtans introductionis formæ; nego: quod ſit reale in inſtanti introductionis; concedo. 3.

4\. Obj. 4. In inſtanti antecedenti ad generationem fuerunt in materia elementorum diſpoſitiones mixtæ corruptivæ formarum elementorum, & quidem ſufficientes: Ergo etiam fuerunt ſufficientes corrumpere omnem ſigillationem: Ergo materia non manet ſigillata pro qualitatibus ſui elementi recipiendis. Reſp. diſting. hanc ſequelam: non manet materia ſigillata, pro qualitatibus ſui elementi recipiendis, ſolâ ſigillatione qualitativa; concedo: ſigillatione ſubſtantifica; nego conſequentiam; illa determinat ad ſubſequentis formæ receptionem; hæc determinat materiam, ut recipiat à ſubſequenti forma qualitates, ſeu accidentia, ſimilia iis, quæ præceſſerunt cum forma ſigillante in materia. Nota, ſigillationem in aceto eſſe evidentiſſimam; quod, etſi formam habeat, quæ exigat frigidas diſpoſitiones, in aliquibus tamen partibus materialibus excedentem calorem producit; qui patet ex mordacitate, & acrimonia: hic autem calor non aliunde eſt, quàm à ſigillatione ſubſtantifica formæ vini, quæ præceſſit, petente excedentem calorem. Similiter in generatione cadaveris, ex eo, quod forma vivens, petens organicam diſpoſitionem, præceſſit, ſigillata remanet materia, ut recipiat à forma cadaveris plura accidentia, ſimilia iis, quæ præceſſerunt: v.g. organizationem, albedinem, quantitatem, &c. quæ non ſunt ex uſu pro forma cadaveris ſuperveniente.

CAPUT III.

De Temperamentis, & eorum Qualitatibus.

EX complexu, miſcella, & permixtione, elementorum, eorumq; qualitatum, oritur Temperamentum, quod vulgo dicitur *Complexio*: definitur cum Avicenna, quod ſit *qualitas, ex mutua quatuor contrariarum qualitatum primarum actione, terminum quendam metamve ſortitâ, reſultans.* Qualitas autem illa non eſt nova, ſeu quinta; cùm cæteræ qualitates non aboleantur, ſed maneant, prout producuntur à forma mixta, uti, *capite de Elementis*, probatum eſt.

Definitio Temperamenti.

Et cùm duplex, cum Varandæo, & aliis, conſtituamus Temperamentum, *ſubſtantificum*, & *qualitativum*; communi deſcriptione utrumque ſic poterit declarari: quòd ſit *congrua commixtio elementorum, & qualitatum, ad actiones uniuscujusq; rei proprias obeundas*: ſpecialiùs verò temperamentum ſubſtantificum ſic definitur: quòd ſit *congrua mixtio partium materialium elementorum in mixto; ut ex illa reſultet qualitativum temperamentum, in mixtione congrua, pro actionibus propriis uniuscujusq; rei*: eſt Varandæi, *lib. 4. meth 9, 1. art. 2.* Sancta Cruz. *in fen. 1. c. 1: opuſ. 3. c. 10.* Neceſſitas temperamenti hujus petitur inde à Valleſio, & Martinez, quòd ſit principium conſervativum temperamenti qualitativi; ſitque illud, ratione cujus temperamentum qualitativum ſit permanens, & fixum. Hinc excluditur quivis ſubſtantiæ modus, quarta aut quinta qualitas, quæ non valent ullam permanentiam temperamento qualitativo tribuere: Ergo totum id temperamento ſubſtantifico tribuendum eſt; idque tali ſit ordine: nam forma mixta determinatur per partes materiales elementorum, ad producendas qualitates, & conſequenter temperamentum. Si itaque productio temperamenti qualitativi adſcribitur determinationi partium materialium elementorum: Ergo etiam conſervatio, permanentia, ſeu fixatio ejusdem denegari non poterit.

Temperamentum duplex: ſubſtantificum, & qualitativum. Communis utriusq; deſcriptio.

Subſtantificum.

Dari autem ſubſtantificum temperamentum, probatur ex Galeno, *libro, quòd animi mores corporis temperamentum ſequantur*; & *lib. de placitis Platonis & Hipp.* ubi quandoque Temperamentum vocat Subſtantiam; quandoque Qualitatem; & in ſubſtantiis elementorum proportionatis conſiſtere, dicit; & juxta diverſitatem partium materialium elementorum, & earum prædominium in mixtis, & eorum partibus, diverſam temperiem qualitativam ſupervenire, affirmat. Probatur ſecundò: Temperamentum qualitativum naturale, conſiſtens in primarum qualitatum commixtione, requiſitâ pro actionibus naturalibus, admittitur: Ergo tempe-

An detur?

temperamentum *ſubſtantificum*, ex omnium elementorum partium materialium congruâ proportione, neceſſariò debet admitti. Probatur tertiò: in mixtione duplex *motus* reperitur, unus *alterationis*, ad qualitatum moderationem tendens, & fit temperamentum *qualitativū*; alter *localis*, per quem commixtæ adinvicem, & cōtractę juxta ponuntur partes elementorum proportionatæ; & fit temperamentū *ſubſtantificū*. Probatur quartò: dantur intemperies, quarū altera advenit corpori ut diſpoſitio; altera ut habitus. Prioris exemplum eſt *febris ephemera*, vel *humoralis*; poſterioris eſt *febris hectica*, *hydrops*, *&c.* Ergo datur temperamentum ſubſtantificum. Probatur 5. quia temperamentum dicitur portio quæcunque eorum, quæ remanent in mixto ex elementis, prout conducit ad formæ mixtæ conſervationem; & quia non ſolùm conducunt qualitates debitè commixtæ, prout formam conſervant, ſed etiam materiæ; ſine quibus non poſſent qualitates vel produci, vel conſervari; ideo non ſolùm dicitur temperamentum qualitativum debita quatuor primarum qualitatum proportio; ſed etiam materiarum debita & proportionata commixtio temperamentum *ſubſtantificum* nuncupatur.

Temperamentum qualitativū duplex: ad pondus, & ad juſtitiam.

Temperamentum qualitativum aliud eſt *Arithmeticæ proportionis*, ſive ad pondus; aliud *Geometricæ proportionis*, ſive ad juſtitiam. Primum eſt, quando elementa æqualiter concurrunt in mixto; quod eſt tantùm imaginabile. Sic enim mixtum eſſet nec grave, nec eſſet leve; quia qualitates ſecundæ primas ſequuntur: alterum eſt qualiscunque, optimè tamen conſentiens, & cuique rei ad peculiarem ſui naturam conveniens, elementorum coitio.

Ad juſtitiā duplex, ſimplex, & compoſitum.

Temperamentum ad juſtitiam dividitur in *ſimplex*, & *compoſitum*: *ſimplex* eſt, in quo una tantùm qualitas excellit; ut calidum ſolum, frigidum ſolum, &c. *Compoſitum* temperamentum eſt, in quo duæ excedunt qualitates; ut calidum & humidum; quale homini maximè conſentaneum eſſe reperitur, calidum & ſiccum, frigidum & humidū, frigidum & ſiccum. Hinc quatuor ſunt ſimplicia temperamenta, quatuor compoſita;

Utrumque quadruplex.

deinde illud, quod eſt æquale ad pondus. Sunt itaque novem temperamentorum differentiæ: æquale unum; inæqualium octo. Sic tenet Valleſius, *lib. 1. controv. cap. 7.* Mercatus, *tomo 1. claſſe 2. tract. de temperamentis*: Dumanus, *l. 1. Phyſiologia, cap. 6.* Valleriola, *libr. 1. locor. commun. c. 10.* Sancta Crux, *o. uſc. de temperamentis 10.* Galenus, *l. 1. temperam.*

Numerus temperamentorum.

Gradus qualitatum.

Supremus qualitatum gradus, apud Medicos, eſt quartus, neque ad octavum, cum Phyſicis, aſcenditur: adeoque primus Medicorum gradus habet tres ſtationes: primam, ſecundam, & tertiam. Accipiuntur tales qualitates primæ vel *actu*, vel *potentia*: ut ignis eſt *actu* calidus; piper verò *potentia*; ſiquidem ſtomachi, v. g. calore reducitur in actum. Talia verò dicuntur vel per ſe, vel per accidens; abſolutè, vel comparatè: ignis, v. g. eſt per ſe calidus; aqua verò per accidens eſt calida: ignis eſt abſolutè calidus; ſublunaris tamen comparatè eſt calidior elementari, in ſuâ ſphærâ exiſtente: ille ſiquidem eſt denſior; hic acrior. Et ſi homo dicatur calidus & ſiccus, non dicitur in ſpecie, ſed in individuo, reſpectu calidi & humidi alterius. Quandocunq; ſimplex aliquod dicitur calidū in quarto gradu, intelligendum eſt, quatuor gradibus ab illo ſimplici, v. g. *euphorbio*, *pipere* &c. hominem temperatum, velut *Polycleti ſtatuam*, ſuperari. Majorem qualitatū primarum & ſecundarum notitiam præſupponimus ex Phyſica. Quod ad *qualitates occultas* attinet, eas dari, inſanus, & talpâ, in doctrina, cæcior dubitet; cùm ſit Gal. *l. 1. art. med. c. 85.* & *t. 2. de nat. humana, comm. 2.* & *l. de ſimpl. med. fac.* ubi deleterias, & alexipharmacas, non ex primarum interventu, ſed tanquam formæ proprietates, agnoſcit.

Qualitates occultæ.

Objectiones. 1.

Obj. primò: Si datur ſimplex, v. g. piper, calidum in quarto gradu, non videtur eſſe mixtum; quia hîc non erit refractio qualitatum. Reſp. Medicos non ita ſtrictè ſumere gradum ſummum, ſed lato modo; ut ſummam ejus activitatem meliùs explicent.

2.

Obj. ſecundò: Galenus, *in initio ſecundæ partis artis medic. dicit*, Signa deſumpta à temperatura eſſe ſubſtantialiter

 inhæ-

inhærentia: Ergo non datur temperatura qualitativa; ſed eſt ſubſtantia. Reſp. Galenum per ſubſtantialiter inhærentia intelligere eſſentialiter. Imò diximus, duplicem eſſe temperaturam, accidentalem, ſeu qualitativam, & ſubſtantificam: & hanc quidem eſſe in prædicamento ſubſtantiæ, illam in prædicamento qualitatis.

3. Obj. tertiò: Galenus, *l. quòd animi mores ſequantur temperaturam corporis*, ait, temperamentum eſſe animam: Ergo non eſt qualitas. Reſp. *Galenum à Divo Thoma, l. 2. adverſus Gentes, c. 63.* ſatis refutatum eſſe: immo ſe ipſum refutavit, dum ait, ſe animæ ſubſtantiam ignorare.

4. Obj. quartò: Mixtum elicit operationes per potentias ſibi ſuperadditas: Ergo temperamentum qualitativum eſt quid ſuperfluum. Reſp. mixtum elicit operationes per potentias ſibi ſuperadditas efficienter principaliter; concedo: diſpoſitivè, & inſtrumentaliter; nego; hoc enim eſt temperamenti qualitativi munus & officium.

5. Obj. quintò: Si temperamentum ad pondus eſſet tantum imaginabile, uti dictum eſt, ſequeretur, de facto non dari: ſed datur: Ergo: Minor probatur: ut tranſeatur de extremo ad extremum, tranſitus debet fieri per medium: ſed talis tranſitus fit in homine: nam in mutatione ætatum tranſit à prædominio humidi & calidi, in pueritia, ad frigidum, & ſiccum in ſenectute: Ergo fit per medium: & conſequenter datur temperamentum ad pondus. ℞. fit tranſitus per medium, remanente eodem ſubjecto materiali; nego: manente ſubjecto diverſo; concedo: ergo datur temperamentum ad pondus: uniformiter, & ſecundum omnes; nego: vel datur in activis aliquod medium, concedo: in paſſivis, nego. Neque etiam pulpa digitorum temperamentú ad pondus dici poteſt, niſi tantùm analogicè.

6. Obj. ſextò: Tot ſunt temperamenta ſpecie diverſa, quot ſunt formæ mixtæ; quarum quælibet exigit determinatum temperamentum ſui conſervativum: ſed formæ mixtæ ſunt innumeræ: Ergo innumera etiam aſſignanda erunt temperamenta. ℞. diſtingvatur Conſequens: innumera erunt aſſignanda temperamenta ſecundum numericam multiplicationem; concedo: ſecundum genericas differentias; nego.

Obj. ſeptimò: Si novem eſſent temperamenta in homine, totidem etiam eſſent in mixtis non viventibus: ſed hoc hoc non eſt; ſiquidem piper ſemper eſt calidum & ſiccum; ſempervivum frigidum; & humidum: ergo: Reſp. etiam unum piper eſſe altero calidius; idem puta de ſempervivo. Id autem non tam facilè animadvertimus in iis, quàm in homine, ob heterogeneas ejus partes, & ſenſibiles in vita mutationes. 7.

Obj. octavò: Temperamentum eſt diſpoſitio animæ: ſed anima eſt indiviſibilis: ergo eſt diſpoſitio: ſiquidem diſpoſitio ſequitur naturam formæ, cujus eſt diſpoſitio: Ergo unum tantùm erit temperamentum. Reſp. diſtingv. ſequelam; ergo eſt una diſpoſitio, & unum temperamentum, ſecundum naturam ſpecificam temperamenti; concedo: ſecundum rationes differentiales; nego. 8.

Quæres primò: *Utrum medicamenta potentia calida, dum in actum reducuntur, intendantur*: utrum, v. g. piper, dum actuatur, fiat calidius. Reſp. Negativè. Nam magis quidem operantur, non ut magis intenſa, ſed ut perfectiùs modificata. Quæſtiones. I.

Quæres ſecundò: *Quibus ſignis differentiæ temperamentorum cognoſcantur*: Reſp. Temperamentum temperatum inde cognoſcitur, quòd operationes habeat perfectiſſimas, nec ulli ſenſui exceſsûs occurrat: calidi & humidi, quos alii Sangvineos, Jovtales, aut Solares vocitant, corpus habent quadratum, rubicundum, formoſum, carnoſum, capillos mediocriter criſpos; moribus ſunt faceti, mobiles, febribus ſynochis, partium φλεγμονῇ, anginæ, plevritidi, obnoxii. Calidi & ſicci, Biliofi, ſeu Martiales, corpus habent macilentum, venas latas, & calorem eas diſtendentem; ſunt celeres, iracundi, præcocis ingenii, citò iraſcuntur, & citò placantur, cæſarie criſpâ ornantur, ad eryſipelatis, febris tertianæ, arquati, cardialgiæ, &c. paſſiones ſunt propenſi. Frigidiores & humidiores ſunt Pituitoſi, Lunares, ſeu Venerei, molles & effæminati, ſegnes, corpore II.

Signa Jovialium:

Martialiũ:

Frigidorum & humidorum.

corpore pingvi, tardi, ſomnolenti; venas habent anguſtas, capillos gramineos, carnem albicantem & glabram; tardè pubeſcunt; apoplexiæ, catarrhis, podagræ, rhevmatiſmo &c. ſunt obnoxii. *Melancholicorum.* Frigidi & ſicci dicuntur Melancholici, ſeu etiam Saturnini, colore fuſco, taciturni, cogitabundi, ſpeculativi, pertinaces, ſolitarii, nigros habentes capillos, &, ſi à mediocritate non deflectant, ingenioſi ſunt, ob melancholiam, à qua, ſicuti vinum à tartaro, arbor à radice, ſuam acquirit fermentationem, ſalem, & robur omne. Hinc tales ſunt apti ad Rempublicam gubernandam: ſi verò deflectant, ſtupidi ſunt, &, ob indiſpoſitionem ſenſitivi, inſenſibiles, qui vel rarò, vel nunquam, iraſcuntur. Melancholici proclives ſunt ad quartanas, cachexias, lienis ſcirrhos, melancholiam hypochondriacam, &c. *Temperamentum* Ætatibus quoque ſua competunt temperamenta. Nam *Puerorum,* Pueri per excellentiam ſunt calidi & humidi: *Juvenum:* Juvenes calidi & ſicci uſque ad 35tum ætatis annum: declinantes ſunt frigidi & humidi: *Senum:* Senes frigidi & ſicci. Siccitas verò intelligenda eſt de ſiccitate humidi radicalis, & partium ſolidarum; non verò de adicititia; quæ aliquando eſt ſatis copioſa. Nam ſenes phlegmate abundant, licet partes ſolidæ, ob ætatem, ſicciſſimæ reperiantur. Eodem modo vernum & matutinum tempus eſt calidum & humidum; æſtas & meridies calida & ſicca: autumnus & veſper frigidus & ſiccus: hyems & nox frigida & humida.

Object. 9. Obj. 9. Galenus, *in lib. ſimpl. medicam. ſub finem, c. 24.* ait: ſeſe virtutem nullam credere, quæ à primis non deſcendat: unde pergit, in *lib. de Lithiaſi: non ſunt ſanè accepta mihi medicamenta, quæ occultâ virtute agunt, nec illis fidem habeo*: ergo non videntur dari occultæ qualitates; contrà, quàm aſſertum eſt. Reſp. Galen. dicit, ſeſe nullam virtutem credere, quæ à primis non deſcendat; manifeſtam; concedo: occultam; nego. Quòd autem dicit, ſeſe nullam fidem habere medicamentis, quæ occultâ virtute agunt: Ergo: ſupponit, talia dari, etſi iis non credat; quia nempe occulto modo agunt. Cùm autem non perſpecta ſit activitas, ſed occulta; hinc à priori fidem non habet: quamvis, à poſteriori, in morbis deleteriis ſeſe habere, teſtatus ſit, *l. art. med. c. 85. & locis al.*

Caput IV.

De Humoribus.

Quandoquidem elementis quatuor totidem reſpondent *Humores*, qui unicâ ſanguinis maſsâ continentur; horum natura diligentiùs enucleanda & exploranda eſt. *Humores.* Hiſce enim corporis, per mutuam elementorum inter ſe actionem & paſſionem deperdita, reponitur ſubſtantia, & qualitates à ſtatu ſuo naturali recedentes ad naturalem ſuam intenſionem reducuntur. Humores ſunt, teſte Hipp. *Quid.* *lib. de natura humana*, aliud quaſi elementorum genus: ſiquidem his nutrimur, quibus conſtamus; teſte *eodem*: humores autem ſunt ſubſtantiæ humidæ, ex eſculentorum & potulentorum mixtione genitæ; ut exhauſtum in corpore reficiatur. Vel ſic deſcribi poterunt: *Eorum deſcriptio.* *humores ſunt corpora liquida, in quæ transmutatur chylus, vi principii productivi jecoris, ſecundum Antiquos; Cordis, ſecundum nos, pro corpore alendo, vel aliis corporis commodis, geniti*; eſt Varandæi, l. *Phyſiolog. ſect. 4. c. 1.* Duniani, *l. 1. Phyſiol. cap. 12.* Et hæc quidem definitio eſt bona, quia conſtat genere, & differentia, convertitur cum ſuo definito, & omnia continet in ſe cauſarum genera: *corpus* eſt genus; ſiquidem dicit formalem rationem humoris: *in quod transmutatur chylus*, explicat cauſam materialem: particula, *vi jecoris, aut cordis*, cauſam efficientem denotat: membrum denique, *pro corpore alendo, & aliis corporis commodis*, cauſam finalem aſſignat. Nec tantùm eſt maſſa humorum ad nutriendum corpus, ſed etiam ad alios usûs. Nam bilis inteſtinorum expulſioni cedit in ſtimulum, &c.

Quomodo generentur. Hac autem ſerie fiunt humores: ex alimentis in ore maſticatis, & per œſophagum, fibrarum ope, attractis, fermentan-

mentante, velut menſtruo, ſalivâ, innata ſtomachi energiâ, fit *chylus*; qui, teſte Plempio, Profeſſore Doctiſſimo, eſt ſuccus quidam albus, ex eſculentis invicem commixtis, à calore naturali ventriculi alteratis, & in pultis cujusdam craſſioris formam redactis, genitus. Hic per pylorum, ſeu orificium ventriculi inferius, ad jejunum inteſtinum detruditur, & inde, per venas lacteas, ad *receptaculum chyli*, à dextris arteriæ aórtæ, inter duos renes, & meditullium partis muſculorum pſoas, ſive lumbarium ſuperioris; poſteà circulatim, prope ſpinam, aſcendit usq; ad venarum axillarium ſyndromen, ſeu concurſum; ubi chyli ſcaturigines ſeſe in venam cavam exonerant; per quam in dextrum cordis ventriculum demeat chylus, ibique ſangvinis formâ receptâ, per venam arterioſam ad pulmones; ex iis, anaſtomoſi factâ, ad arteriam venoſam, & ſiniſtrum cordis ventriculum, ipſo diaſtoles inſtanti, fluit; ubi ſanguinis arterioſi nomen primò meretur; inde motu cordis, quem ſyſtolen vocamus, exprimitur in aórtam, & hinc in cœliacam; ut ab excrementis emundetur: nam acidum lien allicit; jecur verò, quod eſt amarum, ex aortâ in extremam usque corporis peripheriam diſtribuit, ibique, quod magis elaboratum eſt, partium nutritioni accommodatur, poſtquam in *humorem innominatum*, *rorem*, *gluten*, *& cambium* tranſiit; quod verò crudius eſt, per anaſtomoſin in venas regurgitat, perque eas ad cor toties remeat, donec perfectam, & nutritioni idoneam, nactum fuerit naturam. Sicque in microcoſmo, non ſecùs ac in macrocoſmo, à mari per fluvios, & à fluviis ad mare, fit circulatio. Si lactearum rivulos quosdam ad jecur; quosdam ad capſulam atrabilariam; alios ad mammas & uterum, ferri, mordicus quispiam defendere velit, cum eo pugnare, aut contra eum mucrones acuere, non intendimus. Plura de his, ubi de Corde, teſte Hipp. *4. de morbis*, ſangvificationis principio, agemus.

Chylus quid. — *Receptaculum chyli.* — *Modus circulationis ſangvinis.*

Humores alimentarii: 4.

In hac ſanguinis maſſa alimentarii humores ſunt quatuor: *ſangvis* nimirum in ſpecie dictus, *bilis*, *pituita*; & *melancholia*: ſerum eſt tantùm vehiculum; licet probabilibus argumentis, ſi ſumatur pro tenuiore & aqueâ ſanguinis parte, non pro excremento, urinæ, & ſudoribus, materiam ſuggerente, etiam alimentum eſſe aſſeratur. *Melancholia* terræ; *ſanguis* aëri; *bilis* igni comparatur. Ideoque ſanguis dupliciter accipitur: primò in genere, pro tota maſſa ſanguinea, ex prædictis quatuor humoribus conſtante: ſecundò in ſpecie, pro puriſſimâ illâ, & rubicundâ, immediatè poſt bilem latente ſubſtantiâ: hic habet ſubſtantiam mediocrem, fibroſam; colorem rubeum; ſaporem dulcem; generatúrque à moderato calore; & eſt calidus & humidus. Ejus ubertatem color faciei rubicundus, adipis copia mediocris, animis hilaris, venæ turgidæ, ſuppreſſa ſangvinis evacuatio, &c. denotant. *Bilis* habet ſubſtantiam tenuiſſimam, & in ſequeſtratione ſupernatat; colorem habet citrinum; calida eſt & ſicca, à viſcerum caliditate genita, ex chyli materia tenuiore & delicatiore. Hæc ſuo calore attenuat ſanguinem, ſurſum elevat, partes denique corporis frigidiores calefacit. *Pituita* eſt pars ſangvinis frigida & humida, colore albo, inſipida, ad alimentum frigidarum & humidarum partium, ex cibis frigidis & humidis genita. *Melancholia* eſt ſanguinis pars craſſior, acerba, frigida, & ſicca, ex materia tali genita, ad nutritionem membrorum frigidorum & ſiccorum, v.g. oſſium, ligamentorum, &c. *Sanguis* matutino reſpondet crepuſculo, veri, ætati juvenili: *bilis* meridiei, æſtati, virilibus annis: *melancholia* veſpertino, declinanti ætati, & autumno: *pituita* nocti, hyemi, & ſenio. Si maſſa hæc ſanguinea à naturali ſtatu degeneraverit, varios, in corpore humano, affectûs producit; &, ſi *ſanguis* in ſpecie dictus effervescat in venis, ſynochas febres; vel, ſi extra venas, phlogoſes, ſeu inflammationem, accendit: *Pituita* tumorem efficit œdematoſum: *bilis* in eryſipelas ebullit: *melancholia* in ſcirrhum condenſatur: *ſerum* uberius, niſi per diaphoreſin, aut urinas, eliminetur, in hydropem excreſcit, hernias efficit aquoſas, diffunditur in rhevmatiſmum, &c. *Humor excrementitius* eſt, qui

Sanguis bifariam accipitur. — *Quid ſit.* — *Bilis.* — *Pituita.* — *Melancholia.* — *Humorum analogia.* — *Maſſa ſanguinea ſtatus præter naturam.*

Humor excrementitius quid: & quotuplex.

qui non eſt primariò deſtinatus ad partis, in qua generatur, nutritionem; lac ſiquidem mammillas; ſemen teſticulos, ſecundum quosdam, nutrire poſſunt; ſed non eſt principalis eorum finis: hinc additur: primariò: humor excrementitius alius eſt *naturalis*; alius *præternaturalis*: *naturalis* alius eſt *utilis*; alius *inutilis*: ille eſt, qui aliquam corpori, in quo generatur, præſtat utilitatem, ut *lac*, *ſemen*, *ſanguis menſtruus*, *bilis flava in veſicula fellis*, *ichor*, ſeu *ſerum ſanguinis*, & *melancholia*, *in liene*. Ad hosce referuntur *mucus in articulis*, *mucilago partium*, & *muſculorum*, *pituita pulmonum*, non tamen omnis, *cerebri*, *inteſtinorum*, *medulla oſſium*, *aqua pericardii*: Inutilis verò eſt *urina*, *ſudor*, *lachryma*, *ſanguis puerperii*, *aurium excrementa*, *inſenſibilis evaporatio*, *fuligo*, *furfures*, *lema*, *mador*, *aqua parturitionis*, *ſanguis hæmorrhoidalis*, *mucus*, *coryza*, *ſtiria* & impropriè *fæces alvinæ*: de quibus vide Hardvinum, *de excrementitiis humoribus præternaturalibus*, bile ſcilicet vitellina, porracea, æruginoſa, glaſtea; pituitâ inſipida, acida, ſalſa, vitrea, gypſea; de atra bile, &c. qui tot ſunt numero, quot naturales, dum hi pravam induunt naturam, de quibus fuſiùs agemus, *cap. de Cacochymia*.

Enumeratio humorum naturalium utilium.

Inutilium.

Quæſtio. I.

Quær. 1. *Utrum humores intra venas ſint actu, & formaliter, diverſi?* R. affirmative, ex eo, quòd intra ſtatũ naturalẽ, ex diverſis temperiebus principii, in quo generantur, ex diverſis ãni temporum prædominantibus qualitatibus, diverſi fiant prædominãtes humores. Secundò: ſive humorum generatio tribuatur jecori, ſecundum Antiquos, ſive Cordi; ibi acceperunt ſuas formas ſubſtantiales: Ergo fruſtra alibi generari dicuntur: Ergo continentur formaliter diverſi in maſſa ſanguinea.

Objectiones. 1.

Obj. 1. Sanguinea maſſa eſt mixtum quoddam: Ergo mixtilia in eo non erunt actu, ſed potentiâ. Reſp. in venis non fieri veram mixtionem; quia earum non eſt tanta activitas, ut ex mutua actione & paſſione reſultet mixtũ.

2\.

Obj. 2. Ex iisdem nutrimur, ex quibus facti ſumus: ſed ex ſemine & ſanguine facti ſumus: Ergo ex iis tantùm nutrimur. Reſp. Nos nutriri ex ſanguine, in genere ſumpto, concedo; in ſpecie tantùm, nego. Id eſt, nutrimur ex maſſa ſanguinea, quatuor humoribus conflatâ, ut ex hoc in nobis quadruplex ſubſtantiæ modus ſubcreſcat: deinde ſemine nutrimur materialiter; concedo: formaliter; nego; videlicet etſi conſtemus ex ſemine, tanquam ex principio ultimato, non opus eſt, ut illo ſic ſumpto nutriamur: ſed, cùm hoc conſtet ex aliis principiis, ſanguine nimirum; ſatis erit, ſi hôc nutriamur, quod eſt materialiter ſemen.

Obj. 3. Videntur tantùm eſſe tres humores, videlicet *bilis*, *pituita*, & *melancholia*: Ergo fruſtra etiam aſſignatur *ſanguis*: probatur: quia ex ſanguine non poteſt fieri febris, ſicut ex aliis humoribus. Secundò: in phlebotomia tres tantùm apparent humores. Tertiò: maſſa ſanguinis tantùm dicitur bilioſa, pituitoſa, &c. non verò ſanguinea. Quartò: lac fit ex ſanguine; ſed in illo tres tantùm ſunt ſubſtantiæ, *butyrum* ſcilicet, *caſeus*, & *ſerum*: Ergo & in ſanguine tres tantùm erunt ſubſtantiæ. Reſp. Non eſſe opus, ut ex ſanguine fiat febris intermittens; quia mitis eſt, nec ſtimulat facultatem expultricem, velut cæteri humores: Secundò falſum eſt, quòd rubra illa ſubſtantia non ſit ſangvis: Tertiò, quòd maſſa ſangvinea non vocatur ſangvinea, eſt ad vitandam tavtologiam: Quartò dico, quòd ſub butyroſa lactis parte ſangvis mutatus tamen continecatur: deinde non opus eſt, ut in quovis ente, à ſanguine orto, appareant quatuor humores; aliâs etiam id fieri deberet in partibus humani corporis. 3.

Obj. 4. Ad jecoris temperiem, vel intemperiem, generantur quatuor humores vel temperati, vel intemperati: Ergo jecur eſt ipſorum principium; contra quod aſſertum eſt: probatur: frigido exiſtente jecore, hydrops; calido, bilis, &c. generatur; huicque applicata remedia prædictos curant affectûs, vel minuunt ſaltem: Ergo jecur eſt fons & origo humorum. Reſp. Nos non negare, jecur ad omnia iſta plurimum conferre; ſiquidem eſt transcolatorium ſangvinis, cui & ſuam 4.

temperiem, vel intemperiem, facilè imprimit. Hinc utique medicamenta, huic applicata, ſecundum Antiquorum methodum, non inutilia eſſe judicamus: non tamen inde ſequitur, eſſe principium maſſæ ſanguineæ primarium, & radicale: quia nec venæ ab eo oriuntur, nec in id fertur chyli pars maxima: uti dictum. Immo Hipp. *lib. 4. de ſomno & vigilia*, & Ariſtotel. *l. de hiſtoria animalium*, omneſque Peripatetici, unanimi idipſum conſenſu affirmant.

Quæſtio II. *Signa ſanguinis boni & vitiati per phlebotomiam extracti.*

Quær. ſecundò: *Quæ ſint ſigna boni vel mali ſanguinis, per phlebotomiam extracti?* Reſp. Sanguinem inculpatum eſſe bene fibroſum, rubicundum, aqueâ ſupernatante materiâ, in debita, & aliis partibus proportionata, quantitate; ſi verò alieno ab hoc colore tingitur, vitioſum eſſe. Quòd ſi *cruſtâ albâ, ruptu difficili*, obtegatur, non ſtatim de ejus putredine, Agyrtarum more, judicandum eſt: cùm phlegmaticus ſit ſangvis; qui tractu temporis concoqui, & laudabilis evadere poteſt: adeòque venas cruditatibus infarctas eſſe, & officinam ſangvinis intemperatam, aſſerendum eſt. Si verò nullas habeat fibras, ſitque multum variegatus, pelliculam duntaxat de ſe emittens, & ſub ea mobilem ſubſtantiam continens, *putredine* coinquinatus eſſe perhibetur. Sanguis *niger* aduſtionem, melancholiam, viſcerum calorem, &c. deſignat: *Bullæ* phlegmati interſitæ pulmonum vitia, tuſſes, raucedines &c. portendunt. *Hipp.* ex omnis *aquæ* ſupernatantis *abſentiâ* mortem prædicit. Si, quod ſupernatat, mixturæ cujuſdam *lacteæ* colorem refert, magnam eſſe in receptaculi chyli œconomia turbationem, & malignis teneri hoſpitibus, indicatur. Dum *tota ſanguinis maſſa in aqua ſupernatat*, vertiginem, viſcerum ejuſdem productivorum refrigerium, vel renum imbecillitatem, vel potum largiorem, vel hydropem, imminere prædicendum. Si ſangvis ſit *ſiccus & albus, cum interſtitiis nigris, guttatim inſperſis*, matricis dolores: ſi *viridis*, cardialgia, & pectoris compreſſiones, indicantur: *cæruleus*, in ſuperficie ſupernatans, humor ſplenis affectûs; ſi *flavus*, icterum, & veſiculæ fellis obſtructiones denotat: qui *citò concreſcit*, hominem ſtupidum, & contrà, ſignificat.

Quidde cruſta alba, ruptu difficili, ſanguinem obtegente, cenſendum. *Signa ſanguinis putride.* *Sanguis niger quid deſignat.* *Bulla quid.* Quid aquæ abſentia. Quid lacteū quid ſupernatans. Quid nimium aquæ. *Sanguis ſiccus & albus, cum interſtitiis nigris, guttatim inſperſis, quid ſignificet.* Quid viridis: cæruleus: flavus: citò concreſcens: &c.

III. Quær. 3. *Utrum homini non febrienti poſſit corruptus ſangvis extrahi?* Reſp. Affirmativè; ſignúmque eſt, corpus non eſſe perſpirabile; unde vapor iſte putridus non communicatur cordi: ex facili autem, poros condenſante, cauſa poteſt talis homo in febres incidere.

IV. Quær. 4. *Unde ulteriùs colliguntur ſanguinis extracti ſigna?* Reſp. Per calorem, ſaporem, odorem, ſubſtantiam, & motum egrediendi. Ex his enim complexio, & operatio membrorum tam ſimilarium, quàm officialium, relucet.

5. *Signa ex ſanguinis egreſſu.*

Qu. 5. *Quid ex ſanguinis egreſſu colligi poſſit?* Reſp. Primò: ſi phlebotomia facta fuerit foramine ſat amplo, & de ſangvine exeat parum, aut nihil, aut guttatim; fit vel ob ſanguinis multitudinem, unde foramen obturatur: hinc illud *oleo* perungendum eſt; vel ſangvis non exit ob craſſitiem: & tunc propinetur *oxymel diureticum*, vel *oxyſaccharum*, celebrentur frictiones, vel æger balneetur ante phlebotomiam, fiatque foramen ſat amplum: Secundò ſanguis non egreditur ob ejus paucitatem; & tunc convenit diæta analeptica, & nutriens: Tertiò venæ aliquando turgent à flatibus: unde nec tunc proſilit ſanguis. Quartò ſanguis non exit ob timorem, quando ad cor remeat: & tunc animandus eſt Æger, aromatibusque, & cordialibus reficiendus. Nota: in ſanguinis egreſſu ſanguinem digito explorandum eſſe. Si enim frigidus ſit, vena claudatur: vel, ſi nimium ſit calidus, & ſpirituoſus, per vices emittatur, ut animi deliquium præcaveatur: item, ſi valde calidus fuerit, ſubſtantiaq; groſſa, cum pulſu pleno, & urina rubrâ & ſpiſſa, unde humorum facilè corruptibilium multitudo ſignificatur; emittatur ſangvis in bona quantitate.

Ex modo egrediendi.

Ulteriùs conſideratur ſangvis in *modo egrediendi*; quòd ſi gutta ſupra ungvem, vel ſpeculum, projecta citò diffluat, brevi ceſſandum eſt; eò, quòd ſangvinis boni inopia adeſſe perhibeatur: ſi verò gutta in mediocritate conſiſtat, mediocriter fluere permittatur.

Aliquan-

Digitized by Google

Proba boni & vitiati ſanguinis. Aliquando, ad probandum ſangvinem, in ipſo fluxu ejus guttula in aquam projicitur; quæ ſi non diffundatur, verùm illico fundum petat, craſſities ſignificatur; ſi ſupernatet, nimia aquoſitas arguitur; ſi medio modo deſcendat, bonum. Denique ſi, factâ jam phlebotomiâ, granum ſalis projiciatur in ſangvinem, & citò liqueſcat, bonum: ſi nimis, malum: nam diſpoſitio ad lepram ſignificatur.

VI. Proba ſanguinis per ablutionem, & quomodo facienda. Quær. 6. *Quid ex ablutione ſanguinis poſſit colligi, & quomodo facienda ſit ablutio?* Reſp. Sangvis non nimis recens, nec nimis antiquus, ſed in quadam diſpoſitione mediâ, aliquantulum coagulatus, coletur per pannum lineum mundum, ligetur in nodulum, & abluatur paulatim pannus, in aqua mundâ ſæpius variata, donec nullam amplius tincturam de ſe fundat nodulus, & tunc pannus aperiatur; &, quod ibi invenietur, digitis extrahatur; &, ſi inveniantur corpora arenoſa, terrea, nigra, aſpera, ſtridentia, malum; quoniam aduſtio, & lepra ſignificatur: ſi contenta fuerint carnoſa, fibroſa, alba, facilè tractabilia, bonum; ſi verò illa carnoſitas alba nimium foret, malum, quia nimia deſignatur pinguedo: ſi autem carnoſitas illa nimium parva & exilis fuerit, malum: quia extenuatio, vel tabes, ſignificatur: ſi medio ſeſe modo habuerit, bonum.

VII. Quær. 7. *Quid de diebus Ægyptiacis, Calendis, & Lunationibus, in phlebotomiâ vulgò conſiderari ſolitis, ſentiendum?* Reſp. Cùm dies *Ægyptiaci* ſupernaturales tantùm fuerint, nec univerſales, ſed tantùm quoad populum Pharaonis, qui in Ægypto morabatur, nec ceciderint ſuper Judæos ibidem exiſtentes, putamus, non eſſe obſervandos. *Calendas* quod attinet quintas, & numeros determinatos in menſibus, quæque de iis ſcripta ſunt, videntur omninò apocrypha; nec quicquam illo anno, de ſalute aut morte, certi prædici poſſe, arbitramur: immo, cùm à plurimis ad phlebotomiam nullus dierum habeatur delectus; plurimos quoque ex hac ſolùm cauſa quotannis mori neceſſe foret: quod tamen minimè evenire, quotidianæ docent obſervationes. In *Lunationibus*, utpote *plenilunio*, & *novilunio*, aliiſque *quadris*, nonniſi magna urgente neceſſitate, phlebotomandum eſſe arbitramur; præcipuè verò in *plenilunio*, ob nimiam, quam inducit, humiditatem: immo Gal. ait, *3. de criticis*: quòd corpora mortuorum tunc faciliùs putreſcant, arbor tunc inciſa non duret, & mella collecta nunquam ſint æquè ſapida, & panni tunc abluti citius putreſcant. Si verò neceſſitas urſerit, à venæſectione abſtinendum non eſt. Quòd ſi in plenilunio phlebotomia celebrata fuerit, humiditas, ex hac cauſata, frequenti purgatione tollenda eſt. Aſtronomi phlebotomiam, Lunâ exiſtente in *Geminis*, vetant; eò, quòd tunc ſangvinis parùm, vel nihil, ex vena pertuſa profluat; vel quòd plerumque vena bis ſit ferienda, aut æger moriatur. Sed nos contrarium, cum doctiſſimo Gordonio, multoties obſervavimus. De phlebotomia plura vide in *Tractatu noſtro Chirurgico.*

CAPUT V.

De Facultatibus, & Spiritibus.

Cùm ex humoribus fiant Spiritus, facultatum inſtrumenta, & facultates ab anima, quæ eſt actus primus corporis organici, potentiâ vitam habentis, emanativè procedant; de his ſingulatim, & ordine, quo *Hipp.* corpus totum in *Continentia*, *Contenta*, *Impetumque facientia*, divìſit; tractaturi, poſt Contenta, utpote humores, jam ad impetum facientia, utpote ad *ſpiritus*: demum ad *continentia*, quæ ſunt partes, tranſibimus. *Doctrinam animaſticam*, ſeu *de anima*, principio vivendi, ſentiendi, & intelligendi, omniumque functionum fonte, ex Phyſicis ſupponentes, ejus *facultates*, & inſtrumenta, quibus nobiles iſtæ actiones exercentur, inveſtigabimus.

Facultas quid. *Facultas eſt inſita vis animæ, quâ, ad proferendas actiones, ipſa utitur*: neque temperies eſt facultas; ſed cauſa ſine qua non, indeterminata; facultas verò determinata, ubi organum eſt optimè diſpoſitum; ibi actiones inculpatiſſimæ exercentur.

Facul-

Quid facultas animalis. *Facultas eſt triplex*, *animalis*, *vitalis*, & *naturalis*. Facultas *animalis* eſt, quæ ſolis animalibus, velut proprium in quarto modo, obtingit, ope ſpiritûs animalis actiones principes, ſenſum, & motum, exercens.

Actiones principes. *Principes actiones* Galeno, & Ariſtoteli, ſunt, *imaginatio*, *ratiocinatio*, & *memoria*, quæ nomine facultatis imaginatricis, ratiocinatricis, & memoratricis, indigitantur. *Facultas Imaginatrix.* *Imaginatrix* facultas eſt, quæ, velut à circulo ad centrum, ab omnibus ſenſibus ſpecies recipit; demum intellectui, velut præſidi, offert: *Ratiocinatrix.* *rationatrix* facultas mens eſt, quâ ſolus homo cæteris præfertur animalib., hujus operâ res abſtractas ab omni materia univerſali, Logico conceptu, per præciſiones objectivas elicimus; *Memoratrix.* *memoratrix* eſt, quæ formas, ab imaginatrice oblatas, & rationis bilance trutinatas, recipit, ſuóque intellectui repreſentat.

Sedes facultatum. De harum cujusvis *ſede* inveſtiganda, occupatiſſimi fuerunt Arabes: quorum alii, ſede diſtinctas eſſe; hinc imaginatricem in anterioribus cerebri ventriculis; ratiocinatricem in medio; memoratricem in poſteriori parte collocarunt: alii, in eodem ſubjecto ſuas exercere operationes, mordicus aſſeruerunt: quorum opinioni & nos ſubſcribimus.

Facultas animalis. Sentiens. *Facultas ſentiens* eſt, quæ ſenſum ex cerebro, per nervos, in univerſum corpus transmittit.

Senſus definitio. *Senſus* autem eſt facultas, ab animali ſpiritu diffuſa, organo ſenſorio intercedente, quo ſenſibilia percipiuntur. *Quotuplex.* Senſus eſt *duplex*, *internus*: de quo antè. & *externus*; qui quintuplex, utpote, *viſus*, *auditus*, *guſtus*, *odoratus*, *tactus*. *Viſus* eſt ſenſus, qui colores per medium diaphanum diſcernit; *Auditus*, qui per aures, beneficio tympani, mallei, & incudis, ſonos percipit; *Odoratus*, qui odores: *Tactus*, qui in totò corpore, ope nervorum, qualitates tactiles indicat. *Guſtus*, qui ſapores per lingvam internoſcit.

Facultas movens. Facultas *movens* eſt, quæ voluntatis imperio, muſculorum adminiculo, motum tribuit corpori: & hæ ſunt facultatis animalis miniſtræ. *Vitalis facultas* eſt, quæ vitalem ſpiritum, in corde præparatum, per arterias quoquo verſum diſpergit, ad vitæ conſervationem, quæ nihil eſt aliud, quàm caloris nativi in humore primigenio mora; velut mors eſt ejusdem caloris extinctio.

Reſpirans: *Reſpirans* autem facultas, & *pulſans*, ſunt facultatis vitalis miniſtræ. Reſpirationis enim uſus eſt, ſicuti & pulsûs, ut eorum operâ generetur ſpiritus vitalis, & cor refrigeretur. *Iraſcibilis & Concupiſcibilis.* Iraſcibilis & concupiſcibilis, quæ eſt ratione boni, tanquam objecti proprii, à corde ſuam trahunt originem. Quando autem Galenus *c. 3. de locis affectis*, & *lib. de placitis Platonis*, & *Hipp.* ait; hepar concupiſcibilis qualitatis eſſe ſedem, intelligendum eſt de appetitu naturali ad alimentum: quia credebant, in eo eſſe fontem etiam naturalis.

Naturalis. *Naturalis facultas* eſt, quæ à corde, omnium facultatum fonte (ſiquidem ibi eſt facultas, ubi inſtrumentum ejus, nempe calor,) originaliter, & radicaliter, primariò orta, à jecore ſecundariò, in quo alter eſt fons nativi caloris, quia vaſis, & cataparenchymatis dives fundus plurimum poſſidet; hinc œconomiæ naturalis, & hæmatoſeos viſcus ſecundarium manet inſepultum; demum ope ſpiritûs inſiti, in omnibus partibus, cum ſpermaticis, tum aliis, attrahit; hinc attractrix: retinet; hinc retentrix; concoquit; hinc concoctrix: expellit; hinc expultrix.

Miniſtra. Facultas *miniſtra* dicitur, quæ aliis facultatibus inſervit. *Formatrix, & Generatrix* *Formatrix* & *generatrix* naturali famulantur; & illa eſt in ſemine; hæc in teſtibus: *Attractrix,* *Attractrix* ſuccum convenientem, ope fibrarum rectarum, oſſeis cartilaginibus & membraneis craſſiorem, carneis verò partibus ſubtiliorem, attrahit. *Retentrix.* *Retentrix*, ope fibrarum obliquarum, retinet, quod attractum erat. *Concoctrix.* *Concoctrix* nutrimentum digerit, craſſius attenuando, tenuius incraſſando, crudius concoquendo. *Expultrix.* *Expultrix* id, quod ſupervacaneum erat, eliminat: *Auctrix,* *Auctrix* dat incrementum, per digeſtivam alimenti appoſitionem & ſegregationem. *Generatrix* eſt, quæ generanti ſimile, per ſpecificam productionem, generat: cui immutatrix ſubordinatur, ſive alteratrix, quæ principium generationis alterat, & immutat. *Formatrix,*

matrix, quæ toti corpori, & unicuique parti ſingulatim, ſuam dat organizationem; de qua Hipp. *lib. de natura pueri*: Valleriolam, *loc. com. l. 1. c. 18.*

Spirituum numerus. Facultatum inſtrumenta ſunt *Spiritùs*, quot tot ſunt numerô, quot facultates, utpote *naturalis*, *vitalis* & *animalis*.

Spiritus quotuplex. Inſitus. Spiritus autem eſt duplex: *inſitus*, & *influens*; *inſitus* eſt, qui omnibus partibus, tam ſimilaribus, quàm diſſimilaribus, à primo vitæ exordio implantatus, & in humido radicali fundatus eſt: *Influens.* *influens* autem eſt ille, qui à partibus principalibus, vel primariò, & radicaliter; vel ſecundariò, & emanativè, influit ad conſervationem inſiti, facultatemq́; & calorem, defert ad actiones edendas.

Quotuplex? Influens iterum, ſecundùm multos, eſt triplex: *naturalis*, *animalis*, & *vitalis*; ſecundùm Nos, duplex: *naturalem* enim excludimus.

Vitalis. *Vitalis* eſt, qui in ſiniſtro cordis ventriculo, ex ſanguine tenuiori, & aëre, per pulmones attracto, alterato, & præparato fit; unde per arterias partibus omnibus communicatur, ad ſpiritum inſitum recreandum, vires roborandas, & calorem nativum inſtaurandum.

Animalis. *Animalis* eſt, qui ex ſpiritu vitali, & aëre, tum per nares, tum per poros cerebri, diaſtole attracto, & inſpirato, in ventriculis cerebri perficitur; & hinc, emanativè, per nervos, motricis & ſenſitivæ facultatis delatores, diſtributus, omnibus corporis partibus motum & ſenſum impertitur.

Naturalis. *Naturalis* influens non datur: eſt Galeni, *l. 6. de uſu partium*, *cap. 10.* Valleſ. *l. 12. controv. c. 17.* Mercati, *l. 1. de pul. harm.* Probatur, quia ei nullus eſt deſtinatus locus, nulla apparet materialis cauſa ex qua: deinde non poteſt fieri per venas; cùm ſpiritus debeat eſſe æthereus; venæ autem tenuis & raræ ſubſtantiæ: quia Gal. *lib. 3. de facult. natural. cap.* 14. ait, ſpiritûs eſſe halitu, & vapore tenuiores; ſed pars illa ſanguinis venoſi eſt craſſior halitu, & vapore: Ergo non eſt dicenda ſpiritus; ſed pars ſanguinis tenuior: nec ideo dari deberet, ut ex eo fieret ſpiritus vitalis; cùm is fieri poſſet ex tenuiore ſanguine: nec p[illegible]è requiritur, ut vitalis ſpiritus ex alio fiat; aliàs idem eſſet ſpiritus naturalis, ſi daretur requiſitum: & ſic procederetur in infinitùm.

Inſitus. Spiritum *inſitum*, ſeu implantatum, dari, qui nihil aliud eſt, quàm calidum innatum, non inficiamur: eſt Ariſtot. *lib. de gener. animal. cap. 3.* Averr. *lib. metaph. cap. 1.* Avicennæ, *de viribus cordis*: Gal. *de ſimp. med facul. cap. 9.*

Objectiones. 1. Objicies, 1. Gal. *l. 12. meth. c. 5.* ait, ſpiritûs animales eſſe in cerebro, velut in fonte; ergo inde oriuntur, & non tantùm perficiuntur. Reſp. Aquam in fonte eſſe, & tamē ſuam inde originem non trahere, ſed aliunde illûc per cuniculos, & meatûs ſubterraneos, ferri: deinde cùm reſideat appetitus in corde, ad cujus actum requiritur motus localis; in corde primariò non debet inhærere facultas movens.

2. Obj. 2. Jecur æquè eſt pars principalis, ac cor: Ergo in ipſo generabitur ſpiritus naturalis. Reſp. non ob ob id dici partem principalem, quia generat ſpiritûs; ſed quia commune toti præſtat officium.

3. Obj. 3. Apertâ venâ exit ſanguis proſiliens: Ergo eſt ſpiritui naturali commixtus. Reſp. vel id fieri ob tenuitatem & caliditatem ſanguinis: quia ob raritatis extenſionem & motum furſum petit; vel aliquid eſſe de ſpiritu vitali commixtum; quod per anaſtomoſin ex arteriis ad venas tranſit.

4. Obj. 4. Anima eſt principium, quo vivimus, ſentimus, movemur, & intelligimus: Ergo anima ſine facultatibus ſuas elicit operationes. Reſp. Anima eſt principium, quo vivimus, radicale; concedo: proximum; nego.

Obj. 5. Uti ſe habet potentia activa ad agendum, ita ſe habet potentia paſſiva ad recipiendum: ſed potentia paſſiva recipit ſine ſuperaddito: Ergo. ℞. id non eſſe univerſaliter verum: quòd potentia paſſiva non immediatè recipiat, fit ob imperfectionem ejus; modus verò operandi perfectior animæ principium requirit ſuperadditum; eò quòd non determinetur ad unum actū ſpecificum, uti potentia paſſiva, ſed ad plures nobiliores ſpecie diverſos.

5. Obj. 6. Anima eſt immediatè operativa: Ergo non indiget facultatibus. Probatur: quia ſcilicet eſt omnium immedia-

Digitized by Google

mediatè productiva potentiarum: Ergo. *Reſp.* Animam eſſe immediatum principium potentiarum productivum, ut quo; concedo: ut quod; nego:

7. Obj. 7. Si immediatè agere non competeret animæ, id eſſet vel ob ejus perfectionem, vel ob ejus imperfectionem: ſed nullum horum dici poteſt: Ergo: quia & Deus perfectiſſimus immediatè agit, & accidens imperfectiſſimè. Ergo: *Reſp.* Animam ſeſe medio modo habere; eò quòd triplex ſit operandi modus.

8. Obj. 8. Temperamentum & facultas videntur eſſe idem: Ergo de hac debuiſſet agi in Capite de Temperamentis. *Reſp.* Temperamentum, & facultas in hoc differunt, quòd illud ſit cauſa ſine qua non, indeterminata; hæc verò determinata: Ergo non ſunt idem.

9. Obj. 9. Altrix facultas, & auctrix, ſunt idem: Ergo fruſtra diſtinctas ponimus. Probatur: nulla eſt actio diverſa: Ergo. *Reſp.* non eſſe eandem; quia altricis actio eſt ſubſtantiæ productiva; auctrix verò quantitatis: nec verum eſt, dicere, eâdem actione ſubſtantiam & quantitatem produci: cùm hæc producatur actione emanativa.

10. Obj. 10. Gal. *lib. 1. de ſympt. cauſis, c. 1.* ait, duas eſſe tantùm actiones, *naturalem*, & *animalem*: Ergo duæ tantùm erunt facultates. *Reſp.* Si naturale ſumatur, prout opponitur voluntario, ſive latiſſimè, concedo: ſtrictè, nego:

11. Obj. 11. Avicennas, *fen. 1. doct. 6.* ait, facultatem pulſificam diſponere reliquas facultates: ergo non poteſt eſſe vitalis; uti conceſſum eſt. *Reſp.* Diſponit diſpoſitione prævia; nego: conſervativâ; concedo: hinc nulla infertur prioritas.

12. Obj. 12. Motus cordis non eſt voluntarius: Ergo naturalis: Ergo facultas pulſifica erit potiùs naturalis. *Reſp.* Nego Conſeq: quia, uti docet Ariſtot. *l. 1. de cœlo*, ex duobus motibus contrariis naturalibus alter eſt naturalis, alter violentus: ſecundò heterogeneitas motuum, & terminorum excedit modum operandi rei naturalis; & Ariſt. *lib. 2. de anima, text. 24.* vitam plantarum demonſtrat, eò quòd augeantur in varias poſitionum differentias.

CAPUT VI.

De Calido innato.

CAloris naturalis, humanum corpus denominantis, multifariâ, apud Authores, eſt acceptio, prout & terminus à quo, & ſubjectum, vocatur; ſi à ſpiritibus, aut humoribus, communicetur, *influens* nominatur: ſi à partibus primogeniis acquiratur, dicitur *innatus*: ſi à partibus tractu temporis acquiſitus, *acquiſititius*: ſi ex proprio partium calore, & influente, coaleſcat, *actualis* nominatur calor.

Nativus verò calor, qui ſuam trahit originem ex partibus, in prima conformatione acquiſitis, remanentibuſque ex principiis generationis, ſanguine ſcilicet, & ſemine, aliquandò ſumitur pro calore ex ipſis partibus orto; aliquando pro ipſis partibus, è quibus oritur: quæ ſubſtantia *Calidum innatum* vocatur; quo nihil in Medicina tritius, & nihil tamen abſtruſius. Gal. *lib. 1. de ſem.* & *alibi*, calidum innatum accipit pro compoſito ſeminis, & ſanguinis materni; unde prima partium corporis fundamenta jaciuntur: 2. pro ſanguine & ſpiritu: 3. pro humida partium ſubſtantia: 4. pro compoſito aliquo ex calido innato & influente. *Calor nativus.* *Calidum innatum.*

Nos dicimus, calidum innatum *eſſe ſubſtantiam quandam corporis noſtri primigeniam, pinguem & oleoſam, ſpiritu & calore naturali undique perfuſam, in partibus ſpermaticis, in corde tamen primariò ſubjectatam.* *Quid?*

Humidum primigenium, & *calidum innatum* in hoc diſcrepant, quòd illud ſit velut pars quædam, utpote humor oleoſus, & pinguis; hoc verò ſit aggregatum quoddam ex illo humore, ſpiritu, & calore: quod ſi totum ſumatur, eſt primum animæ inſtrumentum, ad obeundas functiones. Hoc ſi in eodem ſtatu ſemper perſtiterit, æviterni erimus: adeoque vita non impróbè comparatur candelæ ardenti, quæ ſemper, uſque ad conſumptionem humidi radicalis, viget; hinc, ut candela, extinguitur. *Calidi innati, & Humidi primigenii, differentia.*

Calor innatus, nativus, inſitus, proprius, naturalis, &c. eſt is, à quo calidum inna- *Calor naturalis.*

innatum trahit denominationem; utpote qui à primordiis generationis eſt impreſſus: cui, ſuo modo, opponitur ille, qui ætate, regione, motu, inſolatione acquiritur. *Plempio* non obſtante, & ejus argumentis, non videtur eſſe planè elementaris naturæ, neq; cœleſtis, ſed utrique analogus: ſiquidem frigori non omninò contrariatur, dum hyemali tempore, ſummo urgente algore, manet integer: deinde non eſt ita combuſtivus, ut elementalis; ſed viventia fovet, conſervat, vivificat, auget, nutrit, generat: quæ nobiliores ipſius actiones ſimpliciter ab elementis perfici non poſſunt, & quia nobilior forma nobiliore opus habet domicilio. Neque planè videtur eſſe cœleſtis naturæ, ſiquidem Ariſtoteles inquit, proportione reſpondere elemento ſtellarum, ob facultatem ejus fœcundam, & ſeminatricem, proportionem verò habere, non eſt omnino idem quod eſſe.

Calor innati natura.

Humidum primigenium eſt ſubſtantia pinguis & oleoſa, à primo ortu genita, caloris nativi ſubjectum; maximam habet cum aqua, & aëre, teſte Gal. *com. in 1. aph. 14.* ſimilitudinem. Materia autem ex qua eſt ſemen utriusque ſexûs ſimul, & ſanguis maternus. Humidum hoc radicale, quod ſe, reſpectu caloris, habet paſſive, totâ vitâ decreſcit, & à calore, non quatenus cœleſti, ſed quà elementari analogo, patitur. Nota: calidum innatum, & humidum primigenium, partim differre realiter, entitativè; partim realiter formaliter: nam calidum innatum eſt ſubſtantia, ex calidis elementis deſumpta, ex principiis generationis per elevationem: ſed humidũ radicale eſt ſubſtantia, deſumta ex aëreo elemento, de cujus calore tantũ participat calidum innatum; non verò de humiditate. Hinc ſecundum hanc partem differunt reliter entitativè; ſecundum verò calorem utrique communem, realiter formaliter; quatenus eadem ſubſtantia aërea, quæ calorem & humiditatem producit, ut calorem producit, dicitur calidum innatum; ut humiditatem, humidum radicale. Dicitur, per elevationem, ut ſervetur analogia; de qua ſuperius; quæ omnimodam ab elementis cauſalitatem non rejicit: ſed hiſce non ſufficit, ut ſubſtantiam incorpoream corporibus copulet, verùm requiritur elevatio.

Humidi primigenii definitio.

Obj. 1. Non datur calidum innatum: ergo fruſtra adſtruitur: probatur antecedens: ſequeretur hinc, duas ſubſtantias eſſe penetratas, cùm deberet in quavis parte corporis reperiri, quod, abſque penetratione, implicat. *Reſp.* Licet ſint idem, entitative, formaliter, & realiter eſſe diverſas ſubſtantias; nunquam tamen penetratas.

Objectio 1.

Obj. 2. Ille eſt calor elementaris, qui producitur à forma mixti, prout virtualiter eminenter continet ignem & aërem, & ſecundum quod, ut talis ad caloris productionem determinatur per partes materiales elementi ignis, aut aëris; ſed hoc eſt producere virtute elementari: ergo eſt elementaris calor. Deinde calor cœleſtis eſt ejuſdem naturæ cum elementari: ergo, etſi eſſet cœleſtis, adhuc eſſet elementaris; quia ſol producit calorem elementarem. Reſp. Ad primum: calorem illum non produci à forma mixti, ſed eſſe jam productum in principiis generationis; quia innatus dicitur. Ad ſecundum: ſol tantùm per accidens, & virtute remotâ, producit calorem elementarem, vel illum intendit virtute luminis; ſed eminenter, non formaliter.

2.

Obj. 3. Hecticus & elephantiacus aliquando ſanantur: ergo humidum melius poteſt reponi, quàm ante fuit, ad vitæ conſervationem. Reſp. in hectico non propriè humidum radicale reſtitui, in ſubſtantia ſolidæ partis conſiſtens; ſic enim hectica eſt omnino incurabilis; ſed humiditatem hecticam, huic analogam.

3.

Obj. 4. Ille calor eſt elementaris, qui elementari virtute producitur; ſed calor productus in vivente producitur virtutè elementari: Ergo: Minor probatur: calor producitur in quovis mixto à forma mixti, prout virtualiter eminenter continet ignem, aut aërem; & ſecundum quod, ut talis, ad caloris productionem determinatur per partes elementares ignis, aut aëris: ſed hoc eſt producere illum virtute elementari: Ergo: Reſp. Negando minorem, & ejus probationem, quòd ca-

4.

lor producatur à formâ mixti; quia Sol & Homo generant hominem: ergo & calorem, qui eſt proxima diſpoſitio.

5. Obj. 5. Animalia, quæ ex putredine generantur, ejuſmodi calido innato carent. Ergo non eſt neceſſarium calidum innatum. Reſp. Calido innato carent æquè perfecto, concedo: aliquo vicem gerente, nego.

6. Obj. 6. Calor ille poteſt remitti ab elementari frigore, ut à contrario: ergo erit elementaris. Reſp. non remitti à frigore, ut à contrario immediato, ſed ut à contrario mediato, nempe ob ſubjecti ejus deſtructionem, ſcilicet denſitionem, & caloris ſuffocationem.

7. Obj. 7. Ariſtot. *lib. de longit. & vit. brevit. vitæ*, ait: contrarium ſubſtantiæ eſſe nihil: ergo ſubſtantia eſſe incorruptibilis. Reſp. immediatum ſubſtantiæ nullum eſſe contrarium; concedo: mediatum, nego: deinde Ariſtoteles, *loco citato*, ait: fieri nequit, ut ei, quod materiam habet, non inſit modo quodam contrarium.

Quæſtiones. I. Quær. 1. *Utrum in calido innato fiat morbus putredinis?* Reſp. Non: Ariſtoteles enim ait, *loco citato*, pinguia non putreſcere.

II. Quær. 2. *Quare homines diutius vivant, quam Equi*, cum tamen Equi plus habeant humidi radicalis? ℞. cum *Ariſtotele*: in homine qualitatem vincere; non verò quantitatem: hinc vivacior eſt; ſcilicet plus calidi habet, beſtiæ verò plus humidi.

III. Quær. 3. *Quid ſit, & quò referatur, ſexus?* ℞. Sexus eſt corporis conſtitutio, per quam maſculus à fœmina diſtingvitur: refertur vel ad partes, vel ad facultates, vel ad temperamentum.

IV. Quær. 4. *Quid ſit ætas?* Reſp. Eſt curriculi vitæ, per notabilia intervalla, diſtinctio.

CAPUT VII.

de Partibus in genere.

FErnelii, *lib. 1. c. 7. de Elementis*, *Partis* definitio præ cæteris arridet: nimirum, quòd *Pars ſit corpus toti cohærens, communiq; vita conjunctum, ad illius uſum functionemq; comparatum.* Hinc neque humores, neque ſpiritus, neque oſſis aut nervi fragmentum, nec pili, nec ungues, eò, quòd vita communi non fruuntur, & etiam poſt mortem per juxtapoſitionem creſcunt, neque medulla oſſis, nec adeps, nec ſemen, nec lac, partes corporis propriè dici poſſunt. Econtra os, cartilago, vinculum, membrana, tendo, nervus, vena, arteria, cutis, medulla ſpinæ, cerebri, parenchymata propriè dictæ nomine meritò indigitantur. Hipp. *epidem. 6. text. 7.* corpus humanum dividit in *continentia*, *contenta*, & *impetum facientia*: ſive in *partes ſolidas*, *humores*, & *ſpiritus*: & hinc analyſi diviſiva ſecatur pars in *ſimilarem*, & *diſſimilarem*: *Similaris* ad ſenſum eſt, quæ ſibi undique ſimilis eſt, unam ſimilemque ſubſtantiam adepta; vel eſt illa, cujus quamcunque partem ſeparaveris, nomen & definitionem totius ſeparatim retinet. Pars *diſſimilaris* eſt, quæ ex particulis diſſimilaribus, inter ſe diſtinctis, conflatur. Membrum autem, & pars, ſeſe habent ut termini magis & minus communes; ſiquidem omne membrum eſt pars; ſed non omnis pars eſt membrum: quia hoc ex partibus componitur: eodem modo organum cum parte diſſimilari & ſimilari: omnis enim pars diſſimilaris eſt organum: ſed non contrà; cùm, teſte Fernelio, *lib. 2. p. naturalis, c. 2.* Argent. *l. Artis Med.* & aliis multis, dentur organa ſimilaria, ut veſica, uterus &c. ad hoc conſentiente Galeno, *l. 3. de facultatibus naturalibus.*

Pars quotuplex.

Similaris.

Diſſimilaris.

Diviſio totius corporis:

Dividitur autem tota corporis œconomica compages in *Caput*, *Thoracem*, *Ventrem*, & *Artus*. *Caput*, à capiendo ſenſus dictum, ſubdividitur in *Naſum*, *Mentum*, *Os*, *Auriculas*, *Oculos*, *Frontem*, *Faciem*, &c. *Thorax* in *Pectus*, *Latera*, *Pleuram*, *Pulmones*, *Cor*, *Mediaſtinum*, &c. *Venter* in *Abdomen*, *Inteſtina*, *Jecur*, *Lienem*, &c. *Artûs* in *Crura*, *Brachia*, *Humeros*, *Cubitos*, *Manus*, *Digitos*. Et hæ partes iterum ſubdividuntur in *Cuticulam*, *Cutim*, *Venas*, *Arterias*, *Nervos*, *Tendines*, *Vincula*, *Cartilagines*, *Membranas*, *Fibras*, *Oſſa*, &c. Ex his omnibus partibus aliæ ſunt *principales*; aliæ *præſtantes*; aliæ *ignobiles*. *Princeps* eſt, quæ & communem toti præſtat uſum, & ſine quâ diu perſiſtere

Capitis: Thoracis: Ventris: Artuum: Subdiviſio. Pars princeps.

non

non poteſt vivens, ut cerebrum; cor, hepar. *Quæ præſtans.* Pars *præſtans* talis dicitur ratione officii: hinc officialis; quia publicum habet officium; ut ventriculus, pulmo, renes, veſica. *Ignobilis.* *Ignobilis* pars eſt, quâ omiſsâ totum poteſt perſiſtere; ut *digitus*, *auricula*, *teſtes* in utroque ſexu. Partis principalis dignitatem quidem ſortiuntur, ſed duntaxat ob ſpeciei, non individui, conſervationis neceſſitatem: ſiquidem homo, utpote *Petrus*, Spado, vel caſtratus, vivit: homo autem ſine his non generatur.

Objectiones. 1. Obj. 1. Nullum æquivocum poteſt unâ definitione definiri: ſed pars eſt æquivocum: Ergo. Reſp. pars, ſi ſumatur abſolutè, prout abſtrahitur ab omnibus partibus, quæ in homine ſunt; eſt æquivocum; concedo: determinatè, ut eſt pars adintegrans vivens, quatenus animâ informata; nego: quia, ut ſic, non habet diverſam rationem Phyſicam.

2. Obj. 2. Omnis diviſionis membra debent ſibi opponi: ſed partis in ſimilarem & diſſimilarem diviſionis membra ſibi non opponuntur: Ergo. Minor probatur ex Galeno, *lib. de inæquali intemperie*, ubi ait, nervos, venas, diſſimilares eſſe. Reſp. primò: nervos, & venas, ratione formæ eſſe diſſimilares; non verò ratione materiæ: atque adeò ratione formæ eſſe adhuc oppoſitionem aliquam. Reſp. ſecundò: non opponuntur ſibi *adæquatè*; concedo: *inadæquatè*; nego: vel dicatur eſſe diviſio rationis, quæ eſt tantùm diſtinctio non rei.

Inſtantia. Inſtabis, cum Andrea Laurentio: ſed nervus, etiam ſecundum materiam, videtur eſſe diſſimilaris; quia intus eſt medullaris: extra verò eſt ſolidus ad ſenſum. Reſp. cum Petro Garzia, has partes à Galeno dici ſimilares; quia non componuntur ex ſubſtantia communi, pro aliarum partium compoſitione. Nec obſtat, quòd dici poteſt; partem medulloſam nervi internam eſſe communem cerebro: quia nervus à cerebro ſuam trahit originem immediatam.

Quæſtio I. Quær. 1. *Utrum partes in corpore humano differant ſubſtantialiter*: Reſp. Diverſas corporis noſtri partes inter ſe diſtingvi ſolum accidentaliter, eſt Fonſecæ. *1. Metaph. cap. 17.* Cajetani, Mercati, *p. 4. de partibus, claſſe 2. art. 7.* Probatur ex Divo Thoma, *in primum: qu. 76. art. 1.* Partes animalis, ut oculus, caro, os, &c. non ſunt in ſpecie, ſed totum: & ideo non poteſt dici, propriè loquendo, quòd ſint diverſarum ſpecierum, ſed quòd ſint diverſarum diſpoſitionum. Probatur ſecundò, cum Caſparo Hiſpano: repugnat, aliquid eſſe ſub determinato genere, & non determinari ſub illo ad certam & determinatam ſpeciem atomam, ſeu indiviſibilem: ſed partes hominis ſunt ſub genere viventis: ergo: Probatur: heterogeneitas iſta partium ſubſtantialis provenit ex parte materiæ, vel ex parte formæ, & non ex parte materiæ: quia illa eſt tantùm accidentalis, ut raritas, denſitas, &c. neque ex parte formæ; cùm formaliter hæc contineat formas inferiores, utpote *vegetativam*, *ſenſitivam*, & *intellectivam*: Ergo quia effectus formalis formæ eſt ipſa forma communicata: v. g. vegetativa, ſenſitiva, &c. Ergo eo ipſo, quòd anima contineat illas formas, dat illarum eſſe in quacunque corporis parte, quam informat.

Obj. 3. Modus eſſendi, quem habet anima in corde, eſt alius, quàm is, quem habet in cerebro: ſecundò: anima rationalis non tribuit unicuique parti eſſe vegetativum, ſenſitivum, & intellectivum: v. g. os eſt tantùm vegetativum; manus vegetativum & ſenſitivum: cerebrum autem eſt intellectivum: ergo anima, ſecundum diverſam rationem, ſubſtantialiter eſt diverſo modo in diverſis partibus organicis corporis: tertiò D. Thomas, *qu. de ſpiritu creato, art. 4. ad 14.* ait: caro mea cum carne tua magis convenit ſecundum rationem ſpecificam, quàm caro mea cum eſſe meo. Reſp. Ad primum: modus eſſendi eſt alius in cerebro; alius in corde, diſtinctione accidentali; concedo: eſſentiali; nego. Ad ſecundùm: anima rationalis æquè informat os, ac cerebrum: quòd autem os non ratiocinatur, cauſa diſpoſitionis eſt defectus: ſicque tantùm accidentaliter differunt. Ad tertium: *D. Thomas* tantùm locutus eſt de majori convenientia in perfectione ſpecifica accidentali, non ſubſtantiali. 3.

11. Quær. 2. *Utrum aliquis detur partibus principalibus influxus?* Reſp. cum Galeno, *lib. 1. de cauſis pulſuum, in principio*, & Avicenna, *fen. 11. doct. 6.* affirmativè: & patet ex ligato nervo; cujus inferiores partes nec moventur, nec ſentiunt; ſuperiores verò contrà: eodem modo in arteria: ergo aliquid ab hiſce partibus communicatur: e. g. in paralyſi, apoplexia, gutta ſerenâ; in quibus, obſtructo nervorum initio, actiones feriantur.

4. Obj. 4. Omnis pars animata habet omnia requiſita ad operandum: Ergo non eſt opus influxu. Probatur: habet facultatem in organo temperato, temperiem, unitatem, & conformitatem: ergo omnia habet requiſita. Reſp. Licet pars iis inſtructa potentiam habeat operandi; actuari tamen debet ab influente.

CAPUT VIII.
De Oßibus, Cartilaginibus, Articulis, & Vinculis.
§. 1.
de Oßibus Capitis.

Oſſium deſcriptio.

CORporis báſis ſunt *oſſa*, partes hominis duriſſimæ, ſicciſſimæ & frigidiſſimæ, à ſeminis craſſiore parte, per exuſtionem, genitæ, ad totius ſtabilitatem & fulcrum. Nec miretur hîc quiſpiam, ſecundas illas, & primas qualitates formaliter oſſis materiam exprimere; cùm forma partium ſimilarium Medicis ſit temperies.

Oſſium Epiphyſes.

Suas habent oſſa *Epiphyſes*: illæ ſunt oſſa oſſibus adnata; in junioribus diſtincta, in ſenioribus coagmenta: non, ut operculi vicem gerant; uti Gal. *9. de uſu partium*; ſed ut ex iis ligamenta prodeant, quæ in articulis compoſitionem ipſam roborant & ſtabiliunt. *Apophyſes* ſunt proceſſus, ab ipſo oſſe indiſtincti, ſive prominentiæ, gibbi, aut tuberculi inſtar; ut femoris proceſſus, qui trochanteres, ſive rotatores, vocantur; ſuntque, pro figurarum diverſitate, varii: ut *ſtyloides*, *ancyroides* &c. Harum apophyſium uſus eſt, ut in iis muſculi implantentur, vel inde prodeant, vel ut tueantur partes, vicémque gerant propugnaculi. Univerſam oſſium ſeriem tripartitâ ſecamus diviſione, in *Caput*, *Truncum*, & *Artus*; *Cranium* verò calva, ſive galea, cerebri propugnaculum. *Hip. cucurbitula*, extrinſecè conſiderata, ſuturis interſtingvi apparet, legitimis tribus, *Coronali*, *Sagittali*, & *Lambdoide*: nothis duabus *ſquammoſis*; & hæ ſunt propriæ: communes verò ſunt duæ, ſic dictæ, quòd calvam à ſphœnoide & gena ſuperiore ſecernant. Prima occipitis os à ſphœnoide transverſim diſcludit, fertúrque ad cava temporum; dein ad poſtremos dentes, & palato vicinas partes, procedit, osque cuneiforme circumdat; ſecunda prodit ex cavis temporum, per medios oculos tendit, juxtáque naſi medium jungitur. *Coronalis* latitudinem capitis; *Sagittalis* metitur longitudinem, *Lambdoides* latera. Uſus omnium eſt, ut per has fuligines emittantur: ſecundò, ut meninges ſuſpendantur, ne cerebrum comprimant. Hiſce licet aratum ſuturis cranium unico oſſe conſtare diceretur; ob diverſum tamen ſubſtantiæ materialis modum octo conſtare cenſetur; *oſſe* nimirum *Frontis*, *Occipitis*, *Temporum duobus*, *Bregmatis duobus*, *Sphœnoide*, & *Hyoide*. Sincipitis oſſa in pueris membranea ſunt; unde *Fontanella* dicta: ſuperior pars oſſis temporum vocatur *os ſquammoſum*; inferior *os petroſum*; cujus tres ſunt proceſſus: primus *maſtoides*, ſeu *mammillaris*; ſecundus *ſtyloides*: tertius *Zygomatis* partem conſtituit. In hoc oſſe eſt porus auditorius; in quo tria ſunt oſſicula: *ſtapes*, *incus*, & *malleus*. Os ſphœnoides, cuneiforme, vel polymorphon, vel baſiliare, vel os colatorii: cujus apophyſis interna *ſella equina*, externa *Ala* vocatur, eſt commune inter calvam, & genam. ſicut & os ethmoides eſt in media frontis baſi ſitum, ad radices naſi, quadrimembre: primum *cribroſum* dicitur; ſecundum *criſta galli*, quaſi ſeptum: tertium *os ſpongioſum*, in narium cavitatibus contentum. *Os jugale*, Zygoma, eſt duarum apophyſeon coitus, non peculiare os conſtituit, muſculis crotaphitis propugnaculum. *Maxillæ* ſunt duæ: *ſuperior*, & *inferior*: ſuperior oſſa habet undecim, per harmoniam articulata, exceptis duobus, per ſynchondroſin

Apophyſes.

Cranium: ejus Suturæ.

Suturarum uſus.

Oſſa cranii.

Oſſicula aurium.

Maxillarum oſſa.

droſin junctis; ab utraque parte ſolum, & unicum impar. *Vomer* eſt mucro naſi, ad cartilaginem referendus: maxilla *inferior* duo habet oſſa, in pueris ſolùm manifeſta. Nam in iis cartilagine ſolùm uniuntur, quæ in adultis oſſificantur.

Dentes. *Dentes* ab edo, quaſi edentes, ſunt ita duri, ut ne à ſarcophago quidem, præter oſſium communem reſiſtentiam, conſumantur: hi utrique malæ per gomphoſin ſuis alveolis infixi ſunt; utrimque fere 16. aliquando plures, aliquando pauciores. Ex his quatuor primi *Inciſores*; deinde *Canini* utrimq; duo; poſtea *Maxillares* ſex; *Molares* ab utraque parte 4. quorum duo ultimi *Sapientiæ* dentes nominantur; eò quòd ſerotini admodum ſint, & 25. interdum etiam 30. ætatis anno protruduntur. Extractos noſcere licet, quòd inciſores, & canini, unicâ; maxillares pluribus conſtent radicibus, & ſuperiores quidem, quàm inferiores; quia penduli. Dentes, ob molles quoſdam, ac tenues nervulos, à tertia conjugatione derivatos, ſenſûs eſſe participes, rerum magiſtra docuit experientia; ſaltem quoad partem internam medullarem. Radices dentium perforatæ viſuntur; nervo videlicet, venæ & arteriæ perviæ, quæ ex ſe membranulam quandam gignunt; quâ vellicatâ, aut imbuta humore acri, aut frigido, oritur rabidus ille dolor: qui dente evulſo, eòquòd ſimul avellatur illa membranula, ceſſat.

Vertebra cervicis. Supra *cervicis vertebras* rotatur caput, quæ numero ſunt ſeptem, bifidis apophyſibus transverſis perforatis interſtinctæ: prima *Atlas*; ſecunda *dens*, ob peculiarem apophyſin, denti ſimilem, nominatur; reliquæ nominibus deſtituuntur.

§. 2.

de Oſſibus Thoracis.

Vertebra Thoracis: Coſta: THoracis 12. ſunt *Vertebræ*; quibus 12. itidem *Coſtæ* correſpondent. Septem ſuperiores perfectæ, & legitimæ, oſſi pectoris, ſeu ſterno, per extrema cartilaginea connectuntur. *Os ſternum:* *Sternum*, ſeu os pectoris, quaſi ſpina antica, 7. oſſibus conſtat, ſingulis coſtis transverſim reſpondentibus. Cartilago, oſſis hujus deſinentiam conſtituens, *Xiphoides*, ſeu *Enſiformis cartilago* vocatur: reliquæ 6. inferiores coſtæ oſſi pectoris non articulantur: hinc nothæ, & illegitimæ, nominantur. *Os Xiphoides.*

Scapula: Homoplata. Supra-pectoralis regio *Scapulas* habet; in quibus oſſa duo, *homoplatæ* dicta, coſtis poſticis tegumenta; in quarum anguſtiis eſt foramen, quod *Acetabulum* nominatur, capiti humeri excipiendo dicatum; & *apophyſis coracoides* dicta: pars eminens homoplatæ dicitur *Teſtudo*. *Acetabulū.* *Teſtudo.* *Clavicula.* *Claviculæ*, ſic dictæ, quòd thoracem claudant, ſunt oſſa duo, à ſupremitate ſterni ad commiſſuram humeri. Vocantur autem *Jugales*, à jungendo. Et ut ſpinæ, ſeu ſacræ fiſtulæ, & partium ejus, utpote ſpondylorum, integra habeatur explanatio, conſideranda eſt totius figura; quæ, à prima cervicis vertebra ad ſeptimam, eſt antica, & quaſi œſophago, aſperæque arteriæ ſubſtrata: à duodecima dorſi vertebra ad duodecimam extrorſum gibbatur, ſeu protuberat, ne organa reſpirationis lædat.

Lumborum vertebra: *Lumborum vertebræ* intrò inclinant, ut cavæ deſcendentis, & aortæ truncum fulciant. *Os ſacrum* extrorſum curvatur, veſicæ excipiendæ pronum.

Spina diviſio. Cervix. Dorſum. Lumbi. Os ſacrum. *Spina* quadrifariam dividitur. in *Cervicem*; quæ habet 7. vertebras: in *Dorſum*; quod duodecim: *Lumbos*; qui quinq;: & *Os ſacrum*; quod ſex. In quaḷibet vertebra tres ſunt apophyſes, obliquæ, transverſæ, & acutæ: quinque epiphyſes; duæ in ipſo corpore vertebræ; duæ in transverſis proceſſibus; una, in ſpina dorſi. Vertebræ in hoc à capitis vertebris differunt, quòd non ſint, perforatæ, ſicut hæ: prima dorſi vertebra præ reliquis maximè eminet: lumborum quinque vertebræ nihil habent peculiare, niſi crebra foramina, quibus perforatæ ſunt. Os ſacrum, ob magnitudinem ſic dictum, aliàs *vertebra magna*, quinque conſtat oſſibus; aliàs ſex, præcipuè in pueris; in adultis fere coaleſcunt; uti reſtatur *Veslingius*. Oſſis ſacri extremum facit cartilago, *Coccyx* dicta. *Coccyx.* Reſtat os *Anonymum*; quod ex oſſe *iſchio*, *pubis*, & *ilio*, conſtat. *Os anonymum.* Licet enim unicum appareat; in junioribus tamen lineis quibuſdam eſt interſtinctum. Prima oſſis hujus pars, omnium

Os Ilium. latiſſima, & ſuperior, *os Ilium* dicitur; propter ileu m inteſtinum, quod continet; *Spina.* cujus ſumma apophyſis *Spina* vocatur; alia eſt pars gibba; alia cava: *Os Pubis.* ſecunda pars oſſis Anonymi eſt *os Pubis*, ſeu pectinis, connexum per ſynchondroſin: hoc dicitur in partu ſecedere: tertia oſſis hujus magna pars vocatur *Iſchium. Coxendix.* *Iſchium*, ſeu *Coxendix*; in quo cavitatem facit cotyledon, ſeu acetabulum; *Os femoris.* cui implantatur *Os femoris*; cujus proceſſus cartilagineus vocatur *Supercilium*.

§. 3.

de Oſſibus Artuum.

TErtiam ſceleti partem conſtituunt *Artûs*: inter quos baſilicum tenet locum *Pes*; qui dividitur in *Diviſio Pedis.* *Femur*, *Tibiam*, & *extremum Pedem*.

Femur. *Femur* eſt os maximum in toto corpore; cujus ſuperior pars per enarthroſin cum iſchio; inferior per ginglymum cum tibia articulatur. Pars ſuperior tres habet apophyſes, caput femoris, & trochanteres duos: caput, ab epiphyſi rotundum, in acetabulum iſchii implantatur: trochanteres ſunt quaſi rotatores; quia his muſculi, motus inſtrumenta, inſeruntur: pars inferior internè craſſior, externè latior eſt.

Tibia. *Tibia* bimembris eſt, foſſili ſcilicet majore, & minore, ſeu fibula, conſtans. *Malleoli.* Appendix inferior *tibia* gibba *Malleolum internum*; anterior *tibia* pars *Spinam* conſtituit: fibulæ pars ſuperior genu non attingit; inferior facit *Malleolum* *Patella.* *externum*. *Rotula*, ſeu *Patella*, quam ſeſamoideum majus quidam vocitant, & femori, & tibiæ, communem præſtat operam, firmandoq; articulo, in venæſectione, ſeſe quaſi pulvinar ſubſternit.

Pes extremus. *Pes extremus* utique trimembris eſt, *Tarſum* ſcilicet, *Metatarſum*, & *Digitos* *Tarſus.* habens: *Tarſi* oſſa ſunt ſeptem; *Talus.* primum dicitur *Talus quatrio*, ſeu os *Taliſta*, immediatè infra tibiam ſub*Calx.*ſtratum: ſecundum os *Calx*, ſeu *calcaneum*, indigitatur; in quod trium muſculorum tendines, chordam efficientes, inſeruntur; hinc dolor ibidem interdum maximus ſentitur; ter*Os Naviculare.*tium *os Naviculare*: quartum *os Cubi*, *Os Cubi.* ſeu *cuboides*, ſeu *teſſera*; reliqua tria ſunt anonyma, ſoli *Fallopio* cuneiformia. *Metatarſus* pedum, ſeu planta *Metatarſus.* dicta, quinque conſtat oſſibus. *Digitis* *Digiti.* oſſa ſunt 14. articulata per ginglymum: & ad cujusvis articulationis robur appoſitum eſt oſſiculum quoddam, ſeſamoideum dictum: *Pollex* ta*Pollex.*men duobus tantùm conſtat oſſibus.

Manus dicitur à ſcapula ad digito*Manus.*rum extremitatem: partes ſunt *Brachium*, ſeu *Humerus*, *Cubitus*, & *Extrema manus*. *Brachii* eſt os unicum; cu*Brachium.*jus pars ſuperior caput habet magnum, quod in ſcapulæ cotyledonem; ſeu cavitatem ſuperficiariam, inſeritur. Nota, quòd in anteriore parte hujus capitis *Sciſſura* quædam appareat, per quam bicipitis muſculi, cubitum flectentis, portio, à ſcapulæ cavitate prodiens, fertur. Ab externa proceſsûs inferioris brachii parte muſculi fere omnes, carpum & digitos extendentes; ab internâ flexores omnes oriuntur: internus proceſſus eſt major, uti in femore obſervatur. Secundam, & mediam par*Cubitus.*tem manûs facit *Cubitus*, *Ulna*, ſeu *Foſſile majus*, & *Foſſile minus*: ſuperior foſſilis majoris pars per ginglymum brachio articulatur: proceſsus acuti vocantur roſtra, ſeu glandes: anterior minor eſt; poſterior major: cavitas his intercedens apophyſin brachii excipit: inferior cubiti pars jungitur carpo, per mediam cartilaginem, & per acutam apophyſin, quæ vocatur *Styloidis*, ob ſimilitudinem columnæ: alterum os, quod *Radius* dicitur, ſupe*Radius.*riùs cum externa brachii apophyſi per diarthroſin articulatur: unde motus ſupinus oritur: inferior per epiphyſin cum carpi oſſe nectitur: ſuperior pars cubiti craſſior eſt; cui contrarium apparet in radio: ſuperiùs os radii recipitur à cubito; inferiùs verò cubitus à radio.

Extrema manus. *Extrema manus* trifariam dividitur: in *Carpum*, *Metacarpum*, & *Digitos*. *Carpus.* *Carpus*, ſeu brachiale, octimembris eſt; quorum octo oſſium articulatio, per vincula & cartilagines facta, dubia eſt: *Metacarpus.* *Metacarpus*, poſt brachiale, vel palma, quatuor oſſibus oblongis conſtat, ſuperiore parte cum digitis per ginglymum articulata, ſuis nodis inſignita: ad firmandas articulationes digitorum ſunt oſſicula quædam *Seſamoidea* dicta.

§. 4.

§. 4.

de Articulationibus, Cartilaginibus, Vinculis, & Tendinibus.

OSſium ſyntaxin ulteriùs rimantes, non unam omnium articulationem eſſereperimus: geminus namque ſyntheſeos modus eſt, dum per Arthroſin, ſeu *articulationem*, & per *Symphyſin*, connectuntur.

Arthro quid & quotuplex. *Arthrus*, ſeu articulatio, eſt naturalis oſſium ſtructura; in qua duorum oſſium extremitates ſeſe tangunt: quæ duplex eſt: *Diarthroſis*, ſeu laxa articulatio; alia *Synarthroſis*, ſeu tenax, & ſtricta; quæ evidentem nullum habent motum. *Diarthroſis.* Diarthroſis triplex eſt; *Enarthroſis.* *Enarthroſis*, *Arthrodia*, & *Ginglymos*: *prima* eſt, quando cotyle, ſeu cavitas, valdè profunda eſt, & oblongum caput ei inſeritur; uti in iſchio cum femore: *Arthrodia.* *Arthrodia* eſt in Atlante vertebra: *Ginglymus.* *Ginglymus* in cubito; qui excipit brachium, & excipitur à brachio. *Synarthroſis.* *Synarthroſis* utique triplex eſt; *Sutura*; ut in cranio: *Harmonia.* *Harmonia*; in maxilla ſuperiore, per ſimplicem lineam articula: *Gomphoſis.* *Gomphoſis* in dentibus. Neutra Gal. articulatio eſt in coſtis cum ſterno. Eſt & alia oſſium unio, non in contiguitate, ut præcedens articulatio; ſed in continuitate, ad majus robur, vocaturque *Symphyſis.* *Symphyſis*, quæ fit vel cum medio, vel ſine medio. epiphyſes ſine medio connectuntur, ob mollitiem; in durioribus verò oſſibus per medium: idque triplex eſt; *Syſſarcoſis.* vel caro, quæ *Syſſarcoſis* eſt; *Synchondroſis.* vel cartilago, quæ *Synchondroſis*; vel nervus, aut ligamentum, quæ *Synnevroſis.* *Synnevroſis*, vel *Syndeſmoſis* dicitur; ut in coſtis cum ſterno. Durum nimis, & aſperum fuiſſet, ſi nulla re intermedia articulationes factæ fuiſſent. Itaque ad motûs celeritatem & lubricitatem neceſſum fuit, ut polita quædam, & levis ſubſtantia ſuccederet; *Cartilagines.* quam *Cartilaginem* vocitamus: nec tantùm in oſſium extremis; uti, in productione ſterni, cartilago enſiformis; ſepti transverſi, propugnaculum; & antica origo, cui à tergo vertebra thoracis duodecima &c. facit exordium; ſed ſolitariæ quædam reperiuntur cartilagines; veluti in auriculis, ciliis, faucibus, epiglottide, larynge, aſpera pulmonum arteriâ, in cordis baſi &c. quæ roboris gratiâ ſunt productæ. *Vinculum quid.* *Vinculum* eſt nervoſum, prædurumque corpus, inſenſibile, ſolidum, & exangue, à ſumma oſſis cartilagine ortum, & in alterius oppoſiti oſſis caput inſertum: non tamen requiruntur ad omnem articulationem; nam in capitis oſſibus non ſunt. Nota, quòd calvities neque in poſteriore capitis parte, neque in lateribus, fieri ſoleat: in alopecia autem, & morbo Gallico, pili magis diffluunt in muſculoſis partibus; quia hæ magis abundant humoribus vitioſis. Maximum eſt vinculum, quod extrinſecè ſpinam ambit, è ſecunda colli vertebra in oſſis ſacri imum deſinens: cujus officium eſt, vertebras nectere. Scapularum oſſa vertebris, & coſtis, membranis firmiſſimis junguntur: humeri caput vinculo quodam, è cavitatis labiis orto, ligatur: brachium humero adligatur ſimili modo, vel vinculo, uti omnia alia oſſa articulantur: in digitorum, uti & pedum, vinculis hoc Veteribus fuit particulare; nobis incertum, quòd articulorum extrema faciant unguium radices, & in eos quaſi degenerent. Femur ubi iſchio implantatur, non eſt contentum communi aliquo vinculo; ſed, ad majus robur, intus ab apophyſi oritur quoddam breve & forte vinculum; quod in cavitatis fundum implantatur. Singulare eſt illud vinculum, quod, à pectinis oſſe ortum, penis facit erectionem: ſiquidem habet cavitatem, cæteris omnibus negatam. Vincula omnia, ſeu ligamenta, ab oſſium epiphyſibus, cartilagine, &c. prodeunt. Tendines verò, qui muſculorum ſunt partes & propagines, ſeu concurſus fibrarũ ligamenti, & nervi, per carnes ſparſorum, & in unam quaſi chordam coëuntium, articulos ad motum ducunt voluntarium: de Nervis *alibi*. Nota: penis vinculum in parte infernâ habet quoſdam quaſi circulos, uti trachea arteria; quorum beneficio contrahi & extendi poteſt: quibuſdam animalibus oſſeum eſt; quia non ſatis habent ſpiritûs ad ejus inflationem: brevior fieri putatur, cùm recens natis pueriliſ nimium

mium retrahitur umbilicus. Sic enim unà cum uracho veſica, & per conſequens penis, retrahitur: longior fit Monachis, quàm aliis, ob caligarum abſentiam.

§. 5.

de modo conficiendi Sceletum.

Sceletum. SCeletum eſt oſſium exſiccatorum compages; quod hac methodo fabricandum: oſſa, carnibus detecta, aquæ fontis, velut menſtruo, per triduum immergenda ſunt; ut ex iis ſanguinea quædam extrahatur tinctura: deinde ad carnium reliquarum decidentiam coquenda ſunt, frequenti deſpumatione adhibitâ; ſervatis tamen cartilaginibus, & à coctione vindicatis; utpote naſi, coſtarum cum ſterno junctarum, &, ſi lubet, laryngis, cum fruſto aſperæ arteriæ: primâ factâ ſat diuturnâ ebullitione, & carnibus remotis, perforanda ſunt; ut per ſecundam ebullitionem, quæ ſex ad minimum horarum ſpatium debet adæquare (nimiam tamen cave ebullitionem, ne, ſejunctâ epiphyſi, oſſa ſequeſtrentur) medulla, & quicquid pinguedinis eſt in eorum cavitatibus, extrahatur: hac ſiquidem retentâ, oſſa denigrantur, & deformiora redduntur: nec eodem omnia terebello perforari poſſunt, ſed alia majori, ut oſſa femoris, crurum, & brachiorum; alia minori, ut digitorum. Hoc tamen diligenti ſceleti fabro obſervandum venit, ut pedes, & manûs, ſingulari petiolâ vinciantur, ne oſſicula ſeſamoidea, vel alia, mutentur, aut perdantur. Poſt coctionem vertebræ filo colligandæ ſunt, utpote poſt diligentem carnis ab oſſibus amotionem: in tabella pluviis, vento, Solique expoſitas tamdiu retineto, donec exſiccentur, & dealbentur. Quòd ſi dentes deciderint, ſuo quemque alveolo, glutine, ex ovi albumine, gypſóque recenti confecto, lutatum repone.

Ænea fila. Ut verò oſſa connectas elegantiùs, tria *anei fili* genera, priùs igne, ut flexibiliora ſint, candeſcentia præſtò ſint.

Forcipes. *Forcipes* quoque binæ parandæ ſunt; quarum una ſit teres, ad torquendum foraminibus immiſſum filum; alia verò incidat, quod reliquum eſt.

Acûs. *Acûs* item variæ chabybeatæ, ligneo manubrio exceptæ, comparandæ ſunt perforatæ, jam obliquæ, jam rectæ, & ſectioni aptæ. A pedibus igitur exordium ſumito: illis crura, & femora, quibus mutuum interſtitium eſt patella, ſuperſtrue: deinde digitos, manum, brachium, & humerum: tertiò os ſacrum, coccygem, & os ilium connectito: inter os ſacrum, & primam lumborum vertebram, corium, cartilaginis vicarium, ſicut & inter omnes thoracis & cervicis vertebras, interpones: binarum thoracis vertebrarum corpori ipſi coſtæ ſunt nectendæ; decimâ excepta, quæ ad transverſum proceſſum duntaxat accedit, cum reliquis novem: hæ oſſi pectoris adaptantur; iiſque à tergo homoplatæ ſuperponuntur: ante claviculam cervicis vertebris ſuperponitur caput, in ima parte perforatum, ferro, totius ſuſtentaculo, pervium. Capiti appendendi ſunt proceſsûs ſtyloides. Aurium oſſicula poſt coctionem nullo negotio extrahes; ſtapetem tamen, & malleolum, faciliùs, quàm incudem: ſi os hyoides collo velis appendere, item aures exſiccatas, vomerem naſi, palpebras, & ſeſamoidea, non erit abs Antiquorum conſuetudine: ſed laborioſum potiùs eſt, quàm utile: immo ſceletum reddunt deforme.

CAPUT IX.

Myologia, ſeu de Muſculis.

Muſculus quid. MUſculus, ἀπὸ τοῦ μύειν, contrahere, dictus, corporis maximam partem facit: eſtque inſtrumentum proximum motricis facultatis, per quod motus voluntarius exercetur. Galen. *16. de uſu partium, cap. ſecundo*, eſt inſtrumentum quod,

quod, non quo: per quod perfecta poteſt elici actio. Unde ligamentum, nervus, tendo, fibra, caro, venæ, arteriæ, membrana ſeparatim ſumpta, ut ſunt partes muſculi, excluduntur.

Muſculi ſubſtantia, & partes.

Muſculi *ſubſtantia* duobus præcipuè conſtat: carne, & fibris, ſecundum longitudinem utplurimùm exporrectis: partes ejus ſunt tres: caput, ſeu principium, in quod nervus, aut ligamentum, inſeritur; venter magis carnoſus; & finis, ſeu cauda; ex qua tendo & aponevroſis oritur, atque in partes movendas inſeritur. Gal. *12. de uſu part.* Muſculus, paucis exceptis, utpote ſphinctere, & diaphragmate, ſuum habet adverſarium, ut flexor tenſorem; adductor abductorem; levator depreſſorem; clauſor apertorem.

Muſculorum differentia.

Muſculi *differunt* vel à ſubſtantia: unde vel carnoſi, vel membranei: vel magnitudine; unde magnus, longus, latus: vel à numero partium, ut biceps, triceps, gemellus &c. vel à figura, ut deltoides, rhomboides, ſcalenus: alii à partibus corporis, ut crotaphita, rachita: alii à ſitu, ut anticus, poſticus, internus, externus, rectus, transverſus, obliquus: denique ab actione dicuntur; ut ſphincter, maſſeter, cremaſter. Sunt autem ſequentes muſculi, qui detractâ cuticulâ, cute, pinguedine, & panniculo carnoſo, conſpiciuntur.

Muſculi Pectoris.

Primò *Pectorales duo*, à clavicula, ſterno, & tribus coſtarum cartilaginibus orti, & in inferiorem humeri partem inſerti; ſub ipſius cervice humerum ad pectus adducunt: *ſerrati antici* majores & minores: illi à coſtis octo obliquè ad ſcapulæ baſim aſcendunt, eamque antrorſum agunt; hi ſub pectorali deliteſcunt, à 2. 3. 4. & 5ta coſta ſuperiore orti, ad ſcapulæ proceſſum roſtriformem progrediuntur; qui obliquum tribuunt motum antrorſum ſupra coſtas.

Muſculi Abdominis.

Muſculorum Abdominis ſunt 4. paria: duo obliquè deſcendentes; recti duo: quintum par in omnibus non reperitur (ſuntque *Pyramidales muſculi* ab oſſibus pubis aſſurgentes) Muſculi abdominis obliquè aſcendentes ſunt duo; transverſales duo.

Pyramidales.

Oeſophagi.

Oeſophagus tribus paribus in deglutitione movetur; *cephalopharyngeo*, *ſphenopharyngeo*, & *ſtylopharyngeo*: his etiam *Sphincter* additur, qui triplex eſt, œſophagi, inteſtini recti, & veſicæ.

Sphincter.

Penem erigentes.

Penem erigentes duo ſunt: duo quos Pſoas vocant, qui in calculoſis ſtuporem cruris ejusdem lateris cauſant.

Cremaſteres.

Cremaſteres duo, ſub muſculis abdominis orti, ſcrotum ſuſpendunt.

Subclavii.

Muſculi *ſubclavii* ſunt intra claviculam, unà cum triangularibus, intercoſtalibus, & dorſalibus, privato pectoris motui perficiendo dicati.

Triangulares.

Triangulares ab internâ oſſis pectoris parte coſtarum ſuperiorum cartilaginibus inhærent, ut diaſtolen cordis fulciant.

Intercoſtales.

Muſculi *intercoſtales* à Capivaccio numerantur 64. de quibus ſingulatim agere, foret ſupervacaneum: alii autem ſunt externi; interni alii.

Aſpera arteria.

Uti œſophagus, ita & *aſpera arteria*, tribus muſculorum paribus movetur, *ſternothyroide*, *cricothyroide*, & *hyothyroide*: Os hyoides quinque paribus muſculorum *ſtyloceratohyoide*, *ceratohyoide*, *ſternohyoide*, *geniohyoide*, & *genioglosso*.

Oſſis hyoidis.

Linguæ.

Præterquam quòd hiſce *Lingua* movetur; quatuor deſuper habet paria, *ſtyloglosſum*, *baſioglosſum*, *genioglosſum*; qui exerit linguam, *ceratoglosſum*; quibus quintum par additur, utpote *myloglosſum*: alii addunt etiam ligamentum linguæ inſertum.

Cervicis.

Cervix utique paribus quatuor movetur, quorum duo flectunt, & duo extendunt: primum *longum* dicitur; *brevius* aliud: ſecundum par dicitur *ſcalenum*, à prima thoracis coſta ortum.

Colli.

Collum flectunt muſculi longi duo: alii duo ſcaleni muſculi, caput cum maſtoidibus flectentes. In ſcapula, & dorſo, primo ſtatim intuitu apparent *Trapezii*, ſeu *cucullares*; quia juncti faciunt cucullum, ad ſcapulam movendam; oriuntur autem ab occipitio; iisq; ſubjiciuntur duo *rhomboides*, quadratæ figuræ, rhombo ſimilis, à tribus inferioribus colli ſpondylis orti, ſcapulæ antrorſum impertiunt motum *ſerratus minor anticus*, & *levatorii* duo, à colli vertebris dependentes.

Cucullares.

Humero

Humeri. *Humero* peculiares ſunt latiſſimi duo. Inter verè dorſales refertur *ſerratus poſticus quadruplex*, ſupernè *geminus*, & infernè *geminus major*: *ſacrolumbus*, qui ab extremo oſſis ſacri, & ſemiſpinatus, dorſi vertebris inſtratus.

Lumborum. Extenſores lumborum, aliàs ſacri dicti, ſacrolumbis, & longiſſimis ſubſternuntur: oppoſitos habent ſibi lumborum flexores, ſeu quadratos, ab interna oſſis ſacri & ilium parte ortos.

Capitis. Totali *Capitis* motui famulantur muſculi *ſplenii* duo, complexi quatuor recti majores, & minores: extenſioni obliqui, ſuperiores, & inferiores gyrationi; maſtoidei verò flexioni incumbunt, à clavicula & ſterno oriundi.

Cervicis. *Cervicem* extendunt transverſales duo, & duo ſpinati.

Frontis: *Frontis* utrimque unus eſt, ſupercilia attollens: duobus aliis clauduntur palpebræ: his additur *ciliaris*, cingens cilia.

Narium. *Narium* alas deducunt muſculi duo; dilatant duo exiles; quibus ex adverſo ſtant alii duo.

Labiorum. *Labiorum* muſculi ſunt *duo quadrati*, & *buccinator*; quibus inſerviunt paria quinque: primum labium attollit ſurſum; ſecundum deorſum; tertium ad latera ſurſum trahit; quartum inferiùs deorſum verſus abducit; quintum labrum inferiùs deprimit.

His accedit labiorum *adſtrictor*, ſive *ſphincter*.

Maxillæ. *Maxillæ* motum validiſſimum quinque muſculorum paria adjuvant: primum *crotaphites*, ſeu temporale, infra pericranium ſitum, os jugale ſubrepens: ſecundum *digaſtricum*, ſeu biventre dicitur, propè mammiformem proceſſum maxillam deorſum trahit: tertium *maſſeterum*, à maxilla ſuperiore ortum; quod, ob diverſi ſitûs fibras, in dextram, ſiniſtram, & anticam partem movetur: quartum *alare internum*, ſeu *pterygoides*, maxillam retrorſum agit: quintum par *alare externum*, maxillam antrorſum movet.

Oculorum. *Oculos* moventes muſculi ſunt ſex: quidam recti; quidam obliqui: primus oculum attollit, & *ſuperbus* dicitur: ſecundus oppoſitus, *humilis* dictus, deprimit: tertius oculum ad angulum internum adducit, & *bibitorius* appellatur: quartus *indignatorius* nuncupatur; quia ad angulum externum oculum adducit: & hi ſunt recti: obliqui duo ſunt, *amatorius major*, & *minor*.

In interiore *auditorio* meatu eſt muſculus, ſubtili tendine membranæ tympani communicatus, & ad malleolum usque delatus: ſecundus oſſis petroſi ſinu quodam occultatur: tertius auriculam ſurſum movet: quartus malleolum cum membrana introrſum agit. Aurium.

Humerum attollit *deltoides*, è clavicula media ortus, in humeri medium fixus; qui in eodem officio alium ſibi longum ſociat: *pectoralis* eſt, qui adducit pectori manum: latiſſimus verò dorſi abducit: *rotundus major* deprimit humerum; quod idem facit *rotundus minor*. Circumactioni humeri inſerviunt muſculi tres: *ſuperſcapularis primus*, & *ſecundus*, & *infraſcapularis*. Humeri.

Cubitus flectitur *bicipite*, & *brachiao*; extenditur ope *longioris* & *brevioris*; cujus beneficio emancipatur *anconeus* poſterior, inferioris humeri propago. Cubiti.

Radium movent *pronatores* duo: radium introvertunt *ſupinatores* duo: pronatorum ſecundus *teres* dicitur. Radii.

Carpi flexores ſunt duo; *internus*, & *externus*: extenſores duo; *externus*, & *internus*. In volâ manûs eſt *palmaris*, ab interno humeri tuberculo oriundus. Carpi.

Multi *digitos* agitant muſculi, utpote adductioni, abductioni, & disjunctioni dicati: quod officium præſtant præcipuè ſex; ſecundum alios, octo; quorum tres *interoſſeos* vocavit Laurentius: Flexores primi internodii *lumbricales* dicuntur: ſecundi internodii flexor provenit ab apophyſi humeri interna, deſinitque in tendines quatuor perforatos: tertii internodii flexor *perforans* dicitur, utique quadruplicem gignens productionem, & præcedentem, ſive perforatum penetrat. Digitorum.

Pollicis

Pollicis primum internodium flectunt muſculi duo, ab annulari carpi ligamento principiati; ſecundum movent carnoſi, & breves, interdum tres, interdum quatuor; tertium unicus, ab ulna initiatus. Digitorum ſecundum & tertium internodium extendunt aliis duo; aliis unicus, ab externo humeri tuberculo derivatus; pollicis extenſores obſervantur tres, ab exteriore cubiti latere protenſi.

Index ſingulari fruitur adductore, uti & *Auricularis*; pollex uno gaudet adductore, & uno abductore; primus à carpi oſſiculo; ſecundus ab oſſe metacarpi.

Femoris. *Femur* 4 flectunt muſculi, utpote *pſoas*; circa tres lumborum vertebras orti, in rotatorem femoris minorem inſerti; *Iliacus internus*, ab internâ ilium parte derivatus; *triceps* à coxendice, & oſſe pubis: *Lividus* denique inde, ubi os pubis committitur, ortus, per internum femoris latus fertur. Extenſores femoris muſculi ſunt tres, *glutei* dicti; *major* ſcilicet, *medius*, & *minor*: primus ab ilium labiis, oſſe ſacro, & coccige, protenditur; medius, & minor, ab oſſe ilium deducuntur. Circumactores ſunt quatuor, pyriformis, obturator externus, obturator internus, & quartus, qui à tuberculo externo oſſis ilium ad poſteriorem magni rotatoris partem derivatur.

Tibiæ. *Tibiæ* extenſores ſunt quatuor; utpote *membranoſus*, *rectus*, *vaſtus internus*, *vaſtus externus*; quibus tamen quartus *crureus* adnumeratur; eidem ſervitio emancipatus. *Suppopliteus* tibiam obliquè movet, flectit muſculos *faſcialis*, unà cum *ſartorio*, *gracili*, *ſeminervoſo*, *ſemimembraneo*, & *bicipiti*.

Tarſi. *Tarſi* flexores ſunt *tibialis anticus*, & *peroneus*; prior ab epiphyſi tibiæ, alter à fibula, ſuum trahit exordium; tarſum obliquè deorſum movetur, per tibialem poſticum; ad extra verò per peroneum. Tarſi extenſores ſunt *gaſterocnemius*, & *ſoleus*: primus eſt duplex, quia ab utroque femoris, interno ſcilicet & externo, capite oritur: ſecundus etiam *Chorda magna* indigitatur, à fibula producta; tertius eſt *Plantaris*, ab inferiori femoris apophyſi ortus, & gracili tendine calcem implantatur. *Digitorum pedis.* *Digitorum pedis* extenſores, & quidem primi internodii, ſunt interoſſei; ſecundi à pedis ligamento prodeunt; tertii à ſuperiori tibiæ apophyſi, per quatuor tendines, in ſupremum digitorũ os inſeruntur: Flexores ſunt muſculus *perforans*, *perforatus*, & *lumbricales*: pollex propriũ habet flexorem, poſteriùs à fibula prodeuntem; eſtque, unà cum minimo digito, ſingularibus quatuor donatus muſculis; unum & reliquos obliquè movent interoſſei externi, & interni; ex his pollici abductor contigit unus, & adductores duo; major, & minor; minimo verò unus duntaxat adductor adſcribitur, extrinſecè à calcaneo ortus, & in primum deſinens internodium. Et hæc ſunt, quæ rudi Minervâ de *Muſculis* tradenda eſſe exiſtimavimus.

Caput X.

De Jecore, & Venis.

Hepatis anatome. JEcur, quaſi à jocando, ſeu amando, dictum, ſecundum illud; *ſplen ridere facit; cogit amare jecur*, primum ad ſe trahit ſcopum, eò, quòd ejus parenchyma, ob inſertionem venæ umbilicalis, inter alia parenchymata primum ſumat incrementum; eſtq; Veteribus pars princeps, & primaria; Nobis ſecundaria ſanguinis officina, & naturalis facultatis ſedes, ſeu œconomiæ ſummùs præcipua.

Situs. *Situm* eſt in dextro hypochondrio, ſub coſtis mendoſis & diaphragmate, magnam ſiniſtri lateris & regionis umbilicalis partem occupans.

Figura. *Figura* lunaris eſt, non exactè ſphærica, nequaquam, ut *Galeno* placuit, loboſa, aut diviſa; niſi ubi implantatur vena umbilicalis: ibi enim tantùm per dividitur, ut venæ illi præbeatur aditus; ſub qua exit vena porta; quam utrimque ſtipant eminentiæ duæ, à coſtarum injuriis propugnacula.

Partes. Duas habet *partes* jecur, cavam, & ſimam, ſive internam, & externam; cavâ ſuâ parte ventriculum fovet: totum jecoris corpus tenuiſſimâ peritonæi propagine inveſtitur; in quam ramus ſextæ conjugationis nervorum inſeritur; hinc dolores ejus.

Vena jecoris. *Venæ jecoris* ſunt Vena *Cava*, vena *Porta*, & vena *Umbilicalis*.

Umbilicalis. *Ultima* eſt, quâ alebatur in utero fœtus; in adultis in ligamentum degeneravit.

Porta. Vena *Porta* è meditullio eminentiarum cavi jecoris, uti dictum, prodiens, ſangvinem tum per ramos meſentericos, tum per ſplenicos, ex arteria cæliaca ſuſceptum, hepati & cordi refert, ſuisque in arterias degenerantibus ramis, per anaſtomoſin, in ramos cavæ, non directè jecoris ſubſtantiam ingredientes, ſed potiùs in ſuperficie lambentes, evomit: hinc *Harvejana Circulatio*.

Harvejana Circulatio ſanguinis. Portæ ramus unus ſuperiori ventriculo communicatur, ejusque pars una longitudinem perreptat: alia orificium ejus ſuperius ambit, inſtar coronæ; hinc *Coronalis ſtomachica* dicitur: ſecundus portæ ramus inferiorem petit ventriculum, ibique per ejus longitudinem fertur; & ſanguine, non chylo, ventriculus alitur: tertius portæ ramus in omentum fertur: quartus ad lienem ſe confert; ex quo oritur primò *Vas breve*; quod ſuperiori ventriculi orificio infigitur, ibique deſinit, fami conciliandæ, ſecundum Veteres, dicatum: ſecundò *Vena hæmorrhoidalis interna*, cacochymiæ ſplenicæ depletrix, apud Antiquos: quintus ad inteſtinum colon: ſextus ad inteſtina gracilia: ſeptimus ad rectum inteſtinum.

Coronalis ſtomachica. *Vas breve.* *Hæmorrhoidalis interna.*

Ex tribus hiſce inteſtinalibus innumeræ, *Meſaraicæ* venæ dictæ, dum ad meſenterium & pancreas deveniunt, pullulant; quarum uſum, utpote chyliferum, ingenioſa Modernorum ſagacitas annullavit, *venasq; Lacteas* reperit, usque ad receptaculum chyli tendentes; quod in regione lumbari, circa renum meditullium, ſitum eſt.

Meſeraica. *Venæ Lacteæ.*

Veſicula fellis. In jecoris concavo conſideranda eſt *Fellis veſicula*, ſive cyſtis fellea, ad quam ſequeſtratione factâ per porum cholidochum, (ſiquidem jecoris eſſe præcipuam actionem transcolationem, aſſerimus) bilem reponit jecur: & inde, per meatum alium cholidochum, ad inteſtina devehitur, ut excretioni alvinæ, velut clyſter naturalis, cedat in ſtimulum.

Vena Cava. In partem jecoris ſimam infigitur *Vena Cava*, quæ variè ramificatur in ipſo jecore, & tandem in unum truncum deſinit; qui ſanguinem, à venulis venæ portæ, divaricationi oppoſitis, per anaſtomoſin receptum, ad ulteriorem elaborationem, ad cor refert.

Venarum definitio. Nam *Venæ* nihil aliud ſunt, niſi vaſa quædam concava, tenuis ſubſtantiæ, ſanguinem à peripheria ad centrum revehentia.

Ejus aſcenſus & diſtributio. Vena cava, immediatè ſurſum adſcendens, ſeptum transverſum, ſive diaphragma, perforat, ibique ſtatim duos ramos diaphragmati communicat; qui in plures diſtribuuntur: major autem venæ cavæ truncus, per auriculam dextram cordis delatus, eique connexus, dextri ventriculi orificium complectitur; quo loco *Venam* parit *Coronalem*; quæ cor cingit, & coronat, majorique alveo dextrum cordis ventriculum ingreditur, relictis in confinio tricuſpidum valvularum offendiculis; quarum attentiùs conſideranti patet officium, utpote, ut ingreſſuro ſanguini facilem in cor ingreſſum; refluxuro autem in cavam, præbeant obſtaculum.

Vena Coronalis.

Vena Arterioſa. Ex dextro cordis ventriculo ſanguis in *Venam* fertur *Arterioſam*, ſic dictam, ob ſimilitudinem, gratis tamen, ut *Carteſio* videtur, & *Pecqueto*, & illinc in pulmones, factâque anaſtomoſi, in *Arteriam venoſam*, & inde in ſiniſtrum cordis ventriculum, à dextro longiori nonnihil arctiorique capacitate diſcrepantem; ex hoc in aórtam, ſigmoidibus valvulis refluxuro ſanguini obſtaculum præbentibus, & per univerſum corpus ducente eadem aórta, partim novâ præparatione perfectus ſanguis, partim is, qui noviter, nullâ prævia circulatione, præparatus eſt, devehitur: ſiniſter ventriculus arterias & venas; dexter verò ſolùm propagat venas à corde usque ad jecur: ſiquidem ex centro venæ cavæ oritur *Vena azygos*, vel ſine pari: quod videtur innuiſſe Galenus, *ſecundo de uſu partium*, ubi ait: *azygos vena eſt propè cor, &, juxta vertebrarum corpora, usq; ad extremum thoracem aſcendit, & per intervalla coſtarum dextra magis, quàm ſiniſtra, mittit ramos, earum partium irrigandarum ac nutriendarum*

Arteria Venoſa. *Vena azygos.*

dorum gratiâ. Ex his ſunt quidam ſurculi, qui inter vertebras, immò intus in medullam, poſtquam ad dorſales muſculos & cutim venulis amandaverint, feruntur. Supra venam ſine pari ſurſum petit vena cava, usque ad jugulum, ubi bifariam finditur in venas chyli ſuſceptrices, utpote *Axillares*, ſic dictas, eò, quòd axillam ſubeant, præterreantque inter jugulum, & primam coſtam thoracis.

Axillares.

Hinc venam producit cava *Humeralem*, ſive *Cephalicam*, quæ inter primum & ſecundum humeri muſculum ad ſuperficiem tendit, & inter panniculum carnoſum, & cutim, ad cubitum, &, ubi ad plicaturam brachii pervenit, cum baſilica venæ unitur per venam, medianam dictam; & hinc in externâ cubiti parte multifariam dividitur, & ramum inſignè ſuperbrachialem, usque ad annularem digitum propagat, ubi *Salvatella* nominatur Arabum ſed ineptè *Splenetica*: præter ramum humerocephalicum, poſtquam vena axillaris è cavitate thoracis emerſit, infra jugulum, apud ancyroidem ſcapulæ proceſſum, profundè demergitur, variosque promit ſurculos, primi brachii, & ſcapulæ, ſecundi thoracis, ſecundi & ſeptimi humeri, usque ad abdomen, muſculorum ſocios: ex hoc ramo, in fœminis, ad mammillas tendunt rami: hinc earum, ſecundum Veteres, à cibo, tumor: axillaris hic ramus, ad humerum derivatus, ſub primo cubiti flexore, trifariam ſecatur, in *Baſilicam* ſcilicet, ſeu *jecorariam*, vel cubiti internam, ubi in ſuperfitiariam degeneravit, prope quam nervus, non verò ſub humeraria, aut medianâ, reperitur: ideóque eam, ob ſubjacentem arteriam majorem, majori ſecatur periculo: in alium ramum, qui etiam per externam partem diffunditur, & tandem per brachiale, & poſtbrachiale, ad medium, & indicem pervenit: in tertium, qui *Communis* dicitur, & obliquè ſupra radium defertur; varieque dividitur, ramumque inter pollicem, & indicem, & inter indicem, & medium, qui in affectibus capitis ſecatur, mittit; altera venarum axillarium ferè ad humeri os penetrat, ramuliſque duobus cubi flexores irrorat; hinc deorſum flectitur, & in tres ramos ſecatur, quos ad internos cubiti muſculos mandat, & inferiùs ad brachiale deflectit: hi rami, ſub annulari ligamento, tendunt ad volam manûs, ibique ſurculos faciunt extremæ manûs muſculis irrigandis accommodatos; denique ſingulis digitis venas binas diſtribuunt, per latera ad extremitatem usque pervenientes; alius ramus, prope plicaturam, exterioribus muſculis communicatur. Ramus axillaris alius ad duos muſculos, cubitum extendentes, ramificatur; deinde tendit ad muſculum bicipitem, & eos muſculos, qui ab externa humeri apophyſi oriuntur: hæc ipſa ſub jugulo, ubi oriuntur axillares, quatuor ramos deſcendentes promit; quorum duo deſcendunt à latere, penes cartilagines coſtarum; hi deorſum vergunt, per rectos abdominis muſculos, in mulieribus cum venis uteri aſcendentibus conjuncti, & inter 4. aut 5. coſtam nunc altiùs, nunc decliviùs, deſcendentes ad extrinſecam partem tendunt anteriores, in viris, muſculos lambentes, in fœminis *Mammas*, ob lactis generationem, penetrantes; alii duo juxta mediaſtinum ſupraque pericardium ducuntur.

Vena cephalica.

Salvatella.

Baſilica, ſeu Jecoraria.

Mediana.

Mammaria.

Altiùs aliquo modo emergunt *Jugulares* venæ quatuor: duæ externæ; duæ internæ: illæ, ſupra jugulum ortæ, ad Capucinum, ſeu muſculum cucullarem, & retro ad ſcapulam, per colli latera, obliquè aſſurgentes, ramos mittunt ad capitis motores, & occipitii cutim: alia ad maſſeterem obliquè, & per mediam faciem fertur, & ad majorem oculi angulum, ramulis quibusdam ad faciei, & palpebræ muſculos diſtributis, per medium ſuperciliorum, & frontem, ad capitis cutem aſcendit: alia jugularis vena, ſat conſiderabilis & magna, ſurſum fertur, verſus baſim calvariæ, per anteriora proceſſuum tranſverſarum vertebrarum colli, penes aſperam arteriam; quæ variè circa *Ranulas*, ſub inferiore maxillâ, dividitur; & magis adhuc, dum glandulas, & muſculos hyoides, & linguam (hinc Ranulis dicitur) pharyngem, & tunicam oris inveſtientem petit. Major dictæ venæ ramus calvariam ingreditur, per inæquale foramen ſexti paris

Jugulares.

Ranula.

ris deſcendentis: hic ab ingreſſu ſtatim ſeſe duræ matri communicat, & per occipitium ad lambdoidem ferè ſummam ſuturam aſcendit, & duræ matris quadruplicaturæ, ſeu torculari, inter cerebrum & cerebellum, commiſcetur, inque totam ſuperficiem ſuperiorem ventriculorum progreditur, cerebriq; miniſterio, pro nutritione, emancipatur. Jugularis interna, antequam cranium ingrediatur, ramulos ad latera, & muſculos temporales, ſpargit: ab hac jugulari vena cervicis muſculi, ſpinalis medullæ vertebræ, auditûs organum, omnia capitis oſſa, maxilla utraq;, denteſque irrigantur.

Vena cava deſcendens paulò ſupra jecur, ſub diaphragmate, dextræ partis vertebris adhæret deſcendendo, partibuſque adjacentibus ſeſe ramulis variis communicat; alius tamen ſat tumens *Venas Emulgentes* duas, in renes variè diſtributas, & tandem terminatas, parit; quarum uſus eſt, ut ſanguinem, ex arteriis emulgentibus, per anoſtomaſin ſuſceptum, revehant ad ulteriorem elaborationem; eſt alia minor emulgens, in dextra parte, & brevior, ob jecur magnitudinem prohibens: à ſiniſtra emulgente exoritur *Vas ſpermaticum*; hinc mulieres à ſiniſtris; viri à dextris geſtantur, quoniam vaſa ſpermatica à dextris ab ipſo venæ cavæ corpore oriuntur, & primo obliquè deſcendunt, deinde ſub peritonæum feruntur, & ſupra os pubis poſtremò in teſticulum deſinunt, in viris ſcilicet; ſecus in fœmineo ſexu, in quo tanta non eſt longitudo vaſorum ſpermaticorum; ſiquidem os ſacrum non excedunt, ſed ab eadem origine deducuntur. Vena cava, ubi ad quartam lumborum vertebram pervenit, in duos inſignes ramos, *Iliacos* dictos, ſecatur, qui ſuper os ilium, & pubis delati ad utrumque latus, dextrum ſcilicet, & ſiniſtrum, derivatur; Primò autem venæ mediocres enaſcuntur, quæ deorſum petentes, ſeſe ano communicant, ramoſque, per ipſius foramen, tranſmittunt ad ipſum os ſacrum, & ad muſculos lumborum & natium; indeque extremitati inteſtini recti venæ exoriuntur; ab hac eadem vena rami pullulant veſicæ, & cervicis uteri; ex quo loco non tantum in aliis, ſed etiam gravidis, aliquando menſtrua profluunt.

Venæ emulgentes.

Vas ſpermaticum.

Vena Iliaca.

Ab his venis prodit *Vena Umbilicalis*, fœtui impreſſa; hinc venæ portæ per venam umbilicalem, ab utero eſt propago venæ cavæ; unde probari poteſt adhuc, omnes venas, etiam portam, à *Corde* ſuam *trahere originem*. Eadem uteri venæ cavæ propago, inter peritonæi diviſionem, dextrorſum, & ſiniſtrorſum, ſurſum ſeſe reflectit; ſub muſculis rectis, ob peritonæi nutrimentum; unde uteri cum mammis conſenſus maximus: craſſus ille ramus, ſupra os pubis, extrorſum fertur ad inguina, varièque per glandulas divaricatur, in quas natura ſeſe exonerat, tanquam ad emunctoria; indeque in pene, usque ad extremitatem præputii, inter pellem, & membranam carneam, quibusdam etiam ramis per ſcrotum diſſeminatur: à prima autem, ſuperius enarratâ, ſcaturigine pullulat vena obliquè aſcendens ad ilium os, & ſub pelle, verſus extremas coſtas, ſupráque abdomen, ad pellem circulatur: ramus autem major, ad ingven delatus, poſt id trifariam dividitur; uno enim ramo infra pellem, & panniculum carnoſum, obliquè introrſum per genu deſcendit, & ſupra id ipſum, internè per crus deſcendens, ſupra internum malleolum progreditur, & *Saphenam* procreat, in affectibus uteri conſiderabilem; quæ per cutim varias promit divaricationes; alii duo rami per femur deſcendunt ſub genu, & muſculos cruris varios appellunt, usque ad externum pedis malleolum; ubi *Iſchiatica* nomen ſortitur, in coxendicis dolore conſideranda. Ramus autem, qui ſub genu fertur, *Poplitis vena* dicitur, Antiquis, quàm Recentioribus, notior & celebrior. Et hæ ſunt venæ majores, ex quibus minores variæ, & *Capillares* dictæ, oriuntur; de quibus ſigillatim agere, foret otioſi ſubire vices.

Vena umbilicalis.

Venarum origo Cor.

Saphena.

Vena iſchiatica.

Poplitea.

Capillares.

Obj. 1. *Ariſtoteles* dicit, hepar coctionis gratiâ eſſe conditum ergo ſanguinem coquet, & conſequenter manebit ſanguinis officina. Reſp. hepar eſſe coctionis propriæ gratia, nego; alienæ, concedo; nam hepar eſt tanquam

Objectiones.

quam ignis ventriculo admotus, qui ejusdem juvat concoctionem: deinde ſangvificationem cordi attribui, novi nihil eſt: nam Ariſt. *l. 2. de generatione animalium*, item *lib. 3. de hiſtoria animalium*, item *lib. de ſomno & vigilia*, item *lib. de reſpiratione*, ſangvificationem cordi tribuit: *Pelops* eam cerebro asſignat; *Blemor* oculis: *Diogenes* ventriculo. Sed hæc dudum ſunt exploſa.

2. Obj. 2. Quilibet humor poteſt ſibi ſimilem producere, teſte S. Crux, *in ſen. 1. opuſc. 6.* quia qualitatibus primis poteſt alterare paſſum: alteratio verò, ſi intendatur, deducit usque ad introductionem novæ formæ, & abjectionem alterius: ergo non opus eſt corde, ad ſanguinis productionem. Reſp. humor valet alterare, concedo; producere, nego: quia ulteriùs requiritur vis concoctrix, & facultas quædam, ſeu generativæ virtutis actio, quæ primas qualitates elevet.

3. Obj. 3. Cor non videtur poſſe tot diverſi generis humores, v. g. pituitam, bilem, ſeroſos humores &c. producere: nam diſpoſitiones conſervativæ debent eſſe ſimiles, vel omnino eædem, ac productivæ; quod in corde calidisſimo omnino non eſſe poſſe videtur. Reſp. Cor, uti reliquas partes, habere ſubſtantiam heterogeneam, atque adeò partes quasdam pituitæ; quasdam bili; quasdam ſeroſis humoribus generandis aptas.

4. Obj. 4. Cor non videtur unâ ſubſtantiali actione tam diverſos humores producere. Reſp. concedendo hoc: cùm actiones ſpecificentur à ſuis terminis; termini autem ſint ſpecie diſtincti; utpote quatuor humores: neceſſariò etiam actiones erunt diſtinctæ quadruplices ſubſtantiales.

5. Obj. 5. Sed humores, ſub maſſa ſanguinea, non videntur eſſe ſpecie diſtincti. Reſp. neg. illatum: immo eſt Gal. *2. de temper. c. 7.* qui dicit, tot eſſe humores in corpore humano, quot ſunt elementa.

6. Obj. 6. Si hoc eſſet; ergo omnes humores poſſent ſeorſim à ſangvine alere; cùm tamen omnis pars ſit mixtum, quod à tam ſimplici ali non poteſt: Reſp. concedendo conſequens: quia omnis humor, etiam ſeorſim ſumptus, eſt mixtum, adeoque proportionatum partibus mixtis alendis.

CAPUT XI.
de Corde, & Arteriis.

Anatome Cordis.

CORdi principatum, cum *Ariſtotele*, tribuendum eſſe, nemo ambigit: non tamen ideò, quòd in centro cordis ſitum obtineat; id enim de umbilico aſſerendum foret: ſed quòd ſit fons vitalis caloris, & actionum nobiliſſimarum, utpote pulſationis, hæmatoſeos, & vitalis ſpiritûs principium.

Situs.

Situm habet obliquum, ſupra ſeptum transverſum, in thoracis cavitate: baſis circa dextrum; cuſpis autem circa ſiniſtrum latus declinat; &, præter proprium involucrum, paulò tamen diſſito, circumdatur *Pericardio*, membranâ nerveâ & craſsâ, aqueum humorem, & pingvedinem, non mixtè, ſed ob chyli appulſum, generatam continente.

Pericardium.

Figura.

Cor non planè pyramidalis eſt *figura*, ſed paulò depreſſius, in homine, ſubſtantiâ ſat durâ, & motibus continuis accommodatâ, præditum: *venam* habet *coronalem, arteriamq;* comitem.

Vaſa.

Ventriculi.

Duæ ſunt cordi *cavitates*, ſeu *ventriculi*: dexter, & ſiniſter: hic multò craſſiorem, & compactiorem altero ſubſtantiam obtinet, ad ſangvinem nempe arterioſum magis ſpirituoſum retinendum. *Septum* autem quoddam, ſeu *interſtitium*, hoſce duos cordis ventriculos, per quod ſangvinem transſudare dictitabat Antiquitas, intercedit.

Auriculæ.

Obſervantur etiam in corde *Auriculæ* duæ, ſeu eminentiæ duæ membranoſæ, & anfractuoſæ, dextra, & ſiniſtra: quarum uſus eſt, fulcire venas & arterias, ne in continuis, & vehementibus aliquando, pulſibus diſrumpantur.

Vaſa.

Quatuor utique *vaſa* à corde ſilentia viſuntur; in ſiniſtro latere arteria aörta, & arteria venoſa; in dextro verò vena cava, & vena arterioſa; in quibus triſulcæ, vel tricuſpides membranæ; quarum duas tantùm habet arteria; venales reliquæ tres obſervantur: quarum *Valvularum* communis eſt uſus; utpote regreſſuro ſangvini præbere obſtaculum. Hæ omnia morborum genera patiuntur: quandoq; rumpuntur, & ſanguis retrogreſſus ſuffocationé & morté ſubitaneam infert: uti vidimus in puero duodecennali Vienn. 1670. 5. Aprilis: qui,

Valvulæ tricuſpides.

Digitized by Google

qui, poſtquam, à pulmonum obſtructione, diu multúmque anheloſus fuiſſet, prohibitâ circulatione & anaſtomoſi pulmonari, ex vena arterioſa ad arteriá venoſam factâ regurgitatione, poſt longam tenſioné ruptâ valvulâ, periit. Taliter multos ſubitaneâ morte extingvi, certò exiſtimamus.

Arteria quid. *Arteria* eſt vas membraneum, à corde ortum, teres & cavum, duplicique compactum tunicâ, quo vitalis ſpiritus pulſu in univerſum corpus diſtribuitur: Gal. *l. de anat.* à venis per duplicem tunicam; per pulſû diſcriminantur arteriæ.

Arteria magna diſtributio. *Aörta*, ſeu *magna arteria*, à ſiniſtro cordis ventriculo oriunda, ſubſtantiâ duplici & craſsâ, ut motui & ſpirituum exhalationi obſtaret, conſtat: ab initio *Arteria Coronalis.* ſtatim cordi *Coronalem arteriam* communicat, ſubſtantiæ cordis altricem: deinde paulò ſurſum adſcendens, biſariam finditur, majorem ſcilicet unum, & unum minorem, promens ſurculum; illum deſcendentem; hunc adſcendentem: adſcendens arteriam promit *Axillarem* ſiniſtram; *Axillares.* quæ ramulos quoſdam coſtis ſuperioribus communicat, &, ad internam partem brachii tendens, ſeſe baſilicæ venæ ſubſternit, perq; brachii muſculos ſeſe variè diffundit; ſurſum, circa humerum & ſcapulam, cavitatem ejus, & anteriora thoracis, glandulas ſub ala ſuperior tendit ramus axillaris, per internam humeri regionem, usque ad plicaturam cubiti progreditur, & muſculos extendentes usque ad internam partem radii; ubi fit exploratio; non tamen eodem ſemper loco; ne rei Anatomicæ fallatur ignarus: poſtquam in volâ manûs ſat liberaliter ſeſe diffudit, usque ad extremitatem digitorum tendit.

Sed relictâ hac arteriarum analyſi, redeam, ad truncum adſcendentem; qui, poſtquam ramum axillarem prompſit, *Carotides.* biſariam dividitur, in *Carotides* duas, id eſt, ſoporarias, per utrumque colli latus tendentes, & calvariæ baſin petentes, ſociis aſperâ arteriâ, & venis jugularibus internis: antequã illùc peveniant, duos faciei ramos largiuntur, cordis pathematum proditores; ex quibus multifidi collo, capiti, laryngi, hyoidi, lingvæ, radici dentium, auribus, temporalibus muſculis, capitis cuti, & muſculis communicãtur ſurculi. Ex iisdem carotidibus, cerebro vivificando communicatis, torcularis poſteriorem partem, non ſupra ſphœnoidem, ut *Galeno* placuit, generatur plexus, ſeu *Rete mirabile*. *Rete mirabile.*

Aorta deſcendens. Et hæc de aörta adſcendente: quæ deſcendens ſiniſtrorſum flectitur, vertebrarúmq; corpori connexa, arterias promit *coſtarum interſtitiales*; & hinc *Intercoſtales.* iterum alias ſpinalis medullæ vertebrarum, & muſculorum thoracis poſteriorum: ubi verò ad ſeptum transverſum pervenit, biſariam, dextrorſum ſcilicet, & ſiniſtrorſum, ſecatur, per ipſum ſepti corpus, & tandem ſpinæ adhærens usq; ad ultimam vertebram fertur.

Poſtquam ſeptum transverſum præteriit, non perforavit, ad veſiculam fellis, lienem, ventriculum, omentum, pancreas, colon inteſtinum, inteſtina gracilia, meſenterium, donec binas *Emulgentes* gignat, irrigat. *Emulgentes.*

Paulò infra venas emulgentes, arterias producit *ſeminales*, in viris ad teſtes, *Seminales.* in fœminis ad uterum usque, à quibus arteriæ fœtûs *Umbilicales* oriuntur, productas: *Umbilicales.* infra ſeminales haſce, inteſtino recto, meſenterio, ilio inteſtino, & extremæ podicis (unde etiam arteriæ *Hæmorrhoidales*) *Hæmorrhoidales.* vertebræ, ſpinali medullę, dorſalibus muſculis, veſicæ, uteri cavitati, coxendici, oſſi pubis, penis, unde erectio fit, deferuntur. Harum arteriarum reliquum interſtitii ſemoris muſculoſis partibus, usque ad genu cedit in alimentum. Ex veſicæ arteriis ramuli quidam per ſoramina oſſis ſacri, ſpinalem medullam, & muſculos femori inſervientes, diſſeminantur. Ex magnæ hujus arteriæ reflexione recti muſculi, ſupra umbilicum, & reliquum abdomẽ, vitales trahunt ſpiritûs. Ultimi duo majores rami, crurum alumni, ſupra quintum lumbalem cruris flexorem, & ſupra pubis os, ad omnes muſculos cruris, pedis, & digitorum, usque ad extremitatem; poſtquã arteriolas quaſdam ad ingvinum glandulas, ſcrotum, & penem, ſub cute miſerunt, propagantur. Hæc de Arteriis.

Quæſtiones. I. Qu. 1. Cur in arteriis plus aqueæ ſubſtantiæ, quàm in venis, reperitur? ℞. quia ſangvis arterioſus majori indiget contemperatione; deinde quia ex arteriis emulgentibus fit excretio ad renes: tertiò quia his adjuncta ſunt vaſa illa lymphatica, humorũ aqueorũ receptacula.

Objectiones. 1. Obj. 1. Si in corde fieret ſangvificatio; ergo etiam ibidem deberet generari bilis,

biliſ, aliique excrementitii humores: ibi enim generatur excrementum, ubi fit concoctio: ſed, uti aſſeritur, in corde fit vera ſanguinis concoctio: ergo ibi etiam debebit generari excrementum. ℞. Excrementum generatur in corde, tanquam in vero generationis loco; concedo: tanquam in loco excretionis; nego: idem putandum & de Urinis.

2. Obj. 2. Ibi generatur urina, ubi ſecernitur: ſed in hepate ſecernitur: hoc ſiquidé verum dicitur viſcus ſecretionis: ergo in hepate generabitur urina, & reliqui humores. ℞. ſecretionis urinæ locum eſſe renes; generationis cor: quamvis hepar prævias faciat diſpoſitiones; non tamen per venas tendunt humores ſeroſi ad renes, ſed per arterias emulgentes.

3. Obj. 3. Saltem bilis videtur generari in hepate: nam veſicula fellis hanc immediatè attrahit ex hepate. ℞. bilis generatur in hepate, tanquam in loco excretionis; concedo: tanquam in loco generationis primario; nego.

4. Obj. 4. Quicquid aliquid attrahit, id facit, ut eo fruatur: ergo veſicula fellis non attrahit bilem; quia ea frui non poteſt, utpote excrementitiâ. ℞. frui eſſe duplex: unum quoad ſubſtantiæ communionem; alterum quoad familiaritatem: veſicula fellis bilem non attrahit, ut eâ fruatur quoad ſubſtantiam; ſed tantùm quoad familiaritatem.

II. Qu. 2. Unde fit, quòd pervia bilis demeacula ſerum & ſanguinem excludunt? ℞. id provenire à cribralium demeaculorum varietate, & colandorum humorú diverſâ configuratione: ſicut aqua regia ſeſe in ☽ inſinuat; non verò in ☉. Quin & fruſtra foramini circulari triangulare corpus, æqualis altitudinis cum ejus diametro, conamur intrudere.

III. Qu. 3. In affectus cordis, metu ſc. ira &c. per quas vias movetur ſanguis ad cor? ℞. per venas: ſi enim per arterias moveretur, pulſus ceſſaret: deinde impediunt valvulę.

IV. Qu. 4. Cùm cor, ſecundú hanc ſententiam, generet ſanguinem, ſine dubio etiam alios humores alimentarios generabit; utpote bilem, pituitâ &c. cùm tamen, ſecundum Gal. *de atra bile, c. 8.* pituita genertur in ſtomacho; ſecundum Hipp. in cerebro. ℞. ſi per pituitam intelligas aliquid pituitæ ſimile, concedo, in ſtomacho generari: ſi humorem alimentariú, nego. Ad Hipp. quod attinet, cerebrum eſt pituitæ principium receptionis; concedo: effectivum emanationis; nego. Sanguinem, in genere ſumptum, generari in corde, eſt non tantùm Ariſt. *locis cap. præc. citatis*, ſed etiam Hipp. *l. 4. de morbis*, ubi ait, & *ſanè ſanguinis fons eſt cor; pituita caput; aqua ſplen; veſicula fellis bilioſi humoris.* Quo tamen loco reliquos humores, præter ſanguinem, intelligit excrementitios in principiis receptionis.

Caput XII.

de Cerebro, Membranis ejus, Spinali Medulla, & Nervis.

Situs, figura, ingens ad hoſpitandam divinæ mentis particulam, Animam, inſtrumentorum, munimentorum, & organorum apparatus, atria, porticus, thalami, ante ſummi veluti principis penetralia fabricati, partem eſſe principem *Cerebrum*, apertiſſimè demonſtrant; ab hoc enim ſenſus & motus actiones nobiliſſimę prodeunt. *Cerebri dignitas, & anatome.* Cerebri ſubſtantiam, amoto cranio, mediatè cingit membrana ſat craſſa, & dura; quæ *Dura mater* vocatur; *Dura mater.* cui ſuccedit media, inter duram meningem, & cerebrum, *Pia mater* *Pia mater.* relicto tamen ſpatio, cerebri ſyſtolen & diaſtolen facilitante. Quod ne videatur paradoxon, in pueris, quibus nativa fontanella nondum eſt occluſa, dubitanti & exploranti patebit. Calvariæ autem per ſuturas nectitur dura mater, ſubſtantiâ ſuâ duplici, pericranei, & membranarum cunctarum origo & fons: intrinſecè verò duplicatæ meninges ipſâ cerebri ſubſtantiâ in dextram, & ſiniſtrâ, ſecant partem: quæ duplicatura anterior *falcis* præbet figurâ, & nomen adipiſcitur: *Falcatus* posterior eſt quadruplicatura cerebri, & *proceſſus.* cerebelli interſtitium. Inter haſce membranas *Sinûs*, ſeu cavitates quatuor ſunt: *Sinus.* ex quibus duæ ad cerebri baſin, ubi patet introitus venis jugularibus internis, ſitæ ſunt; tertia verò cavitas, juxta occipitium, ad apicem lambdoidis ſuturæ, totam capitis longitudinem adæquat, usq; ad naſi radicem, & os ethmoides; quartus ſinus fit à meninge dura quadruplicata, inter cerebrum & cerebellum, loco, quem *Torcular* *Torcular.* nominant: & hi ſunt ſinûs, à dura meninge efformati, ſanguini à jugularibus excipiendo, & in univerſam cerebri ſubſtantiâ diſtribuẽdo, dicati. Immediatum cerebri, & cerebelli, indumentum eſt *Pia mater*, ſub qua mollis, & alba, latet cerebri ſubſtantia; quæ etiam inter medullas referri poteſt.

In medio ferè ſubſtantiæ hujus inveſti-

Ventriculi. gandi occurrunt duo *Ventriculi*: dexter, &
ſiniſter; nò, ara breves, ſed ſinuoſi: ſuperio-
res, ab aliis anteriores dicti, ſpiritui anima-
li generando, vel ſaltem perficiendo, à na-
tura fabricati: alii, quàm qui enumerati
ſunt, eò, quòd illi durâ, tenui hi membranâ
inveſtiantur, per duos hos ventriculos ex-
currunt, plexus choriformes, ſeu reticula-
res, ad ventriculorum initium, quod eſt ſu-
Spirituum animalium perfectio. pra os ſphænoides. Aër per nares attra-
ctus, in cuneali cavitate præparat, in ipſis
ventriculis ſuperioribus, beneficio plexus
reticularis, miſcetur cum ſpiritu vitali, ut
hinc *Animales* generentur *ſpiritus*; vel, ſi
magis placet, perficiantur: quorum uſus
Eorum diſtributio. eſt, in omnes ſensûs influere. Nam poſt-
quam in hiſce ventriculis ita diſpoſit, eſt,
adſcendit ad baſin cerebri, ſeu ad tertium
ventriculum, & quartum, per exiguum fo-
ramen; inde ad dorſi medullam, & nervos
diſpergitur. Supra tertium ventriculum
Corpus calloſum. eſt *Corpus calloſum*, ſubſtantiâ albâ præditũ:
Fornix. cui ſubeſt *Fornix* cerebri, obruturæ ventri-
culos ſubſtantiæ obſtaculum. Hinc inter
dextrum & ſiniſtrum ventriculum inter-
Speculum lucidum. ſtitiũ facit *Speculum lucidum*, tenuis mem-
branæ duplicatura: retro fornicem, verſus
Teſtes: cerebellũ, ſunt *Teſtes*, qui nihil aliud ſunt,
niſi eminentiæ quædam, quibus adjacent
Clunes: *Clunes*, ob figuram ſic dictæ: teſtes ab ante-
teriore ſuâ parte foramen habent, quod
Vulva: *Vulva* dicitur; à qua nõ procul abeſt *Pinea*
Glandula pinealis. *glandula* quædam, cerebri ſubſtantiæ diſſi-
milis: *Penis* etiam quibusdam indigitatur.
Foramen in anteriore parte tertii ventri-
Infundibulum. culi Pelvis, ſeu *Infundibulum* dicitur; quod
in oſſis ſphænoidis ſellam deſcendit, in qua
Glandula pituitaria. glandula quædam *ſpongioſa* reſidet, ad ex-
crementa cerebri excipienda. Ex hoc loco
aſſurgit tenuis illa membrana, quę ventri-
culos cerebri induit. In poſteriore parte
Cerebellum. calvariæ ponitur *Cerebellum*, quod in duos
proceſſus vermiformes, ne quartum ven-
triculum premat, deſinit: ab hoc nervi
penitus nulli, quicquid aſſerat *Galenus*, ori-
Odoratus organum, proceſſus mamillares. ri obſervantur. *Odoratûs organum* effici-
unt *Proceſſus mamillares*, tenui membrana
involuti; deſinuntq; in duas partes ſat craſ-
ſas & nervoſas, à baſi cerebri exili propa-
gine exortas, os ethmoides ſpectantes: ab
hiſce odorum attractorum fit judicium.
Nervorum deſcriptio. *Nervus* eſt organum, quo ſenſus motusque
ad corpus univerſum defertur: figura eſt
oblonga & teres, ſubſtantia intus mollis, &
Diſtributio. poroſa: principium emanationis eſt à baſi
cerebri, prope tertium ventriculũ: ex hoc
emanationis fonte dextrorſum tendunt, *Nervorum à cerebro prodeuntiũ numerus.*
& ſiniſtrorſum, *paria ſeptem*; ſecundum il-
lud: *optica prima videt; movet altera, tertia*
guſtat: quartaq; quinta audit; ſexta eſt vaga;
ſeptima lingua: id eſt prima conjugatio, ſeu
porus opticus maximus, & molliſſimus, in
progreſſu conjungitur, per medullæ con-
fuſionem: deinde disjunctim per calvariæ
foramen in oculi centrum inſeritur, & in
tunicam reticularem implantatur: ſecun-
da conjugatio oculorum motioni eſt dica-
ta, quia eorũ muſculis, aperienti, attollenti,
ſeu ſuperbo, amatorio, indignatorio &c.
per varios ſurculos communicatur: ter-
tium par, à media cerebri baſi, prope glan-
dulam pituitariam, ortum, & linguę inſer-
tum, *Guſtatus* efficit *organum*; multis tamẽ *Organum guſtûs.*
faciei partibus, utpote crotaphitis muſcu-
lis, maſſeteribus oculorum, & frontis priùs
ſeſe communicat: quarta ſocietas partim
ad palatum, partim ad linguam, junctim
cum tertiâ perficit guſtatus organũ: quin-
ta audit, & in auris tympanũ ſeſe inſinuat;
præterquam quòd ramulos quosdam ad
laryngem, & os hyoides, mittat; unde aper-
to ore clariùs audimus; ob hoc, quòd fau-
ces & aures habent commercium; hinc à
nativitate ſurdi ſunt, etiã naturaliter mu-
ti, non ideò, quòd dialectos audire nõ poſ-
ſint, ſed ob nervi 5ti paris deſtructionem.
Hanc eandem ob cauſam, & ſympathiam,
ſi tympanũ auris fricetur, tuſſis excitatur.
Sextum par, eò, quòd per omnia ferè viſce-
ra (ad ſtomachi quoq; orificium ſuperius;
hinc cardiaca paſſio: ad epiglottidẽ; hinc
nervi recurrentes, & vocales dicti) divage-
atur, *Vagum* nominatur: ſeptima conjuga-
tio loquelam format, ferturque ab occipi-
tio, & initio ſpinalis medullæ, ad linguæ, &
laryngis, muſculos. Tanquam à mari flu-
men, ita medulla ſpinalis, tanquam longũ
quoddam cerebrũ, id eſt fiſtula ſacra, velut
caudice à cerebro oritur: habet autẽ ſuas,
velut cerebrum, medulla ſpinalis menin-
ges: habet ſua oſſa, quibus munitur ab op-
preſſione: maximam habet exiſtendi ne-
ceſſitatem, ſiquidem omnes à cerebro im-
mediatè oriri nervi non potuerunt.
Licet innumeras nervorum propagi- *Nervorum, à medulla ſpinali prodeuntium, numerus.*
nes Lynceis oculis obſervare liceat; *triginta*
tamen *paria* nervorũ, ab ipſa medullâ ſca-
turientia, ſtatuuntur; cervicis utpote ſe-
ptem: dorſi 12: 5. lumborum: 6. oſſis ſacri.
Tria ſuperiora cervicis paria capitis colli-
que muſculis ſuppeditantur; quartum cer-
vicis & ſcapulæ muſculos petit; quintum,
ſextum,

Digitized by Google

ſextum, & ſeptimum, in brachia excurrunt. Notandum præcipè, ubi ad ſcapulæ proceſſum internum perveniunt, eodem loco venam baſilicam, & axillarem arteriam, coire: ideóq; hic de vulneris periculo majori Anatomiæ peritus judicare poterit; idem de venâ cubiti medianâ judica, cui ſubſtratus eſt nervus. Dorſi medulla duodecim paria ſubminiſtrat, membranis pectoris, dorſi, coſtarumq; muſculis dicata; licet duo ſuperiora brachii miniſterio emancipentur: lumbis quinque paria aſſignantur, reliquis majora: primum par, ad principium ſepti tranſverſi ortum, à corporibus vertebrarum ad muſculum lumbalem, & dorſum, diſſeminatur: ſecundū par quinq; primis femoris muſculis, tibiæ ſexto, & primo teſticulis &c. communicatur: tertium in genu mittitur, dein venam ſaphenam ſequitur; quartum par in ingven, penem, ſcrotum, omnes anteriores muſculos, qui partim tibiæ, partim femori, famulantur; quintum par gyrat femur; & ramos alios ad veſicam, in fœminis ad uterum mittit. Oſſis ſacri medullæ paria ſex adſcribuntur; quæ, diſcriminatim orta, tandem in magnum caudicem coëunt; qui in extremum usque pedem, & digitos ejus, exporrigitur, motumq; & ſenſum impertitur. Et hæc eſt breviſſima capitis, cerebri, & nervorum, adumbratio.

Objectiones. I. Obj. 1. Hipp. *libello de corde*, ait, animam hominis in dextro cordis ſinu eſſe ſitam, & reliquæ animæ imperare; ergo cor, non caput, erit præcipua animæ rationalis ſedes. Reſp. dum Hipp. animam in corde ponit, loquitur tantùm more vulgi, ut ſolet ſæpiſſime; at vulgus animam in corde ponit; vel per animam intelligit principes animæ inſtrumentum, calidum ſcilicet innatum, idem *l. 1. de diæta*, intelligit. Quòd autem hæc vera ſit ejus mens, patet, ubi, *eodem libello de corde*, ait, quòd animam pauciſſimo ſangvine, & maximè defæcato, nutriri velit: hîc veram animam non intelligit: ergo calidum innatum: *libro de morbo ſacro*, cor nihil ſapere affirmat, omnia vult eſſe in cerebri poteſtate: cerebro, inquit, intelligimus, deliramus &c. cùm aut calidius fuerit, aut ſiccius, aut frigidius.

Quæſtiones. I. Qu. 1. Utrùm facultates principes ſedibus ſint diſcluſæ. Reſp. Negativè: veluti in una eademq; oſſis particulâ diverſæ ſunt facultates, attractrix, retentrix, aſſimilatrix, & expultrix; quarū licet una lædatur ſine læſione alterius; nemo tamē dixerit, ſedibus eſſe diſcluſas: ergo idem ſentiendū erit de facultatib' principibus.

II. Obj. 2. Gal. *libello de oculis*, phantaſiam in anteriore parte cerebri; rationem in medio; memoriam in poſteriore collocat: Reſp. Nos libellum illum Galeni germanum eſſe negamus. Inſtabis, *Galenus*, in læſa imaginatione, medicamenta ſyncipiti admovet: ergo neceſſario exiſtimat, ibi imaginationis eſſe ſedem. Reſp. idē facere *Galenum* in omnibus penè cerebri affectibus, ut caro, apoplexia, phrenitide, melancholia; uti videre eſt in *methodo, & 2. de compoſ. medicament. ſecd. locos*, non ratione diverſarum ſedium, ſed ut vis medicamenti ad interiores cerebri partes citiùs permeet, ob cranii tenuitatem, & ſuturæ coronalis raritatem.

III. Obj. 3. Si facultates principes ſedibus nō ſint diſcluſæ, cur ſinuum alii aliis ſunt nobiliores, ſecundum *Gal. l. 9. de locis affect. c. 5.* & *l. de uſu partium* defert principatum poſteriori, & medio ignobiliores vult eſſe anteriores: tum rurſum, *c. 6 l. 7 aph. secundum Hipp. & Platon* anteriorum ſinuum vulnera periculoſa, medii periculoſiora, poſtremi periculoſiſſima ſcribit: quod ſane non ratione ſtructuræ, temperamenti, & ſubſtantiæ cerebri contingit; cùm hæc omnia ubique ſint ſimilia; ſed ratione facultatum in ſinibus contentarum: R. tertiū & quartum ſinū nobiliores eſſe, nō quòd in iis nobilior inſideat facultas; ſed quòd in iis perficiatur ſpiritus animalis: ut quanto cor pulmone, liene hepar, ſiniſter cordis ventriculus dextro præſtat; tantò poſteriores cerebri ſinus prioribus excellant.

Qu. 2. A quo præcipuè dependent principes cerebri actiones? an à temperamento: an ſtructura & conformatione? Reſp. cauſam functionum cerebri nec ſolam eſſe temperiem, nec mirabilem ſtructuram; ſed animam intelligentē; quæ tamē utramq; cauſam admittat (ſtructuram, & temperamentum: adeoq; eſt mixta actio ex organica & ſimilari: qualis eſt cordis, & ventriculi: cor enim pulſum non tantùm per temperiem exercet, ſed etiam per organizationem: ſi enim excavatum non eſſet, contrahere ſeſe non poſſet. II.

Qu. 3. Utrum adeò monſtroſum ſit, ut multi putant, illud Ariſtotelis, *l. 2. de uſu cerebr. c. 7.* ubi dicit, cerebrum refrigerādi cordis ergo conſtructum eſſe? Reſp. Negativè: nam Ariſt. hîc univerſaliter locutus non eſt, ſed comparativè, à macro- ad micro-coſmum: ſicut enim terra non parum à ſecunda aëris regione temperatur, utpote, quæ eſt extra reflexionis activitatem: ita cor à cerebro non parum temperatur, ſpiritûs vitales refrigerando; uti bene ait Averrhoes, præcipuè ſuppoſitâ ſanguinis circulatione: &, veluti videmus, magnum æſtum à minutula pluviâ temperari; ita notavimus ſæpiſſime, æſtum febrilem à catarrho, ex cerebro defluente, penitus extingui. III.

Qu. 4. Unde nervi ſuam trahunt originem? R. à cerebro; quia ab eo omnis motus voluntarius, & ſenſus, oritur: ergo & organa motûs ſenſûsq; ab eo procedent; utpote nervi. Quòd autē motus, & ſenſus, à cerebro proveniat, inde patet, IV.

de patet, quòd illo affecto, oppletisq; ejus ventriculis, ut in apoplexia, ſtatim motus ſenſusque pereant: non verò vulnerato corde, vel alia quâvis corporis parte, id evenit: immo nervi ſtructura cerebrum ipſum ſatis repræſentat, ideoq; parvum vocatur cerebrum; utpote quod duabus membranis, velut meningibus, tegitur, & medullâ, ſed magis ſiccâ, & poroſâ.

IV. Obj. 4. Nihil dat, quod non habet: ſed cerebrum ſenſum non habet: ergo nec poteſt dare. Reſp. quamvis Majoris adagium falſiſſimum ſit; uti videre eſt in *P. Martino de Eſparſa. de duplici dominio, q. 49.* diſtingvo Minorem, cum Galeno: cerebrum non ſentit παθητικῶς; concedo: non ſentit ἐνεργητικῶς; nego: organum autem, ex Philoſophi doctrina, debet eſſe ἄποιον, id eſt, omnis alienæ qualitatis expers; ſic in cryſtallino nullus color; in auribus nullus ſonus; in lingva ſapor ſit nullus, & ut cutis, qualitatum, quæ tactum feriunt, æſtimatrix, temperiem moderatam obtineat, neceſſe eſt.

V. Qu. 5. Utrùm nervi motûs alii ſint à nervis ſenſûs: & utrum duri moveant; molles verò ſentiant, ut multis placet? Reſp. eoſdem eſſe nervos motûs, & ſenſûs, prout implantãtur in organa motûs, & ſenſûs: v.g nervus 6tę conjugationis in ſtomacho exquiſitiſſimè ſentit; non movet: quia nulli ſunt muſculi: ejuſdem conjugationis portiuncula, ad laryngẽ recurrens, ejus muſculos movet, & præcipuum vocis organum dicitur: quintæ conjugationis portio audit; portiuncula temporales muſculos movet: nõ ergò alii nervi ſentiunt; alii movẽt: nec ſentiunt, quia molles; nec movent, quia duri.

VI. Qu. 6. Utrùm perire poſſit ſenſus, remanente motu: & è contra: & cur id fiat? Reſp. Affirmativè: peritq; motus, remanente ſenſu, eò, quod ad motum majori ſpirituum copia & robore opus eſt, quàm ad ſenſum: ſenſus autem quandoq; perit, remanente motu; nervis ſenſoriis læſis, motoriis verò integris. Arculanus inquit, plus, ad ſentiendi vim labefactandam, facere intemperiẽ calidam; frigidam v ad movendi facultatem: humido enim madẽtes nervi ad motum; reſiccati ad ſenſum inepti ſunt.

VII. Qu. 7. Cur phreniticis minuitur ſenſus, motu validiſſimo exiſtente? Reſp. hoc fieri ob reſiccatos nervos; ſiccitas enim facit ad motũ; mollities ad ſenſum: cùm autem hæc minuatur, etiam ſenſus diminuitur: ob eandem ferè cauſam; atro ſcilicet humore reſiccatis nervis, minuitur ſenſus, illæſo motu.

VIII. Qu. ultimò: Cur ſenſus tactûs in extremis ſit validior; & prope cerebrum, innuchâ nempe, debilior? Reſp. cum Galeno, qui, *7. de Placitis*: nervi, inquit, quò longiùs ſunt diſſiti, eò magis horum principium de iis ſollicitum eſt: ſic parentes abſentium liberorum ſollicitudine magis anguntur, quàm præſentium: alii putant, fieri in extremis partibus reflexionem ſpirituum, & ingeminari, ob acutos angulos: vel etiam dici poteſt, majores eſſe ſenſûs in extremis, eò quòd in ſolutione continui plurium partium à ſuo principio fiat disjunctio; idque tranſverſim.

CAPUT XIII.

De internis Partibus inferioris Ventris.

OMnes inferioris ventris partes, quæ à cartilaginoſis coſtarum extremis, ſive hypochondriis, aut præcordiis, ad ilia, ingvina, & pubem, extenduntur, velut burſa, involvit *Peritonæũ*, membrana ampliſſima, & robuſta, licet tenuis & mollis: quod, à ſpinâ ortum, diaphragmati & pubi connectitur; ejuſq; ad ingvina proceſſum dilatatio *herniæ* ſpeciem generat. *Peritonæum.*

Diſſecto hoc involucro, in conſpectum venit *epiploon*, id eſt, *Omentum*, quod inteſtinis innatat; ortum habet à ſpinâ, ſub diaphragmate. *Figura* eſt marſupii: *ſubſtantia* eſt adipoſa, venis & arteriis exilibus notata: *uſus* eſt, ventriculi, & inteſtinorum, calorem fovere. *Omentum.* Depoſitâ hâc crumenâ, patent *inteſtina*, & *ventriculus*, chylificationis officina; cujus *ſitus* eſt infra ſeptum tranſverſum, initiumq; ducit à malo Punico, cujus ſuperior pars ad ſiniſtram; inferior, licet eandem ferè axem & elevationẽ obtineat, ad dextram inclinat: *capacitatem* internam ſat magnã habet, magiſq; dilatari poteſt: *figura* nõ eſt perfectè ſphærica, ſed, inſtar fiſtulæ paſtoralis, Gallicè *cornemuſe*: *ſympathiam* ſortitus eſt, & *connexum*, cum jecore, liene, corde, cerebro, inteſtinis, faucibus, & ore, per *Oeſophagum*; qui eſt ductus oblongus, cibis, in ore maſticatis, devehendis à natura dicatus: inferius ejus orificium *Pylorus* dicitur: eſtq; exitus ad *inteſtinum, duodenum*, à digitorum 12. extenſione dictum, & *ſitum* infra jecur, venamq; portæ. *Ventriculus.* *Oeſophagus.* *Pylorus.* Hoc proximè ſecundat *Jejunum Inteſtinum*, ſic dictum, eò, quòd non diu retineat contẽta, ſed per venas lacteas, quod utile eſt, inutile verò per alvum, copiâ bilis ſtimulatum, quantocyus amandet. *Inteſtina: Jejunum.* Hoc *Duodenum* magnitudine ſua nõ parum ſuperat: idq; excipit *Ileon*, ex omnibus aliis longiſſimũ, anfractuoſũ, & maximè gyroſum, totam ferè umbilicalem regionem, ad ilia uſq;, obtinens. *Duodenum.* *Ileon.* Huic ſuccedit *Cæcum* ſic dictũ, ob ſaccum quendam, reni dextro inſidẽtem, quo ſuperiori ſuâ parte donatũ eſt; ubi primò fęces dicuntur excrementa. *Cæcum.* Huic adnexum eſt *Colum* inteſtinum, multis cellulis diſcretum, colore flavum, ob vi- *Colum.*

ciniam

ciniam veſiculæ fellis: ventriculo ſubſtratum, in ſiniſtro hypochondrio, lieni adhærens, & ad poſteriora reflexum, reni ſiniſtro ſeſe jungit. Deniq; & inteſtinorum agmen, & alvum, ſuo ſphinctere claudit *inteſtinum Rectum*, ſic dictū, quòd rectà ad podicem tendat. Sciendum a. eſt, partes haſce enarratas ab ore, usque ad podicem, duplici conſtare tunica, & fibris, ſecundum longitudinem, quæ totius corporis longitudinem ſepties adæquat, e xporrectis, exceptis externis, in transverſum, ad motum periſtalticum exercendum accommodatis.

Rectum.

Sex itaq; ſunt inteſtina, tenuia tria, & craſſa totidem, quæ omnia *Meſenterio* alligantur: hoc vertebris connectitur, eſtq; nihil aliud, quàm plurima vaſa, utpote venæ, arteriæ &c. copioſâ pinguedine, & glandulis, veſtita.

Meſenterium.

Paulò ſupra meſenterium ſitum eſt *Pancreas*, quod potiùs menſenterii videtur eſſe productio, ſeu appendix, quàm aliud quippiam, plurimis glandulis, & *ductu Wirſungico*, ad venas & arterias fulciendas, præditum. *Ductus* autem iſte *Wirſungicus* eſt pancreatis, per adenes ſuas cænoſam ſanguinis chyliq; humiditatem imbibentis, veluti ſentina & emiſſarium, quod copioſam excrementorum colluviē in inteſtinum duodenū, non procul à poro cholidocho, reponit.

Pancreas.

Ductus Wirſungianus.

De jecore, venis lacteis, meſenterio, & portæ propaginibus, hactenus. De *veſicula fellis*, cavâ hepatis appendice, & receptaculo bilis, afferendum eſt, duobus ductibus, uno, à jecore, ad ipſam veſiculam fellis; altero, ab ipſa veſicula, ad inteſtinum duodenum, quibusdam, ſed malè informatis, ad ventriculum ferri: *uſus* hujus eſt, ut eâ ſtimulentur ad excretionem inteſtina. Nota; veſiculam hanc nō rarò ſubnigris calculis tumere.

Veſicula fellis.

Lien, inter parenchymata non minimum, *ſitum* eſt in hypochondrio ſiniſtro, è regione jecoris, vel paulò infra, calido & humido temperamento præditum, eſt coloris lividi, ſaporis acidi, parte ſuâ ſimâ ad hepar & ventriculum accedit; *figuram* habet oblongam, lingvæ bovis non abſimilem; *ſubſtantiæ* mollis, & ſpongioſæ, venis & arteriis plurimis diſcretæ, peritonæo alligatur, omento, lumbis, pancreati, diaphragmati, & reni ſiniſtro, per peritonęi interuentum: *uſus* eſt, ut id, quod ſanguini acidum ineſt, tanquam familiare, non tamen ut alimentum, ex arteriâ cæliacâ, &, per vas breve, ex ventriculo attrahat, & hinc ad renes, per arterias emulgentes, mittat. Hanc ob cauſam Valleſius, *in 7. ejsdem comm.* multo potu lienoſos lædi, ait.

Lien.

Ad *Renes*, & *Veſicam*, nos ipſa rerum ſeries accerſit, lumborū regionis utrinq; muſculis, quos pſoas vocant, incubātes: iisq; peritonæi tunicâ juncti, incolunt *renes* duo, attrahendo à ſanguine ſero miniſtri: quà venæ cavæ deſcendentis truncum ſpectant, cavi ſunt, verſus ilia verò gibbi: *ſubſtantia* eſt compacta, & denſa, adipe circumvelata, in quam vena, & arteria implantantur: in medio cavitas, *incerniculum* dicta, quædam eſt, propriâ membranâ obducta; cujus uſus eſt, urinam colare.

Renes.

Ex altera renum parte oriuntur *Ureteres*, ſeu viæ urinæ, veſicam obliquè ingredientes, per quas urina à renibus ad veſicam ducitur.

Ureteres.

Veſica eſt urinæ receptaculum, quaſi microcoſmi Oceanus, aut naturæ lagena, ejus patens arbitrio, *ſita* in coxarum antro, infra pectinis os, recto inteſtino affixa, & coxæ membranæ interjectum adhærens: hanc etiam peritonæi cingit proceſſus: fundo veſicæ adhærens viſitur *Urachus*; per quem geſtationis tempore urina à veſica ad umbilicum regurgitabat, dum adhuc expultrix feriaretur. Veſicæ *cervix* eſt carnoſa, per muſculum, *ſphincterem* dictum, ejusdem quaſi portitorem: longitudo eſt in viris major, quàm in fœminis.

Veſica.

Urachus.

Teſtes, ſeminalis facultatis ſedes, *ſubſtantiam* habent mollē, & glanduloſam, *figuram* oblongam, & quaſi ovalem, cavernoſam, ſcroto involutā: in hos tendunt *Vaſa ſeminaria*, quorum dextrum ex trunco venæ cavæ; ſiniſtrum ex emulgente oritur: comites habent hæc vaſa arterias, eandem nactas originem, unà cum exilibus nervorum ſurculis, ſextæ conjugationis propaginibus: tendunt hæc vaſa ſupra ilia, & ſupra pectinem, per inguina in ſcrotum, ea tegente duplici peritonæi tunicâ: non per totū ductuum ſpatium eſt ſemē, ſed tantùm in media parte; media pars ſiquidem rubeſcit, ſanguinis ſpeciem referens. Notandum; vaſa ſpermatica ipſam teſticulorum ſubſtantiam non ingredi, ſed tantùm ſeſe in epididymin exonera-

Teſtes.

Vaſa ſeminaria.

onerare; quæ eſt involucrum mollius, teſticulis incumbens: ex hac fit vaſorũ reflexio, ad pectinis os, usque ad inferius coxæ ſpatium, veſicæ cervici ſeſe jungentium, quam usque ad penis radicem comitantur; ubi dextrum cum ſiniſtro jungitur; ab uracho tamen disjunctim. Duplicia ergo ſunt teſtibus vaſa; alia deferentia, alia ejaculantia, quæ etiam *Paraſtatæ* dicuntur, & per peritonæi duplicatam productionem remeant, in quâ dum fit dilatio, *Hernia* cauſatur. Nota tamen, in omni enterocele, & epiplocele, tunicam interiorem neceſſariò disrumpi, externam verò ſolùm laxari. Humanæ procreationis ager eſt *Uterus*, ſeu *matrix*, ſuſcipiendo conſervandoque ſemini, & fætui, à divino plaſte formata, ſimplici tunicâ, ſed craſsâ, denſâ, & carnoſâ, omnique fibrarum genere conſtans, & quodammodo pyriformis; ſuperiùs, ob *Tubas*, quaſi lunata. Dividitur in *fundum, cervicem*, & *vaginam*: *Fundus* eſt ſuperior pars, in non gravidis cornuta: *Cervix* eſt, ubi in anguſtiam deſinit: cui *Vagina* continuatur, canalis mollis, & rugoſus: in hanc, parte anteriore veſicæ, uterus deſinit; poſteriùs inteſtino recto fortiter adnectitur: poſtea ſequitur *Pudendum*, in quo externa ſunt labia, & carnoſæ productiones, ſive *Nymphæ*: inter alas eminet *Clitoris*, malum Arabibus, & Ægyptiis endemium. Corpus teres, quaſi mediaſtinum, in illibatis apparet, quod *Hymen* appellatur. Sua habet uterus *vaſa præparantia*, venas, & arterias, quæ ad uterum per *Tubam* feruntur. *Teſtes muliebres* adenoſi ſunt, ſimplici membranâ teguntur, unum habent canalem ad uteri fundum; ex quo alius exilis ad cervicem derivatur: hinc etiam gravidis eſt delectatio. Epididymidibus, & paraſtatis, carent mulieres. *Tubæ* ſunt vaſa ſemen aſſervantia, & excernentia, corpora rotunda, ab uteri fundo protenſa, & membranis duabus compoſita. *Vaſa* uterus plurima adeptus eſt; venas ab hypogaſtricis, & vaſis præparantibus, arterias comites, nervos, ligamenta robuſta, ſed laxa: ob ligamentum primum matricem ilium oſſibus alligat, inſtar alarum veſpertilionis figuram obtinens: ſi hoc laxetur, uteri fundus procumbit ſupra vaginam; vel hernias cauſat, dum per latera fertur: ſecundum ligamentum eſt rotundum, & nervoſum: hæc duplici conſtant membranâ: oritur ab uteri fundo: ſupra pubis os in membranam degenerat; & ita fundum uteri partibus anterioribus jungit.

Paraſtatæ. Uterus. Tubæ. Fundus. Cervix. Vagina. Pudendum. Nymphæ. Clitoris. Hymen. Vaſa præparantia. Teſtes muliebres. Tubæ. Vaſa.

Caput XIV.

De internis Partibus ſuperioris Ventris, ſeu Vitalibus.

De cordis regione, hujus quaſi Monarchâ, dictum eſt: partium illi miniſtrantium reſtat explanatio. Atria ſunt *Os*, & *Palatum*, guſtûs organum, multis aſperitatibus ſcabrum: à cujus extremo dependet *Columella*, vocis plectrum, ſeu gurgulio. Oſſi hyoidi utrimque adſtant *Tonſillæ*, ſeu *pariſthmia*, partes ſpongioſæ, & humidæ (afficiuntur in lue Venerea affectis, ſicuti muſculi capitis depilantur) aſperæ arteriæ, faucibus, & pulmonibus, irrigandis accommodatæ.

Mentis nuntia eſt *Lingua*, in *ſubſtantiâ* laxa, rara, novem conſtans muſculis, cum ſubdito freno, & venis duabus, ranis dictus, arteriis, & nervis. Aſperæ arteriæ tegumentum eſt *Epiglottis*, laryngis, ſummi arteriæ aſperæ capitis, operculum; efformantur ad laryngis latera appulſæ voces: epiglottis verò clauditur, & aperitur, in reſpiratione; eſtque ciborum in laryngem ingreſsûs obſtaculum.

Hanc ſequitur *Aſpera Arteria*, faucibus, ſeu œſophago, adhærens, quâ ſpiritus in pulmones deducitur: hæc partim membranis, partim cartilagine, obducitur: membranis copulantur cartilagines, litteram C referentes, nec perfectos orbes habentes; ſiquidem parte, quâ gulam accedunt, poſteriore ſolâ contentæ ſunt membranâ, ut craſſioribus bolis daretur in ſtomachum deſcenſus: hoc intelligitur ſupra claviculas, quia infraſtatim diſcriminantur.

Tendentiæ hujus, ſive aſperæ arteriæ terminus ad quem eſt *Pulmo*, cordis quaſi pulvinar, ſpirandi officina, qui hauſtum inſpiratione aërem præparat, cordique offert, ut illo calor innatus

Os, & Palatum. Columella. Tonſillæ. Lingua. Epiglottis. Aſpera Arteria. Pulmo.

innatus eventiletur & attemperetur, vitaliſque ſpiritus tum generetur, tum foveatur: *Subſtantiâ* eſt rarâ, molli, levi, & ſpongioſâ, aere faciliſſimo negotio, impregnabili: *figurâ* ferè ungulam bovis refert, teſte autopſia: *magnitudo* tanta eſt, ut, aere impletus pulmo, thoracis impleat inanes ſinus, vertebris dorſi, & oſſi pectoris, per *Mediaſtinum*, quod plevræ potius continuatio, ductibus conſtans geminis, quàm aliud, eſſe videtur, ligatur: per id bifariam ſecatur, & diſtinctur, unà cum corde: utraque pars ſuos habet lobos: tertio vaſorum genere colligatur pulmo, & cohæret venâ arterioſâ, arteriâ venoſâ, & aſperâ arteriâ, quam aer ad pulmones attrahitur, & vox articulatur: hæc immiſſo ſpiritui, & emiſſo, aſſiduè patula eſſe debuit: hinc tubi durities, & ſiccitas, ad vocis clangorem facit.

Mediaſtinum.

Diaphragma, ſeu *ſeptum tranſverſum*, abdomen & pectus interſtingvit: duplici conſtat *ſubſtantiâ*, muſculoſâ in margine, & membranoſâ intus; in dextrâ parte venæ cavæ tranſitum dat, in ſiniſtrâ, gulæ; & ubi, ad vertebras lumborum, prope chyli receptaculum, quod etiam premit, & in chylo excernendo juvat, carnoſas facit productiones, aortæ deſcendenti, & venis lacteis aſcendentibus, tranſitum præbet: *figura* eſt ferè circularis, ſitum habens, à vertebris lumborum, ad coſtas nothas, ambitum, & nexum; mediâ ſuâ parte, eâque nervoſâ, *Pericardio*, ſeu cordis involucro, connectitur. Eſt autem diaphragma reſpirationis neceſſarium inſtrumentum, alvinaſque fæces exturbantibus abdominis muſculis opitulatur: inferioris cloacæ fætorem à thoracis puriore ſede arcet: hoc, uti in hydrope, compreſſo, vel vaporibus moleſtato, oritur dispnæa, ſeu difficilis reſpiratio. Quod in infimo ventre eſt peritonæum; hoc in thorace eſt *Pleura*, membrana coſtas ſuccingens, quæ omnem thoracis capacitatem obducit, inter quam, & coſtas, congeſtus humor facit plevritidem; nec infrequens eſt, ob vaſorum, quibus intertexta eſt, multitudinem: ſique fiat materiæ ſuppuratio, ſecundum Hipp. *5. aph. 8. quicunque plevritici facti, intra 14 dies non repurgantur, his ad ſuppurationem tranſitus fit*, pus collectum vel in pulmones tranſfunditur; vel in cavitatem thoracis defluit: unde Empyici, etiam ab angina, ſecundum Hipp. *aph. 10. ſect. 5.* Et hæc de Anatomia, breviter adumbrata, ſufficiant.

Diaphragma.

Pericardium.

Pleura.

Caput XV.

De Sanitate.

Sanitatis definitio.

SAnitas definitur à Varandæo, *1 par. te Phyſ. univerſ. c. 3.* quòd ſit diſpoſitio naturalis partium corporis, quæ per bonam partium ſimilarium temperiem, organicarum convenientem ſymetriam, & ambarum unionem, reſultat, & functionum laudabilium cauſa exiſtit. Deducitur item hæc definitio ex Galeno, *l. 1. de morb. diff. cap. 1.* item ex Hipp. *lib. de natura humana*, dum ait: ſanus itaque maxime eſt, ubi temperamentum hæc inter ſe habuerint moderatum tum facultate, tum copia, & ubi maxime fuerint permixta: ubi temperiem, unionem, & compoſitionem, requirit, ut ſanitas reſultet.

Nota primò: ſanitatem, uti & morbum, ut poſtea dicetur, ſumi *dupliciter*: primò *fundamentaliter*, ſeu *materialiter*: ſecundò *formaliter*: eſtque ea diſpoſitio, quæ à ſanitate pro materiali reſultat; & ſic eſt una ſimplex qualitas, utpote quæ ponitur ſub aliquo prædicamento, tanquam determinata illius ſpecies univocata, & incomplexa; uti docet Ariſtot. *in antepraedicamentis*. Sed ſanitas, & morbus, ponuntur in prædicamento qualitatis, tanquam ſpecies determinatæ; & ſanitas debet eſſe ſimplex qualitas, ad quam, teſte Ariſt. *lib. 5. phyſ.* per plura capita non datur motus per ſe, ſed producitur per reſultantiam, velut paſſiones ad productionem eſſentiæ. Nam Ariſt. *loco citato*, dicit, ad tria tantùm prædicamenta dari motum per ſe, quantitatem ſcilicet, qualitatem, & ubi; & de qualitate aſſerit, quòd tantùm ad tertiam ejus ſpeciem detur motus per ſe: ſed ſanitas eſt diſpoſitio pertinens ad primam ſpeciem: ergo ad eam non datur motus per ſe. Idem aſſerit. *D. Thomas, 7. phyſic. ſect. 5.*

Nota 1a.

Nota

2. *Sanitatis gradus.* Nota ſecundò: *ſanitatis* diverſos eſſe *gradus*, ſecundum quos alia dicitur exquiſitiſſimè talis; alia bona; alia tenuis; alia neutra ſive ex decidentiâ, ſive convaleſcentia: idque probatur ex Galeno *l. artis parva, c. 71.* ubi ait: quò fit, ut tota ſanitatis latitudo in tres partes, quarum quævis latitudinem habet non parvam, dividatur: erit autem prima quidem ſalubrium: ſecunda neutrorum: tertia inſalubrium &c. & patet ex hoc, quòd ii, qui ſanitate fruuntur, vel actiones perfectiſſimas omnes eliciant, vel aliquas, vel mediocriter, vel debiliter: ergo ſanitas evidentiſſimè habet latitudinem.

3. *Cauſæ conſervatrices.* Nota tertiò: *Cauſas* ſanitatis *conſervatrices* eſſe res non naturales; de quibus in ſequentibus: ita Gal. *in arte Medic. c. 84. & 85.* idque probatur ab experientiâ, quia videmus, ex alimentorum uſu, potûs moderamine, excrementorum expulſione, aëris temperie, exercitii debitâ proportione, nos diu ſanitatem conſervare; adeoque res non naturales cauſas eſſe ſanitatis conſervatrices, evidentiſſimum eſſe videtur.

Objectiones. 1. Obj. primò: Conſervatio eſt nova & realis actio: ſed à ſimili in ſimile non poteſt dari actio, teſte Ariſt. *1. de generatione*, ubi ait: *ſimile non agit in ſimile*: ergo cauſæ ſalubres, ſeu res non naturales, non poſſunt eſſe cauſæ ſanitatis conſervatrices. Reſp. Res non naturales non poſſunt eſſe cauſæ conſervatrices per ſe, & directè; concedo, indirectè, nego.

2. Obj. ſecundò: non poteſt reperiri in corpore humano perfecta ſanitas: ergo malè aſſeritur: probatur, quia, ſi poſſet in aliquo reperiri perfecta ſanitas, illud eſſet maximè in corpore ſalubri ſimpliciter, quod ſcilicet tale eſt à nativitate: ſed hoc fieri non poteſt: ergo: minor probatur ex Hipp. *in epiſt. ad Damagetum*, ubi inquit: *totus homo ex nativitate morbus eſt*, taliſque ex maternis uteri inquinamentis prodit: ergo in nullo hominum reperibilis eſt perfecta ſanitas: Reſp. Hipp. non hîc dicere, hominem in actu ſecundo à nativitate morbum eſſe, ſed tantùm in actu primo, potentialiter, ſeu originaliter, & ex ratione principiorum ſuorum, ob quæ facilè in morbos labitur.

3. Obj. tertiò: ſanitas conſiſtit vel in ipſis operationibus, vel in principio radicali, vel proximo: ſed in nullo horum conſiſtere videtur: ergo non datur: imprimis non in humido radicali; quia hoc per totam vitam ſemper eſt idem; ſanitas autem, ſi detur, eſt mutabilis: neque in proximo, utpotè in potentiis; quia, illis etiam integris perſiſtentibus, morbus adeſſe poteſt: denique ſanitas non videtur in operationibus perſiſtere; aliàs dormientes ægrotarent: ergo non datur perfecta ſanitas. Reſp. Negamus: quia in nullo horum conſiſtit ſanitas, ſed in ſuperadditâ naturali diſpoſitione, quâ aptæ redduntur potentiæ ad aptè operandum.

4. Obj. quartò: Toto vitæ decurſu excrementa in corpore noſtro generantur: ergo non eſt perfecta ſanitas. Reſp. In corpore ſano generantur excrementa ex impotentia facultatis; nego: ex ineptitudine materiæ; concedo: ergo non eſt perfecta ſanitas: nego conſequentiam.

5. Obj. quintò: Sanitas nunquam poteſt reſultare ex unitate, conformatione, & temperie: ergo falſò id aſſertum fuit, propter partes quæ continuâ reſolutione, & evaporatione, ſemper amittunt debitam unionem, conformationem, & temperiem: ergo ex iis ſanitas reſultare non poteſt. ℞. ſenſibiliter, concedo, inſenſibiliter, nego.

6. Obj. ſextò: Videtur eſſe malè aſſertum, quòd ſanitas ſit diſpoſitio, utpote qualitas facilè mobilis; cùm ſanitas ſit habitus difficulter mobilis. Reſp. diſpoſitio eſt qualitas facilè mobilis; diſtinguo: ex ſe, concedo, ex modo inhærendi, ſeu ratione cauſæ conſervatricis intrinſecè, nego. Talis autem eſt ſanitas: ergo nil obſtat, quò mitius poſſit ſanitas eſſe diſpoſitio.

7. Obj. ſeptimò: Si ſanitas ex tribus præmemoratis, unione ſcilicet &c. reſultat, quæ ſpectant ad diverſa prædicamenta; quomodo poterit dici ſub diſpoſitione, velut ſub unica ratione formali, conſtitui? ℞. non opus eſſe, ut ſub diſpoſitione pro materiali conſtituatur; ſufficit enim, ſi pro formali.

Obj.

Digitized by Google

8. Obj. 8. Sanitas, & morbus, non videntur ſibi contrariari; quia ſub eodem genere non comprehenduntur; utpote quæ non differunt formâ, & ſpecie, uti album, & nigrum: probatur, quia ſanitas, & morbus, tantùm differunt ſecundum majus & minus; uti patet calore temperato, & immodico: ergo non differunt formâ, & ſpecie ſanitas, & morbus: ℞. ſi argumentum ſit de ſanitate, & morbo, materialiter ſumptis, concedo: ſi formaliter, nego. Quia calor moderatus, & immoderatus, eſt tantùm ſanitas, aut morbus, materialiter ſumptus, non verò formaliter; qui ex illo, velut terminus quidam ſecundarius, reſultat.

9. Obj. 9. Si ſanitas eſt morbo contraria: ergo tantùm erit una ſanitas, & unus morbus; quia unum uni eſt contrarium; teſte Ariſt. *5. metaph.* quod tamen falſum eſt. ℞. erit tantùm una ſanitas, & unus morbus, materialiter utrumque ſumendo; nego: formaliter; concedo: ergo ſanitas, & morbus, non ſunt contraria: nego conſeq:

Quæſtiones. I. Qu. 1. Utrum ſanitas, & morbus, reperiri poſſint in eodem ſubjecto? ℞. affirmativè: ad hoc enim, ut ſe expellant, debent eſſe in eodem ſubjecto.

Qu. 2. Quid ſit corporis color? Reſp. color corporis eſt temperamenti partium corporis, vel humorum, in corpore contentorum, naturalis effectus, qui ſub obtutum cadit. Galenus, *in Arte parva*, dicit, moderatæ temperaturæ indicium eſſe colorem vividum, ex albo cum modico rubro commixtum, & capillos flavos: calidæ verò, rubrum, vergentem ad ſubnigredinem, & capillos ſubnigros: frigidæ, colorem pallidum, vel, ubi frigiditas exceſſerit, lividum aliquatenus: calidæ, & humidæ temperaturæ indicium eſſe colorem commiſtum ex albo, & ſatis rubro: in omnibus autem his inculpatæ ſanitatis indicium eſt luciditas, abſq; fuco; idq; maxime in unguibus, oculis, capillis, cute, linguâ. II.

Qu. ultimò: Quid ſit conſvetudo? ℞. Conſvetudinem eſſe habitum, per multos rerum naturalium actûs, in corpore impreſſum; quâ præditus homo, iis faciliùs uti, antea minus tolerare aſſvefactus eſt. Vide Hipp. *1. aph. 49.* & *50.* III.

ISAGOGES MEDICINÆ

PARS ſeu TRACTATUS SECUNDUS,

CONTINENS PATHOLOGIAM.

CAPUT PRIMUM,

De Morbo.

GAlenus, *2. method.* ait; initium curandi eſſe affectûs dignotionem, quemadmodum finis eſt remedium. Cognitis itaque iis, quæ ſecundum naturam ſunt, cognoſcenda ſunt iis oppoſita; ad quæ fixis ſemper oculis collimandum Medico, nimirum ad corporis partes, in quibus ſunt morbi; ad humores, in quib, cauſæ ſunt morbificæ; ad actiones, in quibus ſunt ſymptomata: quæ tria omnem rerum contra naturam adimplent numerum.

Morbi deſinitio. Horum primum, *Morbus* nempe, definitur à Gal. *l. de diff. morb.* quòd ſit *affectus, id eſt conſtitutio præter naturam, primò, per ſe, & ſenſibiliter, lædens actiones.* Capivaccii, inter affectum & conſtitutionem, non admittimus diſcrimen; ſed accipimus pro diſpoſitione quadam, ſpecie qualitatis facilè mobili, permanente tamen non logicè, ſed artificialiter, & Medicè: licet ex modo inhærendi difficiliùs amoveatur, id ex natura ejus propria non evenit: non autem directè producitur diſpoſitio, ſed, dictante Ariſtot. *7. phyſic.* velut terminus quidam ſecundarius reſultat: uti in productione ſubſtantiæ paſſiones reſultant, & proprietates: diciturque meritò ens reale; cùm ab eodem Ariſt. ſub determinato prædicamento, quali-

tatis ſcilicet, ponatur. Dum *primò*, & *per ſe*, additur, id eſt, quòd immediatè, & nullius alterius interventu, lædat actiones, & ſenſibiliter quidem, Medicè, non Phyſicè, loquendo. Quia actiones ſunt ſuppoſitorum, ſive formarum, optime concluditur, non dari morbos materiæ, ut eſt mollities, craſſities, denſitas; quia formæ eſſentiam non perficiunt, nec ad eam conferunt quippiam. Nota: contra Argentorium, non lædi facultatem, ſed tantùm organa ejus: quia facultas nihil aliud eſt, niſi ſubſtantia partium animatarum, quæ per ſanitatis habitum actiones exercet, eaque abolitâ, & actiones, & vita pereunt. Si ſanitas, & morbus, in gradibus remiſſis, ita, ut non valeant corpora vel ægra, vel ſana, denominare, ſicuti fit in gradibus intenſis, conſiderentur, corpora à Galeno, *in Arte parvâ*, dicuntur neutra; velut aquâ tepida nec ſimpliciter calida, nec ſimpliciter frigida, dici poteſt.

Morbus quotuplex. Ex duplici partium noſtri corporis differentiâ *duplex morborum genus* ſcaturit: aliæ enim ſunt *partes ſimilares*, quibus adſcribitur *morbus intemperiei*; aliæ *inſtrumentales*, quibus *morbus organicus*; &, cùm in his requiratur unio, *tertium morborum genus*, quod vocatur *continuitatis ſolutio*, oritur. Eſſentiales dicuntur, teſte Galeno, *lib. de different. morborum*, quatenus indicativæ curationes inde deſumuntur: quæ autem his ſuperveniunt, minùs communes, accidentales eſſe putantur. Aliæ ſunt morborum differentiæ à partium varietate; aliæ à natura morborum; aliæ ab adjunctis: alia verò *partes ſimilares* afficit, intemperies calida, frigida, humida &c. ſimplex, vel compoſita; quarum illa eſt quadruplex: hæc itidem cum, vel ſine materiâ: *partes organicas* occupat indebita compoſitio, conformatio, numerus auctus, vel diminutus, magnitudo, ſitus, conjunctio indebita: *tertium* denique *genus* eſt *continuitatis ſolutio*; quæ & *morbus communis* dicitur; quia & parti organicæ, & diſſimilari, & ſimilari, evenit, ut vulnus, fractura, caries, fiſſura, ruptio.

Morborum differentiæ.

Ratione partium. Ratione *partium*, quas infeſtat morbus, alius eſt per *idiopathiam*, ſeu per *eſſentiam*; alius *per conſenſum*, ſeu per *ſympathiam*: primus eſt parti proprius; minimè ſecundus; qui ob aliam partem laborantem ſeſe in aliam inſinuat; qui etiam cum tempore fit per eſſentiam: ut epilepſia, à ſtomacho, vel hypochondriis, orta, tractu moræ, ſeſe ita communicat cerebro, ut fiat per eſſentiam. Fit autem *primus* vel *per contagium*; vel *generis ſimilitudinem*: ut vomitus bilis, vulneratâ meninge; vel *actionis conjugio*, & ſocietate: ut oſſe cruris læſo, læduntur & muſculi: vel *vaſorum communione*; ut febris, læſâ ſurâ: vel per *communicationem materiæ morbificæ*; quæ fit vel *criticè*; vel *ſymptomaticè*: hunc *per diadoſin*; vel per *metaſtaſin*, transfertur. *Priori modo* à parte ignobiliori ad nobiliorem: *ſecundo* modo è contra.

Ab adjunctis qualitatibus. Ab *adjunctis qualitatibus* ſumuntur differentiæ hæ; quòd alii morbi ſint *extremi*; ut apoplexia: alii *mites*, *periculoſi*, *manifeſti*, *occulti*, *conſequentes*: ut paralyſis ad apoplexiam: *connexi*; ut plevritis febrim habet conjunctam. Alii ſunt *diverſi*; qui in diverſis partibus, uſum diverſum, & functionem habentibus, ſtabulantur: alii ſunt *legitimi*, *exquiſiti*, ſeu *ſinceri*; ut tertiana exquiſita, à ſola bile: alii *ſpurii*, ut tertiana notha: alii *parvi*; qui non magnum receſſum à ſtatu naturali præ ſe ferunt: alii *magni*; qui tales ſunt vel *per eſſentiam*; vel *ratione partis*, quam infeſtant; vel ob *moram*, & *accidentia ſupervenientia*: alii *materiales*: alii *immateriales*: *univerſales*, vel *particulares*; *externi*, *interni*; *proportionales*, *improportionales*: *epidemii*; qui communem habent cauſam, ob quam uniformiter in quasvis ætates, ſexus, temperamenta debacchantur: alii *endemii*, ſeu regionales; ut Scorbutus, ad mare Balthicum: alii *ſporadici*, ſive diſperſi; qui neque ſpeciem eandem ſervant, neque communem habent cauſam: alii ſunt *habituales*; ut hectica: alii *actuales*; ut diaria: alii *ſalutares*: alii *lethales*: alii *ancipites*: alii *benigni*, alii *maligni*; alii *venenati*; alii *peſtilentes*; qui in occulto, vi deleteriâ agunt, vagantur, & contagione inficiunt: alii *contagioſi*: alii *acuti ſimpliciter*; alii *peracuti*; alii

acuti

acuti ex decidentia; alii acuti ex *reverſione*: alii *remittentes*; alii *recidivi*: alii *chronici*; alii *recentes*, *diurni*, *nocturni*.

à Tempore. Quædam differentiæ *à tempore* deſumuntur: alii enim ſunt *æſtivi*; alii *autumnales*, alii *hyemales*, ſeu hyberni; alii vernales: alii *pueritiæ*, *juventutis*, *ſenectutis*; *hæreditarii*, & *communes*; *ordinati*, *inordinati*; alii *creſcentes*, alii *decreſcentes*. Quæ differentiæ, ſicut & eſſentiales, variè concurrunt, & commiſcentur: ut in phlegmone eſt morbus intemperieì calidus, in mala compoſitione, & in ſoluta unitate: *implicati* ſunt, qui, in partibus diverſis degentes, uni eidemq; obſunt; ut pleuritis, & peripnevmonia; quia ambo, ſedibus licet diſcluſi, reſpirationi tamen nocent.

Objectiones, 1. Obj. 1. Eſt tantùm unus morbus, ſecundum ſpeciem atomam: Ergo fruſtrà tria hîc ſumma genera adſtruuntur. ℞. primò quia morbus, & ſanitas, ſibi opponuntur contrariè; &, ex Ariſtot. *5. metaph.* uni unum eſt contrarium. ℞. ſecundò: illud eſt unum ſecundum ſpeciem atomam, cujus affectus formalis eſt unus: ſed morbi affectus formalis eſt unus: Ergo. Probatur præternaturalis diſpoſitio; ſive oriatur ex intemperie, ſive ex mala compoſitione, ſive ex continuitatis ſolutione, ſemper ipſius formalitas ſtat in hoc, quòd ſubjectum, & potentias, modificet ad præternaturaliter operandum: Ergo erit tantùm unus morbus. ℞. ſi intelligatur morbus formaliter ſumptus, concedo: ſi materialiter, nego.

2. Obj. 2. Si morbus eſſet unus formaliter tantùm, etiam deberet eſſe unica medicatio curativa, & unicum remedium: ſed conſequens eſt falſum: ergò & antecedens. ℞. Indicatio, deſumpta à morbo, eſt tantùm unica, nempè ejus ablatio; à cauſa morbi, eſt multiplex.

3. Obj. 3. Contra definitionem: ſi morbus eſt *diſpoſitio*, erit diſpoſitionis diſpoſitio, & illa diſpoſitio iterum alterius; & ſic dabitur proceſſus in infinitum. ℞. non eſſe diſpoſitionem, quæ præcedat aliam formam immediatè, ſed tantùm remotè: & mediatè præcedit corruptionem, quæ non eſt diſpoſitio, ſed forma privativa.

Obj. 4. Febris hectica, phthiſis, hydrops, &c. ſunt habitûs: ergo non poſſunt dici *diſpoſitiones*. ℞. eſſe habitus ex natura ſuâ, nego; ex modo inhærendi, concedo. Omnis autem morbus ex naturâ ſuâ eſt facile mobilis, licet accidentaliter ſit difficulter mobilis. 4.

Obj. 5. Morbus non videtur poſſe dici, *præter naturam*, cùm plurimi morbi ſint ſecundum naturam: ut tertiana biliofis, quartana melancholicis &c. ℞. negando; eſſe naturales, ratione finis; licet ratione principii, & ſubjecti, aliquo modo dici poſſint naturales, vel potiùs proportionati; ut morbi hæreditarii, qui ex principiis generationis tranſplantantur. 5.

Obj. 6. *Lædens operationes*, etiam videtur eſſe ſuperfluum; cùm id per τὸ *præternaturaliter* ſat ſuperq; intelligatur, & ſubjectum, præternaturaliter modificatum ad operandum, operationibus inferre læſionem, ſit neceſſe. ℞. non eſſe ſatis, ut ſubjectum ſit præternaturaliter diſpoſitum ſimpliciter, ſed ut tale ſit ad operandum; quia eſſe, & operari, ſunt duo. 6.

Obj. 7. *Senſibiliter* ab ipſa definitione excludendum eſſe videtur: probatur: etiam inſenſibiliter læduntur actiones: Ergo. ℞. eſſe morbum, Phyſicè loquendo, concedo: Medicè, nego: quia Medicus, teſte *Avicennâ*, eſt artifex ſenſualis, neq; debet habere morbi veram rationem, niſi dum ſenſibiliter læduntur actiones. 7.

Obj. 8. Cauſa morbi primò, & per ſe, lædit operationes, teſte Galenò, *l. 1. de cauſis ſymptomatum*, *c. 1.* qui docet, ventriculi coctionem lædi ob cibi copiam, quæ eſt cauſa morbi: Ergo: ℞. actionem abolitam ab errore externo non dici, nec eſſe, ſymptoma; quia non eſt concoctrix ventriculi læſa, ſed tantùm impotentia. Inſtabilis: ſaltem dici idem poteſt de colore viridi in oculo. ℞. colorem viridem in oculo eſſe morbum, cujus diverſo tamen reſpectu ſymptomata etiam aliam rationem induunt. 8.

Quæſtiones. I. Quæres 1. Durities, mollities, & aliæ ſecundæ, tertiæ, & quartæ qualitates, ad quodnam morbi genus referuntur: cùm nec intemperiei, nec compoſitionis, nec unitatis, morbi eſſe videantur? ℞. ad intemperiei morbos referri: aſperitas verò, & lævitas, ad morbos compoſitionis etiam referuntur; ad intemperiei morbos autem quoque morbi occultarum qualitatum; ex Roſell. *in lib. Gal. de ſympt.* Sancta Crux, *in lib. de different. morbor.* nec dantur morbi formæ diſtincti alii, ab enumeratis generes; quia manente debitâ unitate, compoſitione, & temperie perfectâ, reſultat ſanitas: ergo, præter hæc, nullum aliud genus datur: ſecundò: cùm *ſubſtantiæ nihil ſit contrarium*, & forma viventis ſit ſubſtantia; utique nec ei continget morbus ejuſdem corruptivus.

II. Qu. 2. Utrùm dentur *morbi materiæ*: v. g. mollities, craſſities, aſperitas, lævitas, & alii materiæ modi præternaturales. ℞. cùm materia ſe purè habeat paſſivè, ejuſq; nullæ ſint operationes, aut actualitates; nulli etiam erunt morbi; nec materia eſt generabilis, aut corruptibilis: ergo nec ejus ulli ſunt morbi: alia tamen eſt aſperitatis & lævitatis ratio, prout eſt diverſa partium poſitio in ſuperficie; ex quâ ſi præternaturalis ſequatur diſpoſitio, eſt morbus in compoſitione, entitas proveniens à qualitatibus iſtis malè diſpoſitis.

III. Qu. 3. Utrùm morbus debeat neceſſariò inhærere parti viventi; cùm morbus non ſit paſſio viventis, quæ aliàs ad eſſentiam deberet ſequi; ſicque non daretur vivens ſine morbo: ſecundò lapis in veſica, vermes &c. ſunt morbi, teſte Gal. *l. de diff. morbor. c. 8.* ſed hi nulli parti viventi inhærent; quia ſunt ſubſtantiæ, quæ non inhæret, ſed eſt per ſe: tertiò deleteria, & peſtilens qualitas, ſunt morbi; & tamen inhærent aëri: ergo non eſt opus, ut omnis morbus ſit in parte vivente. ℞. omnem morbum, formaliter ſumptum, debere inhærere parti viventi: ad primum dico, morbum non eſſe paſſionem quarto modo; quæ eſt ſubjecti perfectio: ſed tantùm primo modo perſeitatis: ad ſecundum dico, lapidem in veſica eſſe tantùm cauſam continentem occluſionis viarum urinæ: ad tertium ℞. qualitatem aëris deleteriam non eſſe morbum, ſed cauſam morbi.

Obj. 9. Morbus eſt privatio; ſed privatio non poteſt lædere actiones: ergo nec morbus: probatur: eſt malum ſimpliciter; ſed malum ſimpliciter eſt privatio, teſte D. Thoma, *1 de malo art. 1.* ſecundò: morbus per conſenſum, quando non communicatur parti, quod communicari debebat, ſicuti in ablatione particulæ, non videtur eſſe privatio; quia eſt defectus alicujus poſitivæ entitatis: immò nulla eſt poſitiva entitas, quæ morbus dici poſſit; quia ejus nulla eſt cauſa productiva: probatur: ſi hæc ulla eſſet, eſſet res abſcindens: ſed hæc agit medio motu locali, cujus terminus eſt ubi: ergo nulla eſt cauſa productiva. ℞. ad D. Thomam, duplicem eſſe privationem: unam puram, quæ conſiſtit quaſi incorruptum eſſe, ut mors &c. aliam, quæ aliquid adhuc habet de habitu oppoſito; qualis eſt morbus; & non obſtat, quin talis poſſit eſſe privatio, & actiones lædere: deinde dici poteſt, morbum eſſe privationem, in recto; non verò in obliquo: ubi ſanitatis privationem connotat: immò, morbum eſſe entitatem realem, ex hoc probatur, quòd ponatur ſub determinato aliquo prædicamento, tanquam ſpecies illius; à quo non ens excluditur: ſecundò probatur ex Gal. *l. de diff. morb. c. 2.* ubi docet, omne corpus neceſſariò eſſe diſpoſitum, ſive morboſum ſit, ſive ſanum: omnis autem diſpoſitio eſt entitas poſitiva, ſub prædicamento qualitatis.

Qu. 4. Utrùm intemperies ſit morbus? ℞. intemperiem eſſe morbum, pro materiali; non verò pro formali: dicitur autem morbus pro materiali, ex cujus poſitione reſultat morbus pro formali; ſed talis eſt intemperies, quia poſitâ qualitate excedente intemperatâ, reſultat præternaturalis diſpoſitio, operationum læſiva: probatur ſecundò: quia morbus eſt diſpoſitio; intemperies verò eſt paſſibilis qualitas: deinde ad morbum non datur per ſe motus; quod in intemperiem cadit. IV.

Obj. 10. Omnes morbi videntur eſſe intemperiei; quia, ſecundum Gal. 1.

de locis

de locis affectis, c. 2. actio ſemper parti ſimilari tribuitur; reliquæ tantùm uſûr habent rationem. R. ſi lædatur actio partis ſimilaris, quà ſimilaris eſt, concedo: ſi lædatur, quà actionem organicam principaliter exercet, nego.

II. Obj. ultimò: Morbus non poteſt inhærere parti organicæ; immò ejus perfectioni non opponitur: quia morbus eſt qualitas, quæ eſt propria partis ſimilaris. R. ſi deſtruat partem ſimilarem, eſt ejuſdem morbus: ſi organicam, non eſt ejuſdem.

V. Qu. 5. Utrum color flavus in oculo ſit morbus, vel ſymptoma? R. quatenus ab ictero provenit, eſt ſymptoma: quatenus actionem oculi lædit, eſt morbus: errat hinc *Fuchſius*, quando putat, eſſe morbum illam humoris ad oculum fluxionem; cùm ſit ſubſtantia, morbus verò accidens; niſi intelligat, eſſe morbum pro materiali: quod & ego facilè conceſſerim: idem cenſendum eſt de aurium tinnitu, fætore oris &c.

VI. Qu. ultimò: Utrum, ſecundum Fernelium, 2. *de abditis rerum cauſis*, c. 9. dentur *Morbi totius ſubſtantiæ*? R. Negativè: quia, cùm, ſecundum Fernelium, morbus totius ſubſtantiæ ſit ille, qui corrumpit naturam, & ſubſtantiam partis ſimilaris; hæc autem non poſſit corrumpi, niſi per continui ſolutionem, vel per intemperiem: neceſſariò morbus totius ſubſtantiæ debebit referri ad unum genus, ex tribus.

Caput II.

De Cauſis Morborum.

Morbi cauſa quid. Rerum contra naturam ſecunda eſt *Morbi cauſa*; de qua hanc inſtituimus indagationem, quoniam, eâ non perceptâ, ſanitatem amiſſam reſtituere, morbique ſpeciem elidi, impoſſibile eſt. Dicitur verò *morbi cauſa* omne id, per quod reſpondemus ad quæſtionem διὰ τί, ſeu propter quid, quodque ad ejus productionem aliquo modo concurrit, vel conſtituendo, vel gignendo, vel augendo, vel conſervando: de *efficiente* hic præcipuè agendum, quæ ſola propriè ſanitatem oppugnat: morbus enim nec materialem cauſam, nec formalem, nec finalem, propriè appellatam, agnoſcit, utpote accidens, quod ipſum eſt forma, cujus ſubjectum eſt materia. *Efficiens.*

Cauſarum morborum diviſio. Dividuntur autem à Medico ordinariè morborum cauſæ primò in *cauſam per ſe*, & *cauſam per accidens*; in *principalem*, & *ſine qua non*; in *totalem*, & *partialem*; in *proximam*, & *remotam*; quarum notitiam ex Phyſica præſupponimus; ſecundò dividuntur in *procatarcticas*, id eſt, *præexiſtentes*, ſeu *primitivas*; *proëgumenas*, ſeu *antecedentes*; & in *ſynechticas*, ſeu *continentes*. Primæ dicuntur vel *externæ*, vel evidentes, à Priſcis occaſiones, ſeu *prophaſes*; ut calor Solis, reſpectu ephemeræ; frigus, reſpectu congelationis.

Cauſa procatarc. *Procatarctica* dicuntur à *procatarchein*, quaſi à motûs initio, quod ſuum ab iis trahat exordium: eſtq; talis cauſa extrinſecus adveniens, vel ſaltem cuivis evidens, cui morbi principium etiam à vulgo attribuitur.

Ejus diviſiones. *Dividi* poteſt in *externam*, & *internam*. *Prima* eſt: v. g. gladius: *interna*, animi pathemata: poteſt ſecundò dividi in *neceſſariam*, & in *non neceſſariam*: *prioris* exemplum eſt in rebus non naturalibus: *ſecundæ*, lapis, fulmen &c. Internas ab his moveri, neceſſe eſt: quarum una *antecedens* nominatur; *continens* altera.

Antecedens eſt cauſa interna, morbi productionem attingens, cum mediatione continentis alterius: eſtq; alia *proxima*, alia *remota*: *continens*, quæ ita morbo cohæret, ut, eâ poſitâ, ponatur morbus, eâ ablata, auferatur: ſive eſt cauſa conſervativa effectûs, quoad eſſe exiſtentiæ: hæc reperitur in omnibus morbis: ſimilaris morbus habet pro cauſa continente vitioſam temperaturam primarum, ſecundarum, & occultarum qualitatum; quibus poſitis, primò reſultat morbus, ad quem, ut ad has, non datur motus per ſe, ſed reſultat indirectè. Organicus morbus vitiatam habet magnitudinem, vel figuram, vel ſitum, vel numerum: Morbus communis pro cauſa continente habet continui ſolutionem. Triplex cauſarum genus in hoc elucet exemplo: v. g. plenus victus poteſt eſſe pleuritidis cauſa procatarctica; copia verò *Continens.*

 ſangui-

ſanguinis *ἀναγχώρησις*, ſeu interna, & antecedens; item deniq; ſangvis in partem effuſus, jamq; putreſcens, eſt cauſa conjuncta proxima, ſeu continens. Cauſas deinde nobis ſuppeditant famoſiſſima iſta *quatuor rerum genera*: ut ſunt ea, quæ *aſſumuntur*: utpote *aër & cibus, potus, medicamenta*: quæ *geruntur*: veluti *motus corporis*, & *animi, amor, gaudium, quies & motus* &c. *quæ extrinſecus occurrunt*: *balnea* nimirum, *frictiones, cataplaſmata, labor, pervigilium, ictum ferientis, ſeu vulnerantia* &c. quæ *excernuntur*: ut ſunt *fæces alvinæ, lotium, ſudor, inſenſibilis tranſpiratio*, & reliqua *excrementa, Venus*, & quævis alia irregularis evacuatio; quæ *retinentur* illegitimè, ſunt eadem, præcipuè, ſi quantitate peccent, qualitate, & ordine. Nec hiſce univerſus cauſarum vertitur cardo: corruptibilitatis, morborúmq; principia in ipſis etiam corporum elementis ſtabulantur.

Objectiones. 1. Obj. 1. Ariſtot. *l. 2. phyſ.* ait, quòd pro cujuſvis entis generatione quatuor cauſarum genera requirantur: ergo non carebit materiali, formali, & finali, morbus. ℞. Ariſtot. agere de cauſis entis naturalis; quod accidens reſpicit tanquam ſubjectum, non verò tanquam materiam ex quâ, ſed tantùm velut materiam in quâ.

2. Obj. 2. Morbus eſt proprium entis ſubſtantialis viventis: ergo, cùm ſit forma accidentalis, habebit illud pro materiâ ex quâ. ℞. eſt proprium entis ſubſtantialis viventis, tanquam ſubjecti in quo; concedo: tanquam ſubjecti ex quo; nego.

3. Obj. 3. Morbus eſt res permanens: ergo non poteſt habere cauſam continentem. ℞. eſt res permanens, id eſt, quæ non eſt amplius in fieri; concedo: quæ exiſtit ſublatâ cauſâ omni continente; nego.

4. Obj. 4. Morbus eſt aliquid materiale: ergo ex materia fit; quia quærenti, ex quo fit morbus, reſpondere tenemur, quòd fiat ex materia: v. g. ſi eſt morbus ſimilaris, ex partium ſimilarium intemperie; ſi organicus, ex mala compoſitione; ſi ſolutæ unitatis, ex ſolutione continuitatis. ℞. quòd quærenti, ex quo fiat ens ſubſtantiale, bene reſpondetur, ex materia prima: quærenti verò, ex quo fiat forma ſubſtantialis, vel accidentalis, reſpondetur, quòd ex ſui privatione. Nos autem agimus hîc de morbo formaliter ſumpto: ergo non dicetur fieri ex materia; aliàs eſſet pars ſubſtantialis illius; quod impoſſibile eſt: adducta verò illa ſunt morbi pro materiali; ad quorum poſitionem reſultat morbus pro formali; non tamen ſequitur, eſſe cauſam materialem ejus: ſummùm ad cauſam continentem, quæ eſt ſpecies efficientis, referentur.

5. Obj. 5. Rerum omnium formæ latent in efficientis & materiæ potentiis, in quibus, veluti ſeminibus, continentur: ſed morbus eſt forma accidentalis: ergo habet materiam, ex quâ fit, in quâ priùs latebat. ℞. hîc ſermonem eſſe de formis ſubſtantialibus, quæ continentur in potentia materiæ, quatenus eas potens eſt recipere: non verò de accidentalibus, quæ tantùm requirunt in eo inhæſionem: & cùm morbus ſit accidens, non petit, ad ſui fieri, materiam, quæ tantùm, ſuffragante D. Thoma, ad ens ſubſtantiale requiritur: quod autem eſt in potentia ad eſſe, accidentale eſt ſubjectum, quod dat eſſe accidenti, ſcilicet exiſtendi; quod de forma ſubſtantiali dici nequaquam poteſt. Nam reſpectu illius materia eſt ſubjectum informationis; reſpectu accidentis eſt ſubjectum inhæſionis.

Obj. 6. Saltem morbus, formaliter ſumptus, videtur habere cauſam formalem: probatur: morbus eſt qualitas; qualitas habet cauſam formalem: ergo etiam morbus: *ſecundò*: morbus definitur per genus, & differentiam; ſed genus à materiâ, differentia à formâ, quæ eſt conſtitutivum & diſtinctivum rei, deſumitur: ergo morbus habebit cauſam formalem: *tertiò*: forma dat eſſe rei: ſed morbus habet eſſe: ergo & formam, ſeu formalem cauſam. ℞. ad *primum*: morbus eſt forma accidentalis, ex qua, unà cum ſubjecto inhæſionis, fit ens accidentale; quæ tamen non fit ab alia forma. Ad *ſecundum*: Philoſophos loqui de entibus Phyſicis, non de accidentalibus. Ad *tertium* dico: formas à ſe ipſis habere, quod ſint tales, aliàs daretur proceſſus in infinitum. 6.

7. Obj. 7. Omnis cauſa efficiens agit propter finem: ergo, ſi morbus habet

cauſam

cauſam efficientem, habebit etiam finalem. ℞. morbus habet cauſam efficientem per ſe, primò intendentem ejus productionem; nego: entitatem abſolutè; concedo.

8. Obj. 8. Bonum ens, & finis, convertuntur: morbus eſt ens reale: ergo & habet eſſe, & rationem finis. ℞. non eſſe ſatis, ut aliqua entitas ſit bona, ut dicatur habere rationem finis: ſed requiritur præterea, ut intendatur ejus productio ab efficiente, quòd in productione morbi non fit.

9. Obj. 9. Calor intendit producere calorem: ergo morbum. ℞. morbum pro materiali; concedo: pro formali; nego: neque per ſe morbus intenditur à producente; ſed tantum illud, ad cujus poſitionem reſultat morbus, veluti terminus ſecundarius.

10. Obj. 10. Morbi, formaliter ſumpti, non datur cauſa per ſe: ergò falsò adſtruitur. Probatur: cauſa per ſe eſt, cujus eſſentiæ effectus reſpondet; ſed talis nulla datur reſpectu morbi: ergo nullus morbus eſſentiæ cauſæ reſpondet: ergo: probatur: quicquid fit per reſultantiam, tanquam terminus ſecundarius, non reſpondet eſſentiæ ſuæ cauſæ: ſed morbus, formaliter ſumptus, eſt talis: ergo: immo omnis videtur eſſe cauſa per accidens: probatur: quicquid virtute alienâ operationem conſequitur, eſt cauſa per accidens: ſed tales ſunt cauſæ morborum plurimæ: probatur: omnis cauſa, v.g. procatarctica, operatur virtute cauſæ continentis: ergo virtute alienâ. ℞. morbum pro materiali, v.g. intemperiem calidam hepatis, à calore Solis generatam, non eſſe virtutem alienam à calore Solis, ſed eandem planè ab ipſo communicatam; quia propter intercidem iam unius, quod eſt ejuſdem rationis, & virtutis, locus non eſt denegandus: immo omnis morbus pro materiali eſt cauſa continens.

11. Obj. 11. Saltem iſta diviſio non videtur quadrare in cauſam per ſe, & per accidens: ſiquidem membra non æqualiter participant rationem diviſi: probatur: cauſa per accidens non agit propriâ virtute: ergo non habet veram rationem cauſæ efficientis; nec conſequenter participat rationem diviſi. ℞. diviſionem hanc eſſe analogam; ideoque Medicè eſſe bonam.

12. Obj. 12. Quomodo cauſa procatarctica poteſt dici extrinſecùs adveniens, cùm plurimæ ſint internæ, ut bubo, reſpectu febris; animi paſſiones, neo ſunt evidentes, neque extrinſecus adveniunt? ℞. bubonem ſatis eſſe evidentem, & extrinſecum: ſecundò: animi paſſiones ſunt intrinſecæ objectivè; nego: ſubjectivè; concedo.

13. Obj. 13. Cauſa antecedens eſt tantùm cauſa in actu primò: ergo non habet veram rationem cauſæ: probatur: non actu influit in effectum: ergo: probatur: cauſa conjuncta immediatè attingit productionem effectûs: ergo non antecedens: humor in venis eſt cauſa antecedens, ſed iſte non eſt cauſa in actu ſecundo: ergo: probatur: debet enim primò ipſum habitum, & poroſitates, penetrare: & tum erit cauſa conjuncta. ℞. cauſam antecedentem dici dupliciter: primò reſpectu ſui; ſecundò reſpectu cauſæ conjunctæ: quoad ſecundum ſemper eſt in actu ſecundo, nec ſemper eſt opus, ut antecedens cauſa ipſius ſit, deinde fiat continens: quia obſtructio eſt antecedens; quæ tamen nunquam fit continens: putredo eſt continens; quæ nunquam poteſt fieri antecedens.

14. Obj. 14. Ergo non attingit morbi productionem, ſiquidem tantùm cauſam producit. ℞. proximè; concedo: remotè; nego.

15. Obj. 15. Si cauſa continens eſt admittenda: ergo dabitur proceſſus in infinitum: ſecundò: non datur conſervativa actio effectûs: ergo nec cauſa continens. Probatur: ſi daretur conſervativa actio, vel eſſet eadem, quæ produxit terminum, vel diverſa: non eſt eadem, quia termino acquiſito ceſſavit; nec eſt diverſa, quia fruſtraneum eſſet, in eundem terminum ferri, & actum agere: ergo nulla talis datur actio: tertiò: morbus eſt res perſiſtens: ergo non indiget cauſâ continente. Probatur: tantùm eæ res egent cauſâ continente, quæ ſunt in motu: probatur ex Galeni *compendio de pulſibus, cap. 9.* ubi cauſas continentes vocat cauſas generationis. ℞. ad primum: Galenum quidem reprehendere Stoicos, quòd cauſam continen-

tem adſtruant univerſalem ; non particularem. Sic forſan poſſet dari proceſſus in infinitum : ℞. ad ſecundum : licet conſervativa ſit eadem entitativè, diſtingvi tamen formaliter, quatenus actio productiva negat adhuc effectum actu exiſtentem : conſervativa verò denotat, eum jam eſſe in ſubjecto, quem conſervat ; & quamprimùm ceſſat producere, incipit conſervare. ℞. ad tertium : non tantùm res ſucceſſivas petere cauſam conſervantem, ſeu continentem ; ſed etiam permanentes ; uti patet in luce, & ſpeciebus ſenſitivis.

16. Obj. 16. Si cauſa continens eſſet conſervativa effectûs, quoad eſſe exiſtentiæ, ſequeretur, morbum non eſſe accidens ; probatur ſequela : accidens quoad eſſe exiſtentiæ à nullo alio dependet, quàm à ſubjecto inhæſionis : ſecundò : exiſtentia eſt modus rei exiſtentis ; ſed modus rei ſolùm dependet ab ipſa re, cujus eſt modus : ergo cauſa continens non poteſt per hoc definiri, quòd ſit conſervativa illius. ℞. primò : definitionem eſſe à poſteriori, id eſt, per notius, & ſenſibus perceptibilius : ſecundò : accidens dependet à ſubjecto, quoad ſuum eſſe ; concedo : quoad conſervationem ; nego. Formæ accidentales ſuam ſecum ferunt exiſtentiam, & aliquæ ita perfectam, ut per illam, ſine influxu cauſæ conſervantis, poſſint exiſtere in ſubjecto : aliæ verò ita fluxilem habent exiſtentiam, quæ non poteſt, ſine continuo influxu cauſæ conſervantis, nec per minimum tempus perdurare : ut in luce, motu &c. tertiò : modus rei in eſſe entis pendet à re, cujus eſt modus : ratione exiſtentiæ poteſt pendere à ſui cauſa productiva.

Quæſtiones. I. Qu. 1. Utrum putredo ſit cauſa continens febris ? ℞. Negativè ; quia, eâ ſublatâ, reſtat ſæpe febris : ſed eſt tantùm cauſa antecedens.

II. Qu. 2. Utrum omnes morbi habeant cauſam continentem ? ℞. pro formali, concedo : pro materiali, nego. Morbus autem pro formali dependet à morbo pro materiali, tanquam accidens à ſubjecto inhæſionis ; modus rei à re, cujus eſt modus ; paſſiones ab eſſentia ; relatio à fundamento ; ſanitas à naturali corporis conſtitutione ; figura à tali quantitatis terminatione ; pulchritudo à tali partium poſitione ; lux à Sole ; motus à movente &c. Cùm enim morbus pro formali non producatur ex vi actionis alicujus terminatæ ad ipſum, tanquam ad terminum primarium ex reſolutione ; & poſitione termini alicujus primarii ; conſequenter etiam pendet in conſervari ab ipſo, nempe à morbo pro materiali ; qui verè eſt cauſa continens morbi pro formali.

Qu. 3. Utrum intemperies habitualis habeat cauſam continentem ? ℞. Affirmativè dicoque, eam eſſe animam, ut determinatam per temperiem ſubſtantificam in perverſum determinantem pro ipſa, patet ex hoc, quòd, quantumcunque auferatur à contrario, ſemper redeat, donec intemperies ſubſtantifica fiat naturalis ; ideoque febris hectica non tantùm curatur per contraria, ſed per repoſitionem ejus ſubſtantiæ, quæ deperdita eſt. III.

Obj. 17. Ergo per ablationem animæ tollitur iſta intemperies habitualis. ℞. ſi per *animam* intelligatur paſſio illa, ad quam à vitiato temperamento ſubſtantifico eſt determinata ; concedo : abſolutè, nego : vel ℞. aliter : ſatis eſſe ad rationem cauſæ continentis, ut effectus ab ea dependeat quoad eſſe exiſtentiæ, non autem eſſe opus, ut cauſa continens pereat ad deſtructionem effectûs ; ſatis eſt, ſi conſervet. Inſt. ergo cauſa continens, & effectus, erunt unum & idem. ℞. diſtingvi ſecundum terminos : unius termini eſt producere, alterius, conſervare. 17.

Obj. 18. Si anima eſſet cauſa continens intemperiei habitualis, deberet, illâ ablatâ, hæc etiam perire : ſed intemperies frigida, v.g. hydropicorum, non tantùm non perit, ablatâ animâ ; ſed etiam augetur. ℞. non eſſe intemperiem frigidam in cadavere, quia nihil amplius eſt de qualitate contraria. 18.

Qu. 4. Habetne ſolutio continuitatis cauſam continentem ? ℞. Negativè : quia ablatâ re ſolvente, non tollitur ſoluta unitas ; ſed remanet : immò ipſa continui ſolutio eſt cauſa continens. Contra : dolor fit, dum alteraſcit actu, & corrumpitur natura ; fit autem à cauſa ſolvente, v.g. in colica, quâ ablatâ tollitur. ℞. licet auferatur & cauſa, & dolor ; non tamen aufertur ipſa continui ſolutio : remanet enim, ſive ſenſibilis, ſive inſenſibilis, IV.

Qu.

V. Qu. 5. Quot ſunt cauſæ morbi calidi? ℞. cum Galeno, *l. de cauſis morb. c. 2.* & *l. de diff. febr. c. 4.* eſt motus, vicinia rei calidæ, putredo, obſtructio, ſeu adſtrictio, & alimentum calidum.

VI. Qu. 6. Ad quodnam ergo membrum refertur febris ex majori vigilia? ℞. ad motum animi.

19. Obj. 19. Motus non eſt contrarius frigori: ergo non poteſt illud corrumpere, & ejus contrarium producere: ſecundò: terminus motûs eſt ubi: ergo non qualitas. ℞. non poteſt corrumpere termino actionis directo; concedo: indirecto; nego: idem dic ad utrumq;

20. Obj. 20. Si calor fieret à motu, deberet id fieri per productionem raritatis: ſed motus localis eam non poteſt producere: ergo à pbr. raritas eſt ſecunda qualitas: ergo à primis orta. ℞. paritatem qualitativam non poſſe producere, concedo: localem, nego: hæc autem conſiſtit in quadam partium poſitione; ob quam etiam interdum producitur ignis, quia cum eâ non poteſt forma aëris conſervari, ejusq; forma corrumpitur: hinc etiam denſa approximata tamen calefaciunt corpora.

VII. Qu. 7. Quomodo ab animi paſſionibus poteſt fieri morbus calidus? ℞. id per accidens fieri; quatenus ſpiritus moventur ad partes internas, aut externas, per motum compreſſionis, aut dilatationis, juxta diverſas pulsûs differentias, ſecundum diverſitatem paſſionum animi, quæ ponuntur à pulſifica facultate. Pulsûs enim officium eſt, tribuere cuique parti temperiem aptam, non tantum pro conſervari, ſed etiam pro operari; & licet ſit aliquandò debitus calor ad conſervationem, non tamen eſt ſufficiens ad operationem; quæ, pro animi exigentiâ, & paſſionum ejus, eſt major: quæ pulsûs differentia cùm diutius perſeveret, quàm par eſt, plures ſpiritûs cumulantur, majorq; fit raritas & calor: unde febris oritur.

21. Obj. 21. Si à putredine fieret febris, id deberet fieri eò, quòd calor evocaretur ab externo: ſed hoc non fit; quia id deberet fieri per rarefactionem: quod non fit: probatur: calor partis vicinæ eſt multò frigidior: ergo ab ipſo non poteſt avocari: nec à proprio: nihil enim poteſt agere in ſeipſum: ſecundò: forma humoris frigidi, v.g. pituitæ, eſt frigida, & cui frigidæ diſpoſitiones conſervativæ conveniunt: ergo non valet calidum morbum producere. ℞. actiones eſſe ſuppoſitorum: ideòque forma humoris à levi licet calefactione primo, dein intenſiore, calefit; determinaturque forma à causâ calefaciente, ad producendum eum calorem, quâ poſtea non ex ſe, ſed ex accidenti, formam ipſam corrumpit: patetque ex hoc, quòd per putredinem intenſior calor communicetur viventi, ut apparet in cauſonide, quàm à ſpiritibus, aut fuliginibus, poſſit cauſari; à quibus ſolis, abſque putredine, non fieret febris: ergo calor fit à forma humoris, qui putreſcit. Hæc enim, cùm ſit forma mixti, continet eminenter formaliter formas elementorum, ſeu mixtilium: immo nec calor in putredine oritur à fuliginibus; quia hæ in ſtatu pauciores ſunt, quàm in initio paroxyſmi: ubi tamen eſt major & intenſior calor.

Obj. 22. Nec adſtrictio, nec obſtructio, continet vel formaliter, vel virtualiter, calorem: ergo eum non poteſt producere: ergo nec eſt ejus cauſa. ℞. id fieri ex eventu; quatenus ſpiritûs vitales, corde, & reliquis partibus calidiores, retinentur, eorumque calor non attemperatur à tranſpirante aëre. 22.

Obj. 23. Calor debitus illis pullulat à forma, pro eorum conſervatione: ergo ſicut prius morbum calidum non cauſabant: ergo nec poſterius. ℞. vim unitam eſſe fortiorem; eoſque retentos, & cumulatos, majorem excitare calorem, quàm dum debitus ille eorum calor aëris frigiditate temperabatur. 23.

Qu. 8. Quæ ſunt cauſæ morborum frigidorum; & quot ſiccorum; & humidorum? ℞. cum Gal. *l. de cauſis morbor. c. 3.* cauſæ ſunt refrigerantium propinquitas; cibi potúsque quantitas & qualitas, conſtipatio & rarefactio, otium & motus immodicus. Morbi verò ſicci quatuor ſunt cauſę: alimenti nimirû defectus, materia ſicca, immodicus motus, & vicinia rei calidæ. Morbi humidi quatuor utique ſunt cauſæ: alimenti copia, materia humida, quies, vel otium, & vicinia rei humidæ. VIII.

Obj.

24. Obj. 24. Ex defectu ciborum ſupervenit febris, propter inediam: ergo hæc non eſt cauſa morbi frigidi. ℞. tandem reſolutis partibus igneis frigeſcere corpus; uti patet, fieri poſt diuturnas febres; ſequi nempe jecoris intemperiem frigidam, & hydropem: idem intellige de motu immodico.

25. Obj. 25. Motus, & animi paſſiones, nec formaliter, nec virtualiter, continent calorem: ergo non ſunt ejus cauſæ. ℞. univocæ; concedo: æquivocæ; nego.

26. Obj. 26. Alimentum copioſum, & materia humida, videntur coincidere: ergo non ſunt quatuor morbi humidi cauſæ. ℞. alimentum copioſum, etiam ſiccum, poteſt generare intemperiem humidam; materia verò humida dicit ſuperfluitatem per ſuas qualitates.

IX. Qu. 9. Utrùm calor attrahat in partes, ſeu faciat affluxum materiæ? Reſp. Affirmativè.

27. Obj. 27. Quicquid attrahit, id fit propter potiri: ſed hoc non facit calor. ℞. id verum eſſe de attractione naturali; non de morboſa.

28. Obj. 28. Non trahit extra corpus humidititates: ergo nec intra. ℞. negando: videmus enim, ignem, in lucernis, oleum & humiditates attrahere.

29. Obj. 29. Calor habet proprietatem illam, ut congreget & disgreget, homogenea nempe & heterogenea: ergo non attrahit. ℞. calor non elevatus; concedo: elevatus verò à facultatibus naturalibus, plura exercet: nam concoquit, nutrit, auget.

Nota: calorem dupliciter attrahere, diſpoſitivè ſcilicet, & vi quâdam naturali, ſibi conveniente & attrahente: primo modo, diſpoſitivè ſcilicet, attrahit calor; quia ipſæ primæ qualitates ſunt organi diſpoſitiones, in quo ſubjectantur facultates, & aliæ qualitates, alio ſemper modo diſponunt. Nam pro retentione eſt ſiccitas, pro expulſione humiditas, pro attractione calor: & naturalis quidem naturaliter diſponit: præternaturalis verò diſponit morboſè; ob eamque actio facultatis, à calore præternaturali coacta, depravatè attrahit. Succinum non attraheret, ſi non calefieret; medicamenta non attraherent, niſi actuarentur & calefierent.

CAPUT III.

De Rebus ſex non-Naturalibus; aëre ſcilicet, cibo & potu, ſomno & vigiliis, motu & quiete, excretis & retentis, & animi pathematibus, ut ſanitatis, & morborum, ſunt cauſa.

HAſce morborum cauſas evidentes eſſe, & neceſſarias, apud omnes in confeſſo eſt: immo *Aëre* neceſſarium nihil magis eſt, utpote, qui & intus inſpiratione ſuſcipitur, & foris ambit, ſeſeq; per cæcos meatûs inſinuat.

Temperatus aër eſt, qui *ſubſtantiâ* & *qualitate* debitâ pollet; utpote qui humidæ evaporationis parum, terreæ verò minimum obtinet: *qualitativè* temperatus eſt, qui ob nullum culpatur exceſſum, qui bene perflatur, nullaq; putredinis, aut malignitatis, notâ ſignatur. Hic calorem inſitum ventilat, impuritates devehit, & exceſſûs omnes caſtigat: *impurus* verò, & *craſſus*, per anguſtos pororum meatûs tranſire nequit; hinc neque ventilare: unde obſtruit, & ſtrangulat. *Aër temperatus.* *Ejus Effectus.*

Calidus aër, poſt diſcuſſionis terminum, conſtringit, & denſat, eoq; agente, humores liquantur, agitantur, de parte in partes attrahuntur, diſſipantur: unde interiorum in æſtate refrigerium. *Effectus impuri Calidi.*

Aer *frigidus* denſat, cogit, repellit, concentrat, calorem unit. *Frigidi.*

Humidus aër ſicca diſſolvit, emollit, fluxilia reddit, fluxiones & putrefactiones cauſat. *Humidi.*

Siccus aër obſtructiones, & tumores duros generat, calorem acuit, ejusque Lima dicitur. *Sicci.*

Aër jam *tenuis* eſt; jam *craſſus*: tenuis eſt penetrans, attenuat, incidit, diſſolvit, diſſipat: *craſſus* incraſſat, obſtruit, impuritates cumulat. *Putridus* aër eſt malignus, ac putredinem & malignitatem generat; quæ aëris varietas tota à cælo, terrâ, & ventis, provenit, proque diverſitate, & viciſſitudine, ſiderum, vel erraticorum, ut ſunt Planetæ, vel fixorum, ut ſunt ſigna cæleſtia, eorumque qualitatum activitate, quam tum ex Theoria planetarum, tum ex Aſtronomis, addiſcere licet; varius quoq;, ſecun- *Tenuis.* *Craſſi.* *Putridi.*

dum

dum diem & noctem, menſes, anni tempora, & annos exiſtit aër. De quibus vide Hipp. *aph. ſect. 3.* A terrâ quoque, & horizontis ſitu, non parum mutatur; quatenus nempe in borealem, &c. dirimitur, vel quà ad orientem, aut occidentem Solem, aut in ſeptentrione, aut meridie degentem, intuetur.

Diviſio terræ globi in 5 Zonas,

Dividitur autem *terræ globus* in *quinque Zonas* : duas *extremas*, *polares*, circulis, arctico, & antarctico definitas; duas deinde *temperatas*; utpote borealem, inter circulum arcticum, & tropicum cancri; & unam *auſtralem*, inter circulum antarcticum, & tropicum capricorni, jacentes; & denique unam mediam, *torridam* dictam, tropicis utrinque comprehenſam: deinde in *ſeptem Climata*; utpote diaMeroes, diaSyenes, diAlexandrias, diaRhodum, diaRomes, diaBoryſthenes, & diaRiphæum. Hæc eſt globi cæleſtis, ſecundum latitudinem, diremptio : ſecundum longitudinem per accidens tantùm recipit mutationem; nempe ob montium poſitum, vel verſus orientem, vel occidentem &c.

in ſeptem Climata.

Regio verſus orientem ſita quid efficiat.

Regio verſus orientem ſita, teſte Hipp. *l. de aëre, aquis, & locis*, purum, & temperatum aërem, ventos lenes, aquas limpidas & odoras, terram obtinet fertilem, & incolas longævos; qualis fuit Aſia, Hipp. & Galeni patria; ipſomet teſte, *l. 2. de temperamentis, c. 6.* & *l. de tuenda ſanitate, c. 7.*

Quid ſita verſus occidentem.

Regio ſita verſus *occidentem* Solis beneficio tardè fruitur; hinc potiùs exuritur, & aërem inæqualem, impurum, denſum, caliginoſum, aquas impuras & craſſas, valetudinarioſq; obtinet inquilinos.

Quid verſus meridiem.

Ad *meridiem* regio eſt calida : unde incolæ aduſtum habent ſanguinem, imbecilles ſunt, timidi, eſtque calidum innatum diſſipatum, catarrhoſi, ſudantes &c.

Ad ſeptentrionem.

Ad *ſeptentrionem* laudabilis eſt regio, aër purus, difflatus, aquas fundit ſalubres, & limpidas, ob calorem incluſum, eas depurantem; ob quam etiam cauſam incolarum robuſtiora ſunt corpora, magisque longæva.

Aëris natura.

Ad *aëris naturam* penitus perſcrutandam, videndum eſt, an locus aliquis montanus ſit, declivis, an demiſſus, paluſtris, & cœnoſus, arenoſus, mediterraneus, maritimus; inter quos omnium ſaluberrimus eſt, quem Sol liberè illuſtrat; præter montanum tamen illuſtratum quidem, & à vaporibus immunem, ventis tamen nimius obnoxium. Locus paluſtris, cœnoſus, & cloacis circumſeptus, inſalubris eſt.

Venti,

De *Ventis* certi quid aſſerere, difficile eſt; cùm locorum, unde affluunt, naturam referant : quique per ſalubria loca, montes nempe, & ſylvas, à quibus pectinantur, feruntur, ſalubres ſunt; qui vero à locis cœnoſis, inſalubres.

quot.

Sunt autem numero 4. ſecundum totidem mundi cardines : *Aquilo* nempe, ſeu *Boreas*, qui eſt frigidus & ſiccus, à ſeptentrione proveniens : *Auſter*, ſeu *Notus*, calidus & humidus, à meridie : *ſubſolanus*, calidus & ſiccus, ab ortu : *Favonius* frigidus & humidus, ab occaſu : *Eteſiæ* ſunt aquilonares mitiores, canis æſtum moderantes.

Proprietates venti Borealis.

Auſtri, ſeu Noti.

Subſolani.

Favonii.

Eteſiæ.

Cauſarum, à rebus naturalibus petitarum, ſecundum genus conſtituunt *Alimentum* : eſculenta nempe & potulenta : quorum illa reparationi deperditæ partis craſſioris, hæc *tenuioris*, dicata ſunt. Inter eſculenta ſunt *panis*, & panificia omnia, *legumina*, *fructûs*, *ova*, *carnes*, *opſonia*, *condimenta* &c.

Alimenta.

Cibus, & Potus.

Suntq; *facilis*, vel *difficilis digeſtionis*, & *diſtributionis* : *multi*, vel *pauci nutrimenti*. *Eupepta* ſunt, quæ facilè digeruntur : quibus *dyſpepta* opponuntur; quæ difficilis ſunt digeſtionis & diſtributionis : *euchyma* boni; *cacochyma* mali ſunt ſucci : *polytropha* multi ſunt nutrimenti; *oligophora* pauci. Sunt etiam alimenta quandoq; medicamentoſa : vel enim primis qualitatibus corpus noſtrum alterant; vel ſecundis; vel etiam occultis : unde refrigerant, calefaciunt &c. incidunt, attenuant, incraſſant, aperiunt, laxant, adſtringunt, lac, vel ſemen minuunt, vel augent : ſuntq; vel diuretica, vel hyſterica, becchica, ſeu pectoralia, ſomnifera, calculoſa, nephritica, diaphoretica, alexiteria &c.

Quotuplex.

Eandem ferè diviſionem *Potui* attribuimus, qui ad refrigerandum & madefaciendum ferè uſurpatur : eſt tamen alimentoſa facultas in *potu*, quàm in cibo, longè debilior.

Neceſſa-

Excreta & Retenta Quotupli cia. Neceſſariò item nobis adveniunt *Excreta*, & *Retenta*: prima ſunt vel ſpontanea, vel artificialia: inter ſpontanea ſunt, quæ vel critica ſunt, vel ſymptomatica: critica proveniunt à natura vincente; ſymptomatica à victâ: omnis ſummatim excretio, quæ talis eſt, qualem eſſe oportet, & cum evphoriâ, laudabilis eſt, & bona; quæ nempe qualitatem, & quantitatem obtinet debitam; ſitq; per locum à natura deſtinatum: pari modo, ſi, quod naturæ congruum eſt, ſuo tempore retineatur, confert: immò ipſa etiam excrementa ad tempus commodè retinentur; ſi verò illud excedant ſubſtantiâ, quantitate, quin & acquiſitâ noxiâ per retentionem qualitate; naturam opprimunt, meatus obſtruunt, & omnis corruptionis evadunt miasmata: ſi, v. g. chylus egeratur, ſanguinis generationi deeſt materia; unde & partibus ſubtrahitur alimentum: hinc atrophia ſubſequitur: ſi fæces alvi retineantur, ex his vermes generantur, flatus excitantur, vapores ad caput, unde catarrhi, ſublimantur, dorſi, & ventris dolores excitantur. Non minus incommodum ex ſeri retentione, ſicut & urinæ, ſudoris, lacrymarum, muci, ſordium, menſtrui ſanguinis, ſeminis &c. ſuboritur. Urina enim retenta in ſabulum concreſcit, veſicam diſtendit, catarrhos ferinos generat, hydropem, rhevmatiſmum, oculorum tumores, excitat, &c: ex ſudore retento ſangvinis inquinamentum; ex menſtrui ſangvinis retardatione infinitæ mulieribus infirmitates contingunt: uti ſunt chloroſis, aſthma, febres, cachexia, hydrops, tumores, & ulcera ſerpentia, capitis dolores, deliria, phrenitides, arthritides &c.

Somnus & Vigiliæ. Ex advenientium neceſſitate ſunt quoq; *Somnus*, & *Vigiliæ*: nam *quod caret alternâ requie, durabile non eſt*: &, ſicuti moderatus ſomnus internum conſervat calorem, coctiones promovet, diſſipatos ſpiritus reſtaurat, moderatè humectat, nempe quatenus in externis non exſiccat, & vaporoſum retinet: ita immodicus omnes remoratur excretiones, corpus reddit languidum, molle, imbecille &c. nec minùs malè corporibus *Pervigilia* eveniunt; intellige immoderatas: nam *moderata* calidum excentrant, alimenti coctionem & diſtributionem promovent, parteſq; roborant: *immoderata* verò corpus nimium ſiccant & conſumunt, humores agitant & calefaciunt, partes inflammant, & ſpiritus &c.

Somno, & vigiliis, congeneres ſere virtutes obtinent *Motus*, & *Quies*: *Motus, & Quies.* referunturque vigiliæ ad motum naturalem; motus verò per excellentiam dicitur voluntarius; ad quem pertinet *Exercitium*; quod à priſcis *quintuplex* eſſe cenſebatur: utpote *pugna*, *Exercitium.* *curſus*, *ſaltus*, *diſcus*, *pila*: & in hoc quintuplici genere à nobis ipſis movemur; ab aliis autem movemur *vecturâ*, *equitatione*, *navigio*, *geſtatione*: partim à nobis; partim ab aliis, movemur in *luctâ*, *pugillatu* &c. quæ omnia dum excedunt, non exiguas, in morbis, cauſant mutationes.

Animi pathemata. Quantas demum in nobis metamorphoſes generent *Animi affectûs*, in quibus cor immediatè afficitur, patet ex Tranquillitate; quæ eſt qui- *Tranquillitas.* es animi, plurimùmque conducit ad longinquam ſanitatem; item ex *Per-* *Perturbatio.* *turbatione*; quæ eſt motus quidam velut agonizantis, quo ſpiritus à centro ad peripheriam, & vice verſa, moventur: unde humorum, ſpirituum, & balſami naturalis, accedit diſſipatio, accenſio, oppreſſio, ſuffocatio, extinctio.

Objectiones. 1. Obj. 1. Eædem cauſæ non poſſunt eſſe ſanitatis corruptivæ, & ſimul conſervativæ: ergo fruſtra hîc referuntur non-naturales res inter cauſas morborum, quæ ſunt neceſſariæ ad vitam ſuſtendandam. ℟. Si eodem modo ſeſe habeant, concedo; ſi diverſo, nego.

2. Obj. 2. Terminus motûs localis eſt Ubi: ergo nec refrigerabit, nec calefaciet ℟. produci calorem per motum localem, non, quia motus eſt via, ſeu tendentia, ad illum; ſed quia per illum applicantur ſpiritus ad partes, in quibus novum producunt calorem.

3. Obj. 3. Aër per ſe ad generationem alicujus affectûs non ſufficit: ergo fruſtra hîc

ſtra hîc refertur ad cauſas morborum: probatur: eſt cauſa externa; ſed externa nihil poteſt, ſine interventu internæ: deinde, teſte Hippoc. *l. 3. aph. 19.* quilibet morbus quovis tempore fieri poteſt: ergo. ℞. verum quidem eſſe, omni tempore quemlibet morbum poſſe produci; ſed illû illo tempore frequentiùs accidere, veriſſime teſtatur Hipp. *aph. 20. lib. 3.* ſc. in Vere inſanias, melancholias, epilepſias, fluxiones ſanguinis, anginas, gravedines, deſtillationes, tuſſes, lepras, impetigines, vitiligines, puſtulas, tubercula, articulorumque dolores fieri: in Æſtate febres continuæ, ardentes, tertianæ, vomitiones, alvi profluvia, ophthalmiæ, aurium dolores, genitalium putredines, &c. fiunt: in Autumno quartanæ, lienis tumor, hydrops, tabes, urinæ difficultas, inteſtinorum lævitas, coxæ dolores &c. ex *aph. 21. 22.* oriuntur. Hyemales affectûs ſunt, plevritis, peripnevmonia, lethargus, gravedo, laterum & lumborum dolores, cephalalgiæ, vertigines, apoplexiæ &c. teſte *eodem, aph. 23.*

Ob. 4. Ventus, ſecundum Ariſtotelem, *2. de cælo, c. 4.* eſt exhalatio calida & ſicca: ergo aliter non poteſt alterare corpora noſtra, quàm calefaciendo & ſiccando: deinde Seneca, cum Stoicis, aſſerit, unum ventum tantùm reperiri, unicâ, & intrinſecâ facultate locomotiva aptum moveri verſus omnes differentias; ergo uno tantum modo nos valet alterare. ℞. quòd ventus pro materiali ſit calida & ſicca exhalatio; ſed pro formali conſtituatur in eſſe entis meteorologici, per motum, in quo ejus eſſe conſervatur; ratione motus acquirit à regione, per quam movetur, & à diverſitate climatum alterantium, quòd hanc, vel illam temperiem obtineat: maximè enim in ortu, & occaſu, cæleſtium ſiderum ortus, & temperies ventorum immutantur. Ad ſecundum ℞. à motûs diverſitate diverſos ventos numerari: alii enim ſunt communes omnibus regionibus; alii particulares certis locis, dicti Provinciales; ut Corus Athenienſibus: alii anniverſarii, ut Eteſiæ, poſt exortum caniculæ; cæteras differentias vide ſupra: ergo ſecundum has differentias diverſimodè nos valebunt alterare.

Quær. 1. Unde ſit iſta ventorum diverſitas? ℞. ex motûs diverſitate; quatenus diverſimodè à ſecunda regione aëris frigidiore repercutiuntur. *Quæſtione. I.*

Qu. 2. Quænam ſint Ventorum cauſæ? ℞. cauſa materialis eſt exhalatio calida & ſicca, ſeu ſulphurea, vapori nitroſo commixta; cauſa formalis, prout ſunt entia meteorologica, ſtat in motûs continuitate; efficiens eſt reſilientia, quâ fluunt à ſecunda regione aëris, impediti ab aëre frigido: cauſa finalis eſt ventilatio aeris. *II.*

Caput IV.

De Plethora, & Cacochymia; ſeu de Spiritibus, Sanguine, Bile, Pituitâ, Melancholiâ, Sero, Vaporibus, Fuliginibus, Flatibus, Sabulo, Calculo, Vermibus; prout morborum cauſa evadunt.

Spiritûs morborum cauſæ fiunt, vel quatenus partium temperiem deſtruunt; vel quatenus præpoſterè humores commovent: ſicque *peccant quantitate*, vel *qualitate*. *Primo modo*, quia vel nimii generantur, vel non ſatis diſcutiuntur: idque accidit ab alimentis boni ſucci, & calidi inſiti vigore: frequentior tamé eſt eorum paucitas; dum nempe vel non ſatis generantur, vel generati nimium diſcutiuntur: primum fit, vel ob defectum materiæ, ſeu alimenti; vel à debilitate generantis facultatis: ſecundum, ob nimias commotiones, vigilias, ſpeculationes, lucubrationes, mœrorem, ſomnum immodicum; vel ubi opprimuntur, ſuffocantur, & corrumpuntur. Si ſpiritûs *quantitate* nimiâ peccent, humores calefaciunt plus juſto, moventque de parte in partem: ſi in *qualitate* deficiant, totius corporis languorem, & torpedinem, humorum quietem, & hinc putredinem, in genere cauſæ remotæ, cauſant: *qualitate* peccant, dum vel excedentes habent qualitates primas, vel ſecundas, vel deficientes; utpote frigus, calorem, craſſi- *Spirituum vitium quatuplex.*

craſſitiem, tenuitatem; quæ omnia ad ſuas cauſas reducere, non erit difficile: etiam *motu* præpoſtero feruntur ſpiritus, vel flatus, vapores, vel ob copiam, tenuitatem; ut in vertigine apparet.

Sanguinis vitium.

Qualis ad ſanitatem requiratur *Sanguis*, dictum eſt Iſagoges noſtræ *c. de humoribus*: ſicuti ſpiritus agentis, ita ſangvis patientis, naturam induit; dum nempe materiam nutritioni ſubminiſtrat; hic dum à naturali ſtatu recedit, vel peccat *excedendo*, vel *deficiendo*: exceſſus vocatur *Plethora*, quæ à nimia ſangvinis copia fit; defectus, *exinanitio*.

Plethora: duplex: ad vires:

Plethora *duplex* eſt: ad *vires*; & ad *vaſa*: plethora *ad vires* eſt illa, quæ, ſine vaſorum notabili repletione, viribus eſt moleſta: fitq; ob deficientem diſſipationem; ut in menſtruis mulierú; quæ, etſi nimium non repleant, regi tamen, & retineri, à naturâ, cum emolumento non poſſunt. *Plethora* hæc *ad vires* difficulter accidit; dum ſpiritûs inſiti, & influentes, debilitantur, aut opprimuntur: hinc exiguam etiam ſanguinis maſſam gubernare non valent.

ad vaſa.

Plethora *ad vaſa*, quæ & *polyhæmia* dicitur, eſt ea ſanguinis copia, quæ vaſa nimium diſtendit, & implet. Intelligitur hîc autem ſanguis in genere, ſeu tota maſſa ſangvinea. Dum enim aliquis ex humoribus redundat, ſi eſt bilis, vocatur plethora bilioſa; ſi melancholia, melancholica &c. hanc generant cibi evchymi, ſomnus, otium, vita tranquilla, natura temperata, evacuationes intermiſſæ &c.

Sanguinis defectus: duplex.

A cauſis hiſce contrariis *Sanguinis penuria* eſt in corpore, vel quia non generatur, vel quia generatus diſſipatur: primum fit vel à cibis cacochymicis, vel à vitio viſcerum ſanguinem generantium aut depurantium; ſecundum accidit per vigilias immodicas, exercitia valida, curas, hæmorrhagias narium, menſium, hæmorrhoidum &c.

Cacochymia.

Si quantitas, & qualitas, ſimul peccent, *Cacochymica* efficitur plethora, ubi ſanguis intemperatus, & vitioſus, redundat, ob mutuatas ab humoribus, quibus abundat, qualitates: aliquando motu peccat, dum in partem aliquam præpoſterè, & indebitè, fertur, ſeſe in cavitates, aut poros, inſinuando, corrumpitur, aut grumeſcit, & degenerat; quæ extravaſatio fit vel per anaſtomoſin, vel per diapedeſin, aut per rexin, aut per diæreſin. Sanguis *putridus* nutritioni ineptus eſt, ſpiritus inquinat, febres generat ſynochas, putridas, cordis palpitationes, ſyncopen, vertigines &c. *grumoſus* verò obſtruit, vaſa comprimendo, ſpiritibus ſuum tollit tranſitum; unde ſenſûs, & motûs, immò vitalium influentiarum, & caloris, cauſat defectum. Sanguis *degenerat*, vel dum in pus mutatur; quod eodem modo meatus obſtruit, calorem naturalem ſtrangulat, calefactum corrodit; vel dum in ſarcoma, aut ſyſſarcoſin, degenerat; quæ morbum facit in numero aucto.

Bilis præter naturam ſpecies.

Bilis ſecundum *quantitatem* debitam, *qualitatem*, *motum*, & *locum* debitum, peccare cenſetur: *quantitas* debita, ut nec in nimiá, nec in paucá, quantitate ſit; *qualitas* debita, ut ſit calida, & ſicca, colore flava, ſapore amara &c. *Motus* eſt, ut, in corde genita, per arterias in univerſum corpus, præcipuè tamen, per arteriam cæliacam, in hepar, & pancreas; dein, per peculiares ductus, in inteſtina diſtribuatur.

differentia à colore:

Varias Bilis præter naturam *differentias*, & *ſpecies*, nobis ſuggerunt varii ejus colores: quales ſunt, bilis *pallida*, *vitellina*, *æruginoſa*, *glaſtea*, ſeu iſatodes, & *porracea*: *atra* refertur ad melancholiam.

Pallida:

Pallida talis eſt, ob majorem ſeroſi humoris concoctionem; & ob eam rationem tam calida non eſt, quàm vera bilis: talisq; generatur in ſenibus; ubi calor eſt non parum debilitatus:

Vitellina:

Bilis *vitellina* calorem & ſiccitatem habet majorem; fitq; per incraſſationem, calore ſerum magis diſſipante:

Æruginoſa:

Æruginoſa bilis multò calidor & ſiccior eſt; & generatur ex aduſtione flavæ bilis; vel quando ſanguis & chylus aduritur; nec ſemper flavam præviam ſupponit æruginoſa:

Glaſtea:

Iſatodes, ſeu *glaſtea*, caloris unum adhuc ſuperiorem obtinet gradum: nam ex ingenti aduſtione ſuum viſcum conſequitur; glaſteus autem color braſſicæ refert colorem: *porracea* à porri ſimilitudine dicitur; generatur in ventriculo, ex corruptione aſſumptorum; ut cæparum, allii, porri, braſſicæ &c. bilem herbaceam, violaceam, purpu-

purpuream, cæruleam, muſtellinam, obſcuram, nigram, praſſinam, zinariam, &c. ad alias ſpecies referendas eſſe, aſſerimus. Peccat etiam *motu* bilis, dum nempe fertur ad caput, ut in phrenitide; ad habitum corporis, in ictero; ad venrriculum, in coholera: vel etiam in aliquo loco accumulatur extra vaſa: unde intermittentes febres generantur: *ſubſtantiam* deniq; alienam ſortitur, nam vel in calculos: vel arenas concreſcit; vel etiam putreſcit.

à motu.

à ſubſtantia.

Pituita præter naturam ſpecies. Inſipida & acida: Salſa: Vitrea.

Pituita duplex eſt; *naturalis*, & *præternaturalis*: de *naturali* dictum eſt: *præternaturalis* eſt quadruplex: *inſipida*, *acida*, *ſalſa*, & *vitrea*. *Prima* duæ ſpecies fiunt ex alimentis frigidis & humidis; à debiliore ventriculo *inſipida*, ſive crudus ſuccus, qui in bonum ſangvinem verti nequit: pituita *ſalſa* vel à putridi, vel à ſalſi, humoris admiſtione generatur; hinc etiam caloris particeps eſſe cenſetur; *vitrea*, quæ vitro fuſo non abſimilis eſt, valde eſt frigida, viſcida, & craſſa, ob humiditatis, & tenuium partinm, conſumptionem. *Generatur* autem pituita præter naturam in prima, ſecunda, & tertiâ concoctione, nempe ex materia frigidâ, humidâ, craſſâ, copioſiùs ingeſtâ, vel ex debilitate partium primæ, ſecundæ, & tertiæ concoctioni dicatarum. *Putreſcit* etiam pituita in variis corporis partibus: unde vapores, ad cor transmiſſi, febrim generant pituitoſam; ſi intra vaſa, continuam; ſi extra vaſa, intermittentem, ſecundum Antiquos. Nam improbabile non eſt, etiam febrium intermittentium materiam in vaſis poſſe contineri; continuam verò non excitare febrim, ob materiæ putreſcentis paucitatem. Degenerat quoq; pituita in flatûs, vapores, calculos, vermes &c. *Qualitate* peccat phlegma, dum vel nimis frigidum, vel humidum &c. craſſum, lentum; ex quo fit vitreum, gypſeum, accedente materia terreſtri.

Unde generatur.

Putrida.

à qualitate.

Melancholia præternaturalis.

Acidum omne fit à putredine, loco *Melancholica* excrementitiæ naturalis; quæ nihil aliud eſt, quàm ſerum, aduſtis quibusdã exhalationibus impregnatum, circa lienem generatum; ibiq; degens generatur præternaturalis, ex depravatâ coctione fermenti ſplenici, ex alimentis craſſis, lentis, ſalſis, fumo induratis, flatulentis, & acribus; per cujus majorem degenerationem fit *atra bilis*, bile, nonnunquam pituitâ ſalsâ, & ſangvine admiſtis; quia ea mitior eſt, quàm quæ fit à ſolius bilis, aut pituitæ ſalſæ, degeneratione. Sæpius quantitate auctâ peccat melancholia præter naturam, quàm diminuta, &, dum circa lienem, & hypochondria, cumulatur, ad cor, & cerebrum, ſuos vapores mandat; unde lipothymia, & triſtitia: neq; id ſolùm, ſed & obſtructiones, ſcirrhos, lepras, cancros &c. generat.

Atra bilis.

Serum in omnibus concoctionibus generatur; cumq; à propria natura degenerat, peculiarem cacochymiæ ſpeciem profert. Naturaliter eſt duplex; ſalſum, & inſipidum, ſive ſerum κατ' ἐξοχὴν dictum, lympha: de qua vide Rolfinccium. Et *lympha*, & *ſerum*, *quantitate* peccant, vel quia nimis copioſum generatur à congenere alimento; vel ob renum pigritiem non evacuatur: vel etiam primis, & ſecundis, *qualitatibus* peccat: vel *motu* fertur præpoſtero: vel deniq; coagulaltur; hinc tophi, ſcabies, & ſimiles tumores: quod fit, dum humiditas ipſius à quovis calore conſumitur.

Serum naturale duplex:

Serum, & lympha, præter naturã: in quantitate: qualitate: motu: ſubſtantiã.

Ex humoribus quaſi ſublimatis fiunt *vapores*, *fuligines*, & *flatûs*, microcoſmi vera meteora. *Vapores* ſunt exhalationes calidæ & humidæ, tenues, diſperſæ, vi caloris excitatæ.

Vapores, fuligines, & flatûs, eorumq; generatio.

Fuligines ſunt exhalationes calidæ & ſiccæ, diſperſæ, ſimili modo genitæ.

Flatûs ſunt exhalationes calidæ, lentæ, magis cohęrentes, impetu quodã hinc & inde delatæ, aut incluſæ; à materia nitro-ſulphureâ: hinc detonationes à ſulphure, & nitro, per calorẽ accenſo, fiunt. Generantur autem vapores, fuligines, & flatûs, eodem modo, quo vapores, fumi, & venti, generantur in Macrocoſmo. Vapores etiam in ſanis generantur, in 1. 2. & 3tiâ concoctione, ſi à mediocritate deflexerit; peccant *ſubſtantia*, vel *quantitate*, vel *qualitate*, *motu*, vel *loco*: *putridi* enim elevantur à putridis alimentis, aut cauſa morbifica corruptâ; utpote à ventriculo, inteſtinis, meſenterio, thorace, utero &c. dum *deficiunt* quantitate, feriante concoctione, ſomnum interturbant: dum *excedunt*, humorum, & ſpirituum turbant

Unde generantur.

degenerant ſubſtantiã,

quantitate:

qualitate motu: bant motum, & plurimos generant catarrhos, apoplexiam &c. vel ſunt acres, tenues, calidi, frigidi &c. vel dum ſegniùs, vel celeriùs, quàm deberent, moventur. *Fuligines* non tantùm in corde præcipuè generantur, ſed & in aliis concoctionibus, per pulſum, excluduntur; maximè verò peccant, dum calore præternaturali, craſſitie &c. afficiuntur. *Flatus* præcipue exurgunt in majoribus cavitatibus, ut ventriculo, inteſtinis, utero, à cibis, & potu, flatulentis, ſeu nitro-ſulphureis. Hos efficit calor debilis, qui materiam elevat quidem, ſed diſcutere ſatis non poteſt; doloré ſuâ faciunt diſtenſione, & motu, quo jam in hanc, jam in illam, partem impingunt. Hæc de meteoris microcosmicis.

Microcoſmi Mineralia: Sabulum. *Mineralia* ſunt *Sabulum*, & *Calculus*. *Sabulum* eſt quid terreſtre, exuſtum, inæquale, & aſperum; quod cum ſero excluditur, & in urina ſubſidet, duritie, & renitentiâ, à febricitantium rubro ſedimento, quod eſt leve, & glutinoſum, differens; à ficcis, ſalſis, & terreſtribus alimentis ortum. Cauſa ipſius eſt calor, qui materiam coquit, & indurat.

Calculi. Ab hoc multum differunt *Calculi*, præcipuè limoſi, & ſaxoſi, non ita ſabuloſi.

Ubi generentur. Hi in renum pelvi, circa tubulos, generantur, à ſabuloſo, lento, glutinoſoq; humore, ſabulum illud in unum coagulante: calculi glutinoſi, & ſaxoſi, ex limosâ, tartareâ, terreſtriq; materiâ, parti primùm adhærente, mediante vi lapidificâ, indureſcunt; & hinc anguſtias, cavitatum & meatuum obſtructiones, intemperies, ſolutiones continui &c. generant.

Animalia: Vermes quotuplices: Microcoſmi *animalia* ſunt *Vermes*, qui, teſte Sennerto, in omnibus corporis noſtri partibus reperti fuerunt; frequentiùs tamen in inteſtinis generantur, & hinc ad alias partes migrant. Præter alios, & mirabiles, in Authoribus *obvios*, *triplicis* ſunt vermes *generis*: teretes, & longi,

Quomodo generentur. ſive lumbrici, aſcarides, & lati, ſeu tæniæ: fiuntq; ex materia cruda, & excremento chyloſo, à calore putredinali, non tantùm corrumpente, ſed coquente, & dominante, humidumq; & ſiccum debitè cogente; debiliter tamen.

Cauſa verminosa Commeſtatis. *Cauſa* vermium principalis eſt anima, velut cauſa æquivoca. Vermes anguſtant partes, & corrodunt, pungunt, perforant, movent exhalationes, ob motionem inquinamentorum: adeoq; malorum non exiguorum cauſæ ſunt. Et hæc *de cauſis morborum* dicta ſufficiant.

Objectiones. 1. Obj. 1. Flatûs ſunt ſymptomata: calculi ſunt morbi: ergo non erunt cauſa morborum. ℟. Si flatus fiant à læſa facultate, tranſeat: ſi ab errore externo, nego. Calculi ſunt tantùm morbi pro materiali, & non pro formali; quia non fiunt tanquam terminus aliquis ſecundarius ex reſultantia.

2. Obj. 2. Spiritûs non poſſunt putreſcere: ergo falſum eſt aſſertum: probatur, quia ſunt tenuiſſimi, calidiſſimi, & ſicciſſimi. ℟. Etſi id negari poſſit; ſunt enim mixtum, cujus proprium eſt, putreſcere: tamen varia ipſis inquinamenta putrida, maligna, & venenata ſpiritibus, adjunguntur, ob quæ putreſcunt faciliùs.

3. Obj. 3. Sangvis non corrumpitur: ergo falſum eſt; quia vel in bilem degenerat, vel in phlegma, vel in ſerum: de quibus *ſuo loco* agendum ℟. Nos hic loqui de tota maſſa ſanguinea; ibi de parte.

CAPUT V.

De Symptomate.

A Morborum cauſis ad effecta, quæ *Symptomata* vulgo dicuntur, tranſimus: illæ namq; morbos præcedunt; hæc ſequuntur.

Symptomatis definitio. *Symptoma* eſt affectus præter naturam, qui morbum, velut umbra corpus, ſequitur, & ſine eo ſubſiſtere nequit, ab eoq; dependet mediatè, vel immediatè.

Symptomatum diviſio. Generaliter *dividuntur* ſymptomata, in *actiones læſas*, *vitia excretorum & retentorum*, & *qualitates mutatas*, ſeu ſimplices corporis affectûs. Inter alia autem ſymptomata primum obtinet locum

Actio læſa. *Actio læſa*, à morbo immediatè dependens; quæ aliud in exeretis & retentis excitare poteſt, & hinc in qualitatibus mutatis. Cauſarum rationem induere poſſunt ſymptomata; nunquam verò morborum: quia actiones primò, & per ſe, lædere non poſſunt: atq; adeò impropriè dicuntur *morbi* quidam *ſymptomatici*: eodem modo læſa nutritio eſt

cauſa conſumptionis partium, & tabis, ſeu marcoris: ſic retenta excrementa phlogoſes, febres, obſtructiones, tumores &c. in corpore generant. Primum ſymptoma actionis læſæ *tres* habet *differentias*: vel nempe eſt *abolita*; vel *imminuta*; vel *depravata*. *Abolita* eſt illa, quæ nullo ampliùs modo fit, nec fieri poteſt; ut viſio, in cæcitate; auditus, in ſurditate aboleri dicuntur: laxiori tamen modo dicitur actio abolita ad ſenſum, v.g. in apoplexia &c. *Imminuta* actio eſt, quæ fit, ſed debiliter; uti tarda & debilis ventriculi concoctio. Depravata actio eſt, quæ terminum producit, nec prout in fieri, nec prout in facto eſſe, omnino debitum; veluti cùm ventriculus alimenta convertit in ſuccos nidoroſos, ut bilem porraceam, aut omnino putridam materiam: terminum enim producit non omnino debitum, in palpitatione, rigore, ſingultu &c. Cùm actiones dividantur in animales, vitales, & naturales; animales iterum ſubdividantur in ſenſitivas, motivas, & principes; ſenſitivæ in 5. ſenſûs &c. totidem erunt *ſymptomata actionis læſæ*: v.g. viſus abolетur in cæcitate; depravatur in hallucinatione; imminuitur in obtuſione: auditus abolетur in ſurditate; imminuitur in hypocophoſi; depravatur in ſonitu, ſibilo, ſonitu &c. Motus aboletur in paralyſi; imminuitur in ſtupore; depravatur in convulſione: ſic actiones principes abolentur in apoplexia; iminuuntur in caro; depravantur in delirio, phrenitide, mania &c. Naturales quoque actiones, earumq; miniſtræ, abolitionem, imminutionem, & depravationem patiuntur; concoctio, v.g. ventriculi aboletur in apepſia; imminuitur in dyspepſia. Vitales actiones, quæ ſunt pulſus, & reſpiratio, pulſus aboletur in ſyncope; imminuitur in lipothymia, dum pulſus tardus, parvus, rarus reperitur; depravatur in cordis palpitatione: reſpiratio aboletur in aphonia; imminuitur in dyspphonia; depravatur in aſthmate &c.

Actio læſa triplex. *Imminuta.* *Depravata.* *Symptomata actionis læſæ.*

Tot etiam in *Excretis* ſunt ſymptomata, quot modis hæc peccant; utpote *ſubſtantiâ*, *quantitate*, & *excernendi modo*: & *ſubſtantiâ* quidem peccant, dum eam obtinent toto genere præter naturam (à vulgarum excremtorum natura omnino diverſam) qualia ſunt ſabulum, calculus, lumbrici; immò ea etiam talia dicuntur, quæ rebus conſtant naturalibus; ut ſunt caruncula, adeps, oſſicula, ſanguis &c. *Quantitate auctâ* peccant excrementa, dùm nimis copiosè per ventriculum, alvum, urinam, per nares, palatum, aures, oculos, aſperam arteriam, uterum, hæmorrhoides, inſenſibilem tranſpirationem, effluunt; ut in alvi fluxu, quovis ſudore copioſiore, hæmorrhagiâ, lachrymis involuntariis; in *diminutâ*, dum hæc paucius juſto exernuntur; ut fit in urinæ ſuppreſſione, alvi obſtructione &c. In omnibus etiam *qualitatibus* peccant excrementa, quatenus ſunt vel nimis calida, frigida, craſſa, liquida, viſcida, ſpumoſa; vel quatenus colore, odore, ſapore, alienis ſunt imbuta. Deniq; peccant excrementa, dum non, juxta naturæ præſcriptum, excernuntur debito *tempore*, & *modo*. Ultimum denique ſymptomatum genus eſt in *Qualitatibus mutatis*, ſeu ſimplici corporis affectu; quæ vel ſunt *prima*, *ſecunda*, vel *tertia*: ut frigus, calor &c. durities, mollities, gravitas, levitas, raritas, denſitas, aſperitas, lævitas &c. colores, odores, ſapores & ſoni, patibiles ſenſuum qualitates, id eſt, quæ à ſenſibus percipiuntur.

Symptomata in Excretis, & Retentis.

Quær. 1. Sub quanam actionis læſæ ſpecie contineatur fames canina? ℞. Sub depravata actione; quia perperam exercetur: nec obſtat, quòd objici poteſt, hac ratione etiam diminutam ſub depravata debere poni; quia contraria ſunt ſub eodem genere; nempe eò, quod Medici non conſiderent contrarietates Logicas, ſed tantùm diverſitates attendant. *Quæſtiones. I.*

Qu. 2. Quomodo qualitates primas hîc referimus ad ſymptomata: cùm antè diximus, eſſe morbos pro materiali? ℞. leves intemperies, quæ ſunt tantùm in fieri, nec ullam adhuc habent permanentiam, aut quæ per ſympathiam producuntur, hîc intelligi. *II.*

Obj. 1. Aſperitas, & lævitas, referuntur ad morbos organicos: ergo non erunt ſymptomata. ℞ ſi actiones lædant, ob inſigne ſui augmentum, referri ad morbos organicos: ſi verò ita leves ſint, ut actiones non lædant, tum vera ſunt ſymptomata, & non morbi. *Objectiones. 1.*

2. Obj. 2. Si daretur ſymptoma, vel eſſet quid adintegrans naturalem conſtitutionem; vel quid illam corrumpens: ſed neutrum dici poteſt. ℞. licet ſymptomata non vitient conſtitutionem, ad id tamen, quod vitiat, ſequuntur.

3. Obj. 3. Tuſſis, ſternutatio, ſingultus, &c. ſunt ſymptomata, teſte Gal. *lib. 2. de ſympt. cauſis*, ſed, ex ejusdem doctrina, *l. 7. aphor. comment. 51.* hujusmodi ſymptomata ſunt à natura: ergo non ſequuntur ad morbum, ſive ad id, quod conſtitutionem invertit: ſecundò: Criticæ evacuationes ſequuntur morbos; & tamen non ſunt ſymptomata: tertiò: Morbus ſequitur morbum: ergo non eſt intrinſecum ſymptomatis, ut ſequatur morbum. ℞. ad primum: has actiones fieri à naturâ, leviter irritata, diciq; ſymptomata lato modo: ad ſecundum: Criticæ evacuationes ſunt in morbo; ſed à naturâ vincente: neque ſunt ſymptomata, ſi ſint ſecundum naturam; ſecus, ſi contra naturam. Ad tertium: Morbus, etiam reſpectu morbi, quem ſequitur, poteſt dici ſymptoma: ratione actionum, quas lædit, poteſt dici, & eſt, morbus.

Nota. I. Nota: primò: plurima ſymptomata lato modo ſumpta eſſe; uti eſt color Æthiopis, cruditas ventriculi, absque morbo genita, oſcitatio, amantium pathemata, fœtidus odor &c.

II. Nota: ſecundò: Omne ſymptoma petit ſequi morbũ immediatione cauſæ, non immediatione ſymptomatis: talia ſymptomata ſunt in qualitate mutata, in excunte variato; quæ non immediatè ſequuntur morbum immediatione ſymptomatis, ſed immediatione cauſæ, id eſt, actionem læſam: ſecundò: defectus lapides digerendi non eſt ſymptoma ventriculi, ſed tantùm impotentia ad paſſum ineptum; quia actûs activorum ſunt circa paſſum diſpoſitú.

Quæſtio. Qu. Utrum ſymptomata Medici curam ad ſe trahant? ℞. Præſervatoriam concedo: curatoriam nego: quali ſenſu intelligẽdus eſt Gal. *lib. 11. meth med. c. 12.* ubi ait, curationem ſymptomatum fieri per contraria: immo propria non eſt, ſymptomatum cura; ſed tantùm lenitio, teſte Galeno, *1. therapevt. ad Glauc.*

4. Obj. 4. In timore labefactantur partes, abſente morbo; ſecundò: viſus hebetatur, ſine morbo, teſte Gal. *5. ſimpl.* tertiò: in ſyncope, ob defectum ſpirituum, non eſt morbus: quartò: ab acri ſenſu partium excitantur ſymptomata, ſine morbo: quintò: in horrore nullus eſt morbus: ſextò: Venere inſani plurima habent ſymptomata, absque morbo: ſeptimò: incantationes impediunt Venerem: octavò: concoctio ventriculi læditur vitio ciborum. ℞. primò: in timore ſtatim inducitur intemperies ad partes externas, ob retractionem caloris: ſecundò: in viſu hebetudo eſt morbus, Logicè, licet non Phyſicè: tertio: in ſyncope eſt morbus in corde: quartò: in acri ſenſu eſt juſto rarior textura, ſive morbus in compoſitione: quintò: terror ſequitur morbum: ſextò: qui nimium ſtimulantur ad Venerem, etiam ob calorem jecoris, iis ſemen nimium acre redditur: ſeptimò: in incantationibus eſt morbus occultarum proprietatum: octavò: actiones non læduntur ab excrementis, ſymptomaticè quidem, ſi non ſit morbus: ſic enim non eſt ſymptoma; impotentia tamen eſt; uti in errore externo; nec minima actionum læſio dicenda eſt ſymptoma, niſi ſit â morbo.

Obj. 5. Symptomatum curatio fit per contraria: ergo non eſt præſervatoria; teſte Galeno, *lib. 11. meth. c. 12.* ℞. præſervationem etiam fieri per contraria ſymptomati; viribus tamen ſimilia. 5.

Obj. 6. Dolor debilitat vires: ſed dolor eſt ſymptoma, debilitas virium utique: ergo etiam à ſymptomate oritur ſymptoma. ℞. Dolor debilitat vires effectivè; nego: ſymptomaticè; concedo: ergo debilitas virium non provenit à morbo: nego conſeq. 6

Obj. 7. Sopor, & pervigilium, ſunt ſymptomata in actione læſa; ſed nec in ablatâ, nec in diminutâ, nec in depravatâ: ergò ad nullum genus referuntur: ſecundò: quodlibet membrum dividens ſub actione, debet eſſe actio; ſed abolita non eſt actio: tertiò: actio diminuta à naturali tantùm ſecundum majus & minus differt; quod non variat ſpeciem. ℞. ſoporem, & pervigilium, ad depravatam actionem referri; quæ, ſecundum Galenum, eſt, dum aberrat à naturali ſtatu, vel ſecundum ſubſtantiam, vel ſecundum durationem, 7.

nem, aut motum; ut ſopore, & pervigilio. Ad ſecundum ℞. eſſe nihilominus de intrinſeca actione hujus actionis, quæ non poteſt per alium terminum aptiùs explicari. Ad 3. ℞. Licet actio diminuta in eſſe actionis, non differat à naturali; differt tamen in eſſe actionis læſæ: quia aliquid plus includit, quàm actio naturalis.

8. Obj. 8. Omnia ſymptomata ſequentia, ut diarrhæa, lienteria, ileon, &c. quæ hîc referuntur ad excreta & retenta, pertinent ad actionem læſam: ergo malè. ℞. quoad ſubſtantiam pertinere ad excreta & retenta: quoad ſui productionem, referuntur ad actionem læſam.

III. Nota 3. De ſymptomatum cauſis multa ſcribere, ſuperfluum eſſe cenſemus; eæque à morborum cognitione petendæ ſunt. Omne enim ſymptoma à morbo, velut à genuina ejus cauſâ, oriri defendimus.

9. Obj. 9. Fernel. *l. 2. pathol. c. 2.* Nihil ne quidem diverſâ ratione poteſt ſibi vindicare rationem morbi, & ſymptomatis; intellige ſimul. ℞. hoc eſſe falſum (pace tanti Viri dixerim) v.g. calida ventriculi intemperies, à calidâ intemperie jecoris profecta, quatenus ab hac profecta, eſt ſymptoma: probatur: quia tota definitio ſymptomatis ei convenit: alia verò ratione eſt morbus; quatenus nimirum actiones ventriculi primò lædit: id autem fit diversâ ratione, eo modo, quo Petrus eſt filius Joannis, & pater Philippi: ſic diverſo reſpectu conſideratur ut cauſa, & ut effectus.

Obj. 10. Idem Fernelius aſſerit, nihil poſſe morbi cauſam dici, & ſymptoma. 10.
℞. negando aſſertum hoc: v.g. humorum corruptio ſit ſymptoma, profectũ ex vitiatâ jecoris conſtitutione: quid impedit, cur eadem humorum corruptio poſtea non ſit futura cauſa febris? Erit ergo humorum corruptio, reſpectu vitiatæ jecoris conſtitutionis, ſymptoma: erit autem cauſa morbi, reſpectu febris. Similiter contuſio, à baculo facta, eſt morbus: hic pro ſymptomate habet dolorem: dolor fluxionem excitat; fluxio collectionem humorum facit; collectio humorum diſtenſionem & obſtructionē procreat; obſtructio prohibitá transpirationem producit; prohibita transpiratio nativi caloris extinctionem profert; nativi caloris extinctio humorum putredinem accerſit; humorum putredo inflammationem accendit: & ſic dolor, fluxio, humorumque collectio, ſunt ſymptomata contuſionis, & cauſæ obſtructionis, quæ eſt morbus.

ISAGOGES MEDICINÆ
PARS, ſeu TRACTATUS TERTIUS:
CONTINENS SEMEIOTICAM.

CAPUT PRIMUM,
De Signis in genere.

Signum quid. SIgnum, Græcis σημεῖον, eſt notum, quid ignotum patefaciens: ignotum verò illud eſt naturale, vel præternaturale: vel eſt præſens, id eſt, diagnoſticum; vel præteritum, id eſt, anamniſticum; vel futurum, id eſt, prognoſticum: quorum quodvis iterum eſt triplex: vel ſalubre; vel inſalubre; vel neutrum.

Notum verò, ex quo patet ignotum, totuplex eſt, quotuplex ſenſuum numerus. Nihil enim eſt in intellectu, quod non priùs fuerit in ſenſu; utpote viſibile, audibile &c. eſtque vel neceſſariò tale, vel probabiliter tantùm. Signum diagnoſticum, ſeu demonſtrativum, præſentem conſtitutionem, ſeu naturalem, ſeu præternaturalem, demonſtrat; prognoſtica verò futuram; anamiſtica præteritam.

Quotuplicia. Sunt autem ſigna alia *communia;* alia *propria : propria* ſunt, quæ uni tantùm affectui conveniunt ; *communia*, quæ pluribus: propria ſtrictè dicta ſunt inſeparabilia. Sunt & aliæ ſignorum differentiæ: nam alia ſunt *Pathognomonica*, *Pathognomonica.* quæ morbi eſſentiam conſequuntur, & cum eo neceſſariò cohærent, nec ab eo ſeparari poſſunt: *Synedrevonta*, *Synedrevonta.* aſſidentia, quæ à morbo ſeparari poſſunt, neq; ſemper adſunt, ſed quandoque planè abſunt: *Epiginomena*, *Epiginomena.* & *Epiphanomena*, *Epiphanomena.* quæ nec morbi naturam, nec ſpeciem, ſed ejus duntaxat oſtendunt mutationem : ſuntque triplicis generis; vel enim coctionem, vel cruditatem, vel ſalutem & mortem, vel morbi ſolutionem, portendunt.

Tres ſignorum fontes. Reducuntur pleræq; ſignorum differentiæ ad *tres fontes*; utpote ad naturam, ſive eſſentialiter inhærentia, cauſas, & effecta; vel enim res ex ſe, & ex propriâ naturâ ſuâ, manifeſta eſt ; ſive ſanitas ſit, ſive morbus, ſive cauſa morbi, ſive ſymptoma: vel etiam abſtruſioris ſunt naturæ : & ſic ad cauſas, & effecta, confugiendum, & ex his methodicè analogiſandum.

Ingreſſus ad infirmum qualis eſſe debeat. Primo enim ad infirmũ ingreſſu cauſæ tum externæ, ſecundũ res 6 non-naturales; tum internæ, ſecundum naturales, elementa ſcilicet, temperamenta, humores, ſpiritûs &c non lentâ ſunt Minervâ inveſtigandæ: ſecundò ad ipſius ſubjecti diſpoſitionem, ſecundum temperamentorum, virium, ſexûs, ætatis vitę generis, & conſvetudinis, varietatem reſpiciendum: tertiò: ſanitas, & morbus, ſecundum eſſentialia conſiderentur, & accidentalia; utpote ſecundum quantitatem, qualitatem, motum, tempus. Hîc ſuum cuivis ſenſui repræſentetur objectum, utpote viſui Ægrotantis objiciatur decubitus, utrum ſit naturalis; aut contrà, quietus &c. conſideretur facies, utrum bene ſit colorata, & naturali ſimilis; an Hippocratica (Patienti tamen non naturalis) oculi nimium ſint concavi, collapſæ genæ, tempora depreſſa, naſus acutus, aures elongatæ, & flaccidæ: utrum lingua ſit ſicca, rimoſa, nigra, phlegmate, vel bile, obducta: utrum ungues ſint adunci, incurvati &c. urinæ quantitas, color, contenta; ſputa, dejectiones, vomitus, doloris ſitus, & plurima alia, ad Lydium lapidem referenda; &, quæ ſenſibus non patent, ab Ægroto modeſtè ſunt ſciſcitanda, cum Hipp. *lib. de affectibus. tex. 36.* Cùm ad Ægrotum deveneris, interrogare oportet, quæ patiatur, ex quâ causâ, & quot jam diebus, & an venter ſecedat, & quo victu utatur, brevî per omnes functiones digrediendo, animales nempe, vitales, & naturales; &, ſi quis in aliqua harum fuerit defectus, interrogetur durationis tempus: utrum ſummos ſtatim ſenſerit labores, an ſenſim: utrum excretiones alvinæ, vel qualeſcunque menſtruæ, urinæ ſuccedant, & à quanto tempore non ſuccedant: ex auditu ſtertor, reſpiratio &c. percipiuntur: guſtum ſcatophagis relinquimus, & adulatoribus: tactu pulsûs differentias exploramus, calorem, frigus, humiditatem, ſiccitatem, abdominis tumorem, plenitudinem, & inanitionem, hepatis, lienis, renumque, aut glandularum, ſcirrhum, duritiemque exploramus : odoratu putredinem, tum in excrementis, tum in urinis, & ſudoribus; quos etiam inviti olfacere cogimur. Bene itaque perpendendum, ex omnibus ſignis, quodnam ſit inſalubre, & contra naturam; quod ſalubre, & ſecundum naturam ; quod neutrum, indicans ſcilicet, adeſſe conſtitutionem mediam inter ſanitatem, & morbum; tale ſignum eſt convaleſcentium, ſenum &c.

Quær. 1. Quodnam ſignum ſit illud *Quæſtiones.*
in pleuritide; dolor ad jugulum ; aut ad *I.*
ilia pertingens? ℞. eſſe epiphænomenon, quod aliàs cum affectu invadit, aliàs ſeriùs: & quando in pleuritide dolor ad jugulum aſcendit, dicitur pleuritis adſcendens : quando verſus ilia tendit, dicitur deſcendens; & tutior eſt priore.

Qu. 2. Quæ ſigna dicuntur univoca, *II.*
& quæ æquivoca? ℞. univoca dici vulgo pathognomonica; æquivoca verò eadem eſſe, quæ epiphænomena.

Qu. 3. Ad quod ſignum referenda *III.*
ſit levis laſſitudo ſpontanea? ℞. Ad ſignum neutrum: nam notabilis laſſitudo eſt ſignum morbi imminentis.

Qu. 4.

17. Quær. 4. Quidnam indicent in acutis rhonchi, ſtrepitûs ſtertoroſi, murmurilla ? &c. ℞. eſſe ſigna mortem prænuntiantia; quorum cauſæ ſunt adſtrictio aſperæ arteriæ, & bronchiorum ejus, in ſeſe collabentium, ob caloris nativi depauperationem, humores vel à capite, vel aliunde, aliquando per vulnus affluentes, rejicere, vel digerere, non potentis : ultima plerumque naturæ, cum morbo, lucta.

Caput II.

De Urinarum Differentiis.

EXactam ſatis, de *Uromantica*, doctrinam tradidiſſe non videntur noſtri Parentes in Medicina; quæ videlicet neceſſitati, ad morborum notitiam requiſitæ, ſufficiat : quo circa penitius inſpicienda.

Urina definitio. *Urina* eſt excrementum cordis, & arteriarum, ex materiâ aquosâ, ſalsâ, ſerosâ, & alimento coctionem renuente humido, à renibus, per arterias emulgentes, attractum, in veſicam collectum, & per urinarios meatûs egreſſum, ut ſangvis depuretur. Cordis excrementum eſſe, nova, *de Sangvificatione*, docet experientia : immo teſtatur Ariſtot. *l. 1. de gener. c. 17.* & ratio ipſa evincit, minimum affecto corde, urinas affici, & colorari, & citiùs quidem, quàm aliis læſis coctionibus, quæ ſui defectivum veſtigium tardiùs imprimunt : quod utique ex urinarum obſtructione patet, ubi ſummus ardor circa cor ſentitur &c. *Urinarum differentia à colore.* *Differentiarum fontes* ſunt *ſubſtantia, contenta, quantitas*, & *qualitas*; ſub qua continentur *colores*. Ex *Albis* urinis aliæ ſunt *intenſa, cryſtallina, nivea, aquea*, quæ ſummam arguunt cruditatem : aliæ ſunt remiſſæ ab albedine intensâ; ut quarum color eſt *lacteus*; qui bonitate aqueum & cryſtallinum ſuperat : vel ſunt *glauca*; quæ ſunt veluti cornu perlucidum : *charopus* urinarum color eſt, qui ſubalbidos cameli pilos refert.

Ubi verò, à cruditate recedentes, aliquam tincturam capiunt, *Spicea* videntur, dein *ſubſpicea*, ſimiles bili, humori cuidam confuſæ. *Spicea* ſunt, quale decoctum leve malicorii, ſi fortiùs decoquatur : *ſpicea* urinæ *ſubaurea* laudem inter omnes merentur : poſt has *aurea* : tertiò *ſubcrocea*, flori croci ſimilis, in aquâ diſſoluto : *ſubrubea*, & *rubea*, ipſos etiam flores referunt dilutos : *rubea* pomo rubro, ceraſis &c. *ſubrubea* verò bolo Armenæ, & terræ Lemniæ : urina *vinea* hepatis refert colorem; *poſſea* ceraſi ſubnigri fructui aſſimilatur : *Venetus*, & *cæruleus* color, ex puro albo, & nigro, æqualiter confuſis, veluti ſi ceruſſa atramento, vel bitumini commiſceatur : color *viridis* ad braſſicam, gramē, ſmaragdum &c. accedit : *oleacea* quoque dici poteſt, ab oleaceo colore : datur quoque *lividus* color; quales plumbi colores : hoſce in ipſis etiam contentis reperiri, certum eſt : ſuntque vel permanentes, vel transmutantur; idque vel in meliores, vel peiores, breviter, tardè, ordinatè, vel confuſè : *nigri* colores per ſe manifeſti ſunt. A *ſubſtantiâ* deſumuntur differentiæ, quatenus vel ſunt *craſſa*, *à ſubſtantiâ* vel *tenues*, vel *mediocres* : talesq; ſunt *in ipſa*, vel *poſt mictionem* : nam ratione caloris tenues aliquando apparent; quo recedente, craſſeſcunt poſt ſubtilium vaporum evaporationem : ſunt etiam, quæ, ut mictæ ſunt, ita manent · *craſſarum* aliæ attenuantur; aliæ indiscretè, ut à principio erant, permanent : craſſæ, uti & tenues, omnes comparationis gradûs percurrunt.

Contentorum ſubſtantialium *triplex* *à Contentis.* eſt genus, ut *hypoſtaſis*, id eſt *ſedimentum*, quod in fundo matulæ reperitur; *enæorema*, ſeu *ſuſpenſum*; & *nebula*, ſeu *nubes*: quorumlibet horum iterū aliud *craſſum*, aliud *tenue*, aliud *mediocre*, aliud *albū*, *ſubalbum*, *ſubſpiceum*, *ſpiceum*, *bilioſum*, *ſubrubeum*, *rubeum*, *cruentum*, *umbroſum*, *Venetum*, *nigrum*, *farinaceum* &c; *leve*, *æquale*, *inæquale*, ſeu *divulſivum*, *continuum*, *horizontale*, *coactum*, *rugoſum*, *diſſolutum*, *tenax*, *glutinoſum*, *aſperum*, *lamineum*, *ſimilaceum*, *laneum*. Urinis quoque *aranea telis* ſimilia, *olei guttula*, velut in pingvi jure, *ſpuma*, *bulla*, innatant. Hûc quoque refertur *Corona*; quæ diverſis variatur coloribus, & eſt linea quædam, umbrâ depicta, quæ circumcurrit per ambitum ſuperficiei urinæ, circulum deſcribens.

à Quantitate, & Qualitate. A *quantitate* urinæ dicuntur *multa*, vel *pauca* : à *qualitate frigida*, vel *calida*.

Cap.

CAPUT III.

De Judiciis, Cauſis, & Prævidentiis ex urinis.

Requiſita ad urina inſpectionem. *Locus.*

SIgna concoctionis, & cruditatis, in omni corporis regione, ex *urinis* peti commodiſſimè poterunt. Ad illarum *inſpectionis* naturam penitus rimandam, *locus* nec lumine, nec tenebris, excedens, ſed mediocritatem habens, inſpectioni deſtinandus eſt: neque, ut exactè inſpiciantur, urinæ adhuc calentes viſui ſunt objiciendæ: ſic enim nec de bullis, quarum pleræque cum calore evaneſcunt; de contentis, quæ ſubſident, accedente frigore, quod gravia deprimit, judicium fieri poteſt: itaque immota, loco minimè aprico, aut Solari, neque hyberno ſervetur.

Hominis ſani urina.

Hominis exactè ſani, ad quam, veluti ad amuſſim, reliquæ comparandæ ſunt, eſt vel ſubaurea, vel ſubcrocea; ſubſtantiâ mediocris; proportione potui reſpondens; hypoſtaſis alba, levis, æqualis, bullis abſentibus, nec matulæ inhærentibus tuberculis; in qua extranei corporis nihil reperitur.

Differentia, à Temperamento.

Et cùm magna ſit *temperamentorum* diverſitas, ſanguineis ſubauream eſſe, biliosis ſubcroceam, melancholicis, & phlegmaticis, ad album inclinantem, urinam eſſe, ſciendum eſt. Non exiguam tamen patitur mutationem urina, ſecundum *ſexum*, & *ætatem*. Nam

à Sexu & Ætate. Urina Juvenum. Puerorum.

juvenis temperati, & *ætate florentis*, urina eſt ſubaurea, & ſubcrocea, cum paucâ hypoſtaſi: *puerorum* urinæ, veluti parum recedunt à ſubaureis, & ſubcroceis; ita ſubſtantiâ parum ſuperant urinas juvenum, ſedimentique plurimum habent, ob ἀδδηφαγίαν, ſeu voracitatem, cruditatis matrem: *creſcente ætate*, color intenditur, & minuitur hypoſtaſis: in *vegetâ juventute*, ſubaureo exiſtente colore, mediocris ſubeſt hypoſtaſis, & quantum ætas à floreſcente declinat, tantum urinæ à ſubaureo colore remittunt, & in album declinant, minori tamen hypſtaſi.

Mulierum.

Mulierum, in *vigore* degentium, parum à ſubaureo, & ſubcroceo, recedunt urinæ, ſubſtantiæ ſunt quodammodo ſubtilis, hypoſtaſis, quàm virorum, cumulatioris.

Urinarum prognoſis ex colore.

Concoctione ritè peractâ, debitus quoque urinis accidit *Color*: dum verò fit concoctio, urina ſpiceum potiùs, & album, exhibet colorem.

Urina alba.

Alba, & copioſa, urina, in ſanis multam vini, præſertim exilis, indicat potionem: alba, quantitate mediocris, cum hypoſtaſi proportionali, hepatis intemperiem demonſtrat: ſi obſcura valde, latensq; ſit hypoſtaſis, ſenectutem vel ex ſe, vel ex morbo, ſignificat: Alba, cum diverſa hypoſtaſi, hydropem denotat: alba ſimul, & tenuis, eſt obſtructis renibus, & aliis viſceribus internis: dum alba redditur urina, in acutis febribus, imminet phreneſis, aut delirium: nam ſignum eſt, bilem aliò, id eſt, ad caput, rapi. Albedo urinarum quò magis intenditur, eò peior eſt: cryſtallina, & aquea, cruditatis à frigiditate, aut obſtructionis maximæ meatuum ſequeſtrantium, ſoboles eſt: glauca urina potiùs ob debilitatem virtutis alterantis, & humores concoquentis, producitur: alba, in diabete perſeverans, periculoſa eſt: alba in juvenibus deterior eſt, quàm in ſenibus: alba diuturna obtenebrationes, vertigines, epilepſias, nauſeas, caninos appetitus, arthritidem, paralyſes, capitis diverſas paſſiones, podicis dolores, & approperantem ſenectam ſignificat.

Lactea: Glauca: &c.

Lactea, *glauca*, charopa, in febrium principiis, & augmentis, laborioſa eſt: nam multitudinem materiæ arguit: ubi albæ in febribus ſunt urinæ, minor eſt ſitis, & bilioſa ſunt alvi excrementa, vel capitis dolores vertiginoſi infeſtant.

Subſpicea, & Spicea.

Subſpicea, & *ſpicea*, cruditatem, minorem tamen, quàm alba, ſignificat: ſignum enim eſt, naturam jam concoctioni incumbentem eſſe.

Subaurea, & Subcrocea.

Subaurea, & *Subcrocea*, moderatè cocta cenſetur, talisq; laudatur in juvenibus, & adoleſcentibus; minùs in ſenibus, & mulieribus, quibus naturale eſt, urinas ſubſpiceo tingi colore.

Aurea. & Crocea.

Aurea, & *crocea*, majorem arguit calorem: illa cum; hæc ſine, materia: illa ab irâ, æſtu, viſceribus calidis; hæc ob vigilias, laborem, & alia bilem cumulantia: in ſenibus, & mulieribus, majorem cauſæ vehementiam arguunt.

Subrubra, & Rubea.

Subrubea, & *Rubea*, talis exiſtit, aut à bile rubea, aut à ſanie ipſius ſangvinis; & talis ſæpe febrium eſt prodromus:

nam

nam ex minori ſanguinis ventilatione oritur. Si exactè rubra eſt, ſangvine, vel ex renibus, vel urinæ viis, conſtat, & cum tempore ſanies ſubſequitur; niſi ſit à mera laxitate: nihil tamen mali magis exitialis portendit, præcipuè juvenibus: contrarium eſt in ſenibus; quia eſt ſanguis humor homini magis neceſſarius, & familiaris.

Vinea. Urina *vinea* humoris ſalubris aſſationem, & in atram bilem degenerare, innuit; minùs tamen eſt mala, præſente ſedimento laudabili; uti nonnunquam in ſanis ex multo labore notatur; ubi ſanguinis globuli, in cute ſudorificati, apparent: eodem modo per internas ſuperficies venarum exſudat ſanguis, motu aſſatus, & per urinas excernitur. In febricitantibus vinea urina, ſanguinis ſaniem abundare, putreſcere, ac bileſcere, inſinuat; talibúsque urinis accedunt ſitis immodica, oris ſiccitas, deliria, tuſſis, & hypochondriorum dolor &c.

Paſſea. Color, urinarum *paſſeus* morbi longitudinem præ ſe fert: nam, bilem aduri, notificat; quæ pertinaces, ut in morbo regio, facit obſtructiones, quæ ſi tranſeat in atrabilarium humorem, omnia exaſperat, febrémque ardentiſſimam, cum jectigatione, ſiti, &c. accendit. *Viridis:* Urinæ *virides* pernicioſæ ſunt: nam eſt *Violacea:* tranſitus ad *violaceam*, & tandem ad *Cærulea nigra:* nigram, à ſummo ardore ad *cæruleam*, & *nigram*, quæ lethalis eſt. *Oleacea.* *Oleacea* urina denotat caliditatem quandam veluti habitualem, & liquationem; ſi præcipuè diutius perſeveret. *Porracea.* Viridis, ſeu *porracea*, urinæ ſymptomata ſunt inſania, vomitus, ſitis, æſtus, lingua aduſta & rimoſa, ſpaſmus: remittentibus tamen coloribus, ſi vires adſint, ſpes ſalutis effulget mediocris. *Livida.* Urinæ *livida*, aut Venetæ, à nigris ſolùm ſecundum majus & minus differunt: lividus color Veneto adhuc intenſior eſt, & livido, niger: nam Venetus talis eſt, ob mediocrem melancholici humoris admixtionem, vel intenſum frigus, & mortificationem: idem puta de livido; qui tamen etiam contuſis accidit. *Nigra.* *Nigra* ſummi caloris index eſt, ſi cærulea, aut viridis, præceſſerit; frigoris verò, ſi livida, aut Veneta: non tamen negaverim, etiam in ſanis, per epicraſin, humorem nigrum à liene expurgari, citra periculum. Venetæ, & lividæ, nunquam fiunt à calore, ſed à frigore: calor aſſando denigrat; frigus verò denſando; uti apparet in nubibus: hinc apparet, ſi in quartanis urinæ præceſſerint albæ, nigræ ſubſequantur, bonum: ſi verò virides, aut lividæ, malum. *Urinæ ... ſubſtantia.* *Mediocritas* in ipſa urinæ *ſubſtantia*, laudabilem in venis concoctionem fieri, innuit: nam in cruditate confuſæ, & non elaboratæ, apparent ſubſtantiæ; & malæ quidem, ſi ſint turbatæ, uti alvus, & excernantur cum dolore, & inordinatione, & præciſè, ſi tales excernantur, talesque permaneant. *Tenues.* *Tenues* ſunt urinæ, ob nativi caloris debilitatem; *craſſiores* verò ſunt, quando aliquis humor obtundit calidum innatum: obſtructio tenues; apertio craſſas reddit urinas: inedia tenuem, ſubcroceam, paucis contentis, aut nullis, gignit urinam. Hypercatharſis, aut longa evacuatio ventris, urinæ, ſanguinis &c. tenuem, albam, ſine ſedimento efficit urinam: craſſa rejicitur ob humorum craſſorum admixtionem, vel etiam, dum corporis pori denſantur, vel dum concoctionis eſt principiū. Vinci poteſt calor innatꝰ non tantum à frigore, ſed etiam à nimio calore: hinc urinæ crudæ, & tenues: tenues in principio, præcipuè, ſi varii appareant colores, magnam arguunt virtutis debilitatem: craſſæ, moderatæ tamen, ſignificant, jam ſeſe naturam ad expulſionem accingere: ex his multi futuras ventris evacuationes, vel abſceſsûs conjiciunt: nam ventrem, inteſtina, & hepatis cavum, impuritatibus plenum ſignificant. Si tenues urinæ perdurent, accidentia morbi increſcere, virtutem ſuperari, & periculum adeſſe, portendunt; cum robore, morbi longitudinem. Urinæ quò magis ab albo recedunt, eò minùs tenues apparent; &, licet nigræ aliquando tenues ſint, non tamen apparent tales; nam craſſities viſum nõ tranſmittit: aſpera quoq; minorem habent tranſparentiã, quàm læviaꝭ uti patet in gemmis politis. Ubi urinæ præceſſerunt tenues, in febribus, iisque ſuccedunt craſſæ, eſt declinatio: ſi autẽ à principio fuerint craſſæ, talesq; perſeverẽt, virtutis imbecillitas, humorumq; copia indicatur: ſi verò & tenuiores, &

meliùs

meliùs coloratæ, evadant, exſpectanda remiſſio. *Fætor* eſt urinæ accidens; quia hæc eſt corpus ſimplex; eſt autem fætens, ob vapores corruptos ei adinixtos; &, ſi fætor, ſine levamine, ceſſet, malum; ſi contrà, bonum. *Fætor urinæ.*

Objectiones. 1. Obj. 1. Hipp. *6. epidem. ſect. 5.* bonam, ait, eſſe urinam, quæ cibo & potui concolor eſt; cùm talis videatur eſſe crudiſſima, utpote non mutata. ℞. Hipp. ibi aſſignare materiam urinæ; non verò bonam qualitatem: ergo culpandus non videtur.

2. Obj. 2. Hipp. *in prognoſtico, prorrhetico, & aphoriſmis*, urinas nigras perpetuò lethales eſſe, ait: ergo falsò hic contrarium aſſeritur. ℞. Urinæ, quæ γενέσει, id eſt, generatione, nigræ ſunt, perpetuò malæ ſunt; concedo: quæ nigræ ſunt ob admixtionem adventitii alicujus humoris; nego.

3. Obj. 3. Signa concoctionis, in febribus malignis, ex urinis peti non poſſunt: ergo falſum eſt aſſertum. ℞. Nos loqui de mòrbis ab humoribus dependentibus; non de occultis qualitatibus.

4. Obj. 4. Sedimentum ſæpius apparet album, in principio morbi; & nullam tamen indicat concoctionem: ergo contrarium malè eſt aſſertum. ℞. ſedimentum alimentale; conc. morbificum, ſeu cauſæ morbificæ; nego: eſt autem duplex ſedimentum: alimentale, & morbificum.

Caput IV.

De Contentis Urinarum.

Contenta quid præſagiant. Contenta, uti & reliqua omnia, quantitate mediocria probantur: inedia, exercitia, obſtructiones, & tardæ concoctiones, pauca reddunt contenta: multa, in principio & augmento morbi, humorum copiam arguunt, qui vires poſtulant robuſtas, ad ſui concoctionem: in vigore tamen, & declinatione, contentorum multitudo bonam facit prognoſin.

Omnium verò urinarum, à ſtatu naturali deflectentium, norma eſt urina ſubruffa, aut ſubflava, talis manens, qualis mingitur, quantitate potui proportionata, ſubſtantiâ mediocris, non omni odore carens, vel graveolens, cum *Hypoſtaſi* albâ, lævi, æquali, pyramidali, fundum matulæ occupante, ſine ullis craſſamentis, ramentis, bullis &c. *Hypoſtaſis quæ optima.*

Contentorum, ab hac mediocritate deflectentium, quantum obſervare potuimus, viginti obſervavimus: *Contenta urinarum 20.*

Primum eſt *Circulus*, qui urinæ ſupereminet; qui ſi groſſus eſt, & aquoſus, parte capitis poſteriorem phlegmate; rubeus, anteriorē ſanguine; citrin, choleram in dextra; pallidus, melancholiam in ſiniſtra parte; lividus, mortificationem, & epilepſiam ſignificat: viridis incendium magnum; quale in acutis febribus; niger iſtorum complementum. 1. *Circulus.*

Secundum contentum eſt *Ampulla*, contentum magnum, toti ſuperveniens urinæ, à flatibus, in humido viſcoſo incluſis, ortum, cruditatemq; indigeſtionem, dolorem capitis, ventris, lateris, renum, & partium adjacentium; unde dolorem capitis, & catarrhum ad pectus futurum, denuntiat. 2. *Ampulla.*

Tertium contentum ſunt *Grana*, ſeu *Bulla*, ex ſimili ferè cauſa orta, rhevmatis prodromi; ſimili à pluviâ, granatim cadente, ducto 3. *Bula.*

Quartum contentum eſt *Spuma*; quæ ſignificat cruditatem, & viſcoſitatem materiæ: ſi croceum refert colorem, hepatis calorem; ſi viridis eſt, aduſtionem; nigra, mortificationem innuit. 4. *Spuma.*

Quintum contentum eſt *Obumbratio*; quæ nobis quandam quaſi eclipſin generat; ſummamq; perturbationem, ſeu febres; adeſſe portendit. 5. *Obumbratio.*

Sextum contentum eſt *Nubecula*; quæ eſt quædam quaſi glomeratio granorum, & tenet ſe in quadam nube albâ, vel quaſi albâ: anguſtiæ pectoris index. 6. *Nubecula.*

Septimum contentum eſt *Unctuoſitas* ſemicircularis; quæ nauſeam, vomitum, ſtomachi gravedinem, aut repletionem, nonnunquam mentitur. 7. *Unctuoſitas.*

Octavum ſunt quædam quaſi *Atomi*, ſurſum & deorſum latæ; & fermè eadem, quæ prius, indicant. 8. *Atomi.*

Nonum eſt *Sanies*, ſeu virulentia, à pulmone, vel hepate, renibus, veſicâ, vel ureteribus, orta; ſimulq; fætet, ob ulcus, vel apoſtema ruptum &c. Hîc partis dolentis ſitus diligenter tactu eſt explorandus. 9. *Sanies.*

Deci-

10. Pinguedo. *Decimum* contentum eſt *Pinguedo;* quæ, dum eſt ſine febre, à renibus ; & urina ſtatim apparet ſuperiùs tincta, in magna quantitate ; dum eſt pinguis cum febre, provenit à toto, tardiùs, & in minori quantitate, apparet: in primo hecticæ gradu ſunt quædam veluti guttæ ; in ſecundo veluti telæ ; in tertiò ſicuti oleum : & tamen ſupra lapidem cùm projicitur, ſonat, ac ſi eſſet æs fuſum.

11. Humor crudus. *Undecimum* contentum eſt *Humor crudus*, ſaniem, & hypoſtaſin referens: ſi, vitro concuſſo, faciléad locum redit, eſt hypoſtaſis; ſi contrà, eſt humor crudus; & non eſt acutæ, vel pineatæ, figuræ ſed diverſæ: ſanies eſt fuſci coloris, & quaſi lividi, & eſt globoſa, viſcoſa, cum difficultate magnâ ſeparatur, lata quædam fila facit, fœtet, ſtranguriæ, & teneſmi cauſa eſt.

12. Sanguis. *Duodecimum* contentum eſt *Sanguis;* qui à loco dolente, unde provenit, tactu diſcernitur: quando à veſica provenit, eſt groſſus, grumoſus, quaſi fætidus; & cognoſcitur per dolorem loci.

13. Arena, & Calculus. *Decimum tertium* ſunt *Arena*, & *Calculus;* quæ præcipuè in renibus, & veſica, generantur : arenæ albæ in veſica; de quibus intellige aphoriſmum: *Quibus urinis arenoſa ſubſident* &c. ſi rubræ, in renibus generantur, & quando arenæ citò deficiunt, ſine levamine, aut alleviatione, formatum ſignificant lapidem: arenæ rubeæ ſiccentur in umbra; ſi molles, & friabiles ſint, humorum in venis ſignificant aduſtionem; ſi autem aſperæ, & duræ permaneant, in renibus malum eſſe, confirmant.

14. Pili. *Decimum quartum* contentum ſunt *Pili;* qui ſignificant glutinoſos humores, & inviſcatos in cavitate renum.

15. Carunculæ. *Decimum quintum* ſunt *Carunculæ*, ab ulcere renum : *vel furfuraceæ*; quæ vel à veſicâ, vel à toto, proveniunt: ſi à veſica, primùm urina eſt naturalis, & ſine febre; ſi à toto, eſt cum febre, præter naturam; & tunc colliquationem ſolidorum, uti arteriarum, vel veſicæ ſcabiem, portendunt.

16. Squamæ. *Decimum ſextum* contentum ſunt *Squamoſa*, ſeu petalodea corpora, lata, non ſpiſſa; ſuntque principium liquefactionis membrorum, cum febre.

Decimum ſeptimum ſunt contenta crimnodea, groſſa, inſtar *Tritici* confracti; ſigna aduſtionis humorum, aut carnis; non membrorum ſolidorum: longamq; ægritudinem, vel, teſte Galeno, mortem, præſente febre, ſignificant. 17. Triticea.

Decimum octavum ſunt contenta alba, minuta, rotunda, inſtar loturæ amyli, *Filoſa*, & quaſi ſeminalia; & atteſtantur ſupra arteriam affectam. 18. Filamenta.

Decimum nonum ſunt contenta *Spermatica;* quæ apparent, vel præcedente coitu, vel in gonorrhæa, aut ob repletionem vaſorum ſpermaticorum, aut eorum paralyſin; & ſic excernuntur ſine delectatione. 19. Sperma.

Vigeſimum ſunt contenta *Cineroſa*, pulverulenta; malæ diſpoſitionis ſplenis, ani, & matricis, ſigna. 20. Cineroſa.

Obj. Contenta crimnoidalia non videntur, poſſe à carne provenire; quia hæc non ſubintrat venam: probatur: ſi venam intraret, deberet vel per latera, vel per orificia, intrare: ſed hoc non: ergo: ſi per latera, tum vena deberet eſſe fracta: neque per orificia; quia iſta ſunt capillaria, per quæ contenta iſta ſat magna intrare non poſſunt. ℞. per orificia venarum; dilatata tamen: quod patet in venis oculorum tumentibus, adeoque dilatabilibus: & ratio eſt, quia calor excedens diſſolvit priùs, quod eſt magis diſſolubile; ideo priùs reſolvit calorem & ſpiritum, deinde humorem, pingvedinem, adipem; poſtea carnem noviter generatam, & hinc antiquam; denique ſuperficiem membrorum ſolidorum: unde mors: caro autem, à calore diſſoluta, prope orificium venæ, primò impellitur à membro, tanquam ſubjectum expultricis, & ſuperfluum: tunc orificium dilatatur, & ratione caloris venæ, & vacui, à calore, per rarefactionem, cauſati attrahitur. Hinc eſt, quòd contenta crimnoidalia quantò majora, tantò minùs mala; quia majora ab humorum; minora à carnis, diſſolutione proveniunt. Objectio.

Caput V.

De Hypoſtaſi: & cautelis Medico Urologo conſiderandis.

1. Conditiones hypoſtaſis laudabiles. 1. à Colore.

SEdimentum laudabile, ſeu *hypoſtaſis*, quinq; nobilitatur conditionibus: *primò*: ut ſit *Album*: membra enim radicalia ſunt naturâ ſuâ alba; & digeſtio fit aſſimilando: ideoq; bonæ digeſtionis ſigna præbet, & tertiæ quidem, quæ bonam ſupponit ſecundam, & hæc primam. Si hypoſtaſis eſt *rubea*, longum ſignificat morbum, ſed ſalutarem; ſi eſt *ſubrubea*, longiorem; ſi *viridis*, aut *livida*, mortificationem; ſi *nigra*, mortem ipſam.

2. à Subſtantiâ.

Bonæ hypoſtaſis ſecunda conditio eſt, ut habeat continuam, non divulſam, *Subſtantiam*: tunc ſignificatur completa digeſtio, flatuum expers.

3. à Materiâ.

Tertia conditio eſt, quando hypoſtaſis *Materia* eſt uniformis, & homogenea; opus naturæ fortiter agentis, & hominis regulariter viventis: &, ſi talis pridie apparuerit, non verò eodem die, mutati regiminis ſignum eſt.

4. à Formâ & à Figurâ.

Quarta conditio ſumitur à *Forma*, & à *Figura*: nam figura debet eſſe quaſi pyramidalis, ideſt, inferiùs lata, & in cuneum deſinens. Neq; miremur, in ſanis vel nullam, vel omnino paucam, eſſe hypoſtaſin; quia in his, ob meliorem digeſtionem, pauciora, quàm in Ægrotis, ſunt excrementa.

5. à Loco.

Quinta conditio deſumitur à *Loco* baſis, & mucronis; quorum illa in fundum, hic ſurſum, ferri debet; quod non fit, ubi hypoſtaſeos baſin ſurſum pellunt flatus, ita etiam, ut in nubem degenerent. Nigra hypoſtaſis ſupernatans pejor eſt; quia in hâc adhuc calor agere, coquere, & in vaporem quaſi diſſolvere, deſignatur.

Objectiones. 1.

Obj. 1. Subrubeum ſedimentum magis accedit ad album, quàm rubeum: ergo erit melius illo. ℞. Subrubeum eſſe duplex: quoddam enim antecedit rubeum; quoddam ſubſequitur: quod antecedit, eſt deterius; quod ſequitur, melius: alterum autem ab altero ſic diſtinguitur: quòd antecedens ſit magis aqueum; ſubſequens magis craſſum.

2.

Obj. 2. Si color viridis eſſet in hypoſtaſi, vel eſſet ratione materiæ, vel ratione formæ: ſed neutrum dici poteſt: ergo: non ex parte materiæ; quia illa non eſt viridis; neq; ex parte formæ, quæ eſt caliditas digerens: immo quoq; capilli, qui ſunt excremẽtum tertiæ digeſtionis, deberent etiam eſſe virides ℞. colorem viridem fieri ob actionem inæqualem in humidum; quod partim aduritur; partim verò non: hinc viridis color eſt tranſitus in nigrum; ubi nempe perfectè aduritur, colorem nigrum cauſat in hypoſtaſi: ideoq; fit ex parte formæ, id eſt caloris adurentis.

Nota.

Nota: Ut differentiam urinæ hominis ab urina animalis facias, in urina animalis, dum eſt calida, ſunt fumi adſcendentes inter latera vitri, & deſcendentes; item circulus eſt ejuſdem coloris, cum urina: item urina hominis eſt clara, propter multos ſpiritus, & ſubſtantiâ mediocris, hypoſtaſis eſt pineata, vel ſaltem ad pineatam accedens, &, ſi agitetur, citò recedit: in aliis non fit: in urina hominis non eſt lividitas notabilis. Primò autem portantis faciem conſtanter, oculis, & fronte rugatis, aſpice, &, ſi fallacia ſit, eam tibi notâ ſuſpicabitur: hinc ſtatim ſciſcitare de ſexu, ætate, tempore durationis morbi. Si eſt mulier, dic, eam in utero pati: ſi vir, in ſtomacho, renibus: ſi juvenis, bile: ſi ſenex, phlegmate. Deſumuntur & aliæ, varii generis, cautiones: urina enim à vino diſcernitur, quòd, quò propiùs vinum admovetur, eò clariùs apparet: in urinâ propiùs admotâ plures ſemper atomi, & corpuſcula, apparent. Si quærat mulier, ut indices ex urinâ, cur non poſſit imprægnari; vel utrum ſit imprægnata: ℞. ad primum, quærendo: utrum retineat ſemen virile; &, ſi neget, eam, dic, eſſe tardæ imprægnationis cauſam: ſi verò appareat quaſi lana, in urina contentum, affirmante menſium retentionem fæminâ, edic, eſſe gravidam. Si duæ, ejuſdem Patientis, urinæ tibi offerantur, ut indices, quænam ſit prima: interroga, quonam tempore primò ſurrexerit: ſi in aurora primò ſurrexit, quæ magis digeſta eſt, & rubra, ea eſt prima: ſi verò ante mediam noctem ſurrexit, circa tempus digeſtionis, quæ minus eſt digeſta; & rubea, ea eſt prima. Deniq; Medicus debet eſſe

in

in cognoſcendo ſtudioſus; in præcipiendo lautus & ordinatus; in reſpondendo circumſpectus; in prognoſticando ambiguus; in promittendo juſtus; in inveſtigando diſcretus; in ſermone modeſtus; in aſpectu benevolus; in omnibus patiens.

Obj. 3. Idem videntur eſſe ſudor, & urina, cùm habeant eundem generationis locum. ℞. materialiter; concedo: ratione modi exernendi, à quo ſpecificantur; nego.

Obj. 4. Urinæ fiunt craſſæ, tendente morbo ad ſolutionem, *l. 1. aph. 69.* ergo falſum eſt, urinas craſſas fieri ab imbecilli calore. ℞. ſi craſſæ ſint ſubſtantialiter, concedo; ſi apparenter, & confusè, nego.

5. Obj. 5. Sedimentum ſæpius album apparet in principio morbi, & tamen nullam indicat concoctionem: ergo. ℞. ſedimentum alimentale; concedo; morbificum; nego. Hinc obſervandum eſt ſedimentum ante cibi concoctionem: ſi enim aliquid tunc apparet, eſt cauſa morbi.

6. Obj. 6. Urina eſt excrementum renum; ergo nec cordis, nec hepatis. ℞. ut principiorum ad quæ; conc. à quibus; nego.

Obj. 7. Ibi fit excrementum, ubi utile ſeparatur ab inutili: ſed hoc fit in renibus. ℞. Neg. immo hoc fit, ubi concoctio fit, utpote in corde; & eſt Gal. *l. 5. de uſu partium*, ubi arguit Lycum, Macedonem, velut amentem, qui ſibi imaginabatur, lotium eſſe renum excrementum.

8. Obj. 8. Serum attrahitur ab arteriis: ergo non à corde, vel à jecore. ℞. tanquam à principio immediato; conc. mediato; nego.

9. Obj. 9. Non datur urina animalis ſine bile; quæ tamen in definitione allata non habetur. ℞. contineri ſub alimento, concoctionem renuente.

10. Obj. 10. Si urina generaretur in corde, ſequeretur, apertâ venâ extrahi urinam; quod eſt falſum. ℞. materialiter, concedo: formaliter, nego; quia præterea requiritur etiam, ut per renes excernatur, tanquam principia ſecretionis, quæ junctis viribus, unà cùm ſangvificationis principio, ſuam tribuunt urinis ſpeciem.

Obj. 11. Ergo ſequitur; affecto corde, malas ſemper eſſe urinas; cui contrarium apparet in febribus malignis. ℞. malas eſſe malitiâ occultâ; non apertâ. 11.

Obj. 12. Urina poſt hæmatoſin eſt tota conjuncta ſangvini: ergo non eſt quid aliud ab ipſo. ℞. mixtim, nego; confuſim, concedo: hinc ſeparari, & colari poteſt, quod non fieret in mixtione. 12.

Obj. 13. Non videntur, poſſe dici tenues ab obſtructione hepatis, vel cordis; quia ſangvis craſſior tranſit: ergo etiam urinæ. ℞. ab obſtructione hepatis dici tenues ſubſtantialiter, non extrinſecè, ſeu ob abſentiam craſſiorem humorum, ſed propter imbecillem calorem, ab obſtructione obrutum. 13.

Obj. 14. Si bilis in urina faceret colorem, faceret etiam ſaporem; qui eſſet amarus. ℞. amarum, ſeroſo mixtum, facere ſalſum: uti conſtat in mari. 14.

Obj. 15. Urina per colaturam, ſeu obſtructionem; non poteſt dealbari: quia color eſt accidens; quod in ſubjecto, in quo ſemel inhæret, manet. ℞. id fieri, ob coli, id eſt, caruncularum papillarium, perfectionem; &, cùm primum ſubjectum coloris eſt bilis, etiam eſt ſecundum: dum enim ſimul tranſit urina, eſt tincta; dum manet ſimul cum bile, manet tinctura; dum abeſt, abeſt; ut dum, bile ad caput delata, urinæ redduntur albæ. 15.

Obj. 16. Extinctio caloris nativi non poteſt nigram reddere urinam: ergo: prob: vaporabilia à frigore albeſcunt: ſed urina eſt vaporabilis: ergo. ℞. id fieri non per ſe, ſed ex accidenti, vel quatenus partes reſolutæ humorem illum effluere ſinunt, qui talis antè fuit; vel quatenus partes nigræ, & lividæ, humores denigrant. 16.

Obj. 17. Urinæ non poſſunt dici craſſæ, ob coctionis debilitatem, quia incraſſatio fit per coctionem. ℞. incraſſatio mixta; concedo: confuſa; nego. 17.

Obj. 18. Contenta elevantur propter flatûs; ergo hi non ſignificant concoctionem. ℞. Contenta mala, de quibus Gal. *comm. 1. ſect. 2. lib. 1. prorrhet.* quæ ſurſum petunt, delirium portendunt; flatûs ſignificant; concedo: bona; nego. 18.

Quæstiones. I. Qu. 1. Utrum hypoſtaſis proveniat à digeſtione? ℞. materialiter, concedo: formaliter, nego.

II. Qu. 2. Quid ſint ichores: utrum idem ſint, ac urinæ? ℞. omnes ichores eſſe præter naturam: alios tamen aliis eſſe meliores: probatur ex Galeno, 4. *ſimpl. med.* ubi ait, partem ichoroſam, quæ reperitur in ſuccis, niſi conſumatur ab igne, vel Sole, eſſe cauſam corruptionis.

III. Qu. 3. Quomodo urina poteſt judicari, an craſſa ſit, an tenuis? ℞. agitatione: nam ſi eſt tenuis, poſt agitationem exeunt exiguæ ſpumeæ bullæ, citò pereuntes: ſi craſſa, majores, uberiores, & durabiliores; immo dum in motu clangunt, ſunt tenues; craſſæ obtuſum edunt ſonum.

IV. Qu. 4. Quomodo vis ſcire, utrum urinæ fuerint turbidæ mictæ, vel utrum tales evaſerint? ℞. ſi tales evaſerint, per ignem, vel aquam calidam, clarificabuntur impoſitæ matulæ; ſi tales fuerint mictæ, tales manebunt.

V. Qu. 5. Quomodo tam citò per cor tranſeunt aliquot urinæ congii, in bibulis? ℞. non eſſe opus, ut tota maſſa ſemper ad cor feratur: ſatis eſt, ſi per infinita vaſa lymphatica, tum per meſenterium, tum prope receptaculum chyli, ex infinitis rivulis ad emulgentes feratur: hinc etiam eſt lotium impropriè dictum, urina. Et hæc de Uromantica.

CAPUT VI.

Sphygmologia; ſeu Pulſuum doctrina.

PRæconem occulta referentem, & nuntium, vera, de contrariis cordis & arteriarum motibus, loquentem, *Pulſum*, in ſtatera Medica ponendum, ſtatuimus; qui aliud nihil eſt, quàm motus, & quies: nam diaſtolen, ſeu dilatationem, ſyſtolen, ſeu conſtrictionem, continuò intercedit quies, contrarii contermina motûs. *Definiri* autem, cum Galeno, *1. de differentiis pulſuum, c. 2.* & *4. de diff. c. 3.* poteſt, quòd ſit motus cordis, & arteriarum dilatatione, & conſtrictione, à facultate vitali factus, ut vitam moderetur, & conſervet: *Vita* enim nihil eſt aliud, quàm perpetua quædam actio, ſive motus activus. Vel *Pulſus* eſt actio propria, primariò cordis; ſecundariò arteriarum, è diaſtole, & ſyſtole compoſita, à vitali facultate procedens, ut caloris naturalis ſervetur mediocritas, & ſpiritus animalis in cerebro generetur. Gal. *4. de diff. pulſuum, c. 2.* Cùm igitur dilatatur cor, dextra ejus pars hiat, elevantur auriculæ, & repletur concavitas dextra cordis ſangvine venali, ab hepate illuc procedente; eoq; inſtanti aër, per inſpirationem attractus, ſeſe inſinuat, ut cordis attemperetur æſtus; nec non, eodem dilatationis tempore, arteriæ, in corporis ambitu, aërem ambientem attrahunt; conſtrictionis verò tempore expelluntur fuligines, & ſuperfluæ fumoſitates eliminantur. Et licet cordis, & arteriarum, ſit ſpecie uniformis, & æqualis, motus prior tamen eſt velocior, eò, quòd centrum cordis à peripheria, quàm arteriæ, longiùs diſtet. Motibus hiſce cordis, & arteriarum, totiusq; corporis, per cauſas, facultatem, uſum, inſtrumenta, effecta, adjuncta, &c. manifeſtatur diſpoſitio vel ægra, vel ſana.

Pulſuum differentiæ. *Differentiæ* aliæ à ſyſtole, aliæ à diaſtole, aliæ à quiete mediâ, aliæ ab ipſa arteriâ, plurimæ ab ipſa facultate, & uſu, ſecundum numerum, velocitatem, magnitudinem, & parvitatem, frequentiam, vehementiam, raritatem, duritiem, mollitiem, robur, imbecillitatem &c. deſumuntur, ut pote ratione moventis, ſeu facultatis, in ſolido innato fundatæ. Ex ipſa *cordis conſtitutione* vel eſt *vehemens*, vel *moderatus*, vel *debilis*: ratione *inſtrumenti* vel eſt *durus*, *moderatus*, vel *mollis*: ratione *diſtenſionis* arteriæ, vel eſt *magnus*, vel *parvus*, vel *moderatus*: ratione *temporis* vel eſt *velox*, vel *moderatus*, vel *tardus*: ratione *quietis*, contrarios motus intercedentis, vel eſt *frequens*, vel *moderatus*, vel *rarus*: ratione *contentorum* vel eſt *plenus*, vel *vacuus*, vel *mediocris*, ſive *moderatus*. Infinitas compoſitarum pulſuum differentias recenſere ſuperſedemus.

Differentiæ relativæ. *Differentiæ relativæ* ſunt, quæ ab æqualitate, ordine, & rhythmo, deſumun-

Marginal notes (right): Vita quid. — ratione Cordis conſtitutionis; inſtrumenti; diſtenſionis; temporis; quietis; contentorum:

Marginal note (left): Pulſus definitio.

Æqualis: ſumuntur. *Æqualis* bifariam eſt talis, vel abſolutè, vel comparatè, id eſt, *Inæqualis.* factâ ad alios pulsûs comparatione: *inæqualis* eſt talis, vel ſingulariter, vel collectivè: primo modo vel in unâ eâdemque arteriæ parte, ſub uno digito; vel in diverſis arteriæ partibus, ſub diverſis *Caprizans.* digitis. *Primus* eſt *Caprizans*, in quo motus quodammodo in medio curſu *Imparcitatus.* intercipitur: *Imparcitatus*, qui in omnibus ſui motûs partibus non ſervat *Dicrotus,* eandem celeritatem: *Dicrotus*, qui bis ferit ante conſtrictionis abſolutionem, & motu adhuc ſemel recurrente concitatur: *ſecundus*, qui facit inæqualitatem aliquam, vel ratione ſitûs arteriæ, vel ratione motûs: ratione ſitûs fit pulſus *Serratus.* *Serratilis*, &, ob inæqualem arteriæ diſtenſionem, ſerræ motum refert: pul- *Undoſus,* ſus *Undoſus*, in quo arteriæ, inſtar undarum, priùs, & poſteriùs, elevantur, & deprimuntur: qui ſi ulteriùs deficiat, *Vermicularis.* *Vermicularis*; & tandem *Formicans*, ap- *Formicans.* pellatur: ratione *motûs* fit pulſus *Inter-* *Interruptus.* *ruptus*, qui in una arteriæ parte tactum ferit, in alterâ non. *Inæqualitas* quoq; datur *collectiva*; quæ vel æqualiter, vel inæqualiter, pulsûs reddit inæquales: pulsûs *æqualiter inæquales* ſunt, quando in ſua diminutione aliquem ſervant ordinem, & *myuri* nominantur: &, ſi *Myurus.* planè ad ceſſationem deveniant, *Myuri deficientes*; ſi verò redeant ad priſtinum magnitudinis ſtatum, *myuri reciproci* vocantur: *Inæqualiter inæquales*, qui aut celeritate, aut magnitudine, omni- *Intermittens.* no ſunt inæquales; ut *Intermittens*, dum una, vel duæ, pulſationes intermittunt: *Coincidens:* *Coincidens*, in quo redundant: *Deficiens*, *Deficiens.* qui aliquamdiu tactui non occurrit. Hæc in pulſu inæqualitas vel eſt ordinata, vel inordinata, prout nimirum in- *Rhythmus.* æqualitatis ſeries ſervatur: *Rhythmus* in pulſu eſt ſyſtoles, & diaſtoles, ſeu motûs, & quietis, ad invicem proportio: *Eurhythmus.* eſtq; vel *æqualis*; vel *inæqualis*. *Eurhythmus* eſt ætati, temperamento, ſexui &c. *Arrhythmus: &c.* congruus: *arrhythmus* contrà. Notabiles, præ reliquis, differentiæ ſunt pulſus *vehemens*, *moderatus*, *debilis*: à *vehementi magnum*; à *debili parvum*; à *celeri frequentem*; à *tardo rarum*, ſic diſcernere oportet, quòd *frequens*, & *rarus*, talis ſit, ratione quietis; *celer* verò, & *tardus*, ratione motûs; *parvus*, ratione ſpatii arteriæ; *debilis*, ratione virtutis; *magnus*, utiq; à ſpatio; *vehemens*, à virtutis egeſtate; *æqualis* & *inæqualis*, à quiete; *continuus*, à motu, & *interruptus* dicitur. *Spaſmoſus*, ſeu *convulſivus*, pul- *Convulſivus:* ſus eſt inæqualis, ob ſitum arteriæ tenſum, & durum, quaſi arteria divelleretur à proprio ſitu. *Vibratus*, ſeu arqua- *Vibratus:* tus, eſt compoſitus quidam pulſus, ex vehementi celeri, & convulſivo; differt tamen à convulſivo; quòd magis emineat: pulſus *Tremulus* habet plures in- *Tremulus:* æqualitates: pulſus *Hecticus* eſt æquali- *Hecticus:* ter inæqualis; quia in una inæqualitate perſiſtit: hinc parvus, celer, creber, debilis eſt, & durus: *Strepens* habet duri- *Strepens,* tiem, cum vehementia. Et hæ ſunt in compendium compactæ pulſuum differentiæ; quæ, ſi ſunt *ſimplices*, primò à ſpatio, per quod ipſa tranſit arteria; unde dicitur *magnus*, *parvus*, *me-* *Magnus: Parvus: Mediocris:* *diocris*: ſecundò à duratione, ſeu tempore, quod motor in movente conſu- *Celer: Tardus: Moderatus.* mit: unde pulſus fit *celer*, ſeu *citatus*, *tardus*, *moderatus*: tertiò à quiete, quæ ſyſtolen & diaſtolen intercedit; unde pulſus fit *creber*, vel *rarus*, vel *mediocris*: *Creber: Rarus: Mediocris:* quartò à motore, quæ eſt facultas vitalis; unde fit pulſus *vehemens*, *languidus*, *Vehemens: Languidus: Moderatus:* & *moderatus*: quintò à mobili, quod eſt arteria; unde vel eſt *durus*, vel *mollis*, *Durus: Mollis: Moderatus.* vel *moderatus*; ſi pulsûs ſint *compoſiti*, ex horum complicatione oriuntur: ſi *reſpectivi*, ab ordine, & natura.

Caput VII.

Ætiologia, ſeu de Cauſis, Pulſuum.

Pulſûs *cauſæ* aliæ ſunt *veræ*; aliæ *Cauſa pulſuum quot ſuplices:* *concauſæ*: *veræ* cauſæ in duas partes ſecantur; utpote in *primarias*, ſeu *contentas*, ſeu *conjunctas*, Græcis *ſynecticas* pulſuum generatrices, & ſimul alteratrices: aliæ ſunt *ſecundariæ externæ*, ſeu *procatarcticæ*, quæ tantùm alte- *Primariæ triplices.* rant. *Primariæ* ſunt in *triplici* differentiâ; *facultas vitalis*, ſeu *temperamentum*; *inſtrumentum*, ſeu *arteria*; & *uſus*, cujus gratiâ fit pulſus. *Uſus* quoq; *tri-* *Uſus triplex.* *plex* eſt; utpote primò ad *calorem temperandum*; ſecundò ad *fuligines expellendas*; tertiò ad *ſpiritûs generandos*. Cau- *Cauſæ ſecundariæ.* ſæ *ſecundariæ* petuntur ex rebus *non na-*

Primariarum ſubdiviſio. turalibus; & contra naturam. *Primariæ* cauſæ *ſubdividuntur*, quòd *virtus* ſit vel *vehemens*, vel *mediocris*, vel *debilis*: *inſtrumentum*, ſeu *arteria*, ſit *dura*, vel *mollis*, vel *mediocris*: *uſus* ſit *auctus*, *mediocris*, vel *diminutus*. *Virtus*, ſeu *facultas*, *valida* ſeu *vehemens*, pulſum *validum* habet, & *vehementem*; *languida debilem*: *moderata moderatum*. Ad *validum* pulſum conſequitur *magnus*, & *celer*; ad *debilem* ſequitur *parvus*, *tardus*, *creber*, & *frequens*. *Arteria mollis mollem*; *dura durum*; *mediocris mediocrem* habet pulſum: ad *mollem* conſequitur *magnus*, *celer*; vel etiam *rarus*, *parvus*, *tardus*, & *creber*. *Calor magnus* efficit *uſum auctum*: ad cujus temperiem magna requiritur dilatatio; non conſtrictio, ſi calor eſt ſecundum naturam; ſi contrà, etiam adeſt conſtrictio, excernendis fuliginibus idonea: & ſic pulſus erit *magnus*, præſente *uſu aucto*; qui ſi *magis augeatur*, *celer* erit, & *creber*; quodq; *celeritate* non poteſt, id efficit *crebritate*, ut minori quiete moretur arteria. *Uſu* exiſtente *diminuto*, pulſus erit *parvus*, *tardus*, *& rarus*; *mediocri*, *mediocres*. Poteſt tamen harum aliqua fieri cauſarum, facultatis nempe, & uſus, complicatio. Si enim cum *robuſtâ facultate uſus augeatur*. pulſus erunt *vehementes*, *magni*, *celeres*, vel etiam *intenſivè tales*: contra, ſi *facultas* eſt *debilis*, & *uſus diminutus*, *contrarii* erunt pulſus.

Nota. 1. Notandum: 1. Arteriæ duritiem reſiſtere magnitudini, eò, quòd arteria dura diſtendi non poſſit: ea tamen, durities nempe, celeritatem, & crebritatem, non impedit: unde, licet arteria ſit dura; pulſus tamen poteſt eſſe celer, & creber.

2. Notandum: 2. Pulſum celerem, & crebrum, ſemper arguere uſum auctum: nec unquam eſſet crebritas, ſi magnitudo uſui ſatisfaceret: nam magnitudinis eſt vicaria crebritas; quâ non ſufficiente, inſurgit crebritas; cujus adaugetur exceſſus, pro ratione neceſſitatis.

Cauſæ pulſuum augentia. Cauſas ſimplices pulſuum *augent corporis craſſitudo*, *gracilitas*, *locus circa arteriam vacuus*, *gravitas comprimentium corporum*, & *formatio propria*. *Magnum* itaq; pulſum efficiunt *robur virtutis*, *inſtrumenti obedientia*, & *mobilitas*, ſeu *mollities*, deniq; *uſus auctus*: hicq; pulſus dicitur abſolute *Magnus*, quando ſecundum omnem dimenſionem eſt talis: ſecundum quid, quando tantùm ſecundum unam. Inſtrumenti inobedientia, virtutis imbecillitas, & uſus diminutus, *Parvum* efficiunt pulſum. Pulſus *longus*, ſeſe ad longitudinem trium digitorum extendens, langvidam arguit facultatem, quæ arteriam elevare non poteſt in altum: veluti totus baculus faciliùs elevatur, quàm complicatur. Ad hunc pulſum concurrunt interdum arteriæ durities, corporis gracilitas, ipſa arteriæ formatio, vel à cutis tenſione, &c. Pulſus *Latus* mollitiem arteriæ, vel compreſſionem à carnoſitate, locum amplum, uti ſæpe in hydropicis, indicat. Pulſum, inſtar chordæ, *Gracilem* cauſat virtus debilis, inſtrumentum durum, corporis gracilitas, cutis ariditas; qualis eſt in hecticis. *Altus* pulſus à robuſta virtute mediocriter, veluti proprius ei, cauſatur: ad eum verò ſimul conſpirat locus arteriæ anguſtus, ſecundum latitudinem, & longitudinem. *Profundo* pulſui occaſionem dat virtutis imbecillitas, coadjuvat corporis craſſities, & pingvedo arteriæ ſuperficiaria: in paroxyſmi acceſſu profundus eſt pulſus, propter quandam oppreſſionem: contingit tamen etiam ea pulſus profunditas ob defectum ſpirituum, eorumq; diſſipationem. *Citatum*, ſeu *celerem*, pulſum cauſat virtus utcunq; robuſta, uſus auctus, & inſtrumentum obediens; ſignumq; eſt, per magnitudinem neceſſitati uſus ſatisfieri non poſſe, ideoq; præterea requiri celeritatem: &, ſi hâc velocitate neceſſitati adhuc non ſatis fiat, ſubſequitur *Crebritas*: id eſt, non tantùm in motu parum inſumit temporis; ſed etiam in quiete. Pulſus *Tardus* ſignificat uſum imminutum, vel vires debiles, vel etiam inſtrumenti inobedientiam, ſeu duritiem. Quando *Rarus* eſt pulſus, fortes plerumq; adſunt vires, & uſus imminutus: ſic enim

Cauſæ pulſus Magni. *Parvi:* *Longi:* *Lati:* *Gracilis:* *Alti:* *Profundi:* *Celeris:* *Crebri:* *Tardi:* *Rari:*

enim non eſt magna refrigerandi neceſſitas: hinc arteria diutius quieſcit.

Vehementis:

Vehemens pulſus fit quidem à forti virtute, motu tamen aliquo, vel irâ, commotâ: à contrario fit imbecillis, ſeu

Languidi:

Languidus: eſtque talis vel apparenter; utpote per compreſſionem, vel per ſpirituum reſolutionem: v. g. ab ægritudine, ſenio, vigiliis, inediâ, curis &c.

Mollis: & Duri.

Mollis à molli; *durus* à duro, fit inſtrumento: utpote dum tenditur, ob inflammationem, frigus, ſiccitatem, vel convulſionem.

CAPUT VIII.

de Cauſis Pulſuum Relativorum.

Cauſa pulſus æqualis:

PUlſuum *cauſæ*, ſi conſtanter in eodem ſtatu permaneant, *æqualem*; ſi minùs, *inæqualem* pulſum generant: uti verò æqualem pulſum virtutis robur, inſtrumenti mollities, & uſus mediocris, efficit: ita horum varietas eum quoque variare facit. Pulſus eſt

Inæqualis:

æqualis ſimpliciter, quando in omnibus tribus convenit; *æqualis ſecundum quid*, quando in aliquo horum non conſpiratur: eodem modo *inæqualis ſimpliciter* cauſarum principalium arguit inæqualitatem; *inæqualis ſecundum quid* variat ſecundum quid, ſive ſecundum ex his unum, exceptâ uſus variatione, quæ nô neceſſariò facit pulſum inæqualem; vel Medicè ſaltem inſenſibiliter id efficit. *Inæqualitatis* ſingularis, quæ *in uno tantû pulſu* reperitur, cauſa eſt facultas vel gravata, vel diſſoluta, vel etiam diſtracta; arteria vel repleta, vel compreſſa, vel obſtructa, quæ uſum habet ſemper urgentem: *inæqualitas collectiva* cauſas fere eaſdem habet: prior tamê eſt pejor, ſicuti pejor eſt continua febris, quàm intermittens. *Inæqualitas* autem vel eſt *ſub uno digito*; vel ſub *pluribus*: *ſub uno triplex* eſt inæqualitas: vel enim intermittit in uno pulſu, & cauſa eſt laſſa, & debilis virtus, quæ per interpolationem quieſcit; cui accedit inſtrumenti, vel ob compreſſionem, obſtructionem, &c. ineptitudo, & cordis inæqualis tempeties; vel, ſecundò eſt *impar citatus*, id eſt,

Imparis citati.

qui primò properat, ultimò tardat; nec ita malus eſt, ac præcedens; licet ab iis non tam æque intenſis cauſis oriatur; quia iſte interrumpitur, hic alteratur duntaxat: fitque potiùs per compreſſionem ab aliqua materia, quam celeriter aggreditur expellere; qui tamen laſſatur, & in fine tardiùs procedit: vel tertiò eſt *dicrotus*, ſeu bis-pulſans; qui,

Dicroti:

dum eſt in viâ, quodammodo retrahitur, novum quaſi pulſum inchoans, accedente novâ ſcilicet materiâ, ab inæquali cordis dyſcraſiâ oriundus: ſi enim in dextrâ auriculâ cordis, ob calorem, majori opus ſit ventilatione; in ſiniſtrâ, ob frigus, contrario erit opus; & ſic contrarius erit motus, non tamen ejuſdem planè partis: vel ratione humorum, qui, corde æſtuante, aliquando ſunt frigidi, pulſus fit inæqualis; ut eſt pulſus *myurus*, inæqualiter æqualis; qui

Myuri:

facultatem debilem, & reſolutam ſignificat: cui tamen conſpirat arteria, in duritie, & mollitie, inæqualis: unde à partibus cordi vicinis fortius; ſemper imbecilliùs à remotis agit; &, ſi magis augetur, *myurus deficiens* appellatur. Fit quoque, ut facultas, ob debilitatem, omnes arteriæ partes non poſſit æqualiter elevare: unde *eminuli*, & *prominuli*, fiunt pulsûs. Videndum tamen eſt, utrum à toto, ob diverſum arteriæ ſitum, non proveniat.

Eminuli: & Prominuli.

Inæqualitatem ſyſtematicam, & *collectivam*, efficit imbecillitas virtutis, & arteriæ indiſpoſiio, ſimul, vel ſingulatim, vel per compreſſionem, vel per obſtructionem, vel per repletionem: dum enim violenter inſurgit facultas ad expellendum illud, quod moleſtum, fatigata cogitur intermittere. Facultas *trifariam* dicitur *debilis*:

Quotupliciter facultas redditur debilis.

vel *per aggravationem*, vel per *diſtractionem*, vel per *irritationem*: hic intermitto *reſolutionem*; quia hæc non facit pulsûs inæquales neceſſariò: *aggravatur virtus* vel *plethorâ*, vel *cacochymia*; uti valde oneratus bajulus titubanter ſuam portat ſarcinam: *virtus*, ſeu natura, *diſtrahitur*, ob diverſas neceſſitates, vel ob ingeſtum cibum, vel ob cordis, uti *antè* dictum, intemperiem inæqualem, vel etiam ab animi paſſionibus. Natura, ſeu virtus, *irritatur* à vaporibus acribus, malignis, corroſivis &c.

Et hæc de Pulſibus inæqualibus ſimplicibus; ex quorum complicatione variæ *pulſuum compoſitorum differentiæ* oriuntur: uti ſunt *undoſi*, *vermiculantes*, *formicantes*, *caprizantes*, *ſerrini*, *cõvulſivi*, *vibrati*, *palpitantes*, *trementes*, *hectici*, *ſtrepentes &c.*

pulſuum cõpoſitorũ differentiæ: earumq; cauſæ.

Cauſa Pulſûs undoſi: Pulsûs *undoſi* (qualis in hydropicis obſervatur) cauſa eſt langvor facultatis aggravatæ, vel plenitudo, vel inſtrumentũ molle.

Vermiculantis: *Vermiculantis* cauſa eſt facultas reſoluta; minor autem eſt, quàm undoſus; unde major neceſſitas: hûc aliquando conſpirar mollis arteria, plenitudo &c.

Formicantis: Si ulteriùs debilitatur virtus, agentibus iisdem cauſis, fir *Formicans*: quæ 3 differentiæ, teſte communi Medicorum Scholâ, ſibi ſubordinantur invicem.

Caprizantis: *Caprizantis* pulsûs cauſa eſt gravata virtus, quæ prompta quidem eſt, citoque ſuum curſum adoritur, ſed in medio langvet, ob grave occurrens onus, & tardè eum, quem priùs eâ celeritate, perficit curſum.

Serrati: *Serrinum* pulſum efficit facultas quidem robuſta, ſed cum uſu adaucto, & inſtrumento duro; ideoque ſub pluribus digitis inæqualiter ferit, eò, quòd ejus generis pars quædam inflammatione tentetur: ideoque arteria quodammodo in conſenſum trahitur, & tenditur; uti in pleuritide, &c. contingit.

Convulſivi: Quando partes nervoſæ contrahuntur, & convelluntur, fir pulſus *Convulſivus*, ſeu *ſpaſmoſus*; idque accidit ob ſympathiam, & communionem nervorum cum arteriis, quæ ab his ſuas fibras mutuantur.

Vibrati: Pulſus *Vibrati* cauſa quidem eſt facultas robuſta, ſed arteria dura; quæ non poteſt ita facilè ſurſum ferri: talis autem pulſus eſt in magnis inflammationibus, viſceribus obſtructis, convulſionibus, inæquali cordis temperie, quando plurimi flatûs elevantur ab arteriis.

Trementis: Quandocunque *Tremens* eſt pulſus, à nervi affectu id procedere, certum eſt, non ratione arteriæ; quia tremor habet duplicem motum: naturalem unum, voluntarium alterum; qui ultimus arteriis deeſt, &, dum pulſus in gravi infirmitate tremens fit, à vaporibus malignis, arterias vellicantibus, & mordicantibus oritur.

Hectici: Pulsûs *Hectici* cauſa eſt virtus debilis, in maraſmo, à conſtanti, & permanente, habituali affectu: hinc etiam non variat.

Strepentis: Pulſus efficitur *Sonorus*, ſeu *ſtrepens*, ob inſtrumentum durum, & facultarem fortem, & aërem incluſum intra capacitatem ipſius arteriæ: uti patet in tympano. Cauſa dilatationis celerioris, quàm conſtrictionis, eſt major refrigerandi neceſſitas; ſi verò conſtrictio ſit major, quàm dilatatio, fuliginum expellendarum major eſt neceſſitas; & quò celerior eſt, eò majorem eſſe, ſignificat.

Sexus, *ætas*, *temperamentum*, pulsûs non parum variant: ſecundò, res non-naturales.

Pulsûs Virorũ majores, quàm Fæminarum. *Viri* enim majorem, vehementiorémque pulſum habent, quàm *fœminæ*; hæ tamen magis celerem, & crebrum, habent pulſum; cæteris tamẽ paribus: ſi nimirum in regione, temperamento, ætate, non diſcrepent, ſervatâ ſemper proportione. Et ratio eſt, quia mas, calidior fæminâ, vaſa habet magis ampla, quàm fæminæ: hinc etiam, cùm tali pulſu uſui non poſſint reſpondere, accedit celeritas quædam & crebritas.

Pulsûs Puerorum: *Puerorum* pulsûs ſunt celerrimi, crebri, & moderatè vehementes; quia eſt uſus auctus, inſtrumontum molle, & facultas robuſta: ideóq; pulsûs fiunt vehementes: quòd autem fiunt crebri, ratio eſt, cùm uſui non ſufficiat tantilla iſta elevatio, ſed crebritas ſimul accedat, ob arteriæ parvitatem.

Senum: *Senum* pulsûs ſunt parvi, langvidi, tardiſſimi, & rariſſimi, ob imbecillem calorem, & uſum diminutum, facultatem debilem, & inſtrumentum exſiccatum, & durum.

Juvenum: Pulſus *Juvenum* magnitudine reliquarum ætatum pulsûs ſuperanr; quiá uſum habent auctum, vires fortes, & inſtrumenta obedientia.

Temperatorum. *Temperamenti moderatè calidi* pulſus eſt major, celer, & crebet; quia uſus eſt auctus: *frigidi* verò tardus, minor, & rarior. Temperamenti *ſicci* pulſus eſt durus, & rarus, ob inſtrumenri duritiem, & inobedientiam: *humidi* contrà.

à rebus non-naturalibus. Pulsûs *à rebus non-naturalibus* ortos cùm facillimum ſit, rimari, non ulteriùs inveſtigabimus.

Ex omnibus antè tractatis differentiis, & cauſis, non erit difficile, ſimplicium, & compoſitorum,

rum, pulſuum præſagia Medico proferre: quare ulteriùs repetere, ſuperfluum videtur: hincq; ad Authores, utpote *Maſſar. l. 1. de pulſ. Jac. Lavell. Philaccetum Medicum, Euſtachium Rudium, Herculem Saxoniam*, appellamus.

Quæſtio. I. Qu. 1. Quomodo à paſſionibus animæ quædam fiant pulsûs differentiæ; v. g. ab ira celer, à metu tardus, & rarus &c.? Ratio dubitandi eſt, quia paſſiones ſunt actûs immanentes, qui non poſſunt ſpiritûs, ſeu ſanguinem, movere ad diverſas partes, à quibus diverſitas pulsûs oriri poteſt; cùm non habeant virtutem locomotivam: nec arridet placitum Avicennæ, dicentis, quòd imaginatio non ſolùm moveat corpus, in quo ineſt, ſed etiam externa corpora: nam contra ſtat D. Thomas, *l. 3. contra Gentes, c. 13.* cui adhærent Theologi; quia neceſſariò deberet ſangvinē, & ſpiritûs, immò reliqua excrementa, humores, alimenta &c. movere pro nutu: quòd autem anima poſſit movere corpus, in quo non eſt, eſt Paracelſi falſiſſimum dogma; cui contrariatur D. Thom. *1. parte, qu. 117. art. 4.* ubi probat, neceſſariam eſſe, ad corporis motum, ab animâ informationem; cùm imaginatio non habeat virtutem locomotivam, tendentem in aliud corpus, cui non ineſt. ℞. quòd, poſitâ paſſione animæ pro formali, juxta illam ſangvis, & ſpiritûs, feruntur ad partes, ut tribuatur illis temperies debita ad operandum; prout requiritur juxta exigentiam talis operationis. Ratio autem immutationis pulsûs, & ponēdi has differentias, quibus ſangvis, & ſpiritus, deferuntur in partes, inde provenit, quia finis pulsûs eſt, tribuere unicuique parti temperiem aptam, non ſolùm ad ſui operationem, ſed etiam ad conſervari: & poſitâ animæ paſſione, ideo facultas pulſifica ponit eam pulsûs differētiam, cum qua ferantur ſpiritus, & ſanguis, à quibus intenſior calor communicatur; ita, ut, eâ paſſione diutius perſeverante, ſi ſpiritûs in majori quantitate, quàm par eſt, ferantur, ſuo occurſu aërem refrigerantem impediant, fuligines retrahantur, expultrix in ſuo opere turbetur, & tandem intemperies calida oriatur.

II. Qu. 2. Utrum facultas pulſifica ſit ſubordinata appetitui, ſicut locomotiva animali? ℞. contra Cyprianum de Maroza, *l. 3. de cauſis febrium, qu. 9.* negativè; quia aliàs deberet operari, aut detineri, pro nutu illius, uti in reſpiratione. Nec obſtat, quòd inquit Maroza, duplex eſſe voluntarium: aliud quoad applicationem objecti, ut capere alimentum: aliud quoad actionem, ut motus reſpirationis: ideoque facultatem pulſificam eſſe ſubordinatam appetitui, quoad applicationem objecti: quia nec applicatio objecti eſt libera; quia pendet ab extrinſeco: ideoque facultas pulſifica, non ſecus ac nutritiva, quæ non poteſt pro nutu operari, aut non ſuum objectum applicare, non eſt libera: neque Averrois negativam potentiam admittimus; quia eſſet inutilis, & toti Antiquorum Scholæ ignota.

Qu. 3. Utrum in animæ paſſionibus facultas pulſifica præcisè agat propter bonum animalis? ℞. negativè: quia, cùm bonum ſit unum, una eſſet pulsûs, in omnibus animæ paſſionibus, differentia: immò ſæpius moventur ſpiritûs ad interitum animalis; quando nempe nimium copiosè ad partem aliquam moventur in inflammatione, ut cordi ipſi deficiant: itaque potiùs ob bonum aliquod particulare movetur, quàm ob bonum commune. III.

Qu. 4. Utrum ex pulſu poſſit dignoſci febris ephemera? ℞. affirmativè, è Gal. *l. de diff. febr. cap. 7.* & *l. 1. de criſi.* & Avicen. *fen. 1. tract. 1. c. 10.* ratio eſt: quia in diariâ eſt uſus in pulſu auctus, nempe magnitudo, celeritas, & crebritas, æqualitas, vehementia, reditq; ad naturalem omnino ſtatum; quod non fit in aliis febribus, à paroxyſmo, cum calore miti; nec eſt cauſa, quæ facultatem gravet, vires diſſolvat, fuliginum copiam generet, uſum variet, unde pulſus inæqualis oriri poſſet: major eſt dilatatio, quàm compreſſio; quia major eſt neceſſitas attemperationis, quàm fuliginum expulſionis. IIII.

Obj. 1. Pulſus magnus, celer, & creber, reperiuntur ex quocunq; uſu aucto, per exercitiū vehemens, inſolationem &c. ergo non tantùm in febri diariâ. ℞. hæc omnia reperiri in diariâ magis exceſſivè, & cum majori permanentiâ, quàm in exercitio: nec omnia iſta ſimul in aliis febrib. reperiuntur, quia ſemper vel inæqualitas, vel aliudquid, intercedat. Objectiones.

Obj.

2\. Obj. 2. In hecticâ dilatatio pulsûs eſt major, quàm compreſſio: ergo eadem, ac in diariâ, erit pulsûs differentia. ℞. hecticam non complecti omnes differentias, quas diaria; licet in hac unâ aliquo modo conveniant.

3\. Obj. 3. Gal. *lib. de diff. febr.* ait, in omni febre pulſum eſſe inæqualem: ergo etiam in hectica. ℞. in omni febre humorali, concedo: hecticâ, nego.

4\. Obj. 4. In intermittentibus, finito acceſſu, pulſus etiam redit ad ſtatum naturalem: ergo id non tantùm fit in diariâ. ℞. negativè: quia ſemper remanent fuligines, & neutra diſpoſitio, ratione cujus pulſus non provenit ad totalem infebricitationem, ſicut in diaria: non tamen negamus, differentias pulſuum poſſe immutari in diariâ, accedente, v.g. causâ aliquâ vehementiore; ut irâ, vigiliâ, dolore &c. quæ non competunt diariæ, ut tali.

5\. Obj. 5. Inter differentias pulsûs eſt omiſſus amatorius; de quo Galen. *de pranot. cap. 6*, ubi ait, Juſti uxorem amare: & Eraſiſtratus adoleſcentis cujusdam amorem ex pulſu deprehendit. ℞. amorem non eſſe cordis affectum: vel enim eſt cerebri; ſi rationalis: vel eſt jecoris; ſi turpis: ad Galenum ℞. uxorem Juſti amare cognoviſſe, quia caſu pronuntiato nomine Pyladis, cujus amore torquebatur Juſti uxor, mirè turbatus eſt pulſus: unde conjecit Galenus amorem: ſimili Eraſiſtratum aſtutiâ juvenis amorem cognoviſſe, certum eſt.

6\. Obj. 6. Archigenes ait, conſtrictionem, ſeu ſyſtolen, pulsûs non poſſe ſentiri: ergo præter rationem aſſeritur, magnam putredinem deſignare, cùm ex ignoto non proveniat notum: probatur: quia conſtrictio non afficit digiti noſtri pulpam, ſicuti dilatatio. ℞. quantum arteria digiti pulpam dilatatione afficit violenter, tantum in conſtrictione arteriam retrocedere ſpontaneè; & dilatari, quæ antea fuit compreſſa, & conſtricta.

7\. Obj. 7. Ergo nunquam plus conſtrictionis cognoſcetur, quàm dilatationis: ergo ex conſtrictione non cognoſcetur putredo. ℞. exercitatiorem quidem, ab adſtrictione, Medicum requiri, quàm à dilatatione; quia illius, quàm hujus, obſcurior eſt natura; quia violentum in violento facilius ſentitur: neque poteſt tota conſtrictio ſentiri; uti apparet in moribundis, quibus ante mortem pulſus videtur deſinere; licet in parte iſta internâ, & Medici tactum latente, pulſet arteria: quod etiam fit in apoplexia: hanc autem pulsûs partem conjecturâ licet aſſequi.

Qu. 5. Cur pulsûs, & urinæ, in peſte, & febribus, ſint naturali ſimiles? ℞. pulsûs quidem eſſe naturali ſimiles, eò quòd ſenſibile illud, ob ſummam penetrabilitatem, planè ſupra ſenſorium ſit poſitum, ideoque non eliciat ſenſationem; ſunt tamen parvi. Urinæ apparent naturales, teſte Cruſio, quia expulſiva non expellit noxios humores, ſed tota eſt malignitati expugnandæ occupata. 5.

Qu. 6. Quiſnam pulſus melior ſit: ordinatus, an inordinatus? ℞. Ordinatum à bona cauſa eſſe meliorem. 6.

Obj. 8. Galenus, *de cauſis pulſuum, cap. 14.* ait, ordinem pulsûs cauſam morbi fixam; perturbationem verò, ſeu inæqualitatem, non fixam ſignificare: ſed ubi eſt cauſa morbi fixa, eſt deterius, quàm ubi non eſt fixa: ergo pulſus ordinatus eſt pejor, quàm inordinatus. ℞. hîc loqui Galenum de ordine inæqualitatis collectivæ; non verò de ordine pulsûs abſoluto: neque à ratione alienum eſt, peſſimum pulſum eſſe ordinatum; cùm certo ordine operari, non tantùm naturæ noſtræ, ſed omni naturali agenti, familiare ſit: immò dum prava cauſa naturam plurimùm devicit, nullo in contrarium agente contrario, ordinatè agit; reliquis tamen ſiguris malum portendentibus. 8.

Obj. 9. Gal. *l. ad Tyrones*, & *quarto de cauſis pulſuum, c. 6.* dicit, omnem inflammationem habere pulſum quaſi ſerratum; cùm tamen, *cap. de peripneumoniâ*, dicat, pulſum eſſe magnum, & fluctuoſum quid habens, mollem, &c. & tales fiunt in lethargo. ℞. pulsûs eſſe molles ſimpliciter, nego: ſecundum quid, concedo: pulſus autem, abſolutè loquendo, in omni inflammatione, ob tenſionem, aliquid habet tenſionis, & duritiei; licet non rarò, ob partis laxitatem, temperiem pituitoſam, &c. mollior ſit, quàm in parte duriori; uti eſt membrana coſtas ſuccingens &c. 9.

Digitized by Google

10. Obj. 10. Galenus videtur ſibi contradicere: nam, *libello de typis*, ait, pulſum tertianâ laborantibus exiguum, & frequentem eſſe: & tamen, *1. ad Glauc. c. 7.* maximum in putridis pulſum eſſe tertianæ, minimum, quotidianæ, mediocrem quartanæ, ait. ℞. Gal. *l. de typis*, intelligere tertianæ pulſum, præſente rigore, & in principio paroxyſmi: *ſeptimo* verò *ad Glauc.* in ipſo paroxyſmi vigore: quod utrumque verum eſt, neque unum alteri contradictoriè opponitur.

VII. Qu. 7. Quomodo intelligendus Galenus, dum ait: tertianas omnis inæqualitatis, præterquam febrilis, expertes? Quidnam intelligitur per inæqualitatem febrilem? ℞. cum eodem Galeno, *ad Glauc. cap. de ſignis tertian.* & *1. de arte curandi ad Glauc. cap. 6*, iſtam, febribus propriam, inæqualitatem reperiri in arteriarum uno motu; quòd nempe unius pulsus motus in principio velocior, in medio tardior, iterum in fine ſit velocior: hæc tamen inæqualitas febribus tantùm putridis evenit, non ephemeris, ſive diariis; teſte Valleſio, *in Controverſiis*.

VIII. Qu. 8. Utrum eodem tempore, quo cor dilatatur, etiam arteriæ dilatentur? Fieri enim id non poſſe videtur; quia, cùm per cordis compreſſionem exprimatur ſanguis arterioſus in arterias; ſi & hæ comprimantur, ſangvini recipiendo locus non erit. ℞. Eodem tempore conſtringi, & dilatari, ſenſu ipſo tactûs facillimè, & certiſſimè exploratur: neque ita arctè comprimuntur arteriæ, ut nihil ſanguinis recipiant.

IX. Qu. 9. Utrum verum ſit illud Ariſt. *lib. de reſpir. c. 20.* quòd tumefactio, quæ fit ex alimento, per calorem pulſum efficiat, ſicuti in aquâ bulliente, in quâ humidum inflatur à calido. ℞. negativè; quia cor, & arteriæ, non dilatantur, ut impleantur; ſed implentur, quia dilatantur.

X. Qu. 10. Utrum etiam arteriæ habeant vim pulſificam? ℞. cum Gal. *8. de placitis Hipp. & Platon. c. 7.* ab inſito calore arteriarum motûs fieri; tamen cum dependentia à corde, & organorum bona & inculpatâ diſpoſitione.

Obj. 11. Gal. *lib. 3. de cognoſc pulſibus, cap. de rhythm.* ait, pulsûs eſſe 4. partes, nempe diaſtolen, & ſyſtolen, & duas quietes; cùm duas tantùm primas aſſignemus. ℞. partes reales eſſe tantùm duas: privativas non aſſignavimus; quales ſunt quietes.

Qu. 11. Quomodo pulſus ſit obſervandus? ℞. 1. Tangentis manus ſit non calida nimis, nec frigida, nec dura. 2. Extremitatibus digitorum duorũ, aut trium, contractentur, præcipuè in carpo; vel, ſi nimius adſit ſudor, in temporibus. XI.
3. Tamdiu contractetur, donec præterierint duodecim circiter pulſationes. 4. Laborantis manus, vel brachium, non ſit elatum, vel depreſſum, nec vinculo, aut decubitu conſtrictum, nec pronum, nec reſupinum. 5. Si in uno carpo ſit obſcurus pulſus, perveſtigetur alter: nam ob varia accidentia variat. 6. Nec nimis leniter, nec adeò premendus eſt pulſus; ſed nunc leniùs, nunc fortiùs, prematur, donec ritè percipiatur. 7. Quieſcat priùs Æger ab omni motu, & perturbatione: quia hæc diverſimodè pulſum variant.

Caput IX.

De Criſibus.

Ex iis, quæ hactenus tractavimus, utplurimùm primò morbi ideam, ſeu ſpeciem; 2. magnitudinem; 3. morem; 4. motum; 5. eventum cognoſcere licet: quantumvis motum, & eventum, ſeu modum, & tempus ejus, ex ſequenti, *de Criſibus*, capite evidentiùs eruere liceat: nam morbi ſpecies ex accidentibus, & ſymptomatibus propriis, ſupra enucleatis, patet: ex quorum vehementiâ etiam magnitudo elucet; mos verò à malignitate, vel benignitate: motus à cauſa morbifica, ſeu humoris ſpecie: eventus à virium robore, vel imbecillitate: unde vel ſalus, vel mors: à coctione, vel cruditate, motus & tempus morborum cognoſcitur: unde ſine criſeon doctrinâ nec victûs ratio accommodata præſcribi poteſt, nec remedia opportuna exhiberi. Nam alius, inſtante criſi; alius, eâ remotâ, convenit Ægrotis victus. Hipp. *1. aph. 7. 8. 9. 10. & 12.* item *aph. 20. diebus criticis nihil innovandum, nihilq; movendum eſt*: diebus imparibus, quorum plurimi critici nominantur, purgare noxium eſt, immo nonnunquam lethale.

Criſeos

Criſis definitio.

Criſeos nomen, cum Gal. *3. de criſibus, c. 7.* & *1. de diebus decretoriis, c. 11.* accipimus, prout eſt ſubitanea, & repentina, in morbis, per excretionem ſenſibilem materiæ, aut translationem, à naturâ, morbum cauſamque morbificam vincente, vel ab iiſdem victâ, quâ Æger ad alium, ſive contrarium, ſtatum perducitur, mutatio. Et dum pro quavis morbi mutatione, vel pro quavis morbi ſolutione, uti *1. prognoſt. 8.* vel pro perturbatione, & agitatione, criſin præcedente, uti Gal. *3. de diebus decretoriis, c. 2.* vel pro morbi paroxyſmis, uti Hipp. *1. aph. 19*, vel pro violentis naturæ conatibus, uti Hipp. *lib. de ſeptimeſtri, & octomeſtri partu*, accipitur; minùs propriè accipi, judicandum eſt. Omnibus verò quatuor cauſarum generibus conſtare allatam à nobis definitionem, cuivis examinanti patebit: nam per *ſubitaneam, & repentinam, mutationem* formalem cauſam adſtruimus, ad diſtinctionem paulatinarum mutationum: niſi enim ſubitò, & cum vehementiâ fieret, criſis nec eſſe, nec dici, poſſet: *in morbis*, id eſt, termino à quo hujus mutationis; à quo nempe incipit motus: per: *ad alium*, ſive *contrarium, ſtatum* ſignificatur terminus ad quem: per *naturam* intelligitur cauſa efficiens: finalis cauſa habetur pro *vincente naturâ*: in mala enim criſi non eſt propriè cauſa finalis; quæ in omnibus habet rationem boni.

Criſis bonæ conditiones 5.

Ad *bonam* verò *criſin 5. conditiones* requiruntur: primò, ut *perfecta*, & *ſalutaris*: ſecunda, ut *fida*: tertia, ut *tuta*: 4. ut *ſubita excretione potiùs, quàm translatione*, fiat: 5. ut fiat *die decretorio*.

1. Salutaris. *Salutaris* autem eſt, quæ Ægrum à morbo penitus liberat: *2. Fida.* *fida*, quâ nihil cauſæ morbi relinquitur, unde recidiva timeri poſſit: *3. Tuta.* *tuta* eſt, poſtquam periculi nihil ſubeſt, ob omnimodam ſymptomatum ſuperfluorũ abſentiam: quando nempe nihil eſt in urinis, aut excretis alvinis, aut digeſtionibus, quod ſuſpicionem movere poſſit.

Signa critica quotuplicia:

Duplicia autem, à Galen, *ſigna critica* traduntur: alia à quibus inchoatur perturbatio: aliqua *ſimul* ſunt *ſigna, & cauſa*; utpotè materiæ expulſio, aut translatio: in ordine verò ad hæc duo ſigna critica, ſemper præcedit perturbatio, *à certamine* iſto, quod fit *inter morbum, & naturam*.

Signa critica quæ.

Signa autem *critica in genere* ſunt deliria, graves ſomni, difficultates anhelitûs, vertigo, dolor capitis, colli, ſtomachi, cordis, vehemens rigor, vani ſplendores ante oculos, aurium tinnitus, æſtus, ſitis, borborygmi, urinæ retentio &c. *Signa ſimul, & cauſa*, ſunt repentinæ expulſiones, aut translationes, quæ perturbationi ſuccedunt: ſubita ſcilicet repentináque ventris ſolutio, urinæ profluvium, hæmorrhagia, vomitus, ſudor, parotides &c.

Criſeon differentia.

Ex *certamine naturæ cum morbo* reſultant duæ criſeôn *differentiæ*: utpote *per excretionem*, & per *translationem de parte in partem*; utpote à nobili ad ignobilem, in bona; ab ignobili ad nobilem, in mala criſi: excretio verò extra corpus translatione melior eſt: quia in illa nihil remanet; in hâc ſecus. In criſi, quæ fit *per excretionem*, notare oportet, qualia, quanta, quâ viâ, quomodo, humores exeant; & an morbo & naturæ conveniant, ut morbus ſolvatur. deinde, ubi nimis parum excernitur, recidivæ metus eſt; cùm *nihil paucum ſit criticum*, teſte Galeno, ubi nimia virium metuenda debilitas. Denique quò excretorum qualitas peior, eò periculoſior eſt. Iſtarum verò differentiarum quæque in *4. membra* ſecatur; quot nempe ſunt alterationis termini: utpote *ſanitas, mors, ſtatus melior*, & *deterior*: quæcunque enim fiunt judicia, ſeu criſes, ad unum horum terminorum referri, neceſſe eſt. Nam quæ ad *ſanitatem* Ægrum perducit, perfecta, & ſalutaris; quæ ad *mortem*, mala, & lethalis; quæ ad *meliorem*, vel *deteriorem, ſtatum* deducit, imperfecta dicitur. *Tria* potiſſimùm, de *Criſi*, Medico ſunt diligentiſſimè *conſideranda*: utpote *qualis ſit futura*: an ad mortem, an ad ſalutem; an tuta; an fida; an omnes conditiones bonæ criſeos habeat: ſecundò: *quomodo* ſit futura: an per excretionem; an per translationem; & *quâ viâ*: tertiò: *quo tempore*: an die critico; an alio; an in ſtatu. Ad primum, *qualis ſit futura*: an ad ſalutem, an ad mortẽ, fiat comparatio virium, morbi, & naturæ, conſideratis ſignis concoctionis, & cruditatis; quæ petuntur ex urinis potiſſimùm: conſiderentur deſuper tempus, ſtatus &c. (ſunt enim quatuor morborum

tempora:

Tempora morborum: tempora (principium, augmentum, ſtatus, & declinatio) pars affecta, natura, ætas.

Signa futura bonæ criſis. *Bonam* mihi ſemper criſin pollicentur concoctionis ſigna; ſine quibus nec quicquam boni ſperandum eſt: nam cruditas eſt ſaluti inimica: deinde *optima* criſis fit in ſtatu; quo elapſo, utpote in declinatione, nemo unquam periit, niſi commiſſo ſingulari errore, vel ob ſuccedentem alium morbum, priori graviorem. *Mala criſis futura.* *Mala* itaq; criſis eſt, quæ non fit in ſtatu, ſed in principio, vel in augmento: tunc enim fit à merâ naturæ irritatione, ob materiæ pravitatem, multitudinem, cruditatem, morbiq; magnitudinem. *Criſis ſymptomatica.* Hinc etiam *criſis Symptomatica* dicitur, quæ fit ſine tolerantiâ, extra ſtatum, & materiâ non concoctâ. Quando enim natura prædominatur materiæ morbificæ, tum certo ordine, & tempore, procedit, ſtatutisq; legibus determinatos motûs facit: at ubi vires, ſeu natura, ſuccumbit, quò proritans infirmitas ducit, eò ſequi neceſſe eſt, turbatoq; ordine moventur omnia, ut vix præſciri queat, quænam ſit mortis ratio, ubi vires in ipsâ pugnâ opprimuntur, & deficiunt: fit nihilominus etiam, ut vires ad pugnam non inſurgant, ſed, deficientes paulatim, intereant: hinc mors paulatina.

Mortis cauſa communis. *Mortis* autem *cauſa communis* eſt caloris nativi extinctio; quæ fit tribus modis: primò, extinctione à frigore: ſecundò, conſumptione à nimia caliditate, & ſiccitate; ab humorum acrimonia, & malignitate; à qualitate venenata; à vehementiſſimis doloribus, & ſimilibus: tertiò, ſubitâ ſuffocatione ab humorum copia.

Caput X.

de Signis, quibus cognoſcitur, per quas Vias ſit futura criſis.

QUò tendat criſis, ſæpiſſime colligitur ex morbi, & Ægri, natura ſeu inclinatione; non tamen neglectâ partis affectæ, ætatis, ſexûs, temporis anni &c. conſideratione. *Excretio quotuplex.* *Excretio duplex* eſſe reperitur: utpote alia *obſcura*; quæ fit per ſomnum; ut in infantibus, ob magnam calidi innati copiam, corporis raritatem, quod facilè humores noxios concoquit, & per inſenſibiles cutis meatûs diſcutit: alia excretio *manifeſta* eſt; quæ fit per ſudores, ſanguinis profluvium, urinas, menſes, vomitum, dejectiones alvi, hæmorrhoides &c. *Vis* autem *excretionis* ut plurimùm dependet ex naturæ inclinatione, impetu nempe partis mandantis, unde inchoatur motus; & ex conditione partis recipientis; deniq; ex materiæ aptitudine, & obedientia; *Excretionis vis.* ſitq;, dum natura non turbatur, & in cauſa eſt, ut alii ſeſe per alvum; alii per hæmorrhagiam narium; alii per alias vias; à morbis liberent. Et licet plures eodem morbo laborent; non tamen per easdem vias omnium morbi ſolvuntur, ob viarum diverſitatem; utpote in aliis anguſtiam; in aliis laxitatem: nam in omni morbo, ubi natura ordinatè agit, per vias faciliores, id eſt, proximas, & è directo partis affectæ, quod noxium eſt, expellit: utpote, inflammato jecore, per dextram; liene, per ſiniſtram narem, ob rectitudinem fibrarum, teſte Fernelio, *cap. de revulſ.* evacuatio fieri debet: ſi enim ſecus fiat, malum.

Signa, per quas Vias futura ſit criſis, unde deſumenda. Ideoq; æſtimari debet *critica evacuatio, ſi forma morbi congruat:* v.g. febris ardens ſolvitur vel hæmorrhagiâ nariû, vel, poſt rigorem, ſudore, vel alvi fluxu, vel vomitu: ſecundò *ex loco affecto*: ſi enim hepatis pars convexa, vel renes, vel urinaria vaſa evacuanda ſunt, per urinas bona & ſalutaris fit evacuatio; at ſi ex ſimâ hepatis, ex meſenterio, aut ventre, vomitu, & dejectionibus eliminatur materia morbifica: thorax per tuſſes: ventriculus per vomitum, lien, ſi craſſis abundet humoribus, per alvum; ſi tenuioribus, per ſiniſtram narem, teſte Galeno, *2. ad Glauc. c. 21.* tertiò *ex humoris inclinatione*: nam biliosi humores ſurſum; melancholici deorſum &c. tendunt: quartò ex *Ægri natura*, ob ætatem, anni tempus, regionem &c. ſi enim Æger eſt juvenis, ſanguineus, in vere, faciliùs per narium hæmorrhagiam ſanabitur; hyeme per inferiora; æſtate per ſuperiora purgabitur: quintò deniq; à *ſexu*: ubi viri per

hæmorrhagiam narium judicantur; mulieres per menſtruas purgationes purgantur: *ſextò à conſuetudine*: nam quibus fluere conſveverunt hæmorrhoides, in iis conſuetudinem faciliùs imitatur natura.

Criſis modus.

Quantum ad *motum* attinet *criſeos*, hunc aperiunt ſymptomata: nam ſingulæ evacuationes propria habent accidentia, & ſymptomata; utpote in cauſonide, inflammationibus hepatis, lienis, phrenitide, plevritide &c. Dum inſtat, primò *Hæmorrhagia*, caput circa frontem, & tempora, gravatur, cum dolore tenſivo, & pulſante, facies & oculi rubent, nares pruriunt, flocci & ſplendores oculis obverſantur, lachrymæ ſtillant involuntariæ, pulsûs magni, ad extra, præcordiorum tenſio, anhelitûs difficultates, cervicis dolor, ſternutatio &c. præſtò ſunt; ſi accedat præcipuè ætas invenilis, anni tempus vernum, vel æſtivum, conſuetudo &c.

Signa, criſis futuram indicantia per Hæmorrhagiam Narium:

Per Vomitum:

ſecundò: *Vomitu* critico morbum judicatum iri, prænuntiat capitis dolor, cum gravitate, viſus hebes, tenebricoſus, vertigo, rigor, unà cum frigiditate partium, quæ infra præcordia ſunt, morſus orificii ventriculi, faſtidium, pulſus durus, altus, inæqualis, labri inferioris tremor & agitatio, cum ſaliva copiosâ & tenui, delirium, anhelatio &c. Vomitu autem tali præcisè ſolvitur tertiana, quotidiana, & alii morbi, circa hepatis cavam, lienem, meſenterium, ventriculum &c. contenti.

per Sudores:

Tertiò: criſis per *Sudores*, in febribus ardentibus, putridis, continuis, & intermittentibus, inflammationibus viſcerum internorum &c. ſigna ſunt, urina, & alvus, præter modum ſuppreſſa, pulſus undoſus, mollis, paraphreneſis, vapor calidus, copioſus, ex toto corpore exhalans, faciei & cutis rubor &c.

per dejectionem Alvi:

quartò: per *dejectionem Alvi* fore criſin, indicant, præcipuè, quando aliarum, per ſuperiora, vel ſudores, evacuationum ſigna non adſunt, quando morſus, & rugitûs inteſtinorum adſunt, pulſus eſt magnus in contractione &c.

per Urinas: Uterum: Hæmorrhoides,

quintò: per *Urinas*, *Uterum*, vel *Hæmorrhoides*, evacuationem criticam fore, æſtimandum eſt, quando alvus ſolito magis eſt ſuppreſſa, præſente lumborum dolore, tenſione, & gravitate, abſentibus aliarum evacuationum notis, tenſione ad pubem decumbente: ſextò: quòd ſi nulla ejusmodi ſigna appareant, ſæpe fit translatio, ſeu decubitus, materiæ morbificæ, vel à parte nobiliori ad ignobiliorem; quæ diadoſis dicitur: vel ab ignobiliori ad nobiliorem; & metaſtaſis ſemper mala nominatur: ita paralyſis mutatur in apoplexiam, plevritis in peripnevnomiam, per metaſtaſin ſemper funeſtam: per diadoſin verò apoplexia mutatur in paralyſin, phrenitis in parotidas, obſtructio hepatis in icterum &c. Hic nota: morbos chronicos, ſeu longos, qui fiunt à craſſiori materiâ, abſceſſus potiùs facere; breves verò exanthemata, à materiâ ſcilicet tenuiori ortos, puſtulas, & maculas, in cutem deponere; licet materia puſtularum multò craſſior ſit, quàm materia macularum: craſſior autem materia potiùs in partes infernas, in ſenibus; in juvenibus tenuior in ſupernas deponitur. *Maculæ*, ſeu *Petechiæ*, in febribus peſtilentialibus, ex unâ quidem causâ procedunt, ab humoribus ſcilicet putreſcentibus, & perniciosâ qualitate infectis: ſed aliæ ſunt *criticæ* (ſicut & aliæ evacuationes) aliæ *ſymptomaticæ*: *Criticæ* ſunt maculæ copioſæ, quæ cum ægri tolerantia, morbi diminutione, die critico fiunt &c. *Symptomaticæ* ſunt, quæ tantùm fiunt ab irritata natura, ab humorum copiâ malignâ, nullo apparente concoctionis ſigno, die non critico, ſine ægri levamine, immo cum majori debilitate; quia natura fuit ab iſto expulſionis certamine fatigata: hinc à tali eavcuatione magis videtur oppreſſa. Et hæc de *ſignis præcedentibus criſin*.

Petechiæ.

Criticæ:

Symptomaticæ.

Signa criſin ſequentia:

Signa criſin *ſequentia* deſumuntur *ab excretionis*, vel *translationis qualitate*, *quantitate*, *tempore*, *modo*, *viâ*, & *facilitate*, ab *Ægri actionibus*, & *qualitate corporis*: *ſi enim talia purgentur, qualia oportet*, ut ait Hipp. *aph. confert*, *& facilè ferunt*; *ſi minùs*, *contra*: ſecundò ſi *opportuno tempore*, factâ nempe concoctione, & apparentibus ejus ſignis, die critico, qui ab indice ſuo præmonſtratus eſt; quamdiu enim cruda omnia manent, tamdiu ſpes bonæ criſeos eſſe non poteſt: tertiò debet eſſe *quantitas debita*; quia nihil paucum eſt criticum; immò pauci-

paucitas arguit materiæ contumaciam, naturæ irritatæ, & fatiſcentis, debilitatem, meatuum anguſtiam &c. Neq; nimię evacuationes ſunt tutæ: nam hiſce vires diſſolvuntur, ſpiritûs diſſipantur, & natura ſuccumbit; immò ſignum quandoq; eſt, materiam nimium quantum eſſe malignam, & naturæ irritatricem: quartò *debita viâ*, & *modo*, fiat *evacuatio*, aut *translatio*, neceſſe eſt; utpote confertim, & citò, per partes directas ignobiliores, per vias patentes &c. quintò ex *mutatis corporis qualitatibus*: nam à bona criſi melioratur vividus Ægri color, pulſus redit, excretiones naturaliter ſuccedunt, ceſſant deliria, redit ſomnus, corpus ad ea, quæ exhibentur, bene habet: à mala contraria ſunt omnia.

Quæſtiones. I. Qu. 1. In quibus morbis eveniant criſes? R/. In morbis materialibus; quia non fit ſine evidenti aliquâ evacuatione, vel translatione materiæ morbificæ; & eſt Gal. *1. de criſibus, c. 7.* & *1. de diebus decretoriis, cap. 2.*

II. Qu. 2. Quænam ſit cauſa, quòd natura aliquando non vincit? R/. cùm victoria ſit opus facultatis coquentis, & expultricis; ſi id non fiat, fruſtratur facultas, quia læditur vel in ſe, vel ob morbum inſtrumentarium, vel ob errorem externum; ſeparatim, vel ſimul: ſi ad malam criſin omnia concurrant ſimul, mortem neceſſariò ſuccedere, neceſſe eſt: ſi duo ſimul concurrant, criſis ad pejorem ſtatum deducit Ægrum: ſi unum tantùm, ad imperfectam, recidivæ obnoxiam. Fruſtratur autem facultas in ſe, & propriâ eſſentiâ, dum organi mutatur temperamentum: fitq; vel ex calido in frigidum; vel contrà. Inſtrumentum vitiatur, dum vel obſtruitur; unde impeditur expulſio excrementorum, & attractio facultatis concoquentis: ſuo quoq; munere non fungitur facultas, ob errorem externum; ubi materia cruda, & ſuâ naturâ contumax, vel expellenda, vel concoquenda, obtruditur.

III. Qu. 3. Utrum naturæ conatûs ſint promovendi, & adjuvandi? R/. cùm motûs alii ſint critici, alii ſymptomatici, alii medii; ſi ſint critici motûs, & perfecta eos præceſſerit concoctio, id eſt, humorum ad expulſionem attenuatione ſeparatio, vel etiam, ſi opus, per incraſſationem genuina præparatio, ſiq; ſufficientes ſint; totum naturæ negotium eſt relinquendum; præcipiente id Hip. *Quæ judicantur, aut judicata ſunt integrè, non innovanda ſunt, ſed ſinenda.* Gal. *1. aph. 20.* & *9. meth. 5.* Si verò motûs naturæ ſint ſymptomatici, utpote qui, crudâ exiſtente materiâ, in principiis morborum pernicioſorum fiunt, excernunturq; non talia, qualia eſſe oportet, ſed contrà, cum naturæ, viriumq; proſtratione; potiùs cohibendi ſunt, niſi fiat humoris morbifici excretio per locum conferentem, cum euphoria, & tolerantia; qualis contigit Herophonti, *3 in 1. epid.* hinc non absq; ratione bonam aliquando, morbo adhuc crudo, fieri poſſe evacuationem; aliàs reprimendæ forent omnes evacuationes in principiis morborum, & retrocedens nulla eſſet mala; quod & rationi, & Hipp. *2. prognoſt. text 68.* reſiſtit authoritati: quòdq; non ſemel, tempore cruditatis, naturæ motum juverit Galenus, videre eſt *3. in 1. epid.* & *3. loc. 2.* ubi parotides, quocunq; tempore apparentes, repercutientibus attentare prohibet. Nec obſtat Gal. *in 4. aph. 22.* dicens, exiſtente humorum cruditate, aliquid bene evacuari, eſſe impoſſibile. Intelligendus enim eſt Galenus de morbis à materia dependentibus, quæ citra malignitatem concoctionem poteſt ſubire, ſtatúmq; exſpectare; non verò de malignis, naturam ſummè irritantibus. Nec obſtat, 2. idem Gal. *1. epid. 4. 5.* ubi ait, *coctioni judicii celeritatem, & ſecuritatem; cruditati acriſias, doloris diuturnitatem, recidivas, & mortem ipſam, eſſe attribuendam.* Eſt enim intelligendus, ſi, exiſtente cruditate, non, qualia oportet, ſed cum ſumma virium dejectione, evacuentur. Quin immo Hipp. 1. *aph. 12. ſi ſputum ſtatim in principio appareat, morbum abbreviat in pleuritide.*; quia nempe à parte affectâ exſudat humor peccans; unde levamen. Si deniq; natura laudabiliter quidem agat, id eſt, materiam morbificam die critico expellat, ſed non ſufficienter, adjuvanda eſt.

Qu. 4. Quænam ſint vera ſigna concoctionis? R/. cum Gal. *9. meth. 5.* ea ex urinâ præcipuè ſumi; dum nempe hæc IV.

 eſt me-

eſt mediocris craſſitiei, coloris flavi, vel ſubflavi, cum ſedimento albo, lævi, & æquali: ſi præcipuè talis appareat die 4. tunc in 7. ſanitas erit exſpectanda; ſi talis ſit 11. morbi die, 14. ſi in 17. ad 20. ſanitas erit, vel ſubſequetur, pulſu die indice valido exiſtente. Neq; ſputa ſunt negligenda, in pulmonis & thoracis affectibus; & dejectiones alvi, in ventriculi & inteſtinorum infirmitatibus.

V. Qu. 5. Utrum, cùm Medicus ſit imitator & miniſter naturæ, liceat materiam morbificam per ulcera, fonticulos, phænigmos, &c. transponere. ℞. affirmativè: ſi verò revellere intendat, ad partes remotas; ſi derivare, ad propinquas; ſi ex ipſâ parte evacuare, ad ipſam partem veſicatoria, fonticulos, ſcarificatoria, &c. apponere neceſſe eſt.

VI. Qu. 6. Cur Æger non poſſit mori in declinatione; cùm Hipp. dicat, *1. prorrh. ſect. 2. tex. 16.* lethales morbos, qui ſine ſignis, id eſt, cauſis criticis, levationem habent, mortem ſignificare: &, *2. aph. 27.* his, qui ſine ratione, id eſt, ſine criſi, aut abſceſſu, ſervantur, non eſſe fidendum? Ergo videtur Æger mori poſſe in declinatione. ℞. declinationem eſſe duplicem: aliam particularis; aliam univerſalis paroxyſmi: hîc eſſe potiùs particularem declinationem, quàm univerſalem; quia peſſimo ſemper morbi tempore moritur Æger: deinde dici poteſt, eſſe declinationem vitæ potiùs, quàm morbi, ſignúmq; eſſe, naturam victas dare manus, nec ampliùs cum morbo decertare: hinc omnia ſunt remiſſiora, &, frigido accedente ſudore, fatis cedit Æger, vel miſeram efflat animam.

VII. Qu. 7. Utrum bona ſigna concoctionis ab initio ſtatim apparere poſſint; cùm Hipp. *2. epid. 2.* dicat: judicatoria ne ſtatim appareant? ℞. hîc non intelligi ſigna concoctionis, quæ ſemper bona ſunt; ſed tantùm ſigna perturbationis criticæ, quæ ab initio non valent; ſiquidem humoris potiùs malignitatem indicant, quàm humoris criticam evacuationem.

Objectiones.

1. Obj. 1. Si ſubitanea mutatio eſt cauſa formalis criſis; ergo non differt à quovis vehementi paroxyſmo, v. g. apoplectico, poſt catarrhum? ℞. hîc eſſe translationem à parte ignobili ad nobilem; ideoq; eſſe criſin: ſi verò nullus præceſſiſſet morbus, non eſſet criſis; quia non eſt terminus à quo, nempe à morbo.

Obj. 2. Non eſt opus, ut criſis per ſudores fiat die critico; cùm ex Hipp. *5. epidem.* in virgine Lariſſæa criſis per ſudores facta ſit die ſexto: Pythius decimo die: Nicodemus 24. judicatus eſt perfectè: ergo. ℞. hos omnes non ſolo ſudore, ſed alio præterea excernendi modo, utpote menſtruis, urinis, abſceſſu, eſſe judicatos. 2.

Obj. 3. Si criſis debet fieri apparentibus veris concoctionis ſignis, hæc non videtur eſſe neceſſaria; quia tum utile eſt ſeparatum ab inutili: ergo. ℞. licet ſit ſeparatum, nondum tamen eſt excretum, quod demum fit per criſin. 3.

Obj. 4. Cum ſignis concoctionis poteſt eſſe morbus lethalis: ergo non eſt opus, ut diebus indicibus fiant ſigna concoctionis: antecedens confirmat Avicennas, *fen. 1. c. de febri peſt* ergo concoctio nihil conducit ad bonam criſin. ℞. *primò*: ſigna concoctionis in urinâ alia eſſe perfecta, alia imperfecta: de ultimis loquitur Avicennas: *ſecundò*: alia ſunt ſigna concoctionis nocitivi, alia juvativi: concoctio autem nocitivi, id eſt materiæ morbificæ, ſemper requiritur ad bonam criſin; non juvativi, id eſt, alimenti; cui digerendo tantùm aliquando incumbit natura: unde etiam ſigna in urinis apparent, ſed materiam morbificam non reſerunt. 4.

Obj. 5. In morbo peracuto in principio ſtatim extremi ſunt labores, & dolores: ergo in principio, & non in ſtatu, uti dictum eſt, fiet criſis. ℞. per principium intelligi illud, prout latitudinem habet, ſimúlq; augmenti finem: quæ tempora citiſſimè aliquando percurrit morbus, teſte Gal. *l. 1. de criſibus, c. 9.* 5.

Obj. 6. Hipp. *in Coacis prænot.* ait, urinas coctas eſſe malas: ergo non requiritur concoctio ad bonam criſin. ℞. Hipp. ibi loqui de ſignis concoctionis urinæ, collatione factâ ad alia ſigna prava. 6.

Obj. 7. Omnis hæmorrhagia, præter eam, quæ fit per uterum, eſt ſymptomatica; ergo non poterit fieri criſis bona per eam. ℞. ſi ſymptomàticum lato 7.

modo

modo ſumatur, concedo: ſi ſtrictè, nego: quia poteſt fieri cum ſummo naturæ levamine; quod non fit in motu ſymptomatico ſtrictè dicto.

8. Obj. 8. Hipp. *4. de morbis*, ait, collecto humore fieri exacerbationem: & illo tempore vetat cathartica exhibere: ergo motus naturæ non ſunt juvandi. ℟. Electivè-purgantibus, concedo: lenitivè, ſi natura per alvum tentet excernere; diureticis, ſi per urinas; diaphoreticis, ſi per ſudores &c. nego.

9. Obj. 9. Si natura eſſet cauſa criſeos, id faceret vel propriâ, vel alienâ vi: ſi propriâ; ergo non acquiſitâ ab aſtris: ergo non erit cauſa ſine qua non, quæ aliud ſupponit agens: ſi acquiſita, ergo tunc aget prout à cælo movebitur. ℟. naturam agere tum propriâ, tum acquiſitâ virtute: propriâ nimirum, quatenus expellit humores criticè: acquiſitâ, quatenus certo agit ordine: & ſic eſt cauſa ſine qua non: vel clariùs: criſeos eſt cauſa principalis; diei verò, & ordinis, quo fit criſis, eſt cauſa ſine qua non.

10. Obj. 10. Fit criſis die exacerbationis: ergo die motus humorum; ergo humores videntur eſſe cauſa principalis; & non natura. ℟. hoc non inde ſequi; quia non ſolus humor concurrit, ſed requiritur præterea aſpectus aſtrorum, & natura: ſunt autem humores tantùm cauſa ſine qua non.

11. Obj. 11. Cauſa efficiens, & principalis, debet eſſe principium externum: ſed natura non eſt principium externum: ergo: ℟. natura non eſt principium externum, & independens, & magis principale; concedo: dependens, & minùs principale; nego. Neq; natura eſt criſis principium intrinſecum, ſed extrinſecum.

12. Obj. 12. Motus habet pro termino ſuo Ubi: E. à motu Lunæ non eſt criſis. ℟. non dicimus, nudum Lunæ motum eſſe cauſam criſeos, ſed ejus diverſitatem cum exacerbatione.

Caput XI.

de Diebus Decretoriis, & Criticis.

Dies Criticus quis.

C*Riticus dies* eſt is, qui decernit de pugnâ ac contentione morbi, per evidentem Ægri mutationem, ad ſtatum contrarium, ob quandam illius proprietatem; nam bonæ criſes non in quemvis diem incidunt, ſed certis tantùm, longâ experientiâ obſervatis, contingunt; in quibus ſeptenarii, & quaternarii, ordo potiſſimùm obſervatur. Natura namq; gaudet numero ſeptenario; quia ſeptimo menſe fætus edit vitales; 7. ætatis anno intelligentia ſeſe prodit; 14. menſes puellis erumpunt. De ſeptenario numero vide Agrippam. Immò ſeptimum numerum vocat Pythagoras ſacrum, & venerandum; alii majoris, & minoris Mundi numerum: Quaternarium verò vocant numerũ perfectionis: ideoq; per ipſum jurabant, animam eo conſtare aſſeverabant &c. hinc ſumma in iis eſt dignitas.

Dies Critici boni qui.

Dierum tamen *criticorum* non eadem eſt vis: nam alii *perfectè, fideliter, tutò*, cum ſubitaneâ & totali excretione, fiunt, ſine abſceſſu, magnum non exigentes virium robur: talis eſt ſeptimus, decimusquartus: dignitate poſteriores ſunt, nonus, undecimus: & his iterum poſtponuntur 17. 3. 5. & 4. ultimum dignitatis locum obtinet 18.

Qui mali:

E contrà *periculoſiſſimus* eſt ſextus, à Galeno *Tyrannus* dictus; quia plerumq; fatalis eſt: hunc malitiâ proximè ſequuntur 8, & 10. hiſce accedunt 12, 16 19.

Indifferentes.

Indifferentes ſunt 13. & 15. & hi ſunt boni, & mali dies, à primo usq; ad 20; à 20. usq; ad 40; cùm criſes fiant imbecilliùs, raroq; ſeſe illûc usq; extendant: pauciores notantur dies critici; inter quos primus eſt 27, deinde 34, & 40: ſecundum dignitatis gradũ obtinent 21. 24. 31. 34. reliquos neglexerunt Authores, præterquam 80, 100, 120: quibus aliquando fiunt abſceſsûs, vel morbi ſine criſi ſolvuntur, aliàs 7. menſe, aliàs 7. an. aliàs 14. aliàs 20. Et hæc *de Criticis*.

Dies Indices.

Dies Indices, ſeu comtemplatorii, ſunt ii, qui futuram criſin indicânt; & verè ſunt criticorum prodromi, & præcurſores: &, ſicut critici integris gaudent ſeptimanis; ita indices mediis: cuilibet enim ſeptimanæ duo ſunt indices, ita, ut 8. ſit initium quaternarii tertii, ſeu ſecundæ ſeptimanæ; 20. finis 3; 21. initium 4. &c. Quartus itaq; dies eſt finis 7; 11. 14; 17. index 20; 24. index 27. &c. Nihil tamẽ obſtat, quin dies indices ſint aliquando critici: *Intermedii* dies ſunt 6. 8. 10. 12: qui interdum etiam, ſed perturbatè, indicant, & plerumq; malam criſin. In numero dierũ criticorũ probè notandum, ut procedatur per ſeptimanas; non tamen modo vulgari, ſed ita, ut 1. & 2. ſeptimana à novo principio

Intermedii.

incipiat; 3. verò à principio 2, v. g. à 14. die, & ultimò 2, qui ſimul 1. fit 3 ſeptimanæ; & ſic 20. non 21. fit criticus, cum Galeno, & omnibus Authoribus.

Menſes Lunares. Conjunctionis.

Nota: *Lunæ tres menſes* ab Aſtrologis adſcribi: utpote menſem *conjunctionis*, *periodicationis*, & *illuminationis*: Menſis *conjunctionis* tempus eſt inter conjunctionem Lunæ cum Sole, conſtátq; 29 diebus, horis 12, 4 minutis. *Periodicus.* Menſis *periodicus* eſt peragrans tempus illud, quod inſumit redeundo ad idem Zodiaci punctum. *Illuminationis.* Menſis *illuminationis* eſt intervallum, à primo naſcentis Lunæ puncto, usq; ad ultimum diem evaneſcentis: & ad taliter numerandum nos invitat *Menſis Medicus*, ſive Criticus, *Menſis Medicus.* qui eſt medius ex menſe peragrationis, ſeu periodico, qui eſt 27 dierum, & 8 horarum, & menſe apparitionis, qui conſtat 26 diebus, horis 12: & ſic fit Menſis Medicus 26 dierum, & 22 horarum; cujus quarta pars 6 habet dies, & 17 horas, cum dimidia; unde tertiæ ſeptimanæ finis in vigeſimum facilè incidet; præterquàm quòd, iſtum ordinem à cæleſtibus revolutionibus conſtanter dependere, obſervatum eſt: nihil tamen obſtat, quin aliquot horis poſtponat criſis, ob Lunæ motum tardiorem: unde Hipp. *l. 6. epid.* particulam, *circa*, addit.

Cauſa dierum criticorum.

Cauſas dierum criticorum neq; numerum, cum Pythagoricis; neque rationem, ſeu compoſitionem Arithmeticam, cum Augerio; nec maleficam, ſeu beneficam, Lunæ in Zodiaco peragrationem, cum Genethliacis, ſeu Aſtrologis Judiciariis; neq;, cum Averrhoë, proportionem agentis ad paſſum; neque dierum conſonantiam & diſſonantiam, cum Amato Luſitano; nec motum humoris melancholici, cum Fracaſtorio: ſed *duplicem*; aliam *principalem*, aliam *minùs principalem*: utpote, aſpectum ſiderum cæleſtium, Lunæ ſcilicet, minùs principalem; naturam, morborum medicatricem, nec non particularem acceſſionem, & humorem, dierum criticorum principalem cauſam eſſe, adſtruimus. *Lunæ vires.* Luna eſt receptaculum omnium cæleſtium influxuum, quod ſingulis menſibus Soli, cæterisq; Planetis, conjungitur, &, velut ſtellarum omnium uxor facta fæcundiſſima, Solis, cæterorumq; Planetarum & ſtellarum radios, & influxûs, quaſi fœtum, ſuſcipiens, inferiori mundo, ſibi vicino, parturiens edit, communicatq;: ideoq; motus ejus præ reliquis obſervatur. Vires autem majores à Sole, quàm à cæteris Planetis, percipit: nam ſecundum omnes quartas quartis anni temperie reſpondet, primâ veri &c. herbæ reſpondent ſtellis, quæ colligendæ ſunt, quando à Luna iſtæ ſtellæ feliciter adſpiciuntur. Concurrit autem Luna cum ſignis Zodiaci, quem peragrat, & cum Sole, à quo lumen ſuum mutuatur, variis modis: hinc diverſæ quoq; phaſes, & aſpectûs, reſpectu noſtri, per ſeptimanas, & quaternarios, apparent, ſecundum quos fiunt criſes; unde 4. die, 7. 14 & 20. fiunt criſes. *Lunæ adſpectus.* *Lunæ*, per Zodiaci circulum percurrentis, primus *aſpectus* eſt Sextilis, ſeu ſexagonus ſiniſter dictus, quarto die, 7. tetragonus, ſeu quadratus ſiniſter, die undecimo trigonus ſiniſter, decimo quarto die diameter, ſub oppoſitione, die 17. trigonus dexter, die 20. tetragonus, ſeu quadratus dexter, die 24. ſextilis, ſeu ſexagonus dexter, die 27. in conjunctione. Et ab hâc aſpectuum varietate, tanquam à causâ principali, quæ perpetuo quodam ordine ſecurè, ac neceſſariò, agit, dierum criticorum vis dependet; & quidem à Lunæ potiùs, quàm à reliquorum aſtrorum aſpectibus; quia & hæc nobis proximior eſt, & humorum habet dominium, qui in criſi moventur, teſte Galeno, *3. de diebus decretoriis*, accedentibus cauſis ſine quibus non, naturâ, morborum medicatrice, expellente, humore agente vel patiente, & particulari acceſſione, quæ naturam ipſam ſtimulat. Nam criſis præcipuè fit in morborum acceſſionibus & exacerbationibus; quæ ſolæ in intermittentibus, v. g. tertianâ legitimâ, quæ ſeptenis circuitibus terminatur; in continuis verò ipſi dies obſervantur. Diem criticum à ſuo quaternario indicari, inſinuatum eſt; ſi nempe in eo indicantur ſigna concoctionis: ſi verò ſubitò criſin habeat morbus, peracutus eſt, & quidem exquiſitiſſimè, ſi primo quaternario indicetur; peracutus tantùm, ſi primo ſeptenario ſimpliciter; die decimo quarto non ſimpliciter acutus, vigeſimo acutus ex decidentia ad quadrageſimũ diem ſeſe extendit; poſt quẽ chronici terminantur.

Tempus

Tempus criſis. *Tempus* autem *criſis* ſemper ex *motu* colligitur: nam ſi primo ſtatim die ſigna concoctionis appareát, quarto die morbus terminabitur: ſi parvus eſt, ſolvetur ſimpliciter; ſi eſt magnus, præcipuè ſolvetur, à ſangvine criſis indicabitur, dum quarto die primò in urinis eſt nubecula rubra, vel hypoſtaſis alba & æqualis, in ſeptimum incidet criſis; niſi contingat error, qui criſin aliquando usq; ad nonũ diem protrahit: ſi verò ſeptimo die ejusmodi concoctionis ſigna appareant, criſis incidet in undecimum; ſi undecimo, in decimũquartum: & ſic ſingulis quaternariis, & ſeptenariis, ſigna in urinis erunt obſervãda. E contra peſſima erunt ſigna, ſi urinę ſint tenues & albę, in morbis acutis; item ſi rubræ tenues, in ſtatu nigræ, ſine admixtione humoris nigri; ſi pingves, cum contentis pingvibus, oleaceis, cum ſedimento nigro, aſpero, divulſo, inæquali: quæ ſigna licet die indice contingant; fit tamen mala criſis plerumq; diebus paribus; uti in 6. 8. 12. 16: &c. Quibus ſi fiat criſis, cum bonis aliis ſignis, recidivæ ſummum eſt periculum; cum malis, mors infallibilis. Quòd ſi morbus ſit complicatus, ſeu compoſitus, ut ſępe fit, uter citius terminaturus ſit, ſciri poterit ex motu, ſpecie, magnitudine, utriusq; factâ ſemper, cũ naturæ viribus, comparatione: &, ſi un, à natura vincatur, non ſtatim triumphandum eſt; cùm naturæ jam proſtratæ adhuc ſemel cum alio morbo ſit decertandum; cui faciliùs ſuccumbet, ob debilitatem à priori acceptam, & virib, relictam. Quòd autem unus morbus altero citius perſæpe ſolvitur, ratio eſt, quia cauſæ rationem habuit; veluti obſtructio citi, tollitur, quàm febris: 2. dolor, tumor, intemperies partiũ ulceratarum, citius tolluntur, quàm ipſum ulcus. Quicunq; ſanantur, eos omnia morborum tempora percurrere neceſſariũ eſt: qui verò moriuntur, non opus eſt, ut ad ſtatum perveniant; quia etiam mors ſine criſi evenit; & aliquando in principio, aliàs in augmento, animam agunt, naturâ morbi viribus ſuſtinendis ineptâ, præcipuè, ſi obſervetur, quantũ morbus ſuperet naturam, & quo tempore Æger graviùs afficiatur, obſervatâ graviſſimæ exacerbationis horâ, pulſu exiſtente languido, formicante, deficiente, cum animi deliquiis, reſpirationis difficultate, frigida per os exſpiratione

Luna aſpectus.

&c. Hæc certiora, magisq; familiaria ſunt, quàm quæ ab Aſtrologis petuntur: v.g. ſi, dum æger incepit decumbere, infeſtos in Geminis habuerit Planetas; ſi iidem Gemini 6, vel 8, à morbi principio, die à malefico Planeta infeſtentur, morietur Æger. Hæ ſunt *regulæ Aſtrologicæ*; quibus tamen non eſt fidendum.

Objectiones. 1. Obj. 1. Si Luna haberet virtutẽ cauſandi diem criticum, vel id haberet ex ſe, & ex ſuâ naturâ, vel aliunde: ſed neutrum dici poteſt: probr: ſi ex ſe haberet, ſemper deberet eodem modo agere: ſed hoc non fit: ſi aliundo haberet, deberet à ſublunaribus neceſſitari & moveri; quod fieri nequit. ℞. Lunam id non habere ex ſuâ virtute, aut naturâ, ſed ex loco, aſpectu.

2. Obj. 2. Si haberet à loco, & aſpectu, nõ poſſet omni die facere criſes; ſed videm, contrariũ: ergo. ℞. non poſſet facere criſes, reſpectu ejusdem; concedo: reſpectu diverſorum; nego. Sufficit enim, ut perveniat ad quadrata, ſeu oppoſita ſigna, reſpectu Ægroti.

3. Obj. 3. Aſpectus nihil agunt: ergo fruſtra. ℞. negativè; quia aliter agunt aſtra per influentias, & lumina, obliquè; aliter directè; aliter oppoſitè: uti clariſſimè apparet in lumine Solis.

4. Obj. 4. Si Luna id faceret, faceret vel trahendo, vel expellendo: non trahendo; quia id magis Soli conveniret, ob majus & magis activum lumen: non expellendo; quia vim illam non habet. ℞. cauſare Lunam dies criticos commovendo, & fermentando; unde natura ſtimulatur ad excretionem.

5. Obj. 5. Quomodo dies critici ſunt impares; cùm quartus ſit par, & tamen inter criticos ſit relatus? ℞. Quartus eſt par, ratione primi; concedo: ratione primi & ſeptimi; nego: eſt enim quartus numerus medius inter duos impares; ergo, cùm medium participet ab utroque extremo, neceſſariò quartus numerus erit impar.

6. Obj. 6. Primus dies nõ videtur referri poſſe inter dies criticos; quia non habet ſigna cõcoctionis: videtur enim natura tam citò nõ poſſe concoquere. ℞ negativè: nam Gal. *l. 1. de criſibus, c. 2.* ait: ſi concoctionis ſigna ſtatim à principio appareant, bonũ: ergo etiã primo die poſſunt eſſe ſigna concoctionis; præcipuè ubi natura fortis eſt, & materia obediens.

7. Obj. 7. Etiam alii, præter enumeratos, dies critici eſſe videntur: nam, ex Hipp. *3. epid.* virgini Lariſſææ 6to die judicium per ſudores factum eſt, Pythio 10. Nicodemo 24. ergo: ℞. hos omnes non ſolo ſudore, ſoliſq; hiſce diebus, ſed tum urinis, tum abſceſſu ſupervenientibus, eſſe judicatos; adeoque nihil evincit objectio.

8. Obj. 8. Omnis actio fit vel per contactum Phyſicum, vel Mathematicum: ergo, ſi Luna ſit cauſa principalis dierum criticorum, uno ex his modo aget: certum autem eſt, quòd potiùs Phyſico contactu, quàm Mathematico agat: ergo aliquid neceſſariò vel corporeum, vel incorporeum, emittetur: ſi corporeum; ergo cæli paulatim deficient: ſi eſt aliquid incorporeum; ergo erit qualitas quædam primarum productiva; velut lux producit calorem, vel vim quandam trahendi, fugandi &c. quæ omnia individuis multò magis propriè conveniunt: ergo potiùs id fiet à lumine: ſed lumen non magis 7, quàm 8, agit: ergo: ℞. non à ſola Lunâ, ſed à concauſis, naturâ, & exacerbatione fieri.

9. Obj. 9. Incomprehenſibile eſt illud, quod aſtra emittunt. ℞. eſſe, præter lumen, occultas qualitates, quibus etiam mare fluit, & refluit.

10. Obj. 10. Hipp. *l. de ſeptimeſtri partu*, dicit, ex paribus 14. & 28. contemplari oportere; ergo 14. non eſt impar. ℞. Propoſitionem, *ex*, hîc ſignificare idem quod præter.

11. Obj. 11. Hipp. *l. 3 præſag.* ait, febres, ſive ab ipſis quis ſanus evadat, ſive pereat, æquali dierum numero finiuntur: ergo criſis non fit ſeptimo. ℞. Hipp. loqui de febribus longis, ſeu chronicis; non de aliis.

12. Obj. 12. Gal. *3. de criſibus, c. 2. ad finem*, ait, vehementiores mutationes fieri, ubi Luna cum Sole coit; in apparitionibus plenilunii minores; obſcurè, dum curvata eſt, & falcata: cùm itaq; vehementiùs moveantur abſente Lunâ, quàm præſente; hæc non erit cauſa dierum criticorum. ℞. hîc Galenum loqui de eclipſibus, in quibus fiunt mutationes; ſed non criticæ.

13. Obj. 13. Tantùm ante Novilunium contingunt paroxyſmi Epileptici &c. ergo tum criſes fient; quia hæ fiunt in exacerbationibus. ℞. Licet Luna tunc non agat directè; agit tamen indirectè, propter reſpectus, quos magis alteratos habet à reliquis Planetis, à luminis reflexione exacerbatis.

Obj. 14. Ariſtot. *2. de anima*, ponit Numerum inter objecta communia ſenſuum; ergo eſt ens reale, ſenſu cognitum: ergo, ſecundum Pythagoricos, poterit eſſe cauſa dierum criticorum. 14.
℞. numerum tantùm ex continui negatione cognoſci; ideoq; per accidens, & non per ſe: utpote, ſicuti cæcitas, tenebræ, & aliæ privationes, cognoſcuntur per contrarium, nec poteſt dici numerus eſſe ens per ſe, quia conſtat ex pluribus unitatibus non unitis; & ſine unione unum dici per ſe nunquam poteſt; unitates verò non unitæ non poſſunt habere rationem formæ, aut materiæ: unde liquet, numerum, quà numerum, nihil agere, ſed rationem numeri ſtupenda præſtare. Hinc Genethliacorum inſaniæ evenerunt, qui omnia ab aſtris, tum beneficis, tum maleficis, fieri, injurioſè tradunt: quaſi verò omnes, qui eodem ſiderum aſpectu naſcuntur, moribus, & fortunâ, omninò convenirent; cùm contrarium ſæpe eveniat, ut ii, qui ſub aſpectibus diverſiſſimis ſunt nati, ſimiles moribus; qui ſub iiſdem, diſſimiles eſſe comperiantur: & cùm, teſte Ariſtot. incōmenſurabiles ſint cæli motûs, quis de his certi quid prædicet; cùm eadem aſtrorum facies vix ſemel totâ hominis vitâ appareat? Immo à fide orthodoxâ alienum eſt, nos ab aſtris neceſſitari: nam, teſte ſacrâ paginâ, *ſapiens dominabitur aſtris*; nō aſtra ſapienti: neq; corruptibilitatis noſtræ principium eſt ab aſtris; ſed à materia prima, & ab elementis; quorum continuis actionibus, & reactionibus, perit ſubjectum; à cælo autem, quicquid boni, quicquid ordinati, quicquid conſoni, nobis evenit, proficiſcitur.

Obj. 15. Hipp. *l. de principiis*, ait, non eſſe inſtitutum, dicere de aſtris, niſi quatenus ex iis ſanitas, & morbus, bonum, & malum, vita, & mors, evenit: 2. idem, *de aëre locisq;*, Medicum jubet ortum aſtrorum, præcipuè Arcturi, & Plejadum obſervare: in his enim diebus morbos maximè interimere; ſolſtitia, & æquinoctia, eſſe periculoſa: ideoque hiſce temporibus ab omnibus medicinis abſtinendum: &, 1. *de diæta*, omnia, inquit, 15.

inquit, eveniunt per cæleſtem, & divinam neceſſitatem; &, *1. prognoſt.* aſſerit, *aliquid in morbis eſſe divini;* quod neceſſariò ab aſtris debet provenire: ergo adhuc verificari videtur illud, quòd ab aſtris neceſſitemur. R. nos non negare, aſtra eſſe cauſam univerſalem omnium mutationum, motûs nempe ſui, & luminis energiâ, ſeu contactu Phyſico, & virtuali; non Mathematico: quod per iſta citata probari videtur; ideoque *ante, & poſt, canem difficiles ſunt medicationes;* & plurimi moriuntur ob ingentem æſtum; hinc ſanitas & morbus, vita & mors, non tamen neceſſariò ſequuntur; quia prærequiritur diſpoſitio prævia in corpore, ſine quâ parum, vel nihil, operantur aſtra. *Divinum* illud *Hipp. in morbis*, vel intelligitur de morbis peſtilentialibus, à Deo, in expiationem delictorum, hominibus miſſis; vel divinum illud eſt occultum, quod ab aëre communicatur, vel etiam aliunde. Cautè itaque de ſiderum influxu ſentiendum; cùm de moribus, ac futuris eventubus fortunæ agimus. Humores corporibus influere, ad ſenſuum, membrorumque vegetationem, unde homo ſit ad has, vel illas, artes, ad hunc, vel illum, affectum aut morbum proclivior, non inficias imus: ſed vitia, & peccata, influere, & ſidera cogere, & inclinare, falſum eſt, & impium: nam ſine hoc homo, ab origine, non à cælo, ſuâ naturâ corruptâ proclivem ſe reddit ad malum, *Geneſis 8.* Audite S. Aug. *l. 5. de Civitate Dei, c. 1.* Qui putant, ſtellas poteſtatem hanc habere, cælo magnam faciunt injuriam; in cujus velut clariſſimo Senatu, à ſplèdidiſſimâ curiâ opinatur, ſcelera facienda decerni; qualia ſi aliqua terrena civitas decreviſſet, genere humano decernente fuerat evertenda: ideoque ſcribit *D. Thomas, primâ 2. qu 95.* inclinare ſidera non ad peccandum, ſed tantùm imprimere in corpus, & in vires, libero ſemper exiſtente voluntatis arbitrio: propterea qui nativitates, aut conceptûs, ſcrutantur, futuram hominis pietatem, aut impietatem prædicentes, ab Eccleſia damnantur. Clemens enim Papa, *recognit. lib. 9*, ſtellarum ſcrutatores irridet, & peritiſſimè refutat. S. Baſilius, *homiliâ 6*, eos damnat; agriculturæ verò, itinerationis, & navigationis, cauſas non damnat. Eodem modo eos damnant S. Chryſoſtomus, Gregorius, Auguſtinus, Cyprianus. S. Thomas ait: ideo ſidera, cùm naturam conſervent, impoſſibile eſt, ut ad peccatum inclinent: peccatum namq; maledictione comite committitur; ſidera autem, cùm à maledictione fuerint immunia, nullo modo hominem ad peccandum poſſunt dirigere; immò obſervatum eſt hactenus, ipſos Vates plerumq; in hæc mala, quæ aliis prædixerunt, incidiſſe: utpote Malataſta, cùm Pandulpho exilium ex Aſtrologia prędixiſſet, ab illo judicio publico eſt necatus: Petrus Spoletanus, Medicus, cùm prædixiſſet, ſe in aquis periturum, ideoq; omnia vitaret flumina, tandem in puteo inventus eſt: Antiochus Tiberius inſfælicem ſibi obitum prænuntiavit, qui ei etiam obtigit: idem Cocliti ab Hermete accidit. Lucas Henricus, Epiſcopus, cùm curioſiùs quæreret de ſe futuros eventûs, dixit, ſibi torturam à Tyranno imminere; quæ etiam ei, in curioſitatis pænam, accidit. Maleaſſes, Tuneti Rex, Aſtrologicæ deditus inſaniæ, criminis ſui pænas prædixit; ſe nimirum brevi Regno ejectum iri; quod & factum eſt: nam à filio Amida regno ejectus, & excæcatus eſt. Archiepiſcopus Piſanus, cùm curioſè ab Aſtrologis de ſuo evêtu ſciſcitaretur, reſponſum accepit, ipſum ſuſpendio moriturum: quod & ei à Sixto IV. contigit: nam ejusdem ſubito quodam furore ex Palatinis, Florentiæ ædibus, fuit ſuſpenſus. Deus ſine dubio id in pænam per Diabolum revelaverat, ad curioſitatis humanæ caſtigationem.

τὸ θεῖον.

Qu. 1. Cur ergo Aſtrologica ſcientia Medicis hactenus ſemper ita commendata fuit? R. Præterquàm, quòd Aſtrologia Chriſtiana eſt ea, quæ non circa vaticinia verſatur, & divinum illam eſſentiam, & inacceſſibilem lucē, ad quam anhelamus, contemplatur, rectè conceſſum eſt, aſtra ſuis qualitatibus plurimum facere ad mutationes ſublunares: immò etiam in morbis, v. g. ſi febris acuta inceperit in Ariete, ſigno calido, & morbo favente; die illo, quo Luna pervenerit ad ſignum contrarium, utpote Cancrum, ſignum frigidum & humidum, plurimum meliorabitur. Sed, cùm Sol generet hominem, ſed nō ſine homi-

Quæſtiun. 1.

homine; neceſſarium eſt, ut cætera conſentiant; ſcilicet Ægroti temperies, morbi idea, mos, motus, magnitudo: quæ omnia univerſalem cauſam, ſeu aſtrorum, aſpectus determinant ad talem ſpecie affectum producendum.

II. Qu. 2. Cur ſententia Averrhois non verificatur à nobis, quòd proportio agentis ad paſſum ſit cauſa dierum criticorum; cùm hæc ſit febrilium paroxyſmorum cauſa, quia non ſecus, ac criſes, certo quodam tempore, & ordine, redeunt? ℞. in paroxyſmis ordinem aliquando ſervari, non tamen ſecurè, & fideliter, ſicuti in criſibus: immo ſi proportio agentis ad paſſum eſſet cauſa dierum criticorum, hanc, ſequeretur, non eſſe variabilem; quod eſt falſum: nam variatâ humorum quantitate, vel auctâ, vel diminutâ virtute activâ, variantur paroxyſmi; quod non fit in diebus decretoriis; qui certo quodam ordine, per quaternarium, & ſeptenarium, procedunt: aliàs non eſſet major ratio, quòd ſeptimus eſſet criticus, quàm ſextus dies: quod falſum eſt, & experientiæ contrarium. Etſi enim judicandus ſit morbus in ſeptimo, ſi minuatur humor noxius, ſexta; ſi augeatur, octava fiet criſis: idem dic de virtute auctâ, vel diminutâ. Itaque proportio agentis ad paſſum eſt tantùm cauſa ſine qua non, ob quam terminatur actio; & non principalis, quæ cæleſtis eſt.

III. Qu. 3. Cur conſonantia non cauſat dies criticos; cùm ſonum bonum in Muſica efficiat? ℞. Quia ſonus eſt objectum proprium auditûs, & non tactûs: fiunt autem dies critici ab irritato naturæ tactu.

16. Obj. 16. Criſis non fit, niſi præparato priùs humore: humor autem nunquam dicitur præparatus, priuſquam illud, quod craſſum eſt, fuerit concoctum: illud autem eſt melancholia, quæ quarto fere die movetur: ergo adhuc cauſa dierum criticorum præcipuè referenda erit humori melancholico, qui cum reliquis humoribus neceſſariò ſemper putreſcit. ℞. concoctionem non tantùm conſiſtere in craſſi attenuatione, nec concoctione, ſed etiam in tenuis incraſſatione: ſecundò: taliter criſis nunquam eſſet tertâ die; quia tum melancholia nunquam movetur: tertiò: ergo nunquam deberet fieri criſis, niſi materiâ exiſtente in venis: cui contrarium apparet in inflammatione ventriculi, cum febre lipyria: quartò rationi conſentaneum non eſt, nunquam reperiri in corpore humano humorem purum; cùm bilis, ſine ullâ melancholiâ, reperiatur in veſicula fellis.

Qu. 4. Quinam dies Intercalares dicantur? ℞. Sunt ii, qui inter dies verè criticos, & indices, intercedunt: v.g. 3. 5. 9. 13. 15. 19: dicuntur etiam Provocatorii; quia, licet, ob ſuam impuritatem, aliquam decernendi prærogativam habeant, & præcipuè nonus: tamen id mancò tantùm modo faciunt: id eſt, ab irritatâ tantùm naturâ criſes producunt. IV.

Qu. 5. Quomodo combinandi ſunt Hippocrates, & Avicennas: quorum ille, die critico quieſcendum eſſe; Avicennas autem, *in cura febrium generali*, ait: quando natura non movet, move, tamen hora motûs ejus: immo Galenus, *4. acutor. 76* quarto die exhibet pharmacum; cùm tamen ſit criticus. ℞. Hippocratem intelligendum eſſe, quòd die critico nihil agendum ſit, ſi natura ſatis ſuperque evacuet: ſi verò nihil, vel parum moveat, materiaque ſit concocta; movendum eſt: concocta enim medicari, ac movere, oportet: *1. aph. 22:* non ab ipſo die decretorio vacuandi ſumitur indicatio; ſed ab humorum concoctione, quâ exiſtente, etiam diebus intercalaribus, & vacuis, qui ſunt ſextus, octavus, decimus, duodecimus, decimusſextus, decimusoctavus, humorum fieri poteſt evacuatio. Et hæc de *Criſibus*, & *diebus Decretoriis*, atque universâ Semioticâ, dicta ſufficiant. V.

ISAGO-

ISAGOGES MEDICINÆ PARS, ſeu TRACTATUS QUARTUS: CONTINENS

ὑγιεινὴν, ſeu de Conſervanda Valetudine.

Caput Primum,

De Alimentis in genere.

Cùm duplex ſit Medicinæ finis; utpote ſanitatem præſentem conſervare, & amiſſam reſtituere: illa pars ὑγιεινὴ; hæc therapevtica vocatur. Circa primum tota hæc verſatur doctrina, idque ſimilibus efficit, ſeu rebus ſex non-naturalibus: Cibo, Potu, Somno, & Vigiliis &c. Nam ſicuti ex horum legitimo uſu diu illæſa, & incolumis, ſanitas conſervatur; ita ex præpoſtero labitur. De his autem in genere, *cap. 3. noſtra Pathologia*, prout morborum cauſæ fiunt, abunde egimus. Videndum itaque eſt, quomodo vitam diutiſſime incolumem ſervare poſſimus.

Alimenti definitio.

Alimentum autem eſt ſubſtantia, quæ, à calore nativo commutata, in corporis noſtri ſubſtantiam converti, & illud nutrire poteſt. Alimenta omnia ex plantis, & animalibus, deſumi debent, non ex mineralibus; quia hæc in ſubſtantiam corporis, quà talia, commutari non poſſunt: & omne mixtum, quod vim habet nutriendi, vitam habuiſſe neceſſe eſt; unde maximâ, pro conſervatione, nanciſcitur ſimilitudinem.

Quæ circa alimenta conſideranda.

In alimenti *uſu* conſideranda ſunt, ſubſtantia, quantitas, qualitas, ſumendi tempus, præparatio, conſvetudo, delectatio, ætas, anni tempus.

Subſtantia alimentorum.

A *ſubſtantiali* forma habent alimenta ſimilitudinem cum corporibus noſtris: quæ tamen variare poteſt: hinc ſunt vel boni, vel mali, ſucci; multum, vel parum, nutrientia, dura, mollia, rara, denſa, gravia, levia, groſſa, tenuia, lenta, &c.

Alimenta quæ bona.

Alimentum, ut abſolutè, & ſubſtantialiter, *bonum* dicatur, nullum in hiſce exceſſum habere poteſt, quòd bonum, & laudabilem generet ſuccum, pauca excrementa; quòd facilis ſit concoctionis, & diſtributionis: quale præbet alimentum panis bene coctus & fermentatus, ex puriſſimo tritico confectus, caro vervecina, hædina, caponum, gallinarum, pullorum, perdicum, turturum. *Prava* autem alimenta ſunt hiſce contraria, quæ malos generant ſuccos, multa excrementa; quæ, ob craſſam, quam habent, ſubſtantiam difficulter diſtribui poſſunt: v. g. panis avenaceus, furfuraceus, caro caprina, bovina, hircina, cervina, leporina, legumina, caſeus antiquus, & fumo indurata omnia, piſces &c. quæ omnia magis, vel minus, bona ſunt, aut mala, prout reſpondet aſſumentis natura, conſvetudo, vita laborioſa, vel non &c. Nam ii, quibus major concoquendi, & digerendi, vis ineſt, alimenta dyſpepta, ſeu difficilis concoctionis, faciliùs; quibus verò minor eſt calor, difficiliùs concoquent: evpepta verò ipſis erunt magis competentia.

Prava quæ.

Secundò: alimentorum ea debet eſſe *quantitas*, quæ reficiendo, & alendo, corpori ſufficiat: ſi enim excedat, fiet, quod dicit Eccleſiaſtes, *c. 37. Noli avidior eſſe in omni epulatione, & non te effundas ſuper eſcam: in multis enim cibis erit infirmitas, & aviditas appropinquabit usq; ad choleram: propter crapulam multi interierunt; qui autem abſtinens eſt, adjiciet vita*: immo abſtinentia plurimos curat morbos, à repletione factos, qui inanitione curantur; &, teſte Hipp. cœnæ unius carentia uni æquipollet clyſteri. Herodotus, Philoſophus, tabe laborans, beneficio diætæ ad centeſimum annum pervenit. Generalem ciborum quantitatem, & regulam, præſcribi non poſſe, teſtamur: fortibus enim liberalior; imbecillibus parcior

Quantitas.

cibus

cibus concedendus eſt: &, cùm maxima naturarum ſit diverſitas; quarum aliæ à tenui, aliæ à forti, & liberaliori, diætâ læduntur: tota diætæ præſcribendæ regula ex doctrina perfectâ de temperamentis (nam ob ætatem, tempus &c. variatur.) eruenda eſt; neque negligendus eſt Hippocratis *aphoriſmus, lib. 5. primus: tenuem victum, cúmq; admodum exquiſitum, paulò pleniori eſſe periculoſiorem*: quia repletioni, quàm inanitioni, occurrere, facilius eſt.

Victûs ratio quotuplex. *Triplicem* verò, ſummatim, *victûs rationem* præſcribunt Authores: *tenuem* nempe, quæ ægrotis tantùm convenit; impura enim corpora quò plus nutries, eò magis lædes: *mediocrem*, quæ in eo ſtatu, in quo eſt, naturam conſervat: & *plenam*, quæ aliquid addit. Ultima hæc ſpecies ſanis utplurimum convenit, quibus mediocris victus robur imminuit, plenus verò auget: perpetua tamen ſit hæc regula: *nunquam ſatiari cibis, & impigrum eſſe ad laborem*: & ſi, ab aſſumpto cibo, aliquem, in membris, langvorem, ſeu majorem ad ſomnum inclinationem, ad ſtudia, aliaſque mentis occupationes, te ineptiorem ſentias, quam antè; ſcias certò, te plus ingeſſiſſe, quàm natura exigebat: hinc cibi quantitas euſque imminuenda eſt, donec talis ceſſet langvor. Signa repletionis tradit Hipp. *tertio de diæta*, quòd ſint capitis dolor, gravitas, ſomni longiores, & perturbati, inſomnia turbulenta, pugnæ, rixæ, contentiones, ſegnities, & totius corporis languor, appetitûs dejectio, ructûs acidi, & nidoroſi ex ventriculo, acidus, ſeu auſterus, in os humor per vices regurgitat, inſolita alvi pigrities, catarrhi frequentes, alvi profluvia, dyſenteriæ &c. hæc ſi advertantur, repletioni quærenda ſunt antidota; nec ſtatim ab uno extremo ad aliud tranſeundum. Nam, teſte Hipp. *2. aph. 51*: omne nimium, naturæ inimicum: &, quod ſenſim fit, tutum eſt.

Quæſtio. Qu. Quis cibus, & quis potus, maximè ſit vitandus? ℞. cum Socrate; cavendi ſunt cibi, qui non eſurientes denuo ad edendum invitant: cavendi ſunt potûs, qui non ſitientes denuo ad potum alliciunt.

CAPUT II.

De Qualitate Alimentorum, & ſumendi Tempore, Ordine, Præparatione.

Alimentorum quantitates. A*Limenta* vel ſunt *temperata*, uti panis, carnes boni ſucci, facilis digeſtionis, pauci excrementi: vel *intemperata* ſunt; ut alimenta medicamentoſa, quæ corpora noſtra refrigerant, vel calefaciunt, humectant, vel ſiccant, aperiunt, obſtruunt, laxant, lac, vel ſemen generant. *Refrigerantia* ſunt lactuca, endivia, portulaca, acetoſa, blitum, mercurialis, beta, cucumeres, cucurbitæ, melopepones: *calefaciunt* piper, ſinapi, allium, porrum, mentha, abſynthium, roſmarinus &c. *Obſtruunt* mala cydonia, meſpila, corna, quæ craſſarum cum adſtrictione ſunt partium, panis bis coctus, ova frixa: *aperiunt* radices petroſelini, aſparagi, paſtinacæ, cicera rubea, cappares, apium: *ſemen generant* limaces, amygdala, ſemen petroſelini, radices bulboſæ, apium hortenſe, citrulli &c. *ſanguinis copiam generant* ova ſorbilia, carnes vitulinæ, caponum, perdicum, turturum, lacticinia, excepto caſeo: vitanda tamen ſemper eſt in cibis varietas: nam, ait *Seneca*, diverſa cibaria inquinant, & non alunt: &, teſte Hipp. *l. de flatibus*, diſſimilia ſeditionem movent; v. g. piſces carnibus mixti, & ſimul ingeſti, ob naturæ diſſimilitudinem, nocent: nam priùs digeruntur, & digeſti corrumpuntur, reliquoſq; cibos ad infectionem ſecum rapiunt.

Ordo ciborum. Neque *Ordo* legitimus eſt negligendus in cibis, ſi liberaliori vivendi conſvetudini pertinaciter inhærere cupiamus: ideoque, quæ facilioris ſunt concoctionis & diſtributionis, utpote liquida, laxantia, primo loco ſunt ingerenda; ut citiùs, ſine obſtaculo, è ventriculo per pylorum deſcendant; aliàs, ſi longiorem moram traherent, periculum eſſet, ne ab ipſo ventriculi calore corrumpantur: atque ita & reliquis datur locus, ut ventriculi fundo contigua, & caloris concoquentis participia reddantur: ſolida, vel adſtringentia, digeſtionis difficilioris, erunt poſtponenda:

partim,

partim, ut diutius in ventriculo remorentur; partim ut, elabentibus liquidioribus cibis, ſola calorem totius ſtomachi participent, & ſuâ ſtipticitate ventriculi orificiú ſuperius claudant, ne caput, mentis arcem, infeſtent vapores: deniq; ut liquidiorum anadoſin, ſuâ ſoliditate comprimente, promoveant.

Tempus ſumendi cibos. Optimum ſumendi cibi *Tempus* eſt, quod maximè conſvetum, dum omnimoda digeſtio facta eſt, nullus in ore amaror, nulli flatûs, nulla ventriculi compreſſio, nulla nauſea adeſt: dum nempe natura appetit, ſentiturque ſuctio illa in ventriculo à vaſis exinanitis: ſi enim, ingeſtis crudis, nova ſuperingerantur alimenta, inſignis cruditas conciliatur: exemplum in lebete bulliente, cui ſi vel minimum aquæ ſuperfundatur, ſtatim bullire deſinit; eodem pacto ventriculi concoctio deſinit: quod ſi, fieri, caſu contingat, à ſequenti refectione abſtinere, remedio eſt: abſtinentiâ namque cruditates conſumuntur: duæ verò refectiones per diem ſufficiunt omnibus, præterquàm pueris, & ſenibus: illis, quia calidi innati vigor; his, quia calor imbecillis eſt: unde ſingulis vicibus parum aſſumitur, & multitudo frequentiâ compenſatur. Et ſicuti repletio maximè noxia eſt: ita & abſtinentia nimia non paucos generat errores; præcipuè in picrocholis, quibus, ob bilem in ſtomachum confluentem, abſtinentia eſt moleſtiſſima: hinc ratio eruitur, quòd, præterlapsâ ordinariâ refectionis horâ, appetitus deſinat: ventriculus enim à vicinis partibus attrahit humores, qui ſenſum appetitûs obtundunt; hinc deſinit: quin & mala inde multa evenire poſſunt; ut hectica, maraſmus, cardiogmos, cachexia &c.

Ciborum præparatio. Ut concoctrici naturæ facultati notabili adminiculo opitulemur, cibos vel à natura, vel arte, bene coctos, & ad ulteriorem digeſtionem *præparatos* eſſe oportet: *à natura cocti* ſunt fructûs maturi; carnes verò, & reliqua alimenta, beneficio elixationis, aſſationis, frictionis, ſeu toſtionis, præparantur. Nec parum intereſt, quonam mortis genere pereant animalia: nam ſi à ſuis inimicis occidantur, carnes ita teneræ evadunt, ut fere in jus reſolvantur; utpote oviculæ, à lupo occiſæ, tenerrimæ ſunt. Cauſam refert Plutarchus, *in Sympoſiacis*, in ſpiritum lupi tenerrimum, qui ſuâ penetrabilitate carnes attenuet: ſed vix credibile eſt, quia idē fit in carne leporis, coturnicis, phaſiani, hinnuli &c. ab inimicis, cane, falcone, accipitre, occiſis, qui tamen adeò penetrantem halitum non habent: ſed potior ratio eſſe videtur, quòd in timore ſummo carnes à ſangvine purificentur, dum nempe concentratur: unde talium animalium corda ſunt duriſſima, carnes tenerrimæ. Hinc ſi volatilia tenera deſideremus, vulturibus, & accipitribus, objiciamus; ſi boves, canibus vexandos obtrudamus; gallinas ex turribus deturbemus; gallos baculis excipiamus; vel etiam poſſunt, deplumati, vino immergi: ſicq; citius tenereſcunt; gallinæ Indicæ è naribus vivæ ſuſpendantur. Nec parum facit ad primam hanc teneritudinem conciliandam, ſi, poſtquam mactata ſunt animalia, ſub dio aliquandiu ſerventur: nam perdices recenter mactatæ non ſunt edendæ, ſed poſt unum aut alterum diem: ſuam enim illam duritiem interea amittunt: idem intelligas, ſi Lunæ radiis exponas, quæ aliquo modo primam incipit putrefactionem: hinc ligna, ſub Lunæ radiis ſecta, carie conficiuntur. Et hæc de *primis præparationibus*.

Secunda præparatio. *Secunda præparatio* eſt, quæ fit per *elixationem*: quæ duplex eſt: vel in aqua; vel lentè, in proprio ſucco; quæ jurulenta ſunt aliis meliora: uti eſt vulgare illud *Conſumatum*: elixæ carnes non tantum præbent corpori alimenti, quantum jurulentæ; quia magnam ſubſtantiæ ſuæ partem in jusculo reliquerunt: plus tamen alunt, quàm aſſatæ. Notandum: in aſſationibus non eſſe cultro multùm perforandas carnes, quia ſic humidum illud alimentare ex toto fere deperdunt; non obſtante Avicennâ, qui dicit, carnes, inter bullitionem obduratas, malignitatem venenatam induere: lebetes ſemper inter bulliendum tegi debere, nec toties, poſt evaporationem, aquam recentem eſſe reaffundendam, exiſtimamus: ſic enim ſal volatile, optima nempe ſubſtantia, evaporat: hinc Belgæ ſapidiſſima habent juscula, quia tectis coquunt

ollis (quas *Marmites* vocant) nec ſæpius frigidam reaffundunt, ne carnes indureſcant; quod hîc plerumque contingit: vervecinarum tamen carnium contuſio à Nobis nó rejicitur, quâ teneriores multò redduntur: reliquum eduliorum luxum Ganeonibus, & Paraſitis, relinquendum eſſe cenſemus.

Confvetudo. *Conſuetudinem* quod attinet, tribuendum ei aliquid ſtatuimus: nam *2. aph. 50. Quæ longo tempore ſunt conſveta, etſi deteriora ſint, inſvetis minùs moleſta eſſe ſolent.* Noſtrum enim temperamentum quodammodo redditur ſimile alimentis, & aëri, quibus diuturno tempore fuimus uſi: & *Conſvetudo altera eſt natura.* Hinc quicunque aſſuetus fuit, uti tali alimentorum, vel potús, ſubſtantiâ, quantitate, qualitate, & ſumendi tempore, ab eâ non illicò omnino recedat; ſed, ſi declinandum, id paulatim faciendum, ſemperq; concedendum aliquid tempori, ætati, regioni, conſvetudini: neque poſtponendi ſunt illi cibi, qui palato magis arrident; licet paulò ſint deteriores: quia ejusmodi cibi ſtrictiori amplexu à ſtomacho excipiuntur, & breviori temporis ſpatio concoquuntur; teſte Hipp. *2. aph. 38. Paulò deterior cibus, & potus, qui tamen ſit ſvavior, melioribus quidem, & minùs ſvavibus, anteferendus.* Hic Aphoriſmus, licet ſit adulatorum, locum tamen habet in ſano ſenſu.

Caput III.

de Victu cuivis Ætati, & Anni tempori, congruo.

ab Ætate; Victus Puerorum. PRima omnium *Ætas* eſt *Puerilis;* cui victus ad refrigerantem & humidum accedens convenit: nam, teſte Hipp. *1. aph. 16. Victus humidus febricitantibus, maximè verò pueris, confert:* neque, ſecundum Platonis regulam, ante vigeſimum ſecundum, vel ad minimum 18. usque annum, vini potus, ob excedentem in iis calorem, eſt concedendus; quia mollis, & rara eorum ſubſtantia, & textura, facili negotio diſſolvitur, & incrementum ab inductâ ſiccitate prohibetur. Multivori ſunt pueri; ideoque iis plus cibi concedendum eſt: calor enim plus conſumit: &; *Qui creſcunt, plurimum habent calidi innati, & plurimo egent alimento.*

Adoleſcentum, & Juvenum, victus. Huic ætati proximè accedit *Pubertas;* quæ mediocrem requirit cibum, tam quoad quantitatem, quàm quoad qualitatem: accedentes verò adoleſcentes ad *Juventutem* victu frigido & humido opus habent, ob majorem caloris, jam ab humido liberi, activitatem: nihilominus difficilioris digeſtionis cibi, quàm pueris, exhiberi poſſunt; quia fortior, & digeſtioni aptior, eſt calor, quàm in pueris, quibus & molles, & facilis digeſtionis, cibi ſunt adhibendi: videndumq; ſemper eſt diligentiſſimè, ut paſſum agenti ſit proportionatum: plurimum autem vini fortioris multus potus nocet; utpote qui bilis copiam auget &c.

Senum victus. Secus verò *Senibus;* quibus omnia calefacientia & humectantia conveniunt: iis enim vinum cor lætificat, excrementa ſuperflua expellit, digerit, concoquit, calorem & ſpiritus reſtaurat; minor tamen convenit quantitas; aliàs facile ſuffocatur exiguus iſte calor, vel diſſipatur.

à Tempore anni: Victus Hyemalis; & Vernalis. *Hyeme*, & *Vere*, cùm ventres ſint calidiſſimi, plurimo opus erit alimento: & hyeme quidem calido & ſicco, ſeu benè aromatizato, utendum eſt alimento, ſeu tali, quod tum externis cæli injuriis, tum phlegmati copioſiùs generando, reſiſtat: ab his tamen extremis non parum ad mediocritatem accedere debet verno tempore, ob ejus temperatam diſpoſitionem, quæ ſimile requirit alimentum; niſi partes, hyemi & æſtati proximiores, exiſtimes, excipi debere, in quarum primâ calidius, in ſecundâ frigidius alimentum eſſe debet. Similem; in quantitate aſſignandâ, mutationem faciendam exiſtima.

Æſtivalis. *Æſtate* victus debet eſſe refrigerans, & humectans; ut nempe bilis dominantis calor dometur, & ſiccitas, ab æſtu nimio inducta, moderetur; &, cùm calor multum diſſipetur ab extrinſeco, tantum alimenti non eſt ingerendũ, quantum in hyeme, ne calor extingvatur.

Autumnalis. *Autumnalis* victus ad hyemalem accedat, oportet; præcipuè ſecundum poſteriorem partem; ſecus, ſecundum priorem: quæ ad æſtatis temperamentum plurimum accedit. De Eſculentorum particularium qualitatibus alios inveſtiga Authores.

Caput

Caput IV.

De Alimentis in ſpecie.

Legumina: Legumina omnia ſunt flatuoſa, licet per primam coctûram, & primæ aquæ abjectionem, hanc malitiam utplurimùm deponant: *Faba:* *faba* tamen flatulentæ pertinaciter permanent; nec diutius coquenda ſunt legumina, aliàs indurantur, quæ craſſarum aliàs ſunt partium; unde alimenta viſcoſa, & tenacia flatuoſa ſubminiſtrant, melancholicis, & ſenibus ſummè inimica; niſi quòd Venerem aliquo modo ſtimulent. *Piſa,* *Piſa,* in quibus frigiditas & ſiccitas dominatur, minùs ſunt flatulenta, ſed ventrem tardiùs, quàm fabæ, transeunt: medii generis ſunt *Phaſeoli*, teſte Aëtio, quibus adnumerantur *Ervilia, Ervum, Orobus*, & *Lentes:* *Lentes*, qui pravi ſucci eſſe dicuntur à Galeno; qui putat, eos, qui frequenter lentes edunt, elephantiacos evadere, & cãcroſos: lenti homines ab eſu lentium, eò, quòd vehementiori animi impetu non moveantur, dicti ſunt: Hipp. *6. aph. 2.* ait, ab uſu leguminum ſequi genuum, & pedum dolores, homines inde fieri discolores, triſtes, pavidos, fœminas ex leguminum uſu difficilem habere partum &c. non tamen ex toto damnatur *jus piſorum alborum*, & *cicerum rubeorum*, ad vaſorum mundationem, & viſcerum deobſtructionem: vim enim quandam habent aperiendi, & detergendi. Videndum autem ſemper eſt, ut legumina croco, cinamomo, pipere, zinzibere, aromatizata, & cum cibis attenuantibus, non cum carnibus fumo induratis edantur; & ſic faciliùs ſuam deponunt flatulentiam. *Olera:* Ab *Oleribus* non incommodè cæna inchoatur, teſte Celſo; quia breviori temporis intervallo transeunt, quàm ut poſſint nocere corpori noxiâ ſui ſucci qualitate. *Atriplex:* *Atriplex* Pythagoræ hydropem genuiſſe dicitur: *Blitum:* *Blitum* ſtupiditatem infert, niſi, primis tribus aquis rejectis, & bono condimento præparatis, utamur: *Beta:* *Beta*, ob nitroſam qualitatem, abſtergit; fatua tamen eſt Martiali, ob redundantiam ſucci aquei, non parum aromatizanda: pigro tamen ventri non ſunt inutiles betæ, & ſpinachia: *Braſſica:* *Braſſica* à Cratone plurimùm commendatur, ob magnum illum, quem in Medicina uſum habet: eſt tamen reliquis oleribus, ſi prunis, aut gelu, nonnihil uſta fuerit, braſſica melior: ſingularem enim ſvavitatem acquirit: deinde majorem habet, quàm reliqua olera, ſiccitatem: nam jus caulis ſolvit, cujus ſubſtantia adſtringit. *Lactuca* ſuccum bonum habet, αἱματοποιητικόν: refrigerat enim plurimùm, & humectat, febrientibus, ſi coquatur, utiliſſima; fortibus enim tantùm cruda, cum oxelæo, porrigenda, Venerem coercet, & ſomnum inducit: *Lactuca:* huic accedit *Intybus*, herba paulò amarior, vulgò *Endivia*, in Medicina, & culina, notiſſima, hepatis ſumma delectatio: *Endivia:* hiſce lactucis non rarò additur *Eruca*; quæ ſuo ſapore non exiguam conciliat gratiam. *Eruca:* Olera, quæ multum refrigerare, aut ſuccis ſuis quovis modo agere cupimus, non ſunt multùm ſcindenda; quia ſic & ſuccum amittunt, & flatûs admittunt; hinc ad modum ſalſamentorum condita damnantur: pauci enim, & noxii, ſunt nutrimenti. *Borrago* humida eſt in primo gradu, eſtque cordialis, ſpiritûs ſummè purificans: *Borrago:* *Portulaca* frigida eſt in gradu tertio, humida in ſecundo, refrigerans & incraſſans, pauci nutrimenti, Veneri, viſui, lumbis, inimica: *Portulaca:* *Petroſelinum* urinas movet, & flatûs diſcutit: *Petroſelinū:* *Naſturtium* calidum eſt, aperit, attenuat, incidit, diureticum eſt: *Naſturtiū:* idem intellige de *naſturtio Aquatico*, oris affectibus non minùs, ac cochlearia, dicato. *Aquaticum* Affinitatem cum oleribus habent *Rapa*, & *Napi*, quæ calefaciunt & humectant; *Rapa: Napi:* & his affines, terræ radices: *rapæ* copioſum quidem præbent alimentum, ſed diu percoquendæ ſunt, donec ſuam amittant flatulentiam, carnem generant laxam & mollem, & inutili humore madentem: hiſce minùs alunt *Dauci*, & *Paſtinacæ*, quæ pravum à natura ſuccũ ſortitæ ſunt, & ſtomacho contrarium. *Daucus: & Paſtinaca: &c.* Quidam, poſtquàm de paſtinacis avidè plurimum eſitaſſet, in triduanum ſomnum incidit: adeóq; *Somnifera* ſunt. *Radicula*, *porrum*, *capa*, *allium*, pro condimento potiùs ſint, quàm pro cibo; quia omnium acrium ciborum uſus improbatur, præcipuè in iis, qui bilioſi ſunt, in quib9 ejusmodi cibi febrim quandoque excitant: *Raphanus* calidus *Raphanus:*

eſt in tertio gradu, & ſiccus in ſecundo, & quò eſt acrior, eò calidior eſt, difficilis digeſtionis, flatulentus; unde ructûs generat, digeſtionem turbat, caput vaporibus replet, oculos obtenebrat, menſtrua etiam, calculum, & urinas pellere creditur: ad quẽ ſcopum potiùs aquam, vel ſuccum, adhibendum eſſe cenſemus: *Cepæ.* *Cepa* calidæ ſunt, & ſiccæ, in quarto gradu: longa tamen calidior eſt, quàm rotunda; rubra, quàm alba, ſicca, quàm viridis, cruda, quàm cocta: hinc minimè laudabilem generat ſuccum, ſed flatulentum, capiti oculiſque infeſtum: Medicis potiùs, quàm coquis, in uſu eſſe debet, quia tum intus, tum foris, applicata ſuâ non caret utilitate: *Allium.* *Allium* ſimiles fere qualitates habet, non tamen ſitim, ſicuti cepa, excitat, teſte Galeno, coctionem adjuvat, urinam promovet, licet eandem, quam cepa, capiti noxam inferat; ideóque pilularum inſtar manè devorandum eſt, ne tenuiores ejus partes & capiti, & jecori noceant. Illud *aïo, in triremibus, captivi imponunt, ſibiq́. febrem conciliant, ut à laboribus liberentur.*

Panis. Marſilius Ficinus jubet *Panis* portionem ad olera & fructûs eſſe quadruplã; qui debet eſſe ex puriſſima tritici farina confectus, fermentatus, & bene coctus, levis, oculatus, mediocri ſale conditus, nec nimium recens, nec nimium antiquus, ex tritico, ſoli optimi progenie, ex granariis à Septentrione, non ab Auſtro, perflatis: melius eſt frumentum, quod in editis locis, non paluſtribus, creſcit: ſic enim non habet plus humiditatis, quàm opus eſt, nec corruptioni tam obnoxium eſt. Panis fermentatione attenuatur, inciditur, & concoctioni aptior redditur quàm ſi, inſtar paſtæ, fit ſine fermento, obſtructiones, & maxima ſtomachi gravamina producere aptiſſimus; ſalſus debet eſſe, quia ſal, quaſi alterum fermentum, ejus ſubſtantiam craſſiorem attenuat, facitque diſtributioni aptiorem: pars interna panis melior eſt, quàm externa, ſeu cruſta: ſecundum illud:

Non comedas cruſtam, choleram quia
gignit aduſtam.

Non tamen plus panis ingerendum eſt, quàm requiritur; quia omnis repletio eſt mala, panis autem peſſima, ob contumaces, quas generat, obſtructiones; deinde res optimæ, corruptæ ſunt peſſimæ, vel ob diuturniorem, quàm facit in ventre, moram magis corrumpitur, &, noxios humores ad ſe trahendo, malam induit naturam; panis *recens* damnatur, ob inſignẽ ſuum lentorem, quo ſtomacho adhæret; olfactus tamen, & vino ebrius, cordi ſummam adfert recreationem: panis *vetuſtus* nimium ſiccat, & melancholicos ſuccos generat: panis *proportio* debet eſſe major ad piſces, herbas, fructûs humidiores, quàm ad carnes, & ova; rurſus ad carnes major, quàm ad ova; & ad mollia ova copioſior, quàm ad dura. Plutarchus ait, ſolidiores cibos, quales ſunt carnes, ova aſſa, ficûs ſiccæ, caſeus, & alia ejusmodi, cautim eſſe attingendos: cùm tamen conſvetudo ſit altera natura, & carnium eſu maximè delectari ſoleamus; earum uſum ſanis concedere cogimur.

Plurimæ ſunt *Carnium differentiæ*, non tantùm ratione ſpeciei diverſæ, ſed etiam ratione individuorum, ætatis, victûs, ſeu pabuli, regionis, habitûs, caſtrationis, ſexûs, & præparationis: *Carnes: earumq́. differentiæ.* volatilia quadrupedibus reliquis, ſylveſtria domeſticis, mediæ ætatis junioribus, aut ſenioribus, bene habentia male habentibus, caſtrata non caſtratis, pingvia moderatè macilentis, in paſcuis optimis viventia eſurientibus, maſcula fœminis, nigra albis, piloſa glabris, præferuntur. Animalium ſylveſtrium carnes, licet paulò ſicciores ſint, magis tamen carent excrementis, quàm domeſticorum; quæ carnes habent humidiores: eodem modo animalia juniora mucoſam, mollem, & excrementoſam, carnem præbent, alvo ſolvendæ aptiorem; vetuſta autem carnem præbent duram, concoctu difficilem, & pauci alimenti: ideoque optima caro eſt animalium, in optimâ, hoc eſt, mediâ ætate degentium, quæ ab utroque extremo æqualiter diſtant: ſimili ratione caro moderatè pingvis macilentâ, & pingviori, melior eſt: illa namq; moderati eſt alimenti; hæc nauſeam, & fluctuationem in ſtomacho, cauſat. Nec parum refert, quibus in locis degant animalia: namque ſapidiora ſunt, quæ inculpato pabulo nutriuntur; hinc verveces, qui thymo, ſerpillo,

rore

rore marino, uti ſunt prope Tergeſtum, nutriuntur, meliores ſunt, quàm qui paleis, & ſtramine. Caſtrata animalia, ut capo, ſus, bos, bonum alimentum, & minùs bilioſum præbent, quàm non caſtrata, ob ſeminalis foci, totum corpus calefacientis, privationem. Maſculorum carnes carnes fœminarum antecedunt, quia tot non habent excrementa, ob vitam laborioſiorem, & temperamentum calidius.

Caro porcina: Caro *porcina* multum nutrit, ſed alimentum præbet pituitoſum; hinc etiã vinum addi jubent; lardum tamen excipiendum putamus, quod facilè bileſcit: hinc gutta roſacea, ſeu facies puſtuloſa, & ulcerata corpora, ab ejus eſu fiunt. *Caro Porcelli:* *Porcelli* caro nimis humida eſt, & excrementoſa: hinc omnis caro ſuilla aſſa, quàm elixa, melior eſt; ſylveſtris, quàm domeſtica: quia, dum labore ſuum quærit animal victum, à multis ſeſe liberat excrementis: deinde per aſſationem conſumitur ſuperflua humiditas, quæ per elixationem augetur. *Bovina:* *Bovina* calida eſt, & humida abſolutè, & habito reſpectu ad ejus principium; reſpectu tamen aliorum, aliquo modo ſicca eſt, & difficilioris digeſtionis; firmum tamen præbet alimentum athletis, ſi benè coquatur. *Vitulina:* *Vitulina* eſt magis temperata, ratione caloris, ſed humidior; boni tamen ſucci, facilis concoctionis & digeſtionis; hinc Ægrotis, & otioſis, præ reliquis conveniens. *Vervecina:* *Vervecina* caro ſatis temperata eſt, ſive elixa, ſive aſſata; melior tamen ea, quæ in Gallia Narbonenſi, quàm hæc noſtra. Huic in bonitate non reſpondet *Ovilla*; *Ovilla:* quæ excrementitia, & concoctonis difficilioris eſſe creditur; quia alimentum viſcidum confert. *Agnina:* *Agni* adultiores optimum præbent alimentum, &, ſicut multum variat locus, in quo generantur, ita & complexio. *Hadina:* *Hadina* caro humidæ eſt ſubſtantię, ſed non excedentis, uti agnina; hinc non temnendum generat ſanguinem. *Leporina:* *Leporina* duram, & craſſam, nacta eſt ſubſtantiam; ſi tamen excipias *lepuſculos juniores*; qui delicatiſſimi ſunt: *Cuniculorũ:* carni leporinæ vicina eſt *Cuniculorum*, qui ejus utplurimùm, quo utuntur, alimenti ſaporem referunt. *Cervina:* *Cervina* vitioſum generat ſuccum, eſtq; dura, & concoctu difficilis. *Hircina:* *Hircina* ſunt poſtremæ: antecedunt *Caprina*, *Caprina,* epilepticis ſummè noxiæ: id enim à proprietate habent; ſecundò, teſte Varrone, flatus, ructûs, & bilem generant, odore noſcuntur: abominabilem hæc animalia habent, dum braſſicâ veſcuntur, ſaporé.

Caput V.

De Partibus Animalium, & quibusdam Adjunctis.

A Toto ad partes devenimus. Animalium *Extrema* paucioris ſunt *Extrema:* nutrimenti: utpote *roſtra*, *pedes*, *auricula*, ex membranis, ligamentis, tendinibus, venis, arteriis, cartilaginibus, conſtantes; plus viſcidæ & lentæ, minùs verò carnoſæ, habent ſubſtantiæ: *Teſtes*, *Renes*, *Glandula* quævis, *Teſtes: Renes: Glandula:* viſcoſi, vitioſique ſucci ſunt, & copioſioris, ſi bene coquantur: excipimus ſolos *Gallorum teſtes*, qui optimi ſunt nutrimenti. *Cerebrum:* *Cerebrum* eſt craſſi ſucci, difficilis tranſitûs, & digeſtionis duræ, ſtomacho infeſtum, & nauſeabundum: ſimilem fere obtinet *Medulla* *Medulla:* naturã, niſi bene coquatur. *Hepar:* *Jecur* duræ concoctionis, pravi ſucci & nutrimenti: cum quo affinitatem, ſed in pejus, habet *Lien*, *Lien:* quia & minùs alit jecore, & melancholicum generat ſanguinem. *Cor:* *Cor* item concoctu difficile eſt, probâ itaque eget coctione, & ebullitione. *Ventriculus: Inteſtina: Uterus:* *Ventriculus*, *Inteſtina*, *Uterus*, ſunt duriora; ſi tamen bene cocta ſint, bonũ, licet frigidorem, ſibiq; congenerem, generant ſanguinem. *Sanguis:* *Sanguis* animalium, quocunque modo præparetur, non, niſi excrementis plurimis generandis, aptꝰ eſt: reliquis tamen palmam præripit *Suillus*, *Suillus:* ob eam, quam cum humano habet, analogiam. *Lingua:* *Lingua vitulina*, *agnina*, *hadina*, *ſuilla*, & *vervecina*, concoctu faciles ſunt, & probè nutriunt; *bovina* paulò craſſior eſt, alere tamen apta. *Lac.* *Lac* à partibus decidit, quod tribus partibus præditum eſt, caſeoſâ, ſeroſâ, & & butyroſâ: quatenus caſeoſum, eatenus emplaſticum eſt, & incraſſans; quatenus ſerum continet, eatenus aperit, abſtergit; quatenus butyrum in ſe habet, anodynum, ſeu mitigatorium: dulce, candidum, ſuaveolens, bonæ conſiſtentiæ, non diffluens, ſpeculo vel ungui inſtillatum, ſit oportet. Quicunq;

lac ſumere volet, teſte Inſulano, ſana habeat viſcera, apertos viſcerum meatûs, venas latas & amplas: nam in ventriculo pituitoſo aceſcit, in biloſo nidorem contrahit; ſecus ſibi exhibenti moderatam alvi dejectionem conciliabit; uti in *cura Podagra per lac*, in corpore bene præparato, liquet; corpus roborabit & impingvabit, urinas pellet; ſed, dum lac bibiſti, ab aliis cibis abſtine, & potiſſimum à vino, lactis coagulo. *Cura podagra per lac.* Hipp. *6 aph. 6.* caput dolentibus, & ſiticuloſis, uſum lactis interdicit: idem intellige de odontalgiâ laborantibus. Quò recentius eſt lac, eò melius: *caprarum*, & *ovillum* lac magis excrementoſum, quàm *vaccarum*: lac *aſininum* majorem abſtergendi vim habet: lac *caprinum* magis nutrit, quàm aſininum: *humanum*, ob affinitatem, quam nobiſcum habet, inter omnia utiliſſimum eſt: ſi corpus ducere velis, caprinum potiùs adhibeas, quàm vaccinum: nam illud ſero abundat; hoc caſeo; unde difficulter diſtribuitur: & hinc obſtructiones: ſi tamen ſeri quantitatem reſpicias, aſininum plus habet, quàm reliqua lactis genera: lacti ſi quæ inſit malignitas, tollitur melle, ſale, ſaccharo. *Caſeus.* *Caſeus recens* frigidus eſt & humidus: *antiquus* calidus & ſiccus, propter acrimoniam, à coagulo & ſale contractam: hinc talis caſeus bilioſis, & calculoſis, ſummè nocet: nam pravum ſuccum generat, alvi conſtipationem provocat: *putridus* caſeus nobis minimè probatur; huic verò melior opponitur, qui eſt *moderatè pingvis*, *oculatus*, quiq; ex cremore lactis ferme totus conſtat; qualis eſt *Limburgenſis.* *Butyrum* calidum eſt, & humidum, recens temperatius eſt antiquo, pectorale eſt; alvique pigritiem tollit, ſed, liberaliùs uſurpatum, ciborum amplexum in ſtomacho impedit, bili generandæ ſuggerit materiam &c. Cum butyro ſummam habet affinitatem *Cremor lactis*: hinc, de hoc plura dicere, ſuperſedeo.

CAPUT VI.

de Volatilibus: Avibus: Ovis: Piſcibus: Melle: Oleo: Aceto.

OMne *Volacrum* genus minoris eſt nutrimenti, quàm quadrupedû; quia *volucres* ſicciores ſunt naturæ: hinc nec meiunt, nec ſalivam concipiunt, eò, quòd ventriculi caliditate omnis humiditas exſiccetur; *Sylveſtres* tamen aquatilibus ſunt ſicciores. *Aves Sylveſtres: & Domeſticæ.* *Gallinacea* omnia probi ſunt nutrimenti: *jus gallinæ* retinendi; *galli* verò laxandi vim habet. *Perdices*, *turdi*, *coturnices*, *merula*, *alauda*, & reliquæ *montana*, reliquis magis *Domeſticis* præferuntur: hiſce accedunt *Galli indici*, *pulli columbini*: poſtremum obtinent locum *anſeres*, *anates*.

Ova. Avium fructus ſunt *Ova*: *gallinacea* tamen maximè in uſu ſunt; deinde *anſerina*: prima, ſi *tremula* ſint, & *ſorbilia*, non *dura*, plurimum ſangvinis & alimenti contribuunt: aliud tamen eſt *vitelli*; aliud *albuminis*, temperamentum: nam ille eſt calidior & humidior; hoc frigidum & ſiccum, difficilioriſq; concoctionis, nutrimenti pauci: licet *ſub cineribus cocta*, & *indurata*, ſint mala, & difficilis digeſtionis; *frixa* tamen ſunt peiora, præcipuè ad duritiem talia: excipiuntur tamen *Placenta*, & *ova ſuffocata*, quæ ſanitati longè magis conducunt: aſſervantur in paleis, furfuribus, ſale: longa, & candida, ſunt meliora.

Piſces. *Piſces* frigidum & humidum, in genere, nacti ſunt temperamentum; &, qui in cænoſis, ſordidiſque ſtagnis, & paludibus, verſantur, muſcoſi ſunt, & excrementoſi: quales ſunt, qui, ex Moravicis piſcinis, Viennam feruntur: meliores ſunt, qui inter ſaxa, aſpera & arenoſa loca, in puriſſima aquâ, ventorum flatibus agitatâ degunt. Sunt autem piſces inter mediocriter nutrientia referendi; & ii, qui in aquis dulcibus naſcuntur, pro naturis debilioribus, marinis ſalubriores: *optimi* ſunt piſces colore albi, carne ſuaves, ſubſtantiâ non viſcoſi, ſed friabiles, non pingves nimium, carnoſi, durabiles, celeres: uti *Piſces boni: mali ſucci.* ſunt *Lupus, Perca, Gobius, Funduli, Squammoſi*, & *Spinoſi*, *Saxatiles*: ut *Truta*, *Paſſeres* &c. *Mali ſucci* ſunt *Anguilla*, *Murena*, etiam

etiam *Salmones*, ob pingvedinem; item *muria*, *ſale*, & *fumo conditi* peſſimi; *teſtacei* omnes: ut *Cancri*, *Cochleæ*, *Teſtudines*, *Gamanari*, non ita facilè corrumpuntur, ſed difficulter digeruntur; *jus* tamen eorum ventrem ſolvit. Plura de *Piſcibus* vide apud Jovium Epiſ. Jovarienſem, & Petrum Cylliam, Gallum.

Mel. *Mel* eſt ſubſtantia quadam aërea, & pingvis, ex pingvi anaphora, ſeu vapore, è terrâ elevata, in aëre condenſato genita; quod ab apibus ſupra flores præſertim, & herbarum folia, colligitur, & in favis, ad alimoniam hybernam, reſervatur; quamvis non ſecus, ac cerâ, melli ſimillimâ, ex herbarum ſuccis, ab apibus, in aërii iſtius roris penuriâ, generari poſſe videatur. Mel eſt calidum, & ſiccum, in ſecundo gradu; hinc corporibus frigidis, & humidis, ſenum, quàm billoſis, utilius eſt: nam illis non minima vitæ munera confert; his meram generat bilem: Hinc illud *Placenta* genus, quod *Libum*, ſeu Itrion, dicitur, ſucci laudabilioris expers eſſe, meritò aſſeritur. Non parum differt mel, quod locis, herbarum calidarum, utpote thymi, rorismarini &c. copiâ abundantibus, ab eo, quod in frigidis locis, creſcit; quia illud eſt calidius, hoc frigidus; album quoq; flavo eſt frigidius: optimum eſt, quod flavum, jucundum, nullius extranei ſaporis particeps, vernum: idq; optimum alimentum, & quidem medicamentoſum, contribuit, corpus calefacit, alvum laxat, pituitam abſtergit, urinam promovet; nauſeam tamen, copioſiùs ſumptum, parit.

Oleum. *Oleum* aerea quædam ſubſtantia, mediocriter calida, & tenuis eſt, alvum lubricans, alimenti laudabilis; quod tamen vetuſtate calorem acquirit; hinc *recens olivarum* melius eſt, quàm *raparum* & *nucum*. (*Olivarum.*) Olei, ut ungventorum, calor non parum temperatur ablutione per aquam frigidam. Omne oleum nocet oculis, vimq; habet lachrymas excutiendi. Ariſt. *problem. 22. ſect. 20.* cauſam refert in ejus tenuitatem, & quandam lentitudinem, unde ſurrepat in oculos, eorumq; tabefaciat humores: ad quod multum facit ſtomachi, cum oculis, per venas, & nervos, ſympathia. Fauces exaſperat omne oleum, tuſſim ſuſcitat: hanc autem exaſperandi qualitatem temperant aromata, quibus conditur; quorum tamen quantitas, ob calorem, non usq; adeò augenda eſt: nihil enim ita ſuſceptivum eſt caloris, frigoris, odorumq;, quos, teſte Plinio, diutiſſimè retinet, ac oleum. Oleum *externè applicatum* emollit, digerit, dolorem lenit, calefacit, humectat, vulnerarium eſt: hinc ſenex ille Romanus, 124. agens annum, cùm de vitæ genere interrogaretur, reſpondit, ſeſe melle intus, oleo foris, adhibito, ad tam venerandam annorum ſeriem perveniſſe; intus alvum laxat, urinas pellit, cum cereviſiâ calidâ, pectoris anhelationi medetur, venenis reſiſtit, malas herbarum qualitates temperat, & corrigit; cum aquâ tepidâ, & modico aceto, vomitum ciet; celeberrimus ejus uſus eſt in clyſteribus. Contrarias fere qualitates habet *oleũ omphacinum*, quod ex olivis immaturis exprimitur: nam illud adſtringit, refrigerat, ſiccat &c. (*Externe applicatum.*) (*Omphacinum.*)

Acetum. *Acetum* eſt gratum cibis condimentum, appetentiam excitans: utrum ſit calidum, aut frigidum, magna, apud Authores, eſt diſceptatio: nam alii aſſerunt, eſſe vinum mortuum; & hinc vini calorem ex toto perdidiſſe: alii dicunt, ex putredine aliam contraxiſſe naturam. Nos dicimus, diverſas in aceto eſſe partes; tenues, & craſſas: uti in vino ſunt fæces, in oleo amurca; putamusq;, acetum, ſecundum tenuiorem partem, & magis aqueam, refrigerare; craſſiorem calefacere: ſi enim per ſpongiam applicetur acetum membro cuivis, apertiſſimum ſentietur refrigerium, & quòd, poſt ablationem, exoritur calor, inde eſt, quòd mordicando ruborem excitat: deinde frigus ejus elucet apertiſſimè in hoc, quod phlegmones, à thapſia excitatæ, ab aceto curantur; non ob lenitionem, quam id non habet; ſed ob refrigerationem: eam tamen temperatam eſſe velim, quia utriusq; naturam aliquo modo includit, quod utriusq; extremorum eſt particeps: attenuat enim, incidit, ſiccat, dividit grumos, diſſolvit callos, lapides, æs fictile, ferrum, & ſummam penetrandi vim habet; quæ omnia frigus denſans efficere nequit: nervis inimicum eſſe reperitur: hinc iis, qui articularibus morbis, vel viſus, vel oculorum, aliorumq; ſenſuum debilitate laborant, maximè inhibendum eſt.

CAPUT. VII.

De Aqua, Vino, Cereviſia, & Condimentis.

Aqua. SI hanc Juriſtarum regulam ſequi vclimus, quòd prius tempore, prius honore, & dignitate; *Aqua* ſine dubio multis partibus vinum ipſum præcedit, quia eſt antiquiſſimus potus, frigidus & humidus. Gal. *lib. 1. de ſimpl. medic. facult.* aquam guſtu, viſu probat, & odoratu; utpote, quæ viſu clara, limpida&diaphana eſt; guſtu omnis ſaporis alieni expers; odoratu, quæ malum non ſpirat odorem: ſed verſus Orientem erumpere debet, & per meatûs mundos celeriter currere, ſeu per terram puram transcolari, æſtate frigida, hyeme tepida, quæ citò calefiat, & citò refrigeretur. Palladius incolarum ſanitatem, ex aqua provcnientem, indagare jubet, examinando fauces eorum, capita, thoracem &c.

Pluvialis: Aqua *Pluvialis* eſt leviſſima, inquit Celſus: cſt enim deſtillata ex fontibus, mari, etiam à corporibus attracta; debet tamen per fictiles tubos, in tectam ciſternam, per arcnas tranſcolari, & à ſordibus immunis ſervari: dein *Fontana*: tertiò *Fuviatilis*: quartò *Putealis*: gravior eſt *glacialis, nivalis, lacuſtris*: graviſſima *paluſtris*. Quòd *nivalis* inter malæ notæ aquas rccenſeatur, ſi cum *Ariſtotele* loquamur, rationcm indc deſumemus, eò, quòd partes terreſtres attractæ, ob frigus condenſans, non fuerint à calorc Solis attenuatæ, uti in imbrium aquis, ſtrepente tonitru deciduis. Plato, *l. 5. de legibus*, ait, à naturis, conditionibusq; aquarum, tam animos, quàm corpora, progreſſu temporis mutari: hinc deligendarùm aquarum ſtudium non contemnendum: &, quòd corpora commutandi vim ſummam habeant, patet ex hoc, quòd à nivali lithiaſis, ſtranguria, renales dolores, oriantur: nam talis aqua frigus ſuum diutiſſimè retinet, in præcordiis hæret, hinc in flatûs mutatur, digeſtionem impedit, obſtructiones jecoris, ſplenis &c. cauſat, idq; vel maximè, ſi aqua ſit cœnoſa, putrida, malè-olens: ſaluberrimam *pluvialem* aſſerimus: hoc patet ex hoc, quòd omnibus plantis ſaluberrima ſit, utpote oleribus, & ſtirpibus. Nec obſtat, quòd ex pluvia nix & grando oriantur, quòd hinc *nivalis* aqua poſſit eſſe bona, quia congelatione nivis, & glaciei condenſatione, tenuiſſimæ partes evaneſcunt, & craſſiores crudioresq; remanent; unde aquæ illius malitia exoritur. Nec obſtat, *ſecundò*, aquam pluvialem facilè putreſcere: nam, teſte Paulo Ægineta; *mutationis, & alterationis, proclivitas perfectionis eſt ſignum*: uti patet in cibis concoctu facilibus: qui citius corrumpuntur, quàm difficiles concoctu, licet perfectionis longè ſint melioris. Nota tamen, aquas pluviales (idem intellige de fluviatilibus) in ciſternis, ſeu hydriis, diu aſſervandas eſſe, ut fæces ſuas, & terream ſubſtantiam, ad fundum deponant. Ante omnia potus aquæ, uti & vini, glaciatus cane pejus & angue vitandus eſt. Nam, Hipp. *2. aph. 51. ait: plurimùm, atq; repentè, corpus evacuare, atq; replere, calefacere, vel refrigerare, vel aliter corpus movere, periculoſum eſt: omne enim nimium naturæ inimicum*; ſed, *quod paulatim fit, tutum eſt.* Hunc itaq; potum calidarum regionum incolis, robuſtis duntaxat, non imbecillibus, concedendum putamus. Itaq; cùm ſitis ſit appetentia frigidi & humidi: potum moderatè frigidum, ex cella ſubterranea, & puteis profundiſſimis, ut æſtus corporis, vires dejiciens, temperetur, & caloris nativi langventis exolutio præpediatur, deniq;, ut humiditas, quæ tunc, ob poros hiantes, copioſius exhauritur, & exhalat, recuperetur, bilisq;, æſtivi caloris ſoboles, diluatur, ſuademus.

Fontana: Pluvial. Puteal. Glacial. Nival. Lacuſtr. & Paluſtr.

Vinum. *Vinum* calidum eſt, & ſiccum, quod hominis cor lætificat (moderatè tamen ſumptum intelligitur) ſpiritus reſtaurat, omnes humani corporis meatûs reſerat, urinas pellit, ciborum anadoſin promovet, concoctionem adjuvat, corpora vegeta, mobilia, & ingenioſa reddit, bilem educit, pituitam attenuat, & totam corporis œconomiam depurando pervadit. Illud autem debet eſſe ex ſalubri *ſolo*, aut temperato, vel etiam calidiori, ex uvis maturis, poſt bonam in vaſe fermentationem. Vinorum diverſa ſunt *genera*: alia *nigra*, alia *rubella*, *flava*, *pallida*, *alba*: *nigra* tardi ſunt meatus, & eò quòd diutius in præcordiis hære-ant,

À Loco natali:

Colore:

ant, caput offendunt; unde fit, ut ab iis longè moleſtior ſit crapula; imo, teſte Oribaſio Sardiano, ab uſu multo vini nigri, & auſteri, præter læſionem capitis, ingenium etiam obtundi & hebetari neceſſe eſt; ſi tamen tenuia ſunt, & defecata, faciliùs tranſeunt, minuſq; nocent: *rubella*, minori nempe tincturâ affecta, qualia creſcunt in agro Lugdunenſi, gratæ cujuſdam ſvaviſq; acrimoniæ ſunt participia. Vina *flava* vel talia ſunt à naturâ, vel ab ætate: quæ ab expreſſione talia apparent, ſummam caloris habent notam, ſi verò, cùm pallida fuiſſent, tractu temporis talia evaſerint, calorem acquiſiviſſe certum eſt, &, ſi tenuium ſint partium, ſanitatis tutelæ ſunt convenientiſſima: his ſi aquæ paululum affuderis, gratum illorum calorem per univerſum corpus illico perſenties; nec tamen nimium hebetanda vini dulcedo; nam aliàs cedit in faſtidium; dein pugna illa vini, & aquæ, à contrariis eorum qualitatibus, ſenſibili ſtomacho non levem infert noxam; hinc diu antè diluendum eſt vinum, ad noxam hanc declinandam: deinde cautiùs dulcia ſunt diluenda; nam hæc difficiliùs tranſeunt, ob majorem, & avidiorem, ſtomachi amplexum: vina vetuſta ſunt fortiora: hinc quò majus fuerit frigus, ab ætate, naturâ, temperamento, ſexu, tempore, regionibus, eò tutiùs conceduntur: nam Gal. *4. de ſanitate tuenda*, calidis & ſiccis naturis, præcipuè graſſante peſtilentiâ, eò, quòd ſangvinem adurant, & corpus inde reddant cacochymicum, eadem vetuſta, & fortiora prohibet: non tamen ea putes, velim, quæ antiquitate in vappam abiêre: nam hæc laudabilem vini ſuccum perdiderunt; hinc ſuâ injucunditate ſtomachum perturbant. Marſilius, *lib. de vita producenda*, ſic ſtatuit; vinum, quo uti volumus, tam potens eſſe debere, ut integro triennio perdurare poſſit; hinc Italica, exteriùs corruptibilia, non minùs intus, & in corpore, erunt corruptioni obnoxia. Quòd minùs durabilia ſint, videtur provenire ex hoc, quòd vina hæc ex planis locis proveniant, licet calidis, umbroſis tamen; nam optima vina ſunt, quæ non tantùm à calidis locis proferuntur, ſed etiam à montoſis, apricis, & Soli perviis: ibi enim naturalem illam cocturam melius ſub eunt. De vino, cuivis *ætati*, & *complexioni*, congruo, ſint hi irrefragabilis fundamenti Canones: nempe ut *Senes*, & *naturâ debiliores*, & melancholici, vina renuant craſſa, rubra, recentia, non defæcata; ſed & ætate & naturâ calidiora ſeligant. Vinum *Pueris* negandum uſq; ad 18. annum; aliàs furioſum juventuti conciliat habitum: hinc etiam *Nutricibus* vini potus interdicitur; nam calore ſiccitateq; lactis copiæ generandæ nocet. Nec obſtat, quòd Ariſt *5 probl. 17. ſect. tertia*, ait, vinum eſſe humidum: Hipp. *2. de diæta*, vina dulcia humectare, vinum melancholicis ſummè conferre; quia humectatione ſummè indigent; ſenum dura corpora vino molliri, teſte Platone, *2. de legibus*. &c. Nam loquuntur de humiditate nativa, & actuali: omne autem fluidum humiditatem prodit: deinde quò minùs coctum eſt, immaturum, recens, debile, infirmum, dulce, eò humidius eſt; maturum verò antiquum calidius eſt, & potentiâ ſiccat, quia ſpiritûs plurimos in ſe continet, qui calidi ſunt, & ſicci: tertiò notiſſimum eſt, corporibus phlegmaticis & humidis, ob ſiccitatem, conferre; bilioſis nocere. Aetius, vinum antiquum ſiccum in tertio gradu eſſe, affirmat: non intellige vinum oligophorum, ſeu pauciferum, ſed vinum vinoſum, ſeu generoſum, quod aquæ admixtam quantitatem magnam fert, quod plus ſemper ſiccitatis & caliditatis obtinet, quàm recens, oligophorum, ſeu pauciferum, quod exiguam aquæ admixtionem tolerat. Et hæc de *Vino*.

Ætate, & Complexione. *Senibus,* *Pueris.* *Nutricibus,*

Cerealis potus, ab arte, non à natura, proveniens eſt *Cereviſia*, quæ vel ob vini carentiam, vel ob voluptatem, in uſum venit. *Fit* autem cereviſia *ex hordeo, ſiligne, ſpelta, Zea, avena, tritico*: quæ *ultima* ſpecies reliquis præferenda: nam tenuium eſt partiũ, nec tamdiu inpræcordiis hæret, præcipuè ſi debita lupuli quantitas ſuggeratur: hæc ſiquidem, præ reliquis, ſuccum melancholicum ducere, & ſangvinem mundare creditur. Campegius ait, *Lupuli* flores eſſe calidos & ſiccos, ob odoris gravitatem; imo ſemen ejus eſt amariſſimum; de qua amaritudine non parum participant flores: hinc quò plus lupuli in ce-

Cereviſia. *Unde fiat.* *Triticea.* *de Lupulo;*

in cereviſia eſt, eò plus aquæ frigus, & hordei flatulentia, tollitur, & imminuitur: immo vi lupuli, & diuturnitate temporis, vini fermè calorem adipiſcitur cereviſia: uti patet in Paderbornenſi; quæ ad quatuor annos & plures etiam, aſſervata, cum vino ſuâ generoſitate certat.

Bonæ conditiones,

Cereviſia autem quævis, in potum ceſſura, bene cocta ſit, & clara; aliàs flatûs, puncturam, colicam, & ſtranguriam generabit: cavendum imprimis eſt à cereviſia acetoſa ab antiquitate: hæc ſiquidem & ſtomacho, & toti nervoſo generi, maximè nocet: denique qui memoriæ, & capiti, conſultum cupit, à nimium lupulata cereviſia abſtinebit; à qua capitis ſtupor, & ebrietas, malorum omnium parens, exoritur.

Condimenta,

Macrobius, *Saturnalium lib. 7.* ait: *ſimplicem homini cibum eſſe utiliſſimum, ſaporum acervationem peſtiferam, & condimenta pernicioſa:* deinde Celſus ait, *de re Medic. libr. 1. c. 2.* condita omnia duabus de cauſis eſſe inutilia; quoniam & plus, propter dulcedinem, aſſumitur, & tamen ægriùs concoquitur. Sed cùm ſua saporib, ſit gratia, aliàs faſtidium, ut amaris, acribus, auſteris exceſſivè; cùm alia nullum evidentis acrimoniæ ſenſum reddant, ſed mollitie quâdam inſipida videantur; alterare ea, & palato gratiora reddere oportet; amara, acria, auſtera, quodam dulcore mitiganda, inſipida acris, ſalſi, vel auſteri ſaporis variâ admixtione corrigẽdo: hinc dum condimenta pernicioſa ferunt Authores, per condimenta intelligunt opſoniorum, varium ſaporem referentium, multitudinem. Hinc præcipit Aegineta, vitandam eſſe alimentorum varietatem, præcipuè ubi contrariæ iis fuerint facultates: v. g. lac cum rebus acetoſis, piſces cum lactè; quæ, teſte Avicennâ, lepram accerſunt: eodem modo *lac cum vino* copioſè, ſæpiusq; ingeſtum, aſſerente Ariſtotele, eſt graviſſimorum cauſa malorum; nempe ob diverſas qualitates. Vinum enim facilis eſt diſtributionis; lac verò difficilis: ob eandem rationem, potus *cereviſiæ* craſſæ, *cum vino*, ſummè noxius eſt; nec minùs obſunt multa *elixa cum aſſis* ingeſta: omnis multitudo vitanda eſt: hinc Marſilius Ficinus ternarium duntaxat *ferculorum* concedit *numerum*, & ægrè quaternarium: aliquam tamen ferculorum *varietatem* concedunt Ægrotis Celſus, & Aſclepiades; nempe ad eliciendam appetentiam; ſed in paucâ quantitate: videndumq; eſt ante omnia, ut *manducatio fiat paulatim*, non ſubitò; aliàs nec bona ſit digeſtio, & citius, quàm par eſt, ſatiantur homines: rationem hujus dat Macrobius, quòd avidè ingerendo plurimum aeris ſeſe in hiatum faucium ingerat, & in venoſam regionem inſinuet, eam implendo: hinc faſtidium, nempe à præpoſtera ſatietate: eodem modo multa potio, una vice ingeſta, nõ ita humectat, uti pauca: tranſit enim ad renes, propter majorem, quam habet, fluiditatem, & vehiculum; ſimilitudine ductâ ab imbre, qui ſi copioſior eſt, aqua diluit, non tam humectat, quàm pluvia exigua, rerum proventui utiliſſima: eodem modo exigua potio diutius hæret in præcordiis, & vaſorum internorum poris ſeſe inſinuat, frigore non ita reſiſtente, ſicut dum eſt in majori copiâ. Obſervavimus, in caſtris, Milites, extremâ ſiti preſſos, *medio ſpiritûs vini cochleari* ſaturatos fuiſſe, *ſitimq; expleviſſe*; alios, frigidâ copioſè ingeſtâ, mortuos illico corruiſſe.

Cur vinum & lac non conveniant inter ſe:

it. cereviſia cum vino:

elixa cum aſſis:

Ferculorum varietas.

Paulatim manducandum.

Spiritus vini, ad ſedandam ſitim, mirabilis.

Condimentorum loco utimur *Cinamomo, Zinzibere, Caryophyllis, Croco, Macere, Nuce Moſchata, Oleo, Sacchara.*

Cinamomũ:

Cinamomum calidum eſt, & ſiccum, diureticum, ſtomacho, & viſui amicum, flatibus reſiſtit, & partibus robur conciliat.

Zinziber:

Zinziber eſt calidum in tertio, & humidum in primo gradu: hinc facilè à tineis corroditur, ob humiditatem; illud ſtomachũ confortat, & inappetentiam corrigit, & flatûs diſcutit.

Caryophyllis

Caryophylli ſunt calidi, & ſicci in tertio gradu, cordi, ſtomacho, & cerebro dicati, & appropriati, memoriã confortant, nauſeam tollunt, animi deliquio ſubveniunt, ſpiritûs animales & vitales augent, & concoctionem ventriculi maximè promovent.

Piper:

Piper calidum & ſiccum eſt in tertio gradu: longum eſt humidius; album nigro calidius, ventriculo, pectori, uvulæ laxæ confert: hinc grana aliquot integra omni matutino tempore ſumantur, ad corrigendam frigidam ſtomachi intemperiem.

Nux

Nux Moſchata: *Nux moſchata* calida eſt, & ſicca in ſecundo gradu, concoctionem adjuvat, fætentem oris halitum corrigit, diarrhæam, & dyſenteriam, præcipuè aqua ejus deſtillata, curat: cerebro, uti & frigidis ejusdē affectib., uteri flatuoſæ diſpoſitioni, præcipuè ſi ſuffiatur, medetur.

Crocus: *Crocus* calidus eſt in ſecundo gradu, ſiccus in primo, pectori, ventriculo, utero dicatus: hinc aſthmaticis, tabidis, hyſtericis, ſpleneticis, obſtructis, ſummè confert; extrinſecis quoq; anodynis commiſcetur, ad ſedandas partium phlogoſes, occultâ & ſtupefactivâ quâdam qualitate: hinc capiti, & nervis, ob vim hypnoticam, & vehementiorem odorem, damnum creat, & ſpiritûs attenuando diſſolvit; &, dum graviſſimas dyſpnœas curat, id facit more omnium anodynorum, quæ fluxum humorum remorantur. Nota: ſi velis phthiſicum agonizantem ad tempus vivere, porrige, cum *hydromelite*, ℈ß. *croci*.

Macis: *Macis* ſimiles, cum nuce moſchata, habet vires, ſed efficaciores; ob majorem penetrandi vim: hinc ſtomacho, capiti, utero, halitui, fætui, lieni, ſummè prodeſt.

Sinapi: *Sinapi* calidum eſt in ſecundo, ſiccum in tertio gradu, abſtergit, concoquit, appetentiam facit, alvum pigram excitat, faucibus conducit; ſed capiti, oculisq;, ob nimiam vaporum copiam, obeſſe, obſervatur.

Sal: *Sal*, notiſſimum condimentum, calidum & ſiccum eſt in ſecundo gradu, quamvis ſuâ ſiccitate ad tertium gradum accedere deprehendatur: cibis ferè miſcetur, ut gratum iis conciliet ſaporem, putredinis tollat diſpoſitionem, diſtributionem, & ejectionem promoveat: vim namque abſtergendi, digerendi, & exteriùs condenſandi obtinet: hinc Sacculi, ſale impleti, & ſtomacho calidè applicati, vomitum compeſcunt, ejusq; humiditates conſumunt: ejus tamen nimius uſus internus impetiginem, & pruritum, ſcorbutum, calculum, oculorum hebetudinem, Veneris inertiam, cauſare creditur.

Saccharum: *Saccharum* calidum eſt, & ſiccum in primo gradu: uti rerum aſſervationi accommodatur, ita in corpore putredinem arcet, pectus abſtergit, omnem confortat ſtomachum, præter bilioſum, in quo vertitur in bilem, renibus, & veſicæ confert, eâ, quâ pollet, abſtergendi vi, arenulas nempe, & plegmata educendo, vermibus tamen generandis, & gingivarum, dentiumque corruptioni, ob ſingularem, quam habet cum iis, antipathiam, materiam præbet aptam; ideò eluendi ſunt dentes ab eſu ſacchari: ejusque frequens uſus pueris, ad vermes arcendos, & oris putredinem præcavendam, inhibendus eſt.

Radicula, vulgò Kreen. *Radicula magna*, ſeu *raphanus ruſticanus*, calefacit & ſiccat in tertio gradu, incidit, attenuat, appetitum acuit, ſcorbuticis auxilio eſt: *ſuccus*, vel *infuſio*, cum *melle tepido*, vomitum ciet; *aqua* calculum pellit, & tartaream renum mucilaginem diſſolvit, menſes provocat, uterum repurgat. Extrinſecus, in febribus, applicatur pulſibus, & pedibus, ad extrahendum calorem: *ſuccus* dorſo inungitur, cum *oleo piperino*, ad tollendum excedentem febris horrorem. Plura vide in *Tractatu noſtro, de rebus non Naturalibus.*

Caput XII.

de Controverſiis ad Hygeinen pertinentibus.

Objectiones. 1. OBjic. 1. Quòd mollia, & liquida, non ſint primò ingerenda; quia majori calore indigent ſolida, & dyſpepta: ſed talis calor eſt in fundo ventriculi, magis carnoſo, & viſceribus calidis propinquiori: ergo ſolida erunt priùs ingerenda; hæc ſiquidem longius tempus requirunt ad ſui digeſtionem. ℞. non tantum eſſe inferioris, & ſuperioris, ventriculi partis, in calore, differentiam: quin videtur ſuperior ventriculi pars magis ad jecur impingere, eò quòd ad dextram hypochondrii partem accedat, eoq; majorē habere calorem: itaq; nulla objectionis ratio eſſe videtur: quod ad tempus attinet, parū pro nihilo reputatur: itaq; ſatius adhuc erit, à liquidioribus incipere.

2. Obj. 2. Potus, jejuno ſtomacho ingeſtus, ſummè noxius eſſe cenſetur: ergò & liquida alia; quia incocta rapiuntur ad venas &c. ℞. nego conſequentiam: immo, dum præſcribit Schola Salerni, à potu incipiendam eſſe cænam, intelligenda eſt de cibis liquidioribus, & quaſi potulentis, quæ nec ſuo

frigore

frigore exinanitorum vaſorum nervos, & fibras, lædere, nec citius, quàm par eſt, ex vehiculi tenuioris defectu, permeare poſſunt: ſecus facit potus, qui crudus rapitur à venis, nervos ferit, caput inebriat; præcipuè ſi vinum eſt ex partibus ſubtilioribus exhalantibus; quæ, tartareæ, articulis, & muſculis, inhærentes, arthriticos creant dolores. Nolim tamen ex toto iis, quibus calidior eſt ventriculus, & jecur æſtuans, hauſtum aquæ, jejuno ſtomacho, inhibere: ſic enim ſitibunda jecoris ſpongioſitas ſaturatur, & totus corporis habitus temperatur: hic tamen procedendi modus nequaquam in conſvetudinem trahi poteſt, nec debet, ne fiat ab uno extremo ad aliud tranſitus. Nam favilla in flammam, ſurculus in ſylvam, gutta in flumen, excreſcit.

3. Obj. 3. Celſus ait, cænam potu finiendam eſſe: ergo ſolidiora debent præcedere. ℞. Dum celſus ait, à cænâ bibendum, intelligendus eſt de modico aquæ hauſtu, quæ frigiditate ſuâ ſuperius ventriculi orificium aliquo modo condenſat, & adſtringit, quò minùs vapores ad caput exhalent: 2. concentrat calorem, ad concoctionis munus perfectiùs exequendum: deinde per liquida non intelligimus potulentam materiam, ſed eſculentam liquidam.

4. Obj. 4. Pueris conceditur, ſæpe & multum edere: ergo ſenibus parum, & rarò erit tribuendum, non verò ſæpe, & parum, uti dictum; quia contrariorum eadem eſt ratio. ℞. diverſam hîc eſſe rationem: pueri enim plurimo egent alimento, eò, quòd iis ſit plurimum calidi innati: ſenes, contrà, pauco egent nutrimento, ob caloris inopiam: ob majorem tamen corporis molem, & ſpirituum neceſſitatem magis urgentem, frequentia ſuppleat copiam, neceſſe eſt; quæ exiguum, & languentem, calorem ſupprimere, & extingvere poſſet: ſicuti pulſus primò fit magnus; accedente autem majori refrigerandi neceſſitate, fit frequens.

5. Obj. 5. Quò plus temporis eſt, eò melior fit digeſtio: ſed à cæna ad prandium eſt plus temporis: ergo melior fit digeſtio: ergo cæna prandio major eſſe debet, contrà, ac aſſertum eſt; immò, eſt Hipp. *3. de diæta*, Gal. *7. meth. cap. 6.* qui ait, cænam prandio debere eſſe liberaliorem, primò, ob quietem; in quiete autem meliùs reſidet, & approximatur, cibus ventriculo, nec ita fluctuat; unde melior concoctio: 2. Athletæ in cænâ plurimum edebant; in prandio parum: 3. frigus nocturnum calorem concentrat, teſte Hipp. *6. epid. ſect. 4.* patetque ex pulſu, & reſpiratione majoribus. ℞. cum Avinnâ, univerſum, totius diei, cibum in tres partes eſſe dirimendum; duas in prandio, unam in cæna, eſſe capiendam: nam

Ex magna cænâ ſtomacho fit maxima pæna:
ut ſis nocte levis, ſit tibi cæna brevis:

Prima ratio eſt, quòd in ſomno non fiat tam bona digeſtio, quàm extra ſomnum, eò, quòd omnes facultates aliquo modo quieſcant: 2. quòd, ſi melior eſſet in ſomno digeſtio, ſequeretur, jam horâ noctis duodecimâ eſſe omnibus modis abſolutam concoctionem, & famem urgere; cui contrarium apertiſſimè videmus, quia & ipſo manè ſumma à cibis eſt averſio: 3. videmus, pomeridianum ſomnum concoctionem impedire; quod ex langvore, inappetentia, &c. patet: hinc Celſus jubet ante cibum dormire, in longis diebus, eò, quòd poſt eum noceat. 4. ab Hippocrate vigiliæ vorantes nuncupantur; unde, qui noctu laborant, plus comedunt: ergo per vigilias plus digeritur: hinc ſemper vigiliæ, & leves deambulationes, à ſomno imperantur. 5. per diem, ſicuti rerum omnium, ita & ciborum, digeſtio à Sole adjuvatur. 6. ob ſitum ipſius ventriculi, qui ſedendo, vel ambulando, cibos meliùs complectitur, ejusque os ſuperius meliùs clauditur. 7. excrementa, quæ de die per emunctoria rejiciuntur, noctu retinentur, & concoctionem impediunt. Demum, quicunque hactenus diu vixerunt, parciori cænâ contenti fuerunt, teſtibus Celſo, Cardano, Galeno, &c. itaque aſſerimus, *cænam prandio debere eſſe parciorem*: quamvis cum iis, qui inculpatâ ſanitate utuntur, quique ſtomachi ſunt calidioris, diſpenſari aliquo modo poſſit: de his enim intelligendus eſt Galenus, qui minus in prandio manducarunt, & quibus cibi parſimonia plurimum obeſt.

Obj. 6.

Obj. 6. Vinum bilioſis noxium eſſe dicitur; cùm tamen multos noverimus, quibus vinum ſummè prodeſt; aqua verò ſummè nocet: ergo falſum eſt aſſertum. ℞. nos hîc loqui de vino forti: ſecundò: nos non loqui de bilioſis obſtructis, & hypochondriacis, in quibus aqua ſtagnat, vias ſibi præcludens, hinc bileſcit, vel flatibus materiam præbet, vinum autem absque graviori noxa tranſit.

Quæſtiones. I. Quæ. 1. Utrum melius ſit, horâ 10. 11, aut ſeriùs, prandere? ℞. ut plus temporis interſit inter prandium, & cœnam, melius eſſe, horâ 10, vel 11, comedere, quàm ſerius: ſecundò: ad vitandum ſummum æſtatis calorem, qui in meridie accidit: tertiò: ne nimium exinaniatur homo à tempore prægreſſæ cœnæ: quartò: ut homo robuſtior, præcedenti ſomno vicinior, meliùs digerat, ſpiritibus etiamnum utpote abundans.

II. Qu. 2. Quomodo intelligendus Ariſtoteles, *probl. 54. ſect. prima*, ubi ait, carnes aſſas eſſe humidiores elixis? ℞. carnes aſſas eſſe humidiores humiditate propria; elixas verò aliena: hæc ſiquidem per elixationem acquiritur, & propria in juſculum deponitur.

III. Qu. 3. Cur Galenus, *5. de ſanitate*, carnem ſalitam recenti præferat? ℞. Galenum non intelligere haſce noſtras fumo induratas carnes, ad annum, vel diutius, aſſervatas; ſed eam, quæ naturâ humidior eſt; ad quam humiditatem corrigendam, modico ſale aſpergendam eſſe ajebat, ad triduum duraturam.

IV. Qu. 4. Cur aqua pluvialis cenſeatur melior, & levior, aliâ; cùm tamen facilè putreſcat, & adſtringendi vim habeat, teſte Galeno. ℞. Quia eſt quaſi quinta eſſentia alterius aquæ: ſublimatur enim: ſecundò: alvum adſtringit, eò, quòd diuretica ſit: quæcunque enim cito ad urinas rapiuntur, alvum adſtringunt, eam ſua humiditate privando.

V. Qu. 5. Cur hic potus glaciatus prohibetur; cùm in Aulis Principum absque noxa uſurpetur? Immò teſtantur Authores, ab illo tempore, quò Siculi potu glaciato utuntur, à febribus ardentibus magis immunes eſſe. ℞. me noxam, Aulicis per potum glaciatum illatam, iis, quibus eos curavi, annis ſatis perſpectam habuiſſe: & mirum non eſt: omne enim violentum naturæ inimicum. Ad Siculos quod attinet, hæc in Germania ſcripſimus, non in Sicilia: &, licet in ordine ad febres Siculis proſit (de quo tamen ſummè dubito) in aliis nocebit.

Qu. 6. Quid cenſendum ſit de potu illo rad. liquiritiæ, coriandri, & cinamomi, cum quo etiam vina temperant? ℞. potum illum adſtringentem eſſe, ſi credimus Hieronymo Cardano, & diſtributionem non parum impedire: hinc etiam tam multi inde fiunt hydropici, ob urinarum defectum. Liquiritiam adſtringere, teſtatur præcitatus Author, *in meth. med. c. 74 ſub finem.* *VI.*

Qu. 7. Cur in Auſtria tantum ſanguinis ex cibis generetur, ut aliæ nationes, ibidem aliquandiu viventes, cogantur, præter conſuetudinem, ſeſe Phlebotomiæ ſubjicere? ℞. non tantùm cibos eſſe evchymos; ſed etiam vinum (uti manifeſtè probat Cardanus) ſeſe habet velut menſtruum quoddam, quod nutrimenti aſſumpti maximam partem in ſanguinem tranſmutat. *VII.*

Qu. 8. Utrum bene faciant ii, qui diverſos potûs miſcent? ℞. negativè: nam ubi adeſt varietas, illud, quod magis gratum eſt, à viſceribus intempeſtivè rapitur, noxioſque, & crudos ſecum adducit humores, unde generantur obſtructiones: hinc malè faciunt, qui cum vino cereviſiam miſcent, vel vinum cum aquâ coctâ. Actius, vinum cùm exhibet, paucum, ſyncerum, fulvum, ac ſubtile, propinat: ſi tamen illud aquâ chalybeatâ temperare lubeat, fiat longo, antequam bibatur, tempore, ut aqua à vino ſubigatur. *VIII.*

Et hæc ſunt, quæ in univerſas Medicinæ Inſtitutiones ſcribere compendiosè decreveramus.

F I N I S.

BREVIS

UNIVERSALIS, ET ACCURATA

MEDENDI METHODUS,

Decem Capitibus, cum Controverſiis, & Centum Quæſtionibus utiliſſimis abſoluta.

CAPUT PRIMUM,

De Nomine, Significatione, Diviſione, & Fine Methodi Medendi.

Methodi Medendi Etymologia.

MEthodus Medendi, quæ eſt Lydius ille lapis, quo veri Medici ab Empiricis, & ignaris Theſſalis, diſcernuntur, nomen accipit à Græca præpoſitione μετὰ, id eſt, cum, & ὁδὸς, quod viam ſignificat: eſtq; *Via, quâ, mediantibus Indicationibus notis, in agendorum cognitionem, & rectam eorundem adminiſtrationem, devenimus, ut deperdita ſanitas in corpus humanum reſtituatur*; ita Galenus, *4. m. 4.* vel *eſt Ars, quâ per indicationes reperiuntur auxilia, ut deperdita hominis ſanitas reparetur*. Forma in hac definitione eſt *Ars*: *Subjectum* eſt *homo*: *Cauſa efficiens* eſt *indicatio*: *Finis internus* eſt *inventio præſidiorum, cum uſu, doſi, modo adminiſtrandi, tempore, loco &c. externus reparatio ſanitatis*. Alia enim eſt methodus tuendæ ſanitatis, cujus finis eſt conſervatio.

Definitio.

Diviſio in Dogmaticam, & Empiricam; in Univerſalem, & Particularem.

Dividitur methodus medendi *ratione principii, & fundamenti, quo nititur*, bifariam: aliaque eſt *Dogmatica*, ſeu *Rationalis*, quæ *rationem* ducem ſequitur: & hanc ſolam tradit Gal. *14. meth. med. libris*: alia *Empirica*, quæ pro fundamento *experientiam* habet. Ratione *materiæ* methodus eſt vel *Univerſalis*, vel *Particularis*: *Univerſalis* methodus eſt omnium partium communis; uti docet Gal. *4. m. 5.* *Particularis* verò eſt, quæ circa particularem morborum profligationem verſatur, & eſt univerſalis methodi quædam exercitatio: *Univerſalis* enim eâdem viâ, eodemque ſemper modo progreditur, utpote à primis & generaliſſimis indicationibus, ad intermedias, ab his ad imas, & ultimas. Methodus *Partialis* eſt totuplex, quotuplices ſunt morborum ſpecies, circa quorum curationes verſatur; uti vult Gal. *4. m. 4.*

Diviſio methodi in Simplicem, & Compoſitam.

Tertiam methodi differentiam habet Gal. *4. m. 1.* ubi eam dividit in *Simplicem*, & *Compoſitam*. *Simplex* methodus eſt, quâ morbus ſolitarius, & minimè complicatus, curatur: nam ſimplex affectus ſimplici remedio contrario eſt curandus: v.g. frigida intemperies, nullâ præſente cauſâ, calido remedio in eodem gradu tollitur; calida frigido; humida ſicco pellitur: febris ephemera v.g. & hectica; calor exceſſivus curatur frigido & humido medicamento, vel alterante, & ad moderatam temperaturam reducente: quamvis hectica non ſolùm alterante, ſed ſubſtantiam deperditam reponente, indigeat; præcipuè ubi ſecundum, vel tertium gradum accedit. *Compoſita* methodus eſt, quæ morbum complicatum, aut cum cauſa conjunctum, tractat. *Quarta* differentia deſumitur ex Gal. *3. & 8. m. 9.* alia nimirum

Legitimam, & illegitimam. rum methodus eſt *Legitima, vera,* & *exquiſita*, quæ ſenſim, & ordine, præſcribit agendorum ſeriem, præcipitq; ut, quod alteri occaſionem dedit, ſive cauſa ſit, ſive morbus, primo ſtatim loco tollatur; ultimo verò, quod ab eo generatum eſt: alia *Illegitima,* & *extraordinaria*, quæ legitimæ opponitur; hinc etiam dicitur *coacta, inverſa, præpoſtera*, & *palliativa*, in quibusdam caſibus; ſitq; cùm, in affectuum concurſu, magis urgenti priùs occurritur, quia ab illo majus periculum Ægroto imminet: idq; accidit, ubi affectus eſt magnus, quando eſt mali moris, vel quia nobilem partem occupat, vel quia vires dejicit.

Methodus ipſa. Ut itaq; methodicè procedamus, cauſa priùs tollenda radicitus, dein ad effectum deveniendum eſt: v. g. in febre intermittente putrida humores præparandi, &, obſtructionibus reſeratis, expurgandi, putredo arcenda eſt, quâ ſublatâ, etiam tollitur febris: & hâc quidem remediorum ſerie ſervatâ, *primò* conveniens victûs ratio præſcribenda; *ſecundò*, primæ regionis excrementa lenitivo, vel clyſtere, evacuanda; *tertiò*, humores præparandi, & evacuandi; *quartò* intemperies relicta contemperanda, ſymptomata *deniq;* corrigenda: v. g. cùm febris continuò Patientē infeſtat, opportuna victûs ratio, utpote frigida & humida, ordinanda eſt; in qua non ſolùm quantitas, ſed etiam qualitas, uſus, ratio, & occaſio, maturè decernantur; humores è primâ regione, vel clyſtere, vel lenitivo, quantum fieri poteſt, temperato eliminandi ſunt, ne eorum putredo venoſo generi communicetur, & febris inde ſumat incrementum: interim, ſumptis indicationibus à viribus, & morbi magnitudine, aliisq; coindicantibus, ex natura corporis, humoris, & rerum externarum occurſatione, certa ſangvinis quantitas è vena extrahatur. Poſt phlebotomiam humores in ſecundâ corporis regione præparandi: utpote craſſi attenuandi, lenti detergendi, nimium tenues incraſſandi, acres temperandi; dein apparentbius concoctionis ſignis, nullâ contradicente malignitate (alexipharmacis aliàs expugnandâ) vel alio quovis obſtaculo, per epicraſin paulatim expugnandi, calor alterantibus in contrarium reformandus, ſymptomata corrigenda, & vires roborandæ ſunt.

Si *morbi* fuerint *compoſiti*, vel *complicati*, ſingularem methodum requirunt: nam ſi fuerint *disjuncti*, peculiarem expoſcunt curationem; ſi *complicati, congrui*, & *conſentientes*, ſimul, aut ſeorſim, veniunt expellendi: v. g. hepatis frigida intemperies, & ejusdem obſtructio, ſimul, aut ſeorſim, erunt curandæ. Si morbi fuerint *diſſentientes*, mediocri contrariorum uſu ſunt expugnandi; veluti ventriculus frigidus, & hepar calidum. Cùm affectûs partim *conſentiunt*, partim *diſſentiunt*, ab eo erit inchoanda cura, ſine quo alter tolli minimè poteſt: ejusmodi eſt vulnus inflammationis particeps, quod nunquam ad cicatricem perduci poteſt, niſi inflammatio prius ceſſaverit.

Poſt methodum legitimam ſequitur *illegitima*, & *extraordinaria*, quæ ordine præpoſtero inſtituitur, & ſemper urgentiori ſymptomati, à quo periculum imminet, primò occurrere jubet. *Illegitima.* Urget enim morbus aut ob facultatis læſæ dignitatem, aut ob actionis læſæ præſtantiam, aut ob eſſentiæ magnitudinem: ſymptomata autem ad ſe rapiunt Medici curam, non quatenus ſymptomata, ſed quatenus induunt rationem cauſæ: v. g. ſummus & intolerabilis dolor, intempeſtiva evacuatio, vigiliæ diuturnæ.

Methodus *legitima* eſt magis univerſalis; *extraordinaria* verò partialis.

Alia methodus dicitur *Palliativa*, ſeu *coacta*, ubi, facto coram adſtantibus prognoſtico, remedia tantùm ad tempus adhibemus; non autem ſemper profutura. *Palliativa.* Hic bene advertendum, ne etiam in caſu deſperato noxia, & magni conſtantia, in hæredum damnum, ordinentur.

Obj. 1. Definitio methodi Galenica non convenit omni definito: quia hìc nulla fit mentio methodi vitalis. *Objectiones, 1.* ℞. Galenum hic definire methodum medendi; non verò methodum tuendæ ſanitatis. Nam, *1. meth. 2.* ait, propoſitum eſſe, in methodo medendi, morbum removere, ut ſanitas reparetur: non verò ait, ut ſanitas conſervetur:

& *5. m. 7.* ait, ad methodum ſpectare, invenire auxilia, quibus Æger ſanetur, &, *9. m. 5.* Sanatio, ſeu curatio, eſt præſentis in corpore affectûs in naturalem habitú mutatio: & ſemper Galeno ars curatrix, & methodus medendi, ſunt ſynonyma. Ex his patet, allatam Galeni definitionem, per cauſas, formalem, efficientem, & finalem, factam eſſe legitimam, utpote quæ toti Medicinæ convenit, in ordine ad amiſſam ſanitatem recuperandam, non ad præſentem ſanitatem conſervandam.

2. Obj. 2. Hæc definitio Galeni malè adſtruitur; cùm in iis locis citatis non reperiatur. ℞. Nos dicere, ex iis locis colligi: quòd autem ex iiſdem colligatur, patet, ubi, *4. m. c. 4.* docet, methodum medendi eſſe viam quandam communem, cuiq; individuo applicabilem, quâ ab uno ad aliud fit progreſſus, ac certa & infallibilis morborum curatio indagatur; &, *1. m. 4.* quippiam invenire methodo, opponitur ex adverſo ei, quod eſt fortuitò temereq; reperire. Eſt autem id cum viâ quadam, & ordine, ita, ut in diſpoſitione aliquid primum, aliquid ſecundum, tertium, quartum, atq; ita deinceps, quouſq; demum ad ipſum, quod ab initio propoſitum fuerat, perventum ſit.

3. Obj. 3. Cur fit mentio Indicationis vitalis, in diviſione indicationum; ſi ſanitatis tuendæ ratio húc non ſpectat? ℞. hîc indicationem vitalem, quæ ad morbos curandos requiritur, non verò quæ facit ad ſanitatem tuendam, extra morbos, intendi.

4. Obj. 4. Gal. *2. m. 6.* ait, tot eſſe medendi rationes, quot morborum ſunt ideæ: ſed hâc definitione non omnium morborum ideæ explicantur: ergo non videtur eſſe bona. ℞. Tot ſunt medendi rationes univerſales, quot morborum ideæ; nego: partiales; concedo: ergo non eſt bona definitio: nego conſeq. plures enim ſæpius ſunt methodi, ratione finis; quia aliquando intenditur ablatio morbi, aliquando cauſæ, aliquando ſymptomatum.

Quæſtiones, 1. Qu. 1. Cur Hippocrates non tradiderit methodum medendi? ℞. nego ſuppoſitum: nam Gal. *5. m. c 10.* Hippocratem vocat omnium methodorum authorem: immò ipſemet Hipp. *lib. de morbo ſacro*, præſcribit methodum: item, *lib. de arte*, &, *de victûs ratione in morbis*: item, *lib. de veteri Medicina, in principio*: item, *lib. de morbis popularibus, ſect. 2.*: iterum, *lib. de officina med. tex. 6.* proponit, quantum, quomodo, quando, ubi; quæ oriuntur ex actione, paſſione, præſentiâ, ſubſiſtentiâ: item, *ſec. 6. epidem. 2. text. 33.* proponit, quid agendum, & uſum, quantum, quomodo, quando, & ubi.

Qu. 2. Quid hîc intelligatur per a- II.
ctionem, paſſionem, præſentiam, ſubſiſtentiam? ℞. in bile, v. g. actio à fervore, paſſio à craſſitie, præſentia in corpore, ſubſiſtentia in ſtomacho, vel hepate: ex his iterum quatuor obſervanda ſuboriuntur: utpote quantum, quomodo, quando, ubi.

Objic. 5. Dividitur methodus in 5.
Rationalem, & Empiricam; cùm tamen methodus empirica nullatenus per datam definitionem explicetur: immo eſt contra rationem, ut plus ſit in diviſo, quam in dividente. ℞. immo hîc plus in dividente, quàm diviſo, eſſe: minus enim habet methodus in genere, quàm in ſpecie; quòd ſufficiat generi, ut in ratione generica conveniat cum ſpeciebus: methodus autem empirica cum methodo in genere convenit, quòd ſit via quædam, quâ reperiuntur juvantia, ut deperdita hominis ſanitas reparetur. Nec obſtat, quòd in hac deſcriptione legitima: per experientiam; addatur: membra enim diviſa per aliquid debent eſſe ſibi oppoſita.

Obj. 6. Finis methodi hîc duplex 6.
aſſignatur: externus, & internus: externus aſſignatur reparatio ſanitatis: internus verò inventio præſidiorum cum uſu, doſi, modo adminiſtrandi, tempore, loco &c. cùm magis interna ſit ſanitas, quàm omnia alia. ℞. Magis interna eſt homini ſanitas; concedo: methodo ipſi; nego: ea enim, ex quibus conſtamus, magis ſunt interna, quàm ea, ex quibus non conſtamus: certum eſt, quòd medendi methodus non conſtet ex ſanitate, ſed potiùs ex præſidiorum inventione, uſu, doſi, &c. Ergo diviſio facta minime eſt contemnenda.

CAP. II.

CAPUT II.

De variis methodi medendi Principiis.

Principia methodi medendi. 1. SUppono hic primò *cognitionem ſanitatis, primi methodi principii*, & eorum, quæ ad hanc conſtituendam occurrunt. Nam, uti Galenus, *1. ad Glauc.* ſcribit, Medicus non poteſt methodicè Ægrorum curare, aut eum in eo gradu receſſûs, in quo verſatur, verè cognoſcere, niſi prius cognoverit ſtatum illius naturalem: ſive meliùs ſemper curat Medicus illos, quorum perfectam tenet notitiam, quàm ignotos; uti habet idem Gal. *3. m.* Eſt itaq; neceſſaria corporis humani perfecta notitia, & anatomia. 2. Suppono, *ſecundò*, cognitionem *ſecundi* methodi principii, *morbi*: cujus definitionem, diviſionem, & differentias, vide in *noſtris Inſtitutionibus*. Suppono, *tertiò*, *tertii* methodi principii, *cauſæ morbificæ*, & *ſymptomatum*, ex *Pathologia noſtra*, notitiam, & devenio ad bina illa methodi principia: utpote: *quæ ſunt ſecundum naturam, ſimilibus ſunt conſervanda: quæ verò contra naturam, contrariis ſunt tollenda.* Hipp. *lib. de flatibus*, & Gal. *initio artis parvæ*, dicit, Medicinam eſſe additionem deficientium, per ſimilia, & ſubtractionem eorum, quæ contra naturam abundant: item Gal. *10. met. 1.* ait, *inter duo mala eſſe minus eligendum.* Nam multoties contingit, ut, dum Medicus vult agere, quod opus eſt, conſervare, quod conſervandum eſt, tollere, quod tollendum; illud omnino negligere, & aliud agere cogatur: v. g. dum Medicus Ægroto cibum interdicit, ne natura à materiæ concoctione avertatur, interea virium debilitatem inducit: ita morbum interdum non tollit Medicus, ne ſimul vitam tollat; quod fit in cancro, vel veſicæ calculo, in ſene: in ſimilibus enim caſibus minus malum eſt eligendum: nam præſtat, aliquo modo lædere, quàm vitam omnino tollere. Iſta principia inter verè Galenicos, & Rationales Medicos hactenus, tanquam æternæ veritatis, ſunt habita; adeò, ut ulteriori probatione non egeant; cùm ſint ex ipſa natura deducta: nam cùm curatio ſit motus morbi ad ſanitatem, & motus, ſecundum Ariſt. *5. metaph.* fiat ratione contrarii; etiam per contraria fiet: etenim ſi remedium morbo ſimile, & non contrarium eſſet, ſed ad idem, ad quod morbus, tenderet; morbum augeret, non tolleret. Nam, ut rectè Gal paſſim, & Ariſtot. *1. de generatione & corruptione, 7.* agunt contraria in contraria, & patiuntur à contrariis: item contraria, & quæ intermedia ſunt, inter ſe mutuò activa & paſſiva ſunt: propterea ſimile à ſimili non poteſt pati: deniq; ſimile poteſt augere ſimile, contraria verò ſe mutuò expellunt, & corrumpunt. De his vide Conciliatorem, *differ. 151.* Argent. *artis parvæ c. 89.* Valleſium, *8. controv. 4.* Mercatum, Augenium, Sennertum, Zacutum.

Chymicorum. *Chymici* tamen intolerabili auſu contrarium aſſerere nō verentur, dicuntq;, ſimilia ſimilium debere eſſe remedia: &, cùm ſimilitudo duplex eſſe poſſit, vel cum natura, vel cum morbo, utramq; intelligunt. Primò enim, ex Hipp. naturam eſſe morborum medicatricem, docent, & naturam ſolam plurimis morbis mederi; hanc efficere concoctiones, humores vitioſos evacuare, &, eâ ſeſe bene habente, optimam, de ſalute Ægroti, ſpem eſſe; contrà, naturâ reluctante, & ſuccumbente, omnes Medici conatûs, & auxilia, eſſe fruſtranea: unde ipſe Gal. indicationem vitalem reliquis omnibus præferendam, & virium maximam rationem eſſe habendam, judicat, & præcipit: hinc talia in morbis adhibenda eſſe putant auxilia, quæ vires iis vincendis aptas reddere poſſint: putant inſuper, medicamenta purgantia morbi cauſæ eſſe omnino ſimilia; ſiquidem totius ſubſtantiæ ſimilitudine humores noxios trahant; & alterantia cum illo, cui adhibentur, ſimilitudinem habere, dicunt; atq; ideo alia pulmoni, alia ſtomacho, alia cordi, alia cerebro, alia hepati, dicata eſſe; præterea morbos, ex Sale ortos, medicamentis ex Sale præparatis; Sulphureos, Sulphureis; Mercuriales, Mercurialibus, curari tradunt. Verùm ſi nulla major eſſet, inter *Galenicos*, & *Chymicos*, diſcrepantia, concordes reddi nullo negotio poſſent: verbis enim potiùs, quàm rebus, diſſentiunt. Nam primò in hoc *Galenici* cum *Chymicis* conſentiunt; ſemper maxi-

3. *Galenicorum,*

mam virium habendam eſſe rationem, illàsq; per ſimilia eſſe cóſervandas; neq; cum hoc axiomate pugnamus: contraria contrariorum eſſe remedia: diſtingendum enim inter indicationem vitalem, & curatoriam, in ſpecie dictam; & maximè illa Hippocratis ſententia, contraria contrariorum eſſe remedia, non de indicatione vitali, ſed de eo, quod contra naturam eſt, tollendo, intelligenda eſt: &, cùm plura ad conſervationem ſanitatis pertineant; non ad omnia extendendum eſt hoc axioma, ſed ad ea ſolùm, quæ contra naturam ſunt: ideoq; malè Severinus, *n.14.* indicationem vitalem, & curatoriam, confundit, dum, morbos eodem modo ſui ablationem indicare, dicit, quo modo ſitibundus potum, & famelicus cibum, appetit: non enim idem eſt, appetere, & indicare; nulla res ſui appetit interitum, neq; ſe deperditam petit; ſed quælibet res, etiam contra naturam, ieſe cupit conſervare; ideoq; morbus, v. g. calidus non ſui cupit interitum, ſed potiùs alia quoq; calefacere nititur: nec fames, aut ſitis, ſui annihilationem appetit; ſed homo, ingenitâ vi percipiens rem noxiam & moleſtam, ejus quamprimùm petit ablationem: Æger remedia morbo, quo afficitur, contraria deſiderat; ſicut ſitiens potum, ſitis remedium: non tamen ſitis, ſed ſitiens, potum appetit. 2. nec hoc negatur à Galenicis, eligenda eſſe medicamenta parti laboranti familiaria, vel, ut ajunt, appropriata: quæ & ipſa familiaritas in quadam ſimilitudine, & occultâ proprietate, conſiſtit. Tertiò nec de contrarietate alterantium aliqua reverà inter nos eſt altercatio; neq; ullum Paracelſicum adeò mente captum eſſe exiſtimamus, qui morbo calido, quà talis eſt, calidum, quatenus tale eſt, adhibeat remedium, aut corpus ſiccum, quà tale, magis exſiccandum putet; cùm ipſa experientia, & ſensûs, doceant, calida refrigeratione, frigida calefactione, humida ſiccatione, ſicca humectatione, indigere: id quod tam evidens eſt, ut non ſolùm omnibus hominibus, ſed etiam brutis, pateat, quæ in æſtu refrigerationem, in frigore calefactionem expetunt. Manet ergo inconcuſſa Hipp. ſententia: *contraria contrariorum eſſe remedia:* & rectè Gal. *9. m. 15.* ait, ſanationem nihil aliud eſſe, quàm vitioſi, in corpore, affectûs in naturalem habitum mutationem: cùm autem contrarii ſint affectûs, neceſſe eſt, ut per contraria fiat alterius in alterum transmutatio: id enim, quod ægrotat, & quod valet, contrarium eſt; itaq; ab uno ad aliud contraria debet eſſe via. *Hermetici*, vel *Spagyrici*, ajunt, ſeſe id, quod rationales Medici pluribus, & heterogeneis, medicamentis efficiunt, unico remedio præſtare poſſe; putantq;, ſeſe ea, quæ ſunt contra naturam, æquè, ac ea, quæ ſunt ſecundum naturam, immo conttaria, uno eodemq; medicamento tollere poſſe, medicamentúmq; ſuum vocant *Univerſale*; item Panacæam, quam miris efferunt laudibus; utpote quæ omnem infirmitatem, tam frigidam, quàm calidam, vi quadam ſubtili, & occultâ, ſanandi vim habeat; quæ conſervet ſanitatem, roboret omnes facultates, è ſene juvenem faciat, & omnem morbum expellat, venenum à corde propulſet, arterias humectet, in pulmone contenta diſſolvat, ulcera conſolidet, ſanguinem purificet, ſpiritûs repurget, inſitum microcoſmi balſamum roboret, cauſas morbificas reſolvat, conſumat, diſſipet, &, ſi ægritudo fuerit unius menſis, ſanet uno die; ſi unius anni, 12. diebus; ſi verò fuerit chronica, ſanet uno menſe. Modeſtiores tamen Spagyrici fatentur, vulnera, fracturas, luxationes, hernias, & ſimilia, quæ Chirurgi manum requirunt, hîc non intelligi; neq; tam inepti ſunt, ut ſtatuant, medicamenta luxata membra reponere; imo etiã excipiunt calculos nimiũ induratos, morbos hæreditarios, hecticas inveteratas, cancros confirmatos, ſphacelos, & quæ ad ſolutionem continui pertinent, rupturas, & vulnera, in partibus principibus, in vaſis majoribus; quorum ſanatio eſt divinæ potentiæ, non opis humanæ: illos verò morbos tantùm per medicamentum univerſale ſanari poſſe ſtatuunt, qui ab impuritate humorum internâ, vel ab intrinſecâ radice, vel, ſecundum Helmontium, à furore Archei trahunt originem. Hoc medicamenti robur, ajunt, conſiſtere in ſuprema quadam, & quintâ eſſentia, quæ, Artis Chymicæ beneficio è macrocoſmo, & naturæ gremio, eruta in microcoſmum inducitur, & nativum illud balſamum

Hermeticorum & Spagyricorum.

Univerſale.

ab o-

ab omnibus ſordibus repurgat, ab heterogeneis ſeparat, & ab omni ægritudinis moleſtiâ liberum, per multum annorum ſeriem, conſervat: quemadmodum antimonium omnia metalla, auro admixta, conſumit, aurumq; relinquit intactum; ita, univerſalis cujusdam ignis purgatorii, vel antimonii inſtar, omnes corpori admixtas impuritates conſumit, non ſecus, ac ſulphurata, impuritates præcipitando, vinum depurant. Saniores *Galenici*, ſeu *Rationales Medici*, unanimiter ſtatuunt, *Panaceam*, ſeu *Medicinam univerſalem*, quæ omnibus morbis, eorúmq; naturis, contraria ſit, non dari, ſed tantùm exiſtentiam habere in ſtulto jactabundorú, & mendacium Pſevdo-Chymicorú fuliginoſo cerebro: 1. morbi depulſio eſt in contrarium morbi ſtatum mutatio; atq; omnis mutatio fit per contraria, & à contrario proficiſcitur: vitioſorùm autem humorum plurimæ ſunt differentiæ; aliiq; morbi à qualitatibus manifeſtis; alii ab occultis, oriuntur: quorum rurſus eſt magna differentia; ut in venenis patet: & quilibet morbus ſua peculiaria poſtulat remedia, nec omnes uno remedio, quod tum frigidis, tum calidis, contrarium ſit, tolli poſſunt. 2. neq; eſt, quòd objiciât Adverſarii, illud Univerſale ita attemperatum eſſe, & accuratam principiorum habere mixtionem, ut omnibus reſiſtere poſſit: nam ſi temperamentum illud eſt in qualitatibus primis, eſt extra ſphæram ejus activitatis, inſignes frigiditatis, aut caliditatis, exceſsûs corrigere: vel, ut cum Chymicis loquar, ſi Sulphur abundet, Sal verò deficiat, quomodo temperatum medicamentum & defectum ſalis explere, & abundantiam ſulphuris poterit aufferre: &, ſi unico remedio omnes morbi poſſent ſanari; certè tanta medicamentorú varietas fruſtra eſſet creata, claudenda omnia Pharmocopolia, omnes Medicorum Libri forent concinerandi, artificioſa corporum ſectio & perveſtigatio penitus obliteranda. 3. in hoc maximæ eſt admirationis rerum omnium Creator benigniſſimus, quòd neminem hominum alteri in omnibus ſimilem creavit; & illa diſſimilitudo aliquid ſingulare requirit ab altero; quomodo ergo unicum medicamentum omnibus proderit?

Galenicorum Panacea.

Deinde, quomodo poteſt & humidum radicale ſummopere confortare, & ſimul cauſæ morbificæ contrariari? Idem eſſe alimentoſum & medicamentoſum? Si medicamentum eſt ſpiritus, quod totum hominem ita confortat: ſecundú Reginæ Angliæ ingenioſum reſponſum, totus homo fit ſpiritus, neceſſe eſt: ſi eſt ſal, eodem modo; ſi eſt Mercurius, item. Sed dicet aliquis, tantùm per illud medicamentum reponi, quod eſt deperditum; non aliud: ſed Rꝫ. Si eſt Univerſalis Medicina ad omnes morbos; ergo non tantùm ſpiritualem defectum ſupplere debet, ſed etiam terreſtrem ſubſtantiam, uti in hectica: ſi dicas, univerſale ſe tantùm extendere ad morbos ſibi ſimiles; ergo eodem modo, cùm morbi ſint innumerabiles, innumerabilia erunt univerſalia medicamenta, & conſequenter omnia medicamenta Galenicorum erunt univerſalia; atq; ita crambem recoquunt Chymici, & ad limina noſtra mendicant. Et quis tam temerarius erit, ut dicat, omnes morbos ab humidi primigenii, aut caloris nativi, debilitate provenire; cùm plurimi à repletione fiant? Hinc etſi talis medicina daretur, nihilominùs hydropicis aquas, absque medicamento hydragogo, evacuare; obſtructiones viſcerum, absque aperientibus, reſerare, calculos ex veſica, absq; manûs operatione extrahere non poſſet. Item: ſi talis aliquando fuit medicina, quis eam habuit? Quis omnes morbos curavit?

Si Paracelſus habuit verum illud arcanum; cur per *characteres*, & *verba*, morbos curat, & dicit, morbos, qui Univerſali medicina curari nequeunt, characteribus curari poſſe? Ergo characteres, & herbæ, ſunt fortiores univerſali medicina. Imò per *characteres* & *verba* curare, eſt, mutuatâ à Diabolo ope morbos transplantare potiùs, quàm curare. Et licet fortes quandoq; ſint imaginationis vires, ita, ut per fortem confidentiam, quam Patiens habet erga talem Medicum, & medicinam, adjumenti plurimú accedere poſſit; accedit tamen pactum aliquod implicitum, quo mediante Diabolus cooperatur: atque adeò impiæ ſunt, & Chriſtiano homine indignæ, iſtæ, per

de Characteribus & verbis.

 chara-

characteres, curæ. Idem præſtant voces, & verba ignota. Hinc Jamblicus interroganti, cur Sacerdotes Necromantici tam ignotis & nihil ſignificantibus verbis utantur, reſpondit; omnia iſta nomina ſignificare aliquid apud Divos Dæmones, qui ſuis cultoribus olim indicarunt, quibus verbis, figuris, & nominibus, coli & implorari velint: atque ita ejusmodi verba valent ex pacto. Et quamvis verba quandoque in ſe Sacro-Sancta ſint, uti eſt Evang. Joannis, & infinitę Orationes apocryphæ; cùm tamen per hæc ipſa verba malitioſiſſimè aliud quid intelligant, quàm ordinariè ſignificant, vel ad quod à Deo ſunt inſtituta; eſt occultum cum Diabolo pactum: hinc etiam effectûs, vires agentium ordinariè excedentes, ſequuntur. Ferrerius quidem putavit, verba poſſe in aliquo aliquid operari, ob magnam motam imaginationem, à perſvaſione, & actione: ſed cùm neq; ex corpore in patiens transeat quippiam, nihil etiam operari poteſt: ergo, id à Dæmone fieri neceſſe eſt; neq; verbis aliquid à loquente, quæcunq; etiam cogitet in rem, quam inſectatur, derivabit. Et ſi vis curandi, ut Ferrerius concedit, non eſt in verbis, ſed in cogitatione aut imaginatione Ægroti: quid opus, ut verba accedant?

Amuletis, & Periaptis. De *Sigillis*, *Amuletis*, & *Periaptis*, eadem ratio, quibus etiam utuntur Aſtrologi, Magi, & Pſevdo-Chymici, ad morborum curationem; quos omnes defendit Paracelſus. Nec obſtat, quòd objicitur, non fieri cum Dæmonum invocatione & adjuratione, aliisq; modis illicitis; ſed vi naturali operari. Primò enim ipſis probandum eſt, peculiares virtutes talibus ſigillis, quæ metalla & gemmæ ex ſe non habent, ineſſe: quod niſi probaverint; modis illicitis, & à Deo non ordinatis, & à natura non intentis, utuntur: etſi pactum, & conjuratio cum Djabolo explicita, non accedat; accedere tamen poteſt implicita: agnoſcitque Diabolus iſtas quaſi teſſeras, ſui cultoribus ſemel propoſitas: & quis eſt eorum, qui, omnem ſuſpicionem, & idololatriam, à talibus ſigillis abeſſe defendat? Divus Paulus, *ad Corinth.* ait: *Nolo vos fieri ſocios Dæmoniorum.* De pacto autem, cum Dæmone inito, ſuſpectæ ſunt omnes curationes, in quibus nec miraculi, nec naturæ, vis, nec artificii ſolertia, intervenit; ut ait Cajetanus: quando nimirum ad talem curam nullæ res naturales, neque ſupernaturales, adhibentur, ſed ſolùm verba ſecretò, vel per alium, prolata, tactus, afflatus, vel aliquid ſimile, quod nullam habet virtutem ad ſanitatē conferendam; uti probat *Del Rio*. De pacto enim ſuſpectæ ſunt omnes occaſiones, in quibus obſervatur dies, vel hora; uti Apoſt. *ad Gal 4. Dies obſervatis, & menſes, & annos; timeo, ne fruſtra laboraverim in vobis.*

Damnantur item omnes *Orationes*, *Orationibus.* in quib, contineturaliquid extraneum, aut incognitum ſignum: et ait Grilandus, *de ſortilegiis, q. 11. n. 15.*: Qui facit ſchedulas, & ligaturas, ſuſpendendas ad collum, cùm continent ſignum aliquod extraneum, vel characterem, vel nomen, quod non tendit ad concluſionem, is admiſcet Dæmonem, ut eo fiduciam in illum profiteatur homo; ut ait D. Aug. Talia verba ſunt Adonai, Jehova, Tetragrammatum &c. quibus certo modo adhibita ✠ jactat falsò, ſe omnem pellere morbum, Paracelſus, *lib. de cæleſti medicina*: imo ſub verbis ſacratiſſimis latet interdum fraus; utpote quando per ea longè aliud à faſcinatorib, intelligitur.

Denique ſuſpecta ſunt omnia illa, *Faſcinationibus.* quæ ad *Faſcinationem* adhibentur; item *amuleta* ex herbis, Mercurio, Auripigmento, Arſenico, contra peſtem: ad quod genus pertinent omnes *Ligaturæ*, *Ligaturis,* & remedia collo appenſa. Cùm enim ad id efficaciam non habeant, neceſſe eſt, ut initi pacti ſint teſſeræ, quibus Dæmon promittit, ſeſe opem laturū. Ejusdem farinæ ſunt omnia *Signa*, quæ ſub *Sigillis.* certa conſtellatione alicui rei inſculpitur. De his Exodi 20. ſcriptum eſt: *Non facies ſculptile, neq; omnem ſimilitudinem, quæ in cælo deſuper, & quæ eſt in terra deorſum.* Verbo: ſuſpectæ ſunt omnes morborum curæ, quarum probatio ex methodo medendi fieri à Medico non poteſt. Vide plura in *Caldera* ab *Heredia*, & aliis.

Obj. 1. Omnes morbi videntur ſi- *Objectiones. 1.* milibus curari; ergo non curantur contrariis: probatur: natura curat morbos, teſte Meſ. *de pharmacis*, & 8. *Practica*: ergo ſimilibus: probatur: na-

tura

tura petit ſui conſervationẽ, horret interitum: ſed quicquid ad conſervationem confert, eſt ſimile, & non contrarium: ergo adhuc morbi ſimilibus, & non contrariis, curantur: ſi, v.g. eſt ſolutio unitatis, natura reunit, quantum fieri poteſt, per medium ſimile, vel ſaltem per analogum: ſi eſt intemperies calida, hanc curat per reſtitutionem, & repoſitionem temperiei naturalis: ſi eſt morbus in mala conformatione, aut compoſitione, v.g. informe caput in pueris, gibbus &c. natura ſucceſſu annorum ſpinam dorſi enodat, capiti debitam reddit figuram; idque vi formatrice, per ſubſtantiam corpori ſimilem: ergo videre eſt, omnia morborum genera à natura per ſimilia curari. ℞. Nos non negare, naturam eſſe morborum medicatricem ultimatè; talem autem eſſe per ſimilis repoſitionem, abſolutè negamus: immo videmus, naturam ad curationes morborum tot moliri criſes, & excretiones, quæ dici non poſſunt ſimiles repoſitiones; intemperies calidas & ſiccas corrigere per attractionem humidi, & ſicci; malas compoſitiones corrigere per remotionem illius, quod ſuperfluum erat; quod autem ultimatè, remotis quibúsve obſtaculis, natura ſimilibus gaudeat, illud totum eſt opus facultatis regitivæ, & vitalis; ideoque ad indicationem vitalem potiùs, quàm ad curativam, pertinet: quæ autem curativè à Medico fiunt in morbis, per contraria fieri neceſſe eſt. Ad illud, quòd dicitur; quicquid natura ad ſui conſervationem petit, eſt ſimile, diſt: eſt ſimile naturæ, concedo: morbo, nego. Quis enim negabit, naturam in febrili æſtu appetere refrigerans, quod naturæ humanæ minime ſimile eſt, utpote quæ conſiſtit in calido & humido? Ergo illud appetet, velut contrarium calori: ergo etiam ſuo illo appetitu per contrarium curat, vel ſaltem curare ſatagit. Deniq; natura eſt morborum medicatrix ſemper; nego: interdum, & in quibusdam; concedo.

Obj. 2. Saltem morbi illi, in quibus ſubſtantiæ repoſitio eſt neceſſaria, per contraria tolli non poterunt: quia ſubſtantiæ nihil eſt contrarium. ℞. hoc axioma non poſſe intelligi de ſubſtantia, ubi dicitur, contraria contrariis curari: ſufficit, ut diſpoſitio præcedenti contraria inducatur: morbi enim curatio eſt ejusdem corruptio, vide Valleſ. *in Controv.* & corruptiones à contrariis fiunt.

Obj. 3. Convulſio, affectus frigidus, curatur affuſione aquæ frigidæ. ℞. Etſi 3.
aqua non ſit contraria denominatione; eſt tamen operatione; & nihil refert, an morbi per ſe, an per accidens, curentur: facit autem aqua frigida calorem concentrari; & conſequenter curat; ſed per accidens.

Obj. 4. Vomitus vomitum curat: 4.
ergo ſimili. ℞. vomitum per vomitum curari non per ſe, ſed evacuare humores vomitum cauſantes: v. g. dolor non poteſt tollere dolorem, ſed medicamentum, quod cum dolore operatur, poteſt cauſæ prioris doloris ſublationem facere; uti dicitur *epid. p. 2. comm. 8.* item, quando major dolor obſcurat minorem, fit diſtractâ vi ſentiente, aut diſtractâ materiâ: major enim dolor magis attrahit.

Qu. 1. Utrum contraria debeant eſſe in eodem gradu; an aliquando minora, aliquando majora eſſe poſſint? Quæſtiones. 1.
℞. cum Gal. *lib. 6. art. med. c. 89.* contraria paribus debere conſtare numeris à mediocritate, quantum ipſum corpus verſus alterum extremum contra naturam abeſt: itaque indicatio, quæ ab effectu deſumitur, eſt exhibitio contrariorum æqualium morbo; idem ſentit *3. de ſimp. med fac. c. 11.*

Obj. 5. Morbus videtur curari poſſe 5.
contrariis minorib⁹: ergo ſentẽtia allata non ſemper videtur eſſe vera; probatur: contraria, quantumcunq; intenſa, aliquid à remiſſioribus patiuntur: ergo ſic paulatim curandi erunt morbi: imo Hipp. *6. epid. p. 2. com. 25.* ait, contraria eſſe ſenſim adhibenda: itẽ, *2. de comp. med. ſecundũ loca* idem innuit. ℞. illam alterationem, quæ fit à minoribus contrariis, non eſſe ſufficientem, indicatione ſumpta à morbo, etſi indicatione à conſvetudine quandoq; à minoribus incipiatur; utpote in Patiente inſveto medicamentis, aut venæſectioni, melius quandoque, ſi à minoribus incipiatur.

Obj. 6. Stultum dicit eſſe Valleſius, 6.
hominem in principio febris putridæ refrigerare: ergo minimè erit in eodem gradu refrigerandum: immo, ſi in principio ſtatim refrigeraveris, ſequeretur, quòd omnes morbi, à

te curati, nec augmentum, nec ſtatum, habuerint; quia ſemper calorem reddidiſti remiſſiorem, & principiū fuit majus augmento, & ſtatu. ℞ ſtultum eſſe, à principio febris putridæ refrigerare, indicatione ſumptâ à cauſa morbifica; concedo: ab ipſo morbo; nego: immo quilibet Medicus ſanæ mentis cauſam priùs, quàm effectum, tollere conabitur.

7. Objic. 7. Deinde videtur corpus ſanari poſſe à contrariis intenſioribus: nam medicamenta contraria, & intenſiora, neceſſariò ab ipſo morbo patiuntur: ſint igitur tantò intenſiora, quantum reciproca actio poteſt detrahere. ℞. ſecundum Galenum, *12.m.m. c. 7.* Medicum ſemper debere vitare repentinas, & confertim factas, curationes, quæ triſtem faciunt mutationem, & Ægrum ad contrarium, & morboſum ſtatum deducunt; unde maximum exurgit vitæ periculum.

8. Obj. 8. Saltem reductio videtur eſſe minoribus facienda, quàm curatio: motus enim eſt violentior in morbo, quàm in naturali temperamento ad alium ſtatum reducendo, & corrumpendo. ℞. ad difficile hoc argumentum, debere tamen & curationem, & reductionem, eſſe in eodem gradu; ſiquidem illa eſt diſpoſitionis, hæc verò habitûs: reductio enim temperamenti naturalis ad contrarium ſtatum difficilis motionis eſt; quia, ſicuti habitualis quicunq; affectus eſt difficilioris ablationis, quàm diſpoſitio; ita etiam habitus temperamenti naturalis, ut mutetur, qualitate in minori gradu agente tractari minimè debet, æquè ac morbus.

9. Obj. 9. Aretæus Cappodox, *lib. de Elephantieſi*, referente Paulo, ait: neceſſe eſt, omnia auxilia eſſe morbis valentiora: ergo æqualia remedia non ſufficient ad morbos curandos; ſed majoribus opus erit. ℞. Etſi medicamenta ſint æqualia viribus; ea tamen, ſuppetiis naturæ adjuta, evadunt fortiora: dum enim Hipp. inquit, extremis morbis extrema remedia, magnis magna, parvis parva, deberi, de gradûs æqualitate intelligendus eſt.

II. Qu. 2. Utrum idem, caloris v.g. gradus fiens, & factus, eandem habeant reſiſtentiam. ℞. negativè: ob alium inhærendi modum, quem habet gradus in facto eſſe.

CAPUT III.

Quòd morbi è Cauſis Naturalibus orti, vel Maleficio illati, non Maleficio, vel arte Magicâ, ſed remedio vel Naturali, vel Divino, ſint curandi.

Quamvis noſtri patres, Hippocrates, & Galenus, nihil Poſteritati de Magicis morborū cauſis reliquerint; Paracelſus tamen, impius ille Magus, teſte Bravone, frequentē earum mentionē fecit, atq; nihil referre, aſſerit, an Deus, an Angel9, an immundi Spiritus, Ægro ferant opem; dariq; ejusmodi cauſas, experientiâ confirmat.

Quorumcunq; *morborum*, ſive *naturalium*, ſive *non-naturalium*, ſive *Dæmoniacorum, triplex* eſt *curatio*: 1. *Dæmoniaca*: 2. *Naturalis*: 3. *Divina*. *Dæmoniaca* fit à Dæmone, ut, quando ex pacto, modo tamen incognito, & quidem remediis naturalibus, à nemine adverſis, clam tamē adhibitis, morbos, & eorundem cauſas, auffert; vel etiam per Magos illatum ſolvit; ad quos recurrendum eſſe, multis argumentis contendit Wierus; qui asſerit, maleficium ope Medici tolli non poſſe: & in Jure etiam concedi videtur; uti aſſerit Binfeldius, *in confeſſ. maleficorum*, item, *l. eodem*, *cap. de maleficio*, ne homines omni deſtituantur auxilio: imo, teſte Ulpiano, id ab Antiquis practicatū fuiſſe videtur. Reſpondeo, cum veris orthodoxis, id omnino pugnare cum Sacra Scriptura: nam ad omnia maleficia, tam boni, quàm mali, finis Dæmon invocatur; uti S. Thomas, *in 4. ſent. diſt. 34. qu. 1. art. 1.* item Levit *9. Non declinetis ad Magos, neq; ab Ariolis aliquid ſciſcitemini, ne polluamini per eos: anima enim, quæ declinaverit ad Magos, aut Ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam eam in medio populi ſui.* Neq; excuſari poteſt, quòd ad bonum finem tendat; quia, ut inquit S. Paulus, *ad Romanos 3. non licet mali facere, ut inde ſequatur bonū.* Et ita etiā *Rex Ahaſias*, qui, pro ſalute obtinendâ, Magica quæſivit præſidia, morte multatus fuit, *4. Regum: Nunquid nō eſt Deus in Iſraël, ut eatis ad conſulendum Belſebub, Deum Acharon? Quamobrem hæc dicit Dominus: de lecto, quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris.* Hinc illi, qui, ad morbos pellendos, maleficiis utuntur, ab Eccleſia excommunicantur: immo negatur, verè per incantationes curari morbos, ſed potiùs occul-

Triplex morborum Curatio: 1. Dæmoniaca.

occultari, vel transplantari: *curat corpus Dæmon, ut animam lucretur.* Hinc etiam Incantationes medicinis annumerandas eſſe, negat Ulpianus, *l. 1. digeſt. de extraord. cognitione*, & validis argumentis probat Henricus, *l. 8. prax. 28.* item §. *52. quæſt. 2. Qui ſine Salvatore habere vult ſalutem, & ſine vera ſapientiâ, æſtimat, prudentem ſe fieri, non ſanus, ſed æger; non ſapiens, ſed ſtultus, in damnatione æternâ permanebit.* Item S. *Chryſoſtomus, homil. 8. ad Coloſ. Potiùs mores homini Chriſtiano ſubeunda, quàm vita ligaturis redimenda.* Quis itaque in his tam noxiis, & periculoſis, niſi inſanus, ſalutem & ſanitatem quærat? Satius itaque eſt, remediis naturalibus, utpote vomitoriis, & evacuantibus, humores pravos, & putridos, maximè melancholicos, in quibus fixam habent Dæmones ſedem, iisque, tanquam inſtrumentis, utuntur, quibus ablatis, etiam morbi, ab iis inducti, ceſſant, aggredi: balnea item, & ſuffumigia, plurimum faciunt, quæ etſi directè Dæmones non expellant, id tamen faciunt indirectè; uti docet Valleſius, *de Sacra Philoſophia*: item legimus, piſcis hepar, ſuper prunis aſſum, fugaſſe *Aſmodæum*, qui ſeptem viros *Saræ* mactaverat: Tob. 6. ita Daniel, in Regis Babyloniæ præſentia, Dæmones fugavit maſsâ, confectâ ex pice, adipe, & pilis: Daniel. 14. *Tulit ergo Daniel picem, adipem, & pilos, & decoxit, fecitq́ maſſam, & dedit in os Draconis; & diruptus eſt.* Dæmon, quicquid ipſi ab homine fit, ſæpe deſpectui ducit, & hinc mavult fugere, quàm eum pati; præterquam quod omne conſonum, aut expurgatum, fugiat. Ita Propheta David malum Saulis ſpiritum citharâ perſæpe fugavit. Item quandoque morbi à Dæmonibus per meras res naturales, nullâ malitiâ additâ, inferuntur, qui merè naturalibus remediis ſanari poſſunt; uti docet Codronch. & Cæſalp. & præcipuè, ſi piè adhibeantur, Deus cooperatur; uti docet Richardus, *Quodlibeto 3. q. 8.* Item Dæmones naturaliter pelluntur per aëris commotionem, v. g. campanis, quibus Dæmonum corpora, ex aëre aſſumpta, diſſolvuntur; uti tradit Remigius, Binſfeldius, & Grilandus: item pelluntur veneficia per amotionem ſignorum maleficii, quæ ex pacto Magus adhibuit, ut, quamdiu appenſa eſſent illa, Dæmon malum continuaret; iis autem concrematis, ceſſaret: ſic opera Diaboli non deſtruuntur, uti docet. S. Thomas, & S. Bonaventura, & contrarium ſentientes ridet, *in 4. ſuarum diſtinction. 34.* Tollitur enim ſignum, quod eſt vinculum pacti.

Objiciunt 1. quidam, Diabolum ſignis iſtis non ligari: ergo etiam, iis ablatis, non ſolvi. ℞. licet Phyſicè non ligetur; moraliter tamen ligatur, vi pacti, & promiſſi. Objectiones.

Objic. 2. ſigna iſta, & characteres, eſſe imperſcrutabilia, & ita abſcondita, ut inveniri non poſſint: ergo cùm neceſſario ad Diabolum recurrendum eſſe. ℞. Minimè: immò mediis naturalibus, uti ante dictum eſt, curari poſſe, teſtantur Practici quamplurimi: quin & *omnis cura, quæ fit ope Dæmonis, eſt omni morbo, immo morte ipsâ, deterior, nam ſanat corpus, ut lucretur animam.* Quòd ſi remediis naturalibus curari non poſſint morbi, per Magiam illati, recurrendum eſt ad contraria, utpote ad Divina; quod in omnibus morbis ab Eccleſiâ conceſſum eſt: idq́; docet Rex Joſaphat, *2. Paral. 20. Credenti* enim *omnia poſſibilia ſunt*: Matth. 17. ſuntq́; illa ardens Divini auxilii invocatio, jejunium, & alia pia opera. *Qui enim invocaverit nomen Domini, hic ſalvus erit*: Paulus, *ad Rom. 10.* Item non parum valent Sanctorum, in cælis triumphantium, & adhuc in terris militantium, preces: quamvis præpoſtere ſæpe cura, naturalibus procurata remediis, votis, caſui, vel naturæ robori, adſcribatur.

Et, cùm de veritate *Miraculorum* quandoq; Medici cõſulantur, dicendum eſt; *Miraculum* eſſe effectum præter, & extra, naturæ ordinẽ productum: ita DelRio; vel eſt effectus rarus, arduus, & admirabilis, contra naturæ ordinem, ex primæ cauſæ virtute productus: arduus dicitur, quia tantopere ipſius naturæ, ſuper omnia dominantis, potentiam exſuperat; quandoquidem nec homo per ſe, nec ſpiritûs, nec Dæmones, neque ipſi Angeli, ex ſe miracula facere poſſunt; verùm ſolâ cauſæ primæ virtute, & potentiâ eveniunt; teſte Miraculum quid?

Pro-

Propheta David, Illius ſcil. qui ſolus mirabilia facit. Multa tamen non videntur ſeſe extendere ultra naturæ potentiam, ut infirmorum ſanationes, ecſtaſes, longa jejunia &c. ſed exſuperat naturæ vires, hominem, absq; omni evidenti remedio, à morbo, in inſtanti, ſolo Chriſti juſſu, vel ejus nomine invocato, à febre immunem evadere. Non eſt ſupra naturæ vires, 40. diebus hominem à cibo & potu abſtinere, modò adſint corporales diſpoſitiones, v. g. prohibita tranſpiratio &c. eſt tamen ſupra naturæ vires, ſi in corpore non ſint diſpoſitiones; itaq; talia ſuperant naturæ vires, non ſecundum totum effectum, ſed ſecundum modum.

Miraculorum differentia.

Quatuor ſunt miraculorum *differentia*, ſecundum Theologos: *prima* eorum, quæ abſolutè miracula dicuntur: & hæc neq; ullo cauſarum naturalium medio fiunt, aut fieri poſſunt; ſed immediatè à merâ, & liberâ Dei virtute emanant: uti eſt mortuorum reſuſcitatio, montium tranſlatio, retroceſſio Solis &c. *ſecunda* eorum, quæ fieri quidem poſſunt, mediantibus cauſis naturalibus, & tunc alio cauſandi modo, à Deo, & ejus ſervis, Divinâ virtute fiunt: ut repentina morborum curatio. Sic Petri ſervus verè poterat curari à febre, mediis naturalibus; ſanatur tamen absq; illis, ad Chriſti, Domini, verbum, dum dicitur; *& imperavit febri* &c. *tertia* eorum, quæ mediis cauſis naturalibus actu fiunt, ſed Deo ita diſponente, & ordinante, vel eorum virtutem adjuvante, ſufficientiamq; tribuente: qualia ſunt curatio lepræ Nahemin, per aquas Jordani: dulcoratio aquæ, per lignum immiſſum: *quarta* eorum, quæ per media naturalia quidem fiunt, ſed à Deo taliter diſpoſita, & ſine quo minimè fierent; uti videre eſt 4. *Regum* 17. ubi leones devorant Samaritanos, non per ſe, ſed à Deo ita diſpoſiti: ſic ſerpentes in deſerto immittebantur contra Hebræos; uti habetur *Num. 21.*

Requiſita ad miraculum.

Requiruntur inſuper aliquot *conditiones* ad miraculum: *primò*, ut appareat cum effectu ſupra naturæ vires: *ſecunda*, ut fiat virtute Divina: *tertia*, ut effectus non eveniat ex vi verborum, ſed ex hominum merito: *quarta*, ut effectus ſit evidens, & patens, non autem ſensûs humanos latens; ut in tranſubſtantiatione ſacramentali, quæ ſolâ fide creditur: *quinta*, ut miraculum ſit ad fidei corroborationem, in hominum ſalutem, & ad Dei gloriam: *ſexta*, ut effectus appareat in continenti, confeſtim, ſubito, & multò citiùs, quàm à natura fieri potuiſſet: *ſeptima*, & maximè omnium neceſſaria conditio eſt, ut opus miraculoſum ſit undiquaq; perfectum. Nam mortuum reſuſcitare, qui illico remoriatur, imperfectum opus eſt, fieriq; à Dæmone poteſt. Nec ſemper appensâ tabellâ miraculoſæ ſunt morborum curationes; quin & iis plurimi decipiuntur. Ut itaq; morbi alicujus curatio miraculoſa cenſeatur, quædam *conſideranda* ſunt: *primò ex parte ipſius morbi* nempe requiritur, ut curatu impoſſibilis, vel ſaltem difficilis, exiſtat, quia miraculoſa ſunt circa ardua, & difficilia: *ſecundò* requiritur, ut morbus fuerit gravis, & cum ſummo vitæ periculo, gravibusq; ſymptomatibus; ut ſunt apoplexia fortis, oris ventriculi inflammatio, è qua qui evadunt, *Jovis filii* dicuntur; ut ait Luſitanus, *cent. 3. num. 93.* in ſecundo caſu eſt lepra confirmata; qualis erat in Naeman: *tertiò* requiritur principaliter, ut morbus non ſit in ultima parte ſui ſtatûs, nec morbus ſit criſi ſuæ, aut ſolutioni, proximus; quamvis tunc plerumq; graviſſima adſint ſymptomata; uti patet ex Hipp. *2. aph. 30.* *quartò* ex parte ſanationis maximè facit ad probandum, ſanationem fuiſſe miraculoſam, ſi ea fuerit, uti dictum eſt, ſubito, & in inſtanti. Sunt quidem, qui nullo artis remedio curari potuerunt; attamen ex ſe, relictis omnibus remediis, paulatim ſanantur: quod tunc miraculo minimè adſcribendum eſt. Natura enim manuduci vult, non cogi: miracula autem non fiunt paulatim. A miraculis etiam excluduntur criticæ evacuationes, quæ, prægreſſis concoctionis ſignis, die critico, ad ſalutem, & integram ſanitatem, fiunt, & quidem citò; uti ex Gal. *3. de Criſibus, c. 9.* patet: *quintò* ſanatio debet omni ex parte eſſe perfecta, nec mutila; ne Æger ex tali morbo in alium incidat; uti ex quartana in hydropem, vel abſceſſum; ex apoplexia forti in hemiplexiam, aut

paraly-

paralyſin &c. Non tamen negandum, aliquando, ex Divina bonitate & voluntate, unum morbum poſſe in alium transmutari, ut per hanc transmutationem homo convertatur, & ſalutis procurandæ tempus conſequatur; id docente Zachia, *l. 1. tit. 1. qu. 8. Sextò*, & ultimò, *ex parte Ægrotantium* conſiderandum eſt, an iſti morbi, quibus affliguntur, ſint conſveti; quia à conſvetis morbis (ut videre eſt in mulieribus, quæ univerſaliter graviora pati poſſunt, quàm viri) faciliùs liberantur homines. Ex dictis colligere licet, quomodo curatio Divina, ſeu miraculoſa, à naturali, & artificiali, ſit diſcernenda.

Quæſtiones. I. Qu. 1. Quomodo illud Hipp. *1. prognoſt. ſen. 4.* intelligendum: ſi *quid Divinum habetur in morbis, illius quoq; oportet ediſcere providentiam*? Utrum hîc intelligat Divinus Senex morbos veneficio illatos? ℞. cum Theologis: veluti boni Angeli, Deo permittente, poſſunt morbos inferre; ita etiam mali poſſunt: an autem hos intellexerit Divinus Senex, declarat fidelis ejus interpres, Galenus, ubi ait, per τὸ *Divinum* Hipp. *Aërem* intelligere, quatenus variis affectionibus alteratur, ſeu mutatur qualitate indicibili, ſeu ad morbos communes, ut *3. aph. 11*, & *libro de aëre, aquis, & locis*: hinc arguit illos, qui amorem, epilepſiam, dierum decretoriorum rationem, immo in omnibus morbis, quos ignorabant, *Divinum illud* eſſe exiſtimabant. Valleſius ait, per *Divinum illud* Hipp. voluiſſe admiranda omnia recenſere, quæ ſeu à Deo, ſeu ab aſtris, aut denique ignotâ cauſâ, haberi poſſunt in morbis, quæ ad prænotionem faciant. Huic expoſitioni libenter aſſentimur, in quâ ſubintelliguntur etiam morbi à Dæmonibus illati.

Objectiones. I. Obj. 1. Spiritualis actus non poteſt per ſe materialem actum producere: ergo non poſſunt morbos producere. ℞. non poſſunt producere materialem actum per ſe; concedo: per accidens; nego; id enim faciunt proprio voluntatis actu, ut cauſa per accidens, & remota; quatenus nempe influxu inviſibili proximam, aut Phyſicam, morbi, vel necis, cauſam aut impediunt, aut intendunt in proprio influxu: nam voluntatis actus non poteſt eſſe cauſa proxima morbi, ex qua effectus Phyſicè producatur: immo illud etiam poterunt naturalibus, & morboſis elevatis inſtrumentis efficere, activa paſſivis applicando, ſeu complexionem alterando; ut bene Avicennas.

Qu. 2. Quid ſit illa inſtrumentorum elevatio? ℞. elevari inſtrumenta naturalia, quando ſuperiore quâdam virtute afficiuntur, quâ omnia naturalia ſuperant auxilia, quandiu Dæmon elevatam actionem non ſuſpendit; quod ſi fecerit, tunc facilè ejusmodi affectus naturalibus auxiliis curantur. II.

Qu. 3. Utrum inter hæc infauſta veneficia, & morbos ſimiles, à natura productos, poſſit aliqua differentiæ ratio conſtitui? ℞. *Mens agitat molem & fere vita cadit*: id cenſemus impoſſibile. III.

Obj. 2. Diabolus non videtur curare morbos remediis naturalibus: ergo malè aſſertum eſt: probatur: eſt ſupra vires remedii naturalis, ingentem receſſum à ſtatu naturali, ſolutiones continui &c. in inſtanti curare, pudendum virile naturaliter auferre, iterúmque reſtituere: ergo non videtur remediis naturalibus curare. ℞. Non poteſt curare ejusmodi morbos remediis naturalibus ordinariis; transeat: elevatis; nego: pudendum virile, ſecundum communiorem ſententiam, realiter non ſurripit Dæmon, ſed tantùm præſtigioſè, & illuſoriè; uti volunt DelRio, & Sanches, cum Wiero. 2.

Obj. 3. Morbi, veneficio illati, non videntur poſſe à Medicis curari; quia hi non poſſunt elevationem hanc, veluti Dæmon, facere: remedia autem, ut in hâc Methodo ſæpius inſinuatum eſt, debent eſſe proportionata affectui. ℞. Cùm iſta elevatio vel ſit in operante, vel in objecto, utpote in remedio; utramque habere poteſt Medicus: nam & remedium invenire, & præparare, & elevare poteſt: quòd autem remediis naturalibus plures fuerint curati, vide Calderæ ab Herediâ *Tribunal Medico Magico-Politicum*, & Schenckium, *l. 4. Obſer. 5. ad fin.* ubi aphrodiſtica, & prodigioſa narrat, quibus venefica ligamina ſublata fuerunt. Lobelius aſſerit, ligaminis malefici impotentiam tolli *herba Priami radice*, ſeu teſticulo 3.

dextro trito, cum 47 granis *piperis albi*, ad ℥iß. cum ʒiiij. mellis condito, & ad ʒiiß. propinato.

CAPUT. IV.

Quid ſit Indicatio, & Indicans; cum utriusq; Differentiis, & Diviſionibus.

Indicatio quid.

SCopus eſt id, in quod oculos mentis intendimus: *Indicatio* verò, quam Valleſius, *c. 1. meth. med.* inſinuationem agendorum vocat, eſt comprehenſio juvantis, cum comprehenſione nocentis; teſte Galeno, *l. de opt. ſect. ad Thraſybulum cap. 11.* cùm tamen hic vitalem indicationem comprehendere non videatur, quæ nocens dici non poteſt. Meliùs ſequenti modo definitur: quòd ſit, *quando, rebus percipiendis perceptis, ſimul etiam id, quod confert, percipitur, citra experientiam & analogiſmum, ſanitatu deperdita reparandæ cauſâ.* Per *juvans* intelligitur auxilium, cum verâ ratione adminiſtratum, ſive per ſe, ſive per accidens: quemadmodum Hipp. curat convulſionem affuſione aquæ frigidæ, in æſtate, & juvene bene carnoſo.

Indicans quid. *Requiſita ejus.*

Indicans autem eſt *agens*, *in corpore exiſtens*, *quod vel ſui conſervationem*, *vel ablationem*, *indicat.* Ad indicans *requiritur*, *primò*, ut ſit *notum*: *ſecundò*, ut ſit *unum*, & non, *niſi unum*, *indicet*: *tertiò*, ut ſit *præſens*, non præteritum, nec futurum: *quartò*, ut ſit *in corpore hominis*. Indicans aliud eſt *Præſervativum*, ſeu morbi cauſa: aliud *Curativum*, & eſt morbus; cujus cauſam, & eſſentiam, teſte Gal. *l. 1. m. m. c. 5.* ad inventionem curationis, ſcire, & perfectiſſimè intelligere oportet: aliud eſt *Vitale*, & ſunt vires, ſeu agendi virtus. Duo *priora* indicantia ſui *ablationem*; *ultimum* verò, utpote vitale, ſui *conſervationem* indicat. Nec obſtat, quòd ſic, diverſo reſpectu, unum aliquando plura indicet: ut: v. g. urinæ ſuppreſſio, quæ aliud à calculo; aliud à phlegmate; aliud à ſangvinis grumo, indicat; genericè tamen unum tantùm indicat curativum remedium; licet quælibet ſpecies aliud indicet ſpecificum præſidium. Deinde indicans debet eſſe *præſens*: turpe enim eſt, aliud eſſe indicans; aliud, quod curatur: &, licet de futuro providus debeat eſſe Medicus; à præſentibus tamen ſemper indicationem ſumi, neceſſe eſt: v. g. ſi removeatur morbi cujuscunq; futuri cauſa, prophylacticè indicans non eſt morbus futurus, ſed ejus cauſa; nimirum ſanguis, aut alius qualiscunq; humor, in corpore humano exiſtens, morbi cauſa futurus. Neq; ab aëre calido deſumitur indicatio refrigerandi: nam is extra corpus eſt, pertinétq; ad materiam remediorum debitè præparandorum, & applicandorum. Diximus in definitione indicationis, quòd debeat eſſe *citra experientiam*, *& analogiſmum*: experientia enim ad ſenſum pertinet; indicatio verò ad intellectum.

Indicans quotuplex.

Analogiſmus quid.

Analogiſmus verò eſt conſequentia, quæ deſumitur à ſimili; indicatio verò à natura indicantis: natura autem ipſa, & ſimilitudo, differunt. Hinc analogiſmo tantùm utimur, quando indicantis natura ita eſt abſcondita, ut latentem ipſius naturam reperire, & juvans applicare non valeamus.

Indicationum diviſiones.

Dividuntur Indicationes in *genericas*, & *ſpecificas*: *generica* alia eſt *generaliſſima*; alia *ſubalterna*: alia *utilis*; alia *inutilis*: alia *artificioſa*; alia *non artificioſa*: *generaliſſima* indicationes, ex Gal. *3. m. m. 3. duplices* ſunt: alia enim deſumitur *à rebus contra naturam*, morbo nempe, & cauſa morbi; & illa quidem eſt *remotio*: alia à *rebus naturalibus*, & eſt *conſervatio*. *Inutilis* indicatio eſt, quæ indicat quidem aliquod auxilium; ſed cujus non datur materia immediata: v. g. obſtructio, quæ indicat quidem deobſtruens, ſed, cùm tale immediatè non reperiatur, alteriùs petenda eſt indicatio ab ipſa materiâ obſtruente: quæ, ſi craſſa, attenuenda per medicamenta attenuandi vim habentia: hinc *utilis* illa dicitur indicatio, quæ indicat aliquod reperibile remedium, quod ſatisfacit indicationi. *Artificioſa* indicatio eſt illa, quæ vulgi ſenſum latet: talis plerumq; eſt *ſubalterna* indicatio: ut: v. g. in febre etiam vulgus ſcit, refrigerandum eſſe; ſubalternam autem, artificioſam indicatio-

Inutilis: *Utilis.* *Artificioſa.*

nem,

nem, quo in gradu, & quo remedio, in ſimili gradu correſpondente, ſolus perfectè tenet Medicus: v. g. in febre ſynocha putrida, dum perpendit gradum ipſius caloris, conſequenter conjecturâ aſſequitur ſanguinis, & humorum, rarefactionem, quantum ex hac periculi immineat, ne vel vaſa rumpantur, & humores extravaſentur, vel ne ruant in partem aliquam nobilem; hinc ſatagit verus Medicus, humores, tum per alterationem, tum per evacuationem, illûc reducere, ut majus, quàm neceſſe, ſpatium non occupent, nec ultra debitum vires premant, nec excedente calore ipſi naturæ ſint moleſti. Indicatio *Inartificioſa* eſt illa, quæ plerumq; ſub vulgi ſenſum cadit: ſed quàm præpoſtera ſæpe opponant remedia, videre eſt, ubi in omni calore refrigerant, etiam ubi adeſt malignitas: quo in caſu lupum includunt in ſtabulum; & ipſius evaporationem, per diaphoretica faciendam, ignorant: item vulgus in omni catarrho, ad pectus defluente, ſtatim ad unctiones pectorales deſcendit; ſed peſſimè, præcipuè in principio fluxionis: nam, pectus magis dilatando, fluxui locum & augmentum faciunt. Item: in febribus, ubi magnæ vigent vigiliæ, ad ſomnum conciliandum nervos omnes intendunt Mulierculæ; cùm tunc, ſi ſomnus in tali caſu provocetur, natura ampliùs non laborans ſuccumbat: item: in omni calculi, & renum, dolore diuretica propinant: & peſſimè: ea enim propinanda minimè ſunt, niſi calculus ſit in via. Nam diuretica, intempeſtivè adhibita, obſtructiones renum, & dolores, augent. Sic in dyſenteria ſtatim ad adſtringentia, cum ſummo Ægroti damno, properant; cùm abſtergentia præmittenda forent. Sic in omni colico dolore calefacientia adhibent; unde ſæpius contracturas accelerant; præcipuè ubi colica eſt ab humoribus bilioſis.

Quæſtion. 1. Qu. 1. Quid intelligitur per res percipiendas, & perceptas, in definitione Indicationis? ℞. hanc veritatem poſuiſſe Gal. 2. *m.* ubi per hoc intelligit, quid agendum, vel cognitam rei naturam evidentem intellectui, nos per res percipiendas intelligere id, quod conſequitur, nimirum illa 4. quantum, quando, quomodo, & ubi: nec, quæ percipiuntur, tantùm ſunt res contra naturam; uti ſunt morbus, & morbi cauſa: ſed etiam res ſecundum naturam; uti eſt vitalis facultas, & virtus.

Objectiones. Obj. 1. Non poteſt dari comprehenſio juvantis absq; experientia: ergo malè aſſeritur: probatur antecedens: actio, quæ nunquam fuit, comprehendi non poteſt: ergo ſi comprehenditur, aliquando fuit: ſi fuit; ergo per experientiam comprehenditur. Reſp. negando, actionem, quæ nunquam fuit, comprehendi non poſſe: ſatis enim eſt, ſi comprehendantur ejus cauſæ, quibus poſitis, etiam ponetur actio: v. g. cognitâ, & benè perſpectâ ignis naturâ, etiam illius actio facilè prænunciari, & prædici poteſt. Inſtabis: ſed eſſentiæ rerum ſunt imperſcrutabiles absq; actionibus: ergo nulla reſponſio. ℞. negando: immo hominem fuiſſe animal, antequam ullam unquam operationem exercuerit; eſſentiamq; ante omnem actionem fuiſſe cognoſcibilem, extra controverſiam eſt: & quis negabit, primam rhabarbari actionem, v. g. purgationem bilis, absque ullâ experientiâ fuiſſe factam? Immo, ſi nota non eſſent, non pertinerent ad methodum; ſicut à Gal. *ad Thraſyb. 8.* venena, & quæ à totâ ſubſtantia agunt, à methodo excluduntur.

Obj. 2. Si ex primâ operatione rhabarbari obſervata non fuiſſet ipſius vis cholagoga, nunquam ampliùs adhibitum fuiſſet: ergo omnis ejus uſus provenit ab experientia. ℞. negativè: nam temperamentum ejus, & qualitates, cum ratione mixti, ſatis ſuperq; vim quandam cholagogam indicabant; uti patet in *radice curcumæ, chelidon. maj. centaur minor.* & ſimilibus, quæ, etſi ſenſibiliter, & affatim, bilem non expurgent: attamen, ob ſuum temperamentum, ad bilem domandam, citra experientiam adhibita hactenus fuerunt.

3. Obj. 3. Gal. *m. 6.* ait, tot eſſe medendi rationes, quot ſunt morborum genera, ſive ideæ: ſed tot ſunt ideæ, quot ſunt morbi: ergo non tantùm tres erunt indicationes; curativa ſcilicet, præſervativa, & vitalis; ſed tot, quot ſunt morbi. ℞. Ergo non tantùm ſunt tres indicationes univerſales; nego: particulares; concedo: neceſſaria autem fuit diviſio univerſalis, non particularis.

4. Obj. 4. Inter conditiones veri indicantis eſt, ut ſit notum; cùm tamen Galenus, *ad Glauc. 4.* dicat, de tumoribus dictum eſt *indicativè*, ſed *non manifeſtè*: ergo datur indicans, quod non eſt notum, ſeu manifeſtum. ℞. Hic Galenum per *indicativè* reſpicere ad id, quod agendum; per *non manifeſtè* verò ad uſum remediorum, qui adhuc non manifeſtus, nec explicatus fuit: ergo per hoc inferri non poteſt, indicantis naturam intellectui notam eſſe non debere.

5. Obj. 5. Dantur multa indicantia, quæ minimè ſunt nota: v. g. malignitas in morbo Hungarico, & Peſte, Veneno: &c. ergo non omnia indicantia debent eſſe nota. ℞. hæc à Galeno, *ad Thraſyb. c. 6. & 8.* à medendi methodo excludi; quod paucis antè inſinuatum fuit.

6. Obj. 6. Calor febris hecticæ in primo gradu eſt occultus; & tamen eſt indicans; uti patet ex Hipp. *aph.* hectica in primo gradu difficilis cognitionis eſt, & facilis curationis: ergo non omnia indicantia debent eſſe nota. ℞. Indicans in corpore humano nullum dici poteſt, donec innoteſcat: quomodo enim indicare poteſt, niſi priùs manifeſtetur? Hinc etiam calor hecticus tamdiu indicans dici non poteſt, quamdiu non indicat.

7. Obj. 7. Secunda indicantis conditio eſt, ut unum tantùm indicet: ſed una febris, v. g. non tantùm unicum indicat; ſiquidèm ſecundum calorem, v. g. indicat refrigerans; ſecundum ſiccitatem verò indicat humectans: ergo falſum eſt, unum tantùm unum indicare. ℞. Unum ſimplex indicat unum ſimplex; concedo: unum compoſitum indicat unum ſimplex; nego: febris autem eſt unum compoſitum.

Obj. 8. Sed unum ſimplex duo ſæpius indicat: v. g. calor indicat medium refrigerans, & alimenta refrigerantia, & aërem refrigerantem: ergo plura indicat. ℞. hìc plura minimè indicari, ſed tantùm unicum refrigerans, licet in diverſis ſubjectis. 8.

Obj. 9. Galenus, *ad Thraſyb. c. 33.* ait, neq; unum ſemper idem indicare: ſi hoc eſt; ergo unum non tantùm erit uni contrarium, nec unum tantùm unum indicabit, nec ſemper idem indicabit. ℞. Unum non ſemper unum indicat, ſi plures eſſentiæ conſiderentur; concedo: ſi una tantùm; nego: nam unum in genere per plures eſſentias plura poteſt indicare: id ab ipſomet Galeno manifeſtatur, in urinæ ſuppreſſione, quæ unum quidem eſt genericè: non tamen ſemper unum ſpecificè indicat: nam ſi fiat in calculo, aliud indicat; aliud, ſi à grumo ſanguinis; aliud, ſi à pituita: ita genus genericum; ſpecies ſpecificum indicat remedium. 9.

Obj. 10. Videntur eſſe plura indicantia, quàm tria quia & *Hipp.* & *Gal* variis in locis dicunt, attendendum eſſe ad morbi tempora, aërem, ætatem &c ℞. non putare Authores, ad ea attendendum eſſe, tanquam ad indicantia, ſed tanquam ad ſigna; id eſt, in ratione ſigni, non in ratione indicantis. 10.

Obj. 11. Galenus, *5. m. 8.* videtur curare aërem, dum ait, corrigendum eſſe. ℞. id fieri, ut evadat materia remedii: quemadmodum corrigimus frigiditatem & flatuoſitatem hordei; non curamus. 11.

Obj. 12. Galenus, *l. 9. meth. c. 14.* ait, indicationem curativam deſumi à morbo, temperaturâ, & aëre; & ſubdit, hæc tria eſſe prima, quæ curationem indicent. ℞. deſumi indicationem curativam ab his tribus, tanquam ab indicantibus tantùm, nego: tanquam ab indicantibus, & ſignis, concedo: quia temperatura, & aër, ſunt ſigna; morbus verò indicans curatorium; quantumvis temperatura etiam dici poſſit indicans vitale. 12.

Obj. 13. Gal. *11. m. 1.* ait: Quæ curationem indicant, ſunt duo, morbus, & temperatura; ergo non tantùm 13.

tùm morbus erit indicans curatorium, ſed etiam temperatura. ℞. Gal. temperaturam hic accipere pro ſigno, non pro indicante curatorio.

14. Obj. 14. Gal. *l. ad Thraſib. c. 9.* dicit, ab effectu conferentia non indicari: ergo à morbo nihil indicabitur. ℞. Ab effectu in genere non indicantur conferentia ſpecifica; concedo: generica; nego: nam hæc eſt indicatio inutilis.

CAPUT. V.

De Indicato, ejus Differentiis, & Diviſione: item de Indicantium Signis, & veris Indicantibus.

Indicatum quid, & Quotuplex.

INdicatum eſt illud, quod agendum ab indicante inſinuatur, cum uſu, & rectâ materiarum adminiſtratione. Indicatum aliud eſt *genericum*; aliud *ſubalternum*; aliud *ſpecificum*: in febre, v. g. removens eſt genericum indicatum, refrigerans eſt ſubalternum, refrigerans in ſecundo gradu, v.g. eſt ſpecificum indicatum.

Uſus quotuplex.

Uſus verò, ſeu recta adminiſtratio, eſt *quadruplex*: *quantum* ſcilicet, *quomodo*, *quando*, & *ubi*: nempe in quanam *Quantitate* continuâ; non diſcretâ; nam hæc pertinet ad quando; v. g. quot vicibus exhibendum ſit refrigerans, veluti portulacæ, aut endiviæ, decoctum, vel ſuccus; & in qua doſi: nam à ſumma morbi actione ſumma doſis exhibetur; à mediocri, mediocris; à minima, etiam minima: habito tamen ſemper ad vires reſpectu: per *Quomodo* intelligitur, an per os, an per clyſteres, an in ſolido, liquido, ſeu infuſo &c. *Quando*: an manè, an veſperi, ante, an poſt, ſumptum cibum; tempus nempe eſt, ubi præſens adeſt indicatio, & abſens prohibens: per *Ubi* verò ſignificatur, in quonam corporis loco applicandum ſit indicatum, ſive remedium, an in brachio, tibia, hypochondriis; an in capite. Maximi verò intereſt, verum indicans à ſignis diſtingvere: nam hæc pro illo à Galeno ſæpius, impropriè tamen, accipiuntur. Diximus, indicantia vera, à quibus indicatio deſumitur, eſſe tria; indicans ſcilicet curativum, utpote morbum; præſervativum, utpote cauſam morbi; & vitale, ſcilicet vires: ſymptoma enim non eſt indicans, niſi quatenus induit rationem cauſæ. Signum autem eſt, quod ipſum indicans nobis monſtrat; ut natura, ac temperamentum, Ægroti, quod materiam morbi, & ejus vehementiam, oſtendit: eodem modo, quo in gradu ſit morbus, locus affectus declarat: item ætas, ſexus, tempus, conſuetudo, conſideranda ſunt: &, licet æſtivus aer febrim ardentem intendat, ideoq; ſit corrigendus; is tamen non eſt indicans, quod refrigerium indicat, ſed ipſa febris vehementia, in corpore exiſtens, eſt indicans. Item ætas eſt tantùm indicantis ſignum: hæc enim ſignificat vel robur, vel debilitatem: hinc Gal. *11. m. c. 13.* ait, ad indicantia cognoſcenda conferre ætatem, & conſuetudinem; quarum hæc, utpote conſvetudo, deſignat temperamentum: neq; hæc temerè mutanda eſt: *Conſveta enim, etſi inſvetis ſint deteriora, ſunt tamen meliora*; uti Hipp. *in aphor.* ait: Tempus quoq; non eſt indicans: v. g. in ſtatu morbi, quando tenuiſſimo victu eſt utendum, id præciſè ab ipſo tempore non deſumitur; ſed ab ipſis viribus, quæ tunc temporis oppreſſæ ſunt à morbi vehementia: idem puta de ulcere antiquo, cujus tempus non indicat, ſed humor ipſe malignus, ipſum fovens. Hinc adhuc veriſimile permanet, tria tantùm eſſe indicantia: curatorium ſcilicet, utpote morbum; præſervatorium, utpote materiam morbi; & vitale, ſcilicet virtutem: quæ vocatur permittens, ſi fortis ſit; prohibens verò, ſi ſit debilis. Intellige de magnis remediis, utpote de venæſectione, & purgatione. Nam debilis facultas ex reſolutione remedium corroborans non prohibet, ſed imperat, & exigit: dixi, ex reſolutione: nam debilis facultas ex oppreſſione non prohibet venæſectionem, ſi adſit plethora; nec purga-

tionem; ſi cacochymia urgeat, nihilq; aliud prohibeat; utpote ingens febris, cum inſigni malignitate. Hinc aſſentiri non debet Medicus Vetulis, dicentibus, remedium non eſſe adhibendum ob debilitatem, ſi ſit ab oppreſſione: faciliùs enim ambulat, qui 50, quàm qui 100. pondo geſtat: hinc æger à depletione fortior evadet.

Quæſtiones. *I.* Qu. 1. Quid ſit ratio mixti, cujus in hoc opere ſit mentio? Reſp. eſſe habitum quendam intellectûs, per frequentatos actûs acquiſitum, qui deducit in cognitionem proportionis, vel improportionis, partium elementarium in mixto, & earundem qualitatum, ſecundum gradûs, naturæ proprietates ineffabiles, & affectûs, patefaciens, ad morborum curas unicè neceſſarius; colligitur ex Gal. *3. m. 7.* & hic eſt verus iſte Entreſitaſmus, perpaucis notus, qui inſcium reddit eloquentem, fatuum ſapientem, atque ex virtute ultimæ individuationis talis temperamenti feliciter operantem.

Objectiones. *I.* Obj. 1. Ratio mixti pertinet ad ipſum mixtum: ergo non poteſt dici habitus intellectûs: deinde non videtur poſſe dici habitus, ſed tantùm diſpoſitio, facilitans intellectum ad cognitionem ipſius mixti. Reſp. ad primum: nos hîc non agere de ipſa formali mixti ratione, ſed intellectiva ejus cognitione. Ad ſecundum dico: eodem modo dici hîc habitum, ſicuti ſcientia dicitur habitus; licet ex modo inhærendi poſſit etiam dici diſpoſitio; utpote recens acquiſita, & facilè tollibilis.

II. Qu. 2. Utrum ratio mixti magis à priori cognoſcatur, an à poſteriori: v. g. per effectûs? Reſp. utroq; modo cognoſci: nam à priori facilè cognoſcitur, in corpore juvenili, & bilioſo, plus eſſe elementi ignei, quàm aquei: à poſteriori item hanc ignei elementi exſuperantiam ex actionibus celeribus, & expeditis, colligere licet.

2. Obj. 2. Specificum indicatum debet indicari à ſpecifico indicante: ſed ſpecificum indicans non eſt cognoſcibile: ergo etiam ſpecificum indicatum. Reſp. conceſſâ majore, negando minorem: nam calor v. g. febrilis, vel eſt intenſiſſimus, & indicat refrigerans in gradu intenſiſſimo, v. g. in quarto gradu; vel eſt minùs intenſus, & in tertio gradu requirit; vel adhuc minùs intenſus, utpote in ſecundo gradu, & ſic indicat refrigerans in ſecundo gradu.

Qu. 3. Quomodo intelligitur intenſiſſimus calor? Reſp. uti in cauſonide, inflammatione hepatis &c. *III.*

Obj. 3. In pleuritide, v. g. refrigerantia expectorationem prohibent, & impingunt materiam morbificam: ergo non conveniunt. Reſp. convenire quidem ratione febris; non verò ratione partis affectæ: v. g. pulmonum: omne enim frigus eſt inimicum pulmonibus, dentibus, & oſſibus; adeoq; eſt prohibens. *3.*

CAPUT VI.

De Indicante Curatorio.

DIximus, *indicans Curatorium* eſſe morbum, qui primò indicat quid agendum, ſecundò uſum: agendum autem idem eſt, quod remedium; non alimentum: hoc enim petit indicans vitalé, ſeu virtus; nec præſervatorium, quod indicat prophylacticum, ad cauſam pertinens: ergo indicans curativum præmonſtrat remedium auferens, quod ab ipſa morbi eſſentia deſumendum eſt: & ſic genericè conſideratus morbus, ut ſui indicat ablationem; ſic ſpecificè ſpecificum indicat remedium: quòd ſi eſſentia morbi vehemens ſit; cùm extremis morbis extrema debeantur remedia, utique vehemens remedium: ſanguine nimirum vehementer peccante, indicatur venæſectio; ſi verò non peccet vehementer, ſufficere poterunt *Indicans Curatorium.*

cucur-

cucurbitulæ cum ſcarificatione, hirudines; ſi adhuc minùs, frictiones; vel abſtinentia ab uno paſtu; ſi vires ſufficiant. Eodem modo, quantò febris eſt intenſior; tantò detur aqua frigidior: febris enim, teſte Hippoc. curatur venæſectione, & aquæ frigidæ potu: purgatio item tanta ſit, quæ reſpondeat cacochymiæ quantitati: item quantò majus erit pervigilium, tantò valentius erit ſomniferum; quod tamen ſemper à malignitate prohibetur: ſi minoribus agatur, curatio tardior erit; ſi majoribus, periculoſior: hinc utrimque periculum emerget; in illo moræ; in hoc contrarii lapſûs: ſatius tamen eſt, longiori ſaneſcere morâ, quàm inani ſpe citæ curationis præceps ſubire periculum. Hinc ſemper bene perpendendum, dum extremis morbis extrema adhibentur remedia; quòd minus ſemper damnum eſt in defectu, quàm in exceſſu; adeoque nunquam ad purgationem, aut venæſectionem, deveniendum eſt, niſi magnus ſit morbus præſens, aut certò futurus: quandoque enim temperamentum, ob imminens periculum, illico ſolvendum; uti in Athletis. Indicantis vitalis vehementia pluris ſemper facienda eſt, ſi, collata cum aliorum indicantium vehementiâ, æqualem ferme obtineat gradum: ut v. g. in febri continua in Sene, ubi vitale indicans, ſeu vires, & præſervativum, ſive cauſa morbi, quæ eſt ſanguis putridus, in vehementiâ, conveniunt vitale indicans pluris faciendum eſt. *Vehementia indicantis* alia eſt *abſoluta*; alia *reſpectiva*: illa eſt, quando indicans ſeorſim, & per ſe conſideratur: hoc verò, quando conſideratur in ordine ad alia indicantia. Curationes plerumque à minoribus incipiendæ ſunt, quia & ipſi morbi à minoribus ſæpius incipiunt; &, dum augentur morbi, augeantur quoque remedia: ſi verò aucti jam morbi curationem incipiat Medicus, ſi de viribus non conſtet, etiam à minoribus auſpicanda eſt cura; ſi verò adſit virium robur, à magnis incipiendum eſt; ut magnitudini morbi remedia quoque in magnitudine reſpondeant: contraria enim ſemper debent eſſe in eodem gradu oppoſita, niſi obſtet contraindicans. Morbus indicat uſum, id eſt quantum, quando, quomodo, & ubi agendum: à paſſione verò modus, à præſentia quando, à ſubſiſtentia ubi: Reliqua vide ſuperiùs. Morbi itaque indicatio requirit, ut, perſpectâ ejus eſſentiâ, illi contraria objiciantur: calido ſcilicet frigida; frigido calida; humido ſicca, ſicco humida; ut ſoluta uniantur alligatione, ſuturâ, infibulatione, agglutinatione; ut luxatæ manûs reparatione, aut laqueis, reponantur, obſtructa aperiantur; ut redundantia numero, aut magnitudine, evellantur, ſecentur, urantur. Quòd ſi reſtauratio fieri non poſſit per medium homogeneum, fiat ſaltem per heterogeneum, modò ſit conforme ſupplementum; uti ex oſſe callus; cujus generantia eo à ſarcoticis differunt, quòd tantò ſint illis ſicciora, quantò os carne. Quoniam verò morbi alii ſunt acuti, & breves; alii chronici, ſeu longi: hi tarditatem; illi celeritatem curæ requirunt. Hîc non æque crebrâ viſitatione egent omnes morbi, ſed ii ſolùm, in quibus eſt occaſio præceps, vel ob diem tyrannum, vel criticum, vel ob diætæ mutationem, vel ob medicamenti novi aſſumptionem, ut ejus obſervetur effectus. Medicus aliàs, qui ſolùm lucri causâ multiplicat ſuas acceſſiones, id, quod accipit, non meretur, ſed dolosè appropriat.

Objic. 1. Dicitur hic, extremis morbis extrema deberi remedia; & tamen paulò pòſt dicitur, à minoribus eſſe incipiendum: quod videtur inconſonum. Reſp. Dicimus, à minoribus incipiendum eſſe, dum ſimiliter morbi à minoribus incipiunt; non verò, dum morbi ab extremis & ſummis inchoant. *Objectiones.* 1.

Objic. 2. Hectica in tertio gradu eſt morbus extremus: ergo ipſi etiam extrema debentur remedia, utpote purgatio, & venæſectio: quod eſt

 contra

contra omnem Praxin: addendi enim potiùs ſunt humores, quàm demendi, in tanto ſubſtantiæ defectu. ℞. nos hîc intelligere morbos à plethora, aut cacochymia, ortos; non verò hecticam, quæ, licet ſit extrema quoad vitam, non tamen eſt extrema quoad repletionem: quamvis axioma hoc etiam aliis accommodari poſſit, v.g. gangrænæ, & ſphacelo, item ſummæ intemperiei.

3. Objic. 3. Dicitur hîc, cùm augentur morbi, augeri etiam debere remedia: ergo in ſtatu maximè utendum erit remediis, &, dum vehementiſſima ſunt omnia, natura à ſuo opere avertenda. ℞. nos hîc loqui de morborum augmento, non de ſtatu: item, dum vires conſtant, & nullâ prohibente malignitate.

4. Objic. 4. Febris v. g. ſynocha ſexto die poterit eſſe in augmento: ergo & tunc licebit magnis uti remediis, cùm tamen ſexto die, utpote tyranno, qui ſeptimo opponitur, ſecundum Claudinum, natura nihil boni unquam faciat. ℞. Ex ſuppoſito, quòd ſexto die natura nihil boni agat, morbus non eſt in augmento; quia morbi augmentum eſt, quando vehementiùs, quàm in principio, natura pugnat contra morbum, & augentur ſymptomata; quod non fit ſexto die, ſed potiùs natura ſatiſcit. Deinde maximè tyrannus eſt in morbis non ſanguineis, qui tertio quoque die exacerbantur, qui plerumque ſunt mali; uti teſtatur Hippoc. *in aph.* Hippocrates tamen bis obſervavit bonam criſin ſexto die, in Lariſſæ Virgine, & in Heraclide; aliàs ſemper malas.

Caput VII.

De Indicante Præſervatorio, id eſt de Cauſa Morbi.

Indicans Præſervatorium:

Hîc agimus de *Indicante Præſervatorio*, utpote de *Cauſa morbifica efficiente*; non formali: cauſa namque *efficiens*, ſive ſit *in corpore genita*, ſive *aliunde in id translata*, ſive *per ſe*, ſive *per accidens*, ſemper ſui petit ablationem. Cauſa *per ſe* eſt vel *intemperies*, vel *materia*, *collectivè*, vel *diviſim*. *Intemperies* indicat ſui ablationem per contrarium alterans; *materia* autem *peccat* vel *quantitate*, vel *motu*, vel *quiete*, vel *formâ*; quæ dicitur toto genere præter naturam: idque vel *per ſe*, ut lumbrici; vel *per accidens*, ratione corruptionis; ſive ſit *contentum*, ut humor putridus, v. g. ſanguis, pituita, bilis, melancholia, ſemen in utero, lac in mammis, ſtomacho &c. ſive *continens*, ut caro putrida; & hæc indicat medicamentum eradicans. *Cauſa morbifica.* Materia *quantitate* peccans eſt vel *continens*, vel *contentum*: *contenti* vitium eſt exſuperantia, quæ indicat minuens, ſeu ſecundum partem evacuans: *continentis* verò, ſeu partis viventis, vitium eſt, dum eſt continuitas cutis, carnis, & vaſorum, quæ materiæ morbificæ exitum prohibet: & ſic indicatur dividens, vel dilatans, vaſa, ut materiæ retentæ, vel humoribus, liber permittatur exitus; ſi verò nimia ſit vaſorum dilatatio, humores ſæpe ad interitum dimmittens, uti fit in diarrhæâ, ſudore nimio, hæmorrhagiâ, fluxu menſium immodico, indicatur reſtringens, ſeu anguſtans. Quando materia peccat *qualitate*, indicatur alterans contrarium. Si materia *motu* peccet, indicatur remedium revellens, intercipiens, & compeſcens, conſideratis ſemper terminis, ſeu partibus mandantibus, unde fit motus, & medio, per quod fit. Si motus ſit in *defectu*, indicatur movens, ſeu motum intendens; uti ſæpius fit, ubi ſanguis non ſatis circulatur: ratione *termini ad quem*, dum nimius fit motus, indicatur ab eo removens; &, cùm illud attrahit ad viciniam, dicitur *Derivans*; quod celebratur tantùm, quando fluxio ceſſare incipit: nam in fluxionis principio (excipe tamen partes nobiles) indicatur *Repellens*; quod humores repercutit, & partem ipſam

ipſam roborat. Quòd ſi fiat tractio humorum ad partem diſtantiſſimam, vocatur *Revulſio:* ſi ad propinquam, *Derivatio:* ſi fiat evacuatio ex ipſa parte, dicitur per excellentiam *Evacuatio.* Si cauſa morbifica non moveatur, indicatur movens, ſive per ſenſibiles meatus, ſive per inſenſibiles, ſeu poros. Externæ cauſæ, licet non indicent, & tantùm ſint ſigna affectionum; tamen, ſi præſentes ſint, ſtatim amovendæ: v.g. ſi in aptico febricitare quis incipit, calor Solis arcendus eſt; ſi à violento itinere, quies imperanda: ſi cauſæ receſſerint, ratione noxarum, quas corporibus intulerunt, tantùm ſunt conſiderabiles; non tamen omnes ſtatim antè actæ vitæ exceſsus ſunt pro delictis habendi, ſi præcipuè longâ conſvetudine fuerint habituati. Hinc tanta inedia non eſt imperanda ei, qui ſolitus eſt ſe pluribus cibis infarcire, quàm ei, qui, poſt ſtrictè ſervatam diætam, ab inſolitâ ingurgitatione in morbum incidit: hic enim tenuiori curandus eſt diætâ; adeoque errant, qui Helluones, & Pamphagos, tenuiſſimâ excruciant diætâ. Sanguis quantitate peccans, & vaſa parteſque diſtendens, & rubificans, dolorem & laſſitudinem inferens, evacuandus eſt, qui qualitatis vitio peccat, corrigendus, humores ſupernatantes, vel ſecreti à maſſa ſanguinea, ſunt expurgandi, flatûs educendi, ſeroſi humores per poros, vel urinas, educendi, ſemen caſtâ abſtinentiâ minuendum, lac emulgendum, nares muco emungendæ, humores qualeſcunque noxii, in ſtomacho, per vomitum exturbandi. In hiſce tamen ordo quidam ſervandus, ut nempe, quoad fieri poteſt, evacuatio univerſalis particularem ſemper præcedat. Hinc ſi & purgatio, & venæſectio adminiſtrandæ convenerint, cùm, teſte Valleſio, & pluribus aliis, venæſectio ſit magis univerſalis, quàm purgatio; miſſio ſangvinis melius ad purgationem, quàm purgatio ad ſangvinis miſſionem, præparabit, laxando nempe vias, per quas maximè corpus expurgandum eſt (ſic videmus, venæſectionem, in pede celebratam ad, facilitandum partum, facere plurimum) Deinde facultas vitalis magis debilitari ſolet per venæſectionem, quàm purgationem; adeoque per hanc vires non erunt adimendæ, ne per illam, ſcilicet venæſectionem, factâ priùs purgatione, in grave periculum incidamus: denique utilius eſt, ſangvinem impurum, quàm expurgatum, mittere: impuritas enim tantum venæſectioni nocere non poteſt, quantum purgationi vaſorum plenitudo, & compreſſio, quæ ſemper eſt ante venæſectionem. Hinc multò frequentiùs ſola venæſectio totam abſolvit curam, quàm purgatio; nec raro factæ venæſectioni ſponte ſuccedit purgatio, & alvi lubricitas; quod non fit vice verſa. Atque adeò ſtatuimus, à venæſectione, præmiſſo tamen clyſtere, auſpicandam eſſe curationem. *Venæſectio an Purgatio ſit præmittenda.*

Ad indicantia præſervatoria referuntur & *Symptomata*, dum rationem cauſæ induunt: hæc namq; eorum morborum, quorū ſunt ſymptomata, curationem impediunt: hinc eorum ablatio eſt remotio prohibentis, quæ ad curam plurimum confert emolumenti. Symptomata verò ſunt, pervigilium, coma, deliquium animi, faſtidium, fames nimia, profuſa evacuatio, nimia retentio, delirium, & aliæ actionum læſiones. *Symptomata urgentia.*

Dolor, qui eſt triſtis ſenſatio, à re violentâ, continuum ſolvente, *duplici remedio tollitur*, utpote per *inductam voluptatem*, & per *ſublatam ſenſibilitatem:* illa, quæ *voluptatem inducunt*, ſunt *Anodyna mitiora;* ut eſt *aqua tepida, lac, oleum recens* &c. *Anodyna fortiora* ſunt, quæ *ſenſum hebetant:* ut ſunt *opium, hyoſcyamus* (quæ tamen meliora ſunt in cauſa calidâ, quàm in frigidâ) De quibus alibi. Somniferis hiſce, aut ſoporiferis, pervigilio ſuccurritur; quæ inter ſe differunt non aliter, atque ſomnus, & ſopor: ſomnus autem eſt requies facultatis, quæ in cerebro: ſopor verò eſt impotentia vigilandi, ob ſtuporem primi ſenſitivi, aut obſtructionem gravem: itaque *Somnifera* ſunt, quæ corpus leviter humectando ſomnum inducunt; ut *oxyrrhodinum, oleum roſarum:* Soporifera verò ſtupefaciendo; ut *opiata* *Dolor quid.* *Anodyna: mitiora:* *Fortiora:* *Somnifera:* *Soporifera.*

omnia

omnia: contrariis occurritur ſomnolentiæ, utpote ſenſum vellicantibus, ut clamoribus, ſplendore, percuſſione, concuſſione. Quomodo reliquis ſymptomatibus ſuccurratur, vide in *Practica noſtra, de febr.*

Objectiones. 1. Objic. 1. Intemperies eſt ipſe morbus: ergo hìc malè dicitur cauſa. ℞. Quamvis abſolutè falſum ſit, quòd intemperies ſit morbus: attamen dico, intemperiem eſſe morbum; pro materiali, concedo: pro formali, nego: ergo non eſt cauſa morbi: nego conſeq:

2. Objic. 2. Cauſa morbi non videtur dici poſſe indicans præſervativum, quatenus actu efficit morbum: quia, ſi eſſet indicans præſervativum, ejus abſentia præſervaret à morbo: ſed hoc non fit: probatur: Præſervare eſt corpus immune à morbo reddere: ſed cauſa morbi non reddit immune: ergo. ℞. Etſi non præſervet ab eo, quod eſt partim in fieri, partim in facto eſſe; cauſæ tamen morbificæ ablatio præſervat ab eo, quod erat futurum.

3. Objic. 3. Si Helluones tenuiſſimâ non ſunt excruciandi diætâ, quomodo igitur cura per Lac, ex antiquis Authoribus nuper per Novatores reſuſcitata, ad curationem podagræ tanti fit? ℞. Curam per lac eſſe diætam, quam etiam Hipp. *de morbis internis*, & alibi, ad 20 dies ordinat; &, niſi limites excedat, eſſe loco diæta, ſi verò nimium ſit ſtricta, præcipuè apud multivoros convivatores, naturam, multis cibis aſſvetam, ita debilitat, ut, dum tales ad priſtinam diætam redire conantur, fiant hydropici, vaſis ſcilicet contractis, & partibus aridis alimenta jam non ampliùs recipientibus. Natura enim in cura per Lac, quod non tantâ, quantâ reliqui cibi, indiget elaboratione, paulatim deſveſcit: uti videre eſt in negotioſis, alvi dejectiones non ſollicitantibus, qui paulatim adſtrictiſiunt, & hypochondriaci.

CAPUT VIII.

De Indicante Vitali, ſeu de Viribus.

Diximus, *Indicans vitale* ſui conſervationem ſemper requirere, & indicare; quod, ſi debile eſt, magna prohibet remedia; his enim magis dejicitur, nec poteſt eſſe morbi medicatrix, aut victrix, natura: ſin vitale indicans robuſtum ſit, magna permittit remedia. Jam ejus indicantis notas perſcrutari fas eſt. *Indicans vitale.*

Tres ſunt in corpore humano *facultates: animalis, vitalis, & naturalis;* quarum nulla, durante vitâ, omnino deficere poteſt: earum autem robur fideliſſimè declarat actiones: v. g. facultatis animalis robur, aut debilitatem, ex motu voluntario, & ſenſu, tum interno, tum externo, ſalvis & integris, aut contrà deficientibus, manifeſtè dignoſcimus: ſi enim Æger aliquis bene diſcurrit, audit, videt, decenter in latere jacet, movetur, ſentit; ſignum eſt, facultatem animalem bene eſſe conſtitutam: ſi verò horum aliquid deſit, ſignum eſt, eam à naturali ſuo ſtatu receſſiſſe. Secundò ſi ad ea, quæ ipſi offeruntur, cibum nempe & potum, omnino bene ſeſe habet, retinet, concoquit, diſtribuit, nutritur, necnon excrementa concoctionum exernit; facultatem naturalem bene conſtitutam eſſe manifeſtum eſt; ſi contra, malè. Tertiò ſi pulſus naturalem habeat diſpoſitionem, nec ſit tardior, nec rarior, nec crebrior (abſente tamen malignitate, quæ, ob malignè modificatum calorem, non excedentem in gradu aucto, pulſum frequenter non immutat, ſed alia graviora adſunt ſymptomata, ut laſſitudo maxima, ſitis inexplebilis) ſi vox ſit fortis, bonus color faciei & oculorum, item ſi reſpiratio bona obſervetur; ſignum eſt, facultatem vitalem ſibi conſtare; ſi verò pulſus ſit parvus, ac creber, inæqualis, compreſſus, deficiens, intermittens, recurrens &c. ſi oculi *Facultates tres.*

ſi oculi ſint tabidi, & vitrei, facies Hippocratica, tempora collapſa, naſus acutus, ungves adunci, vox oppreſſa &c. ruentis jam facultatis vitalis apertiſſima ſunt phænomena, & argumenta.

Vitalis. Et licet omnium facultatum vires ad amuſſim ſint ponderandæ; *Vitalis* tamen præ reliquis perpendenda eſt virtus: ea enim plerumque eſt reliquarum ſervatrix, eâque extinctâ nulla perdurare poteſt alia; quemandmodum eâ bene valente, & firmâ, nulla alia interire omnino poteſt. Secundum in dignitate locum habet *facultas Naturalis*, *Naturalis.* quia morborum coctionem & expulſionem facit. *Animalis.* Tertium occupat locum *Animalis facultas*, quæ, licet ratione ſublimiorum naturæ operationum præſtantiſſima ſit; attamen, cùm ad morborum curationes tantum non conferat, quantum naturalis; hinc eſt, quòd ei hic primas cedat. Nota tamen, animalem facultatem, ad expurgandas pectoris materias, & conſequenter ad ejus curas, plurimum emolumenti conferre. Primum itaq; inter facultates, locum obtinet *Vitalis*: hinc in omni morborum genere pulſus, & reſpiratio, plurimùm ſunt attendenda; præcipuè quando mittendus erit ſanguis; quo Æger facillimè debilitatur, ob ſpirituum jacturam: hinc molienda nunquam eſt evacuatio, niſi, ſufficiens eſſe facultatis robur, priùs fuerit indicatum; ne fortè, quod Medico turpiſſimum, vel Æger, cum medicina, in corpore exiſtente, moriatur; vel, unà cum excrementis, vita rejiciatur. In morbis longis cibi detractionem, ſeu inediam, & vehementem evacuationem, cane pejùs & angve fugere oportet; quod utrumq; in morbis brevibus, nullo contraindicante, ſi vires conſtent, tentare licet. Evacuationes quoq; magnas prohibent æſtus magnus, furibunda jectigatio, dolor vehemens & aſſiduus ſtomachi, ſenilis, ac infantilis ætas, & omnia, quæ vires exſolvere poſſunt: item, ſi ſangvis ſit valde corruptus, ob boni penuriam, magna ejus prohibetur evacuatio, contra imperitum Medicorum vulgus: qui, in tantâ ſanguinis impuritate, usq; ad ejus mutationem in bonum, cenſent mittendum eſſe; quod tamen fieri quandoq; impoſſibile eſt, præcipuè ſi tota ſangvinis maſſa ſimiliter ſit affecta. Verum quidem eſt, naturam non raro ſangvinem magis impurum primò rejicere: adeoq; ejus debilitas deſignatur, ſi in principio febris, v. g. ſangvis nimium purus emittatur: ſatius enim eſt, ut prior ſit impuriſſimus, in corpore ſcilicet malè habente, & ſecundus melior, tertius inculpatus: attamen hanc ſangvinis in bonum mutationem, ad Ægri interitum, pertinaciter non exſpectet Medicus. Quando facultates reperiuntur debiles, confortari debent per ſimilia, & ſibi appropriata, *animalis* per Cephalica; *vitalis* per Cordialia; *naturalis* per Hepatica, ſanguinem depurantia, & naturalem calorem reſuſcitantia. Sciendum quoq;, ab omni evacuatione facultates noſtri corporibus debilitari: hinc omnem evacuationem ſubſequi debent corroborantia; quamvis multi ea ipſis medicamentis cònjungant, ad corrigendam eorum malitiam; quod Neoterici mordicùs improbant, veluti medicamentorum vires mutilans, & diminuens: ſi enim medicamentum ſtimulare naturam debet, utique neceſſe eſt, qualitatem aliquam habere naturæ contrariam; quam ſi ſuſtuleris, tolles etiam purgandi vim; ſi tamen pro vehiculo, in exhibitione medicamentorum facilè adhærentium, v. g. *agarici*, & *mechoacannæ*, Z Z. addere libuerit, non contra ibimus.

Obj. 1. Dicitur hìc, nullam facultatem, durante vitâ, omnino poſſe deficere; cùm tamen in apoplexia forti ſit motus & ſenſus abolitus, vitâ adhuc ſuperſtite. *Objectiones, 1.* ℞. per abolitionem hìc intelligi debere privationem: deinde, licet ſenſus & motus apoplectico non ſint quoad operari; ſunt tamen per ſe, ſed impediti per obſtructiones, quò minùs operari poſſint.

Obj. 2. Ergo ſaltem adhuc deficiente aliquâ facultate, poteſt vita conſiſtere. *2.* ℞. Ad tempus, concedo: diu, nego; dein durante vitâ, non omnino deficit facultas: uti dictum eſt.

Obj. 3.

Obj. 3. Facultas animalis habet nobiliores actiones, quàm vitalis: ergo hanc dignitate præcedit. ℞. Habet nobiliores actiones animales; concedo: vitales; nego: immo vitalis facultas communicat multis partibus diſpoſitionem requiſitam, ut reliquæ facultates operentur, tribuendo partibus animalibus vitales ſpiritûs; partibus naturalibus calorem, qui efficiendi eſt inſtrumentum, & ſine quo nec corpus nutritur, nec morbi vincuntur.

Obj. 4. Hipp. *1 aph. 23.* & Galenus, *in comm. ejuſdem aphor.* item *9. meth c. 4.* ac Zacut. *l. 1. de Med. Princ. hiſtor.* dicunt, aliquando expedire ſanguinis miſſionem usque ad animi deliquium: ergo etiam licebit mittere usq; ad ſanguinis in bonum mutationem. ℞. cum Averrh. *7. collig. c. 8.* & *Lemovio, in l. 9. meth.* hanc Hipp. & Galeni regulam exolevisse: erant enim tunc temporis corpora adhuc multò robuſtiora, quàm jam: deinde curatio debet exerceri per media tuta, & ſecura: ut docet Corn: Celſus, *l. 3 c. 4.* hoc autem medium non eſt tutum, Gal. *12. met. c. 1.* eſto autem terminus, quem non transgreditur is, qui ex arte morbos generoſè oppugnat, ut tutò medicetur; qui autem ultra progreditur, crudelis hominis officium facit, qui ſimul cum morbo homini vitam auffert: quod facilè fit, miſſo ad ſyncopen usque ſanguine; cùm tamen ſecurius fieri poſſit partitis vicibus.

CAPUT IX.

de Falſitate Empiricorum & Methodicorum, in præſidiis inveniendis, Experientia, & Analogiſmi.

Empiricorum ſecta. EMpirici, quaſi Experimentatores, ab ἐμπειρία, ſive experientia, dicti ſunt: de quibus Galenus, *l. de ſect.* hi, ſolam experientiam ad artem ſufficere, exiſtimant, &, nullâ habitâ ratione cauſarum, ſignorum, differentiarum &c. morbos tolli poſſe aſſerunt: hinc magnam ſibi Receptarum farraginem comparant, quas vanâ gloriâ pro ſecretis venditant meri Secretarii.

Empirica partes. *Empiricæ tres* olim erant *partes*: utpote *Autopſia*, *Hiſtoria*, & *Analogiſmus*. *Autopſia* erant, quando ipſi, præſenti intuitu, penſitabant, curabant, & obſervabant in omnibus morbis, quod fieri, quodq; evitari oporteret: *Quid Autopſia.* *Hiſtoria* erat, cùm præcepta hæc literis & ſcriptis expreſſa tradebantur: *Hiſtoria:* *Analogiſmus* denique, ſive transitus ad ſimilia, erat, cùm *Analogiſmus.* in morbis novis, & raris, adhibebant remedia, aliis morbis, ferè ſimilibus, propria: vel remedia ab una parte corporis ad aliam, ob aliquam ſimilitudinem, transferebant. Hujus ſectæ ſunt etiam hodie, titulotenus duntaxat, Medici, ſuo analogiſmo, vel experientiæ confidentes. *Similitudines* verò, qui- *Similitudines.* bus utuntur Empirici, in ſuis analogiſmis faciendis, traduntur à Galeno, *l. de ſubfig. Empir. c. 11.* & alibi, ubi docet, quod à *locis affectis*, *effectibus*, & à *materiis auxiliorum*, ſimilitudines depromantur: primò *à locis affectis*, ut, ſi in brachio *à Locis affectis.* appareat aliquod ſymptoma, idque aliquo remedio ſanetur, Empiricus, qui utitur ſimilitudine locorum affectorum, quando viderit, quòd ſimile ſymptoma acciderit cruri, ſtatim, ob ſimilitudinem harum partium extremarum, putabit, eodem modo tolli poſſe cruris affectum: 2. *ab effectibus* colli- *Effectibus.* guntur ſimilitudines: v. g. ſi fluxus ſanguinis narium *bolo Armenâ*, vel *croco Martis*, ſupprimatur; eodem remedio, concludet Empiricus, poſſe curari fluxú alvi ſanguineum: tertiò à *materiis auxiliorum*: ut, ſi cydonium præ- *Materiis auxiliorum.* ſtiterit auxilium; à ſimilitudine ſtatuet, etiam meſpilum idem emolumentum allaturum; quia ambo vires habent adſtringentes. Sed exemplis *falſam analogiſmi* rationem comprobemus: v. g. *Falſitas Analogiſmi, per exempla.* ſputo ſangvineo, in quo ſangvis fluit vel ob vaſis rupturam, vel ob eroſionem venarum, vel ob anaſtomoſin, vel ob diapedeſin. Quis autem tam rudis futurus, ut credat, has omnes unico remedio curari poſſe? Item ſit urinæ ſuppreſſio alia à calculo, alia à ſangvinis grumo, alia ab inflammatione, alia à compreſſione, alia à caruncula: quomodo ergo ſemper tantùm unicum requiret remedium? Symptoma quidem eſt unum, ſed cura diverſiſſima: ſi enim urinæ ſuppreſſio fit ob diſtenſionem, & retentionem urinæ in veſica, immiſſo ſtatim cathetere fluet urina: ſi fuerit ab inflamma-

inflammatione, ex uſu catheteris malum exaſperabitur: ita Gal. *de opt. ſect. ad Thraſyb.* ſi ſuppreſſio fiat ab inflammatione, convenit venæſectio, cataplaſma &c. ſi à calculo, ſecandus Æger, vel balneo emollienti ſaltem demulcendus dolor: hinc apparet, à ſimilitudine ſymptomatum ſimilia non eſſe remedia. *E contrà* affectûs omnino diſſimilis idem ſæpe poſtulat remedium: uti tetanus, emproſthotonus, & opiſthotonus, affectûs diſſimiles, eodem remedio curantur; quia eadem eſt cauſa formalis, utpote convulſio; ſic plethora ſæpe diverſos parit affectûs, utpote hæmorrhagiam, obſtructionem, vel inflammationem; qui tamen affectûs omnes ſangvinis miſſione curantur. Præterea tranſitus Empiricorum ad ſimilia non fit in genere univoco, ſed analogo: ea enim, quæ univocè conveniunt, non dicuntur ſimilia, ſed eadem. Adde, quòd Analogiſmo utentes ſemper tranſeant de genere ad genus; quod vitium ab Ariſtot. *1. poſter.* & à Galeno, *1. ad Glauc.* & alibi, demonſtratum eſt, ſcilicet ex medio alterius generis concludi nihil poſſe: media enim, & extrema, ex eodem genere univoco ſunt ſumenda; quia inter analogata nulla eſt materiæ convenientia, nec dependentia. Sic animalium, & arborum, medulla, licet ſint analoga, habeantque ſimilitudinem, eorum tamen materiæ toto genere diſcrepant: quod etiam, v. g. de urinæ ſuppreſſione, ex diverſa cauſa proveniente, intelligendum eſt. Eundem errorem committunt in *materiis auxiliorum*, & *locis affectis*: ſic, licet cydonium adſtringendo roboret ventriculum; marrubium tamen, licet adſtringat, imbecillem & flaccidum reddit eundem; uti tradit Gal. *de opt. ſept.* In *locis* denique *affectis* errant, quia oleum roſarum, teſte Galeni *methodo*, in vulneribus capitis eſt concoctorium; in aliis corporis partibus repercutiens: ergo, qui in inquirendis remediis per affectuum, vel materiæ, vel locorum affectuum, ſimilitudines procedunt, errant, Ægrosque non juvant, ſed lædunt.

Exploſo analogiſmo, confugiunt ad *Experientiam*, &, poſtquam viderunt, aliquem, v. g. à febre putrida liberatum eſſe beneficio unius remedii, hoc idem omnibus febricitantibus infallibiliter propinant. Ariſt. *2. poſt.* nos docet, *experientiam* neque ab unicâ obſervatione, neque unicâ memoriâ, eaque ſæpius repetitâ, fieri poſſe: ſiquidem ex ſenſu fit memoria: ex multis memoriis fit experimentum; multæ namque memoriæ non experientia una eſt. Falluntur ergo Empirici, dum putant, ex re ſemel viſa experientiam dici, & eſſe: ſecundò decipiuntur circa res ſenſibiles: nam variæ & diverſæ ſunt naturæ, & affectuum ideæ, quarũ quælibet methodum curandi mutare poteſt. Cùm autem illam hominum diſſimilitudinem, affectuumq; diverſitatem, ignorent, nunquam poſſunt certum ſolidumq; experimentum invenire. Hipp. *1. aphor.* ait: inſpicere oportet regionem, anni tempus, ætatem, & morbum: & Gal. *2. ad Glauc. ſecundo*, per conditiones addit robur, ſcilicet habitum, conſvetudinem, naturam Ægrotantis: ex quibus apparet, quàm vana ſint iſtorum hominum ſecreta; illud enim, quod ſemel juvit, mutatâ aliquâ conditione, ex præſuppoſitis interficere poteſt; & quod uni eſt vita, alteri ſæpius eſt mors. Eſt igitur perquàm neceſſarium, ut conditiones agentis & patientis perſpectiſſimas habeamus, ad bene medendum.

Experientia unde deſumatur.

Methodicorum hæreſis prima fundamenta accepit à Democrito, & Aſclepiade, qui, quia omnia ex atomis coaluiſſe profeſſi ſunt, cùm contrariorũ contrariæ ſint naturæ, *morbum*, ſanitati oppoſitum, *conſiſtere* dixerunt *in pororum nimiâ laxatione*, vel *adſtrictione*: eáq; de cauſâ optimo jure è republica Medica Phyſiologiam, cum Anatome, rejecerunt: ſic enim opus non eſt, ſcire, ſitne hæc, vel illa, partis natura, temperies, conformatio; ſiquidem omnis morbus, ubicunque reſideat, membro adſtrictus, vult tolli laxantibus; laxus verò adſtringentibus. *Rejecerunt* inſuper *res non-naturales*, aërem, anni tempora, regiones, ætates, animi paſſiones &c. quoniam, horum reſpectu, planè nihil variat curatio: omnes enim adſtricti morbi, quovis tempore, ætate, curandi ſunt laxantibus; fluidi adſtrin-

Methodicorum doctrina.

ſtringentibus: deniq; *neglexerunt cauſas morborum*, imprimis procatarcticas, æſtum, frigus, ebrietatem, cruditatem, famem, laſſitudinem, conſuetudinem; & quamvis hæc morbum generare poſſint; attamen ſolùm adſtrictum, & laxum curarunt Methodici.

Refutatio. Abſurda Methodicorum deliria levi teguntur cortice, adeoq; facili fractu. Nam duo illa, vel tria, principia: laxum, ſtrictum, & mixtum, etiam cæcus videt, eſſe non ſufficientia. Dantur enim morbi, qui non patiuntur, ſeſe ad illa reduci; uti febres omnes nec laxi ſunt morbi, nec ſtricti; ſic & melancholia, uteri ſtrangulatio, & ſexcenti alii. Deinde non ſtatim, quicquid effluit, adſtringi debet, neq; ad morbum laxum referri, ut in criſibus bonis, quando utiliter urinæ, ſudores, ſangvis &c. effluunt; ita, quoties aliquid retinetur, quod effluere debebat, non actu ſtatim pro morbo habendum eſt; nam ſæpe materia eſt tam craſſa, ut lapis, ut ex ipſis poris effluere non poſſit; velut ex ſcypho hederaceo aqua, non mel, aut vinum, effluit, & è ſpongiâ, quantumvis laxâ, non effluit aqua. Quòd autem tot Medicinæ partes detruncarunt, eamq; mutilarunt, ſumma eſt injuria: nam conſtat, rerum non-naturalium, & Anatomes, cognitionem ad Medicinam conferre plurimum. Licet ipſimet Methodici cruris phlegmonem oleo roſaceo curent; nemo tamen eorum in oculorum phlegmone oleo roſaceo utitur: ergo & ipſos habere oportet aliquam partium rationem. Sic inflammationi aurium acetum, cum oleo roſaceo, commodum eſt remedium; ſed oculis perniciosum. *Anatomes dignitas.* *Partium* igitur *noſtri corporis cognitio* eſt penitus neceſſaria; quia pro earum varietate variant remedia. Deinde *Anni tempora*, *Ætates*, cæteraque id genus, remedia mutare, in confeſſo eſt. *Remediorum mutatio ſecundum Anni tempora: Ætatem* Hipp. *in aph.* & experientia teſtantur, *æſtate* per ſuperiora, *hyeme* per inferiora meliùs purgari; ita etiam, pro variâ *Ætate*, varia quoq; inſtituitur medendi ratio: puero ſcilicet, & ſeni forti. Deniq; ratione *Regionum* *Regiones:* alii morbi aliis ſunt magis familiares, & faciliùs, vel difficiliùs, curantur. Ita etiam *Cauſarum procatarcticarum* *Cauſæ procatarcticæ.* notiones eſſe perutiles, patet in curatione morsûs canis rabidi, cui ſi communi vulnerum remedio occurras, Ægro mortem; ſi ſpecificis, vitam dabis. Hæreſeos hujus fautor extitit Proſp. Alpinus: cujus tamen ſcripta, velut odioſa, lucem non viderunt.

Objectiones, 1. Obj. 1. Experimenta pariunt cognitionem & demonſtrationem cauſarum: ſed cauſarum cognitio eſt univerſalis: ergo experimenta indicabunt univerſalia: major probatur ex hoc: quia, quòd Guajacum curat morbum Gallicum, Rhabarbarum purgat bilem, aliter ſciri non poteſt, quàm uſu, & experientiâ: idq; verum eſt univerſaliter. ℞. Experientiâ nemo colliget propoſitiones univerſales: nam adductæ propoſitiones de Guajaco, & Rhabarbaro, non ſunt univerſales, ſed indefinitæ: nam omne Guajacum non curat omnem luem Veneream. Neq; hîc, uti putant, experientia procedit ab effectibus ad cauſas, nec eſt demonſtratio à priori; immo eſt potiùs proceſſus ab effectibus ad ſubjecta particularia, & indefinita; per quem proceſſum nunquam poſſumus cognoſcere cauſas: e. g. ſi demonſtrarem, hominem reſpirare, quia eſt animal, nihil demonſtrarem; quia animal eſt ſubjectum, & non cauſa, reſpirationis, cujus cauſa eſt pulmo: dantur enim animalia, quæ non reſpirant. Non tamen negamus, experientiam conferre poſſe ad univerſale cognoſcendum.

Obj. 2. Plurimi morbi ab Empiricis curantur, qui à dogmaticis curari non potuerunt: ergo Empirica non eſt omnino ſpernenda. ℞. morbos, jam per Dogmaticorum remedia maturos, levi ſæpe cedere remedio, quod tamen non ex verâ ratione, ſed merè caſualiter adhibitum eſt: ſæpius tamen etiam ipſa natura curat. 2.

Obj. 3. Empirica Medicina multis annis ante Dogmaticam fuit: ergo adeò non eſt vilipendenda. ℞. Quando omnes ſcientiæ, & artes, hominibus à Deo datæ ſunt, ſummâ etiam eum perfectione, & regulis, infuſæ ſunt: quòd autem omnibus non conſtiterint, eſt, quia *non cuivis homini contingit, adire Corinthum.* 3.

Obj. 4.

4. Obj. 4. Gal. *3. m. 2.* Experientiam alteri hominis cruri comparat: ergo etiam rationabiliter Medico erit perutilis. ℞. ſæpe Dogmaticam, in occultis & dubiis caſibus, ubi natura morbi eſt incognita, per indicationem, immo quando ejus curati nulla habetur obſervatio, recurrere ad Analogiſmum, ſive ſimilitudinem: non tamen inde ſequitur, Medicum ſolâ experientiâ, & analogiſmo, periculoſiſſimis caco-Jatris inniti debere.

Quæſtio. Qu. Utrùm Empiricus, & Dogmaticus Analogiſmus inter ſe differant? Reſp. Affirmativè, cum Gal. *de opt. ſect. ad Thraſib. c. 18.* nam Analogiſmus Dogmaticus ſeparat inutilia ab utilibus: Empiricus confusè implicat utilia inutilibus: utilia verò vocat ſymptomata, ad bonum analogiſmum pertinentia, quæ deſumuntur à cauſis, locis affectis, & à virtute: inutilia verò deſumuntur à ſymptomatibus Patientis; ut in ſputo ſanguinis, & ſuppreſſione urinæ, dictum eſt: omnino tamen diverſa dicuntur experimenta. Dogmaticus, quamvis ſibi proponat occulti morbi curam: attamen ejus naturam, virtutem permittentem, & locum affectum, ex læſis actionibus cognoſcit, & diſtinguit; quod non facit Empiricus; uti, ex læſâ reſpiratione, dicit, læſum eſſe thoracem; ex vomitu, ventriculum; ex delirio, cerebrum. Itaq; apparet inter utrumq; Analogiſmum ſufficiens differentia.

Caput. X. & ultimum.

Quomodo brevi hac methodo utendum ſit; cum additione Centũ utiliſſimarum Quæſtionum.

Modus conſultationis. HAc uſurus methodo, in Conſultatione, præcipuè primò Caſûs hiſtoriam referat: ſecundò informet diligenter Collegas, vel adſtantes; de *rebus naturalibus*, ſive de Ægri temperamento; quod, ad rationem mixti redactum, trutinâ Medicâ accuratiſſimè ponderabit, dicètque, quodnam, & in quo gradu, unum elementum reliqua exſuperet; unde eruet indicationes majores ad hunc vel illum effectum: tertiò in medium proferat *res non-naturales*, easq; ad ſuum ſcopum accommodet, aliquam, vel aliquas, ex iis, cauſas procatarcticas præfigurando: quartò ſermonem inſtituat de *rebus contra naturam*; morbo ſcilicet, causâ morbi, & ſymptomatibus: inquiſitóq; morbi genere, ad ſpeciem deſcendat; dein affectum individualè minimè relinquat anonymum: quod multi, evidentis imperitiæ & ruditatis ſuæ propalatione factitant: quintò ex cognitis rebus contra naturam indicationes ſuas eruat, dicàtq;, ſi ſit intemperies, indicari alterantia contraria; ſi morbus in ſolutâ unitate, reunientia; ſi in mala conformatione, v. g. in magnitudine auctâ, minuentia; ſi in deficiente, augentia: ſextò prognoſticum faciat vel bonum, vel malum, vel dubium: prognoſticum ſemper indicationes ſubſequi debet: nam has ſupponit vel poſſibiles, vel impoſſibiles: ſeptimò congruam remediorum materiam, ex triplici Medicinæ fonte, Pharmacevtico, Diætetico, & Chirurgico, afferat: vel, breviùs, ad quatuor ſequentia capita & conſilium, & methodica curatio, referri optimè poteſt: ut, primò, eſſentiam, & cauſam, propoſiti affectûs recenſeat; ſecundò indicationes eruat; tertiò prognoſticum faciat; quartò materiam remediorum liberaliter opponat: magnâ namq;, & pretioſâ, remediorum ſupellectile Medicum inſtructum eſſe, glorioſiſſimum eſt: ita tamen, ut nullus fiat exceſſus. Ita, in curationibus nimia ſemper remediorum, ad ditandos Pharmocopolas, & obruendos Ægrotos, multitudo, multæq; ordinationes vitentur. Non enim ille doctior eſt, qui magnas, ſed qui convenientes facit ordinationes. *Eſſentiam* autem, & *cauſam*, *morbi* eruet, uti dictum eſt, ex *rebus naturalibus*, elementis ſcilicet, & temperamentis; vel ex rebus *non-naturalibus*, ut aëre, cibo, potu, ſomno, vigiliis: vel ex rebus *contra naturam*, morbo, causâ morbi, ſymptomatibus: ſymptomata enim ſæpe malum internum, & aliàs occultum, detegunt. Eodem modo cauſa morbi, aer æſtivus,

nos deducit in cognitionem morbi caſidi, ab eo inducti: ſimiliter ex cognitione prævii unius morbi ſæpe devenimus in cognitionem præſentis: ſi, v. g. Æger febri quartanâ diuturnâ laboraverit, & jam conqueratur de dolore ſiniſtri hypochondrii, conjicimus, eſſe tumorem in liene, ſeu ſcirrhum in fieri, vel in facto eſſe. Detectâ, hiſce mediis, morbi ipſius eſſentiâ, & causâ, indicationes noſtras elicimus ſecundum illud notiſſimum: *contraria contrariis curantur: ſimilia ſimilibus conſervantur*: tandem noſtrum inſtituimus prognoſticum, uti *ſupra* dictum, & pergimus ad remediorum materiam. Nota: Medicum conſulentem breviſſimum eſſe debere, pauca dicendo, ſed acuta, & ad rem, non ad propriam gloriam, pertinentia. Mores Patientis, ad famæ læſionem, minimè tangendi ſunt. Conſulens propriæ opinioni pertinaciter inhærere minimè, ſed pluralitati votorum ſeſe in omnibus accommodare debet. Turpe etiam eſt, & proditorium, Patientibus Conſultorum vota, & opiniones, in ipſorum præjudicium, ut ii reddantur averſi, referre. Deniq; omnem proximi ſui contemptum, & ſupplantationem, à vero & Chriſtiano Medico longiſſimè abeſſe, ut hoc optimi affectûs, & ſinceri cordis pacto quietè fruantur invicem, debere judicamus.

Quæſtiones. I. Qu. 1. Utrum in ephemera, & hectica, conveniat Venæſectio? Reſp. non convenire ratione curationis: convenire tamen ratione præſervationis, ne degeneret in putridam.

Objectiones. I. Obj. Febris ephemera caret cauſa internâ: ergo etiam præſervativâ caret indicatione. Reſp. non concedi venæ ſectionem ratione febris ephemeræ, vel ejus cauſæ internæ, quâ cauſa eſt; ſed tantùm ratione futuræ alicujus putridæ.

II. Qu. 2. Quomodo ſeſe gerendum in dubiis evacuationum caſibus? ℞. ſi, v. g. ſit fluxus aliquis, dicendum eſt, rem eſſe primâ fronte dubiam: nam ſi criticus ſit fluxus, conſiderandum eſt, an perfectus ſit, an imperfectus: ſi perfectus, ſinendus: ſi imperfectus, promovendus; ſi ſymptomaticus, ſiſtendus; quo ceſſante, & febre adhuc durante, mittitur ſangvis.

Qu. 3. Si exanthemata appareant quarto die, quid faciendum quoad venæ ſectionem? Reſp. non convenire venæ ſectionem, ne motus naturalis retardetur; adeoq;, ut promoveatur, applicentur cucurbitulæ dorſo & ſcapulis: ſi verò non appareant exanthemata quarto die, res eſt dubia, mittiq; poteſt ſangvis, ſed cum majori virium periculo. Id quod dicunt doctiſſimi Patavini, de Variolis. Interim ſemper bene attendendum eſt ad motûs naturæ; utrum perfecti ſint, an imperfecti; nam illi ſinendi; hi promovendi ſunt. III.

Qu. 4. Si febris adſit cum ſyncope, lipothymiâ, aut cardialgia, quid faciendum quoad ſangvinis miſſionem? Reſp. accidentia illa prohibentia priùs eſſe corrigenda; dein, ſi febris adhuc perſeveret, venam eſſe ſecandam. IV.

Qu. 5. Si puer 4. aut 5. annorum laboret variolis, utrum vena ſit ei ſecanda? Reſp. id quotidie hîc Viennæ feliciſſimè practicari. Idem facimus cum gravidis; attamen ex remotiſſimis ab utero venis. V.

Qu. 6. In plevritide, anginâ, phrenitide, quoties mittendus ſit ſangvis? Reſp. usq; ad doloris, & caloris, remiſſionem; immo in plevritide non raro octies ſangvinem mittimus. VI.

Qu. 7. In phrenitide licétne ſangvinem retro aures mittere? Reſp. ratione derivationis concedo: non verò ratione revulſionis. VII.

Qu. 8. Quid de Apoplexia, Caro, Comate, Hydrope, Phthiſi, Dyſenteria, quoad venæ ſ. cenſendum? ℞. In affectibus ſoporoſis, ſi Patientes ſint temperamenti calidi & humidi, fieri poteſt, ut affectus à ſangvine foveatur; adeoq; ſangvis mittendus eſt; in minori tamen quantitate: in hydrope verò ſecanda vena non eſt, ob ſangvinis paucitatem: in phthiſi non convenit, niſi in principio, & Æger ſit temperamenti calidi: in dyſenteria quoq; non convenit, niſi adſit magna inteſtinorum inflammatio, corpúsq; ſit ſangvineum, vel in corroſione magnorum vaſorum, pro revulſione. VIII.

Qu. 9.

IX. Qu. 9. Quotupliciter melancholia, v. g. in quartanâ; & ſangvis bilioſus, v. g. in pleuritide, ad bene curandum conſideratur? Reſp. Melancholia primò conſideratur, ut ex toto putrida; & ſic indicat eradicans; quia eſt toto genere contra naturam, & ad meliorem ſtatum ampliùs redigi non poteſt: vel ut eſt in via ad putredinem; & ſic indicat prohibentia: prohibetur autem, tollendo cauſam putredinis, quæ eſt prohibita tranſpiratio, facta ab obſtructione, copiâ, craſſitie, viſciditate, ac lentore: hinc indicantur evacuantia, attenuantia, detergentia, & incidentia. Bilioſum ſangvinem in plevritide quod attinet, illum dupliciter conſideramus: aut ut fluit; aut ut peccat quantitate, qualitate, aut ſubſtantiâ: ſi peccet ſubſtantiâ, eradicandus eſt; ſi qualitate, alterandus; ſi quantitate, minuendus: ut fluens, indicat prohibentia: prohibetur autem revellendo, repellendo, derivando, & intercipiendo; ita tamen, ut repellentia locum non habeant in apoplexia aut epilepſia, ob materiæ craſſitiem, & partis nobilis viciniam: ita in pleuritide repercutientia materiam magis impingunt.

X. Qu. 10. Utrum indicationes vitales tantùm facultatem vitalem, & ejus ſubjectum, v. g. cor, reſpiciant; an alias etiam corporis noſtri partes, v. g. caput, hepar, lienem, uterum? Reſp. Indicationes, quæ à viribus deſumuntur; dupliciter eſſe conſiderandas; ſcilicet ratione totius, & ratione partis: ratione totius indicantur alimenta boni ſucci, facilis concoctionis & diſtributionis, pauci excrementi: uti enim contraria contrariis curantur; ita ſimilia ſimilibus conſervantur: ratione partis indicantur medicamenta ſimilis temperaturæ, modicè adſtringentia, & partem corroborantia. In omnibus autem febribus, cùm cor principaliter laboret, tanquam ſubjectum principale, & primarium omnium febrium, indicantur cordialia: ſi eſt tertiana, indicantur hepatica; ſi quartana, ſplenetica; ſi quotidiana, ſtomachica.

XI. Qu. 11. Utrum bene faciat Medicus, inſanabiles morbos aggrediendo? Reſp. intolerabilem abuſum eſſe, multis medicamentis morbos deploratos, veluti tabes conſummatas, phthiſes, ſcleroſes interiores, cancros occultos & confirmatos, & ſimiles affectus, cum promiſſione certâ reſtituendæ ſanitatis, aggredi; quia non tantùm in melius Ægrotos non reducunt, ſed etiam in pejus præcipitant. Hipp. *6. aph. 38.* ait: Cancros occultos melius eſt, non curare: curati enim citius pereunt; tales autem morbos qui curare ſatagunt, ſunt plerumq; aut gloriæ, aut pecuniæ, avidi; vel id ob doctrinæ & cognitionis imperitiam factitant. Præſtat itaq;, in ſimilibus talem victûs rationem ordinare, ex qua viribus ſuppetiæ ferantur, dolores & ſymptomata ſedentur, & morbo omne præſcindatur incrementum. Nec obſtat, quòd dicit Princeps Avicennas, *4. quarti tit. 2. cap 10.* à rationali curâ non deſiſtas, quoniam multoties aliqui ſanantur, abſque ſpe aliquâ, mirabiliter. Nam de talibus non intelligendus eſt, ſed potiùs de curâ aliquâ rationali quidem, ſed palliativâ: quam neq; nos ex toto rejicimus.

Qu. 12. Cur tam multi à principio morbi tam tenuem præcipiant victum; cùm tamen Hipp. *de victûs ratione in acutis*, dicat, niſi cibi faſtidium adſit, craſſiori victu utendum eſſe in principio morbi, ac demum, morbo invaleſcente, ita paulatim attenuandum, ut parum, aut etiam nihil, cibi coctionis tempore Ægro exhibeamus: plurimi tamen in ſtatu ova, & ex carnibus contuſa, exhibent. Reſp. ſi adſit cibi faſtidium in principio morbi acuti, tenuiſſimo victu utendum eſſe, quouſque ad ſtatum pervenerit: ſi verò abſit cibi faſtidium, viam Hippocratis obſervandam eſſe. XII.

Qu. 13. Utrum carnes, & ova, febricitantibus exhibenda non ſint, præcipuè aſſvetis: *nam ſubitaneæ mutationes ſunt maximè noxiæ*? Reſp. abuſum eſſe, carnes & ova febricitantibus concedere, quæ facillimè corrumpuntur: nec putandum eſt, Ægrotos ptiſanâ, panatellis, pane cocto, oryzâ, panico, pomis, py- XIII.

ris, prunis &c. aliquot diebus ſubſiſtere non poſſe: nam ſæpius vidimus, aliquot annis in carceribus detentos, ſolo pane & aquâ cibatos, non tantùm vixiſſe, ſed &, è carceribus eductos, reliquis fuiſſe pingviores: cur ergo diebus aliquot tali victu ſubſiſtere non poſſent Ægroti, ne natura, cibi copiâ onuſta, morbi coctioni incumbere deſinat?

XIV. Qu. 14. Galli decoctum cruris vituli pro potu ordinario; Germani contuſa pro cibo exhibent: utrum bene? Reſp. primum tranſire poſſe: de altero *ſuperiùs* dictum eſt.

XV. Qu. 15. Quid de oleribus cenſendum ſit in morbis: v. g. de ſpinachiis, caulibus, rapis, lactucâ, endiviâ, lupulo, cichorio, bugloſſa? ℞. hæc omnia Ægris cum animadverſione conſulenda eſſe: caules enim, & rapa, ſuccum perverſum generant: reliqua cibi medicamentoſi loco eſſe poſſunt.

XVI. Qu. 16. Quid de vino Ægris exhibendo ſentiendum ſit? Reſp. licet Cardanus, *in methodo medendi*, vinum Ægris negantes graviſſimè taxet, eò, quòd hoc coctiones adjuvet; dicatq; ſeſe pleuritico vinum exhibuiſſe, eumq; curaſſe, item multos peſtiferè laborantes vini potu liberaſſe: attamen in febribus acutis & continuis, in phlegmone, inflammatione, & vehementi capitis dolore, in delirio, in plevritide, angina, & ſimilibus, vinum meritò interdicimus; in febre quartanâ verò, cùm cauſa ſit frigida, diebus intermiſſionis dilutum non negamus.

Qu. 17. Quid de melonibus cenſendum ſit, præcipuè Italicis, & Hungaricis, quibus affatim, & à crepa panſa (ut ait Italus) tam Ægri, quàm ſani, veſcuntur? Reſp. Quamvis Hipp. *aph. 38.* dicat, quòd *parum deterior cibus, aut potus, ſed ſuavior, melioribus, & minùs ſuavibus, ſit præferendus;* melones autem tam odore, quàm ſapore, gratiſſimi ſint: dum conſidero radicis parvitatem, & eximiæ magnitudinis ſtipitem; quòd in terra ſemper jaceant, ex eaque pravos & terreſtres humores, velut fungi, attrahant; quòd ab omni aëris qualitate illico permutentur, & quamlibet ejus corruptionem facillimè participent; quòd incrementum capiant velociſſimum; nihil aliud concludere poſſum, quàm quòd ſit putridus, vel putredini proximus, terræ humor, alienâ qualitate coloratus, & vitioſiſſimus, ſtomacho, jecori, ſpleni, inteſtinis, pulmonibus, renibus, veſicæ &c. maximè noxius: unde dolores, vomitûs, lienteriæ, dyſenteriæ, diarrhœæ, febres putridæ, & malignæ, plurimaque alia talia mala oriuntur. Adde, quòd nulli potui appoſitè jungatur: ſi enim vinum ſuperbibatur, humores peſſimos generat, jecori & renibus maximè obeſt, eorumq; inflammationes gignit: ſi aqua ſuperbibatur, inteſtinorum difficultates, & appetitûs dejectionem, poſt ſe reliquit: & quis neget, fungos, & boletos, gratioris eſſe ſaporis, quàm cichorium, vel hordeum, & ſuâ illa pernicie longiſſimè ſuperare? Adeoque ſummus eſt Hungarorum abuſus, qui melopepones, & cucurbitas Turcicas, in calore febrili, ad refrigerandum, copioſiſſimè eſitant.

Qu. 18. Quid de iis cenſendum ſit, qui uberiorem in cænâ, quàm in prandio, cibum præſcribunt? ℞. exceſſus graves, qui in prandio committuntur, leviùs ferri, quàm qui in cænâ: præcipuè, ubi per vomitum rejicienda ſunt aſſumpta, nunquam priùs dormiendum eſt: & quis ſuaderet, aſſumpto veneno dormiendum eſſe? Ita melius eſt, ut, factis forſan gravibus, in cibo, aut potu, exceſſibus, non dormiatur, ſed aſſumpta vel mox rejiciantur, vel exercitio conſumantur; quod à prandio commodiùs fieri poteſt: non tamen conſvetudo, longo tempore habita, derepente mutanda eſt, ne plus detrimenti, quàm adjumenti, ex ordinatiori vivendi more conſequatur. XVIII.

Qu. 19. Cur quidam, dum largiùs comedunt veſperi, noctu dormire non poſſunt? ℞. vel eos ſicciori eſſe cerebri, vel tantùm eſſe malam conſvetudinem. Nam quoſdam vidimus, qui, poſtquam ſat violenter, per octo, vel plures, dies à cæna abſtinuiſſent, ex primis diebus pertur- XIX.

perturbatas haberent noctes, attamen poſtea quietiſſimè dormiverunt, & magis inculpatâ valetudine, quàm unquam antè, potiti ſunt: immò, qui in declinatione ætatis penitus à cæna abſtinent; & meliori valetudine fruuntur, & plerumque ſuos annos prolongant.

XX. Quæ. 20. Utrum melius ſit, frequentiùs uti medicinis; an non? Reſp. nos minimè eorum Medicorum conivetudinem approbare, qui, leviſſimam ob cauſam, tenuiſſimum victum, & medicamenta purgantia, præſcribunt: v. g. in catarrhis membrorum, necnon ſtomachi doloribus, ephemeris ſpontaneis, flatibus &c. natura enim, multis medicamentis onerata, fit pigrior; & gravius ſæpe eſt malum, quod à medicina infertur, quàm bonum, quod ex ablato morbo provenit: adeoq; ſæpius optimè Medicus ſuas partes egit, perfecitque, qui ſuos ſolâ victûs ratione, ſed convenienti, citra multas medicinas, ad longum tempus produxit. His tamen non negaverim, imminente gravi aliquâ infirmitate, quæ ex laſſitudine totius corporis, nauſeâ, ſomniis turbulentis &c. conjecturari facilè poſſunt, medicinas præſervativas eſſe adhibendas.

XXI. Quæ. 21. Utrum copioſiùs alendus ſit, qui morbo incurabili, quàm qui curabili, laborat? Reſp. cum Cardano, eum, qui morbo incurabili laborat, eſſe copioſiùs alendum. rationem addo, quia morbus inſanabilis plerumque diuturnior: deinde natura illi vincendo ampliùs occupata non eſt; hinc etiam plus digerere poteſt.

XXII. Quæ. 22. Utrum piſces febricitantibus dari poſſint potiùs, quàm carnes; cùm ab eſu illorum plerunq; magis ſitiamus; cui experientiâ adſtipulatur Rhazes, *in 3. ad Almanſorem cap. 16.* dum ait, omnes piſces eſſe duræ digeſtionis, & longam moram in ſtomacho trahere, & ſitim facere? Reſpond. cum Galeno, *ad Glauc. cap. 10.* piſces probari in febribus tertianis & quartanis, eò, quòd facilè coquantur: adeóque carnibus præferri: Rhazes autem, dum piſces duræ ait eſſe digeſtionis, intelligendus eſt, feciſſe comparationem cum cibis facilioris concoctionis & diſtributionis; non verò abſolutè id aſſeruiſſe.

Quæ. 23. Qui igitur ſunt inter alios illi Piſces, qui in febribus præſcribi poſſunt? Reſp. ſaxatiles, ſundulos, gobios, lucios, trutas, perſicas, auratas (quales habet Excellentiſſimus Comes de Nadaſti, in Pottendorff &c.) reliquis præferri. XXIII.

Quæ. 24. Quid ſit cenſendum de Aquis deſtillatis? Reſp. Si tales aquæ deſtillatæ præſcribuntur, quæ nec odorem, nec ſaporem, herbæ, ex qua deſtillatæ ſunt, habent, uti eſt aq. abſynt. quæ dulcis eſt; aut quæ ex cupreis, aut æneis, vaſis exſtillarunt, unde non tantùm empyrevma, ſed & acrimoniam, vel malignitatem venenatam, contraxerunt; ſummus eſt abuſus: adeóque iis decocta, quæ perperam pro lixiviis à quibusdam habentur, præferenda ſunt. XXIV.

Qu. 25. Quando à principio purgatio eradicativa exhibenda ſit? Reſp. Uti exitiale eſt, nō turgeſcente materiâ eradicativè purgare; ita, eàdem verſus inferiora inclinante, & turgente, non purgare, longè magis mortiferum eſt. XXV.

Qu. 26. Utrum à principio ſemper cura à levioribus ſit incipienda? Reſp. Quamvis etiam alibi hunc nodum ſolverimus: dico tamen, Avicennam, *4. prim. cap. 1.* & Hippoc. *1. aph. 6.* it. *4. aphr. 10.* ubi habet, *extremis morbis extrema exquiſitè remedia optima eſſe*: &, *medicari, in valde acutis, eadem die; nam in talibus tardare, malum*; imitandos eſſe. Deinde, ut cura ſit proportionata, non eſt à levioribus, ſed ab æqualibus, inchoanda; uti Galen. *3. de ſemper.* teſtatur. Hinc malè ſit, ſi maximos morbos lactucis, aut endiviâ, curare annitamur, falsò poſt Ægrorum obitum nobis perſvadentes, noſtrâ eos culpâ non interiiſſe, ob medicamentorum exiguas, & innocuas vires. Ad hoc enim, ut Medicus interfectoris nomen mereatur, ſufficit, ſi morbum eo, quo debuit, modo non ſit aggreſſus. Dico itaq; Tibi toties illud, à noſtris Protoparentibus inculcatum: *magnis morbis magna deberi remedia.* XXVI.

XXVII. Qu. 27. Quid de cunctatoribus cenſendum, qui, occaſionum nullam penitus habentes rationem, omnia procraſtinant, & venæſectionem, & purgationem &c. dicunque, ſuum naturæ curſum eſſe relinquendum, & craſtinum ſemper exſpectandum? Tales enim multos novi, qui per hoc prudentes, & circumſpecti eſſe, & videri volunt, alióſque vocant præcipites. Reſp. ejusmodi teſtudineos cunctatores & Hippocrati, & Galeno, maximè contrariari, qui, occaſionem præcipitem fronte capillatâ arripiendam eſſe, cenſuerunt. Quin & hi mihi ignorantes eſſe videntur, qui nullam morbi habent notitiam, & cùm primâ ſtatim fronte, ob inſciciam, operari nihil poſſint, ſub titulo longanimitatis, & providentiæ, uſum remediorum tamdiu procraſtinant, donec morbus altas egerit radices, ac

——— ſero medicina paretur,

cùm mala per longas invaluêre moras.

Annon verò tyranno, & carnifice, crudelior eſt ille, qui in plevritide, anginâ, phrenitide, febribus continuis & ardentibus, venæſectionem vel differt, vel, cum capitoſo illo Helmontio, planè intermittit? Qui die intermiſſionis captâ occaſione, in tertianâ, v. g. bilioſâ, minorativum non tentat? Qui in magnâ alvi conſtipatione clyſterem, vel lenitivum negat à principio, ſub ſpecioſo hoc titulo, ne humores agitet?

2. Obj. 2. Albucaſis, *l. 2. cap. 4. in principio*, minorativum die intermiſſionis ſeverè prohibet: ergo malè paſſim exhibetur, Venetiis, & Mediolani, elect. de ſebeſten, trochiſci de violis ſcammoneati, Viennæ aq. laxat. D. Mannagettæ, elect. de tamar. caſſia &c. nos ipſi ſæpe in febrium curatione exhibemus pil. Tartareas Schröderi; cùm tamen Hipp. dicat, *concocta medicanda eſſe: deinde, corpora, ſi purgare volueris, fluida facere oportere*: tertiò ſimile illi fit, dum bubones crudi aperiuntur: tunc enim, ſi adſit malignitas, Patientem necant, aliàs curam difficillimè recipiunt. Reſp. ipſa medicamenta fere rationem lenitivorum habere: adeoque quaſi lenitiva, aut minorativa, dantur: & quamvis tunc temporis materia ex toto concocta non ſit; ſemper tamen aliquid materiæ concoctæ reperitur, quæ educi poteſt: natura enim otioſa non eſt: &, ſi diagrydium quandoque ejusmodi medicamenta recipiant, tam parum eſt, ut tantùm ſtimuli munere fungatur. Similitudo autem illa à bubone ducta valde claudicat: damnum enim, quod ex ejus inciſione oritur, multò majus eſt; ſiquidem morbus in ſolutâ unitate oritur, qui antè non erat, dolores & calores geminantur, qui ex prædicta evacuatione minimè pullulant. Quòd verò difficiliùs leniantur corpora, veluti horum, qui caſtaneas ſæpe vorant, opusque ſit, ſolutiva lenitivis addere; eſt, quòd hæc corpora magis denſa ſint, ob frigus ambiens intenſius, & alimenta Solis calore minùs digeſta, quàm erant, ubi Rhazes, talia prohibens, lege contradicentium Medicorum, vivebat.

Quæ. 28. Quid ſentiendum de iis, XXIIX. qui in ſtatu multum cibant; immo etiam quandoque purgant? Reſp. Utrumque ita pernicioſum eſt, ut pernicioſius eſſe poſſit nihil. Nam Hippocr. *2. aphor. 29.* & *1. aphor 11.* item *1. de regimine acut.* & alibi, de purgatione loquens: melius eſt, inquit, quietem habere: dein; in acceſſionibus ſubtrahere oportet: dare enim tum, eſt lædere: ubi de Cibatione diſcurrit. Abſit itaque, ut Medicus potiùs hominum qualesquales calumnias, quàm ſuam, & proximi ſui, curet ſalutem: nam adeò cæcus, & ignorans, nullus eſt futurus, qui neſciverit, ſeſe, talia agendo, multò magis Patientis accelerare perniciem, turpique labe ſuam deturpare conſcientiam: idque ſolùm facit, ne mulierculis otioſus deſidere, aut nihil ad morbi curam facere videatur.

Quæ. 29. Utrum in declinatione XXIX. morbi ſemper ſit purgandum; ut paſſim fieri videmus? Reſp. negativè: cùm enim non omnes morbi per alvum terminentur, & naturæ inclinationem ſequi debeamus; ſi per ſudores

ſudores inclinet, diaphoretica; ſi per urinas, diuretica; ſi per vomitum, medicamenta emetica; ſi per ſangvinis profluvium, ejus evacuationem promoventia; ſi per bubones, abſceſſus, aut ulcera in partibus ignobilioribus, illuc trahentia præſcribenda ſunt; ne, dum natura ſalubriter materiæ, per loca convenientia, tentat evacuationem, per medicamenta purgantia eandem concentremus, & ſic hominem occidamus.

1. Obj. 3. Circa hanc reſponſionem Avicenn. *1. 4. tr. 2. c. 7.* ait: cùm natura non movet, move Tu, horâ motûs ejus: item, *quart. prim. cap. 4.* & febrem quidem habentis ventrem ſolvere ſatius eſt. Ergo purgandum eſt. ℞. per motum hîc non tantùm intelligi motum per inferiora, ſed quemlibet motum: deinde, quando ait de ſolutione ventris in febribus, intelligendum eſt per vomitum.

XXX. Qu. 30. Utrum medicinæ benignæ, veluti manna, caſſia, tamarindi, rhabarbarum &c. ut vulgò putatur, tutò ſemper adhiberi poſſint? ℞. negativè: ſi enim materia expurganda ſit craſſa, aut melancholia, tantùm tollunt illud, quod magis ſubtile eſt; craſſum verò, immorigerum, & indilutum, relinquunt. Itaque, ſicut non ſemper tutum eſt, medicinis fortioribus, & vires exſolventibus, uti; ita non ſemper expedit, leves medicinas ordinare, quæ morbos relinquunt deteriores.

XXXI. Quæ. 31. Utrum bene faciant Medici, negantes, ſui eſſe officii, univerſam Medicinam exercere: qui puerorum morbos mulierculis, dentium dolores tonſoribus, ulcera, vulnera, collectiones, Chirurgis, oculorum vitia circumforaneis, ramicem, ſeu rupturam, circulatoribus, puerperarum morbos obſtetricibus, Gallicam luem impoſtoribus, luxatos, fractosque articulos, carnificibus relinquunt? Reſp. eos nec Hippocratem, nec Galenum, nec Avicennam imitari, qui univerſæ Medicinæ præcepta ad amuſſim tradiderunt: hinc Galenus, *in primis artis curativæ libris*, totam curandi methodum à Chirurgicâ ratione aſſumpſit: unde etiam oſſa è capite, lenticulari ferro, abſque terebratione, extrahendi artem docuit: herniam, puerperarum, infantúmque paſſiones accuratè deſcripſit: idem fecerunt reliqui. Quâ igitur conſcientiâ hanc agendi provinciam rudiſſimis deceptoribus tradere, aut committere poterunt? Verùm dicent fortaſſe, ſufficere, ſi ſe ſpectatores præbeant, & victûs rationem præſcribant. Reſp. non eſſe ſpectatores, ſed potiùs diſcipulos, qui, rei ſubſtantiam ignorantes, impoſtorum leges ſequi coguntur: & quomodo veram ordinabunt diætam, cùm nullam affectus habeant cognitionem? Mutilus itaque eſt Medicus, qui omnia prædicta propriis manibus, & induſtriâ, perficere ſibi non confidit; longeque honeſtius & laudabilius eſt, ut ſit actor, quàm ſpectator; agenda omnia jubeat, quàm jubeatur.

Quæ. 32. Utrum Medicus debeat eſſe ſcrupuloſus, in diſquirendis minimis? Item utrum audacia, an timor, compaſſio, & miſericordia, in Medico præferri debeat? Reſp. Ad primum: illum, qui minima quæque in conſiderationem trahit, ut accuratiſſimus videatur, ſæpiſſime maximè neceſſaria ſicco pede præterire, ac mentham & anethum decimare; uti ait Avenzoar, *in theſi tract. 10. cap. 8*, & graviora legis derelinquere; quibus etſi intenſiſſimus ſit, vix tamen eſt ſuffecturus. Reſp. ſecundò: ſicuti nimiam damnamus audaciam; ita nimiam calculo planè nigro notamus puſillanimitatem. Medicus enim debet eſſe cordatus, & præcipites occaſiones fronte arripere capillatâ; nec mitem nimis eſſe oportet Medicum: nam fertur diverbium, *Chirurgus miſericors, ulcus ſordidum.* Itaque nec timidus ſit, nec miſericors, nec talis Politicus, qui, ex metu offenſionis, Ægrum potiùs patiatur mori, quàm ut vel ipſum, vel aſſidentes, in contrariam ſententiam inclinantes, offendat. XXXII.

Quæ. 33. Utrum frictiones in omnibus affectibus, veluti Celſus, & Cardanus, aiunt, conveniant? Reſp. Sicuti in omnibus affectibus, calidis ſcilicet, XXXIII.

ſcilicet, & inflammationibus, non competunt; ita putaverim; hac hominum ætate nimis rarò adhiberi; cùm poros aperiant, venarum obſtructiones reſerent, ſangvinis circulationem promoveant, coloremque, veluti in pallidis virginum coloribus, calorem ſcilicet ſuffocatum excitando, reſtaurent.

XXXIV. Qu. 34. Utrum bene faciunt plebeij, immò etiam nonnulli Medici, qui primam ſemper, & maximam, ventriculi curam habent? ℞. Quamvis fruſtra ſæpe ventriculi dolor, qui per ſympathiam oritur, uti in hypochondriacis, curetur: attamen Gal. *10. ad Glauc.* in cura tertianæ nothæ, & quotidianæ, conſuluit, ventriculo laboranti præſidia tum externa, tum interna, admovere: neque etiam negamus, ſæpe ventriculo providendum eſſe; attamen ſemper mali radix examinanda, eique ſecuris apponenda. Hinc Medicos hic damnamus, qui, ut expertiſſimi videantur, ingentem medicamentorum farraginem præſcribentes, totum fere corpus emplaſtrant.

XXXV. Qu. 35. Quomodo illud Galeni, *libro de hirudinibus*, intelligendum ſit, cucurbitulas non, niſi evacuato corpori, convenire? Reſp. Galenum intelligendum eſſe de cucurbitulis ſiccis majoribus, quæ, impuro exiſtente corpore, v. g. hepatis regioni, in hæmorrhagia, applicatæ, ejusdem ſcirrhum cauſare facillimè poſſunt: nam ſcarificatæ partibus, non purgato corpore, ſæpius applicantur, uti buboribus, cæteriſque abſceſſibus, ut materia foras trahatur.

XXXVI. Qu. 36. Utrum in plevritide ſecanda ſit vena in parte affecta, an adverſa, vel in pede? ℞. Hanc quæſtionem, *cap. de Plevritide*, à nobis reſolutam eſſe.

XXXVII. Qu. 37. Utrum bene faciant, qui tam parcè ſangvinem in hæmoptyſi dehrahunt? Reſp. eſſe contra Galenum, qui ad inflammationem, & abſceſſum, & puris ſputum, mortemque ipſam præcavendam, copioſiſſimã ſangvinis præſcribit evacuationem: & hæc eſt unica illa ſalutis via, & ratio, de qua *Thucydides, c. 10.*

Qu. 38. Utrum univerſaliter verum ſit illud Hippocratis, *4. aphor. 25. Sangvis quidem ſupra excretus, qualiscunque fuerit, malum?* Reſp. aliud eſſe ſputum, aliud florem; hic periculoſus eſt; illud vacat periculo; ſi enim ſputum in tabifico non ſit, periculoſum non eſt, præcipuè ſi non ſit copioſum, nec ſaltû, nec acre, nec cum corroſione; ſi proveniat vel ex capite, vel ex collo, ſitque phlegmati junctum; tali ſputo videtur laboraſſe Plautus, *in Mercatore*, abſque periculo. Periculoſus autem eſt ſangvinis ſpumoſi, & quaſi bullientis, fluor, vel ob magni alicujus vaſis anaſtomoſin, vel corroſionem, vel rupturam: hunc facilè, niſi præveniatur, puris ſputum, & tabes, ſubſequitur. XXXVIII.

Qu. 39. Utrum bene Pulveres Cordialis cibis commiſceantur? Reſp. negativè.: Avenzoar, *theſi 1. c. 1.* ait, qui Theriacam ſumpſerit, vel ſmaragdum, non ſumat cibos, niſi poſt ſeptem horas: dicoque ego, me nullum hactenus Authorem legiſſe, qui hanc curam præſcribat; cùm, ſi diutius unà cum cibis retineantur, omnes vires amittant: ſicut & ipſa venena, ſi citò transeant, compacti, & coagulati, metas faciunt obſtructiones: adeoque illorum exhibitionem unà cum cibis minimè approbamus. XXXIX.

Qu. 40. Utrum Species de Gemmis frigidæ, aut alia refrigerantia, conveniant in febribus peſtilentibus, aut malignis? Reſp. licet Galen. *5. artis curat.* & *9. de ſimpl. med.* & alii Antiqui, bolo ſuâ, tanquam unico aſylo, refrigeraverint, hunc tamen curandi modũ à Nobis minimè approbari. Refrigerantia enim poros omnes occludunt, & conſtipant, diaphoreſinque omnem præcludunt; unde malignitas expirare nullo modo poteſt; adeoque lupus in ſtabulo repagulatur: quomodo ergo hîc bolo Armenæ locus eſſe poterit? Species de gemmis frigidæ tantum nocumenti afferre non poterunt; cùm iis non adeò multum de refrigerantibus, utpote de ſem. melon. adjunctum ſit: ſatius tamen eſt, pulveres alios cordiales, ad calorem magis vergentes, præſcribi. Sed de his pluribus *in Praxi noſtra.* XL.

Qu. 41.

XLI. Qu. 41. Utrùm bene faciant Medici, qui medicinæ datæ operationem non exſpectant, ſed alia iterum atq; alia, unum poſt aliud ſuperingerunt? Reſp. Licet Princeps Avicen. *quart. prim. cap. decim.* dicat: *& cùm medicamentum non juverit, permuta te ad aliud:* addit tamen, & Nos cum illo, omnino tempus exſpectandum eſſe, quouſque operari poſſit, nec naturam in operatione ſua præcipitandam.

XLII. Qu. 42. Utrùm bene faciant, qui in omni dolore ad ſtupefacientia procedunt? Reſp. ad ea non facilè accedendum eſſe, præcipuè ſi cauſa ſit frigida, vel à morbo Gallico: magis enim refrigeratur natura, & materia magis à coctione recedit, & impacta redditur: quin immò, ſi ad cauſam frigidam accedat ſtupefactio magna, tunc facilè in comatoſum affectum, aut ſomnum perpetuum, lapſurus eſt Æger.

XLIII. Qu. 43. Utrùm in ſummis doloribus, uti paſſim fit; ne vires dejiciantur, non mittendus ſit ſangvis? Reſp. peſſimè intermitti venæſectionem in ſummis doloribus, qui à repletione fiunt; ſi enim diu permittantur dolores, inflammationem excitant. Immo Galenus, *de præſag. ex puls.* usque ad animi deliquium mittit, & *1. aphor. 23.* Nec obſtat, quòd *1. ad Glauc. c. 14.* contrarium aſſerere videtur: ibi enim intelligendus eſt de doloribus, vel potiùs accidentibus, quæ ſunt febrium ſymptomata.

XLIV. Qu. 44. Utrùm ſit melius, partitis vicibus; an unâ vice, idque copioſè, ſanguinem mittere: item utrùm bene faciant, qui pilulas ante cœnam, vel una cum cibis, vel poſt cibos, exhibent? Reſp. In paucitate ſangvinis, & debilitate corporis, veluti erat apud Arabes, qui, ob intenſum patriæ calorem, parum habebant ſangvinis, erantque magis debiles & exoluti, melius eſt, partitis vicibus mittere ſangvinem: in iis verò, qui plethorici ſunt, & quorum vires unam pluribus æquivalentem venæſectionem facilè tolerare poſſunt, unâ vice tantum ſangvinis extrahendum eſt, quantum opus: natura enim, dum toties movetur, ab ulteriori humorum coctione deſiſtit, & perturbatur: accedit deinde periculum, ne naturâ, quæ forſan jam evacuationem per aliam viam, v.g. menſes, urinam, alvũ, ſudores, &c. moliebatur, retardetur. Si verò unâ vice tantum extrahi non poſſit, fiat pluribus; ſed conſideratis diligenter conſiderandis. Ad ſecundum ℞. pilulas ante cœnam, vel unâ cum cibis, vel poſt cibos, inconvenienter exhiberi. Si enim unâ, vel duabus, ante cœnam horis ſumantur, cibi ſubſequentes earum vires infringunt, & pilulæ cibos inficiunt, eoſque crudos è ventriculo educunt; unde obſtructiones infallibiliter generantur: ſi unà cum cibis exhibeantur & ſumantur, omnia perturbantur; ſi poſt cibos, non minores prædictis noxas inferunt.

Qu. 45. Utrum Medicus facilè Ægros deſperatos deſerere debeat; cùm tales quandoque, levi adhibito, à Circulatore, vel vetula aliquâ, remedio, cum ſummâ Medicorum ignominia, ſanentur? Reſp. Quando Galenus dicit, deſperatos prognoſtico eſſe relinquendos, non intellectum illud vult quoad partem Diæteticam, ſed quoad Pharmaceuticam, quæ fortiora cathartica præſcribit. Eſt enim impium, hominem omni auxilio privatum, & deſolatum relinquere: præcipuè cùm non rarò, vel ruptâ phlegmone, vel ob latentem cauſam, vel aperto meatu corporis, vel permutato medicamine, vel ultimo naturæ conatu, Ægrum à morte liberari & revocari contingat. Sunt quidam omni adeò Chriſtianâ charitate nudi, ut, noviter ad valde infirmos vocati, eos adire renuant; qui, meo quidem judicio, peſſimè faciunt: accedant itaque, ſed cum ſcitu, & præſcitu, ordinarii Medici, quem ad ſuam præſentiam, conſultationis causâ, convocari jubeant, adſtantibus de præſenti periculo, & futuris eventibus, XLV.

infor-

informationem dent, omniq; modo animæ cum Deo procurent reconciliationem.

XLVI. Qu. 46. Cur apud Antiquos Acidularum, & Thermarum, potus tam rarus fuerit: jam verò ſit tam frequens? ℞. Veteres medicamenta, quæ corrigi, & naturæ aptari non poſſunt, non facilè ordinaſſe; qualia ſunt aquæ minerales, quas validiſſimas eſſe exiſtimabant. Moderno tempore Medici, ne ſua gloria fiat aliena, dum circa morborum curas cæcutiunt, ad aquas minerales ſuos amandant; ſed quo ſucceſſu, conſulantur veſpillones, & funeratores. Non negaverim tamen, & mihi, & aliis, aquas minerales uſui fuiſſe; ſed cum grano ſalis ordinatas.

XLVII. Qu. 47. Quid cenſendum ſit de illo Rhazis, *4. in Almanſorem, c. 15.* ubi ait, aloem gratam eſſe ſtomacho; cùm tamen omne catharticum ſit ſtomacho inimicum, cùm aloe humiditatem nativam conſumat, & tabefaciat? ℞. Rhazen intelligendum eſſe comparativè, non abſolutè: nam per hoc intendit ſignificare, aloem inter alia cathartica minùs eſſe noxiam; quod vehementer ſiccet, certum eſt; hinc etiam prohibetur ſenibus, & macilentis.

XLVIII. Qu. 48. Quomodo igitur potuit Montagnana 40. annis; Sereniſſimus Bavariæ Dux 20. annis, cum ſummo ſanitatis emolumento pilulas ſumere? ℞. eos humidos & phlegmaticos fuiſſe, adeoq; iis non nocuiſſe; vel ab aſſuetis non fuit paſſio: quòd autem ab aliis morbis præſervati fuerint, inde proveniſſe videtur, quòd aloë, myrrha, & crocus, quæ forſitan illarum pilularum fuerunt ingredientia, corpus à putredine præſervarint: ſi enim cadavera ejuſmodi amaris à putredine præſervantur eò, quòd humiditates, & ichores mixti deſtructivos conſumant, & vermes arceant; mirum non eſt, ſi ſimilia in corporibus viventibus cauſaverint.

XLIX. Qu. 49. Utrum bene ordinentur tot medicamenta, & venæ ſectiones, in vere; cùm tamen Galenus, *libro de ſanguinis miſſione, dicat: intemperatos autem neq; minues, neq; purgabis*; plus enim erit, quod ex victu intemperato acervabunt, quàm tu medicamento, vel minutione ſanguinis, detrahes? Inde videtur provenire, quòd tam multi poſt vernalem curam infirmentur: deinde idem obtrudunt Mulierculæ, dum dicunt; man muß nicht riegelen: ergo ſaltem tangi non debent? ℞. cum Hipp. *6. aph. 47. & 7. aph. 54.* quibus vel minutio, vel purgatio, convenit, hos purgare, vel minuere, verè conveniet. Ad Galenum quod attinet, intelligendus eſt, intemperatos, manente eâdem diæta, non eſſe medicamentis tractandos: hinc mutatâ & emendatâ Medici præceptis diætâ, purgari poterunt; immò præ reliquis opus habent.

Qu. 50. Utrum bene faciant ii, qui balnea manuum, & pedum, in febribus putridis, ad deliniendos capitis dolores, ordinant? ℞. licet Gal. *l. ad Glauc. c. 9.* eadem approbare, in tertiana legitima, videatur; id tamen non, niſi apparentibus concoctionis ſignis, vel Ægro probè expurgato, & non in ipſo augmento practicandum eſſe; aliàs balneum, intempeſtivè adhibitum, putredinem auget, apoſtemata, & horripilationes, teſte Rhaze, cauſat, virtutem diſſolvit. L.

Qu. 51. Utrum Ægri de nocte cibandi ſint? ℞. Niſi febris ſyncopalis ex debilitate ventriculi fuerit, quæ rariſſima eſt, nunquam de nocte eſt cibandum. Nam Hipp. *2. de victûs ratione in morbis acutis*, ait, conſuetudinem non eſſe derepente mutandam, etiam in melius, quantò minùs in deterius; uti fit, dum de nocte cibantur Ægri. Nec obſtat, quòd vires ſint debiles: ſi morbus ſit in ſtatu, cibatio non convenit; uti *ex ſuperioribus* patet; ſi in declinatione, in hac Æger, cum ordinario victu, non moritur. LI.

Qu. 52. Utrum bene faciant ii, qui die critico, aut indice, abſtinent ab omni cibatione? ℞. Immo eos peſſimè facere exiſtimo, præcipuè, ſi natura nihil tentaverit, vel non ſatisfecerit, vel malam aliquam metaſtaſin moliatur; tunc enim, pro *primo*, excitanda eſt natura: pro *ſecundo*, juvanda: pro *tertio*, divertenda: Medicus itaq; ſemper ſtudeat, naturam bene operantem æmulari; id verò ſemper potiùs fit die critico: ergo potiori jure ſeptimo, quàm ſexto, utpote tyranno, aliquid moliendum erit. LII.

Qu. 53.

LIII. Qu. 53. Unde fit, quòd Ægri quandoq; tertio die incidunt in anginam, vel in pleuritidem? Reſp. Quia natura movet, ſed non motu convenienti: hinc in anginâ tali feliciter purgavimus; in pleuritide venæſectionem adminiſtravimus.

LIV. Qu. 54. Cur potiùs in angina purgandum ſit, quàm in plevritide? ℞. ſecundum *aph.* Hipp. Quibus fauces dolent, ſi excrementa alvi ſunt bilioſa, nihil bilis abundat: ergo purgatio cholagoga conveniet: quod autem in plevritide, aſcendente præcipuè, potiùs vena ſecetur, ratio eſt, quia humor ille non eſt in loco apto, ut inde ad inferiora deturbetur, propter materiæ levitatem, quæ ad inferiora non inclinat.

LV. Qu. 55. Quomodo ſeſe debeat Medicus gerere in caſibus complicatis, v. g. frigido ventriculo, & calido hepate; in hydrope, cum hecticâ; in hæmitritæo: &c. utrum, ſecundum multorum opinionem, temperatis uti debeamus, vel utrum contraria mixta uno eodemque tempore præſcribere poſſimus? Reſp. cùm Galen. *11. art. curat.* ſemper illud axioma Medicum, *contraria contrariis curantur*, verum, & nunquam fallum, eſſe aſſerat; temperata nunquam eſſe adhibenda, ſed contraria.

LVI. Qu. 56. Quot ſint modi, in contrariis affectibus curandis? ℞. Quatuor: primus eſt, ſi per temperata curemus, tanquam per contraria utriq; diſpoſitioni: ſecundus, ut per commixta ex calidis frigidisq;: tertius, ut nobis unum curationis ſcopum præfigamus, altero non neglecto: quartus, ut ſimul utrumq; curemus; calida nempe frigidis; frigida calidis. Omnes hoſce modos practicavit Galenus, excepto primo, qui, tanquam furtivus hoſpes, inter alios ita irrepſit, ut plurimis Medicis & Patientibus pernicioſè ſimul ac funeſtè imponat.

LVII. Quæ. 57. Cùm medium utriq; extremo contrarium ſit, cur cura illa, per temperata, non dicatur cura per contraria? Reſp. Medium ab extremo non differt, niſi ſecundum majus & minus: ergo non eſt verè cura per contraria. Si dicas, ſaltem medium calidum eſſe contrarium intensè frigido; Reſp. illud non eſſe contrarium proportionatum, ſed tantùm improportionatum: cùm verò, uti ſæpius diximus, contraria oppoſita debeant eſſe proportionata, & in hac cura non ſint; hinc etiam non ſubſiſtit.

Quæ. 58. Utrùm Galenus bene faciat, *10. ad Glauc.* dum in complicata diſpoſitione ex bile, & pituita, ptiſanam cum pipere propinat: hæc enim videntur eſſe contraria? Reſp. id à Galeno bene fieri: piper enim craſſo modo contuſum dat, ut diu hæreat in ſtomacho, ipſumq; calefaciat, nec hepati noceat: ptiſanam verò addit, ut hæc liquida tranſeat ad hepar, ipſumque contemperet: atque ita ſimul ſtomachum ſiccat & calefacit, hepar verò humectat & refrigerat: & ſic videtur ſecundum & tertium modum, *ſupra Quæſt. 56.* imitari. Exiſtimavit enim Galenus, in diverſitate materiæ peccantis, & membrorum oppoſitione, quòd hepar, v.g. calidum attrahat illud, quod frigidum eſt de medicina; matrix frigida, quod calidum eſt &c. Idem videtur Averrhoes facere, dum *hyſſopum* cum *oxymelite ſimplic.* & *aquâ hordei*, propinat. LVIII.

Quæ. 59. Cur Galenus, dum medicamenta hepati præſcribit, corpori motum imperet, ventriculo verò quietem: deinde ad ea, quæ hepati præſcribit, ventriculum cupiat eſſe vacuum; ad ea verò, quæ ventriculo ordinat, hujus nullam faciat mentionem? Reſp. ad primum: motum eſſe utilem in medicinis hepatis, ut eò citiùs ad illud penetrent; quietem verò in ſtomachicis, ut cita eorum diſtributio prohibeatur, & longior mora procuretur: idq; ſemper obſervandum eſſe cenſemus. LIX.

Quæ. 60. Quid cenſendum ſit de iis, qui, dum Gelatinas, aut Decocta, præſcribunt, aureum nummum imponi jubent? Reſp. Aurum decoctis invanum adjungi, ſiquidem hoc vali- LX.

validiſſimo tantùm igne ſolvitur, atq; adeò nec odorem, nec ſaporem, neq; ullam qualitatem, multò minùs de ſubſtantiâ aliquid contribuit: deinde, cùm aurum fundum petat, in eoq; aqua decocti ſit frigidior; in aurum agere, vel ex eo virtutem aliquam elicere non poteſt.

LXI. Quæ. 61. Cur ergo Plinius, *l. 29. c. 4.* carnibus pulli vim quandam auri comminuendi ineſſe tradit? Reſp. id fabuloſum & fictitium, vel intelligendum eſſe de auro ſoluto, non verò de ſolido: licet non negaverim, aurum ignitum, in juſculo quodam extinctum, ſalem aliquem magis volatilem contribuere: hinc etiam experientia docet, vinum, in quo aurum ignitum ſæpius extinctum eſt, gratiorem acquirere ſaporem; qui ex auri ſubſtantiâ, non ex igne, provenire cenſendus eſt.

LXII. Quæ. 62. Quid de iis cenſendum, qui accidentium aucupes, & venatores, verè dici poſſunt, iiſque omnem ſtatim navant operam, neglectis morbi radicibus? Reſp. Medicos egregios non tam facilè, ac mulierculas, ab accidentibus trahi, & moveri debere. Sunt, e. g. in febribus vigiliæ; hiſce per opiata occurrendo, malignitatem concentrando, vel naturæ opus impediendo, Ægrum tollunt è medio. Eſt, v. g. dolor capitis externus, per conſenſum; ad oxyrrhodinum, & alia adſtringentia, velut ad ſacram anchoram, confugiunt, repercutiuntq; vel ad ipſam cerebri ſubſtantiam, & membranas, cauſantque phrenitidem, ſeu apoplexiam; vel materiam ad partes inferiores repellunt, & ſuffocationes, cordis anxietates, & multa alia mala cauſant, nec tantùm cauſam morbi non minuunt, ſed etiam augent: ita fit in multis ſanguinis, aut aliorum humorum, ſaluberrimis evacuationibus, quas lucri & honoris ſui causâ primò faciunt periculoſiſſimas; deinde, ut artis ſuæ patefaciant excellentiam, cum ſumma Ægri pernicie remedia multa, quibus, velut aſini ſaccis, mendicus laciniis, onerati ſunt, proponunt, & pro ſecretis vendunt ea, quæ à veteris didicerunt. Malè igitur, & contra Galenum, *12. de ingen. in principio,* qui dicit, accidentibus intentionem curativam non competere, agunt Accidentales illi Medici, qui tantùm accidentia venantur. Non tamen negaverim, accidentibus cauſæ rationem habentibus occurrendum eſſe, primò ne per hæc vires nimium dejiciantur; ſecundò ne cibus prohibeatur; tertiò ne morbi concoctio impediatur; quartò ne Medicus in operationibus ſuis coactè retardetur.

Quæ. 63. Utrum melius ſit, venam ſecare in frigore, an in calore; in æſtate, an in hyeme? Reſp. cum Gal. *lib. de ſanguinis miſſione,* quod attinet ad indicationem non detrahendi ſanguinis, aut omnino pauci, eſt, ex ætatibus, pueritia; ex colore hominum, candidus ſupermiſtus; ex temporibus anni, Canis: cæterùm, quæ his contraria ſunt, aliam rationem non mittendi multi ſangvinis habent; unde in maximis frigoribus à larga ſangvinis miſſione abſtinendum eſt. Quid clarius? Igitur in ſummo æſtu penitus abſtinendum, in frigore parcè faciendum eſt. Dicit enim Gal. *1. ad Glauc.* quotquot illo tempore, id eſt, circa canem, ſanguinem miſerunt, interierunt: corpora namque, jam reſoluta per venæſectionem, penitus reſolvuntur. Hinc frigus potiùs venæſectionem, ſed in pauca quantitate, admittit, quàm calor eximius. LXIII.

Qu. 64. Utrùm bene faciant procraſtinatores, venæſectionem differendo, noctem, & graviores paroxyſmos, vel alia quævis minima, maximis neceſſitatibus, anginæ v. g. pleuritidis &c. præferentes? Reſp. Quamvis de his aliàs plura dicturi ſimus; hîc tamen dicimus, neceſſitatem nullâ adſtringi lege, noſque omni tempore coactam venæſectionem admittere: occaſio enim præceps eſt; *1. aph. 1.* LXIV.

Quæ. 65. Quomodo illud Avicen. *quart. prim. cap. 4.* intelligendum eſt: cùm autem unus humor ſuperabundat, purgatio tunc magis neceſſaria eſt; LXV.

eſt; ſi verò omnes, inciſio venæ: ergo hic tantùm alterutrum ſvadet Princeps, non utrumq; uti ſæpiſſime fit, ut vel ante, vel poſt venæſectionem purgatio ſequatur? ℞. cum Hipp. 2. *aph.* 8. *æquales humores venæſectione, inæquales purgatione evacuandos eſſe*: ſumque ejusdem, cum Avicennæ, ſententiæ, quòd plethoræ venæſectio; cacochymiæ verò purgatio debeatur: his & nos ſubſcribimus; dicimúsq; ſæpius ex ignorantia utrumq; practicari; ſupponunt enim, in corporibus largè viventium utrumq; ut plurimùm reperiri; id autem perpetuò fieri debere, conſtanter negamus.

LXVI. Qu. 66. Quò in loco mulieri, cui à longo tempore menſes non fluxerunt, mittendus ſit ſangvis? ℞. Ex brachio: nam ſi ex pede mittatur, ex majori parte ſanguinis maſſam ad partes inferiores raptum, & vel inflammationes, vel majores obſtructiones generatum iri. Ex pede verò ſanguinem eſſe mittendum, cum Gal. 9. *art. curat.* ad ſupplendum menſtruorum defectum; idque in ipſo quantitatis defectu.

LXVII. Qu. 67. Ergo virgini, chloroſi laboranti, non videtur vena è pede ſecanda. ℞. quamvis menſium defectus venæſectionem ex pede requirat abſolutè; ſatius tamen eſſe, ſi priùs ex brachio, deinde ex pede, in magnis obſtructionibus, ſanguis mittatur. Nos enim multoties obſervavimus, venæſectione, in brachio factâ, menſes fluxiſſe: ſicuti in ſummis urinæ obſtructionibus, ob veſicæ repletionem & diſtenſionem, poſt vomitum excitatum, revulſis ſcilicet humoribus, urinæ fluere cœperunt. Vis enim expultrix, quæ, ob nimiam diſtenſionem, ſuo fungi non poteſt officio, à parte materiæ liberata, excernit?

LXVIII. Qu. 68. Cur hic, in Auſtria, non imitentur Galenum, *de cucurbitulis*, ubi imperat, ante eas corpus primò eſſe expurgandum? ℞. ibi intelligendum eſſe Galenum de cucurbitulis, quæ applicantur ad diſtrahendum; non verò de iis, quæ uſurpantur ad intemperiem corrigendam: vel nihil voluit ibi Galenus, niſi duo ſequentia; primùm, quòd, ubi debet fieri ſcarificatio cum purgatione, & venæſectione, & purgatio, & venæſectio, ſcarificationes præcedere debeant; non è converſo: ſecundum eſt, ut ventoſæ ad reſolvendum impuro corpori non applicentur.

Quæ. 69. Utrum bene aut cibi, aut medicinæ, cauſa Ægri à ſomno ſint excitandi? Reſp. plus incommodi ex ſomni interruptione provenire, quàm utilitatis ex cibo, aut medicina. Nunquam igitur aut cibi, aut potionis ſumendorum causâ Æger eſt excitandus. LXIX.

Qu. 70. Quid judicandum de iis, qui, levi aſſumptâ medicinâ, ſomnum imperant? Reſp. ab aſſumpta medicina non eſſe bonum, dormire: nam natura aſſopita eas manus auxiliatrices dare non poteſt, quas dat minimè aſſopita, & vigilans: eſt Pauli Æginet. *l.* 7. *c.* 4. Hipp. 4. *aph.* 15. ſi tamen fortior juſto ſit medicina, ad eam ſiſtendam, ſomnus: ſi debilis, ad eam movendam, motus imperandus eſt: ita Valleriola. Gavendum tamen, ne venenoſarum medicinarum qualitates per ſomnum cor & partes principes impetant. LXX.

Quæ. 71. Utrum ſæpius in die cibandus ſit Æger: & an ſæpius exhibendi ſint ſyrupi, quàm cibi? Reſp. frequentem cibationem omnino noxiam eſſe: nam Hipp. *l.* 2. & 3. *de victûs ratione in acutis*, ait: toties concoctionem fieri debere, quoties cibus datur; ergo non ſunt frequentiùs cibandi Ægroti, quàm digerere poſſint: medicinæ verò alterantes ſemper unâ, aut duabus, ante cibum, horis exhibendæ ſunt. LXXI.

Quæ. 72. Quare unguenta, & fomenta, potentiâ frigida, quæq; ad partium refrigerium ordinantur, calida applicantur; cùm tamen Galenus, 3. *de temperamentis, in fine*, dicat: niſi aliud obſtet, actus medicinæ debet eſſe conformis potentiæ: id eſt, ſi medicina eſt potentiâ frigida, debet etiam actu frigida applicari; & è contra: v. g. ceruſſa LXXII.

debet imponi frigida actu, quia eſt frigida potentiâ: oxycroceum debet calidum actu applicari, quia eſt calidum potentiâ? Reſp. Nos potiùs Galeni ſententiæ ſubſcribere; licet medicamentorum teporem non omnino rejiciamus.

LXXIII. Quæ. 73. Utrùm, uti vulgo putatur, juscula ventriculum corroborent? Reſp. Omne pingve laxat & emollit; deinde humida actu, qualia ſunt juscula; etſi ſint potentiâ ſicca, ventriculi tamen tonum evertunt: nam forma plus facit, quàm virtus. Corrugantia enim, & incriſpantia, ſunt, quæ confortant ventriculum; juscula autem laxant, & emolliunt: hinc aliis cibis, velut prodromi, ut locum faciant, præmittuntur.

Obj. 3. Ergo malè videntur facere, qui ad finem menſæ hordeum apponunt; quod vulgo Schreckengaſt vocant: Reſp. abuſum eſſe peſſimum, à quo meræ eructationes, vapores, & indigeſtiones eveniunt. Poſt paſtum enim os ventriculi ſuperius corrugari, & claudi deberet, ut cibos amplecteretur, & concoqueret, deinde ut vapores ad caput adſcendentes prohiberentur: hinc etiam à ſapientioribus Cydoniatum à paſtu conſulitur, ut prædicta commoda procurentur; incommoda verò evitentur. Hoc perbellè agnovit Excellentiſſimus Dominus Doctor Glantz / cujus memoria & anima ſint in benedictione, qui hanc ultimò hordei apponendi inſolentiam ubique caſtigabat. Nec obſtat, quòd per hordei abſterſivi aſſumptionem impediatur ſingultus, à paſtu frequens; nam non ſemper tam acres ingeruntur cibi, ut, ventriculi orificio adhærentes, ſingultum cauſare poſſint.

LXXIV. Quæ. 74. Utrùm bene faciant adſtantes, Ægrotis aërem liberum prohibendo, & Ægros tantùm non ſuffocando? Reſp. iſtas ſuffocationes Ægris eſſe funeſtas: nam aër purus, & perflatus, revocat calorem nativum, emendat malam cordis temperiem & ſpiritûs, exhilarat animum, & tollit malos vapores, utilisq; eſt omnibus morbis, præterquàm capitis læſionibus, vulneribus, contuſionibus, doloribus, ophthalmiis, deliriis, phrenitidi &c. Avenzoar altas, Rhazes perflatas, conſulit cameras, ut aër magis ſit incorruptus, & perflatus. Quanta verò incommoda oriantur ex ſtuphis clauſis, in quibus aër condenſatur, depravatur, & corrumpitur, quotidiana docet experientia. Quam, quæſo, Æger, in tali loco jacens, meliorationem ſperare poteſt?

Quæ. 75. Utrùm in peſte, & variolis, libertas aëris concedenda ſit? Reſp. ſi peſtis proveniat ab infecto aëre externo, feneſtras diligenter eſſe claudendas: quod ad variolas attinet, hanc quæſtionem reſolvemus *in Praxi noſtra de Variolis*. LXXV.

Quæ. 76. Utrùm bene faciant, qui à cibo exercitium vetant? Reſp. licet paulò antè dixerimus, quiete aſſumpta meliùs retineri; motu verò citiùs pertranſire: moderatum tamen exercitium non prohibemus: *primò*, quia corpore extenſo ſtomachus magis corrugatur, & comprimitur; ſupino verò hiat: *ſecundò*, quia per moderatum motum cibi permiſcentur: *tertiò*, quia per eundem calor acquiritur, fitq; vegetior: hinc à cibo levis & brevis exercitatio prodeſt. LXXVI.

Quæ. 77. Cur fortis motus non approbatur? Reſp. Quia per illum ſtomacho, jam onuſto & repleto, vis infertur: quod non inviti fatebuntur Poſtarum curſores, qui, niſi parcè cibentur, ſummos in violento iſto equitatu perſentiunt labores: *deinde* velociùs cibi, quàm par eſt, è primâ corporis regione ad ſecundam rapiuntur; unde cruditates generantur: *tertiò*, hepar, aliaque viſcera, vehementer incaleſcunt; hinc cibos indigeſtos attrahunt: *quartò* impoſſibile eſt, quin in tam violento motu ſpiritûs à coctione diſtrahantur ad membra externa: adeoque violentus à cibo motus eſt noxius. LXXVII.

Quæ. 78. Utrùm, ſecundum Hippocratis effatum, ſomnus pomeridianus omnibus ſit noxius? Reſp. Præterquàm quòd hæc quæſtio à nobis *alibi* ſæpius reſoluta reperiatur, aſſuetis tantum nocumenti non afferre, LXXVIII.

ferre, immò euſque ſerpſerit hæc dormiendi conſvetudo, ut in Italia, & alibi, ab eâ, ſine ſanitatis gravio-ri detrimento, abſtinere non poſſint, præcipuè ii, qui, ob curas, & ne-gotia, vel ægritudines, noctu dor-mire non poſſunt, quod in iis vapo-res, à cibis aſcendentes, tranquil-lum concilient ſomnum: nihilomi-nus ab hac, plerumque noxiâ, con-ſvetudine, quantum poſſibile, deſiſten-dum eſſe cenſemus.

LXXIX. Quæ. 79. Unde igitur fiat, quòd quidam, quieſcentes, ægrotent, iti-nerantes verò optimè valeant, benè digerant, & pingveſcant? Reſp. id poſſe fieri varias ob cauſas: primò, quia domeſticis non torquentur curis: ſecundò, quia tam lautè non vivunt: tertiò, quia labores & vigiliæ con-coquunt: quartò, quia major fit ani-mi diſtractio, ob locorum & morum varietatem: quintò, perpetuæ illæ aëris mutationes non parum humo-res, & ſpiritûs, perflant, & ex-purgant. Negari tamen non poteſt, multos, poſt itinera, ob varia, quæ in-currunt, incommoda infirmari.

LXXX. Qu. 80. Utrùm in doloribus cal-culi purgatio, & venæſectio, com-petant? Reſp. Quamvis Antiqui ferè nulli, præter Aetium, *l. 11 cap. 51.* ho-rum remediorum meminerint; atta-men, hæc intermittere, ubi neceſ-ſitas urget, eſt graviter errare cum Veteribus: nam per purgationem, quaſi per vectem, ad inferiora de-primitur calculus, & humores revel-luntur, qui urinæ ſuppreſſionem cau-ſabant, vel calculo materiam ſugge-rebant, &, licet Avicen. *18. 3. tract. 2. cap. 8.* venæſectionem non præſcri-bat, purgare tamen jubet: ſi humo-res æqualiter ſint aucti, venæſectio imperanda primò eſt in brachio, ſi corpus valde plethoricum ſit; ſecun-dò in malleolo: deinde ad balnea e-mollientia, fomenta, cataplaſmata, unguenta, emplaſtra &c. confugien-dum eſt. Et ſicut ad menſtrua pro-movenda, excludendúmque fœtum, venæſectio unicum eſt remedium, eò, quòd, depletis venis iliacis & u-terinis, viæ reddantur ampliores, & natura ad expellendum fortior: ita etiam in calculo doloroſo, & parti-um inflammatione, viæ omnes pa-tentiores reddentur; unde ejus faci-lis excluſio ſequetur; uti non raró, contra aliorum morem, practicavi-mus.

Qu. 81. Utrùm liceat medicamen-tis venenatis uti? Reſp. Affirmativè: LXXXI. Alexander Trall. *l. 9. cap. 27.* epithe-ma ſpleneticum, miræ energiæ, præ-ſcribit ex auripigmento: ſic Marcel-lus, *cap. 21.* paſtillos ad dyſenteriam, quinque venena recipientes; utpote ſandaracham, lachrymam nigri pa-pav., ſquammam æris, æs combu-ſtum, & auripigmentum: quos eti-am ſuppoſitoriorum loco imponit: ſic multi ad luem Veneream ſuccos aconiti præparatos adhibent: nos Mercurium pro unico luis hujus ale-xipharmaco tenemus; ex quo un-ctiones, ſuffumigia, emplaſtra &c. adminiſtrantur. De carnis viperinæ uſu nullus dubitat: quæ verò an ve-nenata ſit, adhuc ſub judice lis eſt; ſiquidem incomparabiles illi virtutes, utpote podagræ curatio, rejuvene-ſcentia, fertilitas, viſûs reſtitutio & conſervatio &c. præcipuè ab Italis, adſcribuntur. Quis neget, Confe-ctionem anacardinam eſſe venena-tam; cùm tamen, Aetio teſte, in frigidis capitis doloribus omnibus pal-mam præripiat? Sed non nimis re-cens exhibenda eſt: in hac enim majores ſunt veneni virtutes. Phila-grii antidotus, quæ apud Aetium, *l. 13. cap. 112.* proſtat, febribus antiquis di-cata, conſtat ex ſulphure, & hyoſcya-mo. Quis neget cantharidum tam internum, quàm externum uſum? Annon bufones ad aſcitem renibus applicantur? Ad anginam, & ſy-nanchen, cataplaſmatibus, cum in-fallibi ſucceſſu, miſcentur: ſvade-rem tamen, ut venena, quantum fie-ri poteſt, correcta & caſtrata in uſum medicum revocarentur.

Qu. 82. Utrùm omnia medicamen-ta purgantia ſint etiam venena? Reſp. LXXXII. cum Gal. *6. in 6. epidem. t. 5.* negativè: hæc, inquit, non ſunt verè deleteria, & pernicioſa, à quibus idem, quod ab aſſumptis venenis, periculú immineat, niſi admixto arſenicali aliquo veneno.

LXXXIII. Quæ. 83. Utrum, ſi ab aſſumpto medicamento cathartico dormiat Æger, illa medicamenti vis cordi nocere non poſſit? Reſp. Jam antè negavimus, poſt ullum pharmacum eſſe dormiendum: ex ſuppoſito autem, quòd medicamentum verè ſit venenoſum, velut eſt antimoniatum, aut Mercuriale, ſulphure ſuo arſenicali minimè exutum, jure merito, partibus nobilioribus internis non parum nocere, judicandum eſt: quamvis non tantùm per concentrationem caloris, in ſomno, uti putant multi, noceat: caloris enim concentratio potiùs oppugnat, & reſiſtit malignitati, quàm ut ipſam exaſperet. Nec obſtat, quòd malignitas per calorem actuetur: nam melius eſt, citius, quàm tardiùs actuari venenum, ne diuturnas trahat in corpore moras.

LXXXIV. Quæ. 84. Quâ virtute expurgant, & trahunt humores medicamenta cathartica? Reſp. Medicamenta purgantia aſſumpta primò calore ſtomachi actuantur, eorúmque reſoluti vapores, & ſpiritus, per totum corpus diſperguntur, qui occultâ quâdam vi, ac proprietate, humores, à ſe trahi aptos, ſibique familiares, corpori vero noxios, ad ſe alliciunt, atq; à maſſa ſanguineâ, & reliquis utilibus humoribus, ſegregant. Quod dum fit, natura à noxiis humoribus, & medicamentis, ſtimulata, vi expultricis facultatis & ipſum purgans medicamentum, & attractos humores noxios, è corpore eliminat.

LXXXV. Quæ. 85. Ergo falſa erit Aſclepiadis Opinio, aſſerentis, purgantia humores corrumpere, & gignere, adeóque naturam ſtimulatam eos expellere? Immo Mercurius omnes humores, quin & integrum urceum aquæ, videtur poſſe mutare in phlegma: poſt uſum antimonii, etiam in corpore priùs ſaniſſimo, acerrimi copiâ & plurimi rejiciuntur humores, qui antea in corpore non erant: ergo à Mercurio, vel ab antimonio, generantur. Reſp. Aſclepiadis illam ſententiam jamdudum exploſam eſſe; immò euphoria, quæ poſt purgationes conſequitur, contrarium oſtendit: venenata autem humores corrumpere, non negamus. Hinc apparet nequiſſimorum Mediciſtrorum vanitas, qui ex rejectione copioſæ materiæ, poſt uſum antimonii malè præparati, gloriam aucupantur, cùm potiùs fuſtigationes eſſent meriti.

Quæ. 86. Cur Joubertus, *paradox.* 7. *decad.* 2. ait, medicamenta humores non trahere, immò priùs ſuâ, quam habent, antipathiâ prorſus inimicâ, eos perſequi, & è corpore expellere, ejuſdemque eſſe naturæ cum alexipharmacis? Reſp. Joubertum benè advertiſſe, ſententiam hanc plenam eſſe difficultatibus: nam paulò poſt dicit, non ſolùm medicamentum id facere, ſed etiam membrorum vim expultricem, à medicamento irritatam: dum nempe medicamentum tranſit inteſtina, alliidens ad vaſorum orificia ſenſibilia, illa irritat: hinc etiam per ſympathiam alia atque alia irritantur: atque adeò medicamenti vis non tantùm primam regionem, ſed etiam ſecundam, immò & tertiam penetrat, ſtimulátque ad humores expellendos. Similiter Jacobus Schegkius cauſam purgationis non ἕλξιν, id eſt, attractionem, ſed ὦσιν, ſeu expulſionem, quæ fit ab expultrice facultate, per fibras transverſas, partim ab humorum acrimoniâ, partim à medicamento, laceſſitâ, eſſe aſſerit, illámque purgationis actionem potiùs tribuit facultati excretrici, quàm medicamento. Quamvis & nos idem concedamus; attamen non ſufficit: nam nec Joubertus, nec Schegkius, cauſam confluxûs humorum explicant. Si enim eſſet ſola irritata facultas, quodlibet medicamentum quemlibet humorem expurgaret; quia certum eſt, quodlibet medicamentum irritare: videmus autem, medicamentum hoc hunc humorem, aliud alium expellere: ergo aliquid aliud, præter irritatam facultatem, debet adeſſe, id eſt occulta quædam, & ſpecifica, vel quaſi magnetica, vis, quæ humores hos potiùs, quàm illos, attrahit. LXXXVI.

LXXXVII. Quæ. 87. Cur, ſi magnetica illa ἕλξις, ſeu tractio, fit à rhabarbaro v. g. illud, umbilico applicatum, non trahit ad ſe bilem, ſed potiùs illam per inteſtina dejicit? Reſp. Quia rhabarbarum, extrinſecus appoſitum, non actuatur à calore, veluti intus ſumptum: ergo non eſt opus, ut eundem effectum poſt ſe relinquat.

LXXXVIII. Quæ. 88. Cur, ſi in actum non deducatur, bilem per inteſtina expellat? Reſp. ex parte quidem actuari, quando incaleſcit; ſed non ita, ac ſi eſſet intus ſumptum: quòd autem bilem per umbilicum non attrahat, eſt defectus in meatu non aperto: facilius enim eſt, medicamenti vim, quæ ſubtilior eſt, per vaſa umbilicalia tranſire, bilemq; ab aliis humoribus ſegregare, quàm eandem, multò craſſiorem, per vias nimis anguſtas tranſire; quòd autem per ventrem expellitur bilis, fit ab irritata naturâ: humor enim ſegregatus magis ſtimulat, quàm mixtus: tunc enim adhuc eſt dilutus; præterquàm quòd medicamenta purgantia ſingularem inteſtina movendi, ſicuti cantharides veſicam impetendi, vim habent: hæ enim non tantùm humores ſeroſos attrahunt, ſed etiam eoſdem per veſicam amandant.

LXXXIX. Quæ. 89. Utrùm attractio illa non poſſit fieri à calore, cujus proprietas eſt, attrahere? Reſp. negativè: nam ſi illa attractio fieret à calore, ſpiritus vini, v. g. & alia quævis calida, bilem, aut alios humores, attraherent, & expurgarent; quod tamen ab experientiâ alienum eſt. Nos conſentimus Hippocrati, *l. 1. de n. h. 4. 31.* ubi ait: medicamentum, ubi ſubjerit corpus, primò quidem ducit, non ſecus, ac plantæ ex terra ſuccum trahunt, unaquæque ſibi familiarem: & Galeno, *l. 3. de ſimpl. med. fac. cap. 25.* qui, ſubſtantiarum ſimilitudine attractionem fieri, ait: &, *l. 5. de ſimpl. med. fac. c. 17.* ſcribit, eſſe genus attrahentium medicamentorum, quod qualitatis familiaritate attrahit; idq; nihil aliud eſſe, quàm totius ſubſtantiæ ſimilitudinem; & talia eſſe purgantia omnia. Ab hac ſententia differunt *Meſue, Rhazes, & Avicennas*, verbis potiùs, quàm ſententiæ: neq; omnino neceſſarium eſt, ut trahentis, & tracti, eædem ſint proprietates, nec identitates; ſufficit enim ſimilitudo. Quòd identitas non requiratur, ex hoc patet, quòd caro carnem, ſuccinum ſuccinum non trahit; ſed caro ſanguinem, ſuccinum paleam allicit.

XC. Quæ. 90. Cur in morbis acutis victus tenuis ordinetur; cùm tamen Avic. *1. 4. tr. 4. c. 4.* dicat: plurimi eorum, qui viriliter agunt, & comedunt, violenter evadunt, ac vivunt; Rhazes idem affirmet, ex *Gal. in epidem.* hiſce verbis: ergo qui, vim ſibi adferentes, cibum oblatum aſſumpſerunt, omnes ferè ſuperſtites evaſerunt: adeoque victus tenuis non tantùm non prodeſt, ſed eſt maximè noxius? Reſp. hoſce Auctores locutos fuiſſe de peſte; in qua & nos, ob dejectionem virium, & veneni acrimoniam, pleniorem victum ordinamus: quò enim plus ingeritur, eò magis venenum diſſipatur, & occupatur, quò minus poſſit agere in corpus.

XCI. Quæ. 91. Quòd ſi victus craſſus concedatur, ergo & venæſectio prohibebitur, cùm contrariorum, additionis ſcilicet, & demptionis, eadem ſit ratio: ſed hæc videntur eſſe contraria iis, quæ dicta ſunt in *tr. de Peſte*; ergo: Reſp. hanc ſententiam eſſe Hieronymi Cardani, neque nos illi in minimo contrariari: nam idem Cardanus concedit venæſectionem in magna plethora; cui & nos libenter ſubſcribimus.

XCII. Quæ. 92. Ergo etiam errare videntur, qui in febribus malignis tam frequenter venam ſecant? Reſp. ſi id faciant in corporibus minimè plethoricis, concedo: ſi verò contrà, nego: tantâ tamen cautione opus non eſt in febribus malignis, quam in ipſa peſte: nam in illis venenum tam acre & activum non eſt; deinde vires tam dejectæ non ſunt.

XCIII. Quæ. 93. Utrum etiam, ad applicandos clyſteres, ciborum in ſtomacho concoctio expectari debeat? R/. peſſimam hanc obſcænorum enematum conſvetudinem ita invaluiſſe, ut mulierculæ omnes, vel quovis

tempore, etiam in minimis alvi doloribus, ſine ullâ Medici præſcriptione, clyſteres frequentiſſimè iteratos, ſine ratione injiciant, putantes, hoc genus remedii, etſi non proſit, nullo ſaltem modo nocere poſſe. Verùm nos obſervavimus ſæpe funeſtiſſimos, à præcoci & præpoſtero enematum uſu, eventûs, illoſque, qui ſæpius à cibo enemata ſumpſerunt, in cachexiam & hydropem incidiſſe, eò quòd cibos indigeſtos ex ſtomacho extraxerint; qui, ad ſecundam corporis regionem rapti, viſcerú calorem nativú ſuffocarunt, humores corruperunt, & hinc ſummę miſerię, vel, ſi humores crudi ad inteſtina tracti fuerint, ibidem ingens colica flatuoſa excitata fuit, vel accenſi bileſcere cæperunt: unde atrociſſimi dolores, & ſæpe etiam contracturæ exorta eſt: vel, injectis multis clyſteribus, inteſtinorum tunicæ ruptæ ſunt; unde gangræna, & repentina mors; vel clyſteres in corpore refrigerati ſunt; unde dolores ingentes excitantur: vel ſuâ violentiâ valvulam inteſti cæci inverterunt, & facta eſt iliaca paſſio.

XCIV. Qu. 94. Utrum bene faciant, in adſtrictione alvi, & dolore, calentibus oleis, & pingvedinibus extrinſecè affatim utendo? Reſp. hiſce dolores quidem leniri, quòd ſubſtantia inteſtinorum laxetur; ſed per emollientia eorundem expultricem maximè lædi; hæc ſiquidem ſiccis gaudet, teſte Galen. *3. de fac. nat. cap. 8.* ſic verò laxatæ fibræ expellere non poſſunt; præcipuè ſi fæces duræ ſint, validiſſimo, ad ſui expulſionem, egent inſtrumento: ergo laxantia non conveniunt. Nec obſtat, quòd hiſce excrementa reddantur mollia: nam antequam excrementa molleſcant, inteſtinorum ſubſtantiam priùs emolliri neceſſe eſt, cùm vis emollientium ea priùs tangat. Convenient itaque potiùs, ſecundum Avicen. *prima primi tr. 6. cap. 3.* exſiccantia, non actu, ſed potentiâ, calia, uti ſunt emplaſtra, & fomenta cum vino facta.

XCV. Qu. 95. Utrum clyſteres, ex aqua nivis Martialis confecti, quos, hoc tempore, Novatores, gloriæ potiùs, quàm utilitatis Ægrorum, avidi mulieribus hìc paſſim ordinant, prodeſſe poſſint? Reſp. minimè: immò inteſtinis, & utero, eſſe maximè noxios, ob intenſum frigus, quod, in potentiâ, majus, quàm cæteræ aquæ, habent: hinc ſteriles quaſdam, horum uſu, evaſiſſe inaudivimus.

Qu. 96. Utrum Syrupus de Po- XCVI.
mis, qui lucri, non ſanitatis, cauſa, ab iiſdem, longiſſimo tempore ordinatur, pro Panacea ſit habendus? Reſp. alteram eſſe, ſed nequiſſimam, fraudem: ſi enim ſuccus pomorum tam ſanus eſſet, tunc ſuperioris Auſtriæ Ruſtici, qui hoc pro potu ordinario fere ſemper utuntur, eſſent ſaniſſimi; cùm tamen contrarium pateat: ſecundò acida omnia ſunt nervis, & ſenſibus, inimiciſſima; uti teſtatur Avicen. *lib. 3 tract. 10. cap. 3.* Utrum Syrupus pomorum, bonâ conſcientiâ, morbo Gallico, Podagrâ, & Iſchiaticâ, laborantibus, per medium annum, ad expenſas non leves, ordinari poſſit, Reſp. ſunt retia; quibus nummi capiuntur, & anima Diaboli laqueis irretitur. Non eſt, quòd Syrupum de Pomis omnino vituperare velim: ſed præpoſterum ejus uſum damno, eoſque ad Antipodes, & Garamantas relegandos eſſe exiſtimo, qui Patientum guſtui, & ſuo commodo, omnem navant operam.

Qu. 97. Utrum bene faciant plu- XCVII.
rimi Practicantes, qui, in præſcriptione diætæ, nullam omnino *Salis* faciunt mentionem: cùm plurimum interſit, utrum cibi magis, vel minùs, ſalſi exhibeantur? Reſp. ſi in febribus cibi, & juſcula, nimio ſale condiantur, augeri febris calorem & ſiccitatem, adeóque eſſe contra febriles indicationes, quæ requirunt refrigerantia & humectantia: hinc tempore febris minus ſalis adhibendum eſt, quàm tempore ſanitatis. Nec obſtat, quòd Galen. *3. de alimentis*, & Rhaſes *ad Almanſor. 17.* dicunt, tria ſalis juvamenta eſſe; utpote craſſa colliquare & attenuare, cibi tædium aufferre & appetitum acuere, ac putredini reſiſtere: id enim de eodem, tempore febris exhibendo, intelligendum eſt minimè.

XCVIII. Qu. 98. Utrùm medicamenta purgantia ex diverſorum purgantium naturâ bene conficiantur? Reſp. incertas eſſe mixturas, & compoſitiones, diverſarum facultatum; certa verò ſimplicia: in multis enim medicamentis incommoda ſunt multa, commodum vix unum: & videmus, Galen. & Antiquos, pauciſſimis compoſitis uſos fuiſſe, niſi iis, quæ digeſtione, & ſocietate longâ, in unum coaluerunt: mixta enim recenter in hoc maximè incommodant, quòd unum citiùs, alterum tardiùs operetur: itaque tutior eſt purgatio, quæ fit ex uno ſimplici emendato, vel medicamentis, quæ ſimilem obtinent virtutem, vel iis compoſitis, quæ ſimul ita fermentaverunt, aut cocta ſunt, ut in unam quaſi naturam degeneraverint.

XCIX. Qu. 99. Utrùm Medico medicamenta præparare, & divendere, honeſtum ſit? Reſp. Quamvis medicamentorum præparatio de jure videatur ad Pharmocopœos pertinere; utpote, qui Medicinæ veri ſunt miniſtri, videaturque aliquo modo Medicum dedecere; utpote, cujus munus multò ſublimius & excellentius eſt, quàm ut ſeſe ad ejuſmodi mechanica demittat, fuerintque ſemper diſtincta Medici, & Pharmacopœi, officia, ut patet ex Galeno, *6. epid. 5.* item *7. de compoſ. med. per loca, cap. 3.* idque non abſq; causâ, ne ſcilicet hic pretio, vel odio, ductus, fel pro melle, venenum pro remedio, propinet, vel pharmaca æquo cariùs divendat, né & facili hominum cenſuræ obnoxius ſit, ne ſordidus & avarus, lucrique nimium cupidus inaudiat: attamen medicamentorum compoſitionem, & ejus cognitionem perfectam, ad Medicum pertinere, patet ex variis Antiquis, qui ſuas habuerunt, & confecerunt Compoſitiones. Pacchius, Philonidis Catinenſis Auditor, *hieram* decantatiſſimam compoſuit: Galenus *Theriacam*, quam à Demetrio Medico confici viderat, jubente Antonino, Imperatore, confecit: cujus etiam tempore, teſte ipſo Valleriolâ, aliàs ſententiæ hujus contradictore, plerique Medici ſuas Antidotos compoſuerunt; utpote quibus melior ſemper fuit medicamentorum delectus, & notitia, quam Pharmacopœis. Et quomodo Medicus errantem Pharmacopœum corrigere poterit, ſi ipſe compoſitionem ignoraverit? Aequum itaque dignúmque eſt, ut medicamentorum compoſitionem non tantùm ſpeculativè, ſed etiam practicè, habeat Medicus; ita tamen, ut Pharmacopœis nihil de ſuo commodo detrahatur. Medicus enim, uti (prò dolor!) modò hîc à Plutonianis monopoletis practicatur, nec quæſtûs gratiâ conficere, nec palam divendere medicamenta debet. At dicet aliquis, ſecreta eſſe; non teneri illorum inventores ea omnibus patefacere. R. Medicos verè Chriſtianos nunquam egiſſe Secretarios. Et quale, quæſo, artificium, & myſterium, ſubeſt in conficiendo Syr. de Pomis, in parandis clyſteribus, potionibus, & ptiſanis laxativis, aquâ coctâ &c. quæ, in ſummum Pharmacopœorum præjudicium (qui hic, ſi ullibi terrarum, in Arte Pharmacevticâ bene verſati ſunt) affatim divenduntur? O turpem avaritiam & ſingularitatem! nempe, ut plus reliquis ſapere videantur tales Medicaſtri, ingenium, non manûs applicent, eaſque turpi quæſtu polluant. Quis non exclamet cum Marcello:

O miſeræ leges, quæ talia crimina fertis!
O cæci Reges, rem qui non cernitis iſtam!
Vos, quibus imperium eſt, qui mundi frena tenetis,
Ne tantum tolerate nefas, hanc tollite peſtem?

Qu. 100. Quid ſentiendum ſit de medicamentis Chymicis? Utrùm, ob violentiam, locum in Medicina habere poſſint? Reſp. Chymica medicamenta, ritè præparata à prudenti Artifice, dum ea neceſſitas requirit, exhiberi poſſe; non tamen indifferenter, ſine ullâ rationis mixti conſideratione, id eſſe factitandum: nam majorem ſæpe energiam habent ſimplicia integra, cùm corpori humano reficiendo applicantur, quàm mutilata illa, ſuiſque naturalibus proprietatibus, & ſubſtantiis miſtis, reſtaurando aptiſſimis, per Chymiam imperi-

imperitam ſpoliata remediis: ex terra enim, in naturæ ſinu, creavit Deus medicinam, eamque integram, & ſalutarem, non mutilatam. Si tamen Chymia ſumatur pro rectâ medicamentorum præparatione, à Chymicis remediis non abhorremus, ſed & nos ea cum fructu præſcribimus. Violentiam quod attinet, hæc provenit vel ex naturâ eorum, à materia unde fiunt, vel à præparatione: ſi prius, ab hac Medicus abſtineat; ſi poſterius, in hoc omnes nervi intendendi ſunt, ut ritè præparentur, &, quicquid noxium aut pernicioſum, aut violentum eſt in medicamentis, tollatur, ut ex malignis, periculoſis, & violentis, benigna, utilia, grata, & tuta efficiantur: Medicus enim citò, tutò, & jucundè, debet curare: quamvis etiam quandoque [illegible], ſeu fortioribus, in pertinacibus morbis debellandis, ejuſmodi medicamentis opus ſit. Nec parva illa quantitas ſuſpecta eſſe debet: fruſtra enim fit per plura, quod poteſt fieri per pauciora: eundem fortaſſis effectum haberet idem medicamentum, non ſolutum, in majori quantitate, ſed cum majori naturæ noſtræ diſpendio. Calor item, multis ſuſpectus, ab igne, aut ſpiritu vini, medicamentis in præparatione communicatus, per iteratas ablutiones, cum Galeno, *9. de ſimpl. med. fac.* nullo poteſt negotio corrigi & emendari.

Et hæc de Methodo Medendi dicta ſufficiant: quæ, licet brevia & pauca eſſe videantur: attamen paucis multa dilucidè traduntur. Hanc doctrinam Tibi, AMICE LECTOR, Dei Ter-Optimi Maximi gratiæ acquirendæ, conſervandæ bonæ conſcientiæ, & corporis valetudini in multam annorum ſeriem apprimè ſervituram, perſpectiſſimam eſſe, medullitus opto.

F I N I S.

SYLVA

SYLVA MEDICA:

ſeu

FARRAGO REMEDIORUM SIMPLICIUM, ET COMPOSITORUM, CUM BREVI, IIS UTENDI, MODO, ET DOSI, AD PRAXIN UTILISSIMA.

PRÆFATIO.

QUemadmodum ille, qui formoſam, & multis contignationibus faſtigiatam, Corinthiacis fulcris conſpicuam, fornicatis periſtyliis permeabilem, contabulationum & conſpiciliorum artificioſa ſerie pretioſam, ambulacris decoram, cancellis munitam, omnibus denique ornamentis ſpectabilem fabricaturus eſt domum, non tantùm de loco, ſitu, aëre, regione, vicinia &c. ſollicitus eſt; ſed omnia, ad ejusmodi ſtructuram neceſſaria, utpote lapides, cæmentum, ligna, lateres, tegulas, clavos, immò vel maximè artificioſos artifices, cum ſecuribus, malleis, uncis, ligonibus, perpendiculis, trochleis, ferreis anſis, diligentiſſimè procurat: ita veros acturis Medicos, & recepta ordinatè præſcripturis, ligna, vegetabilia nempe, lapides, ſeu mineralia, & opifices, nimirum animalia, ſunt neceſſaria. Ex triplici hac regione eruenda, carpenda, & reſecanda ſunt apta ſimplicia, iis, qui corporis humani defectûs (cognitâ bene, & probè perſpectâ mixti ratione: hæc enim eſt polaris illa ſtella, ad quam affricta Magneti nautica dirigenda eſt pixis, ſine cujus directione in undas labetur, ſcopulis allidet, & mera incurret naufragia Medicus Nauclerus) percurare ſatagunt. Hæc itaque, *amice Lector*, lege, perlege, iterúmque ruminare, & ſanitatis, id eſt, otii tempore collige, ne, dum inſtat ægritudinis tempeſtas, dum fabricandi tempus adeſt, dum reparanda eſt ſanitas, vacuus omnino, inanis, & minùs habens reperiaris.

Abſter-

Abſtergentia.

Abſtergentia:

RAdices: hellebori albi, ſigilli Salomonis, ireos, dictamni albi, raphani, rubiæ tinctor. thapſiæ, gentianæ, ſcorzoner.

Cortices: radicum tamariſci, ebuli, ireos, apii.

Folia & *herba*: agrimonia, eupatorium utrumq;, fumaria, porrum, anethum, praſſium, calamintha.

Fructûs: amygdalæ amaræ, caſſia fiſtular. pineæ, uvæ paſſæ dulces, ficûs aridæ, piſtacia, melopepones, cydonia.

Flores: ſtæchados, anthos, ſalviæ.

Semina: lupini, fæniculi, fabarum, ciceerum, orobi, atriplicis, frumenti, cucumeris, ſtaphidisagriæ, melonum, hordei.

Reſina: maſtiche, myrrha, thus, pix liquida, aſphaltos, terebinthina, ammoniacum.

Liquores: vinum lymphatum, & dulce, ptiſana, ſerum lactis, ſapa.

Marina: ſpuma maris.

Metalla: æs uſtum, ceruſſa, vitriolum, Mercur. ſublimat.

Animalia: mumia, lac muliebre, mel, aq. mellis.

Confectiones: mel roſarum, anthoſat. violaceum.

Nota: ex his quædam intrinſecè, quædam extrinſecè applicari poſſe: intrinſecè, pro abſterſione, fieri poſſunt decocta, conſervæ, electuaria, ſyrupi, rob, aquæ deſtillatæ &c. ſi, vg. velis aliquod *Abſtergens pectorale* conficere:

Pectorale decoctum.

℞. *Rad. ireos,*
rub. tinctor.
enul. campan. ana ʒiij.
fol. braſſic.
farfar.
veronic.
hord. mundat. ana mj.
flor. violarum,
ſtæchados,
borrag. ana pj.
fic. pingu.
jujub. ana num. vj.
paſſul. mundat. ℥j.
piſtacior. ℥ß.

F. Decoctio in *aq. communi*, vel *hydromelite*, ad ℔j. In colat. diſſolve *mellis roſati colat. ſyr. de jujubis*, ana ℥ij. Miſce. Doſis eſt ℥iiij. vel v. manè. Ex hoc decocto, cum ſ. q. *ſacchari*, per coctionem diuturnam, fieri poteſt *Syrupus*; cujus doſis ℥ij. vel ℥iij. Si extrinſecè abſtergens, pro ulceribus ſordidis, conficere velis:

Syrupus.

℞. *Rad. apii,*
cort. mund. ebul.
median. ſambuci, ana ʒj.

Coque in ſ. q. *butyri Majalis*, ad conſiſtentiam pulticulæ: trajice per cribum: cui adde ☿ ♀ti ʒß. M. F. abſtergens, & mundificativum.

Aperientia.

Aperientia.

RAdices: ireos, apii, petroſelini, bruſci, acori, raphani, aſparagi, aſari, ariſtolochiæ, ſquinanthi, *ſeu* junci odorati, aſphodeli, gentianæ, peucedani, ſcillæ, zzb. chelidonii majoris, pæoniæ, fæniculi, leviſtici, cyperi, graminis, cichorei ſylv. & domeſtici, eryngii, rubiæ tinctorum, rhapontici vulgaris, polypod. quercini, enulæ campanæ, acetoſæ, oxylapathi.

Cortices: rad. capparum, cinamomum, coſtus, rad. tamariſci, mediani fraxini.

Ligna: xyloaloë, fraxinus, lignum nephriticum.

Folia & *herba*: ſcolopendria, cuſcuta, hyſſopus, abrotanum, capilli ♀. chamædrys, calamintha, ocymum, abſynthium, hepatica, ceterach, hypericon, ariſtolochia, acetoſa, chelidon. ſolatrum, eupatoriũ, ſyſimbrium, chamæpithys, marrubium, pulegium, cochlearia, becabunga, naſturtium aquaticum, origanum, centaurium minus, betonica, endivia, cichoreum, cicerbita acetoſa, agrimonia, ageraton, praſſium, adianthum nigrum, ſeu ruta muraria, lingua cervina &c.

Fructûs: baccæ ſambuci, cubebæ, amygdalæ amaræ, cappares.

Gummi: myrrha, ammoniacum, bdellium.

Reſina: laricea, terebinthina.

Liquores: acetum, ſuccus limonum, aloë, nigellæ ſuccus inſpiſſatus, chalybeata pleraque.

Flores: ſtæchados, ſambuci, centaurii minoris, anethi, chamomillæ, hypericonis, endiviæ.

Semina: urticæ, apii, petroſelini, pæoniæ, fæniculi, dauci, leviſtici, ocymi,

ocymi, ammeos, agni caſti, item cicera rubra, lupini, nuclei Perſicorum, malor. Armeniac. ſem. carduib. ſeſeleos, 4. frigida majora & minora.

Chymica: ſal abſynthii, tamariſci, fraxini, tartari, cremor tartari, tartarus vitriolatus, tinctura tartari, mixtura antihypochondriaca, vel ſimplex, flores nitri, & ſal prunellæ, magiſterium Martis aperitivum Minſichti, gemma vitæ, tinctura baccarum juniperi, & granorum actes, balſamum polychreſtum Minſichti, oleum aniſi ſtillaticium, fæniculi, cinamomi, ſpiritus terebinthinæ, ſulphur. vitrioli, tinctura lapidis lazuli, ligni nephritici.

Aquæ: fæniculi, betonicæ, abſynthii, cichorei, hyſſopi, borraginis, lupuli, carduibenedicti, cinamomi, endiviæ, graminis, acetoſæ, Regis Ferdinandi ex nitro, acidulæ.

Syrupi: bizantinus, de 5. radicibus, de abſynthio, acetoſus ſimplex, de ſucco limonum, de cichorio ſimplex & compoſitus, capillorũ Ven. de pomis.

Electuaria: aromaticum roſatum, diarrhodon Abbatis, diatrion ſantalon.

Conſerva: florum geniſtæ, tamariſci, abſynthii, capillorum Ven. enulæ.

Confectiones: alchermes, citri.

Oxymel: ſimplex & compoſitum.

Trochiſci: de capparibus, de abſynthio, de evpatorio, de myrrha.

Species: aromaticæ roſatæ, diarrhodon abbatis, diatrion ſantalon, diajalappæ, diacurcumæ.

Ex *Unguentis:* deoppilativum, clyſmaticum, de calendula, de arthanita.

Ex *Emplaſtris:* de cicuta cum ammoniaco, & emollientia omnia.

Horum analyſis eſt, ut ex radicibus, herbis, corticibus lignis, floribus, fiant

Decocta.

Decocta, vel cum aquis propriis, vel cum aliis liquoribus: hæc, per ulteriorem ebullitionem, cum ſ. q. *ſacchari*,

Julepi.
Syrupi.

fiunt *Julapia:* vel, ſi ad majorem conſiſtentiam coquantur, *Syrupi* evadunt: vel ſi, omiſſo ſaccharo, decocta expreſſa usque ad mellaginem coquantur, fiunt *Extracta*.

Extracta.

Modus Decoctorum.

Ordo in *decoctis* talis, ſervari debet, ut ea, quæ difficilioris ſunt coctionis, priùs infundantur & coquantur; ut ſunt radices, ligna, & cortices, quàm folia & herbæ; hæ priùs quàm flores, aut aromata, quæ ultimô plerumque, ne inter coquendum evaporent ob ſubtilitatem, imponuntur.

Succorum.

Eadem fere *Succorum* fit analyſis: hi enim vel per reſidentiam, vel per ovi albumen, depurantur, & ex ſubſidentibus fæculis fit *Fæcula*, acetoſellæ, v. g. aronis, bryoniæ: ex fæcula magis depurata fit *Magiſterium*: vel coquuntur ad conſiſtentiam *Julapii*: vel, ſi ad majorem conſtentiam, *Syrupi*: vel, ſi omnis fere humiditas extrahatur, remanet inſtar mellaginis, eſtque *Extractum*: ex hoc formari poſſunt *Trochiſci*, vel *Pilulæ*: ex prædictis ſimplicibus fiunt *Pulveres*: ex his, cum ſufficienti quantitate ſyrupi appropriati, vel mellis deſpumati, fiunt *Electuaria*. ex floribus, herbis, & radicibus, cum ſaccharo, fiunt *Conſervæ*: item ex his, cum, vel ſine ſpiritu vini, vel vino infuſis & maceratis, extrahuntur *Eſſentiæ*, & *ſpiritûs*: hinc *ſpiritus* macis, roſarum, *eſſentia* meliſſæ &c. item ex floribus, radicibus, herbis, & lignis, ſpiritu vitrioli irrotis, affusâ aquâ calidâ, extrahuntur *Tincturæ*; uti eſt tinctura roſarum, radicum acetoſæ, ligni ſaſſafras &c. ex prædictis iterum ſimplicibus, contuſis & maceratis, deſtillantur *Aquæ*, in retorta vitrea, non cupreâ: ubi ſemper empyrevma ſummè cavendum eſt: hinc aq. carduibend., apii, petroſelini: ſuntque aq. deſtillatæ *ſimplices*, vel *compoſitæ*: ex prædictis iterum ſimplicibus incineratis, & calcinatis, affusâ aquâ, percolatur lixivium ſale impregnatum; quo dein per coctionem, vel deſtillationem, evaporante, remanent *Salia*; quæ duplicia ſunt, vel *fixa*, vel *volatilia*: hiſce tamen magis abundant animalia, quàm reliqua mixta, quæ plus fixi, quàm volatili, continent ſalis: talia autem ſic dantur, vel in jusculis, vel in decoctis, vel in aqua propria diſſoluta; quorum doſis à ℈j. ad ℥ſ. & ℈ij. ex prædictis ſimplicibus maceratis, & deſtillatis, ſeparantur *Olea per cotonem*; ut eſt ol. flor. geniſtæ, abſynthii, tamariſci, majoranæ &c. vel etiam dictis ſimplicibus oleum commune affunditur, ut eorum virtus reſolvatur potiùs, quàm extrahatur: exiguum enim eſt oleum menſtruum, niſi vetuſtate rancidum redditum. Olei *per infuſionem*

Fæcula.
Magiſterium.
Julep.
Syrup.
Extractum.
Trochiſci.
Pilulæ.
Pulveres.
Electuaria.
Eſſentia.
Spiritûs.
Tincturæ.
Aquæ.
Salia.
Olea per cotonem:
Per infuſionem:

facti exemplum eſt oleum liliorum alborum &c. Fiunt etiam olea per *expreſſionem*; uti eſt ol. amygd. dulcium, lini: vel per adustionem; uti eſt oleum chartæ, & ex panni laciniis adustis: vel per deſcenſum, igne circulatorio; uti eſt oleum ligni juniperi. Ex ſimplicibus prædictis maceratis, & contuſis, & cum axungia aliqua, vel butyro, coctis fiunt *Linimenta*: vel, ſi magis coquantur, additâ cerâ, *Emplaſtra*: item ex pulveriſatis & inciſis herbis, radicibus, floribus, lignis, *Cucuphæ*, & *Sacculi*, ſeu Matratia: ex iisdem integris, vel parum inciſis, ſacco involutis, & in aq. lacte, vel vino, coctis, fiunt *Balnea*, *Semicupia*, *Pedilavia*, *Stillicidia*, *Fomenta*: eorúmq; vapores parte aliqua corporis, vel per tubulum excipiuntur.

Expreſſionem. Adustionem. Linimenta: Emplaſtra: Cucuphæ: Sacculi: Balnea: &c.

Attenuantia.

Attenuantia.

RAdices: aſphodeli, ariſtolochiæ, narciſſi, thapſiæ, ireos, apii, enulæ campanæ, pyrethri, aſparagi, acetoſæ, cichorii, graminis.

Cortices: cinamomum, rad. capparum.

Folia & *herbæ*: abrotanum, cuſcuta, ruta, ſabina, calamenthum, evpatorium, ſcolopendria, hyſſopus, menthaſtrum, chamæpitys, eruca, malabathrum, anethum, abſynthium, centaurium minus, hypericon, majorana, laurus, origanum, pulegium, roſmarinus, ſatureja, thymus, acetoſa, lingva cervina, capillares omnes, intybus, dens leonis, chondrilla, hepatica, urtica &c.

Fructûs: pineæ, caricæ, uvæ paſſæ, baccæ juniperi & lauri, arantia, limones, poma citria, melones, pepones, pruna acida, ceraſa acida, ribes, berber.

Flores: ſtæchados, ſambuci, centaurii minoris, anethi, chamomillæ, hypericonis, cichorei, endiviæ.

Semina: lini, fænigræci, citri, ammeos, agni caſti, erucæ, aniſi, apii, cumini, fæniculi, rutæ, ſinapios, acetoſæ, endiviæ, hordeum, ſemina quatuor frigida majora.

Gummata: ammoniacum, opopanax, galbanum.

Ex *reſinis*: maſtiche, pix navalis, Burgundica, liquida.

Liquores: aceti fex, petroleum, ſuccus limonum, acetum omphacinum.

Succi inſpiſſati: evphorbiū, aſa fætida.

Metalla: plumbum, chalybs.

Mineralia: nitrum &c.

Animalia: ſtercus muris, axungiæ vetuſtiores, maximè vulpina, urſina.

Chymica: oleum balſami Indici, tinctura baccarum lauri, flores vini, aquæ ſtillatitiæ herbarum 6 antedictarum.

Conſerva: cichorei, acetoſæ, citri, oxymel ſimplex & compoſitum.

Olea: amygdalarum amararum, anethi, hypericonis, irinum, laurinum, nucum, rutaceum, terebinthinæ, ſulphuris.

Ungventa: Agrippæ, Aregonis, carminativum Minſichti &c.

Hæc iterum in varias formas poſſunt transmutari, & tum intrinſecè, tum extrinſecè, pro ratione mixti, adhiberi: ſi, v. g. phlegma in pectore attenuandum ſit,

℞. *Decoct. hyſſop.* in *oxymel.* fact. ℔j. *Decoctum pectoral:*
in quo diſſolve
ſyrupi byzantini,
de hyſſopo,
oxyſacchari ſimplicis, ana ℥iß.
M. Doſis calidè ad ℥iiij.

Si attenuanda pituita in capite:

℞. *Hydromelitis cum ſpeciebus* ℔j. *Gargariſmus.*
farinæ ſeminis ſinapios ℥j.
mellis pyrethri ℥iij.

M. pro Gargariſmo, ſæpius in ore retinendo: qui pituitam attenuatam copioſè ex capite deturbat.

Si in ſtomacho pituita attenuanda ſit:

℞. *Sal. tartari cryſtall.* *Pulvis.*
abſynthii,
fæcula aron.
acetoſellæ, an. gr. xv.

M. F. Pulvis pro doſi, cum vino, vel juſculo, exhibendus.

Arefacientia eſculenta:

EX *herbis*, & *foliis*: braſſica: ex *ſeminibus*: lens, agnus caſtus, orobi biſcocti: ex *animalibus*: inumſata, & valde ſalſa omnia.

Animalia venenata.

Canis rabidus, veſpæ, apes, phalangion, aſterion, ſcolopendra, ſcorpius, paſtinaca marina, ſcorpius marinus, Draco marinus, & terreſtris, araneus, vipera, aſpis, crocodilus, baſiliſcus, rubeta, cantharides, ſcytale, hæmorrhous, cæcilia, cenchris, ceraſtes, dipſas, lacerta, ſepedon, ſalamandra, cranocolapta, ammodite, ſtellio, aecontia, amphysbæna, tarantula, dryinus,

natrix,

natrix, hydrus, cherſydros, torpedo, halitus lupi.

Adſtringentia:

Adſtringentia. Radices: pruni ſylveſtris, pentaphylli, biſtortæ, tormentillæ, ſymphyti majoris & minoris, junci odorati, aſperulæ, rubiæ tinctorum, anchuſæ, rhabarbari toſti, acetoſæ, caryophyllatæ, Chinæ, filicis, lappæ majoris, nymphææ, pimpinellæ, ſangviſorbæ, verbaſci, calami aromatici, cyperi longi.

Cortices: malicorii, pini, thuris, mediani ſumach, jugland. virid. calicum glandium, myrobalanorum, meſpilorum, quercûs, fabarum, nucum, rad. mandragoræ.

Ligna: lentiſcus, ſantala, aloë.

Folia, & *herbæ*: ſumach, acacia, plantago, rubi germina in aq. cocta. ſolanum, hedera, ſempervivum, portulaca, lenticula paluſtris, endivia, lactuca, tribulus aquaticus, umbilicus Veneris, polygonatum, auricula muris, bellis hortenſis & agreſtis, equiſetum, folia ſorbi, quercus, meſpili, vitis, oleaſtri, capreoli cupreſſi, abſynthium, centinodia, burſa paſtoris, mentha, pyrola, ſanicula, virga aurea, lyſimachia rubra, fragaria, agrimonia, alchimilla, balſamina, ſophia Chirurgorum, ſolidago, oxylapathum, amaranthus purpureus, millefolium, filix, phyllitis, lunaria, ophiogloſſum, rorella, hepatica, tragopogum, nummularia, verbena, lentiſci folia, ſalicis, populi, liguſtri, muſcus quercinus, abſynthium Ponticum, betonica, roſmarinus, ſalvia, ſcabioſa, perſonata, perſicaria maculoſa, folia pyri domeſticæ, gratia Dei, artemiſia,

Fructûs: ſpinæ Ægyptiacæ, acaciæ, cynosbati, baccarum myrti, meſpila, gallæ immaturæ, ſorba, nuces cupreſſi, cydonia, pyra, corna, poma granata, ribes, berberes, mora immatura, glandes, ceraſa, rubi Idæi, uvæ criſpæ, nux moſchata, baccæ tiliæ, roſarum lanuginoſi fructûs, cum ſem. foliis, & ungvibus.

Flores: balauſtiorum, acaciæ, croci, roſarum, myrtilli, ſpicæ, junci odorati, fex roſarum deſtillatarum.

Semina: panici, ſumach, plantaginis, portulacæ, burſæ paſtoris, grana tinctoria, acini uvarum, acetoſæ, myrtilli, papaveris albi, roſarum, oryzæ, naſturtii, cumini toſti, coriandri præparati, ſophiæ Chirurgorum, hyoſcyami, grana kermes, granatorum, hordeum toſtum, farina fabarum.

Gummata: ſangvis Draconis, tragacanthum, ſarcocolla, gummi Arabicum, juniperi.

Reſina: thus, myrrha, maſtiche, reſina laricea & abietina, camphora.

Liquores: vinum granatum, ſuccus mororum immaturorum, acetum, aqua ferrata, ſeu fabrorum. ſuccus cydoniorum, agreſta, vinum auſterum, ſuccus plantaginis, aqua pluvialis, chalybeata.

Succi inſpiſſati: acacia, hypociſtis, aloë, amylum, opium.

Marina: corallium, ſuccinum, margaritæ, mater perlarum.

Metalla: tutia, & ferrum.

Mineralia: terra Lemnia, lapis hæmatites, terra ſigillata, bolus Armena, ſangvis Draconis, ſandaracha, cryſtalli præparati, ſmaragdus, ſapphirus, granati, terra Strigenſis.

Animalia: lac chalybeatum, C. C. uſtum, ebur, mumia, vermes terreſtres, chryſocolla, ſperma ranarum, oſſa humana uſta, coagulum leporis & hædi, album græcum, oculi & mandibulæ lucii, inteſtina luporum, pelliculæ interiores ventriculi gallinarum, vitelli ovorum in aceto cocti, albumen ovorum, raſura oſſis ſepiæ, leporis cineres, turtures cerâ impleti, & in clibano toſti, cochleæ cum teſtis uſtæ, lapis bezoardicus.

Chymica: oleum myrrhæ, crocus Martis adſtringens, laudanum opiatum, & Cæſareum, extractum ſymphyti, tormentillæ, nepenthes, tinctura corallorum, ſmaragdi, pilulæ de bdellio, de cynogloſſa, ſperniola Crollii.

Aquæ: roſarum, plantaginis, ſolani, corticis nucum, portulacæ, centinodii, acetoſæ, foliorum quercûs, pyrorum agreſtium.

Syrupi: cydoniorum, roſarum ſiccarum, granatorum, myrtinus, miva cydoniorum, ſyrupus de ſymphyto, de hiſpidula, de abſynthio, evpatorio, agreſta, ribibus, berberibus, de papavere, de violis, de mucilaginibus, coralliis &c.

Conſervæ: roſarum vetuſta, menthæ &c.

Confectiones: cydonia cocta in aqua chaly-

chalybeata, vel in vino auſtero, corna condita, Theriaca, diacodium, Philonium Romanum, & Perſicum, diacydonium, Mithridatium, requies Nicolaï, marmelada.

Trochisci: de rhabarbaro, de ſpodio, de carabe, de terra ſigillata, de berberibus, de granis actes, Ramich.

Species: diarrhodon Abbatis, diatrion ſantalon.

Olea: maſtichinum, de abſynthio, roſarum, omphacinum, de mentha.

Emplaſtra: contra rupturam, de cruſta panis &c.

Ex *unguentis*: Comitiſſæ.

Decocta Pectoralia. Adſtringens *pulmones* eſt *decoctum millefolii Tabernæ Montani*, item *decoctum* D. Krafft ad hæmoptoiſin. Vide Praxin noſtram, *capite de Hæmoptoiſi*: ité vide *caput de* Dyſenteria, Teneſmo, Fluxu hepatico, Hæmorrhagia narium, Hæmorrhoidum uteri &c. Item vide ſequentia.

Alvum adſtringentia:

Obſtruentia. Cortices: interior. caſtanear. coſtl, fabarum, medius ſambuci, ex vino albo potus.

Folia & *herbæ*: mentha cũ aceto, folia cupreſſi, caulis, plantaginis, radiculæ.

Fructus: cydoniæ mala, corna, ſorba, gallæ, meſpila, mora Celſi immatura, myrtill. berberes, pyra immatura, mala Pontica, dactyli acerbiores, poma acida, mala granata, uvæ paſſæ acerbæ, pruna aſſa.

Flores: acaciæ, roſarũ, balauſtiorum.

Semina: fabarum, papaver. nigr. lentium, ſumach, plantagin. milii Solis, oryza.

Gummata: ſanguis Drac. tragacanth.

Reſinæ: maſtiche &c.

Liquores: vinum acerbũ, & rubeum.

Succi inſpiſſati: hypociſtid. acaciæ.

Marina: corallium &c.

Metalla: lithargyrium, crocus Martis adſtringens.

Mineralia: alumen, bolus Armena, terra ſigillata.

Animalia: coagulum leporis, lac aſinæ, capræ, caſeus, hepata animalium in aceto elixa, lac coagulat. cancri, leporina caro, ſanguis anatum muſculorum.

Chymica: magiſterium corallior. roſatum, tinctura papaver. errat. corallor. crocus Martis adſtringens.

Syrupi: ſtipticus Minſichti, corallior. cydonior. de ſymphyto.

Electuaria: ſtipticum Minſichti, roſarum, ad dyſenteriam, de ſcordio.

Ex *Conſervis*: menthæ &c.

Ex *Confectionibus*: biſcoctum, diacydonium ſimplex.

In forma *Julapis*: *Julapus.*

℞. *Aq. plantaginis*,
roſarum rubearum,
pimpinellæ,
tormentillæ,
ſucci pomorum acidorum,
vini granatorum, ana ℥ij.
ſyrupi de roſis ſiccis,
cydoniorum,
granatorum,
myrtini, ana ℥j.

M. F. Julapium. Doſis manè, & veſperi, ab ℥v. ad ℥vj. vel, loco ejus, ſola *Roſarum tinctura chalybeata* propinari poterit. *Tinctura.* In forma *Pulveris*:

℞. *Corall. rubror. præparatorum*,
boli Armenæ præparat.
ſanguinis Draconis,
ſem. plantaginis,
fol. menthæ ſiccorum, ana ℈ij.

M. F. Pulvis. Doſis ʒj. in *aqua plantaginis*, vel *julapio præcedenti*. Vel in forma *Pulvis.* *Electuarii*: *Electuarium.*

℞. *Conſerv. roſarum rubearum*,
rob ſorborum,
meſpilorum,
cornorum,
elect. diaſcord. Fracaſtor.
ſtiptici Minſichti, ana ℥j.

Cum ſ. q. *ſyrupi corall.* vel *cydonior.* F. Electuarium molle. Doſis magnitudo caſtaneæ, ſingulis 4. horis.

Extrinſecum adſtringens in forma *Linimenti*: *Linimentum.*

℞. *Ung. Commitiſſæ* ℥ij.
olei omphacini,
myrtini,
cydoniorum,
maſtichini, ana ℥ß.
maſſ. empl. contra rupturam ʒvj.

M. ad ignem: quo tota regio abdominis inungatur.

Abortum facientia:

Radices: ſquillæ, ireos, dictamni albi, hellebori albi & nigri, colubrinæ.

Folia & *herbæ*: calamentum, chamædrys, ſummitates ſabinæ & hederæ arboreæ, cotula fœtida.

Fructus:

Fructus: caſſia, colocynth. baccæ juniperi.

Flores: chamomillæ, colubrinæ.

Ex *ſuccis inſpiſſatis*: conyzæ &c.

Ex *animalibus*: ſtercus tauri, cantharides, lepus marinus fœmina, priapus cervi. Plura hîc ad abuſum addere, piaculum foret.

Attrahentia.

Attrahentia.

RAdices: apii, pyrethri, cannæ, ariſtolochiæ, cyclaminis, anemones, dracunculi, gentianæ, ranunculi, narciſſi, ari, thapſiæ, allii, ceparum, hermodactylorum, ireos, hellebori, anacardiorum, enulæ campanæ, naſturtii.

Folia & herba: pyrethrum, majorana, ſcabioſa, dictamnus, flammula, urtica, lepidium, ranunculus, anagallis, calamintha, iberis, ſaponaria, zedoaria, thlaſpi, hedera, tithymali, & eſulæ omnes, aron, hydropiper, thymelæa, naſturtium, polygonatum, lolium.

Fructus: anacardia, colocynthis.

Semina: ſinapios, thlaſpios, urticæ.

Gummata: ſagapenum, Armoniacum, galbanum opopanacum, pix ſicca, euphorbium, bdellium, gummi hederæ, & elemi.

Reſina: vulgaris, myrrha &c.

Liquores: lac tithymalorum omnium.

Succi inſpiſſati: aſa fœtida, elaterium.

Ex *marinis*: ſuccinum.

Mineralia: magnes, & ſulphur.

Animalia: cantharides, ſtercus columbinum, & omne ſtercus aſſum ſanguiſugæ, propolis, fimus anſerinus & gallinaceus, mel, ſcorpiones, bufones; caro bubula nuchæ applicata attrahit defluxiones à capite, & eò magis, ſi pulvere, ſeu farina, ſeminis ſinapios inſpergatur: tunc enim veſicas excitat.

Pharmaceutica: extractum Theriacæ, & Mithridatii.

Emplaſtra: de meliloto, de baccis lauri, de iberide, maximè ad iſchiaticam, de ſulphure, oxycroceum; fermentum cum ſapone, emplaſtrum diadictamnum: quæ ultima duo præcipuè uſurpantur ad extrahendas ſpinas, vel tela infixa: frictiones etiam, in partibus externis factæ ad ruborem, attrahunt ad eaſdem.

Aperientia, ſeu dilatantia vulnera.

Vulnera dilatantia.

RAdices: cyclaminis, allii, cæpæ, pyrethri.

Cortices: cinamomi &c.

Folia, & *herba*: pulegium, pyrethrum, juncus odoratus, chamæpitys.

Flores: violæ albæ.

Semina: rutæ, piperis.

Gummata: galbanum, bdellium, opopanacum.

Reſina: communis, pini, balſamum, terebinthina, pix.

Ex *mineralibus*: ſulphur, & alumen.

Animalia: propolis.

Olea: avellanarum, liliorum alborum, petroleum, amurca, oleum vetus. Chirurgi noſtri, ad vulnera dilatandum, imponunt ſpongiam præparatam, quæ, madefacta, plurimum dilatat: etiam, ubi è profundis partibus oſſicula ſunt educenda, filo, vel ſetaceo, alligantur, intruduntur, &, dum dilatatæ retrahuntur ſpongię, ſimul etiã oſſicula educunt. Vulnera item dilatat medulla ſambuci, & radix gentianæ, aut ireos, impoſita: item ærugo, ſquamma æris, æs uſtum, & flos æris.

Ex *mineralibus*: auripigmentum, lapis infernalis, ochra, myſus, calx, ſal, alumen, vitriolum, Mercurius præcipitatus, ſublimatus.

Animalia: cantharides, ſalamandra, ſtercus columbæ, lacertæ, hirundinis, ovis.

Auribus convenientia.

Auribus appropriata.

RAdices: aſphodeli, lapathi minoris, mandragoræ, aronis, hellebori nigri, cæparum, cyclaminis, althææ, liliorum alborum: ſuffitûs ex radicibus gentianæ, & origano.

Ligna: tabulæ cupreſſi calidè applicatæ; vel, juxta Joannem Baptiſtam Portam, *in Magia naturali, l. 20. c. 5. p. 3. lin. 1.* illud ex ligno hederæ, & præcipuè ſmilacis.

Folia & herba: lycium, althæa, aſarum, hedera arborea, melilotum, hyſſopus, folia ſalicis, malvæ, violarum, lactucæ, praſſii.

Fructûs: baccæ myrti, ficûs, &c.

Flores: croci, cardui benedicti, pomi, hellebori albi, in idoneo liquore infuſi.

Semina: grana pomi granati, cum melle cocta, ebuli, pſylii, urticæ, malvæ, lentis paluſtris.

Farina: tritici, ſeminis lini, fœnigræci.

Mucilago: ſeminis pſyllii, cydoniorũ.

Gummi: juniperi, ſuffitûs ex ſarcocolla.

Digitized by Google

Reſina: balſamum Orientale, ladanum, olibanum, thus, ſuffitus ex myrrha & galbano.

Liquores: ſuccus acetoſæ, fumus aceti, ſuccus ſinapios, cæparum, cucurbitæ, hyoſcyami, marrubii, omphacium, ſuccus origani, cum lacte mulieris, ſuccus pevcedani, burſæ paſtoris, populi arboris, polygoni, porri, raphani, ſambuci, ſolani, labri Veneris, capparis, bryoniæ, menthæ, nigellæ, colocynthidis, ſcyllæ, petroleum, ſuccus rutæ, fraxinum cum liquore idoneo decoctum, item decoctum abſynthii in ſpiritu vini, acetum ſimplex & ſcylliticum, item decoctum origani & rutæ, pro vaporibus per tubulum excipiendis, vel lanâ, goſſypio, aut ſpongiâ applicandum, item ſuccus centaurei minoris, agrimoniæ, betæ &c. cum melle roſato inſtillandus, item vinum, in quo betonica decocta ſit, item acetum, cum oleo laurino, vel cum ſucco porri, vel oleum nucleorum Perſicorum, vel amygdalarum amarum, guttatim calidè inſtillatum.

Metalla: pompholyx, tutia, ceruſſa, &c. in vino cocta.

Mineralia: alumen cum ſucco polygoni, chryſocolla, ſulphur cum melle.

Animalia: fel arietis, bovis, adeps canis, urina cervi, grillus cum ſua terra effoſſus, caro leonis, adeps vulpis, ſaliva hominis jejuni, ſtercus hominis calidum, fel pavonis, columbi, hominis, vel eſſentia ejus: de qua vide *Praxin noſtram*, pingvedo angvillæ, mumia, caſtoreum, moſch, cum bombace impoſitus, butyrum recens, lac muliebre.

Chymica: ſpiritus vini acoviſticus Minſichti, ſpiritus, & oleum otalgicum ejusdem, oleum acoviſticum ambratum, oleum balſami.

Aqua: vitæ ſimplex, & compoſita, ſalviæ, abſynthii, aniſi, colubrinæ, Perſicorum, majoranæ: *oleum* ejusdem, nardinum, irinum, rutaceum, è vitellis ovorum, caryophyllorum, cumini, lauri, fœniculi, ſalviæ, ſpicæ, roſarum, amygdalarum dulcium.

Emplaſtra: medulla panis in lacte madefacta.

Arthritica.

Arthritica.

RAdices: hermodactyli, ſquillæ, aſari, enulæ, raphani, naſturtii, apii, acori, ireos, pentaphylli, verbaſci, primulæ veris, chamæpythios, calaminthæ, ſpicæ Indicæ, eryngii, Imperatoriæ, pevcedani, rhapontici, coſti, hellebori nigri.

Cortices: radicum capparis, cinamomi.

Ligna: ſaſſafras, viſcus quercinus.

Folia & herba: aſarum, calamentum, ruta, hypericon, naſturtium, origanum, lactuca, ſempervivum, endivia, majorana, ſalvia, herba paralyſis, betonica, chamæpythis, roſmarinus, folia lauri, lavendula, ſtæchas, artemiſia, verbaſcum, centaurium minus, ſolanum, plantago, althæa, hyoſcyamus, malva, parietaria, ebulus, ſambucus, lens paluſtris, pulegium, chamædrius, hyſſopus, ſerpillum, ſpica nardi, Celtica, Italica, tragoriganum, branca urſina, arnogloſſa, pſyllium.

Fructûs: grana myrti, hermodactyli, anacardia, nuclei pinei, grana juniperi, chermes, nux moſchata, caryophylli.

Flores: hypericonis, chamomillæ, ſtæchados, lavendulæ, roſar. rubear. macis.

Semina: ſinapios, juniperi, cardamomum, faba.

Gummi: ammoniacum, ſerapinum, opopanax, camphora.

Reſina: myrrha, ſtorax liquida, maſtix, bdellium.

Liquores: phlegma vitrioli, albumen ovi, oxycratum, ſal prunellæ in aqua papaveris erratici ſolutum, mucilago ſem. pſyllii & cydoniorum, ſuccus foliorum capparis.

Succi inſpiſſati: evphorbium &c.

Marina: corallia rubea uſta &c.

Mineralia: bolus Armena, thermæ ſulphureæ, nitroſæ, bituminoſæ, & parum aluminoſæ, harumq; ſtillicidium ad principium ſpinæ, limus item ex his extractus, & impoſitus ſedi affectæ.

Animalia: ſtercus vaccarum, & boum (quamvis exiguum effectum in curâ illâ podagræ ſtercorariâ, nuper inventâ, repererimus) caſtoreum, lumbrici terreſtres, cinis C. C. & cranii humani, oleum ex ſangvine humano, adeps taxi, cati, vulpis, canis, urſi, ſerpentis, cerebrum leporis aſſatum, adeps viperinus, cervinus, humanus, muris mon-

tan. lac intus & extra. Vide Tractatum Dni. Doctoris Greiſel, *de cura Podagræ per Lac*, Anno 1670. Viennæ impreſſum.

Chymica: oleum Philoſophorum, ceræ, terebinthinæ, viperinum, Saturni, ſpiritus & tinctura tartari.

Aquæ: roſarum, ſolani, plantaginis, papaveris erratici, Theriacalis, majoranæ, lavendulæ, ſalviæ ſimplex & compoſita, arthritica A. A. Anhaltina, ſpiritus vini juniperatus.

Electuaria: diamargaritōn frigid. caryocoſtinum &c.

Conſervæ: chamæpityos, beton. anthos, roſarum, primulæ veris, ſalviæ, eryngii.

Confectiones: oxymel Julianum, ſcylliticum, confectio anacardina, Theriaca, Mithridatium.

Species: diagalangæ, pleres archont. diambræ, diamoſchi.

Olea: violarum, nymphææ, roſarum, ex ſangvine humano, caſtorei, lauri, terebint. hypericonis, mellis, juniperinum, irinum, vulpinum, coſtinum, de evphorbio, vini ex ſpiritu, ſambucinum, camomillæ, lumbricorum, nucis moſchatæ expreſſum, petroleum, anethinum, rutaceum, flammulæ, nucis avellanæ.

Liquores: Galbanetum Paracelſi, & balſamus Guidonis.

Ung: roſatum, arthriticum, Martiatum, de althæa.

Exemplum *cathartici arthritici*, in forma *Potûs*: Purgant. Potio.

℞. *Herb. chamæpityos,*
betonicæ,
ſalviæ,
majoranæ, ana m ß.
rad. enulæ,
primulæ veris,
aſari,
ireos, ana ʒij.
flor. anthos,
ſtachados, ana p j.

His omnibus ſuperaffunde
aquar. betonicæ,
majoranæ, ana bullientium ℥iiij.

Stent per noctem: dein fiat ebullitio ad decid. ℥ij. Colat. calid. ſuperaffundantur
mannæ electæ ℥ij.
rhabarbar.
agar. recens trochiſcati, ana ʒij.
fol. ſenæ s. st. ℥iiiß.
hermodactylorum ʒj.

Iterum ſtent 24 horis: dein in colaturâ, forti expreſſione factâ, diſſolve
electuarii caryocoſtin. ʒj.
cremoris tartari ℈j.
ſalis betonicæ ℈ß.
ſpiritûs macis gutt. v. M. F. Potio.

Vel in formâ *Pilularum*: Pilulæ.

℞. *Extract. cochiarum,*
hermodactylorum, ana gr. xv.
ligni aloës,
reſinæ galapp.
pulv. Syris, ana gr. iiij.

Cum ſ. q. *ſyrupi de betonica* F. Pil. n. viiij. pro una doſi.

Externum membra *confortans*, in forma *liquida*: Liquor confortans externus.

℞. *Aquæ ſalv. compoſ.*
arthriticæ, ana ℥iiij.
vitæ juniperat. ℥ij.
ſpiritûs lilii convallium ʒj.

M. pro ung. membris: vel Unguenta.

℞. *Balſami Guidonis,*
galbaneti Paracelſi,
olei caſtorei, ana ℥j.

M. pro Unctione: vel

℞. *Ol. lumbricorum* ℥ij.
caſtorei ʒiij.
laurini ʒvj.
Philoſophorum ʒß.
ungventi nervini ℥ij.

M. F. Ung. pro nervis inungendis.

Medii cibi inter attenuantes, & incraſſantes.

FRuctûs: ficus &c. Cibi medii,

Liquores: vinum rutilans, & ſubflavum.

Animalia: carnes gallinarum, phaſianorum, columbarum, paſſerum, merularum, caponum, perdicum, turturum, piſces ſaxatiles, carnes aragenum.

Confectiones: panes optimè excocti, ſuccolata Inda &c.

Anodina.

RAdices: naſturtii, althææ, liliorum. Anodina.

Folia & herbæ: chærefolium, rutæ, pyre-

pyrethrum, ſambucus, althæa, leviſticum, majorana, petroſelinum, camomilla, malva, brancaurſina, violaria, ſummitates anethi, lunaria, oculus Chriſti.

Fructûs: hermodactyli.

Flores: camomillæ, liliorum alborum, meliloti, verbaſci, croci, anethi, ſambuci.

Semina: papaveris albi, lini, carvi, ſinapis, nigellæ, fabarum, fænigræci, althææ, tritici, ejusque farina, hordei.

Gummi: ſerapinum, opopanax, galbanum.

Reſina: thus, aſa fætida.

Liquores: xylobalſamum, petroleum.

Succi inſpiſſati: evphorbium &c.

Animalia: pingvedines calidæ, ſtercus columbinum, caſtoreum, lac tepidum, butyrum recens ſine ſale, œſipus, vitellus ovi, calens adhuc caro animalium, omenta animalium, pulmones, adeps ſuillus, anſerinus, gallinaceus, humanus.

Chymica: oleum ex vitellis ovorum.

Aqua: chamomillæ, florum ſambuci &c.

Olea: olivarum, nucum, amygd. dulc. liliorum alborum, lini, chamomillæ, anethini, irinum, roſarum, lumbricorum, hydrelæum, jaſminum, cheirinum, ſeſaminum.

Emplaſtra: diachylum ſimplex, de meliloto, oxycroceum.

Ungv. anodinum, dialthææ, reſumpt. Fernelii.

Per aures educentia.

Dictica, RAdices: hellebori albi, ariſtolochiæ &c.

Fructûs: caſſia &c.

Semina: piper &c.

Gummi: galbanum, bdellium.

Liquores: ſuccus betæ, & capparum.

Animalia: fel leonis, & tauri, item hominis, & perdicis.

Alexipharmaca.

Alexipharmaca. RAdices: naſturtii, cyclaminis, allium, enulæ campanæ, gentianæ, doronici, dictamni albi, angelicæ, anthoræ, leviſt. vincetox. biſtortæ, eryngii, Imperatoriæ, pimpinellæ, ſaxifragiæ, tormentillæ, ſcorzoneræ, zedoariæ, contraiervæ, ſuccißæ, petaſitidis, libanotidis; quam, præter alia Nobiliſſima ſimpl. copioſè repertimus in declivi alpium Auſtriacarum.

Cortices: citri, cinamomum, lign. aloës, ſantala.

Folia & herbæ: pimpinella, hypericon, calamenthum, card. bened. ruta, herba paralyſis, thapſus barbatus, mentha, ſalvia, porrum, dictamus, abſynt, pentaphyllum, galega, ſcabioſa, ſcordium, valeriana mas, ulmaria, veronica, acetoſa, chelidonia, plantago.

Fructûs: nuces juglandes, poma citri, arantia, nux moſchata.

Flores: pæoniæ, borraginis, bugloſſæ, caryophyllatæ, crocus, flos calendulæ, centaurii minoris, hypericonis, nymphææ, roriſmarini, roſar. rubear. violarum, macis, millefol.

Semina: orobi, aniſi, acetoſæ, card. benedicti, citri, coriandri, grana juniperi, chermes, leviſtici, hyperici, carvi, ocymi, napi, pimpinellæ, ſaxifragiæ, cardamomi, piper omne.

Gummi: camphora, laſerpitium, benzoe.

Reſina: pix liquida, myrrha.

Liquores: ſuccus caulium, balſamus, acetum, oleum ſumptum, ſanguis leporis, ſuccus citri & arantiorum, acetum forte, rutaceum, galegæ, flor. tunicæ.

Succi inſpiſſati: evphorbium & aloe.

Marina: corallia, perlæ, ambra & ſuccinum.

Mineralia: ſal, bolus vera, terra ſigillata, rubinus, ſmaragdus, hyacynth. ſaphyrus, topazius.

Animalia: caſtoreum, ſanguis leporis, caro phaſiani, coagulum leporis, mumia, moſchus, unicornu, ebur, os de corde cervi, cornu cervi recens, & ejus ſal volatile, bezoar, ſanguis ciconiarum.

Chymica: ſpiritus vitrioli, ſulphuris, tartari, terræ ſigillatæ, ſalis dulcis Hart. ſal bard. bened. abſynt. angelicæ, Imperatoriæ, valerianæ, fraxini, ſcordii, extr. angelicæ, ariſtolochiæ, Zedoariæ, card. bened. gran. juniperi, mumiæ, petaſitidis, rutæ, tormentillæ, flores ſulphuris, bezoardicum minerale, Solare, Joviale, Lunare, ol. deſtill. angelicæ, citri, zedoar. camphoræ, baccarum lauri, juniperi, rutæ, ſuccini,

oleum

Digitized by Google

oleum compoſitum ex oleo caryophyl. & ſale abſynt. Hartmanni, tinctura Solis, & mumiæ, magiſterium cornu cervi, perlarum, rubini, nitrum perlatum, oleum Magni Ducis Hetruriæ, ſcorpion Matthioli, Clementis VII.

Aquæ: tormentillæ, vincetoxici, valerianæ, angelicæ, ſcordii, Stapediana, galegæ, leviſtici, cardui benedicti, ſcorzoneræ, centaur. min.

Syrupi: acetoſitatis citri, de ſucco acetoſæ, cardui benedicti, ſcordii, ſcabioſæ.

Electuaria: de ovo, diaſcordium, camphoratum *Kegleri*.

Conſerva: florum bugloſſæ, roſarum rubearum, nymphææ, roriſmarini, betonicæ, calendulæ, flor. tunicæ, cortices citri, & myrob. conditi, rad. pimpinellæ, angelicæ, enulæ, limones, ribes, berberes conditi; conſerva acetoſæ, leviſtici, rutæ caprariæ, & ſcordii.

Confectiones: Theriaca, Mithridatium, confect. de hyacint. alkermes, rob juniperi, trochiſci de vipera.

Species: aromat. roſat. degemm. frig. pulv. rubei Pannonici, diambræ, diatrion ſantal. dianthos, diaſcordii, diamoſchi, pulv. Saxon. Cæſaris rub. contra peſtem, ſpecies liberantis.

Olea: oleum potum in ſat magna quantitate, alexipharmaca de ficubus & fructibus alkekengi, ex Theriaca, & cæpis, ipſa vipera viva.

Alexipharmac. Potus.

Potus alexipharmacus:

℞. *Rad. vincetoxic.*
leviſtici,
angelicæ, ana ℥iij.
fol. ſcordii,
galegæ, ana mj.
ſem. ejuſdem ℥j.

Coq. in ſ. q. *aq.* ad colat. ℥iiß. cui adde
elect. diaſcord. Fracaſtorii ʒij.
pulv. Pannonic rub. ℈j.
ſalis C. C. volatil. gran. xx.

M. F. Potio pro unâ doſi vel, in forma
Pulveris:

Pulvis.

℞. *Pulv. Pannonic. rubei* ℈j.
ſal. C. C. volatil. gr. xv.
lap. bezoard. Occid.
unicornu veri, ana gr. iiij.

M. F. Pulvis, pro una doſi, in *aqua ſcorzonera* ſumendâ.

Vel, in forma *Electuarii.*

℞. *Pul. Cæſar. rubei*
ſpecier. liberant. ana ℈j.
lap. bezoar. pul. gr. vj.
elect. diaſcordii, vel *de ovo*, ℈j.

Cum ſ. q. *ſyr. de ſcord.* F. Elect. molle, pro una doſi. Hiſce, & ſimilibus, die critico, in febribus malignis, præmiſsâ *unctione Aëtii*, ad poros aperiendos, multos ab Orci faucibus liberavimus.

Extrinſecè aperientia:

Folia & *herba*: ranunculus, panaces, uvæ ſimia labruſca.

Liquores: lac ficulatum.

Animalia: fimus columbinus, cantharides.

Abſorbentia:

Liquores: acetum, muria, aq. marina, lixivia ex cineribus ſarmentorum, & ſimilium, ut ab extincta & oleoſa calce.

Mineralia: alumen, ſal nitrum, ſulphur, calx.

Chymica: ol. Philoſophorum, petroleum, evphorb. coſtin.

Bilem gignentia:

Radices: apii, cæpæ, petroſel. allia.

Folia & *herbæ*: ſalvia, eruca, ſerpillú, braſſica, anethum, libanot. ruta, ocymum, mentha, petroſelinum, chærefolium, fæniculum, porrum.

Animalia: mel, viperæ, caro capræ.

Ex *fructibus*: dulces omnes, & ſaccharata omnia.

Bilem contemperantia:

Folia & *herba*: lactuca, portulaca, lapathum, ſpinachium, pimpinella, bugloſſa, intybacea omnia, acetoſa, atriplex, blitum, alleluja, violaria, telephium.

Fructûs: pruna Damaſcena, myrobalani, mala acida, pyra non multum dulcia, ceraſa, cucurbita, omphacia condita, poma granata, & eorum ſuccus.

Animalia: pulli gallinacei, albi potiùs, quàm nigri, capi juniores, hædi, vituli lactantes, vervèces, perdices, phaſiani, coturnices, alæ anſerum & anatum, piſces ſaxatiles, ova gallinarum recentia, & ſor-

& ſorbilia, præterquam in vehementi æſtu, lac, ſerum, & caſeus recens.

Ex *Mineralibus*: nitrum, & aqua ejus deſtillata, quam vocamus *aq. Regis Ferdinandi*, quæ bilem mirabiliter domat, item chalybeata omnia.

Semina: quatuor frigida majora & minora.

Nota, ex foliis, & herbis fieri poſſe *juscula*, vel *gelatina*; ex ſuccis *julapia*, *ſyrup.* quorum tamen, velut dulciorum, uſus frequens eſt vitandus. Sunt & de ſucco acetoſæ, acetoſellæ, granator. portulacæ, endiviæ, cichorei, roſar. rubear. item julep. violar. roſar. *Doſis* jusculorum bilem contemperantium eſt ℥vj. manè, & veſperi: vel minor eſſe poteſt doſis, pro conditione Patientis.

Becchica.

Becchica. **C***Onfect*: looch de farfara, de pulmone vulpis, de pino, ſanum & expertum.

Syrupi: de farfara, de jujubis, de hiſpidula, de ſiliqua, oxyſaccharum ſimplex, oxyſaccharum, vel oxymel ſcylliticum.

Trochiſci: becchici nigri, albi, rotulæ diaireos, diatragacanthi.

Confectiones: ſaccharum penidiatum, baculi liquiritiæ, & ſaccharum enulatum.

Species: diaireos Salomonis, diacalaminthæ.

Nota: horum uſus eſt, ut vel paulatim lambantur, vel diu in ore detineantur. Doſis, quantum lubet. Vide plura inter *Confortantia Pulmones*.

Bilem attenuantia.

Bilem attenuantia: **R***Adices*: aſparagi, acetoſæ, cichorei, graminis.

Folia & *herbæ*: acetoſa, adiant. polytrichum, ceterach, ſalvia vitæ, endivia, cichor. ſcariola, dens leonis, chondrilla, hepatica, alleluja, lingva cervina.

Fructûs: arantia, citrum, limones, melones, pepones, pruna acida, ceraſa acida, ribes, berberes.

Flores: cichor. endiviæ.

Semina: acetoſæ, endiviæ, hordeum, quatuor frigida majora & minora.

Gummi: camphora.

Liquores: omphacium.

Conſerva: cichorei, acetoſæ, citri.

Species: diatrion ſantalon.

Bilem incraſſantia.

Incraſſantia. **R***Adices*: bugloſſæ, plantaginis.

Folia & *herbæ*: portulaca, plantago, lactuca, ſolanum, ſempervivum majus.

Fructûs: jujubæ, cydonia, pyra, pruna dulcia, ſebeſten.

Flores: nymphææ, violarum, papaveris erratici, roſarum, malvæ.

Semina: cydon. lactucæ, malvæ, papaveris albi, plantaginis, pſyllii.

Gummi: Arabicum, tragacanthum.

Conſerva: florum nymphææ, violarum, roſarum, malvæ.

Species: diatragacant. frigid. diacydon. ſine ſpeciebus, diamargaritum, frig. diapenidium.

Bilem atram alterantia.

Atram alterantia. **R***Adices*: enulæ campanæ, eryngii, apii, petroſel. bugloſſæ, fæniculi, borraginis, liquiritiæ.

Cortices: radicum cappar. median. fraxini, tamariſci, ſambuci, citri.

Folia & *herbæ*: fumaria, lupuli, ceterach, euſcuta, meliſſa, borrago, pimpinella, capillus Veneris, bugloſſa.

Fructûs: paſſulæ, cappares, poma redolentia, uvæ Corinth. grana chermes.

Flores: geniſtæ, tamariſci, borraginis, bugloſſæ, calendulæ, ſambuci, violarum, nymphææ, crocus.

Semina: aniſi, fæniculi, apii, cardui bened. quatuor frigida majora.

Gummi: bdellium, ammoniacum.

Metalla: chalybs.

Chymica: ſal fraxini, tamariſci, tartari, cremor tartari, chalybs præparatus, tinctura ejusdem, & crocus, ſpir. ſulphuris, vitrioli, ſal prunellæ, Saturni, Martis Riverii.

Aqua:

Aqua: borrig. nymphææ, buglosſæ, meliſſæ, fœniculi, cardui bened.

Syrupi: de pomis redolentibus, fumariæ, de quinque radicibus, byzantinus, capillorum Veneris, violarum, rad. enulæ campanæ, buglosſæ, cort. citri, myrobolani conditi.

Conſerva: nymphææ, lactucæ.

Confectiones: alchermes, Theriac.

Species: diambræ, lætif. Gal. de gemmis, diamoſchum dulce.

Bilem atram præparans, in forma *liquida*:

Julepus. ℞ *Rad. polypodii quercini,*
filicis,
cichor.
aſpargi,
graminis, ana ℥iij.
cort. rad. capparum,
ſarſaparillæ,
tamariſci, an. ℥ß.
epithymi ℥ij.
fol. trichomanes,
fumariæ,
lingvæ cervinæ,
ſcolopendriæ, an. mj.
flor. borrag.
bugloſſæ, ana pj.

His omnibus ſuperaffunde
aq. fontis bullientis ℔iij.

Stent infuſa 24 horis: dein coquantur ad decidentiam ℔j. Hinc colatura, forti expreſſione facta, cum ſ. q. *ſacchari* coquatur ad conſiſtentiam Julapii: cujus ℞. ℥iij.
aquæ fumariæ ſtillat. ℥ij.
magiſterii tartari vitriolati ℈j.
mixturæ ſimplicis ʒß.

M. pro doſi: quæ quotidie continuetur: vel ſola *mixtura ſimplex*, cum *aq. boraginis*, ad ʒj. exhibita benefacit: vel

℞. *Seri lactis caprini*, in quo *ſcolopendria*, aut *lingva cervina*, bullierit, ℔ß.
tinctur. Mart. cum *ſucc. limon. extr.* ʒj.
tartari ʒß.

M. pro una doſi: quæ aliquot dies continuetur.

In forma *Pulveris*:

Pulvis. ℞. *Salis fumariæ,*
tamariſci,
fraxini,
tartari, ana ℈j.
Mart. Riverii gr. vj.

M. pro una doſi, in juſculo carnis, in quo *bugloſſa*, *ſcolopendria*, aut *lingva cervina* bullierit, exhibenda. Pulvis hic per aliquot dies poterit continuari.

Bilem refrigerantia & attenuantia.

Refrigerantia & attenuantia. **R***Adices*: acetoſæ, graminis, cichorei, lapathi acuti.

Folia & *herba*: endivia, cichorium, acetoſa, capillus Veneris, ſcariola, taraxacon.

Fructus: poma, pruna, & ceraſa acida.

Flores: cichor. borraginis, buglosſæ, violarum.

Semina: quatuor frigida majora, endiviæ, acetoſæ, hordeum.

Liquores: ſuccus limonum, granatorum, pomorum, acetum omphacium.

Succi inſpiſſati: ſaccharum.

Chymica: ſpiritus ſulphuris & vitrioli, ſal prunellæ.

Aqua: acetoſæ, cichorei, tarax. graminis, endiviæ, hordei.

Syrupi: de limonibus, acetoſus ſimplex, de cichor. ſ. de ſucco acetoſæ, capillis Veneris, de pomis, de granatis acidis, de agreſta.

Conſerva: florum cichorei, folior. acetoſæ, capillorum Veneris, ceraſa condita.

Confectiones: oxymel ſimplex.

Species: diamarg. frig. diatrion ſantalon.

Bilem refrigerantia & incraſſantia.

Incraſſantia. **R***Adices*: althææ, plantaginis.

Folia & *herba*: lactuca, plantago, malva, althæa.

Fructus: jujubæ, ſebeſten, cydonia.

Flores: nymphææ, papaveris erratici, violarum, roſarum rubearum.

Semina: cucurbitæ, lactucæ, portulacæ, papaveris albi, malvæ, pſyllii, cydoniorum, bombacis.

Gummi: Arabicum, & tragacanthum.

Liquores: ſuccus cydoniorum, granatorum.

Mineralia: terra ſigillata, bolus Armena.

Animalia: ebur, ſive ſpodium, C. C.

Chymi-

Chymica: laudanum Cæſareum, ſal prunellæ.

Aqua: portulacæ, lactucæ, papaveris rhæados, nymphææ, roſarum.

Syrupi: violarum, jujubarum, papav. erratici, de roſis ſiccis, papaveris albi.

Electuaria: diatragacanthum frigidum, diapenidion ſine ſpeciebus, diacodium.

Conſerva: roſarum, violarum, florum nenupharis, lactucæ conditæ, cydonia condita.

Trochiſci: de ſpodio.

Cicatrizantia.

Cicatrizantia. Radices: ariſtolochiæ rotundæ, tormentillæ, cyperi, pentaphylli, ſymphyti.

Cortices: malicorii, glandium, thuris.

Folia & *herba*: plantago, myrtus, cauda equina, nummularia, folia quercûs, piloſella, betonica, pulv. gallæ, nucum cupreſſi.

Flores: balauſtiorum, roſarum rubearum.

Gummi: omne frigidum & ſiccum, ſangvis Draconis, ſarcocolla, cum melle, & cerâ.

Reſina: maſtiche, & thus.

Succi inſpiſſati: aloë, bolus, acacia.

Marina: ſpongia uſta, corallia.

Metalla: æs, & plumbum uſtum, lithargyrium, ceruſſa, cadmia, pompholyx, ſcoria ferri, ſquamma æris, calcitis, plumbi laminæ conciſæ & in aceto per triduum infuſæ aut maceratæ, ſemper novum acetum affundendo, exſiccans pulvis.

Mineralia: bolus Armena, terra ſigillata, lapis hæmatites, & calaminaris, antimonium uſtum, calx, alumen, & vitriolum uſtum, terra Lemnia, creta alba, gypſum, ſulphur, auripigmentum, tutia uſta.

Animalia: lana cremata, corium uſtum, pili leporis uſti, C.C. uſtum, os ſepiæ, ebur uſtum, teſtæ oſtreorum, & ovorum, calcinatæ.

Chymica: crocus Martis, pulvis linteolorum uſtorum, goſſypium uſtum, ſpongia uſta.

Emplaſtra: deſiccativum rubrum, de lapide calaminari, diapalma Paracelſi, triapharmacum, griſeum.

Unguenta: album Rhazis, deſiccativum rubrum, diapompholygos nutritum, de lithargyrio, ceruſâ, tutiâ, minio, album camphoratum.

Nota; hîc compoſitiones non addi, quia nulla eſt earum difficultas.

Coagulantia.

Radices: ſymphyti. Coagulantia.

Cortices: thuris.

Folia & *herba*: fuligo ex foliis cupreſſi, lolium, myrrhis, ſerpentaria.

Fructûs: fabarum.

Flores: balauſtiorum.

Gummi: bdellium, ſanguis Draconis, ſarcocolla.

Reſina: aſphaltum.

Succi inſpiſſati: aloë, acaciæ.

Metalla: lithargyrium.

Mineralia: gypſum, bolus Armena, tegula uſta.

Animalia: albumina ovorum, pili leporis uſti, coagulum leporis, & vituli.

Liquores: acetum, & acida omnia: quæ ſeſe tamen non ad omnia extendunt.

Cibi mali ſucci:

Radices: cæpæ, allium, bulbi non bene cocti, raphani. Cibi Mali ſucci:

Folia & *herba*: legumina, braſſica, olera, porrum.

Fructûs: omnia ſcil. genera fructuum non maturorum, pira immatura, meſpila, pruna immatura, ceraſa, pepones, Perſica, corna, cucumeres, ficûs acidæ.

Semina: lentes &c.

Liquores: vina craſſa, malè olentia, inſvavia, auſtera.

Animalia: anſeres, & aves paluſtres, carnes hircorum & caprarum, omnes vetulæ & acidæ carnes, renes, & teſticuli, cerebella, caſei, marina animalia.

Cibi boni ſucci.

Folia & herba: lactuca, cichor. ficûs maturæ, uvæ maturæ. Boni ſucci.

Semina: cicera rubea, & piſa bene cocta.

Liquores: lac recens, ſtatim à mulſione potum, ante omnem cibum, vina bene olentia, dulcia, & defæcata.

Animalia: caſeus recens, ante omnem

mnem cibum, ova recentia & ſorbilia, phaſiani, gallinæ, & pulli gallinacei, aves montanæ, piſces ſaxatiles, partes animalium circa os & cor, pedes porcorum, animalia agreſtia.

Confectiones : panis optimè coctus & fermentatus &c.

Cibi Sangvinem generantes:

Sangvinem generantes. F*olia* & *herba* : lactuca, ſpinachia, beta.

Fructûs : amygdalæ dulces, ficûs, piſtacia, nuclei pini.

Liquores : vinum odoratum, cereviſia Paderbornenſis, Monaſterienſis, Brunſvicenſis, Neomagenſis, Harlemenſis.

Animalia : omnis caro ſana & evchyma, qualis ſumma eſt in Auſtria, altero illo & terreſtri Paradyſo, copia, caro perdicum, ova ſorbilia, caro pullorum, gallinarum, caponum, phaſianorum, turturum, turdorum.

Cibi Bilem generantes:

Generantes Bilem: R*Adices* : allium, cæpæ.

Folia & *herba* : porrum cum toto.

Fructûs : ſiliquæ.

Semina : piper, ſinapi.

Liquores : cinaræ ſuccus, dulcia vina, & omnia dulcia.

Animalia : mel, butyrum, adeps, & pingvia omnia.

Cibi Phlegma generantes:

Phlegma: R*Adices* : rapæ, paſtinacæ, carottæ.

Fructûs : poma Perſica, fructûs horarii ferè omnes, ceraſa, cucumeres.

Liquores: aqua, glutinoſa ferè omnia.

Animalia : caſeus recens, nimia ſaturitas, alvi & inteſtina quadrupedum, omenta animalium, nervoſæ partes, pelles, cerebrum, pulmo, medulla ſpinalis, agnina caro, caro teſtaceam pellem habentium, lac, quies & ocium, piſces omnes, oxygala, Buttermilch.

Cibi Melancholiam generantes:

Melancholiam: F*Olia* & *herba*: arborum germina, præcipuè lentiſci, legumina omnia, braſſica, thymus, fructus rubi.

Semina : lentes.

Liquores : vina atra, & craſſa.

Animalia : caro bubula, caprina, leporina, omnes ſalitæ carnes, & piſces, cibus coctu difficilis, piſces marini ſalſi, caro hircina, cervina, cochleæ, caro camelorum, agnina, caſeus antiquus, omnes veteres carnes, ſalſa omnia.

Confectiones : panis furfuraceus, & avenaceus, & ex milio.

Cibi crudos humores generantes:

R*Adices* : napi, bulbi cocti cum allio, ut eſt fumaria bulboſa, cum aceto macerata, radix leviſtici, rapæ. *Crudos humores.*

Fructûs : dactyli virides, uvæ immaturæ.

Semina : cumini &c.

Animalia : caro ceti, ventres, & inteſtina quæque, caro teſtaceorum, mel frictum, oxygala.

Confectiones : panis hordeaceus.

Cibi difficilis digeſtionis:

R*Adices* : napus, ſi crudè eſitetur, bulbi crudi, rapæ. *Difficilis coctiones.*

Folia & *herba* : ocymum, olera, præter cichorium & lactucam.

Fructûs : caſtaneæ, glans, poma & pyra immatura, ficûs immaturæ, uvæ acidæ & auſteræ, dactyli, ſiliquæ.

Semina : phaſeoli, cicer, panicum, lens, fabæ, ciceruiæ, oryza, milium, ſeſamum.

Liquores : vinum craſſum & auſterum.

Animalia : caro caprina, cervina, taurina, anſerum, anatum, ova veterum animalium, omnia interanea, cor, aures, renes, dorſi medulla, teſticuli antiquorum animalium, palumbes, quæ denſiſſimæ ſunt pulpæ, ut pavonis, omnes ventres volucrum, caſeus antiquus, cochleæ, ova toſta, caro bubula, hircina, ſuis, vulvæ, hepar, caudæ, cerebra, aves aſperioris carnis, cancri, caſei toſti.

Confectiones : panis azymus, ſeu ſine fermento, liba farinacea, ſub cineribus cocta.

Cibi inflantes:

Inflantes. RAdices: rapæ, & bulboſa omnia.
Fructûs: ficûs aridæ, cucumeres, dactyli virides.

Semina: fabæ, lupini, milium, cicer, panicum.

Liquores: ſucci omnes, vina dulcia, & qualiacunque non defæcata & recentia, muſtum.

Animalia: lac, mel non probè concoctum.

Confectiones: maſſæ farinaceæ ſub cineribus coctæ, panis quivis non bene fermentatus, avenaceus, & ex panico.

Cibi non inflantes:

Non-inflantes. FRuctûs: cannabis.
Semina: piſa pellibus ablatis, libyſticum, agnus caſtus.

Animalia: mel bene coctum & deſpumatum.

Confectiones: panes hordeacei & triticei, bene fermentati.

Cibi craſſum ſuccum generantes:

Generantes ſuccum craſſum: RAdices: rapæ, bulboſa omnia, allium, apium, cæpæ, petroſelinum, raphanus, napi.

Folia & *herba*: legumina fere omnia, origanum, hyſſopus, ocymum, braſſica, fæniculum, pyrethrum, calamintha, ſiſymbrium, eruca, porrum, ſatureja viridis.

Fructûs: dactyli, cucumeres, caſtaneæ, ficûs non maturæ, poma immatura.

Semina: cardamomi, ſinapios, piperis, coriandri: ex *reſinis*, myrrha.

Liquores: muſtum, vinum atrum valdeque tinctum: ex *ſuccis inſpiſſatis*, amylum.

Ex *Animal*: cænoſi piſces, quales ſunt in Moravia, carnes caprinæ & bubulæ, renes, cochleæ, oxygala, quam vocant Weſtphali Pluntermelck/ jecur & teſticuli ſuis, caſei omnes, ova frixa & indurata.

Confectiones: panes ex ſiligine malè coctí, frumentaceus ſine fermento placentæ, & paſtacea, aut farinacea omnia.

Cibi tenacem ſuccum generantes:

FRuctûs: dactyli.
Semina: ſiligo, halica, ſeſamum: ex *animalibus*, caſei graves & denſi; quorum externa cutis nondum incipit flaveſcere, præterea extremitates animalium, lingva, & partes labiales, ſuilla & agnina caro. *Tenaces.*

Cibi calefacientes:

RAdices: rapa, cæpæ, apium, raphanus, napus, allium. *Calefacientes.*

Folia & *herba*: eruca, pyrethrum, porrum.

Fructûs: dactyli dulces, uvæ paſſæ, uvæ dulces, poma mediocriter dulcia.

Semina: frumentum toſtum, ſeſamum, ſinapi, cardamomum, ſem. erucæ.

Ex *liquoribus*: vinum ſubruffum.

Animalia: caſeus antiquus, & carnes ſanorum animaliú, quæ omnes ſunt calidæ, præcipuè autem ſalſæ, & fumo induratæ: ad quarum eſum meliùs facit cereviſiæ, quàm vini, potus: hinc fortiores ſunt Septentrionales ex ſimili victu, quàm Auſtriaci, ex vino mixta noſtra citò diſſolvente.

Cibi facilis concoctionis:

FRuctûs: Perſica, poma Armeniaca, melones, & pepones, pruna, omnes fructûs horarii: hæc omnia ante paſtum ſumenda ſunt. *Concoctionis facilis.*

Cibi redundantes:

SEmina: cicer, fabæ virides, hordeum non bene coctum, & in ultimâ menſâ appoſitum. *Redundantes.*

Animalia: anſeres, piſces cænoſi, dorſi medulla, aves paluſtres, palumbes, viſcera omnia, cerebrum, porcelli juvenes.

Cibi refrigerantes:

FOlia & *herba*: lactuca, portulaca, intybi. Vide *bilem temperantia*. *Refrigerantes.*

Cibi

Cibi humectantes:

Humectan-tes. FOlia & herba: malva, violaria, intybi omnes, beta, olera viridia.

Fructus: melopepones, nuces virides, cucumeres, coccimela, ſycomora.

Semina: fabæ virides, cicer viride.

Liquores: ptiſana. *Aqua*: *Emulſiones*; *Olea*: amygd. dulc. olivar. rec.

Conferentia Dentibus:

Conferentia Dentibus. RAdices: lapathi maſticatæ, radix cujusdam malvæ, quam Itali lorbam Hungaricam, alczam Græci & Latini vocant, item radix verbenæ, & pyrethri maſticata.

Cortices: mediani fraxini.

Folia & herba: ſalvia, mentha, origanum, tamariſcus, comæ rubi, pentaphyllum, tormentilla, pimpinella, parietaria, beta, capilli Veneris, caules, myrtus, pulegium, origanum, hyſſopus, roſmarinus, aquilegia.

Fructus: nuclei dactyl.

Flores: crocus &c.

Semina: lupini, nuclei dactylorum, myrobalanorum, olivarum, nucum cupreſſi.

Reſina: maſtix, thus, myrrha.

Liquores: aqua, in qua condita ſunt olivæ, vinum decoctionis rad. tormentillæ & pentaphylli, amurca olei, acetum ſcylliticum.

Marina: ſpongiæ, corallia, ſpuma maris.

Mineralia: pumex, alabaſtrum, ſal gemmæ, alumen, nitrum.

Animalia: leporis caput uſtum, C.C. uſtum, os ſepiæ, oculi cancri, concharum omnia genera, cochlearum terreſtrium teſtæ.

Conferentia Oculis:

Oculis. RAdices: rapæ, fæniculi, chelidon. maj. raphani, caryophyllatæ, valerianæ.

Folia & herba: betonica, fol. rapæ, aſparagi comeſti, evphraſia maſticata, fumaria, verbena, ruta, fæniculum, horminum.

Fructus: nux moſchata, caryophylli, poma dulcia cocta ſub cineribus, pomorum ſuccus, & tum coctorum, tum putridorum pulpa: ex *floribus*, crocus.

Semina: fæniculi, evphraſiæ, hormini majoris, ſileris montani, raparum, carvi.

Gummi: ſarcocolla lacte nutrita.

Reſinæ: myrrha, thus.

Liquores: vinum rutaceum, acetum ſcylliticum gargarizatum, mucilago ſeminis pſyllii, papaveris albi & cydoniorum, ſuccus eorum, item pomorum granatorum, roſar. rubear. fæniculi, evphraſiæ, verbenæ, majoranæ, rutæ, erucæ, ſalicis, qui inciſo cortice effluit, omphacium.

Succi inſpiſſati: opium in collyriis, ſaccharum candum, aloë.

Metalla: ceruſſa, tutia, cadmia, pompholyx, plumbum uſtum & lotum, ærugo.

Mineralia: aſpectus ſmaragdi, antimonium, lapis pumex, vitriolum uſtum & album, item vitriolum Ungaricum, & ejus phlegma, cum albumine ovi, & alumine.

Animalia: perdicis cerebrum, lac muliebre, aſpectus rerum viridium, alumen cum albumine ovi agitatum, donec coaguletur, ſangvis columbarum juniorum, vel infra alas extractus, vel ex majoribus plumis expreſſus, & in oculos inſtillatus, mel, os ſepiæ, fella piſcium minora, pingvedo lucii antiqua, quâ inunctâ cæcus quidam Viennæ, quoties volebat, viſum ſibi ad tempus reſtituebat, fel perdicis gallinæ, urina pueri impubis.

Aquæ: roſarum, plantaginis, ſolani, ſempervivi, portulacæ, peculi roſarum, fæniculi, aniſi, chelidon. maj. evphraſiæ, ophthalmica Beguini aq. mellis, ophthalmica Minſichti.

Confectiones: myrobalani conditi manè comeſti, & in ore detenti, unà cum nucleo, ſemen fæniculi ſaccharo obductum, pulvis zzberis, medulla panis, in aqua vel lacte cocto macerata, addito pauco croco, trochiſci albi Rhazis cum opio, ſief album cum opio.

Unguenta: nihili, ſeu diapompholyg. &c. v.g. ſi *Collyrium* conficere velis: Collyria.

℞. *Aq. plantag.*
chelidon. maj.
evphraſia,
roſar. ana ℥ij.
ſacchari albi ʒß.
Saturni ʒj.

phlegmatis vitrioli ℥ß.
M. F. Collyrium, quo oculos ſæpius inſtillandum: vel
℞. *Aq. roſar. alb.*
plantag. ana ℥iij.
antimonii ſpirit. rubri, ſecundum deſcriptionem Danielis Mylii, *in Pharmacopæa Spagyrica*, ʒj.
M. pro Collyrio: quod vehementer abſtergit; inflammationes tollit, & viſum confortat: vel in forma *Unguenti*:
℞. *Pinguedinis lucii antiquæ*,
unguenti nihili, ana ℥ß.
M. pro abigendis albuginibus: ad quem ſcopum plurimum facit *oleum ex linteis*, vel *chartâ*, combuſtis inter duas orbiculas extinctis.

Cathartica chologoga, cum doſibus:

Cathartica Chologoga.

RAdices: helleb. nigri præparatæ: quarum doſis eſt à gr. xv. ad ʒß. & ʒj. in infuſo verò à ʒj. ad ʒij. rhabarbarum, in ſubſtantiâ à ʒj. ad ℈iiij. & ʒij. aſarum cum toto; in ſubſtantia à ʒj. ad ʒiß. in infuſo ad ʒiij. & ʒß.

Folia & herbæ: umbilicus Veneris, bugloſſa, capilli Veneris, adianthum, fumus terræ, cent. minus, rhabarb. Monach. card. bened. leviter tantùm bilem movent, uti & rad. curcumæ; ſena, in ſubſtantia à ʒj. ad ʒiß. in infuſione ad ℥ß. polytrichon, violæ, mercurialis, lupulus, abſynth. itidem levia ſunt.

Fructûs: caſſia, doſis ab ℥j. ad ℥ij. tamarindi ab ℥j. ad ℥iij. myrobalani citrini, in ſubſtantia ad ʒiij. in infuſione ad ℥ß. & ʒvj.

Semina: pſyllii: cujus doſis à ʒj. in ſubſtantia, ad ℥ß. in infuſione; idem de carthamo cenſendum eſt.

Reſina: terebinthina, ab ℥ß. ad ℥iß.

Liquores: ſuccus violarum, & roſarum, ab ℥j. ad ℥iiij.

Succi inſpiſſati: caſſia, ab ℥j. ad ℥iß. manna, ab ℥iß. ad ℥iiij. vel v. aloë à ʒß. ad ʒij. ſcammonium à gr. v. ad gr. xv.

Animalia: ſerum lactis, vel ejus tinct. à lbß. ad lbiß.

Chymica: extr. pil. aurearum, & ſine quibus, à ℈j. ad ʒß. vel ℈ij. extr. rhabarb. à ʒß. ad ℈ij. ʒj. extr. ſcammon. à gr. v. ad gr. viiij. Mercurius dulcis, à ℈j. ad ʒß. Mercurius vitæ, à gr. ij. ad gr. iiij. 6. vel vij, crocus metallorum, à gr. ij. ad gr. iiij. & vj. prout eſt bona præparatio & correctio, extr. pil. aſſaiereth, aloëphanginarum, Arabic. turcar. à ℈j. ad ℈ij.

Syrupi: roſatus ſolutivus, de cichorio quadruplicato rhabarbaro, viol. ſol. ab ℥j. ad ℥iiij. ſyrup. diaſereos, flor. Perſicorum, & mannatus Horſtii, ab ℥j. ad ℥ij. ſyrup. de tribus ad ℥ij.

Electuaria: de ſucco roſarum, à ℈ij. ad ʒj. ʒij. ʒiij. diaprunum ſolutivum, elect. diacathol. diacaſſia, Tryphera Perſica, diaſebeſten, de tamarindis, ab ℥j. ad ℥iß. elect. de pſyllio, roſarum Meſue, ab ℥ß. ad ℥ij. elect. Regium, à ʒj. ad ʒij. item rob ribium ſolutivum.

Confectiones: pulv. roſar. ſolut. violar. ſolut. à ʒj. ad ʒiß. & ʒij. confect. anisi ſolida laxat. eodem modo.

Species: diagryd. roſat. à gr. vj. ad gr. xv. diaturbith; cum rhabarb. diaphœnic. eleſcopli, à ℈j. ad ʒj. & ℈iij. pil. ſine cuſtodia ſunt: ℞. Maſs. pil. tartarear. Schrod. (aloë ad modū F. F. præparatâ) ℈j. extr. rhabarb. ℈ß. flor. nitri gr. v. Manè ſumantur: In prandio, loco juſculi, ſumitur ℥x. vel ℥x. ſeri lactis, prandium deſuper ſumendo; & à prandio aliquot faciunt dejectiones, abſq; ulla moleſtia, & ſine negotiorum interturbatione. Hiſce miris ſæpe fecimus.

Cathartica phlegmagoga, eorumq; doſis.

RAdices: turbith, in ſubſtantia, à ℈ij. ad ʒj. & ℈iiij. in infuſione à ʒij. ad ʒß. hermodactyli, in ſubſtantia, à ʒß. ad ℈ij. & ʒj. in infuſione à ʒiß. ad ʒiij. ariſtolochiæ, urticæ, cyclaminis, centaurii, ſambuci, ebuli, mechoacannæ, in ſubſtan. à ʒj. ad ʒij. in Infuſione ad ℥ß. jalappa, in ſubſt. à ℈ij. ad ʒj. in infuſione ad ʒij. iij. radix bryoniæ leviter purgat, & eſt nauſcabunda; eſt tamen maxime hyſterica: hinc cum infuſis ad ʒß. miſceri poteſt. Phlegmagoga.

Cortices: medianus ebuli, & ſambuci, item cortex frangulæ.

Folia & herbæ: thapſia, laureola, gratiola, & ſoldanella.

Fructûs: myrobalani chebulæ à ʒij. ad ʒij. colocynth, à gr. vij. ad ℈j. non facilè infunditur, ob amaritudinem, ſed ʒß. in petia ligatur, & cum clyſtere

ſtere decoquitur, agaricus, in ſubſtantia, à ʒj. ad ʒiß. in infuſione ad ʒiij. & ʒß. eſula correcta; cujus extr. datur à gr. ij. ad ℈ß. extr. Rulandi à ℈j. ad ʒj diſſolvitur in ſero lactis; thymelæa. Doſis ejus, in vino, aut aceto, optimè correctæ, à gr. vj. ad xv. ſed rejiciantur fibræ, dum teritur.

Flores: Perſicorum.

Semina: carthamus, ad ʒj. ſemina anacardior. ebuli, ſambuci, nuclei cataputiæ majoris, num. ij. ad ſummum iij. pro fortiſſimis, baccæ cataputiæ minoris.

Gummi: ſarcocolla, euphorbium, quod, bene correctum, à gr. v. ad x. ſed cum grano ſalis, exhiberi poteſt, opopanax, galbanum, gummi guttæ, à gr. vj. ad gr. x. xv.

Liquores: ſuccus ireos, ad ʒj. in hydrope præcipuè.

Succi inſpiſſati: eſulæ, à gr. v. ad gr. x. tithymalus, à gr. v. ad gr. xij. elaterium ad gr. vij.

Mineralia: ſal gemmæ, ſal Armoniacum nativum, à ℈j. ad ʒß.

Chymica: extr. pil. cochiar. de agar. ſine quibus, à ℈j. ad ℈ij. colocynth. gr. v. Mercurius dulcis, ad ʒß. Mercurius vitæ, ad gr. v. crocus metallorum, ad gr. iiij. pil. de ſagapeno, ad ʒj. reſina galappæ, à gr. x. ad gr. xviij. ſcammonium, à gr. vj. ad xv. pulv. Cornachini ad gr. xv.

Syrupi: flor. Perſicor. ab ℥j. ad ℥ij. & ℥iij. domeſt. ad ℥j.

Electuaria: diacathol. diaphænicum, ab ʒß. ad ʒvj. hiera picra, à ʒij. ad ʒiij. diacarthami, de citro ſolutivum, Indum majus, ad ʒvj.

Trochiſci: agaricus recens trochiſcatus, à ʒj. ad ʒij.

Species: diaturbith cum rhab. diacarthami à ℈ij. ad ʒj. & ℈iiij. Hæc ſimul etiam ſunt hydrotica.

Cathartica melanagoga.

Melanagoga. RAdices: hellebori nigri doſin vide *ſupra*, polypod. ſcyllæ, filicis.

Folia & herba: ſena, in ſubſtant. à ℈ij. ad ʒj. in infuſione ad ʒß. thym., ſtæchas, cent. majus, ſquinant. epithymus, cuſcuta, ſerpentaria, capillus Veneris, cent. minus, tithymalus, fumaria.

Fructus: myrob. Indæ, chebulæ, catapotia.

Ex liquoribus: ſuccus caulium, tinct. lap. Lazuli, & Martis.

Mineralia: lapis Lazuli, Armenus, magnes.

Ex animalibus: lapis lyncis.

Chymica: extr. ſenæ, à ℈j. ad ʒß. & ℈ij. helleb. nigri, à ℈ß. ad gr. xv. lap. Laz. & melanagogum Quercetan. ad ℈j. & ʒß. item ſpiritus ſenatus.

Syrupi: de epithymo, de pomis Regis Sapor. ad ℥iij. oxymel helleborat. majus Juliani, ab ℥ß. ad ℥j. ſyr. diaſereos, ab ℥iß. ad ℥ij. & ℥iiß.

Electuaria: diacatholicum & diaſenæ, ab ʒß. ad ʒvj.

Confectiones: hamech, à ʒj. ad ʒiij. & ℥ß.

Species: diaſenæ, & pulv. ſenæ Montagnanæ, à ℈ij. ad ʒj. & ℈iiij.

Confortantia Caput.

RAdices: lilii, iridis, pæoniæ, enulæ campanæ, althææ, ſcillæ, fœniculi, ſpicæ nardi, calami aromatici, valerianæ, acori, galangæ, zedoariæ, ariſtoloch. cyperi, aſari, caryophyllatæ, Imperatoriæ. Confortantia Caput.

Cortices: cinamomum, cort. citri.

Ligna: aloës, viſcus quercinus, ſantala omnia, Gvajacum, ſaſſafras.

Folia & herbæ: chamomillæ, malvæ, pulegii, ſalviæ, majoranæ, pæoniæ, betonicæ, ſerpillum, fœnic. ſtæchas, cichor. origanum, calamintha, ruta, ſatureia, ſiler montan. folia lauri, fumaria, lactuca, folia myrti, portulaca, violaria, folia ſalicis, craſſula minor, roſmarinus, polium montanum, plantago, centaurium minus, lavendula, primula veris, ocymum, caryophyllata, hyſſopus, meliſſa, origanum, acetoſa, capreoli vitium, ſempervivum majus, verbena, borrago, bugloſſa.

Fructus: nux moſchata, baccæ lauri, grana chermes, & myrti baccæ, amygd. dulces, poma dulcia.

Flores: beton. ſtæchados, ſalviæ, anthos, ſpicæ, macis, chamomill. cent. min. lilii convall. tiliæ, roſarum nymphææ, papav. errat. meliloti, euphras. primula veris, borrag. bugloſſæ, violarum.

Semina: cubebæ, papav. albi, aniſi, fœnic. lactucæ, mandragoræ, hyoſcyami, ſolani, pæoniæ, cardamomi,

ſiſeris montani, nigellæ, quatuor frigida majora, pſyllii, coriandri, hordei, malvæ, grana paradyſi.

Gummi: ladanum, maſtiche, ſtorax, benzoin, aſa dulcis, tacamahac.

Reſina: thus &c.

Liquores: xylobalſamum, carpobalſamum, opobalſamum, acetum, vinum omphacium, ſuccus limonum, citri, granatorum.

Marina: ambra, ſuccinum.

Animalia: moſchus, zibethum, it. cinis hirundinum, ſtercus pavonum, liquor cerebri porcini, medulla cruris vituli, omentum agninum, porcinum, pulmo arietis calidus, gallina nigra, columbæ per medium diſcerptæ, pulvere ſuccini, cyperi, aut ireos, conſperſæ, pingvedo gallinæ, butyrum recens, decoctum pedum & capitis vervecis.

Chymica: olea deſtillata rorismarini, ſalviæ, lavendulæ, thymi, fœniculi, aniſi, cinamomi, nucis moſchatæ, caryophyllorum, ſal prunellæ, ſpiritus ſulphuris, & vitrioli, laudanum Cæſareum, nepenthes, pil. de cynogloſſa Bened. Favent. ſpiritus ceraſorum nigrorum, liliorum convallium, oleum ſuccini, extr. Imperatoriæ, elixir proprietatis, eſſentia caſtorei.

Aquæ: Anhaltina, betonicæ, ſalviæ, majoranæ, roſar. verbenæ, flor. arantiorum, cinamomi, Theriacalis, Imperialis, vitæ cæleſtis, portulacæ, lactucæ, plantaginis, papav. errat. nymphææ.

Syrupi: de ſtæchade, violar. roſar. de beton. cichor. de papavere.

Electuaria: dianthos cum moſcho, diambra, diamoſchum dulce, diaireos, aromaticum roſatum, diatrionſantalon, diamargaritum frigidum.

Conſervæ: zinziberis, flor. ſtæchados, betonicæ, anthos, ſalviæ, tiliæ.

Confectiones: aurea Alexandrina, ſaccharum violatum & roſatum, oxymel ſimplex, & compoſitum, acorus conditus, zinziber conditum, myrob. conditæ, nux moſchata condita, coriandrum ſaccharo obductum, cortices citri conditi, confectio anacardina, alchermes, Theriaca, Mithridatium vetus, Philonium Romanum, requies Nicolai, ſtipites lactucæ conditi, radix ſatyrionis condita.

Trochiſci: de gallia moſchata, de carabe, de camphora.

Species: pleres archont. diamargar. frig. diatrionſantalon, de gemmis frig. diarrhodon Abbatis.

Olea: roſarum, violarum, cheiri, myrtinum, caſtorei, irinum, nucis moſchatæ, laurinum, ſuccini, nardinum, de ſpica, vulpinum, camphoræ, nymphææ, oleum olivarum maturarum, amygd. ſeſaminum.

Emplaſtra: de betonica, Vigonis cum Mercurio, de baccis lauri, de meliloto, de mucilag. ceratum ſantalinum, cephalicum, de evphorbio.

Ol. ſpiritus vini, præcipuè ad hemicraniam frigid.

Unguenta: alabaſtrinum, Martiatum, Aregon, roſaceum, populeum, refrigerans Galeni.

Nota: ex hiſce concinnari poſſe varia, tum interna, tum externa, tum liquida, tum ſolida, calida, vel frigida prout ratio mixti, cui talia applicantur, requirit.

Confortantia Pulmones:

RAdices: iridis, enulæ campanæ, althææ, ſcyllæ, lilii, liquiritiæ, malvæ, ſymphyti, ariſtolochiæ utriusque, angeliæ, aronis, cæpæ, zinziber, dracunculi, fœniculi, gentianæ, pimpinellæ, polypodii, rapæ. Pulmonum.

Herbæ: portulacæ, plantag. polygon. millefol, pulmonaria, praſſium, farfara, veronica, capilli Veneris, hieracium, auricula muris, bellis utraque, chamomilla, endivia, lactuca, nymphæa, portulaca, abrotanum, marrubium, calamint. gnaphalium montanum, card. bened. hedera terreſtris, origanum, pulegium, rorella, ſcabioſa, ſerpillum, ſalvia, ſcordium, thymus, ſumach.

Ligna: ſantala omnia, lignum balſami, Chinæ radix, lignum ſaſſafras, & Guajacum.

Fructûs: uva paſſa, amygdalæ dulces & amaræ, jujubæ, mora Celſi, ſebeſten, nuces pineæ, piſtacia, pyra dulcia, baccæ lauri, juniperi, capares, caricæ ſiccæ, fructus rubi, cynosbati.

Flores.

Flores : ſpicæ, violæ, borrag. bugloſſ. nymphææ, papav. err. roſarum, anthos, beton. croci, camomill. ſcabioſæ, balauſtia.

Semina : papav. althææ, bombacis, cydon. hordei (id eſt cremor ejus) lactucæ, malvæ, pſyllii, quatuor frigida majora, aniſi, braſſicæ, cardamomi, cubebæ, eryſimi, fœniculi, naſturtii, ſileris montani, urticæ, ſumach.

Gummi : tragacanthum, ammoniacum, Arabicum, ſagapenum.

Reſina : laricea, terebinth, myrrha, thus, maſtiche.

Liquores : acetum ſcylliticum &c.

Succi inſpiſſati : amylum, ſaccharum, liquiritiæ.

Marina : ſperma ceti, corallia.

Metalla : crocus Martis.

Mineralia : antimonium diaphoret. lapis hæmatites, bolus Armena, terra ſigillata.

Ex *animalibus* : gelatinæ, addito chærefolio, caro gallinarum, caponum, adeps eorundem, butyrum, lac, mel, moſchus, pulmo vulpis præparatus.

Chymica : flores ſulphuris, oleum ejusdem, lac, & balſamus, ol. aniſi ſtillat. fænic. hyſſopi, juniperi, ſatureiæ terebinth. elæoſacchara ex iisdem, cum ſaccharo tabulata, ſpiritus veronicæ.

Aqua : nymphææ, papav. violarum, card. Mariæ, & benedicti, hyſſopi, ſcabioſæ, tuſſilaginis.

Syrupi : de ſtæchade, violaceus, roſar. papav. err. acetoſitatis citri, de eryſimo Lobelii, de jujubis, de ſucco cardui Mariæ, de praſſio, de tuſſilagine, de ſucco urticæ.

Electuaria : diamoron ſimplex, & compoſitum, reſumptivum Nicolai, diapapav. diacodium ſimplex, elect. de praſſio, de tuſſilagine.

Conſerva : nymphææ, roſar. violarum, anthos, capill. Veneris, enulæ campanæ, ſcabioſæ, tuſſilaginis, hyſſopi.

Confectiones : ſaccharum violaceum, roſaceum, mel violaceum, & roſaceum, caules lactucæ conditæ, looch de althæa, de tuſſilag. de papavere, de pſyllio, portulaca, oxymel ſcyllit. looch de pulmone vulpis, de caulibus, praſſio, de ſquilla, de pino, paſſulatum, ſanum & expertum; cujus etiam exſtat aqua deſtillata utiliſſima.

Trochiſci : becchici nigri, & albi, de terra ſigillata, aliptæ moſchatæ, galliæ moſchatæ, baculi becchici, de enula campana.

Species : decocti pectoralis, florum & fructuum, diaireos Salomonis, diamoſchi, diapraſſii, diarrhodon abbatis.

Olea : amygd. dulc. amar. nymphææ, violarum, cheiri, lini, irini, chamomillæ, rutæ, lilior. alborum, olivarum, nardinum.

Emplaſtra : filii Zachariæ, de violis Montagnanæ.

Unguentum : de cynogloſſa, roſaceum, pectorale, reſumptivum, de althæa, rubrum potabile.

Confortantia Cor:

Radices : enulæ campanæ, doronici, caryophyllatæ, dictamni, fraxinellæ, angelicæ, pentaphylli, ſcorzoneræ, petaſitidis, zedoariæ, gentianæ, Imperatoriæ, acetoſæ, bugloſſæ, tormentillæ, vincetoxici. *Cordia.*

Cortices : citri, arantiorum, cinamomi.

Ligna : aloës, ſantala.

Folia & *herba* : meliſſa, polium, ocymum, borrago, bugloſſa, roſmarinus, mentha, ſcabioſa, hedera terreſtris, carduus benedictus, calaminth. montan. abrotanum, ſalvia, cardiaca, lavendula, nymphæa, acetoſa, trifolium, acetoſum, oxylapathum, cichorium, endivia, plantago, portulaca, ruta, ſcordium, veronica.

Fructus : poma ſubacida, granata, arantia, myrobalani citrinæ, baccæ juniperi, nux moſchata, limones, citria poma, ceraſa acida, cydonia, berberes, fraga, rubi Idæi.

Flores : crocus, roſæ, flor. borrag. & bugloſſæ, violar. nenuphar. anthos, ſalviæ, lilii convallium, macis, ſpicæ nardi, calendulæ, meliſſæ, tunicæ.

Semina: cardamomi, calendulæ, coriandri, card. bened. ocymi, citri, cydoniorum, plantaginis, acetoſæ, quatuor frigida majora, grana chermes.

Gummi: camphora, carabe, thus, benzoe, myrrha, ſtyrax, maſtiche.

Liquores: ſuccus meliſſæ, ſcabioſæ, borrag. granat. rubi Idæi.

Marina: ambra, margaritæ, corallia, mater perlarum.

Metalla: aurum, argentum.

Mineralia: hyacinth. ſmaragdus, ſapphirus, terra ſigillata, bolus Armena, lapis granatus, & lazuli.

Animalia: moſchus, os de corde cervi, raſ. eboris, ſpodium, zibethum, mumia, lapis bezoar, ſericum crudum, unicornu, C. C.

Olea: cinamomi, caryophyllorum, croci, nucis moſchatæ, magiſterium corallorum; & eorum tinctura, perlarum, & matris perlarum, ocul. cancri, ſpiritus roſarum, terræ ſigillatæ, aqua Anhaltina, carbunculi, citri, meliſſæ, rorismarini, ſpir. meliſſæ, eſſentia croci.

Aqua: florum arantiorum; meliſſæ, rorismarini, cardui benedicti, ſcorzoneræ, ſcabioſæ, aq. vitæ, Theriacalis, cinamomi cum vino, roſar. borraginis, nymphææ, bugloſſæ, acetoſæ, fragor. ceraſorum, florum tunicæ, violarum, petaſitidis, ſcordii, vincetoxici, leviſtici, ſalviæ.

Syrupi: conditturæ cort. citri, arant. cydon. granatorum, de limonibus, violaceus, de ſucco acetoſæ, bugloſſæ, nymphææ, roſar. ſiccarum, de pomis redolentibus, de ribibus, acetoſus, coral. rubi Idæi, acetoſitatis citri, gemmatus Minſichti.

Electuar: aromaticum roſatum, diambræ, de gemmis, lætificans Galeni, diamoſchu dulce, diamargariton frigidum, diatrionſantalon, de ovo, diaſcordium Fracaſtorii.

Conſervæ: flor. anthos, borrag. tunicæ, bugloſſæ, roſar. violarum, acetoſellæ, acetoſæ, citri ex carnibus, calendulæ, meliſſæ, florum tunicæ.

Confectiones: de hyacinth. ceraſa acida condita, limones conditi, oxyacantha, ribes, berberes, & ceraſa acida condita, cortex citri condit. radix ſcorzoneræ condita, nux moſchata condita, myrobalani conditæ, confectio alkermes, de hyacintho, magni Ducis Hetruriæ, & A. A. Theriaca, rob berberum, ribium, pyra moſchatellina condita, Mithridatium.

Trochiſci: de gallia moſchata, alipt. moſch. de ſpodio, de camphora, de xyloäloë.

Species: diamargar. frig. & calidi, diacinamomi, lætif. Galeni, aromatici roſati, diatrionſantalon, manus Chriſti perlatæ, diambræ, aromaticum caryophyllatum, diamoſchu, de xyloaloë, pleres archonticon, pulv. Cæſaris, & ruber Pannonic. hîc, in Auſtriâ, in morbis Ungaricis, utiliſſimi.

Olea: nymphææ, roſarum, violar.

Ungv. roſatum Meſue, ſantalinum.

Balſamis: caryophyllorum, nucis moſchatæ, apoplect. opopalſamum, & balſam. de Peru.

In forma *liquida*:

℞. *Aq. roſar. ſtill.* Julepus.
borrag.
bugloſſæ, ana ℥iij.
confect. alchermes incompl. pro mulieribus, *completa* pro viris, ʒß.
margarit. præparat.
corall. rub. præparator. ana ℈ij.
ſyr. de rub Idæo.
granor. chermes, ana ℥j.
ſucci citri ʒiß.

M. Doſis cochlearia duo: ſi abhorreat Æger aquas deſtillatas, accipiatur *aq. fontis, auro* uſtulata.

In forma *ſolidiori*:

℞. *Confect. alchermes* ʒß. Mixtura.
conſerva acetoſella ℥j.
acetoſitatis citri ʒvj.
margar. præparat. ʒj.

Cum ſ. q. *ſyrup. granorum chermes*, vel *florum tunicæ*, F. Mixtura mollis: Doſis magnitudo caſtaneæ.

Externum *Epithema*, cordi & pulſibus applicandum:

℞. *Aq. borrag.* Epithema.
bugloß.
roſar. ana ℥iij.
carbunculi ℥j.
Theriacæ ʒiij.
pulv. ſpecier. pro epith. cordis ʒj.
croci,
camphoræ, ana ℈i.
aceti rubi Idæi ℥i.

M. F. Epithema.

Con-

Confortantia Stomachum.

Ventriculi. RAdices: galanga, zinziber, ſquilla, raphanus, zedoariæ, cyperi, calami aromatici, plantaginis, cichorei, acetoſæ, acetoſellæ, tormentillæ, aronis, fœniculi, helenii, pimpinellæ, acori.

Cortices: cinamomi, citri, arantiorum.

Ligna: aloës, ſantalum rubrum, ſaſſafras, Gvajacum.

Folia & herbæ: mentha, majorana, marrubium, ſalvia, abſynth. portulaca, acetoſa, agreſta, lactuca, ſpica, betonica, roſmarinus, origanum, fol. myrti, endiviæ, cicorbitæ, rubi Idæi, capillares, dens leonis, ſiſymbrium aquaticum, naſturtium hortenſe, thymus, ſerpillum, puleg. veronica, herba The.

Fructus: caryophylli, cucurbitæ, citrulli, melones, cucumeres, ob gratitudinem, mala granata, pyra, amygdala amara, nux moſchata, cydonia, berberes, meſpila, ſorba, myrtilli, ceraſa, mala citria, fraga, myrobalani omnes, oliva condita, poma, pruna, baccæ lauri, juniperi, nuclei Perſicorum, poma paradiſi.

Flores: macis, ſpicæ, roſarum, violarum, ſalviæ, anthos, betonicæ, cichorei, balauſtiorum, mali Punici, ſchœnanthos, crocus.

Semina: fœniculi, aniſi, carvi, fœnugræci, grana tinct. ſem. coriandri, citri, piper, quatuor ſemina frigida majora & minora, cydon. myrt. papav. cardamomi, ſinapios, piperis nigri.

Gummi: maſtiche, thus, ſuccinum, camphora.

Liquores: acetum, omphacium, ſerum lactis, julep. granat. roſar. violar.

Succi inſpiſſati: acacia, & hypociſtis.

Marina: ambra, & corallus.

Mineralia: aq. acidulæ, & thermales, quales ſunt Carolinæ in Bohemia.

Animalia: tunicæ interiores ventriculi gallinæ, caſtoreum, pro amuleto, in ſingultu, etiam intrò ſumptum.

Chymica: aq. cinamomi, vitæ, ſpir. aniſi, aq. Imperialis ſtomachica Dornkreilii, abſynthii, ol. ſuccini, caryophyllorum, macis, nucis moſchatæ, cinamomi, maſtichinum, cumini, de ſpica, ſpir. vitrioli, ſal prunellæ, aq. arant. nucis moſchatæ, ſpiritus abſynthii, cardui bened. ſalviæ, elixir vitæ Matthioli, & proprietatis Paracelſi.

Olea deſtillata: abſynthii, caryoph. cinamomi, cumini, carvi, fœniculi, macis, menthæ, nucis moſchatæ, ſuccini, ſalviæ, calami aromatici, zedoariæ, galangæ, ſpicæ, ſal abſynth. card. bened. cent. min. tartari, ſpir. ſalis coagulatus.

Aquæ: beton. abſynt. menthæ, ſalviæ, aniſi, roſar. acetoſæ, card. bened. zedoar. cinamomi, nucis moſchatæ.

Syrupi: roſarum, violarum, de mentha, betonica, abſynthio, de roſis ſiccis, cydoniorum, granatorum, myrtin. de ſucco acaciæ; de agreſta, acetoſitatis citri, de corticibus citri, de ſucco ribium, ſyr. conditurae nucis moſchatæ, cort. citri &c.

Electuarii: aromaticum roſatum, diambræ, diagalangæ, diatrion ſantalon.

Conſervæ: florum ſalviæ, betonicæ, anthos, fol. abſynt. roſar. rubear. capill. Veneris, fol. acetoſæ, flor. & rad. cichorei, carnis citri, acetoſellæ, violarum, flor. menthæ, enulæ.

Confectiones: diacydonium, mel roſat. ſaccharum roſatum, violaceum, nux moſcata condita, myrobalani conditæ, zinziber conditum, acorus conditus, Theriaca, Mithridatium, alchermes, oxyſaccharum ſimplex, & compoſitum, berberes, ceraſa, cydonia, radix cichorei, caules lactucæ, ribes, omnia condita, rob. berberum, morſuli de ſucco & corticibus citri, mel menthæ.

Trochiſci: de gallia moſchata, de rhabarbaro, de camphora, de evpatorio, de ſpodio, de ſantalis.

Species: diatrion ſantalon, diatrion pipereon, diagalangæ, roſatæ novellæ, dianiſu, diacinamomum, diacalaminthæ, diarrhodon ſine ſpeciebus, diamargariton.

Olea: de abſynth. de menth. cydon. lentiſcinum, omphacium, maſtichis, nucis moſchatæ, de piperibus.

Empla-

Digitized by Google

Emplaſtra: ſtomachicum, de maſtiche, de baccis lauri, ſantalinum, de cruſta panis, diaphænicum calidum, ſtomachal. Hartmann. *in Medic. Pract. Chymiatr.*

Unguenta: ſtomachicum Imperatricis Eleonoræ, carminativum Mynſichti, roſaceum. His olea *ſupra* dicta addi poſſunt.

Hepatis:

Confortantia Hepar:

RAdices: aſari, coſti, 5. aperientes, rhabarbarum, rhaponticum, peucedani, calami aromatici, cyperi, enulæ campanæ, graminis, aſparagi, cichorei ſylveſtris, acetoſæ, rubiæ, anchuſæ, bruſci, fabariæ, taraxaconis, curcumæ, pimpinellæ, ireos, Chinæ, ſalſæparillæ, ariſtolochiæ rotundæ, tormentillæ.

Cortices: cinamomi, citri, arantiorum.

Ligna: ſantala omnia ſaſſafras, lignum ſanctum.

Folia & herba: ſpica, evpatorium, fumaria, capillus Veneris, ſquinanthum, aſarum, abſynthium, endivia, cichorium, portulaca, lactuca, hepatica, ſummitates lupulorum, marrubium, agrimonia, mentha, chamædrys, chamæpitys, roſmarinus, betonica, centaurium minus, fragaria, ſcariola, chondrilla, acetoſa, nymphæa, plantago, acetoſella, petroſelin. ſcabioſa, veronica, chærefolium.

Fructus: berberes, caryophylli, nux moſchata, paſſulæ, pruna, & granata acida, ribes, cucumeres, ceraſa acida, mala citria, limones, mala Punica, rubus Idæus, amgdalæ dulces & amaræ, cubebæ.

Flores: ſpicæ, violar. malvæ arboreæ, balauſtior. cent. min. macis, ſchœnanthos, roſar. nymphææ, cichorei, hepaticæ, lavendulæ, ſambuci, ſpica nardi, crocus.

Semina: ammeos, fœniculi, aniſi, carvi, 4. frigida & calida majora, alkekengi, acetoſæ, fragariæ, myrtilli, hordeum, dauci, melonum.

Gummi: camphora &c.

Reſina: myrrha, thus, lacca, ſangvis Draconis, ſuccinum.

Liquores: acetum, ſuccus limonum, granatorum, cydoniorum, endiviæ, acetoſæ, cichorei, omphacii, ſerum lactis caprinum, ſuccus mali Punici, ceraſorum acidorum.

Marina: corallium, & ſperma ceti.

Mineralia: bolus Armena, terra ſigillata.

Animalia: ſpodium, lac capræ nigræ, ſuccus carnium, vitelli ovorum, aq. hepatis vitelli nigri, cochlear ſanguinis porcini, & humani, medulla cervi, & vituli, adeps gallinæ, anſeris, inteſtina vervecis, ejusq; omentum, mumia, oculi cancri, lumbrici terreſtres.

Chymica: olea deſtillata aromatum, extractum calami aromatici, zedoariæ, elixir proprietatis, ſal abſynthii, ſpiritus vini, oleum panis, ſantalor. rubeor. eſſentia tritici, quinta eſſentia ſatyrionis.

Aquæ: endiviæ, roſarum, abſynthii, menthæ, betonicæ, cichorii, graminis, acetoſæ, agrimoniæ.

Syrupi: de abſynthio, fumaria, betonica, mentha, de 5. & 2. radicibus, de ſucco acetoſæ, de ſucco granatorum, & limonum, de roſis, acetoſitate citri, de ſucco endiviæ, fragorum, myrtillorum, nymphææ, papaveris, violarum, de agrimonia, eupatorio, ſtœchade ſimplex, & compoſitus, reſumptivis Fernelii.

Electuaria: aromaticum roſatum, diambra, diarrhod. Abb. diatrionſantalon, diamargariton, reſumptivum.

Conſervæ: florum anthos, ſalviæ, betonicæ, cichorii, foliorum acetoſæ, roſarum, nymphææ, acetoſellæ, violarum, abſynthii, chamædryos, enulæ, fumariæ, ſambuci, chamæpityos, borraginis, bugloſſæ, endiviæ, portulacæ.

Confectiones: corticum citri, acori, radicum enulæ, nucis juglandis, & moſchatæ, item myrobalanorum, Theriaca, Mithridatium, berber. & ceraſa condita, rob berberum, ribium, miva cydoniorum, radix cichorei, ſantali, limones, ribes, omnia condita: *ſemen* aniſi, carvi, fœniculi, cinamomum, zedoaria, omnia ſaccharo obducta, confectio diateſſaron, Triphera Sarracenica.

Trochiſci: de abſynthio, de evpatorio, de rhabarbaro, de lacca, de ſpodio, camphora, ſantalis, aniſo, xyloaloë.

Species:

Species: diacoſtu, dianiſu, diacapparis, roſata novella, diacalamentum, diarrhodon Abb., ʒ. ſpeciebus, diamargariton.

Olea: nardinum, de abſynthio, de mentha, maſtiche, nuce moſchata per expreſſionem, nymphææ, roſarum, nenupharis, cydoniorum, omphacium, violaceum, amygdalarum dulcium, & amararum.

Emplaſtra: ceratum ſantalinum, diaphænicum, de meliloto, de baccis lauri, ad hydropem A.A.

Unguenta: refrigerans Galeni, album camphoratum, populeon, Marciatum.

Confortantia Splenem:

Lienis. RAdices: ariſtolochiæ, ſquillæ, naſturtii, calami aromatici, 5 aperientes, apii, enulæ campanæ, ireos, aſari, bryoniæ, raphani, acori, galangæ majoris, lapathi, borraginis, bugloſſæ, bismalvæ, cichorci, malvæ, ſalicis, ſcorzoneræ, taraxaconis, aſparagi, amaraci, centaurii minoris, filicis, fæniculi, gentianæ, polytrichi, rubiæ.

Cortices: rad. geniſtæ, medianus fraxini, radicum apii, capparum, medianus tamariſci, cinamomum.

Ligna: ſantala tria.

Folia & herbæ: cichorium, bugloſſa, calamenthum, fumaria, ſcolopendria, borrago, thymus, ruta, epithymus, chamædrys, cuſcuta, ceterach, ſummitates lupuli, tamariſci, pulegii, naſturtii, fragaria, centaurium minus, meliſſa, betonica, calamintha, hypericon, agrimonia, acetoſa, oxylapathum, aſplenium, bismalva, malva, folia ſalicis, violaria, aſarum, abſynth. becabunga, capilli Veneris, chamæpitys, cochlearia, chelidonium minus, lingva cervina, ſedum minus, ſcordium, veronica.

Fructus: capparis, amygdalæ amaræ, baccæ hederæ, ficus, jujubæ, mora, poma dulcia, pruna, paſſulæ minores.

Flores: geniſtæ, calendulæ, tamariſci, chamomillæ, cent. minoris, epithymi, meloti, ſambuci, caryophylli, macis, crocus.

Semina: anisi, fæniculi, carvi, ammeos, agni caſti, naſturtii, apii, card. bened. rubiæ, hormini, 4 frigida majora & minora, geniſtæ, leviſtici, rutæ, ſinapi, ſeſeleos, urticæ, nuclei Perſicorum, amygd. amararum.

Gummi: bdellium, ammoniacum, myrrha, galbanum.

Liquores: acetum ſcyllit. cremor hordei, tinctura Martis, lap. Lazuli, corallior.

Animalia: caſtoreum, ſerum lactis.

Chymica: ol. cumini, cinamomi, vitrioli, Martis præparati, crocus, & tinctura, ſpiritus cochleariæ, naſturtii, centaurii minoris, filicis, aqua antiſcorbutica & ſplenetica Sennerti, Dorncreitii. Quercetani, Minſichti, eſſentia ambræ, ſpecificum hypochondriacum, ſal eſſentiale Bauderonii, extr. card. bened. gentianæ, ſcolopendriæ, veronicæ, ſal fraxini, centaur. minoris, geniſtæ, filicis, cremor. & criſtalli tartari, tartarus vitriolatus, magiſterium tartari, mixtura antihypochondria.

Aqua: fæniculi, fumariæ, meliſſæ, cardui benedicti, cinamomi, linguæ cervinæ, ſcolopendriæ.

Syrupi: de fumaria, de ʒ. rad. de ſucco borraginis, bugloſſæ, liquiritiæ, de jujubis, pomis, lupulo, byzantin. ſimpl. & compoſ. de ſcolopend. epithymo.

Electuaria: de gemmis, lætificans Galeni, de capparibus, de calamintha, chalybeatum, de ſcoria ferri.

Conſervæ: florum geniſtæ, tamariſci, betonicæ, chamædryos, cochleariæ, fumariæ, veronicæ.

Confectiones: ſaccharum roſatum, oxymel ſimplex & ſcylliticum, acorus, zzber, cortex citri, omnia condita, confectio alchermes, radix helenii condita.

Trochiſci: de capparibus, de eupatorio, de abſynthio, de lacca.

Species: diacurcumæ, dialaccæ, lætif Galeni.

Olea: de capparibus, tamariſci, irinum, rutaceum, leucoij, amygd. amar. violar. nymphææ, roſarum, liliorum alborum, nardinum.

Empla-

Emplaſtra: de mucilag. de meliloto, diachylon cum gummis, de cicuta cum ammon. de tabaco, ceratum ſantalinum.

Unguenta: de Artanita, de althæa, refrigerans Galeni, de tamariſco ex ſummitatibus, roſatum, Agrippæ, de artemiſia, Martiatum.

Confortantia inteſtina:

Inteſtinorum. Radices: lilior. alb. zingiber.

Folia & *herba*: chamomilla, nenuphar. capilli Veneris, melilotus, borrago; fumaria, ſcolopendria, portulaca, burſa paſtoris, ſummitates rubi, verbaſcum, abſynthium, mentha, tormentilla, plantago, pentaphyll. ſalvia, ſummitates myrti, anethi.

Fructûs: baccæ lauri, cydon. ſorba, meſpila, corna.

Flores: chamomillæ, meliloti, roſarum, nenupharis, malvæ arboreæ.

Semina: plantaginis, portulacæ, lactucæ, cucurbitæ, lini, fænigræci, cumini, carvi, piper, & ſumach.

Liquores: vinum cydoniorum, granatorum, tinctura roſarum, decoctum hordei.

Ex *ſuccis inſpiſſatis*: laudanum opiatum.

Ex *mineralibus*: lac chalybeatum, ſerum lactis, ſanguis adhuc calens, cera.

Chymica: ol. arantiorum, zedoariæ, chamomillæ, tinct. cort. arant. baccarum ſambuci, ſpir. cubebarum, nucis moſchatæ, macis, aqua ad colicam Dorncreilii, balſamus apoplecticus, ſpir. roſar.

Aqua: aniſi, carvi, fæniculi, roſarum.

Syr. de roſis ſiccis, myrtinus, elect. de baccis lauri.

Conſerva: roſarum rubearum, ſalviæ, betonicæ, flor. tunicæ, zzber conditum, cort. arant. nux moſchata condita.

Confectiones: diacodium, Theriaca, cydon. & meſpila condita.

Species: diatrion pipereon, dianiſi, diagalangæ.

Olea: aniſi, abſynthii, menthæ, anethi, maſtiches, chamomillæ præcipuè cæruleæ, irinum, laurinum.

Hic nullas addimus compoſitiones; cùm internæ, liquidæ, & ſolidæ, ex ſuperioribus colligi; externæ verò facilè applicari poſſint.

Menſtrua conſtringentia:

Radices: rhabarbari, biſtortæ, tormentillæ, ſymphyti. *Conſtringentia Menſes.*

Cortices: macis.

Folia & *herba*: barba hircina, ſolatrum, plantago, portulaca, amomum, ſempervivum, virga paſtoris, lentiſcus, equiſetum, rubus, myrtus, centinodia, mentha.

Fructûs: capparis, meſpila, pruni ſylveſtres, myrtilli.

Flores: roſæ rubeæ, balauſtia, flores malvæ arboreæ.

Semina: portulacæ, plantaginis.

Reſina: ſanguis Draconis, maſtiche.

Succi inſpiſſati: acacia, laudanum opiatum.

Ex *Marinis*: corallia rubea.

Ex *mineralibus*: lapis molar. hæmatites, bolus Armena, terra ſigillata.

Ex *metallis*: ſcoria ferri, & crocus Martis adſtringens.

Animalia: ſtercus vaccinum, cornu cervi uſtum, ſanguis capræ, & hirci, ſpodium.

Aqua: plantag. roſar. nymphææ, portulacæ, menthæ.

Syrupi: myrtinus, roſar. ſiccarum, de mentha, cydon.

Conſerva: roſarum.

Confectiones: diacydon. ſimplex, Philonium Romanum.

Trochiſci: de ſpodio, de terra ſigillata.

Pulveres: chartæ aduſtæ, fæx vini uſta.

Olea: myrtinum, roſaceum, cydoniorum, maſtichinum.

Emplaſtra: contra rupturam, de bolo, renibus præcipuè applicatum, de cruſta panis, maſtichinum.

Unguenta: Comitiſſæ, roſac.

Sacculi: ex herbis adſtringentibus, in aq. fabror. & aceto intincti & applicati.

Conſtringentia hæmorrhoides:

Folia & *herba*: verbena, plantago, ſigillum Salomonis, ſummitates myrti, *Hæmorrhoides.*

myrti, ſanguiſorbæ, ſigillum Mariæ, chamæleon, lingua arietis.

Folia: quercus.

Fructûs: ſorba, acacia, meſpila, baccæ cupreſſi, & hederæ, pruna, & poma ſylveſtria.

Flores: roſæ, balauſtia.

Semina: porri, ſumach.

Gummi: commune, bdellium, carabe, thus, ſanguis Draconis, maſtiche, olibanum.

Liquores: ſuccus plantaginis, & foliorum vitis.

Metalla: ſcoria ferri reſiccata, ſcoria argenti.

Mineralia: bolus Armena, gypſum, lapis Judaicus.

Pulveres: cinis papyri, & linteorum. Chirurgi noſtri applicant crepitum lupi, vel telas aranearum.

Cruſtas ulceribus inducentia:

Incruſtantia. M*Etalla*: chalcitis, flos æris, ærugo, auripigmentum, lapis infernalis, alumen uſtum, miſy.

Carnem in ulceribus generantia,

Carnem generantia. R*Adices*: iridis, arnogloſſæ, ſymphyti, ariſtolochiæ utriusque, pimpinellæ, rubiæ, ſaniculæ, althææ.

Folia & herba: hypericon, betonica, millefolium, ſanguiſorba, ſcabioſa, ſcordium, verbena.

Semina: atriplicis & orobi, oryza.

Gummi: Arabicum, elemi, thus, pix utraque, ſatcocolla, tragacanthum, ſanguis Draconis...

Reſina: terebinthina, myrrha, colophonia, reſina pini, lacryma abietis.

Succi inſpiſſati: aloë &c.

Metalla: lithargyrium, ceruſſa, plumbum uſtum, cadmia, tutia, pompholyx.

Mineralia: terra ſigillata.

Animalia: mel, ovi luteum, ſpodium, mumia.

Pulveres: cinis tamariſci, farina fænigræci, orobi, lupinorum, hordei, ervi.

Olea: hypericonis.

Emplaſtra: de gratia Dei, divinum, de betonica, baſilicum minus, nigrum.

Unguentum: baſilicum majus & minus, aureum, pompholygos, deſiccativum rubrum, ung. fuſcum.

Conſtringentia:

F*olia* & *herba*: pentaphyllon, myrtus, plantago, virga paſtoris. *Conſtringentia.*

Fructûs: fabæ, poma cupreſſi, gallæ, acaciæ.

Flores: balauſtiorum, roſarum.

Semina: ſumach, plantaginis, fabæ, acaciæ.

Gummi: Arabicum, tragacanthum, thus.

Liquores: ſuccus ſalicis, plantaginis.

Succus inſpiſſatus: hypociſtidis.

Marina: corallia alba.

Metalla: ferrugo, tutia.

Mineralia: terra ſigillata, bolus Armena, hæmatites, gypſum, antimonium, argilla, alumen.

Animalia: ſtercus aſini, ſanguis columbæ, cinis cornu vaccini, ſanguis vaccinus, pili leporis, mumia.

Ex *Speciebus*: cinis aromatum.

Cutem mundantia:

Abſtergentia. EX *Mineralibus*: mel, ſed magis, ſi cum galla, ervo, cicere, lenticula, marrubio, iride, ruta, milio, vel ærugine, miſceatur: noſtrates utuntur amygdalis contuſis, vel lacte virginali, vel ſapone Veneto, cum borace pulv. & aq. roſar. mixto.

Cauſtica Medicamenta.

Cauſtica. R*Adices*: porrorum cæpe, helleborus, pyrethrum.

Ex *Seminibus*: piper.

Ex *Metallis*: æs uſtum.

Mineralia: calx viva, arſenicum, ſal gemmæ.

Ex *Animalibus*: cantharides.

Chymica: Mercur. ſublimat. aq. fortis, aq. mercurialis, aq. Regis, ſpir. ſulphuris, vitrioli; ultima corroſiva ſunt.

Corrodentia:

Corrodentia. R*Adices*: veratri, narciſſi, allii, aſphodeli.

Cortices: thuris, cinamomum.

Folia & *herba* : lentiſcus, alcyonium, tabacum.

Fructûs: gallæ, nuces amaræ.

Semina: urticæ, narciſſi, apii, piper, cardamomum.

Gummi: galbanum.

Reſina : communis, ſtyrax, myrrha, terebinth. chryſocolla.

Liquores ; balſamum, omphacium, oleum ex amaris nucibus, atramentum, vinum.

Ex *Succis inſpiſſatis* : ſcammonium.

Metalla : ærugo, miſy, chalcitis, auripigmentum, ſquamma ferri.

Mineralia : alumen, calx, nitrum.

Animalia : mel crudum, fel taurinum, ejusque pulvis & cinis.

Callum generantia:

Callum generantia: FRuctûs : acaciæ, nux cupreſſi.

Gummi : thus, tragacanthum.

Ex *Succis inſpiſſatis* : aloë.

Mineralia : ſarcocolla, bolus Armena.

Pulveres ; farina volatilis, corium combuſtum, pulvis lapidis calaminaris.

Emplaſtra : de lapide calaminari, deſiccativum rubrum.

Calculum frangentia:

Lithontriba: RAdices : iridis, pæoniæ, lupini, aſparagi, ononidis, lappæ majoris, ſaxifragiæ, virgæ aureæ, calcatrippæ.

Cortices : fabarum, radicum lauri.

Lignum : nephric.

Folia & *herba* ; ſaxifragia, petroſelinum, ſcolopendrium, ſcordium, ſyſymbrium, polium, ſium, apium, hyſſopus, cyperus, calcatrippa, fragaria, parietaria, fæniculum marinum.

Fructûs : baccæ juniperi, amygdalæ amaræ, baccæ lauri, alkekengi, baccæ hederæ.

Semina : ammeos, nigellæ, lupini, milii Solis, cicera rubea, ſem. braſſicæ, raphani, nuclei Perſicorum, ceraſorum, meſpilorum.

Gummi ; bdelhi.

Liquores ; balſamus, acetum ſcylliticum.

Mineralia ; nitrum, lapis Judaicus, nephriticus, criſtallus præparatus, lapis microcoſmicus, duelech Helmontii.

Animalia ; ſanguis lyncis, millepedes, oculi cancri.

Aqua : ſaxifragiæ, calcatrippæ, Nicotianæ, Lotharingica, Doctoris de Sorbait.

Syrupi : nephrocatharticus Jouberti, de raphano, de althæa Fernelii.

Pulvis ; lithontribon Nic.

Condenſantia:

FOlia & *herba* : ſempervivum majus & minus, lactuca, portulaca, umbilicus Veneris, endivia, cicerbita, dens leonis, pſyllium, nymphæa, lenticula paluſtris. *Condenſantia:*

Catharetica:

MEtalla : ærugo, ſpuma æris. *Catharetica:*

Mineralia : pumex crematus, alumen uſtum, antimonium uſtum, crocus metallorum, Mercurius ſublimatus, cinnabaris.

Chymica : oleum vitrioli, ſulphuris.

Pulvis : ſabinæ.

Unguenta : Apoſtolorum, Ægyptiacum.

Contrapellentia:

EX *Animalibus* : axungia leporis, ex oppoſito illita. *Contrapellentia:*

Dentibus nocentia.

RAdices : raphani, porri. *Nocentia dentibus:*

Folia & *herba* : omnia tenacia, dulcia, dura, & acerba, braſſica, frequens vomitus.

Fructûs : nuces, limonia, ficûs gingivis inimicæ.

Ex *Animalibus* : lac, piſces magni, & pingves.

Liquores : omes glaciati, & intensè frigidi, ſicut & exceſſivè calidi.

Diaphoretica:

RAdices : bryoniæ, raphani, libanotidis, contraiervæ, angelicæ, petaſitidis, apii, bardanæ, zedoariæ, fæniculi, lupuli, petroſelini, pimpinellæ, chæreſolii, ſalſæparillæ, carlinæ, ſcorzoneræ, Chinæ. *Diaphoretica:*

Cortices : ligni ſancti, rad. Chinæ, Chinæ Chinæ, cinamomi.

Ligna : buxi, juniperi, Guajacum, ſaſſafras, fraxinus, quercus.

Folia & *herba* : menthaſtrum, ruta, galega, praſſium, ſabina, abrotanum, carduus

carduus benedictus, capillus Veneris, chamædrys, chelidonium majus, fumaria, ſcabioſa, ſcordium, ulmaria.

Flores: chamomillæ, papaveris erratici, borraginis, bugloſſæ, anthos, ſalviæ, crocus.

Semina: urticæ, farfaræ, aquilegiæ, citri, hordeum, lentes, milium.

Gummi: galbanum, ammoniacum.

Reſina: pix, myrrha.

Mineralia: terra ſigillata, bolus Armena, lapides pretioſi.

Animalia: mel, C.C. lapis bezoar, unicornu verum.

Chymica: ſpiritus tartari, card. bened. baccar. ſambuci. Theriacalis camphoratus, mixtura ſimplex, bezoardicum minerale, antimonium diaphoreticum, ſulphur auratum, turbith minerale, crocus metallorum diaphoreticus, tinctura antimonii, ſal Gualaci, aqua Theriacalis, mater perlarum calcinata, bezoardicum Joviale Hartmanni.

Aquæ: cardui bened. tormentillæ, florum ſambuci, veronicæ, ſcabioſæ, galegæ, papaveris erratici, angelicæ, zedoariæ, pimpinellæ, Theriacalis.

Electuaria: diaſcordium Fracaſtorii, de ovo.

Confectiones: rob ſambuci, nucum, ebuli, theriaca vetus, Mithridatium, Orvietanum.

Emplaſtra: fermentum, cum pulvere leviſtici.

Ex *Linimentis*: inunctio Aëtii.

Ducentia ad Caput.

Ducentia ad Caput. Radices: ſcyllæ, gentianæ, pæoniæ, aronis, caryophyllatæ, valerianæ.

Ligna: amaraci, aloës (quod lignum vitæ dicitur) viſci quercini.

Folia & *herbæ*: polium, enula campana, folium, quod Theriacam ingreditur, chamædrys, ſtæchas, amaracus, chamæpitys, ſpica nardi, hyſſopus.

Ex *Fructibus*: nux moſchata.

Semina: cubebæ, ſemen balſami, grana juniperi, piper, anacardia, ſemen herbæ Paridis.

Gummi: thus, ſcrapinum, ſtorax, tacamahaca.

Ex *Reſinis*: laudanum, myrrha.

Ex *Liquoribus*: balſami, & odorati omnes.

Ex *Animalibus*: caſtoreum.

Ducentia ad Pectus:

Radices: ireos, naſturtii, raphani, ariſtolochiæ, lilii, liquiritiæ, ſcyllæ, enulæ. Pectus.

Ligna: aloës.

Folia & *herbæ*: capillus Veneris, praſſium, pſyllium, hyſſopus, aſphodelus, veronica, farfara, pulmonaria Gallica mas, auricula muris, bellis hortenſis, hedera terreſtris, violaria.

Fructûs: amygdalæ, uvæ paſſæ, avellanæ, piſtacia, nuclei pinei &c.

Ex *Floribus*: crocus, flor. violar. borraginis, tuſſilaginis, anthos, &c.

Ex *Seminibus*: cardamomum, hordeum.

Gummi: tragacanthum, opopanax, ſcrapinum.

Reſina: myrrha, olibanum.

Liquores: ſuccus, & decoctum caulium nigrorum, jus, & decoctum galli veteris.

Succi inſpiſſati: ſaccharum, ſuccus inſpiſſatus liquiritiæ, amylum.

Ex *Animalibus*: pulmo vulpis, mel, jus galli veteris, lac caprinum calidum recens mulctum.

Ducentia ad Hepar:

Radices: aſparagi, ireos, acetoſæ, rubiæ tinctor. ſalſæparillæ, Chinæ. Hepar.

Cortices: cinamomum &c.

Ligna: ſantala omnia, lignum ſaſſafras, Gvajacum.

Folia & *herbæ*: ſpica, evpatorium, cuſcuta, abſynthium, chamædrys, volubilis, quæ eſt ſalſaparilla noſtras, fol. lauri, ſquinanthi, hedera, fumaria, lactuca, endivia, aſarum, folium Indum, arnogloſſa, hepatica, cichorium.

Fructûs: amygdalæ amaræ, &c.

Semina: fæniculi, dauci, carvi, cicera rubra.

Liquores: aq. hordei, cicerum decocta.

Ex *Animalibus*: ſpodium de ebore, ſerum lactis.

Ducentia ad Splenem.

Radices: ſcyllæ, acori, filicis, polypod. querc. Splenem.

Cortices: ſalicis, tamariſci &c.

Folia & *herba* : tanacetum, ſcordium, calamentum, marrubium, evpatorium, rubia tinctor. aſarum, ſpica, abſynth. cuſcuta, ruta muraria, chamæpitys.

Fructûs: cappares, amygdalæ amaræ.

Semina: fæniculi, agni caſti, dauci, aniſi.

Mineralia: ſal gemmæ &c.

Metalla: ferrum, crocus Martis, tinctura Martis, ſal Martis.

Ducentia ad renes.

Renes. RAdices : 5 aperientes, radix apii, petroſelini, dictamni albi, lappæ maj. ſaxifragiæ marinæ.

Folia & *herba*: petroſelinum, ſaxifragia, apium.

Ducentia ad matricem.

Matricem. RAdices: rubiæ tinctor. dictamni albi.

Folia & *herba*: pulegium, ſabina, matricaria, artemiſia, calamentum, pimpinella, pentaphyllum.

Fructus: baccæ juniperi, lauri, alkekengi.

Reſina: myrrha, terebinthina.

Ducentia ad juncturas.

Juncturas. RAdices: ſcyllæ, acori, hermodactyl.

Folia & *herba*: polium, chamædrys, chamæpitys, ſalvia, betonica, ſcordium, aſarum.

Liquores: aqua porri, ſuccus caulium.

Semina: cardamomi, amomi.

Gummi: tragacanthum, opopanax.

Ducentia ad veſicam.

Veſicam. SEmina: 4 frigida majora, milii Solis, ſaxifragiæ, lappæ, majoris.

Animalia: cantharides.

Ex *Succis*: caſſia.

Ex *Reſinis*: terebinthina, myrrha.

Digeſtiva pituitæ.

Digeſtiva pituitæ. RAdices: apii, aſparagi, leviſtici, hermodactyl. raphani, ariſtolochiæ, cyclaminis, bryoniæ, gentianæ, dictamn. pæoniæ, ireos, cyper.

Cortices: cinamomi, ebuli, ſambuci.

Folia & *herba*: bruſcus, balſamin. polium, origanum, ſeu herba The noſtrâs, ruta, peucedanum, ebulus, pimpinella, naſturtium, anethum, cyminum, nepetha, ſquinantum, veronica, aſarum, hyſſopus, thymus, majorana, ſalvia, betonica, pulegium, abſynth. meliſſa, evpatorium, calamentum, ſiler montanum.

Fructûs: capparis, caſſia fiſtulata, pſyllium, colocynthis, baccæ juniperi.

Flores: been, anthos, ſalviæ, pœoniæ, ſtæchados.

Semina: fæniculi, aniſi, carvi, cumini, ſinapios, piper, cardamomum, ſemen dauci, coriandri præparat.

Succi inſpiſſati: aloë &c.

Animalia: ſpodium &c.

Syrupi: de praſſio, de evpatorio, de calamintha, byzantinus, de hyſſop. de betonica.

Confectiones: oxymel ſimplex & compoſitum, mel roſaceum, hydromel, præcipuè in quo hyſſopus bullit.

Digeſtiva bilis.

LIgnum: ſantalinum triplex. Bilis.

Folia & *herba*: endivia, cichorium, capillus Veneris, mercurialis, virga paſtoris, portulaca, folia ſalicis, ſcolopendrium, abſynth. nymphæa, acetoſa, pſyllium, lactuca, ſcabioſa, polytrichon, malva, arnogloſſa, acetoſella, borrago, bugloſſa.

Fructûs: mala granata, ceraſa, cucumeres, cucurbitæ, caſſia fiſtula, betberes, ſebeſten, tamarind. myrobalani citrinæ, jujubæ.

Flores: papaveris erratici, violarum, roſarum, nymphææ.

Semina: 4 frigida majora, & minora.

Gummi: Arabicum, tragacanthum, ſanguis Draconis.

Liquores: mucilago pſyllii, ptiſana, aq. lactis, acetum.

Succi inſpiſſati: mumia, liquiritiæ ſuccus: ſicuti in eryſipelate pulvis liquiritiæ, & ung. bilem frænant, ita etiam faciunt internè.

Mineralia: bolus Armena, terra ſigillata.

Animalia: ſpodium, aq lactis.

Syrupi: acetoſus, de ſucco limonum, violarum, roſarum, endiviæ, nenupharis, portulacæ, de ſucco cichor.

Confe-

Confectio : acetoſitatis citri.
Conſerva : acetoſellæ, acetoſæ, flor. nymphææ.

Digeſtiva melancholia.

Melancholia. RAdices : hellebori nigri, ariſtolochiæ, polypodii, filicis.

Folia & herbæ : thymus, fumaria, calamentum, ſcolopendrium, tamariſcus, meliſſa, origanum, hyſſopus, bugloſſa, epithymus, menthaſtrum, borrago, cuſcuta, polium montanum, capillus Veneris, verbena, adianthum, lingva cervina, ceterach.

Fructûs : cappares, paſſulæ.

Flores : ſchænanthi, been.

Semina : ammeos.

Gummi : ſerapinum.

Liquores : aqua caulium, vinum aromaticum.

Succi inſpiſſati : ſaccharum &c.

Ex *Mineralibus* : lapis bezoar.

Ex *Animalibus* : mel, os de corde cervi.

Syrupi : acetoſus, de fumaria, de ſcolopendrio, de epithymo, de pomis.

Ex *Confectionibus* : oxymel ſcylliticum.

Ducentia fœtum, & ſecundinas.

Fœtum & ſecundinas pellentia. RAdices : gentianæ, narciſſi, coſti, allii, rubiæ tinctor. dictamni albi, lappæ maj.

Folia & herbæ : centaurium minus, artemiſia, ſabina, lupinum, calamentum, chamomilla, capillus Veneris, chamædrys.

Fructûs : cucumer aſininus, cappariꝛ, alkekengi.

Flores : croci.

Semina : fumus cardamomi, cicer, piper.

Gummi : ammoniacum, galbanum, bdellium, ſerapinum, ladanum, opopanax.

Reſina : aſa fœtida, myrrha, & trochiſci ejusdem.

Liquores : ſuccus cucumeris aſinini, balſamum.

Animalia : priapus cervi, caſtoreum.

Chymica : borax, glacies Mariæ, aq. cinamomi, ſabinæ, pulegii, artemiſiæ.

Olea : ſabinæ, ſuccini, liliorum alborum, ſcorpionum magnũ Matthioli.

Diſcutientia, quæ in aliqua corporis parte coaluerunt.

RAdices : lilior. alb. ireos, narciſſi, junci odorati. *Diſſolventia.*

Cortices : cinamomi.

Folia & herbæ : abrotanum, violæ albæ, ſampſuchus, enula campana, cedrus, cyperus, ſerpillum, amaracus, cupreſſus, praſſium, nardus, tragoriganum.

Fructûs : nuces amaræ, ficûs aridæ.

Fructûs : violarum purpur. roſarum, croci.

Semina : lini, narciſſi.

Gummi : ammoniacum.

Reſina : communis, ſtyrax.

Metalla : ſpuma argenti &c.

Mineralia : bitumen, lapis molaris, ſulphur.

Animalia : mel, lac, cera, vitellus ovi crudus.

Dolorem & fluxionem ſedantia.

RAdices : althææ, liliorum alborum. *Anodina.*

Flores : chamomillæ, meliloti, crocus, papaveris erratici, liliorum alb.

Gummi : thus albumine ovi ſubactum.

Ex *Animalibus* : lac, & ſtercus vaccinum, œſypus, vitellum ovi.

Animalia : viva, vel integra, vel diſſecta, ad partem dolentem applicata, omentum vervecis adhuc calens, vel in oleo calido priùs immerſum.

Diuretica.

RAdices : petroſel. apii, leviſtici, cæpæ, acori, naſturtii, cyperi, aſphodeli, porri, coſti, fœniculi, aſparagi, allii, mei, ariſtolochiæ, eryngii, valerianæ, aſari, ononidis, raphani, graminis, althææ, oxylapathi, acetoſæ, calami aromatici, lappæ maj. cardui utriusque, dauci, eryſimi, rubi, ſaxifragiæ, angelicæ, rubiæ tinct. dictamni albi. *Diuretica.*

Cortices : caſſia lignea, cinamomum, cortex medianus geniſtæ, lauri, raphani, tamariſci.

Folia & herbæ : ſquinanthum, capillus Veneris, pulicaria, fumaria, bruſcus,

evpatorium, betonica, ſabina, cuſcuta, abrotanum, peucedanum, meum, pentaphyllum, polytrichon, chæreſolium, ſpica, aſarum, thapſia, calamentum, polium, anethum, ruta, adianthum, hypericon, folium, thymus, chamæpitys, lentiſcus, centaureum, chamædrys, ſaxifragia, pimpinella, apium, urtica, fænic. ſyſymbrium, naſturtium, acetoſa, parietaria, bismalva, ſummitates aſparagi, abſynth. calamentum, dictamnus Creticus, laurus, petroſelin. pulegium, ſatureia, ſerpillum.

Fructûs: baccæ juniperi, lauri, amygdalæ amaræ, cubebæ, anacardia, alkekengi, cucurbitæ, melones, pepones, cucumeres, ficus.

Flores: geniſtæ; chamomillæ, althææ, cichorei.

Semina: milii Solis, lappæ majoris, malvæ arboreæ, carvi, carthami, dauci, nigellæ, ſeſeleos, aniſi, ammeos, aſparagi, petroſel. apii, raphani, urticæ, leviſtici, polii, cicera rubra, ſem. 4. frigid. majora, acetoſæ, cardamomum, chæreſolii, cubebæ, ſem. ſaxifragiæ.

Gummi: ammoniacum, carabe.

Reſinæ: myrrha, terebinth. camphora, ammoniacum.

Liquores: ſuccus limonum, vinum album, acidulæ.

Animalia: cantharides, apes uſtæ, ſanguis hirci præparatus, priapus cervi.

Chymica: ſpiritus, oleum, & balſamus, ſulphuris, & maximè terebinthinatus, ſpiritus tartari, & ſalis marini dulcis, ſpiritus terebinthinæ, ſal tartari, & baccarum hederæ, item ſal ſtipitum fabarum, juniperi, ſambuci, prunellæ, geniſtæ.

Aquæ: fænic. apii, ſabinæ, parietariæ, graminis, acetoſæ, Ducis Lotharingiæ, raphani, ononidis &c.

Syrupi: capill. Veneris, de limonibus, byzantinus, de althæa Fernelii, de duabus, & 5. radic.

Conſervæ: florum geniſtæ, capillor. Veneris.

Confectiones: oxymel ſimplex, & compoſitum, radix eryngii condita, carnes cucurbitæ conditæ.

Trochiſci: de camphora, alkekengi.

Dolorem, & ardorem lenientia.

FOlia & herbæ: ſolanum, plantago, althæa, hyoſcyamus, ſempervivum, malva, parietaria, ebulus, ſambucus, lens aquatica. *Mitigatoria.*

Flores: roſarum, nymphææ, lilior. alb. qui, in oleo infuſi, maximè podagricos leniunt dolores.

Liquores: acetum florum ſambuci, mucilago tragac. ſem. pſyllii, cydon.

Animalia: albumen ovi, lac tepidum, cremor lactis; qui ad podagram plurimum facit, ſæpiúsque impoſitus nodos impedit, ſperma ranarum.

Chymica: phlegma vitrioli, ſal prunellæ, reſolutum in aq. papav. erratici, oleum ex ſangvine humano.

Aquæ: roſarum, ſolani, plantag. papav. erratici, ſpermatis ranarum.

Olea: violarum, cheiri, nymphææ, lilior. albor.

Unguenta: roſar. populeon, de alabaſtro, anodinum.

Dolores, & humores diſſipantia.

FOlia & herbæ: primulæ veris, calamint. naſturt. nepethæ, pulegii, hypericon. *Diſſipantia.*

Fructûs: hermodactyli, ficûs, cum fermento tritæ, & cum melle appoſitæ, diſſipant, & aperiunt potenter.

Reſinæ: maſtiche, bdellium, terebinthina.

Animalia: adeps cati, urſi, vulpis, taxi, ſerpentis.

Olea: caſtorei, terebinth. hypericonis, ireos, vulpinum, coſtinum, de evphorbio, ſambucinum.

Unguenta: Martiatum, dialthæa.

Detergentia.

RAdices: apii, ireos, ariſtolochiæ utriusque, gentianæ, aronis, cyperi, cucumeris aſinini, dracontii, plantag. ſigilli Salomonis, aſphodeli, capparis, valerianæ, vitis albæ, hellebori nigri. *Detergentia.*

Folia & herbæ: abſynth. centaurium minus, marrubium, apium, agrimonia, plantago, anagallis, chamedrys, chelidonia, beta, hypericon, chamæpitys,

pitys, cuſcuta, evpatorium, fumaria, perſicaria, ſabina, hedera, betonica, braſſica, aſparagus.

Semina: apii, plantaginis, urticæ, atriplicis, nigellæ.

Gummi: thus, ſagapenum.

Reſina: terebinthina, myrrha.

Liquores: vinum, lixivium commune.

Succi inſpiſſati: aloë, & ſaccharum.

Metalla: ærugo, chalcitis, tutia, æs uſtum, ſpodium.

Mineralia: vitriolum uſtum, ſal petræ, alumen, chryſocolla, ſulphur, tartarus.

Animalia: mel, urina, fel, ſerum lactis.

Chymica: oleum de myrrha, de roſis ſiccis.

Confectiones: mel roſaceum, oxymel ſimplex, & compoſitum.

Farina: fabarum, lupinorum, fænigræci, hordei, lini, cicerum, orobi.

Olea: ſambucinum, amygdalarum amarum.

Emplaſtra: de gratia Dei, divinum.

Unguenta: aureum, enulatum, Ægyptiacum, mundificativum de apio, citrinum, fuſcum, baſilicum minus, cum Mercurio.

Diſcutientia.

Diſcutientia. Radices: althææ, liliorum alborum, ireos, ebuli, rutæ, ſalviæ.

Folia & *herbæ*: anethum, calaminth. majorana, marrubium, hyſſopus, origanum, pulegium, thymus.

Flores: chamomillæ, meliloti, fænigræci, ſambuci, ebuli.

Semina: aniſi, dauci, carvi, fæniculi.

Gummi: ſarcocolla lacte nutrita, ammoniacum, galbanum, bdellium, ſagapenum, ſtyrax, pix ſicca.

Reſina: thus, myrrha.

Liquores: omphacium, oleum vetus, amygdalarum amarar. chamomillæ.

Succi inſpiſſati: aloë &c.

Mineralia: nitri ſpuma, ſulphur, ſal, calx.

Animalia: lac muliebre, ſangvis columbarum, & turturum, pennæ pipionum, ſangvine prægnantes, expreſſæ, fel piſcium, adeps anſeris, tauri, urſi.

Aqua: vitæ, evphraſiæ.

Farina: fabarum, lupinorum, lini, cicerum, fænigræci.

Olea: irinum, nardinum, laurinum, rutaceum, vulpinum.

Emplaſtra: fermentum, diachylon cum gummis, de meliloto, diaphænicon.

Unguenta: carminativum, de althæa.

Defenſiva.

Defenſiva. Liquores: ſuccus cydoniorum, granatorum, plantaginis, ſempervivi, ſolani, decoctum ſummitr. balauſtiorum, myrtill. ſumach, roſarum.

Aqua: roſarum, plantaginis, ſempervivi, portulacæ, mixtura ex aq. chalybeata, aceto, & nitro.

Unguenta: album camphoratum, refrigerans Galeni, Comitiſſæ.

Emplaſtra de minio, de bolo.

Extrahentia.

Extrahentia. Radices: dictamni, apii, pyrethri, ariſtolochiæ, curcumæ, cyclaminis, paſtinacæ ſylveſtris, ari, bulbi omnes, radix eryngii, cum melle, item radix gladioli.

Cortices: mediani tiliæ.

Folia & *herbæ*: majorana, thapſia, lolium, geniſta, dictamnus Creticus, tabacum, anagallis, verbaſcum.

Semina: verbaſci, & ſinapios.

Gummi: ſerapinum, aſa fætida, ammoniacum, galbanum, opopanax, ſuccinum.

Liquores: petroleum &c.

Mineralia: magnes, ſulphur, lapis lyncis.

Animalia: ſtercora animalium, cochleæ terreſtres tritæ, lacertæ capue uſtum & pulveriſatum, lingua vulpis, propolis, cancri pulverſati, ſapo niger.

Emplaſtra: fermentum panis, emplaſtrum nigrum, ſeu fuſcum Nicolai.

Unguentum: Apoſtolorum, & de betonica.

Emollientia.

Emollientia. R*Adices*: anchuſæ, narciſſi, iridis, malvæ, liliorum alborum, bryoniæ, ebuli, cucumeris agreſtis, cæpæ, liquiritiæ, cyclaminis.

Flores & *herba*: chamomilla, evpatorium, melilotum, abſynth. enula campana.

Folia: roſæ, ruta, violaria, parietaria, branca urſina, malva, althæa, atriplex, ebulus, beta, bismalva, borrago, bugloſſa, ſambucus, cicuta.

Fructûs: ficus aridæ, nuces amaræ, amygdalæ dulces, uvæ paſſæ, jujubæ.

Flores: chamomillæ, meliloti, liliorum alborum, violarum, malvæ, crocus.

Semina: narciſſi, cardamomi, cicutæ, lini, fænigræci, malvæ, althææ.

Gummi: ammoniacum, opopanax, galbanum, bdellium, pix.

Reſina: maſtiche, ſtyrax liquida, reſina communis, lachryma papaveris, terebinthina.

Liquores: balſamum, aceti acerrimi ſapor, decoctum inteſtinorum, capitis, & pedum vervecis.

Metalla: æs combuſtum, plumbi recrementa.

Mineralia: nitrum, ſulphur, terra Cretica.

Animalia: adeps caprinus, porcinus, cochleæ coctæ, ſevum, adeps, & medulla omnis, butyrum, coagulum, œſypus, medulla cervina, vitulina, axungia humana, caponum, anatum, taxi, ſevum hircinum, caprinum, taurinum, propolis, ſtercus bubulum, favus mellis.

Olea: liliorum alborum, lumbricorum, violarum, chamomillæ, lini, irinum, commune, anagallidis, capparum.

Emplaſtra: diachylon magnum, de mucilaginibus, de meliloto, filii Zachariæ, oxycroceum, de ranis.

Unguenta: de althæa, reſumptivum, elyſmaticum ſ. deoppilativum.

Exedentia.

Exedentia. L*Ignum*: ebeni.

Folia & *herba*: cicuta, marrubium, lenticula, alceæ folia.

Fructûs: gallæ.

Liquores: atramentum ſutorium, acetum, ſuccus lactucæ marinæ, ſeu lac.

Succi inſpiſſati: acaciæ, Nicotianæ.

Ex *Metallis*: ſpuma argenti, ſquamma æris, cadmia, auripigmentum, flos æris, ochra, ſpodium, miſy, chalcitis.

Mineralia: chryſocolla, minium, diphryges, ſal, ſulphur, calx, alumen, lapis hæmatites.

Animalia: cantharides, fel, mel.

Evocantia.

Evocantia. L*Ignum*: ebenum.

Fructûs: ficûs aridæ, baccæ lauri.

Semina: lini.

Gummi: bdellium.

Reſina: communis, pini, ladanum, terebinthina.

Liquores: omphacium.

Ex *Metallis*: chalcitis.

Ex *Mineralibus*: pumex, minium, alumen, ſal.

Ex *Animalibus*: fel, propolis, ſtercus columbinum.

Levigantia quæ ſunt aſpera.

Levigantia. L*Ignum*: ebenum.

Gummi: Arabicum, tragacanthum.

Ex *Animalibus*: ſpodium, lac, albumen ovi.

Errhina.

Errhina. R*Adices*: hellebori albi, cyclaminis, cucumeris agreſtis.

Folia & *herba*: braſſica, beta, anagallis, majorana, ſalvia, betonica, pulegium, origanum, ptaſſium, hedera.

Ex *Fructibus*: caſſia.

Gummi: evphorbium.

Liquores: ſuccus betæ, anagallidis purpureæ, braſſicæ, chelidoniæ, betonicæ, cyclaminis, cucumeris aſinini, radicis, iridis hederæ, hyſſopi, majoranæ, marrubii, Nicotianæ, origani, nigellæ, pulegii, ſalviæ, ſabinæ, ſambuci.

Ex *Succis inſpiſſatis*: elaterium.

Ex *Animalibus* : butyrum recens, vel malvæ, vel parietariæ aq. lotum, naribus illitum.

Chymica : oleum de piperibus, ireos.

Syrupi : de hyſſopo.

Confectiones : mel roſatum, anthoſatum, oxymel ſimplex, & compoſitum.

Confectio : anacardina, muſcerda, aurea, Theriaca, Mithridatium.

Pulveres : acori, caſtorei, croci, caryophyllorum, elaterii, hellebori albi, & nigri, nucis moſchatæ, piperis albi, pyrethri, zinziberis, vitrioli albi : quod ſi diſſolvatur in aq. majoranæ, attractum, caput mirabiliter à phlegmate per nares evacuat.

Emplaſtica.

Emplaſtica. RAdices : lilior. albor. althææ, malvæ, ſymphyti maj.

Cortices : thuris.

Folia & *herbæ* : althææ, malvæ, portulacæ, telephii.

Fructûs : uvæ paſſæ, ficûs, nuclei pini.

Gummi: ſanguis Draconis, maſtiche, gummi Arabicum, tragacanthum, ſarcocolla, thus, ſuccinum.

Reſina : omnes : pix, amylum.

Marina : corrallium, cochleæ.

Metalla : ceruſſa, pompholyx, cadmia, plumbum.

Mineralia : lapis hæmatites, antimonium, alumen.

Animalia : albumen ovi, gelatinæ ex partibus nervoſis, mumia, cera, œſypus, adipes recentiores, omnis medulla quadrupedum, butyrum, & caſeus recens, agni, & vituli caput, & pedes, ſpodium.

Farina : tritici, fabarum, volatilis.

Unguenta : album Rhazis, de lithargyrio nutritum, diachalciteos, diapompholygos, deſiccativum rubrum.

Emplaſtra : citrinum, de mucilaginibus.

Epiceraſtica, ſeu acrimoniam humorum retundentia.

Retundentia. RAdices : liquiritiæ, althææ, malvæ.

Folia & *herbæ* : malvæ, nymphææ, ſempervivi, portulacæ, lactucæ.

Fructûs : jujubæ, paſſulæ, poma & pyra dulcia, ſebeſten, amygdalæ dulces, pineæ.

Semina : hyoſcyami, hordeum excorticat. lactucæ, lini, papaveris albi.

Liquores : lac amygdalar. aqua hordei, jus pingue, lac ſonchi, cremor ptiſanæ, ſuccus fol. ſolani, halicacabi, omnes mucilagines.

Succi inſpiſſati : amylum &c.

Animalia : albumen ovi, butyrum, lac omne, ſerum lactis, caput, & pedes vituli, & agni.

Chymica : oleum plumbi &c.

Syrupi : violarum, de pomis, de althæa Fernelii, de liquiritia, de papavere, de portulaca.

Confectiones : pulpa caſſiæ, diacocodium, diapenidium, ſaccharum candum, violaceum, julapium violatum, mel violaceum.

Olea : olivarum, amygdalarum dulcium, ſeminis hyoſcyami, cucurbitæ, papaveris albi.

Unguenta : roſaceum, album camphoratum.

Epulotica, ſeu cicatrizantia.

RAdices : ariſtolochiæ rotundæ, tormentillæ, cyperi, pentaphylli, ſimphyti. *Epulotica.*

Cortices : malicorii, glandium calices, cortices thuris.

Folia & *herbæ* : plantago, myrtus, cauda equina, nummularia, folia quercûs, ariſtolochiæ, piloſellæ, veronicæ.

Fructûs : cupreſſi, gallæ immaturæ, glandes cum calicibus.

Ex *Floribus* : roſæ, & balauſtia.

Gummi : ſagapenum, ſangvis Draconis, thus, ſarcocolla.

Ex *Reſinis* : maſtiche.

Succi inſpiſſati : acaciæ, aloës.

Marina : ſpongia uſta, corallium.

Metalla : lithargyrium, ceruſſa, cadmia, pompholyx, ſcoria ferri, plumbum uſtum, ſpuma æris, æs uſtum, chalcitis, auripigmentum, ſpodium.

Mineralia : bolus Armena, terra ſigillata, lapis hæmatites, calaminaris, antimonium uſtum, calx, alumen, & vitriolum uſtum, terra Lemnia, creta alba, ſulphur.

Ex

Ex *Animalibus*: lana cremata, linteola cremata, pili leporis uſti, C.C. uſtum, os ſepiæ, ebur uſtum, cera.

Chymica: crocus Martis.

Emplaſtra: de lapide calaminari, diapalma Paracelſi, triapharmacum, gryſeum.

Unguenta: album Rhazis, deſiccativum rubrum, diapompholygos, de ceruſſa, de tutia, de minio, fuſcum.

Famem paucis ſedantia:

Famem ſedantia. RAdices: liquiritiæ: ex *ſuccis*: vinum: ex *animalibus*; butyrum: ex *herbis*: petum, ſeu Tabacum.

Flatûs diſcutientia:

Flatus diſcutientia. RAdices: angelicæ, galangæ, Imperatoriæ, ſpicæ Indicæ, zinziberis, Zedoariæ.

Cortices: arantiorum, cinamomi.

Folia & herbæ: lauri, calaminthæ, origani, majoranæ, ſalviæ, rutæ, ſatureiæ, pulegii, hyſſopi, menthæ, ocymi, thymi.

Fructûs: baccæ juniperi, caryophylli.

Flores: chamomillæ, centaurii minoris, macis, croci.

Semina: aniſi, fæniculi, carvi, dauci, cumini, ammeos, petroſelini, agni caſti, angelicæ, leviſtici, arantiorum, citri, piperis.

Ex *Animalibus*: caſtoreum.

Chymica: aqua cinamomi, zedoariæ, aq. vitæ. *Olea*: aniſi ſtillat. fæniculi, carvi, cumini, chamomillæ, macis.

Aqua Phyſogona: D. Mannagettæ, & herbarum ſupradictarum.

Electuarium: de baccis lauri.

Confectiones: Theriaca, Mithridatium, elect. Orvietanum.

Species: diacymini, diagalangæ, roſata novella, arom. roſat.

Olea: abſinthii, anethi, rutæ, aniſi, fæniculi, menthæ, cumini, laurinum.

Glutinantia.

Glutinantia. RAdices: bulbi omnes, naſturtii, ſymphyti, tormentillæ, pentaphylli.

Folia & herbæ: vitis alba, arnogloſſa, millefolium, ſanicula, verbena, piloſella, betonica, ſcabioſa, ungula, hypericon, prunella, conſolida minor, pyrola, herniaria, plantago; folia ſalicis, atriplicis, iſatitidis, chamæpityos, centaurii minoris.

Semina: lini, cardamomi, pſyllii.

Gummi: tragacanthum, gluten, ſarcocolla, ſanguis Draconis.

Reſina: myrrha, thus, terebinthina, pix liquida.

Liquores: atramentum ſutorium gelatin.

Succi inſpiſſati: aloë, hypociſtis.

Metalla: ærugo, chalcitis, auripigmentum, lithargyrium auri, plumbum, cadmia.

Mineralia: alumen, lapis calaminaris.

Animalia: ichthyocolla, cochleæ cum ſuis teſtis contuſæ, mel coctum, aranea, lumbrici, mumia, pili leporis minutim diſſecti, aut uſti.

Chymica: oleum myrrhæ, Nicotianæ, balſamum vulnerarium ex catulis.

Emplaſtra: contra rupturam, triapharmacum, nigrum.

Unguenta: aureum, deſiccativum rubrum, de lithargyrio, de betonica.

Grumos diſſolventia:

RAdices: ariſtolochiæ rotundæ, vincetoxici. *Grumos diſſolventia.*

Folia & herbæ: apii montani, & hortenſis, rutæ hortenſis, artemiſiæ, abſynthium, abrotanum, ſatureia, thymus.

Semina: cumini cum aceto triti, raphani.

Gummi: ammoniacum aceto diſſolutum.

Liquores: ſuccus calaminthæ montanæ, acetum ſcylliticum, juniperinum, lixivium, fermentum cum aceto & melle.

Animalia: mumia, coagulum leporis, hædi, cancrorum fluviatilium cinis.

Chymica: ſalia ex diureticis, ſpiritus ſalis, terebinthinæ, croci, macis &c.

Confectiones: oxymel ſimplex & compoſitum, ſeu ſcylliticum, hydromel.

Ex

Ex *Pulveribus* : carbones tiliæ aceto extincti, & pulveriſati.

Hæmorrhoides provocantia:

Hæmorrhoides provocantia. RAdices : ſcyllæ, cæpæ, gentianæ, cyclaminis, cyperi.

Cortices : radicum fraxini.

Folia & *herba* : millefolium, alleluja, mentha, pirola, bugloſſa, centaureum.

Semina : nigellæ.

Liquores : ſuccus cepæ acutæ, potus myrobalanorum conditarum, aq. porror. potata cum oleo nucum, ſuccus foliorum vitis.

Ex *Succis inſpiſſatis* : evphorbium.

Mineralia : arſenicum, vitriolum.

Ex *Animalibus* : fel tauri, os ſepiæ, oleum pulicariæ.

Hypnotica, ſeu ſomnum inducentia.

Hypnotica. FOlia & *herba* : anethum, ſempervivum, lactuca, rad. mandragoræ, paſtinacæ.

Fructûs : amygdalæ dulces, nuclei Perſicorum.

Flores : violarum, roſarum, nymphææ, papaveris erratici.

Semina ; lactucæ, 4 frigida majora, papaveris albi.

Liquores : ſuccus lactucæ, nymphææ, ſolani.

Ex *Animalibus* ; medulla crurum vituli, & cervi.

Aquæ : violarum, nymphææ, lactucæ, portulacæ, ſolani, roſarum.

Syrupi ; violarum, nymphææ, portulacæ, florum papaveris erratici.

Conſervæ : violarum, nymphææ.

Olea : papaveris albi, mandragoræ, amygdalarum dulcium, ſalicis, ranarum, violarum, nymphææ.

Confectiones : caules, & lactucæ Italicæ conditæ.

Species : diamargarit. frigid.

Unguenta ; populeon, de alabaſtro, de nuce moſchata.

Hæc ad ſomnum inducendum vel intrinſecè exhiberi, vel extrinſecè applicari poſſunt. Intrinſecè *Julapia* ex aquis deſtilatis, & ſyrupis, propinentur : ut :

℞. *Aq. nymphææ*, *Julepum.*
portulacæ,
roſarum,
violarum,
lactucæ, ana ℥iij.
ſyrupi florum papaver. erratici,
de nymphæa,
de portulaca, ana ℥j.
M. Doſis ℥iiij. vel 5.

Extrinſecè.

℞. *Summitatum anethi*, *Pedilavium.*
verbaſci,
nymphææ,
lactucæ, ana m iij.
capit. papav. albin. n. xv.

Coq. in q. ſ. *aquæ* pro Pedilavio, tempore ſomni uſurpando; cui etiam, ſed in alio vaſe, manus immergi poſſunt : unde placidiſſimus ſæpe conciliatur ſomnus.

Incidentia humores.

RAdices : ſcyllæ, cyperi, cepæ, acetoſæ. *Incidentia.*

Folia & *herba* : ſcordium, chamæpitys, chamædrys, ruta, evpatorium.

Semina : piper nigrum.

Liquores : jus cicerum, lentiũ, & hordei cum aceto, vel ſucco limonum.

Confectiones : oxymel ſimplex & compoſitum, oxyſaccharum.

Syrupi : acetoſus, de duabus & 5 radicibus, byzantinus, de trifolio acetoſo.

Ex *Mineralibus* : nitrum, ſpir. vitrioli, & ſulphuris.

Ex *Animalibus* ; mel, & ſerum lactis.

Indurantia.

FOlia & *herba* : pſyllium, papaver, ſempervivum, mandragora, hyoſcyamus lactuca, portulaca. *Indurantia.*

Laxantia.

RAdices : liquiritiæ, althææ, bryoniæ. *Laxantia.*

Folia & *herba* : malva, borrago; lapathum acutum, mercurialis, beta, atriplex, violaria.

Fructûs : caſſia fiſtula, pineæ, tamarindi, jujubæ, paſſulæ, poma dulcia, ficûs pingves.

Semina : cydon. pſyllii, carthami.

Gummi: tragacanthum, & Arabicum.

Liquores: aqua hordei, ſerum lactis, vinum dulce, oleum dulce.

Flores: Perſicorum, ceraſi, roſar. pallid. violarum, roſar. moſchat.

Ex *Animalibus*: pinguedines, butyrum.

Hepar per urinam purgantia:

Hepato diuretica. FOlia & herba: mentha, daucus, ſquinanthum, aſarum, eryngium, laurus, abſinth.

Semen: agni caſti, aniſi, apii, ſileris montan.

Ex *Liquoribus*: balſamum.

Lac generantia:

Lac generantia. RAdices: raphani, fæniculi, paſtinacæ, galangæ, coſti, cepæ.

Folia & herba: lactuca, eruca, fæniculum, aniſum, anethum, marathrum, lingua avis, ſmirnium Dioſcoridis, ſion, polium, polygala.

Fructûs: caſtaneæ, dactyli, amygdalæ dulces, piſtacia, nuclei pini.

Semina: anethi, grana ulmi, ſem. aniſi, fæniculi, hordeum, cicer, fabæ, ſem. papaveris, nigellæ.

Liquores: aqua caſei veteris.

Ex *Mineralibus*: pulvis cryſtalli.

Animalia: aqua caſei veteris; mel cum ovo, ova ſorbilia, jus carnium, cerebella, juſcula gallinacea, victus euchymus, abſtinentia à venæſectione.

Lumbricos enecantia.

Lumbricos enecantia. RAdices: graminis, primulæ veris, Zedoariæ, dictamni albi, gentianæ, angelicæ, mori, rhabarbarum, rad. ariſtolochiæ, aſclepiadis, anchuſæ, biſtortæ, cruciatæ, filicis, carlinæ, helenii, ſucciſæ, tormentillæ, rubiæ, perſonatæ, petaſitidis.

Cortices: rad. mori, capparum, &c.

Folia & herbæ: ruta, mentha, ſambucus, abſynthium, menthaſtrum, origanum, polium, dictamnus, thymus, centaureum, fol. Perſicorum, abrotanum, portulaca, cichorium, acetoſa, ſcordium, hypericon, verbena, marrubium, dens leonis, aſarina Matthioli, ſabina, calamintha, perſicaria, cardiaca, carduus benedictus, capraria, tanacetum.

Fructûs: amygdalæ amaræ, baccæ lauri, juniperi.

Flores: centaurii minoris, lupuli, hyſſopi.

Semina: nigellæ, carvi, ammeos, citri, tanaceti, braſſicæ, lupini, caulium, coriandri præparati, portulacæ, arantiorum, atriplicis, pſeudomelanthii, naſturtii, erucæ, napi, leviſtici, lupuli, acetoſæ, cannabis, cinæ.

Gummi: juniperi.

Ex *Reſinis*: myrrha.

Liquores: infuſio Mercurii vivi in aqua communi, vel graminis facta, ſuccus limonum, granatorum, portulacæ.

Succi inſpiſſati: aloë &c.

Ex *Marinis*: corallina, corallium rubrum.

Ex *Mineralibus*: ſal gemmæ, terra ſigillata, bolus Armena, ſulphur, nitrum, mercur. vivus, & dulcis.

Ex *Animalibus*: C. C. fel taurinum ventri ſuppoſitum, raſura eboris, pulvis lumbricorum terreſtrium, vermium microcoſmicorum (quamvis ſeminaria in corpore relinquere credatur hic) pulv. unicornu.

Chymica: ſpiritus ſulphuris, vitrioli, oleum vitrioli.

Aqua: abſynth. gentianæ, graminis, portulacæ, vincæpervincæ, raphani marini, rutæ, flor. pruni ſylveſtris, endiviæ, cichorei.

Syrupi: de abſynth. cichoreo, endivia, de ſucco citri, de berberibus, bizantinus.

Conſerva: florum Perſicorum, caryophyllorum, arantiorum, citri, abſynthii.

Confectiones: Theriaca, & Mithridatium.

Trochiſci: de myrrha, de terra ſigillata.

Pulveres: farina lupinorum, hiera picra Galeni.

Olea: abſynthii, nucleorum Perſicorum, rutæ, colocynthidis, lauri.

Unguenta: de artanita, contra vermes A. A. Nos *myrrham* contundimus, & cum *abſynth.* umbilico applicamus: dein clyſteres dulces admovemus: ſic vermes aliquando vivi adhuc rejiciuntur.

Lithon-

Lithontriptica.

Lithontriptica. R*adices*: ononidis, lappæ maj. ſaxifragiæ, virgæ aureæ, calcatrippæ, apii, raphani, ariſtolochiæ, enulæ, filipendulæ, galegæ, acori, hippolapathi, iridis, leviſtici, pimpinellæ, pœoniæ, urticæ, ſcyllæ, aſparagi, cæpe, graminis, dictamini, mei, petroſel.

Cortices: fabarum ſiccarum, mediani lauri, cinamomi.

Ligna: nephriticum, xyloaloë.

Folia & herbæ: ſaxifragiæ, calcatrippæ, parietariæ, fœniculi marini, abrotani, bupleuri, auriculæ leporis, herbæ capillares, chamædrys, chamæpitys, nardus Celtica, hedera terreſtris, origanum, polium, thymus, hyſſopus, veronica, ſcordium, virga aurea, lamium, adianthum, apium, betonica, calamintha, chærefolium, cuſcuta, fumaria, linaria.

Fructus: nuclei Perſicorum, ceraſorum, meſpilorum, baccæ juniperi, alkekengi, hederæ terreſtris, ſpongiolæ cynosbati, fraga.

Flores: conſolidæ Regalis, geniſtæ, macis, croci.

Semina: milii Solis, geniſtæ, urticæ, raphani, cicer. rubr. carvi, cumini, ſileris montani, amomi, petroſel. Macedonici, coriandri, bruſci, acymi, hyperici, fraxini, nigellæ, pimpinellæ, naſturtii, lupinorum, geniſtæ, xantii, piper, cubebæ, amomum, ſem. dauci, ſeſeli, violarum.

Gummi: ceraſorum prunorum, juglandis, Arabicum, tragacanthum, elemi, olibanum, bdellium, ſuccinum.

Reſina: laricea, abiet. tereb.

Liquores: acetum aq. parietariæ dilutum, acidulæ, ſuccus arant. acidorum, baccarum halicacabi, millefol. fœniculi.

Marina: lapis ſpongiæ, & ochra.

Mineralia: lapis Judaicus, criſtallus montanus.

Animalia: millepedes, ſanguis hirci præparatus, oculi cancri, lumbrici, erinaceus terr. hepar aſini, ſtercus columbæ, lepus integer cum corio combuſtus, ſcorpio, ſcarabæus, renes leporis, cranium hominis, calli & ungulæ pedum equi, ebur, maxilla lucii piſcis, teſtæ ovorum, ſtercus murium, calculi ab homine excreti, lapides in felle bovis, lapis lyncis.

Aqua: ſaxifragiæ, calcatrippæ, Nicotianæ, parietariæ, malvæ, althææ, flor. geniſtæ, cort. fabarum, ononidis, aſparagi, petroſel. fœnic. oſyridis, ſii, fœniculi marini, raphani, baccarum hederæ, alkekengi, camomillæ, verbenæ, nucleorum Perſicorum, ovorum ſtruthionis, pelliculâ interiori adhuc præditorum.

Syrupi: nephrocatharticus Jouberti, de raphano Fernelii, de althæa ejuſdem.

Electuaria: lithontripticon, Ducis, Juſtini.

Conſerva: florum geniſtæ, betonicæ, cynosbati.

Confectiones: oxymel ſcylliticum, rob cynosbati.

Species: lithontripticæ, pulvis ad caſum A. A.

Olea: nucleorum Perſicorum, ceraſorum, amygdalarum amararum, ſcorpionis.

Unguenta: roſaceum, rubrum potab.

Intrinſecum in forma *Julapii*:

℞. *Aq. parietariæ,* *Julapium.*
ononidis,
petroſel. ana ℥vj.
ſyr. de althæa Fernelii ℥iiij.
ſpir. ſalis q. ſ. ad gratam aciditatem.
M. Doſis ℥v. vel vj. ſed purgato priùs corpore.

Vel in forma *Pulveris*:

℞. *Magiſterii criſtalli montani, cum aq. parietaria novies extincti*, ℈j. *Pulvis.*
oculorum cancri ℈ß.
ſalis ononidis,
diuretici,
ſtipitum fabarum,
ſpiritus ſalis coagulati, ana gr. vj.
M. F. Pulvis, pro una doſi, cum *aqua parietaria*, vel *julapio præcedenti*, exhibendus.

Externa ſunt *Unguenta, Fomenta, Balnea*:

℞. *Unguenti roſacei albi* ℥iiij. *Unguentum.*
olei ſcorpionum Matthioli ℥ß.
nucleorum Perſicorum ℥j.
ſucci citri ℥vj.
M. ad ignem. Fiat Linimentum, quo renes, inguina, & perinæum inungi debent.

R *Balneum*

Balneum ad calculum:

Balneum. ℞. *Herb. petroſel.*
parietariæ,
verbaſci,
althææ, ana m iij.
raphanorum inciſorum ℔ij.
ſummitatum anethi m ij.

F. Decoctio in *aqua*, pro ſemicupio, cui ſæpius inſideatur, præmiſſo clyſtere. Vide *Praxin noſtram*.

Lac minuentia.

Lac minuentia. FOlia & *herbæ*: mentha, chelidonium majus, calamenthum, ruta, ſalvia, portulaca, ſempervivum, cicerbita, agnus caſtus, origanum, abſynthium, lactuca, nymphæa.

Semina: coriandri, ocymum, agni caſti.

Gummi: camphora.

Liquores: omphacium, acetum.

Ex *Animalibus*: caſtoreum.

Confectiones: oxymel, Theriaca; item victus tenuis, purgationes frequentes, & venæſectio.

Maturantia:

Maturantia. RAdices: malvaviſci, cæpe, althææ, liliorum.

Folia & herba: malva, anethum, tuſſilago, althæa, branca urſina, parietaria.

Flores: ſtæchados, meliloti, violarum, chamomillæ.

Semina: lini, malvaviſci, anethi, fœnigræci.

Gummi: ammoniacum, bdellium, galbanum, pix.

Reſina: communis, terebinthina, ſtorax liquida, ladanum.

Liquores: aqua tepida, ſuccus ſambuci, oleum, hydromel tepidum.

Animalia: ſudor hominis, pinguedines communes, butyrum, ſaliva hominis jejuni, pingvedo porci, vitellus ovi, mel, lac.

Olea: dulce, & liliorum alborum, amygdalar. dulc.

Epithemata: frumentum cum pauco oleo, farina lini, & fermentum cum aqua, medulla panis cum oleo & aquâ.

Emplaſtra: diachylon, de meliloto.

Unguenta: baſilicum, de althæa, Agrippæ, tetrapharmacum.

Menſes moventia:

RAdices: apii, dictamni, naſturtii, ariſtolochiæ, hellebori, iridis, petroſel, allii, coſti, aſphodeli, gentianæ, leviſtici, ſcyllæ, aſparagi, acori, porri, aſari, bryoniæ, cyclaminis, centaurii minoris, gladioli, lauri, liliorum. Menſes cientia.

Cortices: caſſia lignea, cinamomum.

Folia & herba: matricaria, abſynthium, chamæpitys, ſerpillum montanum, ſabina, ruta, pulegium, marrubium, praſſium, calamentum, chamædrys, agaricus, centaureum, thymus, trifol. ſquinanthum, hypericon, origanum, eupatorium, abrotanum, phu, artemiſia, capillus Veneris, aſarum, rubia tinctorum, cuſcuta, mercurialis, matriſylvia, ſalvia, nepetha, cardiaca, majorana, meliſſa, menthaſtrum, ocymum, polium montanum, polytrichon, ſclarea, ſcordium, ſium.

Fructus: baccæ juniperi, lauri, amygdalæ amaræ, ficus, cappares.

Flores: ſpicæ, pœoniæ, chamomillæ, matricariæ, abrotani, calendulæ, centaurii minoris, hypericonis, croci.

Semina: ſeſeleos, aniſi, amomi, dauci, ammeos, fœnigræci, nigellæ, phaſeoli rubri.

Gummi: ladanum, ſtorax calamina, aſa fœtida, opopanax, ſerapinum, bdellium, ammoniac.

Ex *Reſinis*: myrrha, & terebinthina.

Liquores: olei fæces, balſamum.

Animalia: caſtoreum, ſtercus tauri, accipitris, pellis teſticulorum equi caſtrati, caſtor aſſatus, cujus venter impletus cinamomo, & baccis lauri, ſecundina omnis ſiccata, & pulverizata.

Chymica: oleum antimonii, caſtorei, ſuccini, cinamomi, ſabinæ, de myrrha.

Aqua: artemiſiæ, pulegii, matricariæ, cinamomi.

Syrupi: de artemiſia, hyſſopo, praſſio, betonica.

Trochiſci: de myrrha.

Aulicum expertum in forma *liquida*:

Julapium. ℞. *Succi limonum* ℔j.
ſacchari albi q. s.

Coque ad *Julapii* conſiſtentiam, addendo ſub finem

croci Auſtriaci ſubtiliſſimè pulveriſati q. ſ. ad intenſam flavedinem.

Doſis

Doſis manè, & veſperi, jejuno ſtomacho, cochlearia duo.

Aliud :

℞. *Summitatum ſabinæ* m ß.
herb. pulegii,
matricariæ,
matriſylvæ, ana mj.
rad. dictamni albi,
rubiæ tinctorum,
lappæ maj. ana ℥iij.
aſari,
agar. rec. trochiſcati, ana ʒij.
rhabarbari electi ʒiß.
croci ℈j. *macis* ℈ß.

His ſuperaffunde *vini albi* ℔iij.
Stent infuſa 24 horis : dulcorentur ſ. q. *ſacchari*, vel *mellis anthoſati*. Doſis ℥iij. vel 4. manè.

Infuſum. Vel excava *pomum arantium*, imple *croco*, &, chartæ madidæ involutum, coque ſub cineribus : coctum impone tribus ſextariis *vini albi*. De hoc dentur ſæpius 4. cochlearia.

Vel in forma *Pulveris* :

Pulvis. ℞. *Boracis Venetæ*,
glaciei Mariæ,
croci, ana ℈ß.
trochiſcorum de myrrha ℈j.

M. F. Pulvis : detur cum decocto cicerum rubrorum : vehementer provocat menſes : ſed Patiens unâ horâ, ab aſſumpto pulvere, tecta in lecto maneat, quaſi ad ſudoris prolicium.

Mundificantia Pectus :

Mundificantia pectus. Radices : iridis, naſturtii, ſcyllæ, liquiritiæ, enulæ, porrum, radices ariſtolochiæ.

Flores & *herba* : hyſſopus, praſſium, calamenth. ruta, origanum, marrubiû.

Fructûs : amygdalæ, pineæ, ficûs.

Flores : chamomillæ, violarum.

Semina : dauci, urticæ, ſeſeleos.

Succi inſpiſſati : liquiritiæ, ſaccharum.

Ex *Mineralibus* : ſulphur.

Ex *Animalibus* : butyrum, mel, caſtoreum.

In Suffocatione Matricis.

Contra matricis ſuffocationem. Folia & *herba* : abſynth. majorana, ruta, mentha, abrotanum.

Semina : napi, ſeſeleos, pœoniæ.

Gummi : opopanax, galbanum, aſa fœtida.

Ex *Animalibus* : lana combuſta, & naribus appoſita, item capillorum uſtorũ fumus, caſtoreum, extra, moſchus, & Zibethum, intra poſita, balſamũ hyſtericum Mynſichti umbilico applicatum : capillorum Veneris, id eſt pilorum pudendorum vellicatio.

Chymica : magiſterium matris perlarum, Jovis Anglici, ſal Martis Riverii.

Aqua : hyſterica D. D. Claus, & Quercetani, Mercur. dulcis, huic ſpermaticæ narcoſi, uti & lui Venereæ, ſummè contrarius.

Ad Caſum Matricis.

Folia & *herba* : dictamnus, tamariſcus, cyminum, urtica. Matricariæ.

Reſina : myrrha.

Ex *Succis inſpiſſatis* : acacia.

Ex *Marinis* : corallia, pulvis cochlearum, oſtreorum.

Nocentia Oculis.

Radices : allii, raphani, cæpæ. Oculis nocentia.

Folia & *herba* : legumina, braſſicæ.

Liquores : muſtum, vinum dulce, turbidum, & craſſum, crapula, Venus, magni piſces, aſpicere lucidas res derepentè ex tenebris, literas exiles legere mox à cibo; ſecundum hos verſûs :

Balnea, vina, Venus, ventus, cepa, allia, fumus :
Iſta nocent oculis ; ſed vigilare magis.

Nephritica.

Radices : althææ, liquiritiæ, graminis, aſparagi, eryngii. Nephritica.

Folia & *herba* : malva, lactuca, portulaca, endivia, cicerbita, ſcariola, parietaria, adianthum, acetoſa, nymphæa, ſonchus, petroſelinum, apium, ſaxifragia, petroſelinum marinum, raphanus marinus & domeſticus, urtica.

Fructûs : poma dulcia, jujubæ, paſſulæ, amygdalæ, ſebeſten, piſtacia, caricæ, poma alkekengi.

Flores : violarum, nenupharis, chamomillæ, nymphææ, papaveris erratici, malvæ, galyopſios.

Semina : melonum, cucurbitæ, cucumeris, althææ, malvæ, lactucæ, papaveris albi, pſyllii, bombacis, lini, fænigræci, milii Sol. ſem. 4. frig. majora.

Gummi : tragacanthum, camphora.

Succus inſpiſſatus : liquiritiæ.

Animalia : lac, butyrum, ſerum lactis.

Syrupi : de liquiritia, violarum, jujubarum, nymphææ, pomorũ, de althæa.

Electuaria: diamargariton frigidum.
Conſervæ: violarum, & nymphææ.
Confectiones: lactucæ conditæ, cucurbitæ conditæ.
Species: diapenidii.
Olea: violarum, roſarum, nenupharis, amygdalarum dulcium, camphoræ, ſcorpionum magnum, & commune: illud intus ſumptum; hoc extra illitum.
Unguenta: refrigerans Galeni, roſaceum, ex ſucco allii & cæpar.

Nervos roborantia.

Roborantia nervos. RAdices: acori, eryngii, Imperatoriæ, peucedani, coſti, rhapontici.
Ligna: ſaſſifras, lignum quercinum.
Folia & herbæ: chamædrys, chamæpitys, hyſſopus, lavendula, majorana, betonica, primula veris, roſmarinus, ſalvia, ſerpillum, ſpica nardi, origanum.
Fructûs: anacardia, nuclei pini, grana juniperi, chermes.
Gummi: opopanax, ſagapenum, galbanum.
Reſinæ: myrrha, terebinthina, thermæ ſulphureæ, nitroſæ, bituminoſæ, & parum aluminoſæ, harumque ſtillicidium ad ſpinæ principium, limus item thermarum, parti affectæ applicatus.
Ex *Animalibus:* cerebrum leporis aſſum, caſtoreum, adeps viperinus, cervinus, vulpinus, humanus, pinguedo anſeris.
Aqua: vitæ, Theriacalis, majoranæ, lavendulæ, ſalviæ, betonicæ, ivæ arthriticæ, aq. arthritica, aq. Anhaltina, Imperialis, vitæ juniperata.
Conſervæ: roriſmani, betonicæ, primulæ veris, ſalviæ, eryngii, ros ſolis Sabaudicus, aq. Caroli V.
Confectiones: Theriaca, Mithridatium, confectio anacardina.
Species: diagalangæ, pleres archonticon, roſata novella.
Olea: Philoſophorum, laurinum, lumbricorum terreſtr. caſtorei, juniperi, lavendulæ, ſalviæ, ſuccini.
Unguenta: arthriticum, nervinum, galbanetum Paracelſi.
Emplaſtra: diacalcitheos, de baccis lauri, ad podagram Piſtorii, de gratia Dei, ad iſchiaticam Riverii.

Per Os educentia.

Per os educentia. RAdices: pyrethri, raphani, hellebori, oxylapathi.
Folia & herbæ: ſtaphiſagria, origanum, tabacum, thymus, abſynthium.
Fructûs: capparis, uvæ ſine ſemine.
Semina: ſtaphidiſagriæ, ſinapios, aniſi.
Liquores: balſamum &c.
Ex *Animalibus:* mel.

Oppilantia.

Oppilantia. EX *Fructibus:* dactyli.
Ex *inſpiſſatis:* amylum.
Ex *Animalibus:* caſeus, & carnes omnes craſſæ & viſcoſæ ſubſtantiæ.
Ex *Confectionibus:* panis azymus &c.

Per Oculos &c. educentia:

Per Oculos educentia. RAdices: apii, ſcyllæ, coſti, hellebori albi, pyrethri.
Cortices: olibani.
Herbæ: anagallidis, nardus.
Fructûs: mala granata, caſſia.
Semina: pſyllii, ſinapios.
Gummi: thus, ſerapinum, ammoniacum.
Animalia: caſtoreum, os ſepiæ, mel, adeps anſerinus.

Ophthalmica.

Ophthalmica. RAdices: fæniculi, chelidonii majoris, caryophyllatæ, valerianæ, raparum.
Herbæ: chelidon. fumaria, verbena, euphraſia, ruta, fæniculum.
Semina: fæniculi, hormini junioris, ſileris, raparum, carvi.
Liquores: ſuccus fæniculi, euphraſiæ, verbenæ, majoranæ, rutæ.
Ex *Mineralibus:* mumia, alabaſtrum, lapis ſpecularis, tutia, vitriolum.
Aqua: euphraſiæ, verbenæ, chelidoniæ, fæniculi, rutæ. Vide *conſerventia oculis*, antè dicta.

Odontica.

Odontica. HErba: ſalvia, pimpinella, beta, parietaria, capillus Veneris.
Folia: myrti, lentiſci, oleaſtri, oriſgani, hyſſopi, menthæ, roris marini, in cineres redacta.
Semina: nuclei dactylorum, myrobalanorum, olivarum, nucum cupreſſi.
Ex *Marinis:* lapis ſpongiæ, corallia, ſpuma maris.
Ex *Animalibus:* os ſepiæ, oculi cancri, conchæ omnes, item cochleæ terreſtres, C. C.

Pu

Pus moventia:

Pus moventia. R*Adices*: nardi, coſti, althææ, liliorum.

Gummi: galbanum, ſtorax, thus, pix.

Reſina: communis, myrrha, terebinthina.

Liquores: balſamum &c.

Ex *Mineralibus*: bitumen, & ſulphur.

Ex *Animalibus*: propolis.

Pediculos necantia:

Pediculos necantia. H*Erba*: abſynth. ſtaphiſagria, colchicum.

Ex *Mineralibus*: arſenicum, ſed maximè argentum vivum; quod, cum ſaliva, vel axungia, aut pulpa pomi, mortificatum & ſartorios, & ſutorios, & fullonarios, & ſcholares, & Venereos, quos Itali vocant *piattole*, enecat pediculos.

Cum putredine attractiva:

Cum putredine attractiva. A*Nimalia*: cancer uſtus, omne ſtercus uſtum, ſanguiſugæ, cantharides.

Putredinem cauſantia.

Putredinem cauſantia. F*Latûs* auſtrini; calida omnia & humida; omnes fructûs incocti & immaturi; pororum conſtipatio.

Pyrotica, ſeu Adurentia.

Pyrotica. R*Adices*: ariſtolochiæ rotundæ in clibano ſiccatæ, aſphodeli, cucumeris ſylveſtris, hellebori nigri, cyclaminis, pyrethri, ſcyllæ, ranunculi, thapſiæ.

Cortices: ciniſcorticum fraxini, cum ſalivâ jejunâ mixtus, flammula Jovis.

Semina: erucæ, naſturtii, ſinapios, ſtaphidiſagriæ, urticæ.

Liquores: lac tithymalorum, ſuccus melleus ex anacardo.

Ex *Metallis*: ærugo, æris ſquamma.

Ex *Mineralibus*: lapis lazuli illotus, vitriolum calcinatū, plumbum & alumen uſtum, Mercurius vivus, Mercur. ſublimat. præcipitat. calx, ſal armoniac. cinnabar.

Animalia: cinis teſtarum concharum, adeps ranarum viridium, leporinus, cantharides cum fermento, ſtercus ovium, fimus columbinus.

Chymica: oleum vitrioli, ſulphuris, aq. fortis.

Emplaſtra: veſicatorium.

Unguenta: Ægyptiacum, Apoſtolorum, Iſidis.

Parotica.

Parotica. E X *Liquoribus*: ſuccus cydoniorum, pomorum acidorum, granatorum.

Ex *Mineralibus*: lapis oſteocolla.

Pſilothra, ſeu pilos auſſerentia:

Pſilothra. E X *Mineralibus*: calx viva, arſenicum, auripigmentum, vitriolum.

Chymica: oleum vitrioli.

Animalia: ova formicarū, pingv. taxi: quæ tamen pilos potiùs reddit canos.

Reſolventia.

Reſolventia. R*Adices*: enulæ campanæ, ireos, dauci, ariſtolochiæ, galangæ.

Folia & herba: abſynthium, majorana, hyſſopus, calamintha, pulegium, origanum, laurus, ruta, ſalvia, roſmarinus.

Fructûs: baccæ lauri, juniperi.

Flores: ſtæchados, lavendulæ, hyſſopi.

Semina: dauci, cumini, anethi, fænigræci, nigellæ, lini, fæniculi, piper.

Olea: anethi, rutæ, amygd. amar. de capparibus, ſcorpion. nardinum, terebinth. hypericonis, de ſpica, vulpinū.

Emplaſtra: de ſulphure, de baccis lauri, diaphænicum calidum, diachylum compoſitum.

Unguenta: Agripp. Arregonis, Martiatum, carminativum, clyſmat. de calendula.

Rarefacientia.

Rarefacientia. R*Adices*: ſambuci, coſti, althææ, liliorum alborum.

Folia & herbæ: abſynthium, ruta campeſtris, althæa, abrotanum, roſmarinus, malva, violaria, anethum, ficûs aridæ.

Flores: meliloti, chamomillæ, ſambuci.

Semina: aniſi, fænigræci, farina hordei, lini.

Reſina: aſa fætida, myrrha, terebinthina.

Ex *Mineralibus*: vitriolum.

Animalia: pingvedo porcina, vitulina, gallinacea, humana, anſerina, butyrum recens, œſypus.

Aqua: tepida, chamomillæ, liliorum alborum.

Olea: vetus, olivarum, liliorum alborum, violarum, amygdalarum dulcium, lumbricorum, chamomillæ, anethi, ſem. lini, jaſminum.

Unguenta: reſumptivum, althææ, carminativum.

Repellentia.

Repellentia. RAdices: biſtortæ, ſymphyti, tormentillæ, rhapontici, pruni ſylveſtris, pentaphylli.

Cortices: medianus ſumach, granatorum, juglandium viridium, calices glandium, mandragoræ radic. item radicum quercûs circa radicem.

Folia & *herbæ*: vitis, quercûs, cupreſſi, myrti, oleaſtri, ſumach, centinodiæ, burſæ paſtoris, equiſeti, plantaginis, mentha, ſummitates rubi, lentiſci, ſolani, liguſtri, hyoſcyami, ſempervivi, lactucæ, endiviæ, cichoreum, polygonum, auricula muris, lens paluſtris, folia pyri.

Flores: uvæ rubræ, balauſtia.

Fructûs: myrtilli, nuces cupreſſi, gallæ immaturæ, meſpila, ſorba, cydonia, corna, pyra ſylveſt.

Semina: portulacæ, burſæ paſtoris, plantaginis, grana tinctorum, acini uvarum, pſyllii, myrtillorum, roſarum.

Gummi: maſtiche, ſanguis Draconis, thus, ſandaracha, tragacanthum, ſarcocolla, gummi Arabicum.

Liquores: ſuccus cydoniorum, pomorum acidorum, granatorum.

Succi inſpiſſati: acacia, hypociſtis.

Ex *Marinis*: corallia.

Metalla: ceruſſa, plumbum, tutia.

Mineralia: alumen, bolus Armena, terra ſigillata.

Ex *Animalibus*: albumen ovi.

Aquæ: roſarum, myrtill. plantaginis, violarum, peculi roſarum, portulacæ, ſempervivi, ſolani, corticis nucum viridium.

Olea: roſarum, omphacinum, lentiſcinum, de mentha.

Emplaſtra: contra rupturam, de cruſta panis, de maſtiche, de bolo.

Unguenta: Comitiſſæ, refrig. Galeni, populeonis, de bolo. Ex his *repercutientia* concinnari poſſunt.

Suppurantia.

Suppurantia. RAdices: althææ, liliorum alborum, cepæ ſub cineribus coctæ, bryoniæ, tuſſilaginis, cucumeris ſylveſtris.

Folia & *herbæ*: malva, althæa, acanthus, tuſſilago, acetoſa.

Flores: chamomillæ, meliloti, verbaſci.

Fructûs: caricæ pingues, paſſulæ, dactyli.

Semina: althææ, orobi, lini, fænigræci, tritici, hordei, & eorum farinæ.

Gummi: ammoniacum, bdellium, pix liquida.

Reſina: terebinthina, thus, ſtyrax liquida, reſina vulgaris.

Ex *Animalibus*: butyrum, œſypus, adeps ſuillus, vitulinus, gallinaceus, anſerinus, medulla cervi, vituli, vitellus ovi, cera flava, propolis, lac.

Olea: liliorum alborum, chamomillæ, irinum, amygdalarum, lini, commune.

Emplaſtra: diachylon magnum, de mucilaginibus.

Unguenta: baſilicon, althææ, Agrippæ, reſumptivum, aureum.

Sanguinem ſiſtentia.

RAdices: ſymphyti, pentaphylli, rhabarbari uſt. urticæ, biſtortæ, nymphææ, tormentillæ. *Sanguinem ſiſtentia.*

Cortices: granator. pini.

Folia & *herbæ*: centinodia, pimpinella, equiſetum, plantago, vinca pervinca, ſanguiſorba, androſæmum, folia ſalicis, lenticula paluſtris, portulaca, cuſcuta, ſolanum, ſempervivum, rubi germina, craſſula major, iris, polygonum.

Flores: roſarum, balauſtiorum, malvæ arboreæ, lyſimachiæ rubræ.

Fructûs: gallæ, amygdalæ, pyra auſtera, ſorba, meſpila, rubi, mora immatura, rhus obſoniorum.

Semina: acetoſæ, portulacæ, plantaginis, ſumach, lentes.

Gummi: maſtiche, ſanguis Draconis, myrrha, galbanum, colophonia.

Liquores: acetum omphacium, oxycratum, aqua frigida, ſuccus cucurbitæ, portulacæ, vinum auſterum cum nitro.

Succi inſpiſſati: acacia, hypociſtis, aloë.

Mineralia: bolus Armena, terra ſigillata, ſanguis Draconis, lapis hæmatites, vitriolum, gypſum lotum, pulvis terræ communis.

Marina: coralla.

Chymica: crocus Martis.

Animalia: gluten, mumia, albumen ovi, tela araneæ, ſanguis in ſartagine frictus & reſiccatus, ſpodium de ebore, plumæ gallinaceæ combuſtæ, pili leporis & hominis uſti, oſſa cremata.

Conſer-

Conſerva: roſarum rubearum.

Trochiſci: de coralliis, de terra ſigillata, de ſpodio.

Unguenta: fuſcum, & Comitiſſæ.

Semen generantia.

Semen generantia. RAdices: eryngii, ſatyrionis, rapæ ſativæ, bulbi eſculenti, aſparagi, erucæ, galangæ, zingiber viride, napus, allium, porrum.

Folia & *herba*: eruca, horminum, naſturtium, ſcolopendrium, flos croci.

Fructus: piſtacea, nuclei pini, medulla nucis Indicæ, ſcholymus, nux moſchata, caryophylli, ficus.

Semina: erucæ, napi, urticæ, ſinapi, piper, cicera rubra, fabæ, phaſeoli, ſem. fraxini, lini, aniſi, oryza, amygdalæ dulces.

Marina: ambra cum ovo ſorbili ſumpta, cochleæ marinæ, ſcincus, oſtrea.

Animalia: cerebella paſſerum, teſticuli galli, & vervecis, vulgò Spaniſche Aepfelen/ priapus cervi, & tauri, moſchus, Zibethum, limaces, lac.

Electuaria: ſatyrionis.

Aqua: magnanimitatis, formicarum.

Confectiones: radices ſatyrionis, eryngii conditæ, zinziber conditum.

Confectio: anacardina.

Species: diambræ, diamoſchi dulcis.

Stomachica.

Stomachica. DActyli acerbiores, mala cydonia, uvæ paſſæ, naſturtium, cortex citri, vinum auſteriuſculum, abſynthiũ, ſinapi, capparis, pyra, aloë, nux moſchata, diacydon. ſimplex, & cum ſpeciebus.

Stomachum ſubvertentia.

Stomachum ſubvertentia. RApæ crudæ, napi, blitum, pepones non bene coctì, lac frigidum, acerba omnia, vina craſſa, nova, auſtera.

In Stomacho medicinas retinentia.

Stomachum ſtringentia. GAlanga, mala granata, cydonia, maſtiche, myrtus, aqua frigida, & lintea aceto roſaceo intincta & ſtomacho applicata, etiam cucurbitulæ ſiccæ.

Semen extinguentia.

Semen extinguentia. RAdices: cynoſorchid. minoris, lactucæ, nymphææ.

Folia & *herba*: lactuca, nymphæa, portulaca, mentha, cicuta, ruta, calamintha.

Folia: ſalicis, verbenæ.

Semina: agni caſti, anethi, coriandri, cannabis, cucurbitæ, cucumeris, papaperis.

Gummi: camphora, & thus.

Mineralia: criſtallus, ſmaragdus.

Chymic: ſaccharum Saturni &c.

Ex *Animalibus*: caſtoreum.

Syrupi: de nymphæa, de mentha, de portulaca.

Conſerva: earundem herbarum.

Confectiones: lactucæ Italicæ conditæ.

Trochiſci: de camphora.

Olea: roſarum, violarum, nymphææ.

Unguenta: roſaceum, infrigidans Galeni, album camphoratum.

Spiritûs reficientia.

RAdices: acori veri, caryophyllatæ, angelicæ, cyperi, ireos Florentinæ. *Spiritûs reficientia.*

Cortices: citri, arantiorum, cinamomi.

Ligna: aloë, & ſantala.

Folia & *herba*: calamenthum montanum, hyſſopus, lavendula, majorana, meliſſa, mentha, ocymum, roſmarinus, pulegium, ſerpillum, thymus.

Flores: borrag. bugloſſæ, arantiorum, tunicæ, jaſmini, lilii convallium, ſpicæ, roſarum, violarum.

Fructus: baccæ juniperi, lauri, mala cydonia bene matura, poma redolentia.

Gummi: ſtyrax, camphora.

Liquores: acetum generoſum, caryophyllatum, roſatum.

Animalia: moſchus, zibethum.

Aqua: cinamomi, florum citri, arantiorum, limonum, lavendulæ, jaſmini.

Olea: cinamomi, coſtinum, de nuce moſchata, ſpicæ, camphoræ, jaſmiuum, caryophyllorum, balſami, corticum citri.

Tardi tranſitûs cibi:

FRuctus: pyra necdum matura, poma, ſiliquæ. *Cibi dyſpepſi.*

Semina: frumentum, coſtum, lupini, fabæ, lentes.

Liquores: vinum dulce, craſſum.

Animalia: cerebra, jecora, dorſi medullæ, corda, ova toſta.

Confectiones: ſiliginea cuncta, panis azymus.

Vomitoria.

Emetica. R*Adices*: aſari, hellebori, atriplicis, laureolæ, raphani, cataputiæ, cyclaminis, ebuli, gratiolæ, naſturtii, bulbi varii.

Cortices: medianus juglandis, radicum ebuli, ſambuci.

Flores: anethi, geniſtæ, ebuli.

Fructûs: nux vomica, nux Metella, balanus Myrepſica.

Semina: atriplicis, cataputiæ, anethi, raphani, cucumeris ſylveſtris, erucæ, urticæ, geniſtæ, naſturtii.

Liquores: aqua tepida cum aceto & oleo, ſuccus corticis hellebori, & ſambuci, ſuccus cyclaminis, raphani.

Metalla: æs uſtum.

Chymica: vitriolum album, & ſal vitrioli, vinum antimoniatum, Mercur. vitæ, crocus metallorum.

Animalia: fel porcinum, taurinum, caninum, pecorinum, cum amurca olei elixum & umbilico applicatum, juscula pinguia, raſura ungvium hauſta.

Aqua: raphani, vomitiva Plateri, pulſatillæ, aſari.

Syrupi: acetoſus, emeticus Angeli Salæ.

Electuaria: diaſarum &c.

Confectiones: diaſtibii &c.

Vomitoria compoſita vide in *Praxi noſtra. Ibidem* additam reperies doſin, ut, repetere, ſuperfluum ſit.

Ventrem moventes cibi.

Cibi ventrem moventes. F*Olia* & *herba*: lapathum, blitum, atriplex, violaria.

Fructûs: pepo, uvæ dulces, ficûs recentes, nuces virides, pruna, ceraſa.

Semina: lentes primâ ebullitione cocti, jus fænigræci cum melle.

Liquores: vinum dulce, jus galli, cuncta humida & aquoſa.

Animalia: cruſtaceam & teſtaceam tunicam habentium, decoctum cancrorum fluviatilium, & piſcium, butyrum, mel, & lac, præcipuè caprinum, ſero dives.

Vulnera purgantia.

R*Adices*: coſti, iridis, althææ, ſaniculæ, porri. *Vulnera mundantia.*

Cortices: thuris.

Folia & *herba*: abrotanum, oxylapathum, ruta, lenticula.

Fructûs: gallæ, pineæ, ficûs aridæ.

Semina: ervi, cicerum.

Gummi: ſandaracha, bdellium, ammoniacum, thus, ſtyrax.

Reſina: terebinthina, pix.

Liquores: balſamum, omphacium.

Metalla: ærugo, miſy, auripigmentum, ſquamma æris, chalcitis, ſpuma argenti, & æris.

Mineralia: pumex, hæmatites, minium, ſulphur.

Animalia: lacerti ſtercus, ſanguis colubri, palumbi, & hirundinis, coagulum, maximè leporinum, fel, ſcobs eboris, mel crudum, ſævum, adeps.

Veſicantia.

R*Adices*: thapſiæ, pyrethri, ranunculi minoris, allii. *Veſicantia.*

Folia & *herba*: flammulæ Jovis, perſicariæ maculoſæ, lepidii.

Semina: ſinapis, ſtaphidiſagriæ.

Gummi: evphorbium.

Animalia: cantharides, ſtercus columbinum.

Emplaſtra: veſicatorium, fermentum cum ſinapi.

Vermes necantia.

F*Olia* & *herba*: portulaca, cichorium, acetoſa, abſynth. ſcordium, hypericon, centaurium minus, verbena, marrubium, dictamnus Creticus. *Lumbricos necantia.*

Semina: citri, ſchænanthi, braſſicæ, lupini, amygdalæ amaræ, cinæ, tanaceti.

Liquores: ſuccus limonum, granatorum, portulacæ.

Ex *Succis inſpiſſatis*: aloë, myrrha.

Chymica: oleum vitrioli, Mercur. dulcis, C. C. uſtum.

Ex *Mineralibus*: creta Colonienſis.

Species: hieræ picræ, pulvis ad vermes. Vide ſupradicta, text. de *Lumbricos necantibus.*

Vulneraria.

R*Adices*: ſymphyti, ariſtolochiæ rotundæ, Zedoariæ, tormentillæ, con- *Vulneraria.*

ſolidæ,

ſolidæ, galangæ, angelicæ, biſtortæ, liquiritiæ, caryophyllatæ, arnogloſſæ, agrimoniæ, alchimillæ, artemiſiæ, anagallidis, auriculæ muris, betonicæ, cynogloſſ. conſolidæ, anchuſæ, cardui benedicti.

Cortices: ſalicis, ulmi.

Folia & *herbæ*: vinca pervinca, pimpinella, ſanicula, ungula, piloſella, veronica, agrimonia, centaurium minus, limonium, pyrola, verbena, alchimilla, perſicaria, ophiogloſſum, cyclamen, virga aurea, equiſetum, betonica, ſanguiſorba, ceterach, artemiſia, lilium convallium, polygonatum, beta, plumbago, ſabina, carduus benedictus, hypericon, tanacetum, herniaria, ſcordium, ſerpentaria, milleſolium, ſempervivum, herba Roberti, beta ſylv. vulneraria ruſtica, & auricula urſi; quam copioſè ad Alpes Auſtriæ reperiimus.

Flores: roſarum, macis, hypericonis, verbaſci.

Fructus: grana juniperi, nux juglans.

Semina: card. benedicti, plantaginis, cicera rubra.

Gummi: ſarcocollæ, pix arida, ſanguis Draconis, thus, tragacathum.

Liquores: vinum auſterum.

Succi inſpiſſati: aloe, ſperma ceti, corallium rubrum & album.

Mineralia: bolus Armena, terra ſigil.

Animalia: cancri fluviatiles, aſtaci, mumia, oculi cancri, ſperma ceti.

Emplaſtra: baſilicum, barbarum Celſi, ſtipticum Crollii, Opodeltoch.

Olea: momordicæ, amygd. dulcium, liliorum alborum, lini.

Unguenta: rubrum putabile, viride Reginæ.

Decoctum vulnerarium internum:

Decoctum. ℞. *Rad. torment.*
conſolid. utriuſq., ana ℥ß.
herb. ſanicula,
pyrola,
verbena,
alchimilla,
vincaper vinca,
Roberti, ana mß.
flor. verbaſci,
hypericonis,
centaurii minoris, ana pj.
aſtacor. mundatorum & ſiccorum n. iij.
mumia ʒij.

Macerentur per duos dies in *vini albi*, *aq. veronicæ*, ana ℔ij. in vaſe circulatorio, ad calorem balnei Mariæ vaporoſum. Dein fiat expreſſio: coletur per manicam Hippocrat. & aromatizetur pauco *cinamomo*. Doſis ab ʒij. ad ℥iiij. Huic, ad dulcurationem, addi poteſt vel *ſacchar. alb.*, vel *ſyrup. de ſymphyto*.

Vel in *Pulvere*:

℞. *Oculor. cancri præparatorum,* Pulvis.
mumia,
boli Armena,
ſpermatis ceti, ana ℈ß.

M.F.Pulvis: pro una doſi; quæ bis in die repeti poteſt, & ſumi in *decocto cancrorum fluviatilium, ophiogloſſæ*, & *veronica*.

Nota: Potiones vulnerarias, aut quævis medicamenta, debere ſemper in ſe aliquid continere, quod partem affectam reſpicit: v. g. ut in vulneribus capitis cephalica; pectoris, pectoralia &c. admiſceantur: &, ſi vulnus ſit à globo, v.g. venenato, illatum, addantur alexipharmaca: ut ſunt ſcordiũ, radix angelicæ, Zedoariæ, bolus Armena, &c.

Vulnerum hæmorrhagiam ſiſtentia, *vulgò* Blutſtillung.

Ex *Vegetabilibus*: burſa paſtoris, verbena, bombax, plantago, hyoſcyamus, portulaca, cannabis, papaver, crepitus lupi. Sanguinem ſiſtentia.

Ex *Animalibus*: ſanguis aduſtus, pili leporis, ſperma ranarum, oſſa humana calcinata, & muſcus oſſium humanorum, mumia, albumen ovi, ſperniola Crollii.

Ex *Mineralibus*: lapis hæmatites, ſanguis Draconis, calx, crocus Martis adſtringens, bolus, terra ſigillata, ferrum candens.

Ex *Reſinis*: myrrha, aloë hepatica, camphora.

Ex *Seminibus*: plantaginis, burſæ paſtoris, portulacæ, polygoni, papaveris albi, hyoſcyami.

Ex *Liquoribus*: aqua ſpermatis ranarũ, ſuccus cancr. fluviatilium, acetum, & ex aceto compoſita, aqua fabrorum.

Compoſitiones vide in Chirurg. noſtr. *cap. de Gangrana*, & *membrorum abſciſſione*.

Pulv ſeq. inſigniter ſiccat ulcera, etiam maligna:

℞. *Cineris avena,* Pulvis.
pompholygos, ana ℥j.
rad. ſanicula alba ℥ß.
aluminis ʒß.

M. F. Pulv. inſpergendus. Hôc plures, quàm centum, curati fuerunt.

Prædicta,

Prædicta, cum additis, ad Alphabeticum ordinem redacta, ſuis illuſtrantur doſibus:

A.

ACeti, aliàs tabidis ſuſpecti, ad incidendam humorum craſſitiem, in cremore hordei, vel melle, doſis eſt à ʒij. ad ℥ß. & ℥j

Aceti ſcillitici, ad corpus emaciandum, omni manè cochlear. num. j.

Acori conditi, avellanæ magnitudo.

Agarici trochiſcati doſin vide, ubi *de Trochiſcis* agetur.

Aliptæ moſchatæ à ʒß. ad ʒj.

Alkermes à ʒj. ad ʒij.

Anacardina confectio à ʒß. ad ʒj. & ʒij.

Anodina : vide *ſupra.*

Antidotorum recentium à ʒß. ad ℈ij.
antiquarum à ʒj. ad ʒij.

Antidoti Alexandrinæ à ʒj. ad ʒij. maximè à balneo.

Antidoti de ſatyrione, eodem modo.

Antidoti exhilar. Nicolai ab ℥ß. ad ʒvj.

Apozematum alterantium doſes ſunt ab ℥ij. ad ℥iiij. v. vel vj. prout Patientis ætas, & vires, requirunt, ſemel, vel bis, in die.

Aquarum cum vino deſtillatarum: v.g. Apoplect. Aſthmat. F. F. Phyſogon. Carbunculi, Cinamomi, ad Catarrhos, Anhaltinæ, doſis eſt à cochleari dimidio ad cochl. 1. ſine vino alterantium, ab ℥j. ad ℥iiij. & ℥vj.

Aromatici roſati doſis eſt à ℈j. ad ʒj. vel ʒij.

Aromatici caryophyllati à ʒiij. ad ʒiiij.

Athanaſiæ magnæ à ʒj. ad ʒij.

Aureæ Alexandrinæ à ʒj. ad ʒij.

B.

Benedictæ laxat. doſis eſt à ʒiij. ad ʒvj.

Bezoardici lapid. à gr. iiij. ad ℈ß. & gr. xv.

Bolorum quantitas debet eſſe moderata, ne Ægro nauſea inde concilietur: itaq; non excedant quantitatem ℥ß. vel ℥j. aut ad ſummum ℥ij.

C.

Caput-purgantium quantitas eſt, quantum per nares ex manu attrahi poteſt : uti eſt aqua majoranæ ſola, vel in qua vitriolum album diſſolutũ ſit.

Caſſiæ extractæ doſis eſt à ʒiij. ad ʒiß. immò ad ℥ij.

Caſſiæ extractæ cum foliis ſenæ à ʒiij. ad ʒvj.

Carthami infuſi ab ℥ß. ad ʒx. in ſubſtantia à ʒj. ad ʒiij.

Cathartici Imperialis à ʒiij. ad ℥ß.

Catholici ab ℥ß. ad ℥j.

Citriorum conditorum doſis eſt ab ℥j. ad ℥iiij.

Clyſterum à ℔ß. ad ℔j. & ℥xvj. ſed quantitas cum Patiente metienda eſt.

Conſervarum, & conditorum, eſt magnitudo avellanæ.

Confectionum; aromaticarum à ʒiß. ad ʒij.
liberantis ʒij.
cordialis, magnitudo avellanæ.
aromat. roſat. à ℈j. ad ℈ij. & ʒj. ʒiß.
hamech : vide *ſupra.*
pro vermibus ad ʒiij.
de hyacintho ad ʒj. & ʒij.

D.

Decoct. purgant. ſeu apozem. ab ℥iij. ad ʒiiij. & v.

Decocti, ſeu infuſi, purgantis, eadem eſt doſis.

Decocti ſenæ item.

Diaborraginati ſimplicis item,

Diabugloſſati ſimplicis ad ℥j.

Diacalaminthes Galeni à ʒj. ad ʒij. & ʒiij.

Diacaryon, ſeu dianucum, ab ℥ß. ad ℥j.

Diacapparis à ʒij. ad ʒiij.

Diacaryophyllaton à ʒiß. ad ʒij.

Diacaſſia ab ℥j. ad ℥ij.

Diacaſtoreum ab ℥ß. ad ʒvj. in aq. ſalviæ, contra ſingultum.

Diacatholicon à ʒij. ad ℥ß. ℥j. & ʒx.

Diacichoreum ab ℥ß. ad ℥j.

Diacodium à ʒj. ad ʒij. detineatur in ore, ſæpius ſalivam deglutiendo.

Diacorum datur à ʒj. ad ʒij. & ultra.

Diacorallium à ʒiß. ad ʒij.

Diacoſtu Meſue à ʒij. ad ʒiij.

Diacuminum Nic. à ʒj. ad ʒij. in vino albo optimo.

Diacurcuma Meſue à ʒii. ad ʒiii.

Dia-

Diacydoniũ ſimplex ab ℥ß. ad ℥j.
compoſitum ab ℥ij. ad ℥iij.
Diadamaſcenum item
Diaprunum ſimplex ab ʒß. ad ʒv. & ℥j.
ſolutivum à ʒij. ad ʒiiij. & v.
Diagalanga Meſue à ʒß. ad ʒij. & ʒiij.
Diagrydium: vide *Chologoga.*
Diairis ſimplex à ʒj. ad ʒij.
Salomonis ad ʒß.
Dialacca à ʒij. ad ʒiij.
Diolibanu Nic. à ʒj. ad ʒij.
Diamanna ab ℥j. ad ℥ij.
Diamargariton frig. à ℈j. ad ʒj.
cum ſpeciebus, ſive calidum, ab ℥ß. ad ℥ß.
Diambra, eodem modo.
Diamoron Nic. à ʒß. ad ʒij.
Diamoſchu dulce Meſue à ʒiß. ad ʒij.
Dianeuſ. ſimplex à ʒiß. ad ʒiij.
Dianiſum à ʒiß. ad ʒij.
Dianthos à ʒiß. ad ʒij.
Diapapaver Meſue à ʒj. ad ʒiß. lambendo ſicut diacodium.
Diapenidium Nic. ab ℥ß. ad ℥j.
Diaphænicum: vide *ſupra.*
Diapraſſium à ʒij. ad ʒiij.
Diarhabarbarum à ʒj. ad ʒij.
Diarrhodon Abbatis à ʒij. ad ʒiij.
Diaſatyrion à ʒj. ad ʒiij. in vino.
Diaſenæ Nic. ab ʒß. ad ʒvj.
Diaſpermaton Nic. à ʒj. ad ʒiß.
Diaſtœchados à ʒij. ad ℥ß.
Diateſſaron à ʒj. ad ʒij. & ʒiij.
Diathamaron à ʒij. ad ʒiij.
Diatragacanthum frigidum, & calidum, Nic. à ʒj. ad ʒij.
Diatrion piperæon à ʒj. ad ʒiß.
ſantalon à ʒj. ad ʒij.
Diaturbith: vide *Chologoga.*
Diatriphera Sarracen. Nic. ad magnitudinem caſtaneæ.
Diaxyloaloes à ʒj. ad ʒij.
Diazingiber à ʒj. ad ʒij.

E.

Eclegma, linctus, loch, ſeu lambitiva, à ʒiij. ad ʒvj. & ℥j. paulatim lingendo, & deglutiendo.
Electuaria ab ʒiß. ad ʒij. diſſoluta in aliquo jure.
Electuaria: purgantia à ʒj. ad ʒvj. & ultra, prout ſunt.
catholicum Quercetani ab ʒß. ad ʒvj. & ʒvij.
Electuar. cholagogum, phlegmagogum, & melanagog. Quercet.
de citro ſolutivum à ʒiß. ad ʒv.
Ducis à ʒj. ad ʒiij.
diapæon. à ʒj. ad ʒiij.
eleſcophi: vide *ſupra.*
de epithymo à ʒiij. ad ʒvj.
de gemmis à ʒß. & ʒj. ad ℈iiij.
Indum majus à ʒij. ad ℥ß.
Juſtinum item.
lætitiæ à ʒij. ad ℥ß.
lithontribon à ʒij. ad ʒiij.
lenitivum ab ʒß. ad ʒvj. & ℥ß.
pleres archonticon à ʒj. ad ʒiß.
è pſyllio Meſue à ʒij. ad ʒvj.
reſumptivum à ʒiij. ad ʒvj.
Regis à ʒj. ad ʒij.
diaprunum: vide *ſupra.*
de ſucco roſarum à ʒiß. ad ʒiij. & ℥ß.
de ſorbis à ʒij. ad ℥ß.
de ſebeſten ab ℥ß. ad ℥j.
de trochiſcis hamech à ʒij. ad ℥ß.

Enula campana condita, ad magnitudinem nucis avellanæ.

Esdra Nicolai ad fabæ magnitudinem exhibetur.

Extracta: catholicum Sennerti à ℈j. ad ℈ij.
DD. Weikhardi à ʒß. ad ℈ij.
panchymag. Crollii à ℈j. ʒß.
agarici à ℈j. ad ℈ij.
aſari à ℈j. ad ℈ij.
diacarthami à ʒß. ad ℈iiij.
caſſiæ Quercet. à ʒj. ad ʒiß.
colocynthidos à gr. iiij ad gr. x.
hellebori nigri à gr. x. ad gr. xv. & ℈j.
eſulæ Rulandi à ℈j. ad ℈ij. & ʒj.
hermodactylorum à ℈j. ad ℈ij.
galappæ à gr. vij. ad gr. xviij.
mechoacannæ ad ʒj.
rhabarbari à ℈j. ad ʒj.
ſenæ à ʒß. ad ʒj.
tithymalorum, & rhamni, ad gr. viij.
aloës à ℈j. ad ʒß.
elaterii à gr. j. ad gr. ij.
gummi gottæ à gr. x. ad ℈j.
ſcammonii à ℈ß. ad gr. xv.

Extracta pilularum in minori, quàm maſſæ, quantitate dantur: ad dimidiam tamen doſin, & ultra, aſcendere tutò poſſumus. Vide doſes *Pilularum*, in ſequentibus.

H.

Hamech confectio major Meſue à ʒij. ad ʒv. & ʒvj.
Hiera picra Galeni à ʒß. ad ʒj. Sylvius ad ℥ß. cum ʒj. diaphænici, innoxiè dedit. Idem puta de Hiera ſimplici.
Hiera diacolocynthidos à ℈j. ad ℈ij. in catapotiis datur, in clyſteribus ad ℥ß.
Hiera Logadii à ʒij. ad ℥ß. eſt potius pro clyſteribus.
Hiera Ruffi ad ʒij. ſi purganda eſt melancholia.

J.

Indum majus: vide *ſupra.*
Julapium fit, v.g. ex ℥ij. ſyrupi alicujus, cum ℔j. aq. fontis, ac ſ.q. ſpiritûs vitrioli ad gratam aciditatē. Doſis ℔ß.

L.

Lætificans Galeni: vide *ſupra.*
Lenitiva: vide *Purgantia.*

M.

Manûs Chriſti perlatæ à ʒj. ad ʒij.
Maſticatoria, aut nuda, aut linteo involuta, maſticantur: uti eſt radix pyrethri, maſtiche, tabacum.
Mel roſatum ab ℥ß. ad ℥j. & ℥ij.
Mel violatum item.
Mel icratum ad ℥iiij. exhibetur.
Metrenchytes, ſeu clyſter uterinus, injicitur horâ ſomni, ad ℥vj.
Mithridatium Democratis à ʒiß. ad ʒiiß. & ʒiij.
Miva cydoniorum ab ℥j. ad ℥iß. cum aq. menthæ, vel decocto abſynth. in debilitate ventriculi.
Micleta Nicolai à ʒiij. ad ℥ß. & ʒvj.
Morſelli ſtomachici à ʒij. ad ʒiij. bis in die.
Myrobalani conditæ dantur ad ʒiß. ad ſiſtendam alvum.

N.

Narcotica: vide *Praxin noſtram.*
Naſalia, ſeu errhina, ad nares attrahuntur: ſi liquida ſunt, ex volâ manûs: ſi pulveres, vel per calami tubulum inſlantur, vel attrahuntur.

O.

Opiata, opium, à gr. j. ad gr. iiij. nepentes, item laudanum Cæſareum, eodem modo.
Orbiculi, Placentæ, Rotulæ, quovis tempore dantur num. ij. vel iij.
Oxyſaccharum ſimplex, vel compoſitum, à ʒv. ad ℥iß.
Oxymel ſimplex, compoſitum, & ſcylliticum, eodem ferè modo.
Oxymel helleboratum Juliani ab ℥ß. ad ℥j. eſt Vomitorium.

P.

Paſtilli, ſeu Trochiſci, antidotis, pilulis, unguentis, aliiſque commiſcentur: vide *Trochiſcos.*
Philonium Galeni datur, adultis ad ʒiß. ʒj. minoribus, pueris ciceris magnitudine.
Philonium Romanum à ʒj. ad ʒij. pueris ad ciceris magnitudinem.
Philonium Meſue, adultis ad avellanæ, minorib. ad fabæ, pueris ad ciceris magnitudinem datur.
Philonium Perſicum Joann. Damaſc. à ʒj. ad ʒij.
Pilulæ communiter dantur à ʒß. ad ʒj. & ℈iiij.
Pilulæ: de agarico Meſue à ʒß. ad ʒj.
aggregativæ item.
antipodagricæ Viennenſes à gr. xv. ad ℈j.
aloëphanginæ à ʒj. ad ʒij.
de aloë à ℈j. ad ʒj.
Arabicæ Nic. à ʒj. ad ʒij.
aromat. à ʒj. ad ʒij.
arthriticæ à ʒß. ad ʒj.
aſſajereth à ʒj. ad ℈iiij.
aureæ à ℈j. ad ℈iiij.
de bdellio à ʒj. ad ʒij.
de bryonia item.
becchicæ Meſue à ʒj. ad ʒiß.
benedictæ Nic. à ʒj. ad ℈iiij.
cochiæ Rhaſis à ℈ij. ad ℈iiij.
de colocynth. aut nitro Alexandr. à ℈iij. ad ℈iiij.
communes à ʒj. ad ℈iiij.
de cynogloſ. Nic. à ℈iß. ad ʒj.
de eupatorio à ʒj. ad ℈iiij.
de euphorbio Meſue à ℈j. ad ℈iß.
fœtidæ majores à ℈j. ad ʒj.
benedictæ F. F. à gr. xv. ad ℈j. & ʒß.

Pilulæ:

Pilulæ: de fumo terræ Avic. à ʒj. ad ʒiß.
de hiera cum agarico à ℈j. ad ʒj.
de hermodactylis à ʒß. ad ʒj.
de ammoniaco à ℈ß. ad ℈j.
Imperiales à ʒj. ad ℈iiij.
Indæ Meſue à ℈j. ad ʒj.
de lapide Armeno Meſue à ℈j. ad ʒj.
polychreſtæ à ℈j. ad ʒß.
de lapide lazuli Meſue à ʒj. ad ℈iiij.
lucis majores à ʒj. ad ℈iiij.
maſtichinæ Concil. à ʒj. ad ℈iiij.
de ſuccino Cratonis à ℈ij. ad ℈iiij.
ſtomachicæ, vulgò ante cibum, à ʒß. ad ʒj.
de tribus item.
de nitro Alex Trall. ad nervos affectos, à ℈j. ad ʒß.
Paracelſi, ad conſervand. ſanitatem, à ℈ß. ad ℈j. & ʒß.
de ſagapeno, in cachexia & hydrope, à ℈j. ad ʒß.
de mechoacanna, ad hydropem, à gr. xv. ad ℈j. & ʒß.
de mezereo à ʒß ad ℈ij.
myrtinæ à ʒj. ad ʒij.
de nitro Alex. à ℈iß. ad ℈iiij.
de octo rebus à ʒj. ad ℈iiij.
lucis minores à ʒj. ad ℈iiij.
de opopanace Meſue à ℈ij ad ℈iiij.
peſtilentiales Ruffi à ℈ij. ad ʒj.
de quinq; generibus myrobal. Nic. à ʒj. ad ℈iiij.
de rhabarbaro Meſue à ʒj. ad ʒiß.
de ſagapeno à ℈j. ad ʒj.
de ſarcocolla à ℈j. ad ʒj.
hydropicæ Bontii à ℈ß. ad ℈j.
de ſerapino à ℈j. ad ʒj.
ſine quibus eſſe nolo Meſue à ʒj ad ʒij.
ſine cuſtodia, de Sorbait, à gr. xxxv. ad ℈ij. vide deſcriptionem *ſupra, de cholagogis.*
marocoſtinæ Mindereri à ℈ß. ad ℈j.
tartareæ Schröderi à ℈ß. ad ʒß.
melanagogæ Querc. à ℈j. ad ʒß.

Extractor. doſin vide *ſupra.*
pleres archonticon Nic. à ʒj. ad ʒiij.

Pulveres, ſeu Trageæ: cordiales, ſtomachicæ, cephalicæ, pectorales, dantur in brodio, vel aq. appropriata, à ℈j. ad ʒj.

Pulvis: ad caſum à ʒj. ad ʒij.
diambræ, & diamoſch. dulc. itē.
diamargarit. frigid. à ℈j. ad ℈ij.
diarrhodon Abbatis à ℈j. ad ℈ij.
diatrion ſantalon à ℈j. ad ʒj.
nephrit. Herc. Saxon. item.
de gemmis frigid. à ℈j. ad ʒj.
rubeus Pannonicus item.
epilepticus Marchionis ad ʒj.
phlegmagogus ad ʒj.
cholagog. ad ʒj.
hydragogus Qu: ad ʒj.
melanagog ad ℈iiij.
diatragacanthum: vide *ſupra.*
limatura chalybis à ʒß. ad ʒj.
cachecticus Querc. à ℈ij. ad ʒj.
ad lumbricos à ʒj. ad ʒiß.
ad dyſtociam ad ʒj.
contra peſtem ad ʒj. & ℈iiij.
ſenæ Montagnanæ à ʒj. ad ʒiiß.
turbith Avicennæ à ℈j. ad ʒj.

Purgantia vide *ſupra.*

R.

Requies Nicolai magnitudine caſtaneæ datur.
Rhodomel Actuarii, & Aëtii, datur ab ℥ß. ad ʒvj.
Ribium ſuccus à ʒiij. ad ℥j. & ℥iß.
Rotulæ: vide *ſupra.*

S.

Saccharum roſarum ab ℥ß. ad ℥iß.
bugloſſatum item.
candum ab ℥ß. ad ℥j.
violatum ab ℥ß. ad ℥j.
Succus cydoniorum, granatorum, ab ℥ij. ad ℥iij.
roſarum purus ab ℥j. ad ℥ij.
violarum item.
fumariæ eodem modo.
Syrupi vel per ſe, vel cum aquis, ex media ponderis quantitate mixti, exhibentur.
Syrupus: de abſynthio ab ℥j. ad ℥ij. cum aqua cichorei.
acetoſus ſimplex ab ℥ij. ad ℥iij.
compoſit, ab ℥j. ad ℥ij.
de agreſta Meſue ab ℥j. ad ℥ij.
florum aquilegiæ ab ℥j. ad ℥ij.
arantiorum acetoſorum ab ℥ß. ad ℥iß.

Characteres Pharmaco-Chymici.

Acetum	🜊	Ferrum	♂
Acetum deſtillatum	🜋	Gemini	♊
Aer	🜁	Granum unum	gr. j.
Alembicus	⚹	Granum ſemis	gr ß.
Alumen	O	Gutta una	gt. j.
Amphora	≈	Gutta ſemis	gt ß.
Amalgama	ā ā ā	Hora	8
Ana	a. an.	Ignis	△
Antimonium	♁	Jupiter	♃
Aqua	▽	Leo	♌
Aqua fortis	🜅	Libra	♎
Aqua Regia, Stygia	🜆	Libr. una	℔j.
Arcitenens	♐	Libr. ſemis	℔ß.
Arena	∴	Luna	☽
Argentum	☾	Manipulus unus	mj.
Argentum vivum	☿	Manipulus ſemis.	mß.
Aries	♈	Mars	♂
Arſenicum	o—o	Mercurius	☿
Auri pigmentum	⚯	Mercurius præcipitatus	☿ ☿
Aurum	☉	Mercurius ſublimatus	☿ ☿
Balneum	B	Menſis	⊠
Balneum Mariæ, ſive Maris	MB	Nitrum	⦶
Balneum Vaporis, ſive Roris	VB.	Numero	nrō.
Calx	C	Oleum	∴
Calx viva	♆	Oppoſitio	☍
Cancer	♋	Piſces	♓
Capricornus	♑	Pugillus unus	p j.
Caput mortuum	☉	Pugillus ſemis	p. ß.
Chalybs	♂	Plumbum	♄
Cineres	⊕	Pulvis	8
Cinnabaris	♁	Præcipitare	⊽
Cornu Cervi	C. C.	Quadratus	□
Crucibulum, Tigillum	✠	Quinta eſſentia	Q. E.
Cuprum	♀	Retorta	🝭
Deſtillare	♄	Sal Armoniacum	✱
Dies	☍	Sal commune	⊖
Drachma	ʒj.	Sal gemmæ	⚹
Drachma ſemis	ʒß.	Sal Nitrum. Vide Nitrum.	

Saturnus	♄	Tartarus	🜿
Scorpius	♏	Taurus	♉
Sextilis	*	Terra	🜃
Scrupulus unus	℈j.	Trigonus	△
Scrupulus dimidius	℈ß.	Venus	♀
Sol	☉	Vinum	🜇
Spiritus	🜉 ſp.	Virgo	♍
Spiritus vini	🜈	Viride æris	🜨
Stannum	♃	Vitriolum	🜖
Stratum ſuper Stratum	S.S.S.	Uncia una	℥j.
Sublimare	🝞	Uncia dimidia	℥ß.
Sulphur	🜍	Urina	🝕
Talcum	🝆	Zingiber	ZZ.

FINIS.

IN NO-

IN NOMINE SS. TRIADOS:

TRACTATUS PRIMUS

PHYSIOLOGICO-
PRACTICUS,

in quo, Theoria reducitur ad praxin & morborum à capite ad calcem, Curæ methodicè tractantur,

Cum Controverſiis utiliſſimis, ſingulis capitibus annexis, huic quoque accedunt,

TRACTATUS SECUNDUS

DE LUE VENEREA,

Item,

TRACTATUS TERTIUS

DE FEBRIBUS,

cum Controverſiis

& De

MORBIS PUERORUM:

nec non

CHIRURGIA, cùm EXAMINE CHIRURGICO,

DE MODO CONSULTANDI,

Obſervationes quædam rariores:

Item,

MODUS PROMOVENDI DOCTORES VIENNÆ aliquot diſcurſibus exornatus:

AUCTORE

PAULO DE SORBAIT Philoſoph. & Medic. Doctore, praxios Profeſſore Primario, Sacræ Imperatricis Perſonæ & Aulæ Medico, necnon Seniore Conſiſtoriali.

NORIBERGÆ,

Sumptibus MICHAEL. & JOHAN. FRIDERICI ENDTERORUM.

Anno M. DC. LXXII.

CAPUT PRIMUM

DE DOLORE CAPITIS.

ABſolutiſſimam protoparentis noſtri, Galeni, & aliorum, quà doctrina, quà forma, Illuſtrium Virorum Medendi Methodum exactè ſecuturi, partium corporis humani affectûs recenſere, eorum cauſas & eſſentias indagare, utiles indicationes elicere, prognoſticum ſtatuere, & materias remediorum convenientes adnectere, in ſequentibus allaborabimus; ab ipſo ſcilicet Capite (ſecus, ac in Anatomia noſtra, *capite octavo Inſtitutionum noſtrarum* practicavimus, ubi à centro ad circumferentiam progreſſi ſumus) exordium ducentes. Præſuppoſitâ itaq; Capitis Anatomiâ, *cap. 12.* noſtræ Phyſiologiæ traditâ, de illius Dolore primò ſumus acturi.

Dolor capitis cauſa rationem induit.

Cephalalgia, ſeu *Dolor Capitis*, licet ſymptomatis rationem habeat; tamen, ut vehementer urgens, *cauſa rationem* induit, Medicáſque ad ſe provocat manûs: cum tamen excipias, velim, qui

Criticus.

Criſin, per hæmorrhagiam narium futuram, præcedere ſolet. Is enim tangi, aut ei obſtacula Medica opponi minimè debent, ne natura à ſuo, eoque fortaſſis laudabili, revocetur opere. Item hîc non agimus de Dolore capitis

à morbo Gallico.

à morbo Gallico proveniente, & circa noctem ingraveſcente. De hoc enim vide *Tractatum ultimum*, qui accuratè de eodem tractat.

Quæ requirantur ad excitandum capitis dolorem.

Ad hoc, ut capitis dolor, veluti quivis alius, excitetur, *tria* requiruntur: utpote *ſubjectum*, *objectum*, & *judicium*. *Subjectum* non eſt ipſa capitis ſubſtantia; utpote quæ non ſentit paſſivè, ſeu, ut Andreas Laurentius loquitur, παθητικῶς, ſed activè, ſeu ἐνεργητικῶς: ſolæ meninges verò, omnium membranarum genitrices, ſenſu tactûs præditæ, & quæ ab his membranæ oriuntur, veluti quæ ad oculos, & nervos excurrunt, ſentiunt.

Dolor autem omnis eſt vel *externus*, vel *internus*. *Externus* eſt, qui cuti, vel pericanio incumbit: hic cum tactu, & evulſione capillorum, acuitur: *internus* preſſu miteſcit: uterque dolor ad radices oculorum porrigitur; cùm pericranium etiam oculorum cavum, præter nervi optici ingreſſum, ſuccingat. *Differentiæ dolorum capitis.*

Præterea capitis dolor alius eſt *recens*; & dicitur *Cephalæa*; alius *inveteratus*; & propriè *Cephalalgia* nominatur: eſtque vel *totius capitis*, vel *unius tantùm partis*; uti eſt *Hemicrania*; de quâ in *ſequenti capite*: alius *per eſſentiam*, vel, ut ajunt, idiopathiam: alius *per conſenſum*, ſeu per ſympathiam. Capitis dolor, qui *per eſſentiam* eſt, origigirem habet in ipſo capite; qui verò *per conſenſum* provenit, vel *à ſtomacho*, ſeſeque magis in anteriori parte capitis prodit; vel ab *utero*, & poſteriorem, vel ſuperiorem capitis partem infeſtat; vel ab *hypochondriis*, & circa arterias temporales affligit.

Signa diagnoſtica capitis doloris ſunt evidentia: ſi tamen in arteriis ſtabuletur, dolor eſt pulſatorius; ſi in membranis, acutus, ſeu punctorius; ſi in nervis primæ vel ſecundæ conjugationis ſit, centrum oculi profundiùs occupat dolor; ſi ſeptimum par doleat, lingua; ſi quartum, palatum; ſi quintum, aures; ſi ſextum, os ventriculi per ſympathiam afficietur: ſi dolor ſit externus, tactu exploratur; quod non fit, ſi ſit internus. *Signa diagnoſtica.*

A *cauſâ calidâ* acutiores & breviores cauſantur dolores, à cauſâ *frigidâ* obtuſiores & diuturniores: à *ſiccâ* tenſivi: ab *humiditate* non fit dolor; id eſt à qualitate, ſed tantùm à quantitate corporis humidi: ſolius tamen intemperiei dolores non ſunt adeò durabiles, antequam materia accedat. Nam dolor trahit, & raro corpora tam dura reperiuntur, *Signa cauſarum.*

riuntur, quæ non aliquam foveant humiditatem.

Cauſæ. *Cauſæ* doloris *in genere* ſunt alteratio repente & ſubito facta, atque unitatis ſolutio: *procatarcticæ* cuſæ ſunt æſtus, aer calidus vel frigidus, cibi & potus calidi; transmiſsâ ſcilicet per venas & arterias ſurſum materiâ, parteque anteriore, ob oppreſſionis conſvetudinem, potiùs dolente; item medicamenta calida, curæ, ſollicitudines, vigiliæ immodicæ, ira, alvi conſtipatio, odor gravis croci, roſarum, camphoræ, lumen nimium, contuſio, ruptio, eroſio, ſectio, diſtenſio. *Interna* plethora, vel cacochymia, item vermes, calculi tumores; quæ omnia ſi originaliter in cerebro conſiſtunt, per eſſentiam dolorem excitant: ſicut idem per conſenſum efficiunt, ſi illuc, vel ex liene, melancholicus, aut alius vapor, vel ex hypochondriis, vel ex utero, vel ex ſtomacho, feratur: dolor autem, qui fit cum gravitate, multitudinem; cum pulſu, inflammationem; cum morſu, acrimoniam; cum diſtenſione, flatûs ſignificat.

Signa doloris Idiopathici. Cognoſcitur autem dolor eſſe *per eſſentiam*, ſi præceſſerit aliqua cauſa procatarctica, capiti inimica, item ſi permanens ſit, & ſtabilis dolor. Si autem *Sympathici.* *per conſenſum* fiat, cognoſcetur ex partis, unde oritur, diſpoſitione; veluti ex ventriculi apepſia, præviâ ebrietate: ex *utero* diſcraſiâ; ob averſionem rerum odoratarum, vel ex præcedentiâ abortus: ſi ex *liene, hepate, utero* &c. ortum trahat, tactu poterit explorari. Fit etiam dolor capitis à *morbo Gallico*, per conſenſum à toto, vel à parte aliquâ: qui temporis ſucceſſu fit per eſſentiam: in *Febribus* quoque, cùm calor fit in toto, etiam dolor capitis à toto ſuum trahit exordium: cùm caput, teſte Hipp. ſit quaſi ventoſa toti corpori appoſita, quæ quosvis aſcendentes vapores ſuſcipit.

Indicatio. *Indicationes* quod attinet, dolori ut ſic præſervativæ tantùm competunt, qui habet rationem cauſæ: ſoli enim morbo curativæ debentur. Itaq; & dolori, & ejus cauſæ præſervativæ indicationes adhibentur. Et cùm doloris cauſæ ſint humores & vapores, in caput delati, vel in eo exiſtentes; vel etiam intemperies aliqua: ſi eſt intemperies calida, indicantur modicè refrigerantia; ſi frigida, contra &c. ſi humores ſint in fluxu, revellendi, derivandi, intercipiendi: ſi fluxerint, evacuandi: ſi craſſi ſint, attenuandi, ſi tenues nimium, incraſſandi; ut ſcilicet facultatis expultricis proportionatum evadant objectum: deinde ratione totius indicantur alimenta boni ſucci, & facilis concoctionis & diſtributionis: ratione partis, cephalica; partem nimis facilè recipientem adſtringentia, digerentia & appropriata.

Prognoſis. *Prognoſin* quod attinet, quò *gravior* eſt dolor capitis, eò periculoſior. Inſperatam enim quandoque mortem adferre advertimus, proſtratâ nimirum confertim facultate, & fugato concitatiùs ad ima calore: ii que, qui dolore ſunt oppreſſi, veluti ſiderati attonitiq; moriuntur. *Internus* dolor *externo* periculoſior eſt, urinâ exiſtente tenui & albâ: & ſi Æger ſubitò delinquat, nullâ præviâ evacuatione; frigentibus externis, mortem prænuntiat.

Longior autem eſt, qui à materiâ craſsâ, difficilisque digeſtionis fit; vel quem morbus Gallicus cauſat; quique periodicè affligit. Caput dolenti, & circumdolenti pus, vel aqua, vel ſanguis effluens per nares, aut os, aut aures, morbum ſolvit: Hipp. *6. aphor.* 1. niſi dolor proveniat à flatibus.

Curatio. Factâ prognoſi, reſtat, ut indicationibus ſatisfaciamus per convenientem *Remediorum materiam* ex fonte Pharmaceutico, Diætetico, & Chirurgico. Præmiſſo itaque tali *Clyſtere*, ſi eſt à *cauſâ calida*,

Clyſter à cauſa calida.

℞. *Fol. malv.*
althææ,
violar.
lactuc. ana mj.
prunor. paria x.
4. ſemin. frigid. maj. ana ℥iij.
flor. violar. p.j.
furfurum p. iij.
F. decoctio ad ℔j. In colatura diſſolve
mellis mercurialis,
violar. ana ℥iß.
ſalis gemmæ P.j.
M. F. Clyſter; illo rejecto, corpore exiſtente plethorico, *ſecanda* eſt *vena*, *Venæſectio.* mediana ſcilicet, vel cephalica, vel etiam

etiam malleoli externa, pro revulſione: pro derivatione, ſi pars capitis poſterior doleat, ſecta vena frontis, teſte *aphoriſmo*, juvat: vel etiam poſſunt applicari in dor-

Cucurbitulæ. ſo *Cucurbitula*, tum ſiccæ, tum ſcarificatæ; *Hirudines.* item *Hirudines* retrò aures; item *Veſicato-* *Veſicatoria.* *ria* in nuchâ, vel etiã ſetacea: poteſt item, ſi *Setacea.* vehemens ſit dolor, *Arteriotomia* celebra- *Arteriotomia.* ri, cum Zacuto Luſitano. In *cauſâ frigi-* *à Cauſa frigidâ.* *dâ* clyſteribus addi poſſunt calidiora, utpote *origanum, ſalvia, beton. verbena, flor. ſtæchados, anthos, chamomill. melilot.* cum *melle anthoſato*, *benedicta laxativa, caſſia pro clyſteribus, hiera picra* &c. & ejuſmodi enemata toto morbi decurſu repetenda ſunt ſingulis, vel alternis ſaltem diebus. Nota;

Parcè debet eſſe ſangvinis miſſio. in dolore à cauſâ frigidâ parciori manu ſangvinem eſſe detrahendum. *Repellentia* *De Repellentibus.* qualia ſunt *ol. cydon. myrtill. omphacin.* &c. nobis ſunt ſuſpecta, & cum maximâ circumſpectione adhibenda, ne materia, hiſce repercuſſa, phrenitidem, & majorem duræ & piæ matris cauſent inflammationem: laxa tamen capitis integumenta, ne affluentes humores affatim recipiant, modicè roboranda ſunt, & adſtringenda *aq. ſolani, plantag. verbenæ*, cum modico *acet.* *Anodina.* *roſac.* mixta. Dolore *per ſympathiam* exiſtente, *ſtupefacientia, Anodina*, & *hypnotica*, ſæpe adhibentur: qualia ſunt *oleum ex ſem. papav. mandragoræ, hyoſcyami:* quod tamen eò, quòd fatuitatem inducat, ſuſpe- *de Opio.* ctum eſt. *Opium* in cauſâ frigidâ temerè non eſt applicandum: nam ita potenter refrigerat, ut ſæpe lethargũ, carum, apoplexiam, convulſionem, inducat: ſi tamen ſum̃a ſit neceſſitas, dari poteſt ʒj. *Conſerv. flor nymphææ*, cum gr. iij. *Laudani Cæſarei*, vel *Laudani opiati*, vel etiam *Nepenthes*: alii exhibent *Pilulas de cynogloſſa Benedicti Faventini*, ad gr. xviij, *vel Requiei Nicolai*, vel *Philonis Romani*, ℈ij. vel *Theriacæ recent.* ʒj. Mitiora ſunt, quæ humoris acrimoniam *Emulſio.* obtundunt: ut *Emulſiones*, qualis eſt hæc:

℞. *Sem. 4. frigid. major.*
malvæ, althææ,
papaveris albi, ana ʒij.
amygdal. dulc. excortic. & in aq. frigida infuſar. ℥iß.

Contunde in mortario, ſenſim affundendo *aq. verbenæ*, vel *communis*, ℔iß. F. lege artis *Emulſio*; cui, in cauſâ valde calidâ, *flor. nitri* ʒß. & *ſyrup. de ſucco portulacæ* ℥j. addi poteſt. De hac ſæpe ℥iij. ſumi poſſunt. Si capitis dolor ſit à præcedenti crapulâ, foveantur teſticuli *ſpongiâ in aceto flor. ſambuci*, vel in *oxycrato*, vel in *aquâ communi frigidâ* madefactâ. Si dolor ſit à bile, in ventriculo exiſtente; quod ex nauſeâ, oris amaritudine, & ſiti, patebit, *Vomitorium* non erit inutile: v. g. *Vomitiva.*

℞. *Vitrioli albi vomitivi* ℈j.
Detur cum juſculo. Vel

℞. *Syrup. Emetici Angeli Salæ* ʒvj.
aq. vomitivæ Plateri ℥ß.

M. Detur, ſed fortioribus tantum.

Vel Ruſticis detur ſequens:

℞. *Aſari cum toto pulveriſat.* ℈ij. vel ʒj.

Exhibe cum juſculo: vel, ſi *folia ejuſdem viridia* haberi poſſint, infundantur eorũ parum contuſorũ ſeptem in *vini albi* ℥vj. per noctem: manè ſumatur Vinum colatum, pro vomitu ciendo. *Unguium ramenta*, in defectu aliorum, à vulgo, cum *vino, hydromelite*, vel *alio liquore*, ad ciendũ vomitum exhibentur: quæ, etiam umbilico appoſita, aquam hydropicorum expellere creduntur. Alii exhibent *flor. antimonii* cum *conſerv. roſ.* ſed eſt periculoſum medicamentum: Nos potius *gummi guttæ*, ad gr. xv. cum pingvi juſculo propinamus: vel *decoctum raphani* cum *ſyrupo acetoſo*, vel medicamentum Æſopicum, *aquam* ſcil. *tepidam*, cum *oleo* & *aceto*; quod maximè prodeſt in dolore ab *ebrietate* orto.

Si dolor aliquantulum videatur remittere, ſolennis humoris peccantis *Purgatio* *Purgatio.* inſtitui poteſt:

℞. *Summit. capillorum Veneris,* *Potio cathartica.*
hyſſopi,
verbenæ, ana m. j.
paſſular. mundat. ℥ij.
ſem. apii,
petroſelini,
aniſi,
fænic. ana ℈j.
coriandri ʒß.
flor. anthos,
ſtæchados, ana pj.

Fiat decoctio ad ℥iiiß. in quâ infunde per noctem, ſi bilis peccet, *rhabarb. elect.* ʒij. ſi pituita, *agarici* in petiâ ligati tantundem: manè, factâ levi ebullitione, in colaturâ diſſolve

electuar. de tamarindis,
Indi maj. ana ʒij.
extracti cathol. ʒj.
aq. ſalviæ ʒß.
acidi tartari ℈j. M.

F. Potio: detur matutino tempore. Vel etiam ex ſequentibus *Pilula* una, horâ unâ ante cænam, detur, ut, ſi cum cibi ſubli- *Pilul. ante cænam.* matis vaporibus ad caput ferantur, iidem præcipitentur.

℞. Ex-

℞. *Extr. pilular. cochiarum,*
aſſaieret,
Marocoſtin. ana ℈ß.
pulveris Syris gr. vj.
olei ſalvia,
caryophyllorum, aná gut. ij.

Cum ſ.q. *aq verbena,* vel *ſyrupi de ſtachade,* fiant Pilulæ *n. viiij.* inaurent. pro doſi ſuperiùs dicta. Harum loco exhiberi poſſunt pil. *maſtichina, de ſuccino Craconis, ſine quibus;* vel *pil. capitales Nicolai;* vel *pilula ad dolorem capitis Franciſci ;* vel *ad dolorem capitis Avicenna:* item *extr. helleb. nigri:* item *pil. lucis majores* & *minores* &c. & talia purgantia repetenda ſunt, quoties opus videbitur. Negligenda interim non ſunt *Frontalia ;* quæ fiunt ex *pulvere flor. nymphaa, violarum, ſem. coriandri praparati, plantag. papav. albi, ſantalo albo, camphora* &c. ex quibus fieri poteſt Pulvis groſſus, bombace excipiendus, & in cucupham interpunctam redigendus. Vel etiam fronti applicetur *Unguen: alabaſtrinum ;* vel *mucilago ſem. pſyllii, aquâ verbena extract.* vel ℞. *Flor. ſambuci, nucleor. Perſicor. amygd. amarar.* ana ℥ß. cum ſ.q. *aq. verbena* Fiat inſtar *Emulſionis,* capiti dolenti applicandæ : optimè addi poteſt *pulv. rad. Zedoaria :* vel, loco hujus, fronti applicetur *decoctum radic. cucumeris agreſt. in* ℥ij. *ol. antiq.* ut F. Linimentum, quo anterior pars capitis ungatur. *Herba anſerina,* cum *aceto roſaceo,* & *ſale tuſa,* plantis pedum alligata, & ſimul pulſibus (modò ſub ultimâ cujusvis Menſis Lunæ quadrâ fuerit collecta) cephalalgiam curat : ad quam etiam tum appoſita, tum appenſa, proximè accedit *verbena.* Poterunt etiam *Pedilavii* hujus probatiſſimi vapores per aures, os, nares, pedibus manibusq; immerſis, tecto bene capite, excipi. ℞. *Aq. dulcis* menſ. viij. in quibus pone *ſalis commun.* m. ij. addendo *ſalvia hortenſis* m. iij. *aceti* ℔ij. Coque invicem, & fiat Pedilavium. Ubi dolor maximè urget, *Narcotica* ſuperiùs ordinata repetenda ſunt. Pro evacuatione adhiberi poſſunt *pilula de agarico, de hiera compos. diamthon, diaproſſinum Nicolai Myrepſi, diaolibanum:* &c. inter appropriata etiã *apium,* & *petroſelinum* referuntur. D. Hartmanus ſeq. *Pil.* in dolore capitis ſummè commendat :

Externa. *Frontalia.* *Unguentum.* *Emulſio.* *Linimentum.* *Amuleta.* *Pedilavium.* *Pilul. Hartmann.*

℞. *Ol. camphor.* gut. vij.
extr. gummi ladani, cum S. V. facti, ℈j.
moſchi odorat. gr. iij.
Cum *aq. majorap.* & *mucilag. trag.*

F. Pil. ſingulæ ponderantes gr. iij. Doſis pil. num. ij. vel ad ſummum tres. Aliâs ſummè commendatur *Aq. cephalica Daniel. Mylii.* Vide Pharmac. Spagyr. item commendatur *ol. nuciſta expreſs.* cum *ung. alabaſtrino* mixtũ, & fronti temporibusq; illitum : item *Balſam. major. apoplect. ſuccini* &c. Confici poſſunt variæ *Eſſentia, Tinctura, Condita, Extract. Pulv. Suffumigia, Poma odorata, Trochiſci fumales,* ex cephalicis in calido dolore, frigidis; in frigido, calidis.

Balſama.

Diætam quod attinet, hæc debet eſſe temperata : vitandaq; ſunt omnia fumoſa, & valde odorata : qualia ſunt *rapa, legumina, allium, ſinapi, cepa, lac, vinum, lux nimia, aq. roſacea, ol. jeſaminum,* &c. Potus ſit *decoctum coriandri :* cibi ſint facilis digeſtionis, boniq́ue ſucci. poſt cibum ſtiptica comedantur, vapores reprimentia; ut ſunt cydoniata, vel fructus ſtiptici: paucitas cibi nocet in causâ calidâ : item nocet aqua frigida, ubi dolor eſt in membranis, teſte Avicenna, *1. 3.* nocent item capiti *abſinthium, ſemen urtica, lac in potu, glandes quercina, oliva nigra, ervum, myrrha, thus, fructus lentiſci, crocus, peucedanũ, ſtyrax, caro vaccina, faba, avellana* &c.

Diæta. *Cibus & Potus.*

Qu. 1. Utrùm vehementia doloris curandi ordinem non ſæpius pervertat, & venæſectionem, aut purgationem, prohibeat, ob virium debilitatem ab eo cauſatam? ℞. cum Avicenna, *4. 1. 3.* dicente : ubicunque ad diverſum trahere volueris, dolorem illius membri priùs ſeda; utpote ſi hunc ſecuta fuerit magna virium reſolutio. Idem aſſerere videtur Gal. *12 meth. c. 1.* dum ait : *qui dolori, neglectâ curatione, tantùm eſt intentus, non id ex topicis, artis ratione, ſed in agri gratiam facit ; at ſi ex dolore vires reſolvantur, atq; ex eo periculum impendeat ; & mitigari prius dolor, & vires corroborari debent.* Similis eſt ſenſus in eodem *c. 7.* probatur etiam ex Gal. *lib. 1. ad Glauc. cap. 14.* Dum vehementiſſimæ vigiliæ, & dolor intenſus Ægrum infeſtant, cavendæ ſunt evacuationes : ergo dolor ſanguinis miſſionem valet impedire.

Quæſtio I.

Obj. 1. Vinum malè videtur prohiberi in dolore capitis : nam Paulus, *lib. 3. cap. 31.* inquit: *ubi vinum ſubtiliùs propinandum, corporis motio adhibenda.* ℞. Paulum intelligi de dolore ab humore viſcoſo, & craſſo, qui alteratione indiget : vinum autẽ in hoc caſu veluti attenuans cõceditur; non verò in dolore ab humore tenui calido, & bilioſo. Et hanc doctrinã tradit

Objectio 1.

Gal.

Galen. *in 5. aphor. libr. 2.* ubi inquit: fluidum erit corpus reſeratis meatibus, humoribus inciſis, abſterſis, & extenuatis; ubi fuerit humor in corpore glutinoſus & craſſus.

2. Objic. 2. Avicennas, *de univerſa cura ſtra*, ait; alienanda eſſe frigida à poſteriori cerebro, quod eſt origo nervorum: item Gal. *lib. de compoſitione medicament. per loca, cap. 1.* ſuccum mandragoræ, mali Punici, ſolani, &c. vetat: Ergo epithemata malè fuerunt ordinata in capitis dolore. ℞. & Avicennam, & Galenum, intelligendos eſſe, ubi materia frigidior & crudior fuerit; & tunc epithemata tepida, nec adeò adſtringentia & repercutientia (ſiquidem materiam magis impingerent) eſſe applicanda; ubi verò bilioſiores, frigida.

3. Obj. 3. Averrhoës aſſerit, ſolam alterationem eſſe cauſam doloris: ergo malè aſſignantur humores. ℞. cum Gal. *2. de compoſit. medicam. per loca, cap. 1 dolorem fieri ob diſſolutionem unitatis partium ſimilarium*: Ergo non tantùm fit ab alteratione: ergo in hac re non poſſumus Averrhoi conſentire.

Obj. 4. Non videmur bene aſſerere, humidum excitare dolorem. ℞. humidum excitat per ſe dolorem; nego: per accidens; concedo. Immò Galenus, *in arte Medicinali, cap. 80.* ait: alteratur ſubſtantia à caliditate, frigiditate, & humiditate: ergo etiam ab humido cauſari poteſt dolor, ſaltem per accidens.

II. Quær. 2. Cur tenues urinæ ſignificent dolorem capitis? ℞. cum Galeno, *in 4. aph. comm. 70 falſum eſſe*: imò ſæpius urinæ apparent tenues, ſine ullâ capitis doloris ſuſpicione: nec obſtat, quòd ait Hip. *4. aph. 7. Quibus perturbatæ ſunt urinæ, quales ſunt jumentorum, iis dolor capitis vel adeſt, vel aderit.* Poſſunt enim eſſe urinæ turbatæ, & non tenues.

III. Qu. 3. Utrùm in omni gravi capitis dolore conveniat venæ ſectio? ℞. Licet non conveniat ratione evacuationis; convenit tamen ratione averſionis, ne abſceſſus aliquis fiat: unde Hipp. *5. aph. 68. Dolenti partem capitis poſteriorē, in fronte rectà vena inciſa prodeſt.*

IV. Quæ. 4. Quot ſint revulſionis ad diſtantiam modi? ℞. octo: ſurſum & deorſum; & contra; à dextris ad ſiniſtrū; & contra; ab internis ad externa; & contra; ab anterioribus ad poſteriora; & contra: & hunc ultimum modum reliquit Galen. *5. meth. cap. 3.*

V. Obj. 5. Iſti revulſionis modi non omnes videntur eſſe à diſtantiâ; nec Galen. *in methodo med.* videtur ad diſtantiā revellere; quando cerarum, et ſinapiſmi conſulit applicari futuræ coronali, ut fiat revulſio ad pericranium, propter humores ad pectus ſluentes: cùm tamen pericranium non ſit pars diſtantiſſima: ſimiliter agere videtur *lib. 2. ad Glauconē*: ergo falſum eſt, revulſionem fieri ad diſtantiſſima. ℞. Ut revulſio fiat ad diſtantia, ſatis eſt, ſi ad oppoſita fiat: deinde, ut humores verſus diſtantiſſimas partes retrahantur, per vias propinquas oppoſitas; quæ etiam via ad diſtantia diſtans dici poteſt, tanquam terminus participans.

Caput II.

de Hemicrania.

Hemicrania quid.

Hemicrania eſt, ubi vel in parte ſiniſtrâ; vel in dextrâ, dolor capitis accidit; qui interdum intenſionem; quandoque remiſſionem habet. Locus doloris aliquando percipitur extra calvariam: aliquando ad capitis uſq; profunditatem, inſtar clavi, unde etiam *Clavus* dicitur; penetrat: quibuſdam temporū muſculos vehementer infeſtat. Gal. *lib. 2. de compoſit. medicam. per loca, cap. 5.* ait; *hemicraniam eſſe affectionem doloriſam, circa dimidiam capitis partem, aliquando dextram, aliquando ſiniſtram; juxta ſuturæ longitudinem, ubi proceſſus falcatus ad dextram & ſiniſtram capitis partem diſcriminatur, & per circuitus exacerbatur.*

Hemicrania Galenica deſcriptio.

Cauſa hemicraniæ.

Cauſa eſt plenitudo humorum, vel copiam vaporum influxus; vel etiam vermes; uti teſtantur Avicennas, *lib. 3. tract. 2. cap. 5.* Nicolaus Beniveniūs, Cornelius Gemma, *lib. 2. Coſmocritic. c. 4.* Duretus, *in Hollerium*: item nuda intemperies, abſq; humorum influxu; quod, ſine evidenti ratione, negat doctiſſimus Avicennas. Hemicraniæ cauſa eſſe poteſt, quæ ob conſenſum aliarum partium ſæpiſſime cōtingit: item pleræq; cephalalgiæ cauſæ hemicraniæ cauſas agere poſſunt. Galenus, *loco citato*, ait; ipſam hemicraniam fieri ex influxu humorum, ſive humidorum, ſive calidorum, ſive frigidorum, cauſam doloris ſuggerente.

Signa

Signa hemicraniæ.

Signa hemicraniæ ſunt gravitas moleſta, quæ plenitudiné aliquam indicat; dolores cum eroſione, quæ humorũ vel vaporum acrimoniam denotat; vel pulſativi dolores, qui inflammationé ſignificant: ſi ſint ad radices oculorũ, interni ſunt; ſi tactu exacerbentur, externi: ſi cauſa ſit frigida, à calidis mitigantur; è contra, ſi calida: quod in curâ diligenter indagandum, ne præpoſtera applicentur remedia.

Prognoſis convenit cum ſuperiore.

Hemicraniæ *prognoſis* eadem eſt quæ cephalalgiæ.

Curatio. Tres curationis ſcopi. Evacuatio.

Curam quod attinet, ea tribus ſcopis perficitur: 1. evacuatione: 2. revulſione, & malæ impreſſæ qualitatis repulſione: 3. ejus, quod in capite eſt præter naturam, concoctione. *Evacuatio* fit vel pharmaco, vel venæſectione; prout humores, vel cacochymia, vel maſſa ſangvinea magis peccaverit. Evacuantia pete *ex præcedenti capite:* revulſio, & derivatio, per eadem *ſupra* dicta perficientur. Si hemicrania fiat à frigidâ cauſâ, inſtante paroxyſmo, pars muſculo crotaphytæ, ſeu temporali, vicina multùm fricetur, ut materia antecedens diſcutiatur, & parti calor reconcilietur. Durans paroxyſmus à nobis ſæpe diſcuſſus, in cauſâ frigidâ; *oleo ſpiritûs vini:* eodem modo contrariis temperatis contra hemicraniam, à calore provenientem, agendum eſt; ita tamen, ut iis ſemper modicè adſtringentia commiſceantur. Avicen. *1.3.c.38. Hemicraniæ,* inquit, *cura eſt phlebotomia in venâ frontis; & temporis, item attractio; quùm periodus adeſt, oportet, ut purgetur corpꝰ ante ipſam, & permutetur complexio poſt purgationem: quòd ſi materia fuerit calida, pone narcotica ſupra tempora:* Alexand. *l. 1. cap. 8. Si hemicrania citra materiam ab intemperie fiat, ſolis extrinſecis utendum eſt præſidiis: ſi verò cum materiâ aliquis humorum adauctus redundet, v.g. ſanguis, ſectione venæ utendum eſt; ſi alius humor, fortiter medicamine ſtatim evacuandus:* ſemper autem bene conſiderandum eſt, utrum dolor ſit per eſſentiam, an per conſenſum: ſi per conſenſum, pars mandans curanda eſt, & humores intercipiendi; materia autẽ, quæ jam fluxit, in capite coquenda eſt per attenuantia & incidentia, deinde per ea, quæ id, quod jam attenuatum & inciſum eſt, diſcutiunt; caputq; roborandum eſt: quod Pilulis ſequentibus (quarum in *præcedenti capite* mentio facta eſt) ſecurè procurabitur. ℞. *Ol. camphoræ, i.e. camphoræ* ſolutæ in *olei ſpicæ*, gr. vij. *extracti gummi ladani, cũ ſpiritu vini facti,* ℈j. *moſchi odorati* gr. iij. cum ſ. q. *aq. majoranæ, & mucilag. tragacant.* eâdẽ aquâ extractæ, formentur Pilulæ, ex gr. iiij. unæ: doſis pil. n. ij. vel ad ſummum iij reiteratis vicibus. Longè à paſtu, circa veſperam Æger ſæpius olfaciat *aq. roſarum,* in quâ *camphora* ſit diſſoluta.

Pilulæ.

Frontale.

Frontale ſequens in ſummo dolore fieri poteſt: ℞. *Laudani Caſarei* gr. xij. diſſolv. *in aq. ſolani, roſarũ,* ana ℥iij. adde *aceti roſarũ* ℥iß. M. & pannis linteis madefactis frons, maximè ex parte, quâ dolor maximè urget, perligetur: quòd ſi dolor non remittat, applicentur *Veſicatoria* nuchæ, vel *Hirudines* retrò aures: hæ tamen in hemicraniâ à cauſâ calidâ proveniente conveniunt: deinde uſurpentur *errhina,* & *apophlegmatiſmi:* nares, & coronalis ſutura, *inungantur balſamo nucis moſchatæ, apoplectico, majoranæ, ſuccini.*

à Vermibus.

Si dolor ſit *à Vermibus*, trahatur in nares infuſio *Mercurii vivi*, in *aq. majoranæ* facta: vel loco dolenti applicetur *abſinthiũ trit.* cum *myrrhâ* &c.

à Cauſa frigidâ.

In *cauſâ frigidâ* conficiantur *Cucupha* ex herbis cephalicis: ſi malum hiſce remediis cedere nolit, repetitis aliquoties purgationibꝰ, ad *Setaceum,* vel *Cauterium* actuale deveniendum eſt.

Epithema.

Epithema ſpecificum eſt *radix cucumeris agreſtis*, cum *verbena* in *vino* & *aq. roſar.* cocta, & applicata. Si hemicrania ſit à ſummâ capitis refrigeratione, ℞. *Piperis longi.* ℥iij. ſuperaffunde *ſpiritûs vini* q.ſ. ad extractionem: deinde fiat *Sacculus* interpunctus ex *ſuccino* craſſiuſculo contuſo; qui, in prædictâ eſſentiâ madefactus, calidè applicetur ſuturę coronali: vel *oleo laurino* inungatur: vide Hartmannum.

Inunctio.

Nos feliciter ſæpius inunximus partem dolentem *ol. ſpiritûs vini*, dum malum provenit à cauſâ frigidâ; in paucâ tamen quantitate: eſt enim multùm penetrans, & calefaciens. Hartmannus commendat *ol. bacarum lauri.*

Quæſtiones. 1.

Quær. 1. Quomodo intelligendus ſit Galenꝰ, *lib. de inæquali intemperie*, ubi ait, Hippocratem alicubi aſſeruiſſe, omnem morbum eſſe ulcus. ℞. Hipp. ibi intelligere morbum communem, & magnum; non verò parvum: in quo nullus eſt dolor diſſolvens continuum.

Quær.

II. Quær. 2. Quomodo à ſolis qualitatibus primis fieri poteſt continui ſolutio, & dolor, cùm earum terminus ſit tantùm alteratio, & non ubi ; uti in continui ſolutione? Reſp. primarium & immediatum terminum qualitatum quidem eſſe alterationem ; ſecundarium verò & accidentalem eſſe ubi. Quòd autem primæ qualitates dolorem, & conſequenter continui ſolutionem, inferant, teſtatur Galenus, *4. de ſimplicium medicamentorum facultat. cap. 2.* ubi docet fuſiùs, calida & frigida triſtè ſenſum efficere; frigida conſtringendo; calida, diſſolvendo; & utroq; continuum ſolvente: item Hipp. inquit: *iis, quibus alteratur atq; corrumpitur natura, dolores fiunt: alteratur autem, atq; corrumpitur, dum calefit, frigeſcit, ſiccеſcit, vel humeſcit:* ſemper tamen intelligendum eſt de motu alterationis affatim facto.

Objectio. Objicies: in febre hecticâ nullus adeſt dolor ; ergo etiam non erit intemperies calida ; cùm *antè* dictum ſit, calorem ſolvere continuum, & conſequenter excitare dolorem. Reſp. etſi in febri hecticâ nullus adſit dolor ; non tamen inde ſequitur, non eſſe morbum: non eſt dolor, quia illa intemperies non fit affatim. Immò Valleſius, *de cauſis doloris, cap. 5.* aſſerere audet, febrim hecticam non eſſe morbum, exactè loquendo ; ſed incommodum naturæ; quia in eam diſpoſitionem natura cum morbo conſpiravit, & , uti Bravo, forma determinatur, & quaſi cogitur, ad producendum hecticum illud temperamentum.

III. Quær. 3. Quare in hemicraniâ caput tantùm ex unâ, & non ex utrâque parte doleat? Reſp. quia proceſſus falcatus utramque capitis partem dividit: ita, ut non ſit neceſſe, unâ capitis parte dolente, alteram quoque dolere: deinde ſi affectus ſit per conſenſum, in ſiniſtrâ plerumque à liene; in dextrâ ab hepate procedit: idque tantùm ob fibrarum rectitudinem; uti ait Fernelius, *cap. de revulſione*, vel ob vaſorum communionem.

IV. Quær. 4. Unde fiat, quòd multi ex hemicraniâ fiant luſci: uti aliquoties Viennæ obſervavimus? Reſp. id fieri ob fluxionem, ad oculi muſculos decumbentem, qua luxantur: unde luſciofitas ſuboritur.

CAPUT III.

De Apoplexia.

APoplexia eſt totius corporis ſenſus & motûs, etiam quandoque reſpirationis, privatio, cum principum animæ functionum noxâ, ob denegatum ſpirituum animalium influxum: alii morbum vocant *Attonitum*: eſt morbus acutiſſimus, qui citiſſimè ſtrangulat, niſi tranſeat in hemiplexiam, aut paralyſin. *Apoplexia. Definitio.*

Pars affecta eſt cerebrum, ſenſûs & motûs radicativum, à quo nervi oriuntur: hinc non tantùm principes animæ facultates, ſed etiam & ſenſibiles, & motrices læduntur: eſt autem Apoplexia ſymptoma in læſâ actione, à morbo in via, ſeu obſtructione ventriculorum cerebri, ortum habens. *Subjectum.*

Differentiæ ſunt, quòd apoplexia alia ſit fortis ; alia *debilis*: alia *totalis* ; alia *partialis* ; quæ *Hemiplexia* dicitur. Galen. *aph. 2. comment. 42.* dicit, quatuor eſſe differentias Apoplexiæ: prima eſt, cùm anhelitus prohibetur: ſecunda, cùm fit cum magnâ vi: tertia fit cum anhelitu inæquali inordinato, & intermittente: quarta fit cum anhelitu ordinato ; eſtque curatu facilior. *Differentiæ.*

Signa diagnoſtica ſunt ſubitus in terram lapſus, cum horrendo ſæpe ejulatu, ſuccedente, illicò ſpirandi ſummâ difficultate, & pectore ſummè anguſtiato compreſſóque; & fit ſubita omnium actionum animalium privatio. *Anamniſtica* ſigna ſunt frequens vertigo, motûs difficultas, capitis dolor primò acutus, deinde gravans, confeſtim irruens, memoriæ imbecillitas ; corporis totius languor perſæpe præcedit ; uti aſſerit Paulus Ægineta: item tumor venarum circa guttur, oculorum incerti circumcurrenteſque ſplendores, frigus externarum partium, abſq; causâ trepidatio & tremor totius corporis, dentium ſtridores in ſomno, urina æruginoſa, atra, pauca, farinaceam habens ſubſidentiam, denique, teſte Foreſto, eximiæ eruditionis Viro, incubus. *Signa diagnoſtica. Anamniſtica.*

Cauſa ſunt plerumque pituita craſſa, viſcida, lenta, frigida: à quâ cerebri ventriculi ſubitò conſtipantur, arte- *Cauſa.*

riæque retis mirabilis comprimuntur, vel etiam implentur; unde ſpiritui vitali prohibetur in cerebrum acceſſio, & animali in corpus, per nervos, diſtributio: idque vel maximè fit præcedente victu inordinato, crapulis, vel cruditatibus plurimis, aere humido, frigido, caſu, ictu, ſomno pomeridiano, vitâ otioſâ, Venere nimiâ; hæc namque corpus diſſolvit, ſtomachum evertit, vires elidit; unde totius corporis habitus gracileſcit, & ſucci expers redditur, quin &, teſte Galeno, *quòd temperamentum animi mores ſequantur*, ipſos mores pervertit. Galen. *lib. de ſanguinis miſſione, cap. 6. Apoplexia proveniunt à multo ſanguine, in principium animantis confertim incumbente.* Levis Apoplexia fit quandoque ab obſtructione levi, à paucitate humorum craſſorum; vel etiam à vaporibus craſſis, ventriculos cerebri obſidentibus; vel etiam ab exhalationibus venenatis metallorum, Arſenici ſcilicet, Mercurii &c.

Indicationes. *Indicationes*, quæ vel ſunt curatoriæ; & à morbo: vel præſervativæ; & à causâ morbi: vel vitales; & à viribus deſumuntur; iterum à duobus hauriuntur, ab ipſo ſcilicet affectu, & à loco affecto: affectui contraria debentur remedia; ſed eorum quantitas deſumitur à loco affecto. Nam, teſte Galeno, *5. de ſanitate tuenda, cap. 12. & 9. meth. med. cap. 15. nec affectus calido, ſatis eſt, admoviſſe frigida, niſi fiat in debita menſurâ*: cùm alioqui metus ſit, ne morbi reliquiæ permaneant. Deinde ſi in modo excedas, contrarium morbi genus induces: qui enim ſupra, quàm par eſt, frigidum calefacit, is, ſanitatis mediocritate prætermiſsâ, morbum alium inducet in calore: quod ſciri non poteſt, niſi compertum habeatur, quænam pars ſit curanda, & cujus ſit temperamenti, humidi ſcilicet, vel ſicci, frigidi, vel calidi. Hic vera mixti ratio, pauciſſimis nota, in ſtaterâ Medicâ diligentiſſimè trutinetur: quod enim plurimùm à ſtatu naturali receſſit, fortioribus quidem indiget contrariis, habito tamen reſpectu ad partis affectæ temperiem, ægri ætatem, vitam anteactam, exercitia, victûs rationem, regionem, anni tempus, cœli ſtatum, ſexum, converſationem &c.

Conditiones ad indicans requiſita. Indicans itaque diligentiſſimè inveſtigandum; quod hiſce quatuor *conditionibus* clarum eſſe debet: imprimis ut ſit notum per intellectum: ſecundò ut non niſi unum indicet: tertiò ut ſit præſens, non præteritum aut futurum: quartò ut ſit in corpore exiſtens, & ex tali indicante indicationes eruantur. Quod autem in Apoplexiâ ſenſus & motus ſit ablatus, requiritur ejus reſtauratio per dolorifica: quod ad cauſam attinet, hæc eſt vel humor, vel qualitas; ideoque in acceſſione retrahenda materia: extra acceſſionem animali & vitali acceſſioni ſatisfaciendum eſt. Si cauſa ſit qualitas frigida, calefaciendum eſt; ſi autem à veneno oriatur, indicatur alexipharmacum; ſi ſit inflammatio, refrigerandum eſt; ſi varius ſit humor, requirit præſidium determinatum, varians pro varietate cauſæ generantis: ſi quæ fiat apoplexia à causâ frigidâ, craſsâ, viſcidâ, in capite frigido humidoque genitâ, & hærente, indicabitur ejus calefactio, attenuatio, inciſio, deterſio, vacuatio, exſiccatio capitis, humoris fluentis revulſio, & ejus, qui fluxit, evacuatio.

Prognoſt. *Prognoſticum* deſumere oportet ex *2. aph. 42.* Siderationem, ſeu Apoplexiam fortem, ſolvere impoſſibile; levem verò difficilè: & ratio deſumitur ex *primo meth. cap. 9.* quia omnis fermè vehementia eſt etiam maximus à ſtatu naturali receſſus, ſecundum ſymptoma, morbum, cauſas: item ſi pars affecta nobilis eſt, utpote cerebrum, ubi animales actiones, unà cum reſpiratione, maximè læduntur, eamque ob cauſam exitialis eſt: ſi tamen reſpiratio ordinem ſervet, eſt apoplexia debilis; ſi eſt intermittens ordinata, eſt apoplexia vehementior: ſi ad ſenſum auferatur, ſitque cum ſtertore, eſt apoplexia fortiſſima, quæ dicitur incurabilis, *6. aphor. 51.* Stertor enim ſignificat reſolutionem muſculorum pectoris, juvantium ad exſpirationem; uti videre eſt in moribundis, qui ſtertunt;

&,

&c, quia inſpiratum aërem per exſpirationem uniformiter eliminare non poſſunt, faciunt allidere; & arteriæ jam rugatæ, & ſemireſoluti parietes: unde inæqualis ille ſtrepitus, ſeu ſtertor; mortis perpetuus prodromus. Sunt & alia prognoſtica, quæ à febre, oris ſpumâ, temperamento, & ætate deſumuntur: ſi enim accedat febris, fit ſolutio, ex *7. aph. 51.* nam calor attenuat discutitque materiam morbificam: *ſpuma*, teſte Rhaſe, ſummum minatur periculum: ſignum enim eſt, propriam pulmonum humiditatem exprimi; unde ſequitur privatio eventilationis cordis, & excluſionis fuliginum: unde caloris vitæ extinctio & mors ſubſequitur. Quod ad *temperamentum* attinet; pejor eſt apoplexia in corpore calido & ſicco; eſt enim à vehementiori cauſâ: ſimiliter *juvenibus* periculoſior eſt, ob majorem receſſum à ſtatu naturali.

Curatio. *Therapia*, ſeu *Curatio*, fit vel in, vel extra, paroxyſmum; & tota iterum eruitur ex tribus illis fontibus, utpote Chirurgico, Pharmaceutico, & Diætetico.

per Chirurgiam. Venæſectio. Ex *Chirurgia* ſtatim occurrit *Venæſectio*; circa quam tria ſemper ſunt conſideranda: primò an conveniat: ſecundo ex quo loco: tertiò in quâ quantitate. Imprimis ſi corpus eſt plethorium, celebranda eſt ex brachio dextro, in quantitate, quam tolerare poteſt æger; præmiſſo tamen acri *Clyſtere*, ob ſenſum obtuſum & privatum: ut:

Enemata. ℞. *Specierum decoct. emollientis pro Clyſtere* ℥iij.
pulp. colocynth.
veratri albi, ana ʒj.
radicis cyclaminis
ariſtolochia rotunda, ana ʒij.
Fiat decoctû ad ℔j. In colatura diſſolve
Olei ℥iß.
terebinth. ʒiij.
electuar. lenitiv.
de hiera picra Galeni, ana ℥ß.
ſalis commun. ℈iiij.
M. F. Clyſter. injiciatur ſtatim: poteritque (Doctor Bauxner addebat vel *ſyr. emet.* vel *crocum metallorum*) bis, vel ter, iterari. Vel tale *Enema* injici poterit, huic malo magis appropriatum:

℞. *Fol. mercurialis*,
beta,
bliti,
centaur. min.
ſalvia,
majorana,
ruta, ana mj.
caulium rubeorum mß.
ſem. urticæ,
ruta agreſtis, ana ʒij.
carthami conquaſſati ℥ß.
flor. primula veris,
ſtachados, ana p. j.
camomilla m. ß.
agarici in petia ligati ʒij.
colocynth. ʒß.
Coque in ſ. q. *aqua* ad ℔j. in qua diſſolve
electuarii diacarthami ℥j.
benedict. laxativ. ℥ß.
mellis roſat. colat. ʒiß.
ſalis gemma ʒiß. M. F. Clyſter.

Deinde, ſi morbi vehementia patiatur, frigidi, craſſi, tenaces viſcoſique humores *Minorativam* exigunt: dein *Purgatio minorativa.* quæ corpus fluidum reddunt, uti præcipit Hipp. *2. aphor. 9.* & Galenus, *commentario in eundem aphoriſmum*: corpora, cùm quis purgare voluerit, fluida reddere oportet. Notandum: medicamenta humida hîc non eſſe ex uſu, ſed potiùs ſicca; qualia ſunt Pilulæ, *Pilulæ.* Pulveres, Electuaria, Rotulæ, quæ magis exſiccant: Pilulæ autem in hoc affectu conveniunt *de agarico*, *aloëphangina*, *cochia*, *de ſuccino Cratonis*, *maſtichina*, *aſſajereth*, *de hiera ſimplici*, & *cum agarico*, *ſine quibus eſſe nolo*, *de euphorbio*, & Electuaria: *lenitiv. diacathol. benedicta* *Electuaria.* *laxativa*, *diaphænicum majus*, *hiera Ruffi*: *picra ſimplex Galeni*, *hiera Argigenis*, *colocynthidis*, &c. Ex ſimplicibus ſunt Radices *acori*, *pæoniæ maris*, *lunâ decreſcente effoſſa*: creſcente enim *Radices.* lunâ radices collectæ creduntur morbis conciliare incrementum; item *radices ariſtolochia longa*, *rotunda*, *pyrethri*, *galanga*, *ebuli*, *ſambuci*, *5. aperientes*, ſcilicet *aſparagi*, *fœniculi*, *petroſelini*, *apii*, *ruſci*; quæ attenuant humorem craſſum, idq; moderatè, ſi priùs infundatur in *aq. ſalvia*, *ruta*, *lavendula*, *origani*, *majorana*, *ceraſorum nigrorũ*, *liliorum*

rum convallium, flor. tiliæ &c. Apoplexiæ
Semina. convenientia Semina ſunt, *apii, fœniculi, petroſelini, carvi, cumini, urticæ, amomi, pæoniæ, rutæ, ſeſeleos, dauci Cretici, coriandri, baſiliconis, aquilegiæ, ammeos, juniperi, lauri* &c.
Flores. Flores, *camomillæ, meliſſæ, amaranthi purpurei, betonicæ, primulæ veris, ſtœchados Arabicæ, ſalviæ, lavendulæ,*
Fructus. *anethi, ſpicæ nardi* &c. Fructus, *caricæ, paſſulæ majores & minores, anacardia, ceraſa nigra* &c.
Syrupi. Syrupi, *de eupatorio, de duabus radicibus, de calamint. Byzantinus, capillorum Veneris, de cortic. citri, de betonicâ, ſimplex & compoſitus; de iva arthetica, de ſtœchade, ſimplex & compoſitus, de pæonia, ſimplex & compoſitus, de hyſſopo* &c. *mel anthoſatum, anacardinum,* &c.
Purgantia ſimplicia. Expurgantibus ſimplicia ſunt *agaricus, turbith, hermodactylus, eſula, mechoacanna, ſemen carthami, opopanax, aloë, ſagapenum, ſarcocolla* &c.
Compoſita. Species. Ex compoſitis ſunt Species *elect. diacarthami, diaturbith cum rhabarbaro, Eleſcoph* &c.
Trochiſci. Trochiſci *de agarico, alhandal. electuarium de citro ſolutivũ,* &c.
Pilulæ. *Pilulæ* tales concinnari poterunt:

℞. *Maſſæ pilular. aloëphanginarum,*
maſtichinar.
de hierâ ſimpl. ana ʒj.
trochiſcor. alhandal. gr. iiij.

Cum ſ. q. *aq. apoplecticæ* F. Pilulæ num. xj. quæ poterunt, ob deglutiendi difficultatem, *aquâ hyſſopi* diſſolvi: hæ pilulæ laxant, detergunt, aperiunt: poſſunt etiam ſumi cum *ſyrupo de hyſſopo*, vel *de capillis Veneris*:
Bolus. ſi *Bolus* magis arrideat, exhiberi poteſt in tali formâ:

℞. *Electuar. lenit.* ℥vj.
diacathol. ʒß.
pulveris Syrii gr. vj.

M. cum ſ. q. *ſacchari*. F. Bolus: vel etiam diſſolvi poteſt in ſ. q. *decocti aperitivi, lenitivi major.* vel *decocti florum & fructuũ*. Loco horum exhiberi poteſt ſequens
Potio. *Potio*:

℞. *Rad. fœniculi* ʒß.
liquiritiæ raſæ,
pæon. maſc. decreſc. ☽ *collect.* a. ʒiij.
calami aromat. ℈j.
herb. betonicæ,
chamædryos,
origani, ana p. j.
ſem. aniſi,
fœnicul. ana ʒij.
paſſular. enucleatar. ℥j.

Coque in ſ. q. *aquæ puriſſimæ* ad tertias. In colaturæ fortiter expreſſæ ℥iiij. diſſolve *ſyrupi diacarthami* ℥j.
electuarii lenitivi ʒß.
diaphænici ʒij. M. F. Potio.

Gal. *lib. quos, quibus, & quando*, ſub initiũ ſtatim & ſub finem exhibet lavativum: quod tamen hic exhiberi poterit tribus horis ab aſſumpto pharmaco; non ſtatim; ne medicamenta orificio ventriculi impacta, ibiq; non tantùm humores peccantes diſſolventia, ſed etiam, per communionem, à cerebro attrahentia impediantur: altero die, ab exhibito purgante pharmaco, detur ſimile *Confortans*:

Electuarium. ℞. *Conſerv. flor. betonicæ,*
primulæ veris,
anthos, Theriac. vet. à ʒij.

Cum ſ. q. *ſyr. de betton.* F. Mixtura mollis; de quâ ſæpius detur magnitudo caſtaneæ, unâ aut alterâ horâ ante paſtum: vel etiam exhiberi poterunt aliquot guttæ *Spiritûs cerebri humani*, vel *Tinctura Lunæ*, in paroxyſmo, vel *ſpiritus ſanguinis humani*, quem vocant *aquam auream*; vel *aqua vitæ apoplecticæ*, item *ſpiritus ceraſorum nigrorum, lilii convallium, balſamus vitæ*, cum *mixturâ ſimplici*. Spiritus & Tinctura.
Sternutatoria. Conducunt etiam *Sternutatoria*:

℞. *Fol. majoranæ* ʒij.
ſem. nigellæ,
rad. hellebori albi,
flor. lilii convallium, ana ʒß.

F. Pulvis; qui in nares inſuffletur: vel diſſolvatur *vitriolum album* in *aqua majoranæ*, & per ſyringem injiciatur in nares. Dici non poteſt, quantâ phlegmatis quantitatem per os, nares, oculos, palatum, extrahat: Mirabile in apoplexia. *Fumus ſuccini*, per nares exceptus, ex uſu eſſe poterit: exhiberi quoque poteſt, ſæpius iterando, *aquæ picarum* cochlear unum: Errhina. injici quoque poteſt *Gargariſmus* ex *decocto herbarum cephalicarum*, vel tantum ex *hydromelite*, cum *ſemine ſinapeos*; quod ſingularem, tum ad curam, tum ad præſervationem apoplexiæ habet energiam: Gargariſmus probatiſſimus in apoplexia. multi *Cauterium* in nucha inurunt: alii ſartaginem candentem capiti admovent. Cauteria. Nos non tantùm collo, pediũ ſuris, manuum carpis, vel muſculis deltoidibus, in brachii ſuperiore parte, ſed deraſo etiam capiti, *Veſicatoria*, vel *Sinapiſmos* admovemus; Veſicatoria. quæ magnam faciunt evacuationem. Quòd ſi corpus ſit plethoricum, & vires admit-

Venæſectio. admittant, *ſecanda* eſt *vena*: ſi verò, ob debilitatem, aut ætatem, tantam ſanguinis miſſionem non ferat Æger, præſente magno & profundo ſopore, *hirudines* retrò aures applicandæ ſunt: ſolent enim immediatè ex ipſius cerebri emunctoriis ſuperfluum ſanguinem attrahere, & mirum in modum, præter omnium ſpem, expergefacere, ita, ut adſtantibus ad interrogata reſpondeat Æger. Re itaque eò deductâ, ad materiæ morbificæ ulteriorem præparationē, ad *Decoctum* alterans, ſuperiùs ordinatum, redeundum eſt, ut, quod reliquum eſt, educatur: vel *Hirudines.*

℞. *Extracti pil. cochiarum* ʒß.
chamæpityos gr. xj.
trochiſc. alhandal. gr. iij. *euphorb.* gr. ij.

Cum ſ. q. *aq. lavendulæ* F. Pil. num. xj. fortioribus duntaxat adhibendæ, ob vires, quas habent, non vulgares: dein ad roborantia denuò accedendum: v. g.

Conſerva. ℞. *Conſerv. flor. betonicæ*,
lichnidis coronariæ,
ſtæchados,
pæoniæ, ana ʒvj.
primulæ veris,
ſalviæ,
lavendulæ,
anthos, ana ʒiij.
ſpecierum diamoſch. dulcis,
pleres archontic.
diambr.
acori conditi,
calami aromatici conditi,
elect. diacaſtorei,
confect. anacardinæ, ana ʒß.
cranii humani præparati,
ungulæ alcis combuſt. in aq. pæoniæ lotæ, ana ℈j.
fol. auri num. v.
ol. deſtill. caryophyll.
cinamomi,
ſuccini,
vitrioli, ana gut. iij.

Ex pulveriſatis omnibus, & contuſis, cum ſ. q. *ſyrupi conditura calami aromatici*, vel *nucis moſchatæ*, F. l. a. Electuarium molle: de quo ſæpe exhibeatur caſtaneæ quantitas, duobus, vel tribus horis ante prandium. Decoctum item *ligni Sancti*, & *ſaſſafras*, cum *ligno viſci quercini*, factum in *aq. betoni.* ad multos dies uſurpatum, reliquos humores pituitoſos & frigidos conſumit. Ne autem, quod *Decoct. ligni.*

facilè fit, qui ſemel tacti fuerunt, recidant, ſervatâ optimâ victûs ratione, corpus prædictis pil. frequenter expurgent, & *Vinum*, in quo *ſuccinum* infuſum fuerit, bibant; ſingulisque diebus aliquandiu vel medium digitale *ſem. ſinapeos* omni manè ſumant; vel: ℞. *Succini albi* ʒß. *rad. pæon.* ʒiß. F. Pulv. doſis ʒj. Hac methodo multos præſervavimus. *Vinum.* *Pulvis.*

Aromata commendantur in *Diætâ*; item *Tragea*, ſeu *Pulvis digeſtivus* à paſtu. *Potus* ſit *decoctum ſaſſafras*, & *ligni viſci quercini*, cum *paſſulis*, vel *vinum defæcatum*: cruditates omnes, & victus humidus, graviáque animi pathemata, cane pejus & angue vitentur. *Diæta.*

Objicies 1. Apoplexia non eſt affectus nervorum, aut capitis: ergo falsò hîc aſſeritur: probatur: eſt affectus cordis; ergo non capitis, aut nervorum: probatur: Ariſtoteles ait, cor eſſe principium motûs localis; quia in ipſo reſidet appetitus, ad cujus actum fit motus. ℞. cum D. Thoma, *lib. 1. de animâ*, appetitû concurrere ad motum præſuppoſitivè imperando, non immediatè eliciendo motum; quod ſoli cerebro & nervis competit. *Objectiones. 1.*

Objic. 2. Galenus, *2. aph. comment. 4.* dicit, apoplexiam magnâ ex parte curationem non admittere; ergo ſaltem aliquando non admittit: ergo videtur illud Hippocratis falſum eſſe: *apoplexiam fortem curare, impoſſibile eſt* &c. ℞. regulam illam intelligendam eſſe aliter: nam idem Hipp. *6. aph. 51.* ait, apoplexiam fortem in ſeptem diebus Ægrum perdere, niſi febris apprehenderit: ergo apoplexia fortis adveniente febre curabilis eſt, teſte Hippocrate: ergo non eſt ſemper verum, apoplexiam fortem eſſe incurabilem. 2.

Obj. 3. Galenus, *4. de locis affectis, cap. 7.* ait, in apoplecticis ita exiguam eſſe reſpirationem, ut ſenſum effugiat; cùm tamen vita à reſpiratione ſeparari non poſſit; ut idem, *loco citato*, *cap. 4.* aſſerit: ergo talis reſpiratio in apoplexiâ cum vitâ ſubſiſtere non poſſe videtur. ℞. tantùm abeſſe reſpirationem ad ſenſum, uti patet in hyſtericis mulieribus; in quibus reſpiratio ſæpe ad ſenſum non eſt obſervabilis, in ſe tamen aliqua reſpiratio, ſed inſenſibilis, ſupereſt; quæ, unâ cum perſpiratione, vitæ 3.

ad tempus ſuſtentandæ, ſed debiliter, ſufficit.

4. Objic. 4. Paulus Aegineta, *lib. 3. c. 13.* item Galenus, *6. aphor. 4. comment. 56.* videntur aſſerere, apoplexiam tantùm à frigido humore fieri; cùm tamen etiam à calido humore ſæpiſſime contingat. Reſp. cum Galen. *libro de ſanguinis miſſione per vena ſectionem, cap. 6.* qui ait; apoplexias provenire, multo nimirum ſanguine in principium animantis confertim incumbente: idem habet *4. de victus ratione in morbis acutis, commentario 27*: ergo non tantùm à frigidis humoribus provenit: ideoq; ſi contrarium aſſerere videntur Authores jam dicti, intelligendi ſunt: utplurimùm.

Quæſtiones. I. Quæres primò: Utrùm Recentiores bene ponant cauſam apoplexiæ in denegatâ ſangvinis circulatione? Reſp. quamvis non ſemper; conſecutivè tamen id fieri: nam poſitis obſtructionibus in venis jugularibus, & arteriis carotidibus, vel etiam, uti ait Galenus, in principio animantis, facilè deperditur circulatio ſangvinis: dum enim feriatur animalis facultas, unà cum eâ ſenſus feriatur; unde attractio deſinit: imò & fibræ, nervorum propagines, ſimul cum illis afficiuntur: unde ſanguinis circulatio deficit: non tamen dicendum eſt, ſemper apoplexiam evenire in quovis circulationis defectu. Nam in magnis evacuationibus, & lipothymia, aut ſyncope, ſangvinis circulationem ſæpius deficere, certum eſt; nullâ tamen eveniente apoplexiâ.

II. Quær. 2. Cur plerique, qui ſuſpenduntur, apoplexiâ interire dicantur? Reſp. ob eandem rationem; quia ſpiritus vitalis à conſtrictione arteriarum, & nervorum jugularium, animali generando ſubtrahitur, prohibetúrque ſpirituum ad membra influxus; unde apoplexiâ tanguntur, vel affectu apoplexiæ analogo. Id patuit ex ſuſpenſo illo, olim ad Theatrum Anatomicum Viennenſe reportato, qui altero die vivus obambulans, non ſine admiratione magnâ, repertus fuit, & dimiſſus: faſſus autem eſt, ſeſe quaſi aſſopitum fuiſſe; ſed poſtquam, velut canis ad vomitum, is ad furtum rediit, iterum ſuſpenſus eſt, & poſt diuturnam in patibulo moram, ad anatomiam deportatus, & larynx omnino cartilaginea reperta fuit.

Quær. 3. Cur in Apoplexiâ venæſectio vel curat, vel occidit? Reſp. vel apoplexia eſt à ſanguine, & ſic curat; vel à frigido humore, & ſic mactat; quia frigidi humoris cauſam refrigerando auget venæſectio. Ideoque in corporibus frigidis, ſenibus, & minimè plethoricis, à venæſectione religioſe cavendum eſt. III.

Quær. 4. Quomodo mulier præfocata vivere poſſit, deficiente reſpiratione: quandoquidem in apoplexia tam pernicioſum inde deſumitur prognoſticum? Reſp. in tanto corporis refrigerio, à narcotico uteri veneno proveniente, ad vitam conſervandam ſufficere perſpirationem. IV.

Quær. 5. Quomodo intelligendus ſit Avicennas, dum ait; *ſi contingat in apoplexia auferri reſpirationem, fiere poſſe, ut ſanetur*? Reſp. id intelligi de apoplexiâ à qualitate ſolâ ortâ; non verò de eâ, quæ provenit à materiâ craſsâ & frigidâ. Si enim ſit à ſolâ qualitate frigidâ, natura non uſque adeò magnâ eget reſpiratione: ſi verò ſimul adſit materia frigida, ad eam digerendam & diſcutiendam magnâ opus eſt reſpiratione; quam cùm non exerceat natura, præſente neceſſitate, peſſimum eſt ſignum. V.

Quær. 6. Cur illi, qui ſemel apoplexiâ tacti ſunt, deinde pueriles plurimum ſint, & ob leviſſimam cauſam fleant, aut rideant intempeſtivè? Reſp. totum id provenire à cerebri, & nervorum tenore debilitato, ob nimiam humiditatem oriundo; unde actionum ordinatarum ſuboritur impotentia: unde illud Platonis verificatur: *Sapientia in ſicco.* VI.

Caput IV.

De Comate, Lethargo, & Caro: item de Catalepſi, & Vertigine.

Cùm hæc ſenſuum internorum ſymptomata ab iiſdem fere cauſis, à quibus apoplexia, oriantur; hinc ea hîc ſtatim ſubnectimus.

Coma

Coma quid. *Coma*, ſeu *Cataphora*, eſt ſomnus profundus, ſeu gravis, & nimia ad ſomnum propenſio; in quo æger quidem excitatur, oculos aperit, & reſpondet, ſed mox in eundem ſomnũ recidit, eumq; profundum: fit autem citra cerebri inflammationem: unde à lethargo diſtinguitur.

Diviſio. Coma bifariam *dividitur*: nam aliud eſt Coma *vigil*; aliud *ſomnolentum*: quando clauſis oculis profundè ſtertunt Ægroti; eſtq; comate vigili multò vehementius: contrà *vigil* eſt, quando Ægroti, licet oculos non omnino aperire poſſint, vigilant tamen, nec dormire ex integro poſſunt, licet ad ſomnum ſint propenſiſſimi; vaporibus ſenſum communem plurimùm turbantibus. Hoc à quibusdam *attonita* dicitur *inſania*; quia intellectus, & memoria, turbâtur: unde abſurda loquuntur, cum delirio. Aliud autem eſt, quod fit à vapore: aliud, quod ab intemperie frigidâ & humidâ. *Cauſa comatis.* Quod fit à vapore, colligitur ex affectu alicujus partis inferioris; ut *Signa comatoſorum.* lienis, ventriculi, uteri &c. quod verò ab intemperie ipſius capitis eſt, cognoſcitur ex hoc, quòd præceſſerit aliqua cauſa refrigerans & humectans; accedente etiam, & inclinante naturali ad id temperamento. Et ex his deſumuntur *indicationes*: *Indicationes.* ſi enim fiat ab intemperie humidâ & frigidâ, indicantur contraria; utpote calefacientia, & modicè ſiccantia: ſi à vapore, revellentia, derivantia, evacuantia: à viribus ſemper vitales indicationes deſumuntur; nempe à toto, cordialia; à parte, ſpecifica. *Prognoſticum.* Quod ad *prognoſticum* attinet, malum non eſt temnendum: idq; eò magis, quò à graviori & pertinaciori cauſâ oritur.

Lethargus, ſive Veternus. *Lethargus*, ſive *Veternus*, propriè dictus, ſeu legitimus, eſt perpetua dormiendi neceſſitas, cum omnium rerum oblivione, & febre lentâ: aliis dicitur *delirium perpetuum*, cum febre lentâ, ſopore gravi, & memoriæ læſione: à comate legitimo per febrem diſtingvitur: cauſa ipſius efficiens eſt inflammatio pituitoſa; per quam diſtinguitur à lethargo notho, in quo non eſt: fieri autem poteſt à materiâ copioſâ, cerebrum refrigerante, anguſtante, & ut, inſtar ſpongiæ, turgidá, ſpecies tranſire prohibente, & replente: hinc memoria, & diſcurſus læduntur.

Lethargi differentia. *Differentia* deſumuntur à formâ, ſubjecto, & cauſâ efficiente: à formâ ſunt, ut ſit vel major, vel minor; idem cenſetur de cauſâ efficiente; nam materia vel eſt magis, vel minus putrida.

Signa futuri. *Signa imminentis* lethargi ſunt gravedo capitis, motus corporis lentus, capitis & articulorum tremor, aurium tinnitus &c. *Præſentis.* Signa *præſentis* ſunt ſupinus decubitus, ſomnus præter naturam, memoriæ diminutio, manus & crura diſtenta, anhelitus tardus & debilis, motus læſus, difficilis reſpiratio, ob affectum diaphragma, pulſus mollis & undoſus, ob partis affectæ, cerebri ſcilicet, mollitiem, inæqualis, ob putredinem, magnus tamen & rarus, urina retenta, lactea, craſſa, corrupta, febris lenta &c. *Indicationes.* Hîc iterum *indicationes* deſumuntur à formâ morbi, & ſubjecto; item à cauſâ efficiente: &, cùm forma hujus affectûs ſit actio cerebri diminuta, utpote intellectûs, & memoriæ; indicatur ejus reſtauratio per aliquod excitans. A ſubjecto, cùm hic adſit capitis intemperies, indicantur moderatè alterantia per contraria; cúmque cauſa efficiens lethargi, ſeu frigidi cerebri apoſtematis, ſit inflammatio, in qua adeſt intemperies, & aucta magnitudo; intemperies indicat alterantia per contraria; aucta magnitudo requirit imminuentia; imminuemus autem tollendo cauſam morbificam, id eſt pituitoſum humorem, in cerebro exiſtentem, vel illùc fluentem; & hic revellendus & derivandus; ille verò evacuandus; facta priùs attenuatione & inciſione, ſi lentus ſit.

Prognoſticum. Lethargi *prognoſticum* utplurimum ſatis periculoſum eſt, teſte Galen. *4. de cauſ. pulſ.* tum ratione ſubjecti, quod facilè in abſceſſum, ſphacelum, & ſiderationē tranſit; tum ratione cauſæ pertinacis: tum ratione ſymptomatũ graviorum, actionis nempe principalis læſæ: non tamen ſemper eſt lethalis. Nam Hipp. *lib. 2. de morb.* ait; ſi ſeptimũ diem tranſeat, non interficere: ſic enim vis morbi imminuitur, & virium robur manifeſtatur, præcipuè ſi accedat ſudor copioſus, facilis reſpiratio: item ſi

Digitized by Google

parotides erumpant, bene ſperandum eſt. *Signa funeſta.* Quidam Ægrum moriturum affirmant, ſi hirudines fronti applicatæ non adhæreant; deinde ſi lardum, vel panem, Ægroti fronti affricueris, & cani devorandum abjeceris; ſi canis renuat, deſperatum eſt; tertiò, ſi per errhina ſternutatio provocari non poſſit.

Cari explicatio. *Carus* legitimus (nam nothus idem eſt ac coma) eſt ablata functio animalis, præter reſpirationem & ſenſum, cerebri ſcilicet, & totius corporis, dependens à facultate impeditâ, ſecundum cerebri ventriculos; per reſpirationem & ſenſum in puncturâ diſtinguitur ab apoplexiâ: ab epilepſiâ diſtinguitur, quòd in hac ſit convulſio: à lethargo, quòd febre careat. Morbus hic in meatu eſt, nempe ventriculorum cerebri anguſtiâ, quæ vel eſt à cranio comprimente; vel obſtruente materiâ; vel à vaſorum ſubſidentiâ.

Cauſa duplices. *Cauſa* poſſunt eſſe vel internæ; vel externæ: hæ ſunt, v.g. res aliqua graviter percutiens, vel caſus ab alto, vel qualitas exceſſivè frigida, vel inflammatio, vel intemperies, vel dolor &c. Obſtructionis autem cauſa eſt vapor, vel pituita craſſa, viſcida, in omnibus cerebri ventriculis, non verò in ipſa membranarum ſubſtantiâ & poris hærens: aliàs orirentur convulſiones epilepticæ, vel apoplexia ipſa.

Signa eadē, quæ apoplexiæ. *Signa* patent ex differentiis: in *indicatione* cum apoplexiâ convenit: *prognoſin* periculoſam faciunt ſymptomata vehementia, & partis affectæ dignitas: læſa reſpiratio majus eſt malum; deinde ſi ſit à percuſſione; ſi à ſangvine, facilis curationis eſt.

Catalepſis definitio. *Catalepſis*, ſeu *catochus*, eſt principum actionum, cum tactûs & voluntarii motûs abolitione, ablatio, & ſubita quædam præhenſio, quâ ægri in eodem ſtatu detinentur attoniti: hinc etiam *congelatio*, & *membrorum rigor*, dicitur: vel eſt motus ablatus, cum abolitione receptionis objecti tangibilis totius corporis, dependens à denſitate, cum frigiditate & ſiccitate nervorum motivorum: ſuntque omnes quaſi in ecſtaſin rapti: uti referunt Gordonius, Nicolus: & Fernel. *lib. 5. de part. morb. & ſympt.* hunc rarum dicit eſſe affectum, aſſeritque, ſe unum tantùm vidiſſe; de quo inquit: dixiſſes larvam, aut arte progredientem ſtatuam. Hic, Viennæ, *Exemplum.* ego aliquoties catalepſin obſervavi, præcipuè in filiolo Domini de Auchholz / & pluribus aliis. Hujus quoque affectûs meminit Galenus, *comment. 2. in 5. prorrethicorum*, & *4. de cauſis pulſuum.* Diſtinguitur à tetano per motum, qui in tetano depravatus; in catalepſi verò ablatus eſt: per motum quoque à catalepſi notha diſtinguitur; in quâ interdum manûs elevant, & ita à comate vigili non diſtinguitur; in catocho autem, ſeu catalepſi legitimâ, non eſt perceptio objecti ſenſibilis; licet judicium tactûs in ipſo capite illæſum manere poſſit. Denſitas nervorum motivorum, cum frigiditate & ſiccitate, habet rationem cauſæ efficientis; nervi autem non tantùm ſecundum medullarem partem, uti in paralyſi, aut ſecundum internam, ut in convulſione; ſed in utrâque afficiuntur: hinc, ob denſitatem, non tranſeunt ſpiritûs: ob frigus, cum ſiccitate, rigidi ſunt nervi. Sciendum autem, nervos à naturâ duriores magis affici: hinc videre, recordari, imaginari, facilius eſt in hoc affectu, quàm moveri. Fit autem catalepſis à vapore frigido & ſicco, ſeu melancholico, à frigore denſato, & qui calore ſæpius citò diſcutitur: hic vapor ſæpe à liene, meſeraicis, utero &c. elevatur, &, accedente capitis intemperie frigidâ, condenſatur; hinc membrorum rigor: nec multùm diſſimilis eſt hæc congelatio illi, quæ fit in hominibus à fulmine tactis, à narcoticâ ſcilicet, ex ſulphure arſenicali proveniente, exhalatione. *Differentia.* *Differentia* hujus affectûs ſunt tantùm ſecundum majus & minus.

Indicationes. A vapore ſumuntur *indicationes*; qui eſt diſcutiendus, revellendus, derivandus: ab ipſo cerebro ſicco indicatio eſt, quòd debeat calefieri & humectari.

Prognoſis. *Progreſſis* hujus mali: paroxyſmum diſcu-

diſcutere, eſt difficile; ſed reditum prohibere, eſt difficilius, neque periculo vacat; cùm ſit in parte nobili: faciliùs tamen curatur, quàm lethargus: &, quando Aëtius contrarium dicit, eſt intelligendus de catocho notho.

Vertiginis explicatio.

Vertigo eſt actio principalis corrupta cerebri anterioris, & ſenſus communis, cum læſione viſus, & motûs totius corporis, dependens ab affectione cerebri circulari.

Cauſa vertiginis.

Efficiens cauſa eſt ſpiritus animalis vitioſus, ſeu circulatus, ob læſam cerebri retentricem; quia hic ſpiritus de facto eſt attractus, nec ob expulſionem læſam; quia, licet inordinatè, pellitur tamen ad oculos: neque ob alterationem; quia ſic ſpiritûs vel nimium frigidi, vel nimium calidi generarentur: ergo ſolùm ob retentricem ab errore externo læſam. Pertinet autem vitium illud ad ſubſtantiam, ut quod fit à vapore putrido, in febre ardenti, vel lue Venereâ: vel ad quantitatem; dum nempe ab hac, in ventriculis cerebri reſidente, etiam in minori copia fit: vel ad qualitatem, quando nempe eſt fervidior, vel frigidior: vel ad ubi, quando, ſecundum motum, ex inferiore regione ſurſum fertur; & ſic colligitur in cerebri ventriculis; hinc materia vel à toto, vel à parte, proficiſcitur; utpote à ventriculo, utero, liene, thorace, &c. Ad hæc accedunt inſolatio, balneum ſulphureum, motus à cibo, corporis & animi gyratio, proſpectus ab alto, objecta circulariter mota, fames, cruciatus, ob nervorum ſympathiam, cibi vaporoſi, ut allium, ſinapi, legumina, exercitia immodica, ſubita aëris mutatio, ebrietas.

Vertiginis differentia.

Fit autem *dupliciter*, nempe ut Ægri putent, ſe circumagi, vel exteriora: dum ſpiritûs animales tantùm in cerebro moventur, putant, duntaxat ſe moveri, Ægri: ſi verò ſpiritûs animales in nervorum opticorum proceſſibus anterioribus moveantur; tunc objecta moveri exiſtimant; &, ſi viſio auferatur, dicitur vertigo caliginoſa, ſeu ſcotoma; ſi autem non auferatur, ſignum eſt, animalium ſpirituum tranſitûs non impediri. Secundò fit vel magis, vel minùs; cum, vel ſine caſu, à compreſſione, vel ab obſtructione, per eſſentiam, vel idiopathiam, & per ſympathiam: prima eſt plerunque vel apoplexiæ, vel epilepſiæ, prodromus. Vertiginis ſigna interroganti patent, ſed cauſarum agnitioni diligenter inveſtigandæ incumbendum. Nam fit vel læſâ facultate; vel ab errore externo: & primo quidem modo fit vel ob intemperiem; vel ob compreſſionem; vel obſtructionem. Si eſt intemperies, colligitur à capitis gravitate, & à præviis cauſis, quæ alterare valent. Obſtructionem generant ſanguis, bilis, pituita, flatus, vapor &c. Vitium qualitatis colligitur: ſi eſt per eſſentiam, generatur in capite; ſi per conſenſum, aliunde provenit cauſa vertiginis; item, ſi eſt per eſſentiam, dolor præceſſit capitis, vel gravitas, aurium tinnitus, ſomnolentia &c. ſi aliunde, partis, vel totius, prægreſſa eſt imbecillitas: caput autem petit materia generans, vel per externas vias; vel per internas; quando venæ jugulares, & arteriæ carotides turgent; quin & topica adſtringentia citò juvant. Quoad motum, an ſit criticus, an ſymptomaticus, colligitur ex ſignis cruditatis, aut coctionis. Vertigo, quæ fit ob errorem externum, colligitur, quòd fiat à fame, morſu oris ventriculi, ictu objecti, potentiæ viſivæ ineptitudine.

Signa cauſarum & differentiarum.

Indicationes.

Indicationes deſumuntur à causâ efficiente, id eſt à ſpiritibus circulatis p. n. &, ſi læſa ſit facultas ob intemperiem frigidam, indicantur calefacientia: ſi eſt obſtructio, indicantur deobſtruentia, quæ humorem craſſum attenuant, incidunt, & nimis tenuem incraſſant.

Prognoſticum.

Prognoſticum quod attinet, vertigo eſt gravior, in quâ caput videtur rotari, quàm in quâ ſolùm externa moveri videntur: eſtq́; teſte Galen *comm. in aph. 17. ſect. 3.* proxima apoplexiæ, & epilepſiæ cauſa. Secundò ob partis, quam occupat, dignitatem, periculoſa magis eſt vertigo, quæ fit per eſſentiam, quàm quæ fit per conſenſum. Vapor ſanguineus, delirium; melancholicus, epilepſiam, apparentibus ante oculos non rubeis, ſed purpureis corpuſculis, præmôſtrat. Quod attinet ad vitium ſpeciei, putridus vapor, vel calidiſſimus, & aduſtus, periculoſiorem facit vertiginem. Vertigo in ſenibus periculoſior eſt: quia

quia cerebrum in iis eſt imbecillius, & magis pituitâ repletum. Poſitis horum affectuum eſſentiis,& cauſſis,ſignis,differentiis, indicationibus, & prognoſi, reliquum eſt,ut ad curam perveniamus, & indicationibus ſatisfaciamus.

Affectuum prædictorum curatio. Comatis ſomnolenti. Vigilis.

Comati ſomnolento eadem, quæ apoplexiæ, ſed paulò remiſſiore gradu, cura convenit. *Coma vigil* hoc in ſe habet ſingulare, quòd bilis ſit cum pituitâ permixta : unde eryſipelatoſus quaſi tumor in cerebro oritur : ſitque ſæpius in febribus hemitritæis, per ſympathiam, vaporibus nempe ad caput elevatis, & convulſionem interdum cauſantibus : hinc à curâ febris ejusmodi dependet affectûs hujus cura. Si verò ſeorſim contingat, communem cum lethargo, & phrenitide, curam habet. Hinc

Purgatio. *purgatio* levis ſtatim ab initio inſtituatur.

℞. *Fol. ſenæ s. s.* ℥ß.
agar. recent. trochiſcati,
rhabarbari electi, ana ʒiß.
galangæ ʒß.
Coq. in f. q. *aq. beton.* in colaturæ ℥iij. diſſolve
electuarii diacarth. ʒij.
ſyr. diaſereos ℥j.
caſtorei ℈ß. M.F. Potio : vel
℞. *Pulv. Syrii* gr. xiij.
extract. caſtor. ℈ß.
Cum ſ.q. *aq. ſalv.* vel *ol. caſtorei*, M.F. Pilulæ nro. vij. Eſt purgatio Ruffi, & Oribaſii; quam tamen in minori, quàm illi, quantitate præſcribimus, ne humoribus acribus majorem conciliemus acrimoniam.

Administratâ purgatione, ſi corpus ſit plethoricum, *vena* brachii cephalica *tundatur*, & tantum ſanguinis extrahatur, quantum vires ferunt. Aliqui, in hoc affectu, venam frontis non inconſultò tundunt : vapores autem à cerebro revellentia, intercipientia, derivantia, ſunt adhibenda : qualia ſunt *Clyſteres*; ut :

Venæſectio. Clyſter.

℞. *Fol. meliſſæ.*
beton.
ſalviæ.
malvæ,
atriplicis, ana m j.
ſem. lini ℥ß.
fœniculi ʒij. F. decoctio in *aquâ* ad ℔j. In colaturâ diſſolve
mellis anthoſati,
mercurialis, ana ℥ij.
elect. lenit. Florenzolæ ʒvj.
ſalis p. j. M.F. Clyſter.

Deini *Cucurbitulæ* cùm ſiccæ, tum ſcarificatæ, dorſo, & membris exterioribus, applicari poſſunt : item *Veſicatoria* cervici, brachiis, naribus &c. *Hirudines* retro aures, vel ad tempora, admoveantur ; *Frictiones* etiam membrorum celebrari poſſunt : & capiti animalia viva, per medium diſſecta, quæ ſuo naturali calore innatum calidum reſtaurant, *applicari*. Interea negligenda non ſunt *confortantia cephalica*, tum intrò ſumpta, tum extrà adhibita, cum *gargariſmis*, & *tincturâ Nicotianæ*, *ſpiritu vini extractâ* : quæ materiam pituitoſam è capite ſat potenter evacuat ; eique etiam addi poterit *farina ſeminis ſinapeos*. Ad confortandum caput valet *liquor Lunæ*; item *mixtura antilethargica Dan: Ayltii*, *conſerva flor. ſtæchados*, *beton. anthos*, *ſalviæ*; vel ſequens *Elect.* ad magnitudinem caſtaneæ ſæpius, præcipuè ante decubitum, ſumptum:

Cucurbitulæ. Veſicatoria. Hirudines. Frictiones. Applicanda. Appropriata. Electuarium.

℞. *Conſerv. roris marini,*
lavendulæ, ana ℥ß.
pæon. ʒiij.
macis ʒij
ſpec. pleres archont. ʒß.
diambræ,
diamoſchi dulcis, ana ʒiß.
dianthos,
ſtæchados Arabica, ana ʒj.
ſem. pæon. num. viij.
viſci quercini ℈j.
flor. tiliæ ʒj.
verbaſci odorati ʒij.
ſem. coriandri præp. ℈j.

Pulveriſatis pulveriſandis, cum s. q. *ſyr. de ſtæchade* F. Mixtura mollis. Nec abs re erit, ſingulis diebus ℈j. *extracti caſtorei*, in *oxymelite*, ſumere. *Cauteria* etiam, ipſi capiti admota, deſperatum aliquando curaſſe lethargum, teſtatur Zacutus, *Lib. 1. Praxis admirandæ*. Foreſtus, *lib. 10. obſervat. 8.* *Odoramenta* acriora *ex caſtoreo*, *aſa fœtidâ*, *pilis combuſtis* &c. præſcribit, naribus applicanda : jubetque *Frictiones* ſat fortes celebrari, & ſequens *Frontale* tepidè applicari :

Cauteria. Odoramenta. Frictiones. Frontale.

℞. Ol.

℞ *Ol. chamomillæ,*
roſac. ana ℥j.
aceti optimi ℥ß.
aq. beton.
verbenæ, ana ℥ij.

M. & applica tepidè. Vel etiam frons *inungatur Unguento alabaſtrino*, *cum ol. camomill. commixto*: item ſæpius exhibeatur *conſervæ flor. anthos*, vel *beton.* magnitudo caſtaneæ: denique *Maſticatorium* ex *maſtiche*, & *pyrethro*, in *Trochiſcos* redactis conficitur. Quin & interdum trahi debent capilli, maxime pudendorum pili, partes exteriores ligari, clamores ingentes excitari, etiam à porco, pedibus ligatis ad Ægri lectum ſuſpenſo, tympana ſunt pulſanda, tubæ inflandæ, ſtridores ſerrâ excitandi &c. Incommodum quoque non eſt, palatum inungere *aureâ Alexandrinâ*, cum *extracto caſtorei* mixta: ſuſpecta hîc eſt *Theriaca*, propter opium, niſi valde antiqua: &, cùm maximè obliviosi ſint Ægroti, alvus diligenter ſollicitanda eſt *Suppoſitoriis* acrioribus, ut: ℞. *Vitelli ovi*, *ad duritiem cocti*, num.j. *fellis bovis liquidi* q. s. addito pauco *ſale* malaxentur, & Fiat *Suppoſitorium* (quod hîc *Cæſareum* vocatur) vel etiam *ſapo Venetus* ſupponi poteſt. *Urinæ* quoque *provocandæ* ſunt per inunctionem partium genitalium *oleo rutaceo*, cui parum *caſtorei* ſit additum. Quidam etiam in ſomnolentis affectibus, à frigido humore provenientibus, *frixorium candens*, in quo prius toſtum fuerit *ſemen pæoniæ*, *ſtaphidiſagriæ*, capiti, uſque ad capillorum combuſtionem, admovent, ut ſic, per calorem illius actualem, poris cutis reſeratis, pituitoſus humor primò reſolvatur, deinde diſcutiatur.

Inunctio. *Maſticatorium.* *Ligaturæ &c.* *Suppoſitorium.* *Diuretica.*

In ſimilibus affectibus ſtricta *Victûs ratio* ſervari debet, moderatè calefaciens ſcilicet, & ſiccans: præterquam in Catalepſi, ubi debet eſſe calefaciens, & humectans: & licet hic affectus, in paroxyſmo, ad excitationem, eadem, cum reliquis ſoporoſis, requirat; extra paroxyſmum tamen humoris melancholi evacuatio tentanda eſt. Vide particulares curas hujus affectûs apud Schenckium, Marcellum Donatum, Rondeletium: &c.

Diæta.

Vertigo, cùm plerumque ſit apoplexiæ, aut epilepſiæ, prodromus, in univerſalibus auxiliis cum eodem convenit: hinc *ſequens Caput* erit conſulendum; præterquàm quòd adhiberi poterunt *ſpecifica*, ut *Conſerv. flor. calendulæ*; Remedium Quercetani *ex ſtercore pavonis*; *radix Doronici*; *cubeba*, *Pulvis mirabilis Minſichti*. ex cinnabari nativo, ſuccino, & *coriandro* præparatus, *balſamus ſanguinis humani*: item *aqua ſanitatis* Hartmanni: vel ſequentes *Rotulæ* ſæpius in ore detineantur:

Vertiginis cura. *Specifica.* *Rotulæ.*

℞. *Ol. carvi deſtillati* ℈ß.
nuciſtæ deſtill. gt. vij.
confect. alkermes compl.
rad. doron. pulv. ana ʒß.
extr. ligni aloës gr. xv. Cum q. s. *ſacchari in aq. beton.* & *ſalviæ* ſoluti F. l. a. Rotulæ; quibus, ſub finem, addi poteſt *moſch. odorat.* ℈ß. *ambræ* gr. ij.

Vel ℞. *Stercoris pavonis* q. s. contunde, ſuperaffundendo *aq. epilept.* ℔ß. dein, poſt agitationem, F. colat. cum expreſſ. forti; quæ dulcoretur cum ſ. q. *ſyr. flor. pæoniæ*. Detur pro tribus doſibus: eſt mirabile ad vertiginem.

Objectiones. 1. Obj. 1. Carus à Lethargo per febrem diſtingvi dicitur: ergo febre videtur carere carus; quod eſt contra Aëtium, *ſermone 2. cap. 5.* qui dicit, carum eſſe cum debili febre: item Paulus Ægineta, *lib. 3. cap. 9.* ait: carus, ex eadem lethargi materia proveniens, ab eo differt, quòd carum præcedit febris, & ea quidem vehementior: lethargum verò ſequitur. Hipp. *3. epidem. part. 3. febribus ardentibus ſolitos*, dicit, *advenire ſopores &c.* ℞. cum Doctiſſ. Valleſio, carum poſſe eſſe ſine febre, imo ſæpius fieri à compreſſione anteriorum ventriculorum cerebri; aliquando ex ſolâ intemperie eorundem ventriculorum. Aëtium quod attinet, ille loquitur ex mente Poſſidonii, non ex propriâ: &, ſi carus febribus jungatur, eſt illis accidens; uti febris lethargo, quem ſequitur.

2. Objic. 2. Dicitur, in caro non lædi reſpirationem; cùm tamen dormiant Ægri cum ſtertore. Reſp. in caro non lædi reſpirationem, affirmat Galenus, *4. de locis affectis*, idque, quia magis

magis carus eſt ſecundum cerebri anteriora; ſicuti catalepſis eſt ſecundùm poſteriora, neque in cavitate, ſed in ipsâ ſubſtantiâ: unde nervorum non fit obſtructio: nihilominus, ſi carus diu duret, cùm vitam adimat, etiam reſpirationem tollit: multi tamen exiſtimant, carum ſub finem in apoplexiam degenerare.

Quæſtiones. I. Quæres primò: Utrùm in catalepſi lædatur reſpiratio? Reſp. Negativè, ob eandem, cum caro, rationem.

II. Quær. 2. Quomodo intelligendus ſit Aëtius, ubi dicit, in caro hominem non ſentire? Reſp. non ſentit objectum proportionatum; concedo: improportionatum; nego: ſi enim pungatur, ſentit.

1. Objic. 3. In Lethargo non videtur poſſe eſſe febris: ergo malè aſſeritur: probatur: *febris eſt calor accenſus in corde, per totum corpus diffuſus* &c. ſed à cerebro, totaliter inflammato, non poteſt accendi cor; ſiquidem cor in ſe ipſo multò calidius eſt cerebro lethargico: ergo ab illo non poteſt accendi. Reſp. licet cor in ſe, intenſivè, & quoad partes magis ſpirituoſas, ſit cerebro lethargico calidius; extenſivè tamen, & quoad omnes partes, non: ſed demum incaleſcit præter naturam, communicatâ ab ipſo cerebro putredine.

III. Quær. 3. Quomodo differt catochus, vel catalepſis legitima, à nothâ? Reſp. catochum exquiſitum eſſe motum ablatum, cum abolitione receptionis objecti tangibilis totius corporis, dependens à denſitate, cum frigiditate & ſiccitate nervorum motivorum. Catochus verò nothus non differt à comate vigili, malo ſcil. mixto ex ſomno & vigiliâ p. n. diſpoſitis: & de hoc Catocho, ſeu catalepſi vitio ſolo mixto, & inflammatione phreneticâ & lethargicâ, intelligendus eſt Aetius, ubi dicit, eam eſſe lethargo periculoſiorem.

IV. Quær. 4. Unde fiant illi circuitûs in catalepſi: & quare tam citò evaneſcant? Reſp. illos circuitûs fieri ad quantitatem & motum vaporum, & materiæ morbificæ: quòd autem tam citò remittunt paroxyſmi, fit ob paucitatem & tenuitatem materiæ, nervos extrinſecè adortæ; quæ ab interno partium nervoſarum calore vincitur, concoquitur, & discutitur.

CAPUT. V.

De Convulſione, & Epilepſia.

Definitio Convulſionis. Galenus, *lib. de convulſione*, ſeu *de palpitatione, cap. ultimo*, ait; Convulſionem, ſeu ſpaſmum, eſſe motum depravatum, in quo membra ita afficiuntur, ut muſculi ad principia ſua, præter voluntatem, continuò retrahantur.

Quotuplex. Convulſio eſt *duplex*: una propriè dicta; altera impropriè dicta: eſtque potiùs motus quidam convulſivus, in quo non eſt continuatio; ſed quædam interpolatio: deinde in priori membra non neceſſariò moventur; in poſteriori verò, ſeu motu convulſivo, moventur depravatè.

Differentia Convulſionis à Paralyſi. *Differt* convulſio à paralyſi; in quâ non eſt motus depravatus, ſed ablatus: à tremore per retractionem differt; contingit tantùm convulſio in membris motûs voluntarii: hinc in ſtomacho ſingultus non eſt convulſio; quia non eſt organum motûs voluntarii. Fit autem convulſio, dum cauſa morbi afficit nervum, & irritando illum ad proprium principium retrahit: unde ipſum etiam membrum præpoſterè movetur: idq; à nervis contractis, non à ligamentis; à quibus contractura, non convulſio fit; manentque in eodem ſtatu, ſine omni motu: in motu verò convulſivo pars variè concutitur; læditur autem functio nervi, vel læſâ facultate; vel ob errorem externum: ſi læſa eſt facultas, eſt convulſio, ſeu ſpaſmus legitimus; ſi ſit ab errore externo, illegitimus: prima convulſio fit triplici de cauſâ; vel à repletione, vel ab inanitione, vel à mordaci, id eſt, bilioſo, humore: uti videmus, eryſipelas phlogoſin citra tumores excitare: ſi verò augeatur nervi magnitudo ſecundum latitudinem, dicitur convulſio à repletione; ſi verò imminuatur, ab inanitione: repletionem veram faciunt ſangvis, pituita, & melancholia,

atq;

atq; flatus. Sangvis convulſionem facit in partis inflammatione: pituita frequentiùs convulſioni præbet cauſam, utpote, quæ copioſa in cerebro ſtabulatur; immò à ſangvine pituitoſo nervi potiùs aluntur, quàm ab alio: à melancholiâ quoq; non rarò viſa fuit convulſio; quæ dein per diuturnam quartanam terminata fuit. Ab manitione fit convulſio, quando poſt longam inediam, purgationes helleboratas, vel alias fortiores hæmorrhagias, febres ardentes, vel quaſcunque evacuationes, nervorum ſubſtantia exſiccatur, & inſtar corii uſti contrahitur: idem faciunt curæ, vigiliæ, inflammationes, & quæcunque vehementer ſiccant; teſte Galeno, *lib. de tremore*, *c. 8.* & *3. de locis affectis*, *cap. 6.* ſimilitudine ductâ à lyrarum chordis; quæ, flante auſtro præhumido, rumpuntur; aquilonibus verò, præ ſiccitate contrahuntur. Convulſio dicitur fieri vel aberrore externo, quando fit à causâ aliqua extrinſecâ, nervos infeſtante, quam cùm refugiunt, ſeſe immoderatè contrahunt: ſi, v. g. ſeſe elevet aliqua venenata qualitas, vel à vermibus putridis, vel ab ulcere maligno, vel à carne gangrænatâ, vel à medicamento venenato, vel aliunde, ex utero, liene, hepate, gingivis inflammatis &c. tunc nervorum expultrix facultas ſtimulatur; quæ affectum hunc producit.

Differentia à ſubjecto.

Differentiæ deſumuntur ab ipſo ſubjecto. Nam vel totum corpus afficitur; uti in Calceario, apud Foreſtum, *lib. 10. obſerv. 13.* ubi totum corpus vehementi & convulſivo motu concutiebatur, pedes, & brachia, & pectoris muſculi, convellebantur: ad univerſalem convulſionem refertur Tetanus: vel pars ſolùm afficitur, ut in *Spaſmo Cynico*; ubi maſſeteres; muſculi oris, contrahuntur: vel afficiuntur convulſione mandibularum muſculi; & vocatur *Stridor dentium*: vel muſculi, oculorum motores, convelluntur; & fit *Strabiſmus*: vel omnes muſculi caput moventes æqualiter rigeſcunt; & fit *Tetanus*; ubi tam anteriores, quàm poſteriores, motum ſervant tonicum: vel convelluntur muſculi caput moventes verſus anteriora, illudque illuc trahunt; & fit *Empreſthotenos*: quando nempe ad pectus caput incurvatur: vel contrario motu afficitur caput, & verſus poſteriora trahitur; fitque *Opiſthotonos*, affectis nempe muſculis caput extendentibus & erigentibus.

Spaſmo Cynicus. *Stridor dentium.* *Strabiſmus.* *Tetanus.* *Empreſthotonos.* *Opiſthotonos.*

Quæſtio.

Hîc enodanda venit pluries agitata *Quæſtio*: Quænam ſit inter Paralyſin, & Convulſionem, differentia: cur nempe materia, paralyſin efficiens, totam nervorum ſubſtantiam extendens, non efficiat ſimul convulſionem? Et cur in convulſione maneat ſenſus, qui patet ex dolore; in paralyſi verò pereat? In hac quæſtione enodandâ ſeſe cæcutire, non ſine honeſto faciei rubore, fatentur Averrhoes, & Argenterius: alii dicunt, convulſionem eſſe ab humore craſſiore, nervos ſecundùm latitudinem extendente, & ſecundùm longitudinem coarctante; paralyſin verò fieri ab humore tenui, qui per ipſius nervi corpus diffundatur, illudque emolliat. Hæc ſententia valde claudicat: nam etiam humor craſſus paralyſin efficit: deinde ſequeretur, quòd paralyſis ordinariè transiret in convulſionem: quia cùm tempore materia craſſeſcit, tenuiori parte evaporante; ut videre eſt in podagrâ, in qua humores ſeroſi transeunt in calci analogam materiam. Ego potiùs exiſtimarem, paralyſin ab humore pituitoſo & frigido fieri; convulſionem verò ab humore eodem permixto, acri tamen & flatuoſo: hinc etiam nervi extenduntur ſecundum latitudinem, & ſummè irritantur: quòd autem ſæpius mutetur in paralyſin convulſio, inde eſt, quòd reſolutis flatibus, & calidioribus humoribus, attractis frigidioribus per dolorem, tota nervi ſubſtantia ſecundum longitudinem molleſcat. Et hæc videtur eſſe ſententia Galeni, *2. de cauſis ſymptomatum*, *cap. 2.* ſicuti fit in Priapiſmo, ubi virga ſummo cum dolore erigitur, & extenditur, cum quadam ipſius convulſione.

Indicationes.

Indicationes deſumuntur à formâ, & à causâ efficiente: à formâ, quatenus eſt nervi retractio p. n. indicatur medicamentum, quod extendat membrum: à causâ efficiente deſumuntur indicationes, tanquam à morbo, vel ab errore externo: ſi eſt morbus, v.g. inflammatio, imminuenda eſt magnitu-

do, & corrigenda intemperies: minuitur autem magnitudo, tollendo humorem ſpecificum eam producentē: verbo; ſi eſt convulſio à repletione, indicatur deplens; ſi ab inanitione, replens.

Prognoſticum.

Quod ad *Prognoſticum* attinet, quò plures partes, & capiti propiores, afficiuntur, eò periculoſior eſt convulſio: hinc tetanus periculoſior eſt, quàm emproſthotonos: quia in illo plures muſculi, anteriores ſcilicet & poſteriores, afficiuntur: hinc, teſte Galeno, tetano laborantes inter quartum diem plerunque moriuntur. Paulus Aegineta ait: ſi labia, palpebræ, aut lingva, contrahatur, malum: ſi convulſio fiat à vehementi quadam evacuatione, v.g. hæmorrhagiâ, aut hypercatharſi, lethalis eſt. Nam ſemper periculoſior eſt, quæ fit ab inanitione, quàm à repletione; quòd ſubſtantia calidi innati abſumpta ſit, quæ ſeminalis eſt, nec, niſi difficulter, reparari poteſt: immo, teſte Galeno, *12. meth. med. cap. ultimo*, inſanabilis eſt talis convulſio; dum nempe fibroſa ſubſtantia partium omnino eſt conſumpta, & exilis facta. Si verò iſta ſiccitas ad ſummum nondum pervenerit, ſpes aliqua reſtat ſalutis; niſi cauſonidi, aut phrenitidi, ſuccedat. Si rorida ſit tantùm ſubſtantia deperdita, certiſſimè aliquando poteſt curari; adhuc facilior eſt convulſio, ſi fiat ob errorem externum, utpote ob vaporem; hoc remoto, intercepto, vel impedito, ceſſat convulſio, niſi vapor proceſſerit à veneno; qui, cordi communicatus, præſentaneam mortem poteſt inferre. Itaque error externus ſi removeatur, convulſio utique removebitur: periculo tamen non vacat, quæ ab helleboro, vel à vulnere fit: hinc variè, ob varias cauſas, eſt prognoſticandum.

Crampa quid ſit.

Crampa vulgaribus dicta non eſt propriè Spaſmus; quia non habet ſufficientem durationem, nec diſpoſitionem fixam: eſtq; levis quædam nervorum, muſculorumque diſtenſio, à flatibus orta; quia ſolâ frictione aliquando ceſſat. Vitium hoc ſæpe manus, ſæpe pedes, ſæpe ſuram crurum ſummo afficit dolore: ſi nempe nudus decumbat Æger, vel in frigidâ natet.

Remedia.

Specificum eſt *lignum viſci quercini*, præcipuè *nodoſum*; quod partibus dolentibus affricari debet: deinde *olea* modicè calefacientia & diſcutientia: ut eſt *myrtinum*, *camamelinum*, *lumbricorum terreſtrium*, vel maximè *laurinum*.

Epilepſia, ſeu *morbus Comitialis*, vel *Herculeus*, vel *Caducus*, dicitur, quando nervi cerebri, & ventriculi, non tantùm ſecundum cavitates, ſed etiam ſecundum ſubſtantiam, & poros, læduntur; unde cerebrum contrahitur, ut, quod noxium eſt, expllatur; unde & nervi contrahuntur, & totum corpus univerſali convulſione afficitur. Definitur, ex Avicenna, *cap. proprio*, quòd ſit functio principalis ablata totius cerebri, cum amiſſione motùs & ſenſùs partium nervoſarum, & convulſione totius corporis, dependens à causâ morbi, cerebrum ſecundum ventriculos & poros afficiens. *Quid ſit.* Sciendum, triplex eſſe ſymptomatum genus: utpote ablata functio principalis; ſecundò motùs & ſenſùs amiſſio; tertiò convulſio: licet propriè dici non poſſit convulſio: hæc namque eſt affectus nervoſarum partium; epilepſia verò ipſius cerebri expultricis. Sed

Quær. 1. Quomodo ſenſus & motus poteſt abolitus, & ſimul eſſe convulſio; cùm in convulſione ſit tantùm motus depravatus, non amiſſus? ℞. in epilepſia eſſe amiſſum ſecundum facultatem non influentem; depravatum verò ſecundum muſculos: hinc additur, totius corporis. Diſtingvitur autem epilepſia à tetano, & reliquis convulſionibus: quia in his functio principalis non deperditur; in epilepſiâ cerebrum magis læditur ſecundùm poros, non ſecundùm temperies. Hinc *Quæſtiones. I.*

Quær. 2. Cur epilepſia non ſit convulſio à repletione? ℞. cum Galeno, *lib. 1. de ſymptomatum cauſis*, ubi, epilepſiam, ait, eſſe motum cerebri vitioſum: cerebrum autem, cùm nec ſit nervoſum, nec inſtrumentum motùs voluntarii; ideo legitimæ convulſionis ſubjectum eſſe non poteſt: hinc eſt convulſio ſpuria tantùm; eſtq; motus pravus expultricis tantùm, quæ eſt naturalis miniſtra, non animalis; & conſequenter non motùs voluntarii: nam quemadmodum ventriculus expellit, in ſingultu, quod noxium eſt; ita cerebrum in epilepſia: hinc convulſio epileptica *II.*

eſt

eſt motus pravus expultricis cerebri, irritatæ à causâ morbificâ; quæ eſt vapor.

Epilepſia Cauſa.

Si intelligatur *cauſa* immediata, epilepſia vel eſt per eſſentiam, vel per ſympathiam: prima quoad materiam, & cauſam generantem, in ſpecie, utplurimùm eſt vapor pituitoſus, quandoque melancholicus, interdum ſanguineus; attamen ex ſanguine pituitoſo: quantum attinet ad vitium, vapor ille vel qualitate, vel quantitate, vel quiete peccat: quantitate peccat, dum poros replet; qualitate, dum nimium frigidus, acris, craſſus &c. quiete peccat, ob moram, quam habet in capite: peccat quoad cauſam generantem, nempe ubi cerebri calor eſt nimium imbecillis: vel eſt intemperies frigida; unde magna pituitæ copia generatur: ideoque ſenes, & pueri, cumprimis huic malo ſunt obnoxii: hinc pueris ſalubria ſunt capitis ulcera, cruſta lactea, Germanicè die Vierzischer 2c. nam hiſce impuritates, in utero collectæ, evacuantur: viri tamen fæminis frequentiùs epilepſiâ laborant; quia hæ per menſtruas purgationes magis expurgantur, teſte Celſo: eſt itaq; vapor aliquis, ex parte ſeſe in vētriculos cerebri inſinuans: dico, ex parte: nam ſi eos totaliter obſtrueret, eſſet apoplexia: deinde in epilepſiâ non eſſet convulſio, teſte Avicenna. Eodem modo in epilepſiâ per conſenſum conſideranda ſunt humor in ſpecie, vitium, cauſa generans. In ſpecie eſt vapor, vel pituitoſus, vel melancholicus, vel bilioſus, vel ſeminalis, vel verminalis, id eſt à vermibus, vel à chylo, lacte, menſtruo &c. putridis. Vitium horum vel eſt in qualitate materiali, ſeu venefica, vel ſpirituali, ſeu dolorifica: qualitas dolorifica, ſeu immaterialis, efficit epilepſiam, veluti illa, quæ exiſtit in ore ventriculi, vel in gravi irâ: qualitas autem venefica materialis provenit à parte nervoſâ, utpote cruris, vel pedis, nervis, ob continuitatem ad cerebrum usque, alteratis: qualitas enim propriè non transit de ſubjecto in ſubjectum. Cauſa generans qualitatis immobilis, ſeu dolorificæ, eſt intemperata facultas, improportio ſcilicet rei generatæ, & cauſæ generantis: teſtes v. g. veneficum ſemen non generant, ſed illud eam priùs aliunde habet pravitatem, vel ob moram diuturnam acquirit: eſt enim latex iſte excrementitius, expultrici cedens minimè, quiq; à nutrice facultate alterari non poteſt, neque in partis alimentum mutari. Fit autem ſemper deterior, quia ſuâ præſentiâ deſtruit calidum innatum: &, cùm id verum ſit de vitioſis humoribus, multò magis de veneno; uti apparet in veneno canis rabidi, quod paulatim ſerpendo humores inficit. Aliæ, & minùs principales, epilepſiæ cauſæ deſumuntur à rebus ſex non naturalibus, utpote aere, cibo, potu &c. Aer nempe poteſt eſſe cauſa epilepſiæ, quando in qualitatibus primis excedit; calidus enim attenuat, & liquidam acremque reddit pituitam; frigidus verò condenſat, conſtipat, & exprimit pituitam in cerebri ventriculos, vel in nervos, vel, ut manus, ſpongiam: unde hyems eſt ſenibus infenſiſſima, præcipuè ubi inconſtans eſt, & à calido in frigidum mutatur: tunc enim frigus exprimit, quod liquavit calor: ſubitaneæ quoque veris mutationes ſenes plurimos è medio tollunt; non item in æſtate, quâ magis conſtans eſt tempeſtas. Eodem modo cibus & potus, immodicè ingeſtus, epilepſiam cauſat. Nam ex his impuræ humorum tincturæ & impreſſiones vel in cerebro generantur, vel illuc aliunde transporportantur; unde anaſtomoſes ex arteriis plexûs choroidis in venas impediuntur, & ſtabulantes humores corrumpuntur; qui, vellicantes partes ſentientes, eas ad contractionem, & motum depravatum contractionis impellunt; unde turbarum plena fiunt omnia; idque præcipuè in mutationibus aſtralibus, præſertim Lunæ, humorum dominatricis, & motricis, quæ, eos movendo, facultati ſentienti impingit; unde depravatæ oriuntur contractiones. Hûc etiam accedunt ea, quæ à proprietate epilepſiam generare valent: ut eſt hepar hirci, apium, vinum generoſum, ſomnus pomeridianus, ſubita evigilatio, Venus immodica, prohibitæ excrementorum ordinariæ evacuationes, ira vehemens, ſuffitus à cornu caprino, & fætidis; à quibus cauſa epilepſiæ movo-

moverur, & in ventriculos cerebri præcipitatur.

Differentia. Epilepſiæ *differentias* deſumere debemus à formâ, ſubjecto, & cauſa efficiente : à formâ, quæ eſt principalis actio ablata, differentia eſt, quòd ſit magis, vel minùs læſa : ablatum enim hic non ſumitur negativè, ſed privativè tantùm : à ſubjecto nullæ poſſunt hauriri differentiæ : à causâ eſt differentia, quòd ſit vel per eſſentiam, vel per conſenſum : ſi eſt per conſenſum, vel eſt à toto, vel à parte tantùm.

Signa præſentis. *Præſentis* epilepſiæ *ſigna* ſunt evidentiſſima. Nam cadit Æger, & convellitur. *Imminentis.* *Imminentis* autem ſigna ſunt notabilis memoriæ læſio, ſumma in ſomnum propenſio, ſomnus turbulentus & clamoſus, incubus, motus corporis tardus & lentus, capitis gravitas, color cineritius, & totius temperamenti mutatio. *Idiopathica:* Signa epilepſiæ *per eſſentiam* ſunt, quando Patiens fortiſſimum, & diuturnum habet paroxyſmum, adeſtq; ſpuma copioſa circa os ; ſi cerebrum antè fuerit intemperatum, ſi adſuerit frequens capitis dolor, gravedo &c. *Sympathica.* In epilepſiâ *per conſenſum* nec paroxyſmus tam diu durat, nec ulla eſt circa os ſpuma, vel ſaltem pauciſſima : patet deinde alicujus partis affectus, è quâ Patiens velut auram quandam aſcendentem ſentit (uti vidimus in Colonello quodam, qui, ante multos annos, læſus fuerat in crure, in quo, poſt attentatas plurimas fruſtra curas, inventa eſt macula nigra, è qua elevabantur vapores maligni, paroxyſmum excitantes : hâc actuali cauterio uſtâ, ablatâque putridâ ejus baſi, miſerum à moleſtiſſimâ hac lue ex toto liberavimus) vel oritur ab aſſumpto aliquo venenato pharmaco, ut helleboro, Mercurio, antimonio &c. vel à vermibus, vel ab utero, poſt longas menſium obſtructiones, uteri dolores, inflammationes, durities &c. dein ex totius, & partis, temperamento facilè colligitur, quinam peccet humor in ſpecie.

Indicationes. *Indicationes*, præſente paroxyſmo, deſumuntur à ſenſu ablato, à motu convulſivo, & ab ipsâ causâ efficiente. Primò itaque, à ſenſu ablato indicatur remedium reſuſcitans ; quale eſt dolorem excitans : à convulſione, cùm muſculi depravatè contrahuntur, indicantur ea, quæ contrarium muſculis faciant motum : ratione cauſæ efficientis indicantur evacuantia : ſi per eſſentiam, revellentia, derivantia, & evacuantia ; ſi eſt per conſenſum, indicationes extra paroxyſmum deſumuntur à ſubjecto, & à causâ efficiente : à ſubjecto indicationes ſunt partim vitales, quæ nempe temperamentum conſervant ; partim extractivæ, quæ intemperiem corrigunt : à cauſâ efficiente, cùm hæc ſit varia, etiam variæ deſumuntur indicationes : ſi enim eſt frigida, viſcida, tenax, indicantur calefacientia, incidentia, & attenuantia : ratione motûs, & loci generantis, eadem indicantur, quæ antè, in paroxyſmo, exceptâ evacuatione univerſali, quæ rarius fit in paroxyſmo. Si qualitas ſit venenata animalis, requritur bezoardicum animale ; ſi vegetabilis, vegetabile ; ſi mineralis, minerale : v. g. ſi eſt à morſu leporis marini, *rubetæ pulvis*, vel *caro vulpis aſſata*, vel *oſtrea* proſunt : ſi eſt ab helleboro, *nymphææ flos* ; ſi ab antimonio, *corallium*, & *ſmaragdus*, item *ſpiritus vini* : in hiſce optimè manetur ſub eodem genere.

Prognoſticum. *Prognoſticum* quod attinet, periculoſior ſemper eſt epilepſia per eſſentiam, quàm per conſenſum : deinde, ubi graviora ſunt accidentia, & functiones diutiùs manent ablatæ : gravior quoque eſt epilepſia à melancholiâ, quàm à ſanguine : minùs enim naturale eſt, excedere in cerebro ſanguinem, vel pituitam, quàm melanchollam ; quâ præſente major adeſt à ſtatu naturali receſſus. Inveterata epilepſia, & cum ſpumâ, deſperata eſt, & præcipuè ea, quæ deſinit in apoplexiam. Hipp. *lib. de epilepſia*, ait : pueris, & ſenibus, eſſe lethalem ; his ob vehementiam, ratione frigiditatis ; illis ratione materiæ copioſæ. Nec obſtat, quòd ait Hippoc. *5. aphor. 7. Quibus epilepſia contingit ante pubertatem, magnâ ex parte ſanantur : quibus verò poſt quintum annum accidit, ipſi commoriuntur.* Nam ſuperiùs loquitur de valde tenellis pueris, &, v. g. bibulis ; hic verò de grandioribus. Si autem vitium ſit exiguum, aëris, vel cibi, vel ætatis, mutatione melioratur. Eodem mo-

do

do bonum, epilepticos corripi febre, præcipuè quartanâ, teſte Galeno, *6. epidem.* hi namque liberantur, materiâ ſcilicet à calore febrili conſumptâ. Quòd Galenus, *5. aphor. 7.* epilepſiam tardi eſſe motûs affirmet, & *1. de criſibus, cap. 4.* dicat, eſſe velocis motûs, non ideo contradictionis eſt inſimulandus: ibi enim ſumitur pro debili, quæ eſt chronica; hîc verò pro forti, & cujus acceſſiones vehementiſſimæ & frequentiſſimæ ſunt, quæque ſtatim jugulat, accipitur. Jam reſtat, ut tum pro convulſione, tum pro epilepſiâ, ad materiam remediorum deveniamus.

Curatio. *Convulſio*, quæ fit ab inanitione, curationem vix recipit, *7. meth. cap. 5.* ſolidorum ſiccitas curationem vix recipit: &, licet Medici ad humectantia, unctiones per olea, & balnea ex aquâ dulci, & decocto emollientium, ex hydrelæo, & decocto inteſtinorum, & capitum vervecinorum, & ſimilia confugiant; voti tamen rarò fiunt compotes; niſi malum ſit omnino recens, ubi victum humidum, ex juſculis, & conſumptis carnium eychymarum hordeatis, amygdalatis, lacte recens mulcto, deſtillatis reſtaurantibus, ad reparationem illius, quod deperditum eſt, aliquid facere credendum eſt. Cùm itaque convulſio à repletione faciliùs curetur, hiſce oppugnanda eſſe videtur: nempe, ſi corpus ſit plethoricum, injecto prius clyſtere, *ſecanda* eſt *vena* aliqua, &, pro virium tolerantiâ, detrahendus eſt ſanguis; & in minori quantitate quidem, eò, quòd ſanguis pituitoſus peccet, qui citiùs, quàm par eſt, refrigeratur. In Spaſmo Cynico primò cephalica, dein ſublinguales, ſecentur. — Venæſectio.

Dein hâc, vel ſimili, *Purgatione* repletionem aggredi neceſſe eſt:

Purgatio per Decoctum.

℞. *Fol. ſalviæ,*
beton.
capillorum Veneris,
ſcolopendrii,
camæpityos, ana mß.
rad polypod. querc.
bugloſſa,
pæonia, ana ʒij.
conſerv. beton.
florum anthos,
ſtæchados, ana ʒiiß.

F. Decoctio in ſ. q. *aq.* ad colatur. ℥iiiiß.
In colat. infunde per noctem
agarici in petia ligati,
rhabarb. elect. ana ʒij.
fol. ſenæ ſ. ſt. ʒvj.
ſpica ℈ß.

Manè, factâ levi ebullitione, in expreſſione colatâ diſſolve
mannæ electæ ℥j.
ſyr. diaſereos ʒvj.
tartari purgantis ℈j.
M. F. Hauſtus.

Vel poterunt tales *Pilulæ* ordinari: — Pilulæ.

℞. *Extr. agarici,*
cochiar. ana gr. xv.
caſtores gr. iij.
pulv. Syrii gr. iiij.

Cum ſ. q. *aq. ſalviæ compoſ.* F. Pilulæ num. viiij. inaurentur. Hiſce tamen non incommodè interponuntur humores *Præparantia*: ut:

Decoctum Præparans.

℞. *Fol. beton.*
majoran.
meliſſæ,
ſalviæ,
pulegii,
origani, calaminth. ana m. j.
thymi mß.
ſem. coriandri præparati,
ſeſeleos,
aniſi,
fœniculi, ana ʒij.
rad. ireos,
angelicæ,
pæoniæ,
zedoar.
enulæ, ana ℥j.
flor. ſtœchados,
anthos,
lavendulæ,
ſalviæ, ana p. j.
F. Decoct. ad ℔ij.
℞. *de Colatura* ℥v.
ſyr. de ſtœchade,
oxymel. ſcyllit. ana ℥ß.
M. Detur alternis diebus, utpote, dum medicamenta purgantia non adhibentur.

Quòd ſi eodem decocto *purgare* intendas, — Purgans.

℞. *Ejuſdem* ℥iij.
electuarii diacarth. ʒiij.
extract. hermodactyl.
agarici, ana gr. xv.

ſyr. diaſoreos ℥j.
ol. ſalviæ gut. vj.
ſuccini gut. ij. M. F. Potio.

Cucurbitulæ. *Cucurbitulæ* tum ſiccæ, ut flatûs & humores evocentur; tum ſcarificatæ, primò in partibus remotioribus, deinde in proximis; ita tamen, ut humores ad principium fluxionis retrahantur;
Clyſteres. *Veſicatoria.* acres item *Clyſteres*; *Veſicatoria* item partibus oppoſitis applicanda, ut materia in contrariam partem retrahatur:
Unguenta. ſæpius & *Unguenta* ſupra partem applicari poſſunt: ut:

℞. *Ol. camomill.*
terebinth. ana ℥iß.
lavendulæ,
ceræ,
ſalviæ,
nucis moſchat. ana ʒiij.
unguenti dialthææ,
nervini, ana ʒiij.

M. F. Linimentum; cui etiam ℥ß. *aquæ arthriticæ* addi poteſt. Hoc Unguento partes affectæ ſæpius inungendæ ſunt, & calidis linteis, vel etiam animalibus recens mactatis, vel denique herbarum, nervis & capiti dicatarum,
Fotus. calidis decoctis *fovendæ*: ut:

℞. *Fol. ſalviæ,*
majoranæ,
beton.
leviſtici,
meliſſæ,
camapityos,
roriſmarini, ana m. j.
flor. ſtæchados,
lavendulæ,
anthos, ana p. ij.

F. Decoctum in ſ. q. *vini generoſi*, ad conſumptionem tertiæ partis quod calidè, per ſpongias, vel lintea, parti, vitando refrigerium, applicetur, ſæpius renovando. Poſſunt item partibus convulſis *veſicæ bubulæ*, *oleo* plenæ, applicari;
Linimentum. dein ſequens *Linimentum* inungi:

℞. *Ol. terebinth.*
coſtini,
lumbricor. ana ℥j.
de caſtoreo,
axungiæ humanæ, ana ℥ß.
anſerinæ,
ungu. Agrippæ, ana ℥j.
ſtyracis,
ladani, ana ʒj.
M. F. Unguentum.

Fieri quoque poteſt tale *Cataplaſma*:

Cataplaſma. ℞. *Farinæ ſem. lini,*
fænigræci, ana ℥ij.

Coque in *oxymelite*, ad conſiſtentiam Cataplaſm. ſub finem addendo

Ol. terebinth.
caſtorei,
coſtini,
vulpini,
lumbricor.
camomillæ, ana ʒiij.
ammon. in aceto ſoluti ℥ß.
pulv. flor. camomill. ʒiß.

M. F. Caplaſma molle; quod parti dolenti calidè poteſt applicari.

Interna. Interiùs exhiberi poteſt *caſtoreum*, *myrrha*, *opopanax*, cum *mulſâ*, vel *decocto hyſſopi*, ſervatâ ſemper alvi laxitate, tum per clyſteres, tum purgationes ſuperiùs adhibitas.

ab aliis cauſis. Denique, ſi flatus excitet convulſionem, frictione cum pannis calentibus, vel unctione carminativâ diſcutitur: ſi à morſu ventriculi, vomitu: ſi à pharmaco, lenientibus & adſtringentibus reprimitur: ſi à morſu, vel ictu, *cucurbitulis*, *capâ*, aut *Theriacâ* applicatâ extrahitur: ſi punctus ſit nervus, *ol. terebinth.* calens, cum *aquâ vitæ*; vel *emplaſtrum de galbano*, vel *diachalciteos*, in *oleo lumbricorum* ſolutum, apponitur: ſimile quid factitandum, ſi nervus ſit reſectus, vel abſciſſus. Vide Galenum, *3. meth. cap. 9.* Et hæc de *Convulſione*.

In Epilepſia. In *epilepſiâ* duorum temporum habenda eſt ratio: in, & extra, paroxyſmum: &, quàm fieri poteſt, citiſſimè liberetur Æger; ne malum in apoplexiam degeneret: quod fiet, ſi
Locus. *loco* lucido, & calido, collocetur Æger, ut foràs evocetur, non concentretur, humor;
Frictiones & *Ligaturæ &c.* artûs *fricentur*, & *vinciantur*; os quavis ratione diducatur; nucha aſperis fortiſſimè fricetur; ſpuma, ſi adſit circa os, detergatur, ut cerebrum aëris inſpiratione recreetur, & per fuliginis excretionem levetur, cavendo, ne lingua, colliſis dentibus, præſcindatur:
Suppoſitoria, & Clyſteres. acres *balani*, & *clyſteres*, injiciantur, ut longè à cerebro materia revellatur: *piper album*, & *radices pæoniæ pulveriſat.* aut *rutæ*, naribus inſuffletur; quâ etiam plantæ pedum, & manuum, fortiter fricari debent; pala-

palato *Theriaca antiqua*, *hiera*, *aurea Alexandrina*, aut *Mithridatium*, affricetur; *ſuccus rutæ*, in quo diſſolutum ſit *caſtoreum*, ſyringe, vel ſiphone, in nares injiciatur; ori *aqua hirundinum*, vel *Theriacalis*, vel *Imperialis*, *ceraſorum nigrorum* &c. infundatur; *thymus* cum *aceto* teratur, & naribus admoveatur: ad idem facit *hyſſopus*, *ſatureja*, *caſtoreum*, *aſa fœtida*: parari quoque

Suffumigia. poteſt *Suffumigium ex caſtorei*, *benzoini*, *picis nigræ*, *ſem. pæoniæ*, ana ʒß.

Paſtilli. Frontalia. Cum *ſucco rutæ* F. Paſtilli: *ungi* quoque poſſunt nares *oleo deſtillato ſalviæ*, *roris marini*, *juniperi*, *aniſi*, *ſuccini*:

Vomitus. vomitus non incommodè excitari poteſt per *ſalis vitrioli* ℈j. præcipuè ſi ſit malum ex ventriculi repletione.

Præcautio. Sedato paroxyſmo, multiplici molimine ejus *reditus inhibere* poteſt, pro

Puerorum. diverſitate ætatis: ſi enim *Pueri* laborant, tota ad *Nutricem* dirigenda eſt cura, victusque ordinandus eſt talis, qui incidendo, & attenuando, lac ſubtilius & ſalubrius efficiat, vino, cibiſque acrioribus, & dyſpeptis, pravum lac generantibus, ſummè prohibitis; Venus quoque interdicenda eſt: hæc namque humores reddit acriores, aptumque nutriendæ proli lac in ſemen convertit: dein nutrici lene ad-

Catharticum. hibendum eſt *catharticum*, vel etiam ipſi puero; cui ſufficit *ſyr. de roſis moſchatus*, linctus, vel *manna* in juſculo diſſoluta, vel etiam electuarium ex *butyro*, & *ſaccharo*, ante lactationem da-

Inunctio. tum: caput *inungi* poteſt *oleo anethino*,

Applicandum. *irino* &c. *radix pæoniæ* collo *appendi* debet; uti & *corallia rubea*, vel, loco ho-

Nodulus. rum, talis *Nodulus*:

℞. *Rad. & ſem. pæoniæ*, ana ʒij.
viſci quercini, & *corall. rubeor.* ana ʒj.

Cauterium. Contunde ad Nodulum.

Cauterium quoq; poſteriori parti capitis, inter muſculos, ſplenios dictos, inuri poteſt: interea non negligenda ſunt ea, quæ à proprietate juvant: uti

Specifica. eſt *pulvis Marchionis* contra epilepſiam; item *pulvis de guttetâ*, qui

Pulveres. ℞. *Rad. pæoniæ*, & *ſemin. ejusd.*
dictamni albi,
viſci quercini, ana ʒj.
ſeminis atriplicis ℈j.
cranii humani præparati ℈ij.
corall. rubei præparati,
hyacinthorum præparatorũ, a. gr. xij.
ungulæ alcis præparatæ ʒj.
moſch. gr. v.
foliorum auri gr. xv.

M. F. Pulvis; de quo dari poſſunt gr. xv. pro doſi, in aqua aliqua appropriatâ. Nota; quòd, ſi de hoc Pulvere pueris recens natis detur ℈j. antequam lactentur, cum lacte, eademque doſis per triduum repetatur, toto vitæ tempore ab epilepſiâ immunes fieri dicuntur: idem faciunt 1. 2. vel 3. ad ſummum, guttæ *Auri potabilis* ritè præparati; quo *Aurum potabile.* quosdam præſervavimus, aliàs certò perituros; item *ſyr. de ſucco rutæ* ſæpe *Syrupus.* lingendum offerimus. Spina dorſi poteſt confortari hoc *Linimento*: *Linimentum.*

℞. *Ol. lumbric. terreſt.*
rutacei, ana ℥iß.
de caſtoreo ℈ij.
aqua epileptica parum.

F. Linimentũ; quo ungatur ſpina dorſi. Aliqui Authores mirum in modum laudant, ſi grana aliquot *moſchi odorati* ſin- *Moſchus.* gulis diebus exhibeantur, cum juſculis, & panatellis. Et hæc de *Epilepſiæ Puerorum curatione*.

Provectioris ætatis homines præſer- *Adultorum.* vantur victûs ratione, & medicamen- *Diæta.* tis: victûs ratio, peccante pituitâ, calefaciendi & moderatè ſiccandi vim habeat; taléſque ſint res non naturales; utpote cibi concoctu faciles, cum obſoniis moderatè aromatizatis; cœna ſit prandio brevior; vinum, quantum fieri poteſt, vitetur, nec, niſi oligophorum, & ſalviatum, concedatur; exercitium ante, quàm poſt, cibum commodius eſt; cujus vices ſupplere poterit frictio totius corporis verſus inferiora; ſomnus mediocris cerebrum confortat, animi oblectatio recreat, alvi libertas levat: devitanda verò ſunt ea, quæ humores agitant, & corpus replent; cujusmodi ſunt craſſa edulia, flatulenta, vaporoſa, ſtiptica, frigida, dulcia, pingvia, lacticinia, cepæ, fabæ, opium, ſmyrnium, jecur hircinum aſſum, vinum fæculentum, vapor carbonum, ſuffimenta ex bitumine, galbano, myrrha, cornu cervino, vel caprino; item motus circularis, frequens capitis demiſſio, ſpectacula, ſomnus multus & diurnus, Venus, bal-

 neum,

neum, ira, timor, gravis animi contentio, ex Avicenna, *cap. 10.* in biliosis calefacientia debent eſſe moderatiora.

Pharmacia. Quod ad *medicamenta* attinet, hæc ſunt vel præparantia, vel evacuantia, vel

Decoctum Præparans: appropriata. Pituitam *præparans* eſt:

℞. *Rad. acori,*
pæoniæ,
angelicæ,
enulæ,
ireos, ana ℥ß.
herb. hyſſopi,
capillorum Veneris,
chamædryos,
pulegii,
thymi,
epithymi,
ſalviæ, ana mj.
ſem. ſeſeleos,
pæoniæ,
aniſi, ana ʒj.
flor. ſtæchados,
lavendulæ,
anthos, ana p. j.
F. Decoctio ad ℔j.
℞. *de Colatura* ℥iiij.
ſyr. de hyſſopo,
oxymel. ſcillitici, ana ℥ß.

M. F. Julapium: repetatur tribus diebus

Purgans: conſequenter: dein talis ſumatur *Purgatio:*

Potio. ℞. *Rad. fœnic.*
pæon. maris, ana ʒß.
fol. beton.
adianthi, ana m. j.
ſem. cartham. ʒß.
aniſi ʒß.
flor. ſalviæ,
ſummitat. hyſſopi, ana p. j.
fol. ſenæ mundat. ʒiiiß.
turbith ʒj. F. Decoctio ad ℥iiij.
In colat. infunde per noctem
agarici in petiâ ligati,
mechoacannæ albæ, ana ʒij.
Manè, factâ levi ebullitione, in expreſſione diſſolve
ſyr. de epithymo,
diaſereos, ana ʒvj.

M. F. Potio: vel concinnari poterunt

Pilulæ. tales *Pilulæ*:

℞. *Aloës roſatæ,*
extr. agarici, ana ʒj.
hieræ diacolocynt. ℈j.
trochiſcorum de ſcylla, extracti caſtorei,
ſem. pæon. ariſtoloch. rotundæ, an. gr. v.

Cum *oxymelite ſimplici* F. Maſſa: de qua ℞. ℈ij. cum ſ. q. *aquæ beton.* F. Pilulæ num. viiij, quæ poſſunt ſumi alternis diebus.

Peractâ humorum expurgatione, ſi corpus eſt plethoricum, *ſanguis extrahatur* ab externâ brachii venâ, vel, niſi *Venæſectio.* V. S. in pede natura loci impediat, veluti Romæ & Avenione, ex mente Trincavellii, ſaphænâ, ſi ſit ex defectu menſium, vel ex hæmorrhoidibus ſuppreſſis.

Fieri non minùs poſſunt *Errhina*, ex *Errhina.* ſuccis *majoranæ, hyſſopi, beton.* dein *Maſticatoria*, ut: *Maſticatoria.*

℞. *Pulv. rad. pyrethri, pæoniæ, galangæ,*
cubebarum, ana ʒij.

Cum ſ. q. *oxymelitis* Fiant Trochiſci, ad *Trochiſci.* umbram ſiccandi, &, ad provocandos ex capite humores, in ore detinendi.

Clyſteres etiam acriores, pro humorum *Clyſteres.* revulſione, injici poſſunt: ut;

℞. *Fol. rutæ,*
parietariæ,
centaurei min.
beton. ana m. j.
rad. pæoniæ ʒvj.
flor. camomill.
ſtæchados,
paralyſeos, ana p. ij.
ſem. aniſi,
ſeſeleos, ana ʒij.
F. Decoctio ad ℔j. In colat. diſſolv.
confect. hieræ picræ Galeni ʒiij.
mellis anthoſat. ʒj.
pulpæ colocynthid. pulv. ʒj.
ol. camomill. ʒß.
ſacchari Thomæi ʒj.
ſalis gemmæ ʒß.
M. F. Enema.

Cogimur aliquando, ob ſenſum obtuſiſſimum, fortiſſimos clyſteres injicere: ut:

℞. *Rad. pyrethri,*
ireos,
aronis, ana ℥ß.
helleb. nigri ʒiß.
herb. rutæ,
ſalviæ,
thymi,
ſummit. cent. min.
naſturtii, ana mß.
ſem. carvi ʒß.
urticæ,
rutæ, ana ʒj.
ſinapeos ʒij.

F. omni-

℞. omnium decoctum; in quo diſſolve
hiera colocynthidos ℥ß.
mellis anthoſat. ℥j.
ol. rutæ ℥ij.
caſtorei, euphorbii, ana ℈j.
ſalis communis ℨj. M. F. Clyſter.

Cucurbitulæ. *Cucurbitulæ* ſcapulis affigantur, vel etiam partibus, à quibus nonnunquam tetri vapores aſcendunt, cum profundis *Scarificationibus*, *Frictionibus*, & *Fomentis* extremorum: *Hirudines*, vel *noduli acres*, ano adhibendi; provocandæ, in melancholicis, *hæmorrhoides*: in mulieribus autem præſidia omnia ſunt adhibenda, quæ *menſes* ſuppreſſos *provocare* poſſunt, quæ conficiuntur ex *cantharidibus*, cum *fermento*, & *aceto forti*: vel poſſunt *Setones* cervicem perforare: vel *Cauteria* brachiis, & cruribus, quin & occipitio, ad ſummam vertebram, *athlantem* dictam, teſte Celſo, *lib. 3. cap. 23.* inuri debent. Sic enim putatur humor ille pernicioſus per ulcus illud derivari, &, ne caput petat, intercipi. Nonnulli etiam *decoctum ligni Guaiaci*, & *rad. China*, per aliquot dies propinant: cui etiam addi poſſunt appropriata; uti *lignum viſci quercini, rad. pæonia*, &c. Nec intermittenda ſunt ea, quæ caput *confortant*: ut:

Scarificata. Frictiones. Fomenta. Hirudines. Cauteria. Decoctum Ligni. Confortantia: Electuarii.

℞. *Conſerv. beton.*
ſalviæ,
anthos,
meliſſæ, ana ℥j.
pulv. rad. pæoniæ,
ſem. ejuſdem,
cranii humani prap. ana ℨj.

Cum ſ. q. *ſyr. ex flor. pæoniæ*, additâ ſ. q. *ſpiritûs vitrioli*, F. l. a. Electuarium; de quo ſumatur bis in die, jejuno ſtomacho, caſtaneæ magnitudo.

Externa. Cucupha. *Extrinſecè* adhiberi poſſunt *Cucupha*, & *Sacculi* roborantes caput: ut:

℞. *Rad. cyperi odorati*,
pæoniæ,
ireos Florentinæ, ana ℨij.
ſem. pæoniæ,
ſeſeleos,
flor. anthos,
chamomill. ana ℨj.
macis,
nucis moſchat. ana ℨß.
M. F. Pulvis pro Cucuphâ.

Sinapiſmus. Nec minùs toti capiti deraſo *Sinapiſmus* ſupponi poteſt; qui tamen, ne caput nimiùm inflammet, *mucilagine ſem. fænigraci* poteſt temperari: ut:

℞. *Sem. naſturtii*,
ſinapeos,
urticæ,
piperis rotundi, ana ℨij.
rad. pyreth.
pæon. ana ℨß.
euphorbii ℨj.
flor. ſalviæ,
roriſmarini,
ſtæchados, ana p. j.

Pulveriſata excipiantur *ſucco rutæ*, & pauco *melle ſcyllitico*, pro Malagmate capiti deraſo imponendo; cui addi poteſt *mucilago fænigraci*, *aq. verbenæ* extracta, ad ℥iß. Nec minùs fieri poſſunt *Suffitûs* ex *benzoino, ladano, baccis & foliis lauri, ſalviâ, ligno aloës, rad. cyperi*; quibus capitis integumenta ſuffiantur. *Specifica* ſunt *radix valerianæ ſylveſtris*; de cujus pulv. cochlear ß. exhibeatur in vehiculo appropriato: ſecundò *aqua hirundinum*, *Theriacalis*, *cephalica* Quercet. item ejusdem *ſyr. epilept.* item *pulvis Marchionis* A. A. item *mixtura ſpiritalis* ex *ſpiritu vitrioli, cartari, & aq. Theriacali camphoratâ*; item *ol. ſuccini* ad v. vel vj. gutt. in *aq. flor tiliæ*; item *pulv. mirab.* Minſichti, ex *cinnabari nativa*: ex qua etiam à Cratone ſingularis conficitur *Pulvis*, ad hunc uſum accommodatiſſimus: Hartmannus commendat *pulv. hepatis ranæ viridis*; item *epilepe.* *Crollii*; item *amuletum* ex *frutice ſambuci* in ſalice inventi, ex *ſtercore picæ avis*, aliàs epilepſiâ laborantis, ortum. Vide cum, in Epilepſiâ de Adultis. Diæta ſæpius ordinata eſt. Et hæc de Epilepſiâ.

Suffitus. Appropriata. Pulv. ſingulares. Amuletum.

Objic. 1. Hippocrates, & Galenus, *l. de tremore, & palpitatione, in fine*, convulſionem exiſtimant incurabilem: ergo malè, ut incurabilem, tractamus. ℞. duplicem eſſe ſpaſmum; alterum confirmatum, in quo omnes ſubſtantiales membrorum humiditates conſumptæ ſunt: & ſic dicitur incurabilis, quia humiditates iſtæ ſunt irreſtaurabiles: alterum non confirmatum, in quo primæ tantùm humiditates conſumptæ ſunt, ſed ſpei aliquid ſupereſt, ut reſtaurentur: & ſic interdum ab his fit evaſio; uti habet Galenus, *3. de locis affectis, cap 6.* Quippe cùm convulſio fit à labore, vel

vel vigiliis, vel fame, vel ſolicitudine, vel acidâ æſtuantéque febre, qualem in phreneticis videre eſt; cauſam ejus eſſe ariditatem, rectè putaveris. Idem Galen. *in lib. de tremore, & palpitatione,* & *aph. 6. comment. 39.* affert exemplum de chordis, quæ, ob nimiam humiditatem, dehiſcunt; aut de loris, quæ, ad ignem longiùs calefacta, contrahuntur: & Avicennas ſimile ducit à diſpoſitionibus chordarum, quæ elongantur in hyeme, propter humiditatem; & abbreviantur in æſtate, ob ſiccitatem.

2. Objic. 2. Ariſtoteles dicit, nervos oriri à corde: ergo hujus affectûs ſubjectum malè adſtruitur caput, vel ſpina dorſi: &c. Galenus confutat Ariſtotelem, *3. de locis affectis, cap. 6.* ubi duobus modis probat, nervos non oriri à corde; primò per exercitatiſſimos Medicos, qui non cordi, in hoc affectu, ſed cerebro, vel circa ſpinam, media utiliter adaptant. Secundo ex arte Anatomicâ, quâ evidentiſſimè cernuntur nervi oriri à capite.

3. Objic. 3. Plures videntur eſſe convulſionis ſpecies, quàm tres; quia corpus convellitur ad dextrum, & ſiniſtrum. Reſp. Galenum optimè tantùm tres ſpecies enumeraſſe, utpote emproſthotonum, epiſthotonum, & tetanum; quia laterales, ob ſitum nervorum, ſunt impoſſibiles.

4. Objic. 4. Avicennas dicit, pueros à ſpaſmo ſicco velociter liberari; ſed ſpaſmus ſiccus eſt ab inanitione: ergo ſpaſmus ſiccus non eſt tam difficilis curationis, ut dictum eſt. ℞. Avicennam intelligendum eſſe non, quòd pueri velociter à ſpaſmo ſicco liberentur; ſed quòd ob copioſam humiditatem ab eo ſint immunes, nec facilè in eum incidant.

5. Objic. 5. Galenus, *3. progno*ſ*t.* dicit, quòd convulſio, accidens pueris cum acutâ febre, facilè curetur: ſed illa convulſio videtur eſſe ab inanitione; quia febrim ſequitur: ergo adhuc verum erit, quod dixit Avicennas. ℞. duplicem eſſe febrim: aliam, quæ totum corpus, unà cum nervoſis partibus, exſiccavit: & hanc ſecuta convulſio lethalis eſt: aliam humores tantùm pituitoſos & frigidos diſſolventem; cui ſi ſuccedat convulſio, ab eâ facilè liberantur pueri.

Objic. 6. Hipp. *in aphoriſmis*, videtur aſſerere, convulſionem omnem, à repletione oriundam, per febrim curari: quod tamen falſum eſt: nam convulſio ab inflammatione, quæ ſequitur repletionem, à febre augetur. ℞. cum Galeno, *lib. de tremore, & palpitatione,* non convulſionem, ab omni repletione provenientem, à febre curari; ſed eam duntaxat, quæ à repletione frigidorum humorum provenit.

Quær. 1. Quomodo hoc intelligendum, ubi ab Authoribus dicitur, convulſionis motum à motu naturali non differre? Reſp. ſi naturale ſumatur pro motu voluntario, quo homo naturaliter movetur, nego: immò maximè differt, quia in convulſione membra involuntariè moventur: ſi verò naturale ſumatur pro motu illo, qui merè naturalis eſt, id eſt, prout contra diſtinguitur à motu voluntario; ſic aliquo modo dici poteſt naturalis motus. I.

Quær. 2. Cur in Auſtriâ frequentiores ſunt convulſiones, præcipuè in Pueris, quàm in Galliâ, & alibi? Reſpondeo, cauſam jure merito referendam eſſe in frequentem apii, ſeu petroſelini, uſum: pleraque enim juſcula coquuntur cum petroſelino. Aſſerunt autem antiquiſſimi Authores, hanc petroſelino proprietatem ineſſe, ut facilè convulſiones producat. II.

Qu. 3. Utrùm vinum, aër, & alimenta, non poſſint æquè contribuere ad generandas convulſiones? Reſp. affirmativè: tamen, cùm multi, vina non bibentes, convulſionibus afficiantur, debent ad aliam cauſam referri. III.

Qu. 4. Utrùm convulſio infuſione aq. frigidæ curari poſſit? Reſp. cum Valleſio, *l. 8. controv. med. c. 4.* affirmativè: idq; fit ex accidenti: calor enim, vi aquæ concentratus, materiam morbificam vincit. IV.

Qu. 5. Utrùm convulſio, paralyſis, & tremor, ſint ejuſdem generis? ℞. convulſionem, & paralyſin, eſſe quidē unius generis, id eſt obſtructionis: tremor autem eſt à facultate tentante voluntarios motûs. Apoplexiam verò, & epilepſiam, differre tantùm ſecundum majus & minus, colligitur ex Gal. *in principio l. 2. de ſympt. cauſis.* V.

CAPUT VI.
de Paralyſi.

Paralyſi. PRædictis affectibus malum affine eſt *Paralyſis*, ſeu reſolutio, in quâ motus voluntarius auffertur, manente integrâ facultate principali: per quam differt ab apoplexiâ. Generatur autem paralyſis, dum aliquid evenit facultati motrici membrorum, ut omnino ea concidant, & motu ſuo priventur: hinc *definitur*, quòd *ſit motus ablatus muſculi, dependens à fruſtratione facultatis motricis, illæſâ principe.* *definitio.* Per ablatum motum differt à *tremore*, in quo eſt depravatus; à *ſtupore*, in quo eſt diminutus; ab apoplexiâ eo, quòd in hac facultatis principis ſit deperditio, quæ non eſt in paralyſi: vel etiam in hoc differt ab apoplexiâ, quòd in paralyſi muſculi tantùm ſit affectio, non totius: ſi enim totum afficiatur, jam apoplexia & eſſe, & dici debet. *Differentia à cognatis affectibus.* Et cùm cauſa efficiens hujus affectus ſit fruſtratio facultatis motricis muſculi, neceſſariò debet fieri, ut vel lędatur facultas, vel ſit error externus: eſt error externus, dum vitium quidem eſt extra muſculum, ſed illius actionem per impedimentum facultatis influentis retardat: facultas læditur, ut non recipiat influentem ſpiritum, ob intemperiem frigidam & humidam, non calidam & ſiccam: hæc ſiquidem ſpiritibus eſt magis familiaris: & hinc eos non impedit: aliàs hectici maximè eſſent paralytici. Nec obſtat, quòd in Hypoſarcâ non fiunt paralytici; quia non eſt intemperies nervoſarum partium, ſed tantùm muſculoſæ interſtitici, per quam non influit facultas motrix. Fit autem paralyſis non tantùm ab intemperie, ſed etiam à re anguſtiam cauſante, vel nervum ipſum præſcindente; ut fit in vulnere ſpinæ dorſi, capitis; vel in luxatione affatim, vel repentè factâ; vel in obſtructione à materiâ aliquâ craſſâ & viſcida; & quidem ſecundùm partem nervorum medullarem, non tantùm ſecundùm membranas; aliàs eſſet convulſio, teſte Avicenna: in hac enim non videtur affici nervorum pars medullaris; aliàs non tranſirent ſpiritus, ad motum depravatum eliciendum, qui in convulſione ſolito vehementior adeſt.

Paralyſis *differentiæ* deſumuntur à ſubjecto affecto; ut ſit dextra, vel ſiniſtra corporis pars: à formâ, ſeu facultate ablatâ; ut ſit ſenſus & motus ſimul, vel unus tantùm, ablatus: à cauſâ efficiente eſt differentia, quòd vel influat facultas, & non recipiatur, ob indiſpoſitionem recipientis; vel quòd non influat, in retentione ſpirituum, vel retractione ad partem contrarium. *Differentiæ Paralyſeos.*

Paralyſeos *ſigna diagnoſtica* ſunt, ut colligamus, utrùm fiat ex defectu receptionis in ipſo membro; ſi nempe inductus ſit in membrum ſtupor per opiata; ſi jacuerit in loco exceſſivè frigido, vel in aquâ frigidâ fuerit diu immoratus: ſi ex defectu influxûs, debet colligi, utrum ſit ex continui ſolutione, vel ex compreſſione, ſeu anguſtiâ; quam præceſſit vel luxatio, vel ictus, vel tumor, vel evacuatio aliqua ſuppreſſa, quæ mali ejus cauſa exiſtit: & cùm fieri poſſit retractio influxûs, facilè colligitur ex inflammatione muſculorum crotaphitarum, ſeu temporalium: ſi omnes partes, excepto capite, afficiuntur, ſpinalis medullæ principium affectum eſſe, vel totum, vel dimidiâ tantùm ex parte, deſignatur: ſi eſt aphonia, nervi recurrentes; ſi apnia, reſpiratorii patiuntur: ſi reſolvatur oculus ſecundum motum, in ſecundo nervorum pari malum eſt quærendum; ſi palpebræ, in tertio; ſi lingua, in ſeptimo; ſi labia, in lato muſculo, qui nervos à primis vertebris mutuatur; ſi manus, in quinta vertebra; ſi crus, aut pes, in vertebris lumborum; ſi anus, veſica, pudendum reſolvuntur, in oſſe ſacro malum eſſe, judicandum eſt. *Paralyſis ſigna diagnoſtica.*

Indicationes deſumuntur à ſubjecto, & cauſâ efficiente: à ſubjecto, cùm nervi ſit improportio, conciliari debet proportio per ea, quæ nervi laxitatem corrigunt: ratione cauſæ efficientis, ſi eſt frigida materia, calefacientibus alteranda eſt; ſi eſt ſoluta unitas, requiritur reunio; ſi obſtructio, deobſtruentibus opus; quod faciemus, tollendo cauſam: ſi à cacochymiâ, indicatur purgatio; ſi à regreſſu facultatis, occurrendum eſt parti illi, ob cujus inflammationem fit. *Indicationes.*

Pro-

Prognoſis.

Prognoſticum quod attinet, paralyſis eſt morbus periculoſiſſimus : hinc etiam Chriſto, Medico, in Evangelio, curanda proponebatur : & licet tam citò non juguler, mori tamen ſatius eſſet, quàm miſeram adeò traducere vitam. Deſperata autem eò magis eſt, teſte Avicennâ, quò minùs ipſa membra reſoluta ſuum naturale temperamentum, calorem, magnitudinem &c. ſervant : hinc partis reſolutæ oculus minor, vel depreſſior factus malum portendit, & vehementem facultatis oppreſſionem, nutrimenti defectum, & ſpiritûs animalis inopiam, ſimul & magnum à ſtatu naturali receſſum, indicat. Minùs autem periculoſa eſt paralyſis, in quâ motus tantùm læditur, illæſo ſenſu : econtrà, ubi ſenſus & motus læduntur. Dein quò plures corporis partes afficiuntur, eò ſemper malum pejus eſt ; faciliùs etiam curatur, quando tantùm fit ab intemperie partis recipientis, quàm ſi fiat ex defectu mandantis & recipientis ſimul : ſi nervus omnino ſit in partes diviſus, non admittit curationem ; quia partes ſpermaticæ per medium homogeneum curari non poſſunt ; &, licet fieret aliqua unio per medium heterogeneum ; neque hæc ſufficeret ad facultatem, & ſpiritum animalem transmittendum. Si paralyſis fiat à luxatione, curationem recipit ; ſi ab anguſtiâ, denſitate, aut conſtipatione, omnino deſperandum non eſt. Paralyſis à compreſſione, cum vehementi contuſione, & nervorum attritione, periculoſa eſt : item ea, quæ fit ab inflammatione muſculorum temporalium, ob cerebri viciniam ; cui communicatur inflammatio ; unde tandem lethargus, & apoplexia ſubſequuntur.

Quid oculus depreſſior factus in Paralyſi, portendat.

Materia remediorum, uti & in aliis, à tribus fontibus deſumuntur : Chirurgico nempe, Pharmacevtico, & Diætetico. Chirurgiam quod attinet, præmiſſo *Clyſtere* phlegmagogo, & detergente, leviori tamen, ne humores agitati magis ad nervos decumbant, ſtatim occurrit *Venæſectio* ; quæ, corpore exiſtente plethorico, quamprimùm celebrandâ eſt, in quantitate Ægro tolerabili ; ut nempe per hanc aliquid de causâ antecedente decedat : eaque

Minorativum.

Venæſectio.

fieri potiùs debet ex parte ſanâ, ne parti afflictæ nova addatur afflictio : deinde alterius *cura methodica* incipienda eſt, quæ præcipuè in duobus conſiſtit ; utpote in cauſæ remotione ; & partium reſolutarum corroboratione : & hæc quidem perficiantur communibus præſidiis, & topicis. Communia ſunt ; quæ peccantem humorem præparant, vacuant, avertunt, vel ejus generationem inhibent : antequam tamen ad ulteriores humorum præparationes deveniamus, *Pilulæ* leniores exhiberi poterunt. ut :

Medicatio.

Pilulæ.

℞. *Extr. pil. de hiera,*
aloëphanginarum,
aſſaieret,
de agar. ana ℈ß.

Cum ſ. q. *ſyr. de beton.* F. Pil. nro. viiij. pro unâ doſi. *Clyſter* phlegmagogus detergens talis præſcribi poteſt :

Clyſter.

℞. *Herb. betæ,*
braſſicæ,
mercurialis,
camæpityos,
rutæ,
primulæ veris,
cent. min. ana m.j.
baccar. lauri,
juniperi, ana mß.
ſem. aniſi,
fœnic.
cumini, ana ʒj.
flor. chamomill.
anethi,
ſtæchados, ana p. j.

F. Decoctio ad ℔j. In colatura diſſolve
hiera picra, benedict. laxat. ana ʒiij.
mellis anthoſat. ℥ij.
terebinth. vitello ovi ſubacta ʒß.
M. F. Clyſter.

Hîc ab oleis, & herbis emollientibus, cavendum eſt, quæ partes reſolutas magis laxant, & reſolvunt. Poſtquam primæ viæ evacuatæ fuerint, ad humoris *præparationem* deveniendum eſt Syrupis incidentibus, & attenuantibus ; ut :

Præparantia.

℞. *Syr. de ſtæchade,*
hyſſop.
byzant. ana ʒij.
aq. beton.
ſalviæ,
ivæ arthriticæ, ana ℥j.

M. F. Po-

M. F. Potio: detur in aurora: vel

Syrupus. ℞. *Syr. capillor. Veneris,*
de 5. radicibus,
mellis antheſati, ana ʒvj.
aq. majorana,
meliſſa,
primula veris, ana ℥j. M.

Vel, in forma *Decocti*:

Decoctum, ſeu ℞. *Herb. beton.*
meliſſa,
iva arthetic.
origani,
chamadryos,
ſalvia,
majorana,
angelica, ana m. ß.
rad. acori,
enula,
ireos Florentina,
quinque aperientium, ana ʒiij.
flor. anthos,
primula veris,
lavendula,
ſtachados, ana p. j.
ſem. carvi,
apii,
aniſi, ana ʒj.
F. Decoct. ad ℔j.
In colat. diſſolve
ſyr. byzantini,
de beton.
de hyſſopo,
mellis antheſat. ana ℥j.

Julepus. F. Julepus pro quatuor doſibus matutinis. Poſtquâ humores ſic fuerint preparati, universali *purgatione* malum eſt oppugnandum: ut: Purgatio.

℞. *Extr. agarici,*
pil. fœtidar. ana ℈j.
caſtorei gr. iiij.
trochiſcor. alhandal. gr. ij.
Cum ſ. q. *mellis antheſati* F. Pil. num. vij. duabus horis à ſomno ſumendæ: ſi *Potionis* forma magis arrideat,

Potio. ℞. *Rad. enula,*
acori,
angelica,
ireos, ana ʒij.
herb. iva arthetica,
chamædryos,
beton. ana m. j.
ſem. carthami,
fœniculi, ana ʒj.
fol. ſena mundat. ℥ß.
F. Decoctum ad ℥v.
In colat. infunde per noctem
rhabarb. electi ʒij.
agarici in petiâ ligati ʒiiß.
cinamomi acutiſſimi ℈j.
In expreſſione diſſolve
ſyr. de roſis pallidis ℥j.
extracti diacarthami ʒj.

M. F. Potio: ſi quantitatem minorem habere deſideras, decoctum minuatur ad ℥j. Hæc purgatio repeti poterit bis in ſeptimanâ. *Vomitum* quoque approbant Paulus Aetius, & alii; hac tamen cautione, ut non fiat, dum lingva eſt affecta; ne materia morbifica trahatur ad partem affectam. Præmiſſis univerſalibus præſidiis, & purgationibus, non ineptè deveniri poteſt ad ea, quæ particulariter ipſum *caput evacuant*: ut ſunt *Maſticatoria* phlegmagoga, quæ ex capite humorem pituitoſum evacuant: ut: Vomitus. Caputpurgia.

℞. *Rad. pyrethri* ʒij.
cubebar. ʒj.
ſem. ſtaphidis agr. ʒß.

Pulveriſata excipiantur ſ. q. *mellis antheſat.* F. l. a. Trochiſci ſublingvales: vel etiam *Gargariſmi*, in hunc modum, concinnari poſſunt: Trochiſci. Gargariſmum.

℞. *Rhababrari,*
thymi,
ſalvia,
origani, ana m. j.
ficuum pinguium,
paſſular. mundat. ana ℥ij.
rad. pyrethri,
acori, ana ʒij.
cubebar. ʒj.
F. Decoctio ad ℔j.
In colat. diſſolve
mellis ſcyllit. & *antheſat.* ana ℥ij.

M. F. Gargariſmus. Per *nares* quoque attrahi poſſunt *aq. majorana*, *ſalvia*, item earum *decocta*; vel *Mixtura* illa ex vitriolo albo, cum aquâ majoranæ; de quâ *ſuperiùs* mentio facta fuit. Ad exſiccandū uti poſſumus *Decocto hydrotico*, quod partim per urinas, partim per ſudores, ipſum corpus à ſuperfluis humiditatibus liberare valet: ut: Errhina. Mixtura. Decoct. hydrotic.

℞. *Rad. ſalſa parill.* ℥x.
ligni Sancti in taleolas ſciſſi ℔ß.
corticum ejuſdem ℥iiij.
bacc. juniperi ℥iij.
rad. lappa maj. ℥j.
hermodactylor. ʒvj.
liquirit. ʒv.

X F. De-

F. Decoct. in ℔xvj. *aq.* ad conſumptionem medietatis:

℞. de Colat. ℥v.
mellis anthoſat. ℥j.

Detur manè, pro excitando ſudore; à quo hoc, vel ſimili, *Electuario* vires reſici poſſunt:

Electuar. refectiv.

℞. Conſerv. flor. paralyſ.
anthos,
ſalviæ,
rad. enulæ,
cortic. citri, ana condit. ℥j.

Cum ſ. q. *ſyr. conditura cortic. citri*, M. F. Mixtura: cui addi poterit *ſpiritûs vitrioli* ſ. q. ad gratam aciditatem. F. l. a. Electuarium: de quo ſæpe ſumatur magnitudo caſtaneæ. *Topica* membrorum principiis; deinde membris ipſis reſolutis, ſunt applicanda; talia nempe, quæ calefaciunt, pituitamque digerunt & diſcutiunt, quæ nervos deſiccant, & corroborant: qualia ſunt *Thermæ ſulphureæ, Decocta*, ſeu *Fomenta ex rad. cyperi, enulæ, galangæ, pyrethri, ireos, cucumeris agreſtis, ſalviâ, baccis majoran. origano, pulegio, ivâ arthriticâ, thymo, hyſſopo.* Poſt fomentum *inungi* poteſt nervorum principium *oleo rutino, coſtino, nardino, rutaceo, laurino, ſalviato, vulpino, de lumbricis, de lateribus, de piperibus, de ciconiâ Hollerii, de caſtoreo, petroleo*: quibus addi poſſunt *ſucci herb. appropriat.* deinde *adipes vulpis, urſi, leonis, medulla cervi* &c. Prodeſt etiam *ung. Martiatum, nervinum aregon. Agrippæ.* Ex his variæ compoſitiones adaptari poſſunt. *Ad reſolutos nervos* confecimus aliquando *Paſtam*, & deinde quaſi panem, ex *pulv. herbar. cephalic.* cum *aquis ſalviæ, majoranæ* &c. qui, quamprimùm ex clibano extractus fuit, per medium ſectus, ad longitudinem ſpinæ applicabatur calidiſſimè; deinde, poſt remotionem, inungebamus *balſamo Guidonis*, vel *Galbaneto Paracelſi.* Ad *loquelam recipiendam* plurimum facit *Gargariſmus* ex *hydromelite*, & *farina ſem. ſinapios*; vel *aq. apoplect.* cum *ſanguine turturis*, ana mixta; vel *ſpiritus ſerpilli*; vel *eſſentia caſtorei*; item *ſpiritus lilii convallium*: ſic aliquot guttæ *ol. aniſi*, linguæ paralytici impoſitæ, loquelâ reſtituunt.

Topica. Fotûs. Inunctiones. ad nervos reſolutos Paſta. loquelam recipiendam Gargariſmus.

Diæta: Cibi.

Victûs ratio ſit tenuis, calida & ſicca, utpote ex aſſis potiùs, quàm elixis, carnibus, iiſque ex montanis avibus, columbis &c. panis aliquo modò ſit ſalſus, aniſatus; amygdalæ, pineolæ, piſtacia, in uſu eſſe poterunt: vitandaq; ſunt nimium liquida, exceptis diureticis; piſces quoque molliores, & lacticinia omnia, à menſa ſunt arcenda: *Potus* ſit decoctum ſaſſafras, vel melicratum ſalviatum, interdictis vino, & aceto, & aquâ frigidâ; quæ nervis ſunt inimica. *Aër* calefieri poteſt igne, & ſuffitu; veſtes pellibus vulpinis, aut felinis, ſuffulciantur: *Somnum* à cibo vitetur; *Venus* exulet; corpus multâ *frictione* exerceatur; nec non, ſi febris adſit, etiam ad *iram* concitari poteſt Æger, ut per hanc corpus incaleſcat. *Balnea* ſulphurea, de quibus *ſuprà*, præterquàm quòd exſiccent, ſimul etiam roborant; item balneum, ex imbre fulminante factum, habetur inſtar omnium in paralyſi, & contracturis: Nos, in Auſtriâ, feliciter utimur *Vinaceis* putreſcentibus, quibus membra reſoluta uſque ad elicium ſudoris copioſi imponimus. Poſt hæc etiam *Dropaces*, & *Sinapiſmi*, applicari poſſunt, ut calor nativus, ſpiritus, & ſanguis, ad partem affectam retrahantur, reſeratis ſcilicet meatibus; præcipuè ſi adſit atrophia; tumque *frictiones* celebrentur, *cucurbitula* applicentur, urticis viridibus flagelletur membrum, donec *rubeſcat* caro, deinde ungatur *unguento reſumptivo*.

Potus. Aër. Somnus. Venus. Balnea. Vinacea. Dropaces. Frictiones. Cucurbitula. Rubifcantia. Unguentum.

Objectiones.

1\. Obj. 1. Rhazes curam hujus affectûs incipit à fortioribus, utpote à pilulis fœtidis; non autem, cum Avicenna, & Meſue, à debilioribus: ergo aliqua eſt hîc inconvenientia in noſtrâ, & Authorum, curâ. ℞. Rhazen coactâ, non verò regularem, facere curam: nec ſemper opus eſt, tam regulariter procedere, urgente neceſſitate.

2\. Obj. 2. Galen. *3. de locis affectis, cap. 10.* dixit: cùm omnes nervi tam movendi, quàm ſentiendi, vim amiſerint, apoplexia nominatur; ergo non paralyſis, uti diximus. ℞. Si ſentiendi, & movendi, vis univerſaliter, & cum deperditione principis facultatis, amittatur; tunc eſt apoplexia; concedo: ſi verò partialiter tantùm, & remanente principe facultate, tunc eſt paralyſis.

3\. Obj. 3. Calida in hac curâ videntur præpoſterè præſcribi; ſiquiden Hipp. *5. aph. 16.* ait, quòd calidorũ uſus frequens cauſet effeminationẽ carnium, nervorum reſolutionẽ &c. ℞. cum Gal. *in comment.* per reſolutionem intelligi debere

debi-

debilitatem tantùm; deinde Hipp. non dicit, calida in paralyſi nervos reſolvere; ſed extra paralyſin: adeóque in curâ paralyſeos non prohibentur calida.

4. Objic. 4. Superiùs dictum eſt, irregulariter, & coactè, aliquando à fortioribus eſſe incipiendum, urgente ſcilicet magno vitæ periculo: ſed vires tunc non adſunt: ergo non erit locus fortioribus medicamentis. Reſp. Si vires ſint debiles à reſolutione, concedo; ſi ab oppreſſione, nego: ergo non erit à fortioribus incipiendum; nego conſequentiam.

5. Obj. 5. Sed in hoc caſu vires ſunt maximè reſolutæ; quia, uti ſemper hactenus affirmatum eſt, nervi ſunt reſoluti. ℞. Vires animales ſunt reſolutæ, concedo; cordiales, nego: ergo prohibentur fortiora pharmaca: nego conſeq. immo in partium ſtupore acriora ſemper, & magis ſtimulantia, requiruntur pharmaca; aliàs ſtimulum non ſentiunt partes, nec in actum deducuntur medicamenta.

6. Obj. 6. Ergo taliter nunquam incipiendum erit à mitioribus; quia in paralyſi ſemper adeſt partium ſtupor. ℞. Si malum ſit urgens, & magnum; concedo: ſi parvum, nego.

Quæſtiones. I. Quær. 1. Quomodo ob luxationem reſolvuntur, & molleſcunt nervi, cùm potiùs deberent tendi, & indureſcere. ℞. id non fieri immediatè, ſed conſeqvutivè tantùm: poſtquam enim partes influxu ſpiritûs animalis privantur, & conſequenter ſenſu & motu, facultas expultrix non ampliùs operatur: & hinc humorum fit accumulatio, ex quâ nervi molleſcunt; deinde læsâ retentrice facultate partes fere ſemper madeſcunt ſudore frigido, ob ſpirituum inopiam, & caloris innati ſuffocationem.

II. Qu. 2. Unde tremor, rigor, palpitatio, ructus, ſternutamentum, pandiculatio, & oſcitatio, proveniunt? Reſp. Horum motuum quidam fiunt à causâ morbi ſolùm, ſine concurſu facultatis cujuſpiam; quidam, etſi ſunt ſymptomata; quibus tum in *Tractatu de Febribus*, tum *alibi* ſparſim, tractamus, à facultate aliqua earum, quibus corpus gubernatur.

III. Qu. 3. Quomodo intelligendi ſunt Aëtius, *c. 28. lib. 6.* frigiditatem cum ſiccitate hujus affectûs cauſam eſſe; item Trallianus; à ſiccâ intemperie membra reſolvi. ℞. id intelligendum eſſe de ſiccitate humidi radicalis, non aliâ, quæ hic non eſt, immò potiùs eſt humiditas: hinc Auſtrina conſtitutio paralyſeos eſt cauſa, teſte Gal. *lib. de locis affectis, c. 7.*

Caput VII.

de Phrenitide.

De cerebri inflammatione à frigidis humoribus, nempe de Lethargo, actum eſt: reſtat, ut de ejuſdem inflammatione, à calidis humoribus proveniente, pertractemus. Æternæ veritatis eſt, quod tradit Hippocrates, cerebrum, uti cucurbitulam, ſubjecti corporis humores ad ſe trahere; & tam copioſè quidem, ut interdum, vaſis ſupra modum dilatatis, excitetur dolor, per dolorem major attractio, & partis agitatio, humorum extravaſatio, & in membranarum ſubſtantiam translatio, dein putrefactio; unde calor p. n. & omnium operationum turbatio, cum deliriis perpetuis, febre intensâ &c.

Eſt autem *Phrenitis* inflammatio, & tumor meningum, vel cerebri ipſius, à materia calidâ, cum febre, actione cerebri principali depravatâ, & deliriis continuis. Per depravatam actionem diſtungvitur ab iis vitiis, in quibus eſt imminuta, vel ablata; per materiam calidam, & ſubjectum, à Lethargo, in quo ſola cerebri ſubſtantia laborat. *Phrenitidis definitio.*

Eſt autem duplex, *exacta*, & exquiſitiſſima, quæ fit ab intemperie calidâ & ſiccâ: *non exacta* verò ab intemperie calidâ & humidâ. Aliæ differentiæ ſunt, quòd phrenitis vel totum cerebrum, vel partem tantùm, occupat: inæqualis dicitur intemperies, ubi calor in unâ parte eſt intenſior, quàm in alterâ; unde fit impetuoſa phrenitis: ſi totum cerebrum æqualiter afficitur, primò eſt in habitudine, mox in habitu, niſi reſiſtatur. *Differentiæ.*

Affectûs itaque hujus *ſubjectum* eſt ipſum cerebrum, & ejus membranæ: per tumorem differt à maniâ, in quâ nō eſt tumor; nec plerunque febris adeſt. *Subjectum.*

Eſt igitur *cauſa* phrenitidis materia calida, ſeu intemperies cum materiâ, *Cauſa.*

tiâ; quæ, dum excitat tumorem, in cerebri membranis, vel etiam in ipſo cerebro, triplicem excitat morbum: nempe in intemperie calidâ & ſiccâ, vel calidâ & humidâ; & auctâ magnitudine; tertiò in ſolutâ unitate; præcipuè ſi adſit partis exulceratio, vel nimia elevatio; unde partes illæ, quæ conjunctæ erant, à ſe invicem ſeparantur. Fit autem hic tumor vel à *ſanguine*, unde *inflammatorius* dicitur; vel à *bile* cum ichoribus mixtâ, vel è bile ſincerâ, & dicitur *eryſipelatoſus*; vel à bile aduſta, & in *atram bilem* degenerante, & dicitur *ſcirrhoſus*: à quo omnis ſymptomatum vehementis inducitur: humor enim iſte ita efferus eſt, ut ipſas membranas corrodat; unde ferinam inducit phrenitidem: fertur autem plerumque illûc è partibus inferioribus, hepate ſcilicet, liene, utero &c. dum nempe earum partium occluduntur emunctoria, ut à ſuis excrementis liberari non poſſint: eadem ſangvini commiſcentur, quem ideo partes nauſeant, &, dum diuturniores, in ipſis partibus, moras trahit, fermentare incipit, & diſtenſiones cauſat; unde dolor, & major attractio: quam ſubſequitur intemperies, aucta magnitudo, & continuitatis ſolutio. Morbi hujus differentias ulteriores deſumimus à formâ, ſubjecto, & causâ efficiente: cùmque *forma* ſit actio principalis depravata, videndum, utrum ſit imaginatio, aut ratiocinatio: memoria depravari non poteſt. Ratione *ſubjecti* Antiquis ſunt differentiæ, quòd vel anterior pars magis afficitur; & læditur imaginatio: vel media; & ſic magis afficitur ratiocinatio: vel poſterior; & ſic quoque læditur memoria, citra depravationem: hanc ſenſuum internorum diſclusionem negavimus in *Inſt. noſtris Anatomicis, cap. de Cerebro, ejusq. partibus, in Controverſ.* Ratione *cauſæ* diverſæ etiã diverſi moris producitur phrenitis: vel enim eſt magis calida, vel diluta; uti antè dictũ eſt, & à Galeno, *3. de cauſis pulſuum, c. 14.* traditum.

Signa phrenitidis futuræ. Hunc affectum *imminere*, portendunt vigiliæ, terrores in ſomno, capitis dolor immodicus, præcipuè circa poſteriorem partem, ob aſcenſum venarum jugularium; urinæ, quæ priùs biloſæ fuerant, mox ſine tincturâ, & inſtar jumentorum, ſunt; quod ſignum eſt, rapi ſurſum humores; adſunt oculi quaſi tabeſcentes &c.

Præſentis verò phrenitidis ſigna ſunt delirium continuum, cum inquietudine, reſpiratio magna & rara, aliquando etiam difficilis & frequens; præcipuè ſi ſimul inflammatum ſit diaphragma. In phrenitide, cùm memoria ſit diminuta, occupatis viribus, obliviſcuntur reſpirare, & hinc magnitudine compenſatur, quod ex defectu celeritatis negligitur. Lingua aſpera redditur, jam nigra, jam flava; pulſus quoque celer & creber, ob ingentem neceſſitatem, inæqualis, tremulus, præciſus, convulſivus, durus tamen, ob ſummum facultatis langvorem, & compreſſionem à materiâ copiosâ; quæ indicatur, ubi ſutura coronalis quaſi videtur disrumpi, & oculorum venæ turgent; & ſi à materiâ ſangvineâ, ſitque *inflammatorius* tumor, Ægri delirant, cum riſu; oculi rubent, eſtque dolor tenſivus & eximius: quando adeſt *Eryſipelatoſus* tumor, Ægri non rident, apparetque plenitudo ichoris biliosi, per totum corpus. Symptomata autem vehementiora ſunt, quando ſit à bile æruginoſâ: nam tum temporis Ægri ſunt propenſi ad percutiendum, vigilant pertinaciſſimè: vehementiſſima, quæ ab atrâ bile aduſtâ &c. Præſentis.

Indicationes deſumuntur à morbo, cauſâ morbi, & viribus: à viribus vitales, ut nempe ſpiritûs diſſipati reſtaurentur, & conſerventur, capitique cephalica applicentur; ſcilicet ut intemperies capitis calida per frigida contemperetur, & alteretur; ut materiæ fluenti, & quæ fluxit, nondum impactæ, ſolùm repercutientia; impactæ verò digerentia concedantur: & in ſpecie quidem; ſi humor eſt putridus, indicat ſui eradicationem; quia eſt toto genere p. n. quia verò eſt in viâ ad putredinem, eſt corrigendus. Nec recipientium membrorum tantùm, ſed & mandantium, accurata eſt habenda ratio: hinc, ſi jecur ſit pars mandans, peccetque intemperie calidâ, alterandum eſt per contraria moderatè refrigerantia; ſi in eo peccet bilis, evacuanda &c. Indicationes.

Poſi-

Prognoſticum. Poſitis indicationibus, de morbi eventu *prognoſticandum* eſt, videndumq́; utrum morbus, an natura, victura ſit: quod prognoſticum eruere poſſumus ex Galen. *3. de criſib. c.4.* conſiderando nimirum *morbi ſpeciem*, *vehementiam*, *mores*, & *motum*. Ad primum quod attinet, cùm maximus ſit à ſtatu naturali receſſus; conſequenter etiam morbi ſpecies erit periculoſa: ſecundò ſumma eſt vehementia ſecundum ſymptomata; quæ ſunt febris continua, delirium, vigiliæ &c. item ſecundum cauſas; quæ ſunt humor acris copioſus &c. tertiò quia eſt mali moris: quartò quia celerrimi motûs eſt; hinc citò necat: quintò eſt in parte nobiliſſima, & ſenſibili, quæ facilè convellitur: unde, teſte Galeno, *12. meth.* fit lethalis, & eò quidem magis, ſi ſuccedat aphonia, pulſus debilis, copioſa alvi excretio, citò futura eſt mors: nam morbus ille velocem habet motum.

Curatio. Poſitâ prognoſi, ſupereſt, ut indicationibus fiat ſatis: hinc ex fonte Chirurgico ſtatim ſeſe offert *Venæſectio*, quæ *Venæſectio.* quantocyùs, præmiſſo, ſi fieri poteſt, *Enemate*, celebranda eſt. Nam in omni *Clyſter.* ſpecie phrenitidis, eò, quòd ſemper evacuet humorem peccantem, etiam repetita prodeſt. Si enim ſolus peccet ſanguis, tunc habet rationem cauſæ principalis: ſi ſimul alius humor, habet rationem cauſæ adjuvantis, ſeu minùs principalis; & ſic omni modo juvat, niſi adſit hectica: & id quidem faciendum in magnâ copiâ; in biliosâ tamen religioſiùs, quàm in ſanguineâ, in quâ Arabes ad animi deliquium, inſigne totius refrigerium corporis, mittebant ſanguinem: ſi verò morbus ſit jam hecticus, ſeu in habitu, omnino prohibetur venæſectio, & vicariæ tantùm ſcarificationes ſubſtituuntur: quæ ſcapulis, dorſo, & cubitis, quandoq; etiam ipſi capiti (quod deploratos ſæpius curavit) applicari poſſunt. Ex fonte Pharmacevtico deſumptum eſt primò *Enema*, quod tale ordinari poteſt: ut:

℞. *Decoct. emollient.* cum
fol. lactuca,
beton.
verbena, ana m. j.
facti ℔j.
in quo diſſolve
elect. lenit. ℥j.
mellis mercurialis,
olei anethini, ana ℥iij.
ſalis p. j. M. F. Enema.

Alvum ſolventia, & *purgantia*, licet à *Purgantia.* multis, ob caliditatem, improbentur: temperari tamen poſſunt, ut non multum per ſuum calorem obeſſe poſſint; &, ſi cacochymia ſit in ipſo corpore, non ineptè etiam poſt venæ ſectionem talis *Purgatio* ordinari poterit; ut:

℞. *Diaprunis laxat.* ʒij.
pulv. Syris,
tartari vitriolati, ana gr. v. j.
Cum ſ. q. *ſyr. violati laxat.* addito pauco *ſacchare*, M. F. Bolus: vel

℞. *Flor. caſſia* ʒx.
aq. mannat. laxat. recenter præparata & filtrata ℥ij.
verbena ℥ij.
tartari vitrıolati ʒj. M. F. Potio: vel

℞. *Decocti flor. & fructuum*, vel *tamarind.* q. ſ.
in quo diſſolve
electuar. de ſucco roſar. ʒij.
diagryd. roſat. gr. v.
oxymel. helleborat. ℥j.
ſpiritûs macis gutt. x.

M. F. Potio; quâ humores ex totò corpore, immo etiam ex ipſo capite, evacuabuntur, unde tantùm impuritatum ad ipſum caput elevari ampliùs non poterit, ante ipſam concoctionem; non obſtante illo Hipp. *aphoriſmo*: *concocta medicari oportet non cruda*: dum enim impetuosè movetur bilis ad caput, æq́; hîc urget expulſionem, ac ſi turgeret: ex hac enim ratione formidanda eſt turgentia, ſeu orgaſmus, ne materia corpus oberrans feratur in partem nobilem; quod hîc fit, dum bilis petit caput, rationis arcem. Huc referri poterunt multa, quæ in dolore capitis ſunt propoſita: hinc ad *oxyrrhodina*, velut *Oxyrrhodina.* ad ſacram anchoram, confugiebant Antiqui: quæ tamen tantùm initio fluxionis ſunt adhibenda. Horum loco hoc, dolori capitis utiliſſimum, remedium ſubſtitui poterit:

℞. *Amygdalar. amar.* *Emulſio externa.*
nucleor. Perſicor. ana ʒj.
flor. ſambuc. ʒiij.

 Con-

Contunde in mortario, ſenſim af-
ſundendo
aqua, vel *decocti*, *verbenæ* ℥vj.
F. inſtar Emulſionis; quæ linteolis in
eâ madefactis applicari poterit fronti;
immò etiam, ſi fiat cum *aq. nymphææ*,
teſticulis. Vel

Epithema. ℞. *Aquar.* vel *ſuccor. nymphææ*,
plantag.
ſolani,
ſempervivi, ana ℥iij.
aceti roſacei ℥j.
M. applicetur ut ſupra: vel in formâ
Unguenti:

Unguentum. ℞. *Ungv. populei*,
alabaſtrini,
refrig. Galeni, ana ℥ß.
ol. omphacini,
nymphææ,
anethini, ana ʒij.
aceti roſac. ʒiiß.
M. F. Linimentum: quæ in hyeme actu
calida; in æſtate verò actu frigida appli-
cari poſſunt: neque nimium diu reti-
neri debent, ne in contrarium affectum
inducatur Æger: immò ab iis omnino
abſtinendum eſt, ubi malum ad partes
externas vergere apparet.

Emulſio interna. Intus etiam Emulſiones, Julapia, Pul-
veres &c. exhiberi poterunt, ut:

℞. *Sem. quatuor frig. maj.*
minor. ana ʒiij.
papaveris albi ʒij.
amygdalar. dulcium excorticat. & in
aquâ frigidâ infuſarum, ℥ij.
Contunde in mortario, ſenſim affun-
dendo
aq. nymphææ,
lactucæ
portulacæ, ana ℥iiij.
lap. prunellæ ʒij.
F. l. a. Emulſio: de quâ poterit ſæpe vi-
tri unius medietas propinari: vel ex iiſ-
dem *aquis*, addito *ſyr. violar.* cum *ſpi-*
Julepi. *ritu ſulphuris*, fieri poſſunt *Julapia*, de
quibus ℥iiii. pro doſi poſſunt exhiberi:
Electuarium. nec minùs poſſet *Electuarium ex con-*
ſerv. flor. nymphææ, roſar. violar. lactucæ,
præſcribi; ſed dulcia ob inflammabili-
tatem aliquo modo ſunt ſuſpecta. *Bal-*
Pedilavia. *nea pedum* utiliſſima ſunt in hoc affectu
ſiquidem â capite revellunt, humores
contemperant, & ſomnum conciliant:
ut:

℞. *Capitum papaveris albi* num. xxiiij.
fol. vitis,
violar.
lactucæ,
ſalicis,
nymphææ,
malvæ, ana m. iij.
Coq. in ſ. q. *aquæ* pro *Pedilavio*, quo Æger
utatur horâ ſomni: vel etiam, in alio-
rum defectu, ſola *aqua tepida* admini-
ſtrari poteſt. Ad hunc ſcopum qui-
dam *ſempervivum* magis contundunt,
& inſtar *Cataplaſmatis* plantis pedum *Cataplaſma.*
applicant: vel etiam *Unguenta ſoporife-*
ra in hunc modum præſcribunt:

℞. *Ung. alabaſtrini*, *Unguenta.*
refrig. Galeni,
populeon, ana ℥ß.
ol. nuciſtæ ʒj.
nymphææ,
papaveris, ana ʒij.
mandragoræ ʒß.
Vel etiam concinnari poteſt *Nodulus*
naribus ſæpe adhibendus: ut:

℞. *Flor. nymphææ*, *Nodulus odoratus.*
papav. errat.
roſar. ana p. j.
ligni aloës,
ſantali citrini pulveriſat. ana ℈j.
quæ, inciſa, & pauco *ſpiritu roſarum* ir-
rorata, includantur Nodulo ex panno
raro confecto, frequenter olfaciendo.
Eodem modo intùs, ad ſomnum con-
ciliandum, propinandi ſunt *Julepi hy-* *Julepi hypnotici.*
pnotici: ut:

℞. *Aq. nymph.*
papav. ana ℥iij.
ſyr. flor. papav. rhœados ℥iß.
M. pro duabus doſibus: vel, hiſce non
juvantibus, ad *Laudanum opiatum* licet *Opiatum.*
confugere: ut:

℞. *Conſerv. flor. nymphææ* ʒj.
laudani opiati gr. iij.
Cum ſ. q. *ſyrup. flor. papav. errat.* F. Bo-
lus, exhibendus horâ ſomni. Opium
tamen nunquam, niſi ſummâ exiſten-
te neceſſitate, exhibendum eſt, ne ca-
lorem imbecillem ſuo frigore omnino
extinguat, & perpetuum conciliet ſo-
mnum: ideoque, horum loco, ani-
malia viva, per medium diſſecta, toti
capiti deraſo *applicanda* ſunt, quæ na- *Epithemata.*
turalem humiditatem reſtaurant, & ſpi-
ritûs

ritûs partibus egenis communicant: talia autem animalia ſunt *gallinæ, pulli, columbæ, catuli, viſcera animalium recenter exenteratorum*, ut *verveeis, vituli* &c. Hæc usque ad aliqualem refrigerationem retineri poſſunt, & dein renovari: nec ſolùm ipſi capiti applicanda ſunt iſta corroborantia, & humorum acrimoniam contemperantia, ſed ipſi etiam cordi; quibus *ſpecies cordiales temperata*, cum aliis confortantibus, præſente ſummo langvore, antè inſpergi poſſunt. Denique, hiſce parùm juvantibus, in phrenitide idiopathicâ, &
Cucurbitula. non per conſenſum, *Cucurbitulam* magnam ſuperiori capitis parti applicare audent Practici, ut partes condenſatæ eventilentur, & aliquâ materiæ morbificæ particulâ leventur.

Diæta. Ultimò congruens *Diæta* toto morbi decurſu præſcribenda eſt, nempe
Cibus. refrigerans, & humectans. *Cibus* ſit tenuis, ex *cremore hordei, juſculis, panatellis, lactucâ, endiviâ, acetosâ, flor. nymph.*
Potus. *violar.* &c. alteratis: *Potus* ſit *decoctũ hordei*, cum *radice acetoſa pratenſis*, addito *ſucco*, vel *ſyr. granatõr. de rubo idæo* &c.
Aër. *Aër* ſit moderatè refrigerans, & hu-
Affectus animi. mectans; vitetur *ira*; & diligens ſit
Excreta & Retenta. Æger ad *excreta, & retenta*, nempe ut alvus reſpondeat, & urinæ fluant; quæ plerumque in hoc affectu retinentur, vel ex oblivione, vel etiam ex eo, quòd humores verſùs ſuperiora copioſè feruntur. Sunt itaque ſæpius admonendi ad exernendas urinas: vel etiam
Fomentum. *Fotûs* quidam, vel *Unguenta*, urinas cientia præſcribi poterunt; ut:

℞. *Fol. verbaſci,*
parietar. ana m.j.
rad. raphani,
petroſel. ana ℥ij.

F. Decoctum in ſ.q. *aquæ*, pro Fotu; cui addere poteris ℥ij. *ol. ſcorpionum*: foveatur tota pectinis regio, unà cum perinæo; quæ partes hoc, vel ſimili, *Unguento* liniri poterunt:

Linimentum. ℞. *Ol. ſcorpion.* ʒij.
ping. anatis,
cuniculi, ana ʒiij. M. F. Linimentum.

Objectiones. 1. Objic. 1. Avicennas, *l. 3. cap. de charabito*, ſeu de Phrenitide, loquens de regimine ſex rerum non naturalium: *fac*, inquit, *eum quieſcere in domo temperatâ, & in aëre puro*: ergo non debet eſſe frigidus, veluti phrenitidi contrararius. Reſp. aërem debere eſſe frigidum potentiâ; actu verò temperatum: frigidus enim actu poros cutis nimis conſtipat, & putredinem, unâ cum intemperie calidâ, per accidens auget.

Obj. 2. Cur Avicennas, *loco citato*, 2.
prohibet luciditatem; cùm Alexander, *cap. de phrenitide*, dicat, quòd aër debeat eſſe magis lucidus, quàm obſcurus? ℞. Si Patiens ex tenebris timorem concipiat, aër, in ſenſu Alexandri, debet eſſe lucidus: ſi verò contrà, debet eſſe obſcurus, ſecundum Avicennam.

Objic. 3. Avicennas, in cibandis 3.
Ægris, videtur omnino Hipp. contrarius: nam hic imperat, in principio morbi acuti, victum craſſiorem; verſus ſtatum verò tenuiorem: Avicenna verò facit contrarium, jubetque, ut in principio ſit tenuior, in ſtatu verò plenior. ℞. Modus cibandi, in morbis acutis, cum apoſtemate, & ſine eo, eſt diverſus. Nam ſi adſit apoſtema, debet in principio eſſe tenuior, quàm in ſtatu; ut nempe fluxus materiæ ad partem affectam retardetur per victum tenuem: ſi verò tantùm ſit morbus acutus, victus in principio debet eſſe craſſior; in ſtatu verò tenuior. Hinc Avicennas de primo; Hipp. verò de ſecundo modo eſt intelligendus.

Objic. 4. Serapio aſſerit, cerebri ſub- 4.
ſtantiam nullo modo inflammari: ergo malè affirmatur. Reſp. cum Avicenna, *cap. de charabito*, falſum & erroneum eſſe, cerebrum, aut oſſa, non apoſtemari, aut inflammari. Nam licet hîc non fiat per modum rhevmatis, ſeu fluxionis; fit tamen per modum congeſtionis: ita ſentiunt Averrhoës, *4. colligeto*, & Galen. *6. aph. 53.*

Objic. 5. Authores aſſerunt, phre- 5.
nitidem fieri poſſe absque febre; ergo malè aſſeritur, eſſe cum febre. ℞. cum Galen. *3. de locis affectis, cap. 7.* licet febris ſit phrenitidi accidens; tamen eſt plerumque ipſi conjuncta: non tamen negamus, phrenitidem poſſe ſine ſebre ſubſiſtere, id eſt, ſine febri humorali; difficulter tamen ſine febre ſimplici.

Objic. 6. Si paraphrenitis poſſit fie- 6.
ri à ſolâ intemperie calida, ſine mate-

ſectio, contra aſſertum. ℞. non negando (cum Galen. *6. aphor. comm. 53.* qui, discurrens de paraphrenitide, inquit: quæcunque ex ſolâ caliditate, ſine humore vitioſo, fiunt, ſimiles quodammodo ſunt iis, quæ ex ebrietate contingunt) paraphrenitidem fieri à ſolâ qualitate; non tamen inde ſequitur, illi non competere venæſectionem, pro refrigerio, præcipuè in corpore plethorico. Etſi enim non fiat evacuationis; poteſt tamen revulſionis præſervativæ causâ fieri: ſiquidem etiam calor attrahit; cui atractioni prævenitur per venæſectionem.

7. Objic. 7. Avicennas, *1. 3. cap. de charabito*, & Alexander, *cap. de phrenitide*, hæc unanimi conſenſu tradunt; gelida autem aqua, quoniam parum frugi, omnino vitanda: nam internæ phlegmoni nocet, delirium auget, & omnia in deterius convertit, materiæ reſolutionem prohibet, nervis nocet, adeòque nullo modo convenit: ergo in curâ noſtrâ male refrigeramus; immo ſæpius videmur impingere, ubi frigidam, & aquam Regis Ferdinandi, omnibus febricitantibus, & inflammatis, promiſcuè concedimus. Reſp. Avicennam, & Authores, non hic intelligere aquam moderatè frigidam, ſed gelidam, ſeu glaciatam; quam & nos prohibemus, ne ſubitanea mutatio ab uno extremo ad aliud cauſet interitum: quòd autem aqua frigida etiam febricitantibus competat, conſtat ex Hippocrate, qui dicit, febrim curari venæ ſectione, & aquæ frigidæ potu: immò minores habet noxas aqua Regis Ferdinandi, ex ſolo nitro deſtillata, quàm aqua frigida communis: nullas enim facit conſtipationes, ob inſignem, quam habet, refrigerandi & penetrandi vim.

Aqua Regis Ferdinandi. Fit autem *Aqua Regis Ferdinandi*, ſi lagena ſtannea impleatur nitro, & bene clauſa in puteum immergatur: & ſic nitrum ſolvitur, ſolutumque deſtillatur, ſervaturque in magnum æſtuantium Ægrorum ſolatium: poteſt etiam ſolvi, ſi aëri humido, & libero in tecto, exponatur lagena.

Caput VIII.

De Mania.

De cataphoricis capitis affectibus dictum eſt: ſupereſt, ut de paraphoricis ſequentia addamus.

Melancholiæ, & Phrenitidi, ſæpe ſuccedit *Mania*, illâ ſcilicet incaleſcente, hâc in bilem atram degenerante; *Mania.* trifariàm ab Hip. ſumitur mania: nam primò, *prognoſt. 17.* accipit pro maximâ mentis deſipientiâ, & furentis animi incitatione, in febre. ſecundò, *6. aph. 21.* pro melancholiâ, craſſi & fæculenti ſangvinis ſobole: tertiò vocat furorem, à calido & mordaci humore, cerebri ſubſtantiam imbibente; cujusmodi eſt bilis atra, maximè, quæ fit ex flavæ aduſtione; ex qua, teſte Paulo, *l. 3. c. 14.* ferociùs, quàm ex aliâ, inſaniunt homines.

Eſt itaq *Mania* vehemens delirium, *Mania definitio.* quod ab acri & fervido humore, ſive cum, ſive ſine, febre excitatur. Duæ ſunt, apud Avicenn. *l. 3. tract. 14. cap. 15.* maniæ *differentiæ*: alia fit cum iracun- *Differentia duplex.* diâ, & audaciâ, & vocatur *Canina*: alia vocatur *Lupina*, & planè ferina, in quâ Ægri obvios quosque invadunt, &, velut hoſtes, furore leonino omnes adoriuntur. Aëtius, *tetrab. 2. ſerm. 2. c. 8.* tertiam differentiam addit, quam vocat *Jocoſam*. Prima fit ab humore minùs acri; quâ correpti multum loquuntur, ſemperque rixantur; rident tamen quandoque, ſuntque obedientes; ſed brevi in priſtinam inſaniam redeunt. Secunda fit à bile flavâ, & melancholiâ aduſtâ; quæ, dum per longas moras, vel per febres & inflammationes, corrumpitur, & aduritur, in atram bilem degenerat, malignæ qualitatis participem. Tertia fit à multo ſangvine non putrefacto, cerebrum petente; rident Ægri, vultum hilarem oſtendunt, & cantant. Fieri tamen, meo, & Galen. *comment. in 5. aphoriſm.* judicio non poteſt, niſi ſanguis permixtâ bile corrumpatur. Alii duplicem maniam eſſe putant: unam leviorem; alteram ſymptomatis efferam: prior oritur à ſangvine incaleſcente, & vitium contrahente; & quantò magis ſangvis acrior evadit, tantò ſævior fit: altera fit à bile atrâ, vel

vel non putreſcente; & ſic febris abeſt: adeſt verò, ſi putreſcat.

Cauſa. Hujus *Cauſa interna* ſunt cujuſcunque ſanguineæ evacuationis privatio, velut menſium, hæmorrhoidum; varicum, magnus hepatis calor, febres acutæ, quæ bilẽ acuunt, & adaugent, vel ſangvinẽ in venis, & cerebro, adurunt; viſcera etiam melancholicos humores cumulant, & cerebro communicant. Cauſæ *externæ* aër calidus, & æſtivus, cum ſiccitate conjunctus, tempus autumnale, regio calida, uſus aromatum, & ciborum calidorum, vinum generoſum, labor, & motus vehemens, longæ vigiliæ, vehementes animi motûs, velut ira, triſtitia &c.

Signa. *Signa* ſunt opinio depravata, verborum & geſtuum abſurditas, deliramenta, audacia, furor, ira, vociferatio, corporis inquietudo, & agitatio, viſa & ſomnia terrifica, torvi & horrendi aſpectûs, ita, ut ſibi, & aliis, necem perpetuò intentare Ægri videantur. Poſt diuturnam iſtam immanitatem, in declinatione morbi, mæſti interdum, & triſtes evadunt, ob errorum, & infirmitatis notitiam. Supervenientibus namq; hæmorrhoidib., vel varicibus, vel diarrhæâ, vel per diuturnã inediam, ſanantur. Aliquando morbus certas habet periodos, ita, ut ſemel, vel bis, in anno recurrat. In hunc affectum incidunt facilè, qui ſunt à naturâ bilioſi, iracundi, multis negotiis implicati, avari, intractabiles, irriſores, Venerei, vino & crapulę dediti, ſuperbi &c. procliviores ſunt juvenes & viri, quàm ſenes & fæminæ: quamvis hæ ex ſuppreſſione menſium, & lacte in mammis corrupto, fortiſſimè, ob mentis levitatem, in furorem agantur; quod, ſecundum Hippoc. *l. de virg. ſalacibus, & viduis*, facilè contingit.

Prognoſis. *Prognoſis* deſumi poteſt ex Hipp. *5. aph. 40. Si dyſenteria, hydrops, vel ecſtaſis, ab inſania proveniat, bonum*: ſignum enim eſt, factam eſſe humorum metaſtaſin, ſeu translationem. Item ex *4. aph. 10. Quibus ex timore, cum perfrigeratione, vehemens inſania movetur, febris cum ſudore, & ſomnus quietus, ſolutionem adferunt.* Somnus enim eſt unicum furoris remedium, maximè, quia cerebrum humectat, & dejectas vires reficit. Funeſta prognoſis deſumitur ex *Coacar. 7. Quibus, maniacis, vel convulſio, vel cum tuſſi raucedo, ſupervenit, malum*: ſignum enim eſt, cerebrum vehementer eſſe reſiccatum, & ſummam eſſe bilis atræ acrimoniam, quæ partes cerebri nervoſas impetit. Tuſſis verò, & raucedo, indicant, inflammatoriam aliquam adeſſe diſpoſitionem, vel decubitum humoris acris ad ipſos pulmones, & ad aſperam ateriam. Signa *imminentis* maniæ ſunt riſus inſolitus, proclivitas ad iram, aurium ſonitus, ſplendores oculis obverſantes, ſpectra rubentia, vigiliæ, turbulentus ſomnus, curæ peregrinæ, pavores, ſollicitudines, voracitas, rubentes oculi, fixus aſpectus, gravitas & vibratio capitis, propenſio ad Venerem, pollutio nocturna &c.

Turpis, & pertinax hic affectus tribus *præſidiis* expugnandus eſt, utpote victûs ratione, phlebotomiâ, & medicamentis. *Victûs ratio* ſit refrigerans, ex juſculis, in quibus lactuca, acetoſa, endivia, ſcariola, portulaca, borrago, ſem. frigida, & papav. albi bullierint: dentur elixa potiùs, quàm aſſata: v. g. pulli gallinacei, extremitates animalium, caro vitulina, piſces fluviatales & ſaxatiles, ova ſorbilia, poma, quæ ſanguinis refrigerandi vim habent inſignem, pruna, pyra, ceraſa, Perſica, cremor hordei, cum ſem. melonum extractus; ſalſa, & aromatizata omnia, acria, ut allium, cæpæ, porrum, raphanus, amygdalæ, legumina, denique omnia flatuoſa & vaporoſa, prohibeantur. *Potus* ſit decoctum hordei, cum rad. acetoſæ ſylveſtris, & paſſulis, vel prunis, vel ceraſis ſiccis. Vinum, utpote vaporoſum, quod, teſte Ariſtotel. *ſec. 3. problemat. 16.* reddit furioſos, interdicatur. Avicenna quidem concedit vinum, ſed valde dilutum, in declinatione, ut ſomnos provocet, & humectet. Dulcia, quæ facilè bileſcunt, vitanda ſunt. Qui à potu penitus abhorrent, moriuntur. Violenta omnia, ut ſunt *animi pathemata*, vehementia *exercitia, frictiones, labores*, cane pejùs & angue vitentur. Quieſcat itaque Æger *loco* obſcuro, frigido, & temperato, in quo nec arma, nec picturæ, reperiantur. Item multitudo hominum arceatur,

Imminentis. Curatio. Victûs ratio. Potus. Motus animi, &c. Corporis.

ceatur, ſolique adſint amici, qui, quantum fieri poteſt, bonis eum ſolentur verbis, vel, ſi aliter coërceri non poſſit, duris etiam virgis, uti ſæpius cum fructu practicavimus, cedatur, ut ſuos agnoſcat errores, Patiens.

Chirurgia. Venæſectio. Ad *Chirurgiam* quod attinet, præmiſs. clyſt. leniente, *ſecetur vena* brachii mediana; deinde, per epaphæreſin, repetatur ex brachio ſiniſtro: quòd ſi malum non cedat, vena frontis tundatur: vel, ſi fiat malum ex defectu hæmorrhoidum, applicentur *Hirudines* Hirudines. venis ſedalibus: ſi ex defectu menſium, ſaphæna pedis aperiatur, vel menſtrua provocentur: hirudines etiam, retro aures applicatæ, capitis fervorem, extracto ſangvine bilioſo, mitigant. Nota, quòd, ſi per ſanguinis miſſionem exaſperetur malum, hâc ulteriùs ſuperſedendum ſit; ſignum enim eſt, malum fieri à bile adultâ, quæ per ſanguinis, utpote humoris eam diluentis, diminutionem efferatur.

Celebratâ ſanguinis miſſione, humores præparandi, tum alterandi, & Digeſtiva. demum evacuandi ſunt: quod fiet ſumptis, & admotis. Juſcula alterantia, ſuprà ordinata, continuentur: dein talis *Purgatio* ordinari poterit: Potio purgans.

℞. *Pulpæ tamar.* ℥ß.
cort. myrob. Citrin.
Indor. ana ʒj.
rhab. elect. ʒij.
mann. elect. ℥ij.
fol. ſen. SSt. ʒiij.
His omnibus ſuperaffunde
aq. fumar. bull. ℥v.
Stent infuſa per noctem: manè in colat. forti expreſs. factâ diſſolv.
oxymelit. helleb. maj. Juliani,
ſyr. de pomis Regis Saporis, ana ℥ß.
confect. Hamech ʒij.
ol. macis gut. v.
crem. tartari ℈ß.
M. F. Potio.

Quòd ſi hanc medicinam, velut nimis ingratam, ſumere renuat Æger, ſeq. *Pil.* propinarem:

Pilulæ. ℞. *Extr. hellebore nigri* ℈ß.
pulv. Syriæ gr. vij.
flor. nitri gr. iiij.
extract. pil. cochiar. gr. xij.
Cum ſ. q. *ſyrup. de ſucco fumariæ* F. Pil. num. vij. pro una doſi:

Quòd ſi omnem omnino reſpueret medicinam:

℞. Ben Arabum gr. ij. & cibis commiſceatur: vel ℞. *Mercurii rubei præcip. ex quo S. V. ſexies vel ſepties per deſtillationem extractus fuerit,* gr. v. Priori modo exhibeatur: vel ex *antimon.* medicina inſipida præparari poterit: quamvis non, niſi in extremâ neceſſitate, fortibus hiſce utendum ſit. Factâ purgatione, redeundum eſt ad *alterantia*: ut: Alterantia.

Julapium. ℞. *Aq. nymphææ,*
portulacæ,
endiviæ,
ſucci pomor. redol. ana ℥iiij.
ſyr. flor. nymphææ,
de portulacâ, ana ℥iiß.
ſpirit. vitriol. q. s.
M. F. Julapium, pro quatuor vicibus. Hujus loco *lac caprinum* exhiberi poteſt, in quo *fumaria* per noctem infuſa fuerit. Loco hujus confici poterunt *Emulſiones ex ſem. frigidis & ſem. papav. albi*; præcipuè ubi ſomno opus eſt. *Balnea* Balnea. *aq. dulcis, ex decocto hordei,* plurimùm humores contemperant: item *Pedilavia, ex capit. papav. ſalviâ & lactucâ facta,* Pedilavia. ſomnium conciliant, & humores diluunt. Similibus decoctis, vel oleis, per *ſpongias* caput *fovere* jubemus, vel *animalia recens mactata* applicare. Aliqui *Cauteria* variis corporis partibus applicant, ut brachio utrique, cruribus, nuchæ, vel etiam ſupra ſuturam coronalem, ut vapores fervidi exhalent, adeoq; cerebrum contemperetur: *Clyſteres* Clyſteres. frequentes ex *cremor. hordei,* & *melle mercuriali,* injiciantur.

Objic. 1. Omnia prohibentur, quæ caput petunt: ergo malè antimoniata, & Mercuriata, præſcribuntur, quæ humores maximè ſublimant. Reſp. talia quidem humores ſublimare, ſed etiam evacuare: quod alia non præſtant.

Obj. 2. Sed non videntur evacuare, quia quosdam vidimus, à vomitu excæcatos fuiſſe. Reſp. Si quis per vomitum excæcatus fuerit, reiterari debet vomitorium, & infallibiliter curabitur Æger.

Obj. 3. Cura maniacorum per virgas videtur nimis eſſe crudelis: ergo non eſt admittenda. Reſp. Cùm affectus hic ſit partim Phyſicus, partim Moralis,

ralis, bene miſcentur moralia phyſicis; imò eſt Avicenn. præceptum, *cap. 21. &* *22. tr. 4. fen. 6.*

4. Objic. 4. Multi maniaci, poſtquam aliquot annis nudi, & velut rabidi, in vinculis detenti ſunt (uti Coloniæ vidimus) nullis adhibitis remediis curantur: ergo tam multis opus non eſt. *Reſp.* non negando, naturam, tractu temporis, ejusmodi humores vincere, & coquere poſſe: nego tamen, naturæ ſuppetias non eſſe ferendas; concoctionem, & evacuationem humorum non eſſe faciendam.

Caput IX.

de Lycanthropia.

Lycanthropia.

AD maniam meritò refertur *Lycanthropia*, inſaniæ ſpecies, craſſi, & fæculenti humoris, ſed vitiati, & aduſti, ſoboles, propter atræ bilis, & ſanguinis, redundantiam. Hoc malo affecti, homines, eorumque conſvetudinem, fugiunt, antra ferarum, & latibula quærunt, mortuorum ſepulchra diu ſectantur, noctu per ſylvas, luporum more, diſcurrunt, ululant, à publicis viis deflectunt, donec illuceſcat dies: quòd ſi fortè fortunâ hominibus obvient, vel auffugiunt, vel eos dentibus & ungvibus dilacerare conantur, ſeſeque in veros lupos transmutatos eſſe exiſtimant: adeò fortiter, vitio imaginationis, ob atræ bilis, cerebrum impetentis, copiam laborant, & hallucinantur, ut greges invadant & dilacerent, lupinam rabiem imitantes.

Homines realiter non mutantur in lupos.

Quòd tamen *realiter in lupos non commutentur*, colligere licet ex S. Auguſt. *l. 18. cap. 18. de civitate Dei*, ubi ait: abſurdum eſſe, & ab omni ratione alienum, homines in lupos mutari: idem aſſerit Plinius, *l. 8. natur. hiſt. c. 22.* item Herodotus, *lib. 4.* Impoſſibile enim eſt, ut forma hominis corpus indiſpoſitum, utpote lupinum, informet: &, ſi talia aliquando viſa fuerint, ope Dæmonum Magicâ, & fictitiâ, per faſcinationem contigerunt; unde ſenſûs hominû, conturbato exteriùs, arte Magicâ, aëre, & veluti nubeculis, & ſimulachris, obducto decipiuntur. Qualescunq; ſint ejusmodi mutationes, omnes ſunt deceptrices, & illuſoriæ: qui ſecùs dixerit, pœnæ anathematis ſubjicitur; uti videre eſt. *C. Epiſcopi 26. q. 5.*

Signa Lycanthropiæ.

Signa diagnoſtica ſunt facies pallida, lingva omnino ſicca, ſitis immodica, oculi concavi, & ad videndum imbecilles, crura exulcerata, propter decubitum atræ bilis ad partes inferiores, tum etiam propter frequentes eorum alliſiones, vel canum morſûs. Incipit autem præcipuè affectus, ſecundum mentem Arculani, circa menſem Februarium, vel Martium, ſeu principio veris; uti ex Hipp. *3. aph. 20.* colligere licet.

Curatio.

Hujus affectûs *Cura* convenit cum melancholiæ, à multo ſangvine, craſſo, & aduſto, provenientis curâ. *Sangvis* itaque in principio, ſeu in ipſâ acceſſione, *detrahatur* usque ad animi deliquium, ex medianâ utriusque cubiti: deinde ſequentibus *purgetur*:

Purgatio per Pilulas.

℞. *Extr. helleb. nigri* ℈ß.
pil. cochiar. ℈j.
trochiſc. albandal. gr. iij.
Cum ſ. q. *ſyr. de fumar.* F. Pil. num. viiij. Deaurentur: vel

Potion.

℞. *Decocti fumar.* ℥v.
in quibus infunde per noctem
cort. helleb. nigri præparat. ʒj.
fol. ſenæ ʒiiiß.
cort. myrob. indar. ʒiß.
Mane, factâ ebull. in colat. forti expreſs. fact. diſſolv.
confect. hamech ʒiij.
hieræ Archigenis ℈ij.
M. F. Potio.

Humectantia.

Poſt purgationem, ad *humectandum* corpus, propinetur ſerum lactis per aliquot dies, in quo fumar. adiant. nigrum, & lingva cervina, prius bullierint: dein

Balneum.

ponatur Æger in *Balneo*, cum decocto hordei facto; eoque tepido multoties utatur. Reliqua medicamenta cum ſuperioris affectûs curâ, item victûs ratio, conveniunt.

Cauterium.

Cauterium, ad ſincipitis futuram coronalem applicatum, multis auxilio fuit, teſte Avicen. *loco citato*: capiti exteriùs applicari poſſunt ea, quæ illud humectant: ut ſunt; *Cataplaſmata* ex herbis, & radicibus emollient. cum lacte, vel oleo nenuphar. & roſac.

Cataplaſmata.

Epithemata. roſac. facta: vel etiam *animalia*, per medium ſecta, & calentia applicata. Controverſiæ *inferiùs* ſubnectentur.

Caput. X.

de Mania Dæmoniaca: & Energumenis, ſeu verè Obſeſſis, & Exſtaſi morboſâ.

Quamvis Hipp. *l. de morbo ſacro*, nullos à Dæmonibus morbos hominibus inferri, aſſerere videatur, eique aſſentiat Galen. *l. 1. ad prognoſt. 4.* attamen SS. Eccleſiæ Doctoribus, qui contrarium ſentiunt, aſſentiri, tutius eſſe exiſtimamus: tales ſunt D. Hieronymus, *in c. 4.* & Chryſoſtomus, *in c. 17. Matthæi, homilia 54.* Item apud Lucam, *c. 8.* quidam dæmoniacus domi contineri non poterat, ſed per loca deſerta, lycanthroporum more, ſeſe proripiebat, & circa ſepulchra verſabatur. Mulier convulſione ſpinæ dorſi torquebatur, *Luca 13.* ubi loci Dæmon *πνεῦμα ἀσθενείας*, id eſt, ſpiritus infirmitatis, vocatur. Multi, apud D. Marcum, *c. 9.* lingvæ, & aurium, uſu privabantur, & miris modis cruciabantur. Ex his ergo conſtat, morbos hominibus à Dæmone illatos fuiſſe. Hoc autem dupliciter efficit Dæmon: vel per ſe; vel per ſuos, ſibi juratos, miniſtros. Primo modo ingreditur corpus, idque, citra morbum, horrendè torquet; vel extrinſecè alterando, & corrumpendo humores noſtros agitat, immutat, & partes nobiles offendit; cutis poros obſtruit, cerebrum & phantaſiam turbat, & totius corporis temperamentum alterat, & compoſitionem pervertit: unde plurimæ oriuntur infirmitates, à Dæmone cauſatæ; qui tamen limites, ſibi à Deo conceſſos, excedere non poteſt. Nam, teſte D. Thoma, *p. 1. q. 125. art. 5.* non poteſt operari niſi virtute naturali, eáque divinitùs limitatâ. Sic permittit Deus Dæmoni, ut ſæviat in fortunas & corpus Hiob, ſed, ut animæ parcat, jubet. Sic permittit, ut Regem Babylonicum in furorem agat, in ſolitudinem rapiat, duriſſimè affligat, & toto ſeptennio torqueat; ne verò animam ſauciet, vetat, tandemque à furore in Regnum reſtituit. Id autem facit, occaſiones, corporum aptitudinem, & inclinationem obſervando. Ita nulli humori, aut temperamento, ſeſe frequentius ingerit, quàm melancholico, ob naturam terreſtrem, Dæmoni domeſticam, ob colorem atrum, inferno nativum, ob humoris pertinaciam, & durationem, conditiones Dæmoni tum appropriatas, tum gratiſſimas. Hinc Caſſianus ait, humorem melancholicum eſſe pabulum, & ſedem Dæmonis. Humori autem melancholico dant occaſionem viſcerum, præcipuè lienis, intemperies, & obſtructiones, à quibus generatur, & retinetur: inde vapores ad caput ſurſum elevantur, qui ipſam cerebri ſubſtantiam replent, obfuſcant, & ſpiritùs deturbant: facultas animalis in ſuis actionibus impeditur; unde tam varia oriuntur ſymptomata, utpote delirium, furor, ſurditas, cæcitas, aphonia, convulſiones, paralyſes, tremores, inquietudines; quorum ſymptomatum interventu, & generatione, Dæmon plurimos generat morbos; qui ex hoc Dæmoniaci eſſe colliguntur, quia remediis non cedunt. Immo nova ſemper pullulant ſymptomata, ordinarium naturæ modum excedentia. Nam Ægroti futura præſagiunt, varia proferunt idiomata lingvarum, quas antea ignoraverant.

Hujus affectûs *cura* duplici præſidio perficitur: utpote altero Naturali, altero Divino. — Cura.

Naturale eſt, quod cauſam auffert, & ſymptomata tollit. Talia vide *cap. de Maniâ*: item de *Mel. hypochondriacâ*: ſuntque melanagoga, balnea, antidota, ſuffumigia. Vide Methodi noſtræ Medendi *c. 3.* — Naturale.

Divinum præſidium ſunt preces, & vota, vitæ ſanctimonia, eleemoſynæ, ſacræ benedictiones, exorciſmi, geſtatio ſacrarum reliquiarum, frequens communio, & peccatorum exomologeſis, aquæ benedictæ uſus, vitæ emendatio, humilitatis, Diabolo ſummè contrariæ, exercitium &c. — Divina.

Cùm de *Energumenis* plura dixerimus in Methodo noſtrâ Medendi, *loco citato*; pauca tantùm addere liceat. Cacodæmones corpora hominum, præcipuè mulierum & puellarum, ob debilitatem, ingredi, — Energumeni.

Digitized by Google

ingredi, & obſidere, non tantùm prophani, ſed etiam ſacri, iique plurimi, teſtantur Authores. *Duo* autem *requiruntur*, ut quis à Dæmone *obſeſſus* dicatur: primum, ut Dæmon adſit, & inſit, non ut accidens ſubjecto, neque ut pars toti; ſed ut motor corpori, quod movet: nam quod eſt navi nauclerus, id eſt Dæmon obſeſſo. Secundum, ut in corpus, non in animam, ſæviendi poteſtatem habeat à Deo.

Requiſita ad obſeſſionem.

Obſeſſionis cauſa.

Obſeſſionis *cauſa* peti poteſt vel à Deo; vel ab obſeſſo; vel à Dæmone. Deus enim quandoque etiam ſanctiſſimos homines permittit obſideri à Diabolo, immo innocentes infantes; quod imperſcrutabilibus Dei judiciis adſcribendum eſt: nihilominus ſæpius obſeſſorum peccata Dei vindices manûs ad id mali provocant; uti S. Auguſt. *10. de Civitate Dei, c. 22.* tradit: *poteſtas inimica vincit, aut ſubjugat, neminem, niſi ſocietate peccati.* Ad hanc autem Dæmonis poteſtatem præcipuè facit infidelitas, cenſura eccleſiaſtica, jurgia, horrenda imprecatio, juſtorum perſecutio, ſacrorum abuſus, impietas Magica, & in parentes &c. Dæmon autem, ex ſummo, quod in homines habet, odio maximam delectationem, ex injuriis & vexationibus iſtis illatis, haurit; idque invidiâ, quam habet erga homines, ob eorum felicitatem, quam habent ab incarnatione, & humanitate verbi, item à redemptione, quam in æternum ſperare non poteſt Dæmon: præterquam quòd duplex tempus obſervandum ſit, vexationis ſcilicet, & ceſſationis; primò Dæmoni; ſecundò naturæ, omnia ſunt attribuenda.

Signa diagnoſtica.

Actiones Dæmonis in corpus.

Actiones, quas Dæmon in obſeſſos exercet, ſunt duplices: aliæ, quibus ſuam *in corpus* exercet tyrannidem; torquet, excruciat, formam naturalem pervertendo, ſenſibus externis privando, phantaſiam depravando, membra diſtorquendo, partibus internis dolores, & cruciatûs intolerabiles, inferendo, variis & occultis morbis afficiendo, qui curis ordinariis pelli non poſſunt, corpus terræ allidendo, in ignem aut aquam projiciendo, & ſummo vitæ periculo exponendo. Aliæ ſunt Dæmonis operationes citra dolorem: ut ſunt peregrina idiomata, diſcurſus ſubtiles & ardui, curſus velociſſimi, ſaltûs, graviſſimorum ponderum elevatio, vinculorum diſruptio, ſumma voracitas, & ſimilia, quæ humanas vires longè ſuperant. Reliqua diagnoſtica deſumuntur ex Dæmonis actione, vel paſſione. Actio autem eſt vel in corpus, vel in intellectum: paſſio fit per res ſacras, quibus Dæmon obſecundare cogitur, iiſque ab eo multa extorquentur. Actiones corporis ſunt vox rauca, barbara, incondita, ventriloqua, quando ore clauſo loquuntur, uti à Pythone afflatæ vatidicæ Mulieres loquebantur, & ex ventre; vel etiam ex culo, reſponſa dabant; item latratus, ferinus ululatus, clamor ingens, fœtida exſpiratio, craſſa, fumoſa, os ſpumans, ructus & borborygmus, vultus truculentus, & ſcurrilis. Nam quandoque vultus humanus ita deturpatur, ut monſtroſus planè fit; præcipuè quando furit Dæmon; è contra eundem ad luxuriam, & levitatem, quandoque componit: linguam etiam interdum exſerunt, ſtridorem dentium excitant, ſpinam ultra poſſe ordinarium contrahunt: aliquando adeſt ſtupor, functionum ſegnities, ſenſuum privatio, tantaque inſenſibilitas, ut, ſi acu pungantur Ægri, non ſentiant, nec ſanguinem fundant. Diagnoſtica autem, quæ ab *intellectu* deſumuntur, ſunt varia idiomata, *πολυγλωττίας*, & ſcientiæ incognitæ, item occultorum revelatio, quando ſcilicet Æger præſentibus arcana narrat, & confundit: uti Padibornæ, in Weſtphaliâ, aliquando contigit, apud P. P. Capucinos, dum ſeſe accedentes duos viros inſignes primò quaſi allatravit energumena, deinde malam ipſorum vitam publicè enarravit, poſtea religionem propalavit: nam uni edixit: heus tu, Calviniſta; alteri: heus tu, Lutherane, jamdudum mei eſtis ambo: quo audito, ambo converſi ſunt ad fidem Catholicam, & melioris frugis vitam

In intellectum.

poſtmodum duxerunt. Hæ arcanorum revelationes ſoli Angelo, aut Dæmoni, notæ ſunt: adeoque ſignum eſt, tales eſſe obſeſſos: quamvis ejuſmodi actiones non tantùm à poſſidente, ſed etiam ab aſſidente, Dæmone, ſeu ſpiritu familiari, poſſint exerceri. Ex paſſionibus quoque Dæmonum colligi multa poſſunt: v. g. quando fiunt exorciſmi Eccleſiaſtici, invocatio Divini Nominis; vel alicujus ſancti Angeli, vel alterius Sancti, pia precatio, & myſteriorum fidei prolatio, contactus hominis Sancti, aqua luſtralis aſperſâ, ſignum Crucis impreſſum, S. S. Chriſti Corpus oblatum, vel oſtenſum, vel ſupra caput poſitum, item ſacræ reliquiæ: quorum omnium virtute obſeſſus terretur, fremit, trepidat, exhorreſcit, in voces horridas prorumpit, blaſphemat, impatiens redditur, vimque ſibi inferri non exiguam demonſtrat: quæ omnia, vexatione deſinente, quoque deſinunt, & ſedantur, nullâ penitus remanente animi mutatione, vel præteritorum reminiſcentiâ. Et mirum eſt, poſt graviſſimas jactationes, & fictos graviſſimos morbos, tempore vexationis, tempore quietis ne minimum quidem remanere veſtigium, præter laſſitudinem quandam: & perquàm difficile eſt, ita obſeſſum fingere, ut non advertatur: quod enim naturaliter fit imitabile, cum tempore perit; adeoq; fictores non diu manſerunt inulti, ſed à S.S. Matre Eccleſiâ ſemper fuerunt graviſſimè puniti: ad quam ſolam, teſte Lactantio, *l. 4. Divinarum inſtitutionum, cap. 27.* confugiendum eſt; non verò ad artem Magicam, quæ aurea æreis permutat; id eſt, corpus liberat, ut animam captivet. Non tamen negamus, humorem melancholicum, Dæmonis domicilium, catharticis medicamentis expurgari poſſe.

Puniuntur à S.S. Eccleſiâ, qui ſeſe obſeſſos fingunt.

Ecſtaſis quid.

Ecſtaſis verò dicitur, apud Philoſophos, rei cujuscunque egreſſus ab eo ſtatu, in quo priùs erat. Ita Ariſtoteles, *4. de gen. animal.* vocat exſtaticos liberos, qui ab indole parentum degenerarunt. Theophraſtus vappam appellat vinum ecſtaticum: apud ſacros D. D. ecſtaſis eſt, quoties animus ſtupore quodam, validiùs incumbente, & diutius inſidente, percellitur; vel mens ipſa partim metu, partim admiratione, quaſi è ſtatu ſuo dimovetur, aut dislocatur. Fuit ecſtaſis apud *S. Lucam*, prioris exemplum, *cap. 5.* dum Paralyticum, à Chriſto ſanatum, conſpexerunt, *ſtupor cepit omnes*: poſterioris verò apud S. Marcum, *cap. 16. tremor, & ſtupor ipſas apprehenderat*, ſcilicet mulieres, quæ Chriſti ſepulchrum inviſerant. Perſæpe accidit, ut timor repentinus, & furor, mentem dislocet, præſertim in pueris, mulieribus, & naturis debilioribus.

Item.

Aliàs ecſtaſis eſt, cùm quis, ob intenſam rerum divinarum contemplationem, extra ſe rapitur: & hic eſt raptus Metaphyſicus, qui tripliciter fit, ſecundum D. Thomam, *22. qu. 175. art. 1.* Primò itaque fit virtute Divinâ: ſecundò virtute Dæmonis: tertiò ex cauſa corporali, ſeu vitio humorum. Primo modo fit ecſtaſis, cùm quis ad rerum cæleſtium contemplationem per ſpiritum evehitur, cum abſtractione mentis à ſenſibilibus. Talis fuit raptus D. Pauli, Prophetarum, & Sanctorum hominum. Secundo fit, quando Dæmon ligat ſenſus externos: & dupliciter quidem fit: vel obſtructis meatibus, per quos animalis ſpiritus à cerebro ad ſenſoria ipſa permeat; quo fit, ut membrorum externorum motus adeò impediatur, ut corpus vivum cadaveris ſpeciem præ ſe ferat; vel eſt Magorum ecſtaſis, per quam, licet in uno loco permanſerint, credunt tamen, ſeſe varia loca peragraſſe, convivíis interfuiſſe, ſaltaſſe: ſed falsò. Tertio modo fit ecſtaſis, quando, ob vitioſas corporis & humorum diſpoſitiones, mentis alienationem patiuntur homines: diciturque ab Hipp. *mentis exceſſus, ex repentinâ aliquâ perturbatione proveniens.* Talis eſt perturbatio, quæ criſin præcedit. Hipp. *7. aphor. 5.* ait, ecſtaſin inſaniam ſolvere: quando nempe humor ille, qui

cerebrum

cerebrum occupabat, vehementi motu ad alvum prorumpit, & tandem excernitur.

Ecſtaſis differentia. 1. Morboſæ ecſtaſeos *triplex* eſt *differentia*: nam alia eſt ſtuporis; alia ſilentii; alia furoris. In *primâ* Ægroti manent immoti, ſtupidi, & inſenſiles, ita, ut transfixi non ſentiant; quæ ſæpe fit, plagâ in capite acceptâ, πτῶμαν ſimili, uti habetur, *7. aphor. 14.* cùm quis nec audit, nec loquitur, ſed apertis oculis quietus manet, veluti attonitus. Idcircò Julius Scaliger eam definit; *privationem officiorum animæ ſentientis*. Fit autem affecto cerebro, ſensûs, & motûs principio; in quo ſpiritûs retinentur, nec ad ſenſoria mittuntur, ob refrigerationem: hinc febris ſuperveniens ſalutaris eſt. Hæc ecſtaſeos ſpecies inducitur à ſolano furioſo, hyoſcyamo, ephemero, vel ab internis vaporibus, ab utero, vel liene, in hyſtericis, & hypochondriacis, elevatis, vim ἐκστατικὴν habentibus, cerebrum occupantibus, & ſpiritûs animales figentibus; unde totum corpus obrigeſcit, immotúmque manet.

2. *Secunda* ecſtaſeos ſpecies eſt ſilentioſa; à ſilentio, quod ſervat, perpetuo: *Cauſa.* Ejus *cauſa* eſt ſumma animi pertinacia, melancholiæ ſoboles, ſine facultatis impotentiâ, vel culpâ inſtrumentorum vocem efformantium. Hæc ſpecies facilè in ecſtaſin furioſam incidit: uti teſtatur Hipp. *in Coacis prænot.* ub atrorum humorum augmentum. Item mutatur in tertium genus ecſtaſeos, quæ ab Hipp. pro inſaniâ vehementi habetur, ob ingentem, & ferinam mentis aberrationem: vocatur ecſtaſis phrenitica, vel melancholica, per excellentiam, eò, quòd fiat à melancholiâ, à ſuo ſtatu egreſſa, & in atram bilem degenerante. Hi quidem periculosè laborant, ſi febris, vel convulſio, vel perfrigeratio, ſuperveniat.

Curatio. *Curam* quod attinet, ſtupidæ ecſtaſi eadem, quæ maniæ, debetur. Alteram verò prognoſtico relinquendam eſſe, tradit Hippoc. *l. de arte*, & Galen. *comm. ad 2. aphor. 29.* ne ſcilicet inſamentur remedia, quæ multis fuêre uſui, & ſaluti: præcipuè cùm ſit deſperatum ſymptoma præcedentium morborum; quod deſinere non poteſt, niſi illis quoque deſinentibus. adeoque fruſtra ſuam illi Medicus impendit operam.

Objectiones. 1. Objic. 1. In multis locis viſi ſunt Lycanthropi: ergo verè dantur; & conſequenter homines poſſunt in lupos mutari. Reſpon. Viſi ſunt lycanthropi illuſorii, & ope Diabolicâ ficti; concedo: lupi homines, qui verè ex hominibus lupi facti ſunt; nego. Eſt enim impoſſibile, uti dictum, ut forma hominis informet corpus lupi, ob organorum defectum. Nam poſitis diſpoſitionibus ponitur forma; ablatis auffertur.

2. Objic. 2. Lemnius *cap. 2. de occultis naturæ miraculis*, ſcribit, mentem hominis rerum omnium ſcientiam, & cognitionem inſitam habere; quæ craſsâ veluti nube corporis, & humorum, obruitur, acciditque vi febris, vel aliorum morborum, ut iſti humores attenuentur, vel ut ab iis cerebrum liberetur: ergo tunc mirum non erit, ſi Ægroti lingvam quandam exoticam proferant, vel ſcientificè de rebus ipſis antè occultis loquantur. Sic vinum facit ruſticum loqui latinè: ſic è ſilice elicitur ignis. Immò ait idem Author, noſtrum ſcire nihil aliud eſſe, quàm quoddam reminiſci: mentémque artibus imbui, ante earum uſum, eſt etiam Origenis ſententia. Reſpondeo: Hæc opinio non minùs impia eſt, quàm rationis expers. Quòd impia ſit, ſcribit D. Thomas, *p. 1. q. 118. art. 3.* nempe animam à Deo creari cum corpore: ab eo infunditur, abſolutâ nimirum ejus conformatione: ex Lemnii ſententiâ autem ſequeretur, animam fuiſſe corpore antiquiorem, & alicubi extitiſſe, antequam corporis repagulis vinciretur. Quòd ſit rationis expers, patet ex hoc, quòd turpe ſit, exiſtimare, actiones perfectiores ab impuris humoribus, quàm à puris; à morboſo corpore, quàm à ſano, exerceri poſſe: quod in hoc caſu fieret. Item eſt contra Ariſtotelem, *l. 3. de animâ*, ubi

ubi mentem hominis tabulæ raſæ, in quâ nihil depictum eſt, comparat; adeoque, ait, nullam habere ſcientiam inſitam, ſed eam longo uſu addiſcere debere. Idem Philoſophus, *l. 2. Ethicor.* docet, genus utrumque virtutum, διανοητικὸν, & ἠθικὸν, à doctrinâ ortum habere, & incrementum; ideoque & tempore longo, & crebrâ exercitatione, opus habere.

3. 3. Cardanus, *l. 3. tr. 2 contrad. 7.* recitat hiſtoriam, deſumptam ex Pomponatio, *l. de incantationibus*, de Sutoris cujuſdam uxore, quæ cùm incidiſſet in maniam, diverſa lingvarum idiomata proferebat: quæ tandem à Calcenaro, Medico excellenti, uſu hellebori ſanitati, & lingvarum oblivioni, reſtituta eſt. Conciliator non abſimilem narrat hiſtoriam, de muliere illiteratâ, quæ, poſtquam in melancholiam incidiſſet, Latinum idioma eleganter proferebat; recedente morbo, tandem & hæc loquendi peritia receſſit. Simile exemplum narrat Eraſmus, in Encomio Medicinæ, de quodam Spoletano, qui, poſtquam ex vermibus in novum maniæ genus incidiſſet, Teutonicè loqui incepit; quem Panaceus, Medicus, curavit à morbo, ſed loquendi peritiâ ſimul eum privavit. Reſpond. vel ſublato humore melancholico, Dæmonis ſubjecto, illos fuiſſe curatos: idem per herbas, & remedia naturalia, fieri poſſe, teſtantur Codronchus, *l. 2. de morbis venef.* & Leonard. Vajrus, *c. 8. l. 3. de faſcino*: vel, ut Philoſophis imponeret, ſanitatem ſimulatam reliquit Diabolus, adeóque inſveta illa idiomata, & ſcientiæ, fuerunt à Diabolo, non à vi inſita, per mutationem in actum redacta.

Quæſtiones. I. Quæres primò: Utrùm Diabolus ſemper adſit poſſeſſo, eúmque ſemper cruciet? Reſp. Diabolum quandoque hominem ad tempus deſerere, nec ſemper eum cruciare; primò, quia eſſet impoſſibile, ut homo par eſſet tantis laboribus ſuſtinendis; ſecundò, quia Deus non permittit: tertiò, quia valde ſui expulſionem timet.

II. Quær. ſecundò: unde fit hoc, quòd tanta eſt quandoque obſeſſorum inſenſibilitas, ut, etiamſi acu pungantur, non ſentiant? Reſpon. Fernel. *2. de abditis rerum cauſis, cap. 16.* à Dæmone in venis, & nervis, viam ſangvini, & ſpiritui præcludi: quod etiam Genebrandus, *in ſuâ Lithurgiâ, cap. 28.* notavit.

Quær. tertiò: Cur hæc ſenſûs privatio non fiat à vaporibus narcoticis, elevatis ab humore melancholico, ut fit in hyſtericis? Reſpond. hanc inſenſibilitatem à morbo non dependere, patet ex hoc, quòd ſolutâ vexatione protinùs ſenſus redit; quod non fit in hyſtericis; in quibus aperta ægritudinis indicia ſeſe manifeſtant. III.

Quær. quartò: Utrùm, quod Bodinus aſſerit, verum ſit, in ecſtaſi corpus ab animâ deſeri? Reſpond. vim quidem Magicam accedere, ſed animam è corpore non recedere: nam quamprimùm anima recedit à corpore, jam hoc ipſo facto mors eſt: excipe tamen ecſtaſes divinitùs conceſſas, in quibus anima poteſt egredi hinc. Deus corpus ipſum, in ſuis diſpoſitionibus, ad recipiendam animam redeuntem ſatis conſervat; in aliis verò ecſtaſibus, quando corpus exanime omnino putatur, tantùm functionibus ſuis privatur, ob impeditam ſpirituum animalium ad ſenſoria influentiam. IV.

Quær. quintò: Qualis fuerit illa D. Pauli ecſtaſis, quâ dicitur raptus in tertium cœlum: utrum tum fuerit ipſius anima extra corpus; vel non? Reſp. eundem D. Paulum, ad *Corinth. 12.* de ſe dubitare. Probabile tamen eſt, fuiſſe veram ecſtaſin, à Deo immiſſam. V.

CAPUT XI.

De Fatuitate, & Amentia.

INter nobiliſſimas, & principes animæ functiones principem facilè locum obtinet *Ratio*, quæ græcis σύνεσις dicitur, eaq; *tribus modis læditur*: vel enim depravatur, & παραφροσύνη voca- *Triplex rationis læſio.* tur;

tur; vel imminuitur, & *μώρωσις*, ſive fatuitas; vel aboletur, & *ἄνοια*; id eſt amentia, nuncupatur. *Locus affectus* eſt cerebrum; quod dupliciter læditur: vel ut pars organica, vel ut pars ſimilaris. Eſt itaque affectus hic actio imbecillis, vel potiùs abolita, facultatis ratiocinatricis; ad quam fatuitas, & inſania propriè pertinent: ita tamen, ut cæteræ facultatis principis actiones, imaginatio ſcilicet, & memoria, non lædantur. Paulus, *l. 3. cap. 11.* & *l. 6. cap. 25.* rationis, & memoriæ, vitium, communi nomine, *μώρωσιν* appellat: adeoque non eſt ſimplex affectus, ſed primò rationis; deinde memoriæ; vel contra.

Locus affectus. *Quid?*

Amentia. Idem de *Amentiâ* ſentiendum eſt, quæ mentis eſt privatio, aut quædam quaſi paralyſis: differunt enim ambæ ſolâ majoris & minoris ratione, quòd illa fiat à cauſis levioribus; hæc à fortioribus. Si amens ſit *ab ortu*, talis plerunque manet: quæ verò amentia fit à cauſis adventitiis, faciliùs curatur. Ingenita verò amentia fit vel à vitioſâ capitis conformatione, uti erat Therſitis, apud Homerum; vel à cerebri intemperie; vel ab utroque ſimul.

Vitium conformationis vitiosa. Mala capitis conformatio eſt vel in auctâ, vel in diminutâ, magnitudine. Nam caput debet habere proportionem quandam cum toto corpore: aliàs impar eſt regendis partibus. *Parvum caput damnat Gal.* Galen. *art. parva cap. 11.* *parvum caput* damnat, eò, quòd arguat formatricis debilitatem, vel materiæ paucitatem: in parvo enim cerebro exigua eſt medulla, & exigui ventriculi; unde etiam pauci ſpiritûs animales generantur, qui actionibus ritè obeundis non ſufficiunt. Unde parvum caput præceps, & imbecille denotat ingenium, quod nec rem arduam concipere, nec diu in aliquod ſtudium incumbere poteſt. *Boni capitis ſigna unde petenda.* *Magnum* autem caput ab Hippoc. *6. epid. p. 7. ſect. 1.* laudatur, præcipuè ſi figuram concinnam & naturalem, cum cervicis robore, cæteris paribus, id eſt, cum æquali reliquorum oſſium proportione, obtineat. Magnum caput robur formatricis denotat, quæ in laudabilem copioſamque materiam rectè operata eſt: ſi verò nimia ſit magnitudo, copia materiæ, quæ formatricem oppreſſit, ſignificatur.

Figura capitis juſta. *Capitis figura*, ut ſit bona, debet eſſe rotunda, & ſphærica, utrinque leniter depreſſa; uti videre eſt in Galen. *l. de oſſibus, cap. 1. & l. 9. de uſu partium, cap. 17.* & *in arte parvâ.* Omnis figura, quæ ab hac deflectit, vitioſa eſſe cenſenda eſt. Vide Inſtit. noſtras Anatomicas. Galen. *l. 8. de uſu partium, cap. 13.* exiſtimat, intellectum potiùs ſequi corporis laudabilem temperiem, quàm compoſitionis varietatem, putàtque, bonitatem & perfectionem intellectus non tam tribuendam eſſe ſpirituum multitudini, quàm bonæ eorum qualitati: idem, ante eum, ſenſit Hipp. *1. de diætâ*, ubi ait, *hominem naſci prudentiſſimum, ſi pars ignis ſicciſſima, & aqua humidiſſima, æqualiter temperentur.* Galenus ait, levitatem & inconſtantiam, calidam; ſtuporem & ignaviam, frigidam; oblivionem, fluidam; pertinaciam, ſiccam cerebri conſtitutionem denotare: mentis celeritas ſubtilem, tarditas craſſam, cerebri ſubſtantiam teſtatur. Nam ex tenui materiâ clari & ſinceri naſcuntur ſpiritûs, ex craſſâ turbulenti, & caliginoſi. *Εὐμάθεια*, ſeu facilitas diſcendi, mollem; *Δυσμάθεια*, ſeu addiſcendi difficultas, duram cerebri ſuſtantiam denotat: faciliùs enim ſubſtantiæ molli ſigilla, & characteres, quàm duræ, imprimuntur.

Quid humorum prædominium efficiat. Ad actionum cerebri varietatem plurimum facit *humorum prædominium*: ſic, ſi ſangvis ſupra modum exſuperet, homines reddit ſtolidos & ſimplices; ſi pituita, pigros & ignavos; ſi bilis, præcipites; ſi ſupra modum incandeſcat, præter mentis alienationem, parit audaciam & ferocitatem: ſi verò humor melancholicus naturalis mixtione bilis, aut ſanguinis calidioris, temperetur, ad ingenium & ſapientiam optimam facit miſcellam.

Cauſæ poſt ortum advenientes, quæ fatuitatem aut inſaniam poſſunt invehere, ſunt: frigus, ſiccitas, & humiditas. Hinc qui ſunt à naturâ frigidi, & melancholici, facilè in μώρωσιν incidunt. Tales autem ſunt fœminæ, ſenes: unde natum eſt illud adagium: *ſenes bis pueri*: Ad hunc affectum generandum plurimum faciunt cruditas, & ingluvies; nec ſolùm pueri, cum Gellio, ſed etiam juvenes, & ſenes, per multam repletionem, ſegnes & langvidi evadunt. Ita Clemens Alexandrinus, *l. 7.* patetque in Athletis, quorum quantò plus molis corpori additur, tantum vigoris animo demitur.

Senes bis pueri unde.

Amentiam *pariunt* mandragora, ſolanum furioſum, copioſa vini generoſi potio, Venus immoderata, nimiæ vigiliæ, & nocturnæ lucubrationes; quæ omnia non rarò mentem dislocant, & ex ſuo ſtatu dejiciunt, &, reſiccato exhauſtoque ſpiritibus ſuis corpore, vires omnes ſolvunt: idem efficit frequens venæ ſectio, vel hæmorrhagia quævis nimia, quæ cerebrum ſpiritibus ſpoliat, & hominem ſine ullo vigore relinquit; ſomnus item diurnus frequens, & longus, cerebrum ita humectat, ut homines inertes, lentos, ac ſtupidos reddat; idem ferè præſtat otium, corpus replendo, item aër craſſus, frigidus, & humidus; qualis eſt inter montes Styriæ; ubi plurimi homines ſtulti ſunt, plurimis ſcrophulis onerati, ob Mercurium, aquas alterantem; qui humores ad collum (uti patet ex ejusdem exhibitione, in morbo Gallico) pellit; unde ſcrophulæ, & ſtrumæ plurimæ generantur. Sunt etiam morbi quidam, qui fatuitatem inducunt; ut ſunt apoplexia, epilepſia, paralyſis &c. quibus per protopathiam cerebri laborantes ſenſuum mentisque torporem incurrunt; eſtque character quidam quaſi impreſſus iis, qui tales affectûs aliquando experti ſunt: hinc etiam facilè flent, & inordinatè ridicula quædam proferunt.

Quænam inducant amentiam.

Curam quod attinet, μώρωσις naturalis, & à nativitate inſita, ſicut & inveterata, quæ in habitum abiit, curam non recipit. Itaque recenti duntaxat, & illi, quæ à cauſis externis, vel morborum reliquiis, profecta eſt, curam, per victûs rationem, & medicamenta, adhibere oportet, in idque unicè allaborandum, ut frigida cerebri intemperies corrigatur. *Aër* itaque ſit calidus & tenuis, rebusque odoratis perfundatur: item grati odores procurentur, ex *moſcho*, *ambrâ*, *balſamis* caryophyllor. majoranæ, ſuccini, apoplectics &c. *Cibi* aromatizentur ſolito fortiùs: *Vinum* ſit antiquum, defæcatum, & optimum, ſed moderatum & dilutum: vitetur omnis cruditas, & crapula. *Alvus* ſemper reſpondeat, vivatque Æger ſecundum regulam ſummi cujusdam Miniſtri: *bocca ſerrata*, *culo aperto*, *& gatzo nodato.* Si alvus adſtricta ſit, ſollicitetur *pilulis ſine quibus*, vel *aloëphanginis*, vel *marocoſtinis* Minderери, vel *de ſuccino Cratonis*; vel *aſſaiereth.* Ante cibum corpus moderatè *exerceatur*: *ſomnus* ſit parcus & moderatus; excedentes vigiliæ tamen vitentur, ne per has pauci reliqui ſpiritûs diſperdantur.

Curatio. *Diæta.* *Aër.* *Cibi.* *Potus.* *Excreta.* *Motus.* *Somnus.* *Vigiliæ.*

Si frigidæ intemperiei juncta ſit pituita, vel in toto corpore, vel in capite; hæc ſumptis, & admotis, vel univerſalibus, vel particularibus, *evacuanda*, & conſumenda eſt, ipſumque cerebrum corroborandum. Sequentibus itaque *Pilulis* expurgari poterit totum corpus:

Purgatio. *Pilulæ.*

℞. *Extr. agar.*
pil. cochiar.
Imperialium, ana ℈ß.
reſin. galapp.
pulv. Syris, ana gr. iiij.
ol. fœnic. gutt. iiij.

Cum ſ. q. *ſyr. de hyſſopo*, F. Pil. num. viiij. Inaurentur pro unâ doſi, alternis diebus repetendâ: vel expurgari poterit ſequenti *Decocto*:

Decoctum.

℞. *Herb. ſalviæ*,
beton.
majoran. ana mß.
cubebar. ʒß.
rad. polypod. quercini ℥ij.
helleb. nigri præparat. ʒß.
fol. ſenæ ſ. ſt. ℥iß.
agar. rec. troch.
mechoacanna albæ in pec. ligat. ana ʒij.
Infunde in *aq. beton.* & *vini alb. bullient.* ana ℥iij.

Stent infuſa 24. horis: dein, factâ ebullitione, in colat. forti expreſſione facta, diſſolve

confect. hamech. ℥iß.
ſpiritûs macu ℈ß.
crem. tartari ʒß.
M. F. Potio.

Venæſectio. In affectibus capitis frigidis *Venæſectioni* locus non eſt, niſi illa intemperies proveniat à prohibitâ aliquâ ſangvinis evacuatione; v. g. menſibus, hæmorrhoidibus; & tunc ſummâ cum circumſpectione celebranda eſt. *Caput purgatio. Pilulæ.* Caput ſæpe expurgetur *pil. cephalicis*, ex *aloë*, & *agarico*. Uſus *pulveris* noſtri *Cephalici*, per nares attracti, frequens eſſe poterit: item *maſticatoria ex maſtiche*, & *peto*, caput à pituitâ copioſè liberant.

Cephalica interna. Ad *caput roborandum* conveniunt *Opiata ex conſerva beton. flor. anthos, ſalvia, majorana, meliſſa, confect. Alkermes, Zinzibere, & nuce moſchatâ, condita*, cum *ſpecieb. diambra, & diamoſchi dulcis*. Nos propinamus aliquot guttas *tincturæ Lunæ*, in juſculo; eaſdem fere vires habet *tinctura lapidis lazuli*: item moderni propinant *decoctum herbæ Thee*, cujus effectum ſingularem hactenus non vidi, adeoque *ſuccolatam Indam*, de quâ vide Calderam de Herediâ, *in tribunali ſuo Med.* longè præferrem. *Externa. Cucupha.* Ad caput extrinſecè corroborandum fiant *Cucupha ex pulv. rad. cyperi, ireos, ligni aloës, ſaſſafras, herbis hyſſopi, majoranæ, ſalviæ. beton. floribus ſtæchados, anthos, caryophyllis, nuce moſchatâ, cotone excepta*; *Unguenta.* vel tempora *ungantur oleo nardino, caryophyllor. nucis moſchatæ*; vertex verò aliquot guttulis *olei ſuccini*, vel *olei ſpiritûs vini*: vel ex pulveribus, & oleis odoratis, admixtis *ſapphiro & ſmaragdo*, *Globuli.* conficiuntur *Globuli* majores, perpetuò manibus geſtandi, & naribus ſæpe admovendi. In magnâ pituitæ, cerebrum occupantis, copiâ *Canteria.* *Canteria* brachiis, & veſicatoria nuchæ, ſunt applicanda; attendendo tamen ſemper, ne caput nimiùm exſiccetur: quare *Decoctum polypodii.* *decoctum polypodii*, in juſculo gallinæ factum, ſæpius propinetur, quod omnem ſiccitatis nimiæ præcavet introductionem.

Objectiones. 1. Objic. 1. Ariſtoteles ait, *problematum. 3. ſect. 30.* hominem tum in genere animantium, tum in ſuâ ſpecie, prudentiſſimum æſtimari, qui minimo ſit capite: cùm tamen Galen. *Artis parvæ c. 12.* parvum caput damnet. Reſp. cum Bartholomæo perdulci; parvum caput à Galen. intelligi, præter naturæ humanæ conditionem; ab Ariſtotele verò factâ comparatione cum cæteris animantibus, prono quæ in terram capite incedunt; vel in hominum ſpecie, cum magno capite, modum naturalem excedente, quod vel ſuo pondere hominem gravet, vel frigore & humiditate cerebri amplioris animæ functionibus officiat. Prudentia enim, & ſapientia, in ſicco; ut ait Plato.

Objic. 2. Si multa venæſectio, aut ſangvinis evacuatio, fatuitatem inducit; ergo ii, qui per hæmorrhagiam nimiam, aut venæſectionem, facti ſunt hydropici, maximè erunt fatui, cui contrarium quotidiana docet experientia. Reſp. Licet fatui ex toto non evadant, attamen ille mentis vigor, qui antè fuerat, ampliùs non eſt, & plerumque videmus, illos effætos, & puſillanimes eſſe, qui antè generoſiſſimi fuerant; nec, unicam hanc fatuitatis cauſam eſſe, adſtruximus, ſed concauſam, & plurimum adjuvantem quidem. 2.

Objic. 3. Dictum eſt, ſomnum, & vigilia excedentes poſſe inducere hunc effectum; cùm tamen contrariorum contrarii ſint effectûs: hæc autem ſeſe contrario modo habent: ergo contrarios producunt effectûs. Reſp. nos non intelligere eundem effectum, eodem modo, à ſomno & vigilia inferri, ſed diverſo prorſus. Nam à ſomno ſpiritûs ſuffocantur; à vigiliis verò diſſipantur. 3.

Quær. 1. Utrum verificetur illud Aphrodiſæi, *l. 1. problematum 26.* plerunque à ſtultis prudentes filios generari; ſicut fatuos, & imbecilles, à viris doctis & ſapientibus. Rꝭ. non ſemper id verificari; ſed prout corpora ſunt robuſta, & Venereo actui intenta: Si enim corpus viri docti æquè ſit robuſtum, & Veneri intentum, atque ruſtici; æquè fortem & ingenioſam generabit prolem: quòd autem ſæpius contrarium evenit, id inde fit, quòd *Quæſtiones.* I.

Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.

Quær. 2. Cur Hipp. *in prorrhet. p. 31. ſect. 1. l. 1.* dicit, moroſin ex ictero lethalem eſſe? Reſp. Hipp. per moroſin intelligere veternum, ſecundum Gal. II.

 mentem;

mentem; quamvis exiſtimem, ob ingentem receſſum à ſtatu naturali, et cauſarum diſſimilitudine provenientem, illud Hipp. dictum verificari poſſe.

CAPUT XII.

de Memoria Læſione.

Cùm memoriæ læſio ſit affectus, cum rationis læſione conjunctus; & ita quidem, ſecundum Veteres, ab iiſdem ferè cauſis provenire, iiſdemque remediis curari debere, proditum ſit, cúmque affectus ſit, qui ſub curam Medicam frequentiſſime cadit; operæ pretium eſt, ut hîc paucis de illa pertractemus: eſt enim memoria homini adeò neceſſaria, ut citra hanc nec artes addiſcere, nec diſciplinâ ullâ imbui, nec ſocietatem cum ullo habere poſſit. Hinc Plinius, *l. 7. nat. cap. 24.* ait; *memoriam bonum eſſe vitæ maximè neceſſarium; & hanc artium matrem eſſe*, dixerunt Poëtæ, mnemoſynes impoſito nomine. *Memoria definitio.* *Definitur* autem *memoria* imaginum, à ſenſibus communicatarum, conſtans & dilucida conſervatio. *Subjectum.* *Subjectum* ejus, utpote cerebrum, nec molle nimis, nec durum, eſſe oportet. Nam in molli ſpecies impreſſa quamprimùm diffluit; in duro verò non facilè recipitur. *Differentia.* *Diſtinguitur* memoria à reminiſcentiâ, quæ ſeſe reflectit ſuper res, antè jam à memoriâ perceptas, utiturque ratiocinatione, & diſcurſu, adeoque ad ingenium refertur. Et memoria, & reminiſcentia, utraque bonam cerebri temperiem requirit, id eſt, laudabilem humorum ſymmetriam, & ſpirituum claritatem, cum calidi innati copiâ ſufficienti, & debitâ ſtructurâ, id eſt, ut caput partem poſticam habeat ſatis amplam, & parumper depreſſam: denique cum cerebri ipſius modicâ ſiccitate, ut ſpecies facilè recipiat, nec eas facilè elabi patiatur. *Qui ſumma fuerint memoria.* Ejuſmodi memoriæ fuerunt Seneca, Adrianus Imperator, Julius Cæſar, Themiſtocles, Mithridates, Lucius Scipio, Cyrus Rex, & plures alii. Memoratricem tamen facultatem, veluti cætera omnia, vel ob ſenium, vel ob morbos, mirabiliter lædi, immo aboleri poſſe, teſtatur Marcellus Donatus, *l. 2. hiſt. mirabilis, c. 2.*

Fit etiam non rarò, ut quidam, integrâ ſanitate gaudentes, de repente ſummam memoriæ læſionem patiantur: & cauſæ ſunt, *Cauſa.* vel vitioſa capitis figura, vel frigus, vel humiditas, vel calor externus, vel etiam febrilis, & malignè modificatus, intemperantia. Cibus nimius, potúsque, maximè vini generoſi, memoriæ plurimum nocet. Nam perennibus fumis, & vaporibus craſſis, cerebrum implet, ejusq; actiones lædit; immo ex ebrietate plurimi ſtupidi, & inertes evaſerunt. Quòd autem nimius cibus capiti plurimum noceat, ex hoc patet, quòd, ad tantam cibi copiam digerendam, calor à capite ad ventrem attrahatur, eoque caput privetur: quemadmodum in magnis capitis laboribus, & ſpeculationibus, calor à ſtomacho, & inferiori regione, ad ſuperiorem rapitur; unde tot ſentiunt cruditates, flatûs, & borborygmos, ii, qui ſtudiis, & aliis curis, ſunt dediti; calore ſcilicet naturali, & ſpiritibus, in inferiore regione deficientibus, & in capite, ad alias actiones perficiendas, detentis. Item Venus immoderata memoriæ plurimum nocet: nam mentem percellit, ſpiritûs exhaurit, cerebrum, quaſi per convulſionem, in emiſſione ſeminis, concutit, & ſtomachum pervertit: unde magis ſemper indiſpoſiti ſunt manè, qui noctu pollutiones paſſi ſunt: quòd autem pejùs habeant, quàm ii, qui rem Veneream exercuerunt, cauſa eſt, quòd illa ſeminis expulſio, quæ in pollutione nocturnâ fit, fit à ſolâ facultate irritatâ; non verò in coitu. Secundò plures ſpiritûs emittuntur in pollutione nocturnâ, & involuntariâ; ſiquidem in hac non ſunt occupati aliis actionibus, uti ſunt in coitu: hinc etiam facilius, unà cum ſemine, ſecedunt. Somnus item longior, præcipuè matutinus (aliàs Muſis dicatus) memoriam lædit: hic ſiquidem cerebrum ita humectat, ut ſpecies retinere non poſſit: item ſomnus à cibo plurimum officit: hic ſiquidem crudos humores ad caput mittit plurimos: ita etiam vigiliæ nimiæ cerebri vires obtundunt, memoriamq; lędunt: per has enim calor à ventre

avo-

avocatur ad membra externa, concoctiones non fiunt, generantur cruditates, & hinc cerebri damna. Ad memoriæ læſionem plurimum quoque facit ambientis frigiditas, & humiditas pluvioſa: humiditas enim eſt frigoris vehiculum: hinc frigus cum humiditate multò magis affligit, quàm frigus cum ſiccitate: item tempeſtas auſtrina torporem excitat, & menti offundit caliginem: idem faciunt cibi craſſi, & viſcidi; item nimius labor; quo, teſte Galen. *l. 3. de loc. aff. cap. 4.* quidam vinitor rerum omnium oblitus eſt, ob ſpirituum diſſipationem. Aetius ait, nihil magis memoriam confundere, quàm varietatem lectionis, quæ fit ob animi diſtractionem. Hùc referentur venena, evacuationes immodicæ, animi perturbationes; ut ira, metus, agendorum moles nimia, validæ capitis concuſſiones, quæ non tantùm memoriam, ſed etiam rationem, excutiunt; verbo, quicquid vim & violentiam graviorem cerebro inferre poteſt, inter cauſas violatæ, aut læſæ, memoriæ referri poteſt.

Signa cauſarum. *Signa cauſarum* ſunt, quod, ſi malum proveniat à malâ capitis conformatione, hæc ad oculum patet: ad intemperiem cognoſcendam, ſomnos obſerva, cum Galen. *lib. 3. de loc. aff. c. 4. & 5.* Nam ſi frigiditas juncta ſit humiditati, aderit ſopor: ſi cum ſiccitate, vigiliæ; ſola humiditas ſomnum facit longum, & profundum; calor verò cum ſiccitate vigilias excitat; nec ſine delirio quandoque humorem, intemperiei adjunctum, cognoſces ex iis, quæ excernuntur, item ex habitu corporis, conſtitutione, & calore. Ii, qui diſcendi facilitatem habent, plerumque tardiorem habent memoriam, eò, quòd diſcendi facilitas ſupponat cerebri ſubſtantiam molliorem, & humidiorem; bona memoria ſiccam, & ſtabilem: ita Galen. *cap. 12. artis parvæ*, & *Ariſtoteles, l. 1. de memoriâ. cap. 1.* Adeóque dociles, & ingenioſi, promptè reminiſcuntur, & memoriâ non pollent: contrà, qui fæcundam habent memoriam, judicium plerunque bonum non obtinent; ita humidum cerebrum ingenium acutum; durum verò tardum facit.

Præcedentia. Signa memoriæ læſionem *præcedentia* deſumuntur ex *Coacis prænot. Quibus capitis dolor, ſonitus aurium, vertigo tenebricoſa, manuumq; torpor adſunt, absq; febre; hos vel apoplecticos, vel obliviosos, fore expecta:* ſunt enim ſigna redundantis pituitæ in cerebro, quæ multa ſæpe negotia factitat: in acutis morbis familiares non tantùm non noſcere, ſed & oblviſci, lethale eſt; quia utrumque fit perfrigerato cerebro, & calore nativo jam propè extincto; quod peſſimum eſſe, teſtatur Galen. *comment. in hiſtoriam Hermocritis.* Quibus memoria, nullo, in cæteris partibus, ſeſe prodente affectu manifeſto, deficit repentè, minatur epilepſiam, vel apoplexiam, vel, ſecundum Avic. *l. 3. fen. 1. tract. 4. cap. 12.* lethargum, ob perfrigeratum cerebrum.

Curatio. Nihilominùs à memoriæ læſione, quæ recens eſt, à cauſis externis, vel etiam repletione nimiâ, illis ſemotis, & hac demptâ, ſanitas recuperabilis eſt. Si ſit ob nimiam evacuationem, curanda eſt victu analeptico: ſi ob ſenium, diætæ ſoli malum committendum eſt: ſi ab exceſſu alicujus qualitatis, hic tollendus eſt per contrarium. Fiat itaque memoriæ læſæ *Cura* per diætam, & per remedia.

Diæta, Aër. Quod attinet ad *Diætam: Aër* ſit temperatus, ſerenus, lucidus, odorus, devitatis ſummis caloribus & coloribus, quæ ambo caput plurimum non tantùm alterant, ſed etiam replent. *Cibus.* *Cibus* ſit boni ſucci, & facilis concoctionis, modicè calefaciens & attenuans, in modicâ quantitate, & tempore debito exhibitus. Si enim, unâ concoctione non perfectâ, cibus alter ſuperingeratur, meræ cruditates generantur; quæ ad caput elevantur, ex iisque memoria turbatur. Vitentur itaque olera omnia, fructûs crudi, bellaria, lacticinia, legumina, & flatuoſa, ſpiritûs quoque turbantia & incraſſantia: quanquam acriora interdum permittantur; veluti raphanus, thymus, pulegium, origanum, cinamomum, caryophylli, petroſelinum &c. *Potus.* *Potus* ſit vinum tenue & odorum, bene dilutum, quod mentem acuit, & recreat: ſed nimia abſit copia. Largus aquæ potus, velut memoriæ, ſuo frigore, & humiditate, maximè noxius, cane pejus & angve fugiendus eſt.

Nihil

Nihil magis conducit memoriæ, quàm faſtidii, & ſaturitatis, fuga; adeoque ſemper famem cibus, & potus ſitim exſpectet. *Somnus* ſit moderatus, præcipuè pomeridianus, vel ſtatim à paſtu. Quod ad reliquas *res non naturales*, vide diætam, *in præcedenti capite*, ordinatam.

Somnus.

Si per rite ordinatam victûs rationem mali pertinacia frangi non poſſit, refugiendum eſt ad *remedia Pharmaceutica*: quæ ſunt vel univerſalia, vel particularia; ſumpta, vel admota. Galen. *l. 3. de locis affect. c. 4.* jubet, ut toti corpori primo loco proſpiciatur. Ex fonte *Chirurgico*, ſi corpus ſit plethoricum, *Vena ſecanda* eſt, præmiſſo tamen clyſtere: deinde, ſi cacochymia adſit, hæc, præparatis, ſi opus fuerit, humoribus, per cathartica tollatur. Cùm verò pituita plerunque abundet, *expurgetur pil. aloëphanginis, de agarico, cochiis, Imperialibus, Ruffi, de hierâ picrâ*, addito *caſtoreo*, & *extracto hellebori nigri*. *Particularia* ſunt errhina, ſternutatoria, apophlegmatiſmi; ut his pituita ex cerebro per os expurgetur. Poſteaque intemperiem frigidam corrigere oportet *conſervâ betonicæ, pæoniæ, radice acori conditâ*, vel *conſervâ florum anthos, ſalviæ, ſtæchados, meliſſæ, menthæ, &c.* Nos aliquot grana *thuris maſculi* omni manè devoranda porrigimus. D. Hartmannus *pulv. Trithemii, aq. magnanimitatis, & liquorem Lunæ*, miris effert laudibus. Pulvis Trithemii talis eſt:

Remedia. Chirurgica. Venaſectio. Purgatio. Particularia. Appropriata. Condita. Pulvis Trithemii.

℞. *Macis*,
cubebarum,
caryophyllorum, ana ʒvj.
fol. ſen. elect.
cryſtallor. tartari,
Zingiberis,
chamæpit. ana ʒv.
rad. calami aromatici,
gentianæ,
ſem. cumini,
ſileris montani,
aniſi,
ammeos,
carvi,
petroſelin.
ſpicæ nardi,
Ind. ana ℥ß.
magiſt. corallor.
perlar. ana ʒij.

M. F. Pulvis. Doſis manè à ʒß. ad ʒj. in juſculo. Deſcriptionem *Aq. magnanimitatis* vide in Crollio, *l. 1. Baſilicæ Chymicæ, cap. 7.* Sequens *Tinctura* ad memoriam confortandam utiliſſima eſt:

Tinctura.

℞. *Myrobal. chebular.*
citrin.
Indar.
bellirică. ana ℥j.
galangæ,
caryophyllor.
granor. paradyſi,
cardamomi, ana ʒj.
nucis moſchatæ,
aniſi,
fœnicul. ana ℥ß.
roſar. rub. exſiccatar ℥iij.
florum anthos,
lavendulæ, ana ℥ij.
caſtorei ʒß.
confect. anacardinæ (quam *confection. Sapientiæ* vocat Meſue) ℥ij.
ſacchari albi ℔ß.
vini Malvat. anthoſati q. ſ.

F. l. a. Tinct. quæ ſi detur cum *aq. magnanimitatis*, ſummum memoriæ affert emolumentum. *Decoctum ſaſſaphras*, ad caput exſiccandum, memoriamque confortandam, unicè prodeſt. Occiput, usque ad nucham, *inungatur Ol. caſtorei, anethino, laurino, de majoranâ, de ſtyrace*. Conficiantur *Cucuphæ* ex herbis cephalicis; quæ ex *ſtyrace, maſtiche, thure* &c. etiam confici poſſunt. Prædicta olea cum bombace auribus imponantur, vel inſtillentur. Fieri etiam poſſunt *Sinapiſmi*: ut:

Decoct. ſaſſafras. Inunctiones. Cucuphæ. Epithemata. Sinapiſmi.

℞. *Sem. ſinapeos* ℥ij.
erucæ,
nigellæ, ana ʒiij.
baccar. laur.
rad. pyrethri, ana ℥ß.
coſti,
ſtyracis, ana ʒj.

F. omnium Pulvis: &, cum ſ. q. *aq. beton.* & *aceti vini*, F. Cataplaſma. Nota, quòd, ſi iſta memoriæ læſio proveniret à ſummâ ſiccitate, uti quandoq; in ſenibus, vel poſt febres ardentes, fieri ſolet, caput *foveatur Decocto malvæ, althææ, beton. flor. chamomill. nucis moſchat*: dein totum caput *inungatur Ol. roſaceo, amygd. dulc. liliorum. albor. nymphææ* &c. abſtineaturque à calidioribus, quæ ſiccitatem augere poſſent.

Cataplaſma. Si memoriæ læſio proveniat à ſummâ siccit. quid faciendum. Fotus. Olea.

Objic.

Objectio 1. Senum memoria. Objic. 1. Negamus hîc memoriam Senibus; cùm tamen ij tenaciſſimam habeant. Sic Sophocles in ſummâ ſenectute fabulam compoſuit, & coram judicibus memoriter recitavit. Rſ. Licet Seneca, *in Oedipo, Act. 4.* dicat,

———— prima langveſcit ſenum
memoria longo laſſa ſublabens ſitu:

Cicero tamen, *de Senectute*, bene, negat, ſenibus deficere memoriam; modò exerceatur: adde, modò aliunde non lædatur.

2. Objic. 2. Dicitur, quòd oblivio in acutis ſit lethalis: uti colligitur ex *prorrhet. aphor. ex Coacis*; cùm tamen ſæpe viderimus contrarium. Reſp. Si oblivio cum levi delirio tantùm conjuncta ſit, concedo; ſi cum ſopore, aut veterno, nego. Hic enim ſignum eſt, calorem naturalem eſſe extinctum.

Quæſtion. I. Quær. 1. Cur facilius ſit, humidum corpus exſiccare; quàm ſiccum humectare? Reſpon. Quia major eſt ſiccitatis, quàm humiditatis, energia.

3. Objic. 3. Utraque qualitas eſt paſſiva: ergo ſuas non habent energias. Reſp. ad conſeq. non habent energias, cum activis conjunctæ, & ex modo inhærendi. Neg. per ſe tranſeat.

II. Quær. 2. Cur, *c. de phrenitide*, dictum eſt, memoriam depravari non poſſe? Reſp. Quia memoriæ nulla datur actio, quæ terminum producit, nec prout in fieri, nec prout in facto eſſe omnino debitum. Læditur enim quando vel debilem, vel nullum, producit.

CAPUT XIII.

De Hydrophobia, ſeu Rabie Caninâ.

Quid ſit Hydrophobia. HYdrophobia, perturbatæ, & rabidæ mentis ſymptoma, ob aquæ metum, quem habent Ægroti, peculiarem, derivatur ferè à cane in homines, & cætera animantia. *Cur canis hâc potiùs laboret, quàm cætera animantia.* Canis enim, utpote animal calidum & ſiccum, æſtate, præcipuè ſub Caniculâ, facillimè agitur in rabiem, ex intemperie calidâ, & ſangvine aduſto; uti patet ex Dioſcor. *l. 6. c. 36.* Idem efficit frigus intenſum, & aquilonium, concentrato, & ſic intenſo, calore.

Cauſæ hydrophobiæ variæ. *Cauſæ* procatarcticæ ſunt, eſus carnium putridarum, præſertim animalium fulmine tactorum, vel peſte extinctorum, aut morſu aliquo venenato peremptorum: item cibi acres, ſalſi, & aromatici; ſtagnantes aquæ corruptæ, fames, ſitis, mæror, ex proprii heri morte proveniens; quæ omnia ſangvinem corrumpunt, & adurunt, vertuntque in humorem atrabilarium. *Alia etiam animalia, præter canem, hâc labe afficiuntur.* Sunt tamen & alia, præter canem, animalia, quæ rabie corripiuntur: uti ſunt lepores, vulpes, lupi, ſimiæ, viverræ, muſtelæ, equus, & camelus, præcipè poſt canis rabidi morſum.

Signa diagnoſt. Canis rabidi. *Signa* canis rabie correpti ſunt, cibi, & potûs, maximè aquæ, ſumma averſio, ſalivæ largæ & ſpumoſæ effuſio, anhelitus, & oris hiatus, lingvæ nigricantis exſertio, capitis, & aurium demiſſio, caudæ laxatio, lentus & piger inceſſus, triſtis aſpectus, omnium, ſine latratu, invaſio; nullo habito domeſticorum, aut familiarium reſpectu, mordet omnes, notos & ignotos; dum fugit, aut currit, inordinatè id efficit, quaſi titubando. *Spuma maximè venenata eſt.* Morſus ejus eſt venenatus, maximè per *ſpumam*, quâ tacti rabidi fiunt intra aliquot dies, niſi quantocyus remedia adhibeantur. Ita teſtatur Galen. *l. 6. de locis aff. c. 5.* Immò quidam cum Plinius, *l. 29. c. 35.* urinam pedibus, maximè ulceroſis, calcatam idem efficere, tradunt. Ejuſmodi venenum in corpus, intra 24. aliquando etiam 40. dies ſerpens, non tantùm humores, ſed etiam ipſas corporis partes, inficit, & contagione ſuâ intoxicat: *Hominis hydrophobici.* quidam tardiùs, quidam celeriùs, poſt morſum rabidi fiunt, ob majorem, vel minorem, Patientis reſiſtentiam. *Cur quidam citiùs, quidam tardiùs, rabidi fiunt poſt morſum.* Nam venenum, ob majorem aliquando ſimilitudinem, citiùs unitur cum putrido humore, quàm cum alio. Hinc corpora cacochymica citiùs inficiuntur, quàm alia. Galen. *comm. ad part. 17. l. 1. prorrhet. ſect. 2.* ait, ſe vidiſſe, quoſdam à morſu fuiſſe hydrophobiâ affectos. Poſt morſum homo nil ſentit, optiméque valet, donec venenum ipſum cor penetraverit; & tunc demum vellicationes ſentit Æger, fit triſtis, & melancholicus, tenebras amat, lucem odit, ſolitudines quærit, murmurat, alios ferino vultu intuetur

vuetur, cum timore & metu expergiſcit, & exclamat, eſt inquietus, & vagus, furit, & effrænis eſt, manibus ora dilacerat, alios mordet, & ſpumat, contabeſcit, dein in totalem hydrophobiam incidit, ingenti torquetur ſiti, &

Summus hydrophobiæ gradus.

aquam ſumme horret; &, ſi illa ipſi porrigatur, malú ipſius exaſperatur, patitur ſudores frigidos, & animi deliquia, mori potiùs petit, quàm vel aquam bibere, vel etiam tangere. Tanti horroris aquæ cauſam referunt Authores in imaginem canis rabidi, qui eum momordit; quam ſeſe in aquâ videre exiſtimat. Sed alia videtur eſſe cauſa, quæ veneni proprietati adſcribenda eſt. Nam ſi vulnus ipſum aquâ abluatur, redditur incurabile, eò, quòd venenum ab aquâ magis impingatur.

Cauſa, cur ita aquam horreant rabie infecti.

Quidam habent exacerbationes, & remiſſiones: quidam non.

Quidam remiſſiones quaſdam habent; quidam nullas prorſus. Exacerbationes fiunt cum febriculâ, & totius corporis, & nervorum, convulſione, & diſtenſione: ſolvuntur autem cum frigido ſudore, & virium reſolutione; in ipſis exacerbationibus ſummus adeſt furor, Ægri canum inſtar latrant, & obvios quosque invadunt, niſi ligentur; & tandem, remittente exacerbatione, ſuos agnoſcunt errores, triſtantur, & lacrymantur. Ad acceſſiones accerſendas plurimum facit aquarum, ſpeculorum, rerúmque diaphanarum, & translucidarum, inſpectio: qualia quantocyus amoveri ſollicitat Æger, tremit, convellitur, & animi patitur deliquium; quandoque etiam moritur.

Symptomata valde infeſtaque in paroxyſmo.

Prognoſticum.

Prognoſticum hujus terribilis affectûs eſt, quòd, teſte Dioſcoride, & Paulo, vel nulli, vel pauciſſimi, evadant; adeoque, antequam venenum altiores egerit radices, id eſt, ante ipſum aquæ metum, qui eſt mali jam confirmati certiſſimum ſignum, remediis convenientibus occurrendum eſt. Unum eſt affectûs hujus lethiferi ſignum, quod ex nuce regia tritâ, & vulneri applicatâ, gallinæ poſtmodum exhibitâ, deſumitur: ſi namque ex ejus eſu moriatur gallina, malum eſſe deſperatum, tradunt Paulus, & Aëtius; alterum indicium eſt, ſi panis vulneri applicatus, & ejus ſanguine, aut pure, infectus, canique projectus, reſpuatur.

Signa affectûs deſperati gemina.

Curatio principia.

Statim ergo, atque vulnus inflictum fuerit, allaboret Medicus, venenum extrahere, & alexipharmacis oppugnare. Si vulnus anguſtum ſit, dilatetur ferro, ut veneno extrahendo patentior via fiat: dein cucurbitula, cum, vel ſine, ſcarificatione applicetur, cum multâ flammâ; vel culus gallinæ, obſtructis ore, & naribus, vel hirudines admoveantur; aliàs pullus, vel columba, per medium ſecta, applicari poſſunt. Aliqui locum demorſum urinâ fomentant; vel *decocto oxylapathi*, & *chamomillæ*; deinde profunde ſcarificant. Quòd ſi tantùm ſputum, vel ſpuma, canis rabidi carnem tetigerit, abluatur *vino calido*, & *ſale*. Nos *allium*, *porrum*, vel *cepam tritam*, cum *rutâ*, & *ſale*, ſub prunis coctam, & cum *Theriacâ* mixtam, applicamus; vel addimus *fermentum*, & *axungiam ſuillam*; vel *ſinapi* cum *urinâ mixtum*, vel *ſtercus caprillum*, vel *gallinaceum*, cum *aceto* adhibemus, *picem*, & *opopanacem*, *cum vino* coquimus, & applicamus. Alii *nuces juglandes*, cum *allio*, *ſem. ſinapios*, *ſale*, & *melle*, *contuſas*, ad modum cataplaſmatis, ſvadent. *Defenſiva*, & vincula fortiora, parti ſuperiori circumligentur, ut venenum ſerpere prohibeatur. Svaderem ego, cum peritiſſimo Chirurgo Romano (Carre dicto) qui taliter carbunculis peſtiferis affectos curabat, ut locus demorſus circulariter ſcarificetur, vel potiùs raſorio candente circumcidatur. Aliqui vel cauſtica potentialia, meliùs tamen actualia candentia apponunt; ignis enim venenum domat: uti patet in accenſis, tempore peſtis, ignibus. Si eſchara cauſtici deciderit, vulnus, jubente Aëtio, *ſerm. 2. c. 24. tetrab. 2.* ante 40. vel 60. diem non occludatur, ut omne venenum per id extrahatur. Si occluſum fuerit vulnus, refricetur applicato *Mercurio præcipitato*, vel *cinere vitis*, *æruginè*, vel *chalcanto*. Hæc tamen primis ſtatim diebus fieri oportet, antequam venenum penitiùs ſerpſerit. Si *malum* ſit *inveteratum*, potentiora cathartica præſcribenda ſunt; eaque melanagoga: ut ſunt Pil. ex *veratri extracto* & *lapide Armeno*, cum *extr.* vel *maſſâ*, *pil. melanagogar.* *Quercet.* & *extr. colocynthidis*. Aëtius ſcribit, *vomitum hellebo-*

Extractio Veneni.

Remedia varia, pro conditione virium, & principio.

Defenſiva.

Carrè, Chirurgi Romani, modus carbunculos curandi.

Diu vulnus apertum ſervetur.

Curatio mali inveterati.

Vomitus.

boro

boro procuratum canibus venenum excutere; adeóque nec hominibus oberit; uti teſtatur Dioſcorides, præcipuè de *belleboriſmo.* Admittitur etiam *Phlebotomia*, in corpore plethorico, ex venâ malleoli; vel apertio *hæmorrhoidum.* Belgæ demorſum canem, vel hominem, in *flumen projiciunt*, & adeò intrudunt, ut aquam haurire cogatur, ut ab aquæ metu liberetur. Balneum generosè ingreſſus Philoſophus quidam, ab hydrophobiâ liberatus fuit. Interim *alexipharmaca* non ſunt omittenda; inter quæ primum obtinet locum *pulvis cancrorum fluviatilium*, in clibano uſtorum. Auctore Dioſcoride, *l. 6. c. 37.* ſummè conducit *pulvis*, quem Galen. *lib. 11. ſimplicium* præſcribit, ex *rad. gentianæ* partibus quinque, & *thuris* parte unâ, *ad* ʒj. cum *vino* propinatus. Item Galen. jubet apponi *pilos canis rabidi*; vel ut *jecur ejusdem* aſſum edendum porrigatur. Plinius, *l. 8. cap. 41.* & *10. l. 24.* omnibus aliis præfert *pulv. rad. cynorrhodi* ʒj. cum *vino*, aliquot diebus exhibitam. Alii *pimpinellam* ita extollunt, ut poſt eam, aliquot diebus, in acetariis, vel aliter, poſt morſum, ſumptam, impoſſibile ſit, rabie caninâ aliquem corripi: ex Fernel. *l. 2. de abditis rerum cauſis, c. 14.*

Venæſectio. *Hæmorrhoides.* *Demorſi à Belgis in fluvium conjiciuntur.* *Alexipharmaca.* *Singulares Pimpinellæ vires, pro demorſis.*

His omnibus conveniens *victûs ratio* adjungatur. Præter *cibos* optimi ſucci, commendatur eſus *cancrorum fluviatilium*, & *piſcium ſaxatilium*, *allii*, & *caparum*: in *potu vini*, vel *aquæ*, ſi poſſibile ſit, ſemper infundatur *pimpinella*: gravia animi pathemata vitentur: alvus ſit aperta: *Theriaca*, vel aliud *antidotum*, ad *præſervationem* perſæpe exhibeatur.

Diæta. Cibus. Potus. Affectus. Excreta. Præſervatio.

Objectiones: 1. Objic. 1. Ariſtoteles, *l. 8. de hiſtor. animal. cap. 22.* ait, ex morſu canis rabidi cuncta rabire, & interire animantia, præter hominem: ergo falſum eſt, quod de tanto ejus periculo aſſertum fuit. Reſp. cum Leoniceno, qui Gazam, Interpretem, improbæ verſionis arguit, qui pro πλὴν ἀνθρώπου, quod ſignificat, excepto homine, putat, legendum eſſe, πρὶν ἀνθρώπου, id eſt, priùs homine; nempe, quòd cætera animalia citiùs, quàm homo, ex veneno hoc intereant.

Objic. 2. Avicennas in hoc affectu balneum damnat; cùm tamen ſuperiùs approbetur. Reſp. Avicennam à principio damnare balneum, ne venenum, conſtrictis poris, intrò pellatur. Satius itaque erit, ut balneum ſit calidum: experientia tamen probat, balneum etiam aquæ frigidæ hoc malum, ob ſingularem antipathiam, exſtinxiſſe. 2.

Objic. 3. Galen. *6. de loc. aff. cap. 5.* tradit, canem ſolum inter bruta fieri rabidum: ergo de aliis etiam animantibus falſum fuit aſſertum. Reſp. hoc Galen. aſſeruiſſe, quia rariſſimè cætera animantia hac lue afficiuntur: fieri tamen & in lupis, & vulpibus, ipſimet in Hannoniâ, patriâ noſtrâ chariſſimâ, poſt magnas Gallorum ſtrages, vidimus & obſervavimus. Annon Baldus, Juriſconſultus ille Clariſſimus, à catello ſuo in labio leviter demorſus, & rabidus factus, vitam cum morte commutavit? 3.

Objic. 4. Divina hîc remedia nulla præſcribuntur; cùm tamen hiſce in Belgio, & præcipuè S. Huberti precibus, in Ardenna ſylva, per ſacram ſtolam, ex quâ ſemper ſcinditur, Ægrisq; incisâ in fronte cute communicatur, permanente eâdeam illâ, nec unquam diminutâ, plurimi ab hac labe vindicentur. Reſp. mihi divinam hanc ſtolam, ſeu potiùs donum Dei, ex relatione notam eſſe, nec eam improbare, & me in toto hoc opere divina remedia naturalibus longiſſimè antepoſuiſſe: immò inſtituti noſtri eſſe, morbos per medicinam, precibus & bonæ vitæ junctam, percurare. 4.

Quær. 1. Cur Divini hujus doni color omnino incognitus eſt? 2. Cur is, qui hoc remedio ſemel uſus eſt, non tantùm immunis eſt à canibus, ſed ipſe etiam canes domandi habet poteſtatem, canésque rabidi ſuum ad illum refugium capiunt? 3. Clavem ferream erogant benedictam, quâ candente canes demorſi, & uſti, rabidi nunquam fiunt. Reſp. haſce vires divinæ huic ſtolæ, ac clavi, divinitus attributas eſſe: quòd nec diſtingui poſſit ejus color, nec ſciſſa diminuatur (eſt enim inſtar ſyndonis, ſeu ligaminis) Hoc totum ſummo *Quæſtiones, I. II.*

ejus Datori, & Creatori, Deo. T.O.M. attribuendum eſt.

CAPUT XIV.

De Ophthalmia, Vacillatione, Chemoſi, Sugillatione, & Hypopyo &c.

Oculorum morbi: Triplices. OMnes *Oculorum morbi* in *triplici differentiâ* conſtituuntur. Fiunt enim vel ex *phlegmone*, vel ex *fluxu*, vel *exulcerationibus*.

Lippitudo. *Lippitudo*, Græcè ὀφθαλμία, eſt adnatæ tunicæ phlegmone, ſeu inflammatio, cum rubore & calore, ac punctionibus conjuncta.

Vacillatio. Sub hac etiam continetur *Perturbatio*, ſeu *Vacillatio*, Græcè τάραξις dicta, quæ nihil eſt aliud, quàm oculi humiditas, cum rubore & calore naturæ alieno, ob extrinſecam cauſam forinſecus advenientem.

Χήμωσις. Fit etiam quædam ſpecies Ophthalmiæ, Græcis dicta Χήμωσις, dum ab inflammatione vehementi utræque palpebræ ita invertuntur, ut vix oculi ab ipſis contegantur.

Ophthalmia duplex. Eſt itaque *Ophthalmia* alia *vera*; alia *notha*, ſeu *Perturbatio*. *Vera.* Ophthalmia *vera* alia eſt apoſtema ſimplex, non pertranſiens terminum; alia, quæ terminum in magnitudine pertranſit: in quâ ſemper abundat albugo ſuper pupillam, & tegit eam, & prohibet clauſuram, & nominatur χήμωσις. *Ejus 3. ſpecies.* Ex his itaque patet, *tres* eſſe Ophthalmiæ *ſpecies*. Alii à qualitatibus ſpecies deducunt, dicuntque, aliam eſſe humidam; *Sicca.* aliam ſiccam. *Siccam* definit Paulus, *lib. 3. cap. 22.* quòd ſit pruriginoſa, ſine fluore, diſpoſitio: paucæ tamen ſtillant lachrymæ, ſed, quod defluit, ſalſum eſt, & aridum, palpebris prurientibus & rubentibus.

Signa Diagnoſtica. Ophthalmiæ *ſigna diagnoſtica* ſunt partis tumor, tenſio, rubor & dolor, venarum plenitudo, lachrymæ, flatuum copia, tunicas diſtendens; &c.

Cauſa externa. *Cauſa externa* ſunt Sol, fumus, pulvis, ventus, Lunæ radii, vinum, cæpæ, allium, ſinapi, ictus; qui tamen, ſi ſangvis, ex contuſis vel ruptis venulis exſudans, ruborem, dolorem, inflammationem, vel livorem excitet, ὑπόσφαγμα, id eſt *Sugillatio* dicitur. *Sugillatio.*

Interna. Cauſæ *interna*, à quibus ſæpius provenit Ophthalmia, ſunt vel *humorum congeſtio* lenſim facta, ob vitium concoctionis, vel expultricis facultatis; vel *fluxio*, quæ fit per venas, quæ ſub cranio exiſtunt; aut frequẽtiùs per venas externas, mediantibus venis, & arteriis, quæ à pericranio per frontem, & tempora, ad conjunctivam tunicam deferuntur. Materia, quæ congeritur, aut fluit, eſt quilibet humor, ſæpius tamen ſangvis, vel ſolus, vel unà cum humore acri, bilioſo, vel craſſo, lento, & pituitoſo, vel cum flatuoſo ſpiritu, qui venas oculi diſtendit, & dolorem phlegmonémque parit, conjunctus; unde tumor, rubor &c. conſequuntur. *Cauſa interna fluxionis.* *Cauſa interna fluxionis* ſunt materiæ redundantis, vel *in toto*, vel in *parte*, nimia copia, acrimonia, vel tenuitas, propellentis partis robur, viarum laxitas, & partis recipientis debilitas: & quibus fluxione frequenti venæ patefactæ ſunt, facilè inflammationem patiuntur. Si adſit plethora, aëris & Solis æſtus, exercitium violentum, &c. ſi fluxus à capite proveniat, præceſſit dolor, & gravedo ejusdem: ſi à vaſis externis oriatur, adeſt venarum frontis diſtenſio, arteriarum temporalium pulſatio &c. Si *à toto* proveniat, præceſſerunt plenitudinis ſigna, gravedo, ſeu laſſitudo, habitus athleticus: &c.

Differentia ab humoribus. Diſtingvendum quoque, à quonam humore fiat Ophthalmia, & cuique humori appropriata ſigna: v. g. ſi ſit *ſangvis*, adeſt rubor inſignis, tenſio, *Sangvinea.* cum gravitatis ſenſu, tumor eminens, lachrymæ mitiores, ſordes in angulis molliores, & craſſiores: in *bilioſâ* *Bil.* verò ophthalmiâ tumor eſt moderatus, color ſubpallidus, dolor & calor mordax, lachrymæ paucæ, ſed acriores, ſordes in angulis ſicciores, febris acutior, vigiliæ diuturniores: in *pituitoſa* ophthalmia tu- *Pituit.* mores ſunt majores & leniores, color eſt albicans, lachrymæ ſunt copioſiores, inſipidæ, & ſordes molliuſculæ: à *melancholia* rariùs cauſatur *Melancholica.* ophthalmia: ſi tamen ſit cauſa, cognoſci-

gnoſcitur ex ſiccitate, livore, &c. ſi à flatibus proveniat, tenſionem habet, ſine gravitate. Flatus.

Prognoſ. *Prognoſin* quod attinet, Galenus, *lib. 1. de febribus, cap. 7.* ophthalmiam non ſolum inter graviſſimos affectûs recenſet, ſed etiam contagioſam eſſe pronunciat: uti patet in vetulis lippientibus. Facilius ophthalmiâ laborant, quibus oculi ſunt prominentiores, quia, cùm ſint molles, & humidi, externis injuriis magis exponuntur. Inter anni partes, ſi hyems ſicca ſit, & aquilonia; ver pluvioſum, & auſtrale; neceſſe eſt, æſtate fieri ophthalmias, fuſis à calore humoribus, in capite collectis, illúdque opplentibus, ex *3. aphor. 11.* In ſiccitatibus verò magis viget ξηροφθαλμία, ob bilem rarefactam, & condenſatâ cute acriorem redditam. In calidis regionibus, & temporibus, faciliùs curatur ophthalmia, quàm in frigidis; teſte Avicenna. Si lippienti diuturnus capitis dolor eveniat, cæcitatis periculum eſt: *ophthalmia laboranti ſi febris ſuperveniat, ſolutio*: nempe ſi à craſſo & pituitoſo humore fiat; quem febris attenuat, & discutit. *Ophthalmiâ laborantem alvi profluvio corripi, bonum: 6. aphor. 17.* Ophthalmia ſi negligenter curetur, deſinit in ſuffuſionem, vel pupillæ nimiam dilatationem, vel tabem & corrugationem: ut docet Galen. *3. meth, cap. 2.* Item fit aliquando perennis fluxio, viarum amplitudo, exulceratio; aut veſtigium in oculo relinquitur; ex Arculano. Si exulceratio dicta fiat ex communicatione membranarum cerebri internarum, difficilis eſt curationis: ſi verò ex ſympathia externarum, facilioris; ex Baccanelio.

Cura ophthalmiæ. In *Cura* ophthalmiæ quinque occurrunt ſcopi: utpote victus ratio, revulſio & derivatio, humorum præparatio & evacuatio, & ſymptomatum ablatio.

Victus. *Victus* ſit in principio parcus, boni ſucci, facilis concoctionis & diſtributionis, paucique excrementi: vitentur aceroſa, ſalſa, coitus, motus, vinum, fumus, ventus, allium, cæpe, ſinapi: &c. Somnus laudatur, & aër obſcurus: alvus ſit aperta. Revulſio & derivatio fit per *Purgationes*, & *Venæſectiones*. Purgatio. Præmiſſo itaque clyſtere, vel purgatione ex *Pilulis aureis, cochiis, aggregativis, lucis: elect. de ſucco roſar. decocto myrobalanorum citrinar. cum caſſiâ, & mannâ*, vel *cum confectione hamech*, celebretur *Venæſectio*, ex cephalicâ brachii dextri, Venæſectio, vel ſiniſtri; ſi in iſtam partem magis incliner malum: quæ etiam repeti poterit: vel, loco ejus, applicentur *Cucurbitulæ* ſcarificatæ dorſo & ſcapulis: ſi Cucurbitulæ. humor ſit bilioſus, & nimium tenuis, incraſſetur *ſyr. de papav. de jujubis, de roſis rubeis, de granatis* &c. ſi verò humor ſit Præparatio, pituitoſus, craſſus, viſcidus, propinetur oxymel ſimpl. cum *hydromelite, ſyr. de hyſſopo, vin. uſtino*: &c. Factis *præparationibus* corpus iterum *expurgetur* ſe- Purgatio. quentibus *Pilulis*: Pilulæ.

℞. *Maſſa pilular. lucis major.*
extract. pilular. aurear.
cochiarum, ana ʒß.
pulveris Syrii gr. v.
cremoris tartari.
flor. nitri, ana gr. iij.

Cum ſ. q. *aquæ fœniculi* F. Pilulæ n. viiij. Inaurentur, pro unâ doſi: vel, loco harû,

℞. *Decoct. tamarindor. cum fol. ſenæ, cortic. myrobalan. citrin. & agar. in petia ligati*, ana ʒij. & pj. *flor. euphraſiæ* facti ℥iiij. Potio,
In quo diſſolv.
elect. de ſucco roſar. ʒj.
diaphænici ʒij.
cremoris tartari ℈ß. M.F. Potio.

Quod ſi malum nec dum cedat, applicentur *Veſicatoria* retro aures, quæ in- Veſicatoria, terdum mira præſtant. Interea negligenda non ſunt *Collyria*: ut: Collyria,

℞. *Sacchari Saturni* ʒj.
lap. calaminar. præparati,
antimonii rubei ſublimati, ana ʒß.
aq. plantag.
roſar. an. ℥iij. M.F. Collyrium: vel
℞. *Vitriol. alb. puriſſimi* ʒj.
diſſolv. *in aq. pluvialis* ℥x.

Filtra aliquoties per chartam; F. Collyrium: Alii infundunt *crocum metall.* in *aq. chelidoni maj.* Nos longè præferimus antimon. ſpir. rubeum; cujus deſcript. vide in Dan. Mylii *Pharmac. Spagyr.* Aliud, Aulicum:

℞. *Aq. roſar. albar.*
fœnicul.
euphraſ. ana ℥ij.

Digitized by Google

ſpir. vini rectif. ℥j.
ſacchari albi,
tutiæ præparatæ, ana ʒj.
M. F. Collyrium.

Linimentum. Vel in forma *Linimenti*:
℞. *Butyri recent. novies aquâ roſar. loti* ℥ß.
tutiæ præparat. pulveriſat. ʒj.
Camphoræ ℈ß. M. F. Linimentum;

Epithema. quod ſervabis in vaſe vitreo: vel, ejus loco, intingim⁹ *micam panis in aq. roſar.* vel *plantag.* vel in *aq. communi*, & ſuperligamus; quod oculos inflammatos inſigniter refrigerat: exaſperantia enim cretura vitanda, ob partis ſenſum exquiſitum; ex Galeno, *4. ſecundum loca.*

Aliud *Collyrium*, valde proficuum:
℞. *Aq. chelidon. maj.* ℥iß.
fœnicul,
euphraſiæ, ana ℥vj.
ſpir. vini rectificat. gut x. M. F. Collyr. in declinatione uſurpandum. In materiâ craſſâ & phleg. ſequens *Collyrium* in uſum revocari poterit:
℞. *Æruginis æris* ʒij.
auri pigmenti citrini ʒj.
aq. roſar.
plantag.
vini albi, ana ℥iij.
M. Bulliant parum: decoctum cum fæcibus ſervetur: eſt valde mundificativum. Tutior eſt *Aqua* ſequens:
℞. *Tritici* m. ij.
ſalis triti m. j.
Ponantur in vaſe cupreo, & affundatur *vinum album*, ut materiæ ſupernatantis quantitas duorum digitorum tranſverſorum ſit; ſtent, tecto vaſe, infuſa ſex, vel ſeptem dies, donec liquor viridis evaſerit, ſæpius in die movendo; liquor, per inclinationem effuſus & filtratus, ſervetur ad uſum, & gut. j. ſæpius oculo inſtilletur. Si maculæ ſint in oculo,

Abſtergentia. abſtergantur guttis aliquot *ol. de lateribus*, vel *olei ex Chartâ combuſtâ*, vel *ol. hepatis Piſcis*, quem Ruthen vocant, facto per deſcenſum, vel *aq. mellis*, vel *pingued. lucii piſcis antiquâ*: quæ & dolores tollit, & lachrymas inſigniter abſtergit. Ad oculorum affectus multum facit *Aqua Ophthalmica Minſichti*, quæ fit ex *cancris, chelidon. ſem. fœnicul. fabii, camphorâ, caryophyll. aloë hepaticâ, tutiâ prap.* vel *Aq. Ophthalmica Begnini*. Alii laudant *pomum ſub cineribus coctum*, & oculis applicatum: quod dolorem & fervorem mitigat.

Aq. Ophthalmica Minſichti.

Begnini. Epithemata.

Eodem modo, in magno oculorum æſtu, applicantur *mucilagines ſem. cydon. pſyllii* &c. *aq. roſar. extractæ*, vel *lac muliebre*, (quod tamen, ob facilem corruptionem, ſuſpectum eſt) vel *album ovi*, cum *alumine* uſque ad congelationem agitatum: vel ejus loco, *aqua aluminis ſtillatitia*. Nos *phlegma vitrioli*, cum *aq. plantag. & roſar.* dilutum, applicamus. In declinatione morbi *ovum ad duritiem coctum*, per medium ſectum & applicatum, reliquias æſtus & ruboris potenter diſcutit. Quoniam ophthalmia diuturna ab hepatis calore foveri videatur, huic quoque proſpiciendum eſt. Vide *Caput de intemperie hepatis calida*.

Cauteria. *Cauteria* etiam brachiis, cruribus, immo & ſuturæ coronali, cum Rondeletio, applicantur.

Veſicatoria. *Veſicatoria* utrique colli parti, retro aures, applicata, magnam faciunt humoris peccantis derivationem. Si, ob mali diuturnitatem, & pertinaciam, ordinariis remediis non cedentem, luis Venereæ ſit ſuſpicio, perfectâ ordinariâ curâ, *Mercurium* cum ungventis, & collyriis, ex Conſilio Zacuti, & Mercurialis, commiſcetur.

Sugillatio quid ſit. *Sugillatio* eſt oculi livor, vel rubor, ab ictu, caſu, ſangvine ſcilicet extra vaſato, & ſæpe corrupto, proveniens.

Ejus Cura. Hujus *Cura* perficitur, præmiſſis communibus præſidiis, ad reprimendum ſangvinem, ſi *roſæ rubeæ vino* incoquuntur, illudque parti affectæ admoveatur: vel *albumen ovi*, cum *aquâ roſar. & bolo Armenâ*, bene agitatum applicatur.

Epithema. Nos *ſangvinem columbinum*, vel *lac muliebre*, in ipſum oculum *inſtillamus*: deinde *taleolam rad. bryoniæ recentem*, vel ipſam *radicem contuſam*, *applicamus*: vel, ad detergendum, *F. Mixturæ, ex ſucco fœniculi, myrrhâ, croco, & melle*: vel *mucilago ſem. fœnigræci*, cum *ſaccharo cando*, in oculum *immittatur*. Tandem, ad materiæ reliquias discutiendas, oculus *fomentetur decocto fœniculi, euphraſia, verbena, chamomill. & abſynth. in aquâ & vino rubro facto*. Ad materiam ſugillationis diſcutiendam, mulieres utuntur *ſolo ungvento dialthææ*.

Ungventum.

Pus ſub cornea. Fit quandoque, ut materia non poſſit diſcuti, ſed fiat *Hypopyon* ſeu *Pus ſub cornea*; quod cognoſcitur ex colore albicante, puris materiam referente:

Curatio. ferente: fit etiam, præcedente inflammatione; adfuitque dolor pulſans, vel adeſt. Ad hoc pus evocandum, puncto in latere oculi opus eſt: vel id acu cavâ exſugendum. Galenus refert, ſuo tempore Oculiſtam quendam ſolâ capitis concuſſione hypopyon diſcuſſiſſe, & ſanaſſe.

Objectiones. I. Objic. 1. Hippocrates dicit; oculorum dolores meri potio, aut balneû &c. ſolvit; cùm tamen inter cauſas ophthalmiam generantes vini potus referatur. ℞. Hipp. vini potionem, & balneum, non in omni ophthalmiâ præſcribere; ſed in eâ tantùm, quæ provenit ab humore craſſo, & phlegmatico: qui aliquâ eget attenuatione, vel majori dilutione.

2. Obj. 2. Aëtius, *ſerm. 7. c. 10.* dicit, quòd, qui lac pro ovo infundunt, volentes dolorem obtundere, decipiantur: nam lac à calore, in oculo, præter naturali facilè alteratur & aqueum evadit: idem putat Avicennas: Ergo malè aſſignamus, lac poſſe in oculos infundi ℞ idem & nos præmonuiſſe: & tantùm in ſugillatione, in qua non eſt calor, lac præſcripſimus.

3. Obj. 3. Authores quidam aſſerunt, venæſectionem non in omni ophthalmiâ convenire: Ergo malè eam præſcribimus. ℞. cum Avicen. *3. 3. c. 9.* & phlebotomia ex cephalicâ eſt conveniens omnibus ejus ſpeciebus. Idem aſſerit Rhaſes, *in 9 Almanſoris, cap. de ophthalmia*: Ergo in omni ſpecie convenit: ſi minus evacuationis; diverſionis tamen gratiâ.

4. Obj. 4. Intermiſimus ſtupefacientia, in materiâ remediorum: v. g. *Sief album cum opio*; &c. E. malè. Reſp. cum Galen. *6. aph. comment. 21.* ſi ſtupefacientia ſunt debilia, tum fluxionem non ſiſtunt, aut reprimunt; ſi verò ſunt valde ſtupefacientia, tunc neceſſe eſt, vim viſoriam maximoperè offendi, ita, ut deinceps vel nihil, vel parum, videant Ægri: vel præduram aliquam diſpoſitionem in oculorum tunicis relinqui.

5. Obj. 5. Hippocrates præſcribit *Balneum*: cùm tamen Balnea, Vina, Venus, diſſolvant corpora noſtra; & maximè oculos, qui rariſſimæ ſunt texturæ. ℞. Hic per balnea intelligi fomenta, teſte Galeno, *loco citato*, ſummè proficua.

Quæstiones I. Quær. 1. Cur Authores quidam dicant, oculum eſſe complexionis igneæ; cùm ſi ignis nimium agitetur, de facili reſolvatur, & nihil pene retineat: Ergo oculi non videntur eſſe complexionis igneæ. ℞. cum Ariſtotele, *lib. de ſenſu & ſenſili*, & *5. de generatione animalium*, oculum eſſe complexionis aqueæ; quia aqua eſt impreſſionum ſuſceptibilis: immò conſtat, guſtum, & tactum, terræ; viſum aquæ; auditum aëri; olfactum igni, qui ex fumali evaporatione, quæ ignea eſt, perficitur, attributum eſſe.

II. Quær. 2. Utrùm viſio fiat extra mittendo, vel intus ſuſcipiendo: uti aſſerunt Plato, Pythag. & Empedocles. Reſp. cum Ariſtotele, *lib. de ſenſu & ſenſili*, impoſſibile eſſe, viſionem fieri per extramiſſionem; nam ſic ſequeretur, viſionem fieri in obſcuro æquè, ac in luce: deinde neque rete, neque tunicæ, ad videndum neceſſaria forent; neque, iis deſtructis, viſio impediretur: ſiquidem organa ſunt receptionis.

6. Obj. 6. 1. Per aſpectum fit faſcinatio: 2. Baſiliſcus, & menſtruata mulier, aſpectu inficiunt: 3. Lupi aſpectu raucedinem inducunt: 4. Tiberius, Imperator, oculorum radiis perterrebat homines: 5. Pupillam anguſtamus, ad ſervandos ſpiritûs animales: 6. Fatigatur oculus multa viſione: Ergo viſio fit emiſſione ſpecierum, & non receptione. ℞. Ad primum: faſcinationem non oculorum, ſed artis Diabolicę, opus eſſe; ad ſecundum: Baſiliſcus, & menſtruata mulier, non aſpectu, ſed emiſſione venenatæ cujusdam exhalationis, non ex oculis tantùm, ſed ex toto corpore, inficiunt: ad tertium: Lupi halitu, non oculis, raucedinem inducunt: ut ipſemet ſemel vidi: ad quartum: Tiberius non oculorum radiis, ſed adſpectu Tyrannico, homines terrebat: ad quintum: Pupillam reſtringimus, nō ut retineantur ſpiritûs, ſed ne, ad præſentiam externorum objectorum, fatigetur cerebrum: ad ſextum: Fatigatur oculus multâ viſione; non, quòd aliquid emittat, ſed quòd facultas, in firmando movendoq; oculo, laborem & conatum adhibeat perpetuum. Ergo viſio fit per emiſſionem ſpirituum; nego conſequentiam.

III. Quær. 3. Quo in loco oculi recipiuntur ſpecies? Reſp. In cryſtallino humore, tanquam in primario viſionis organo, in oculi centro poſito, ſubſtantiâ, figurâ, & qualitatibus à reliquis differente. Si tamen Authores conciliare velis, dic, cum Philoſophis, perceptionem ſpecierum fieri in cerebro: perfectionem in coitu opticorum, cum Avicennâ; receptionem verò immediatam in cryſtallino humore, cum Galeno: qui tamen aliquando, putat, eam fieri in arachnoide tunicâ: ſed putat, minùs principaliter.

CAPUT XV.

De Suffuſione, ſeu Cataracta, Leucomate, & Glaucomate.

Suffuſio.

AFfectus, qui Latinis *Suffuſio*, Græcis *ὑπόχυμα*, ab Avicennâ *Aqua*, à vulgo *Cataracta*, vel *Gutta*, dicitur, locum habet inter cryſtalloidem & corneam tunicam: eſtque, circa pupillam, humoris aquei concretio; quæ, ubi perfecta fuerit, viſum impedit. Hanc aliqui cum *Glaucomate* confundunt, ſed decipiuntur. Nam ſicuti *Suffuſio* eſt aquoſi humoris concretio: ita *Glaucoma* eſt naturalium humorum in cæſium colorem mutatio: præterea in *Glaucomate* nihil prorſus, in *Suffuſione* aliquantum, videtur. Affectus hic Ophthalmiæ ſæpiſſime ſuccedit: hinc illi etiam eum hîc ſubnectimus. Paulus, *lib. 3.* affectum hunc vocat humorum effuſionem, inter cryſtalloidem & ceratoidem concreſcentium. Avicenna, *3. 3. cap. 18.* Aquæ deſcenſum vocat ægritudinem oppilativam, & humiditatem extraneam, ſtantem in foramine uveæ; unde formarum ad viſum ingreſſus prohibeatur. Habet *Suffuſio* diverſos gradus, ſeu ætates. Nam vel eſt *incipiens*, in quâ levis quædam viſus obtenebratio contingit, & *Suffuſio* per excellentiam nominatur: dum verò ulteriùs progreſſus eſt affectus, & aliquid in pupillâ collectum, aquæ inſtar, apparet, *Aquam* peculiariter nominant; cùm denique materia in pupillâ omnimodo concreta eſt, viſionemque prorſus aufert, *Cataracta* ab iis nominatur: & hæc eſt, quam *Oculiſtæ* dicunt eſſe maturam. *Fit* itaque Suffuſio ex ſeroſi & pituitoſi humoris, in illud ſpatium, quod eſt inter corneam & cryſtalloidem, effuſione.

Quid ſit Cataracta.

Quomodo differat à Glaucomate.

Ætates Cataractæ.

Unde fiat.

Ejus cauſa.

Suffuſionis *cauſa* vel fit in oculo, ex nutrimento in partes non bene converſo; vel ſuperfluitate nutrimenti non reſolutâ: id eſt, per congeſtionem, vel per conſenſum capitis, humiditatem hanc ad oculum transmittentis: vel ex vaporibus oris ventriculi, ad oculos elevatis, deinde à frigiditate oculorum in humiditatem pituitoſam converſis; licet pituita magis ordinaria ſuffuſionis cauſa ſit; tamen eidem alii etiam humores, exiguâ ſaltem portione, commiſcentur, ut bilis; unde citrina; melancholia; unde nigricans apparet ſuffuſio. Quòd autem vapores aſcendant, conſtat ex hoc, quòd ita affecti fateantur, ſeſe videre corpuſcula quædam volitantia, veluti culices, muſcas, pilos, aranearum telas &c. præcipuè poſt cibum ſumptum; non ita manè.

Differentiæ Cataractæ.

Differentiæ deſumuntur à quantitate, qualitate, loco, tempore, & causâ. *A quantitate*, quòd interdum parva ſit, ut res partim, vel diviſim, videantur: interdum verò tantæ molis, ut integrum in oculo faciat obſtructionem: aliquando craſſa; aliquando tenuis; ita, ut objecta quaſi per nubem videantur. *A qualitate*, quòd quædam æri, quædam vitro, ſint ſimiles; aliæ virides; aliæ citrinæ. *A loco*, quòd alia fiat in tunicis; alia in humoribus: ut cùm aliquod veſtigium, ſive occultum, ſive manifeſtum, ab ophthalmiâ, vel ab alio morbo, relinquitur. *A tempore* ſumuntur differentiæ, quòd ſuffuſio alia ſit recens, ſeu immatura; alia inveterata, ſeu matura. *A causâ* ſunt differentiæ, quòd alia ſit legitima; alia ſpuria: quamvis legitima ſit rarior, ob vaporum adſcendentium copiam: alia item dicitur nigra; quæ nec manu, nec medicamentis, plerumque curari poteſt.

Signa diagnoſt.

Suffuſionis *ſigna* ſunt, quòd Ægrorum oculis veluti corpuſcula, ut culices, & nebuloſa quædam, obverſantur, aut circa lucernas circulos, vel duplicatum lumen, ſe intueri arbitrantur: quæ

imagi-

imaginationes variantur in quantitate, ſitu, & figuris. Signa *ipſius obſtructionis* ſunt, quòd, ſi comprimatur oculus, & ſtatim aperto oculo videatur objectum dividi in partes; tunc eſt Suffuſio ſubtilis valde: ſi verò nullo modo moveatur, ſed in ſe remaneat; erit craſſa ac denſa, per acum nunquam remobilis: ſi verò dilatari, ſed non in partes dividi videatur; curam per acum recipit. Signa *loci obſtructi* ſunt, quòd, ſi, clauſo uno oculo, alterius pupilla dilatetur, vel conſtringatur; ſignum eſt, non eſſe obſtructionem in viis ſpiritualibus, per quas ab uno oculo tranſitus fit ad alium; eſtq; curatu poſſibilis: ſin minùs dilatetur, viſus eſt irrecuperabilis: teſte Gal. *1 de ſympt. cauſis, cap. 2.* Cognoſcitur etiam, eſſe inter pupillam, & ceratoidem, ſi pupilla viſum effugiat, ſeu non videatur. Si ſuffuſio à toto oriatur, v. g. præſente febre, hâc creſcente, creſcit ſuffuſio; decreſcente, deficit. Si proveniat à ſtomacho; hoc vel meliùs, vel pejùs, affecto, melioratur & pejoratur ſuffuſio; & plerunque eſt in utroque oculo; quia cum utroque conſpirat ſtomachus: tunc verò non eſt à cerebro; ubi diverſimodè afficiuntur oculi, ita, ut unus tantùm, vel ambo, inæqualiter afficiantur.

Loci obſtructi.

Signa *prognoſtica* hujus affectûs deſumuntur ex Galeno, *14. meth. cap. ultimo*; & ex Celſi *lib. 6. cap. 6.* ubi aſſerunt, quòd incipiens ſuffuſio, in quâ Ægri objecta tanquam per nebulam diſcernere poſſunt, curabilis ſit: quæ tamen ſententia ſuas patitur exceptiones: nam ſi Ægri ſint ſenes, & oculi ex naturali conſtitutione debiles, etiam incurabilis eſſe poteſt; niſi corpus bene expurgetur, & Patientes diætâ ſudoriferâ, veſicatoriiſque percurentur: faciliùs tamen ſemper juvenes & robuſti, & in hoc affectu minori, curantur: uti Hipp. *6. aphor. 17.* ait: lippientem alvi profluvio corripi, bonum eſſe: ita & ſuffuſioni prodeſt: ſi verò à febre acutâ, peripnevmoniâ, phrenitide, aut dolore capitis intenſo, ſuffuſio proveniat, difficillimè curatur. Item ſuffuſio jam confirmata, matura, & in quâ materia eſt concreta, medicamentis curari non poteſt: adhibenda itaque manûs operatio, per acum, compunctione in oculum immiſſum, ita, ut ſuffuſionis materia deprimatur ad inferiores oculi partes: hæc tamen operatio ſuis non caret periculis: nam interdum uvea tunica laceratur, vel ex dolore & inflammatione nova fluxio oritur; unde viſus actio aboletur: ſatius tamen eſt, teſte Celſo, anceps remedium, quàm nullum; præcipuè ubi nulla ſalutis ſpes eminet. Suffuſio, in quâ objecta feneſtrata repræſentantur, acu tentanda non eſt. Cùm enim materia ſit in ipſo pupillæ foramine, periculum eſt, ne, immiſsâ acu, tota pupilla dilaceretur: item ſi oculus ſit rugoſus, & tabidus, celebranda non eſt operatio: ſed, ſi fieri debet, oculus ſit plenus, rotundus, & ſuas habeat operationes. Quò humor eſt mollior, eò ſemper eſt minùs maturus; unde in pueris non eſt facienda operatio, ob humoris mollitiem; nec in ſenibus: in his enim ſuffuſio plerumque incurabilis eſt: uti videre fuit in Auguſtiſſimâ Imperatrice, Ferdinandi III. Viduâ. Itaque ad affectum hunc curandum aptiſſima ætas eſt juvenilis. Cognoſcendum etiam prius, an matura ſit cataracta; vel non: quod conſtat, ſi, oculo digito compreſſo, ſuffuſio parum diffluat, latiorque appareat; deinde ad priſtinum redeat ſtatum: tunc ſignum eſt, nondum ad maturitatem perveniſſe; ideoque nullus adhuc operationi datur locus. Si verò, digito compreſſa, nullam patiatur figuræ mutationem, *maturam* eſſe, acuque diſcuti poſſe, ſignum eſt: debet itaque nec nimis dura, nec nimis mollis eſſe; ſed, inſtar pelliculæ cujuſdam, cœli, aut maris, non plumbi, aut ferri, colorem referentis: quæ acu facilè circumvolvatur, & ad inferiorem oculi partem deprimatur.

Signa prognoſtica.

Signa maturæ cataractæ.

Velut ὑπόχυσις, ſeu ſuffuſio, multiplex eſt: ita *Curatio* variè decernitur. Nam quæ fit per conſenſum, ceſſat, ſublato affectu, unde naſcitur: ſi verò ſit per eſſentiam, ſitque demum incipiens (nam inveteratæ debetur operatio) curari poteſt victûs ratione, & medicamentis. *Victûs ratio* non modò tenuis & frugalis eſſe debet; ſed etiam deſiccans & attenuans; vino, Venere, otio, ſomno diurno, & ſtatim à cibo,

Curatio.

Ratio victûs.

 bal-

balneis, craſſioribus cibis, vaporoſis omnibus excrementis, humectantibus, & caput replentibus, ſummè interdictis. Ad curam verò *triplicia* ſunt *medicamenta*: quædam materiam, toto corpore redundantem, priùs coctam & præparatam, *expurgant*: ut ſunt Pilulæ *de agarico, de hiera, aſſaieret, ſine quibus, lucis majores, cochiæ, fœtidæ, aloëphanginæ, marocoſtinæ Mindereri, de ſuccino Cratonis* &c. Vel

Medicamenta. Purgantia. Pilulæ.

Potio.

℞. Elect. diaphœn.
de ſucco roſar.
Diſſolve in *decocti aperitivi majoris* ℥iiij.
adde
cremoris tartari ℈j.
ſpiritûs macis gut. x. M. F. Potio.

de Venæſectione.

Factâ purgatione tali, quidam *venam*, cum Græcis Authoribus, *ſecant*: ſed nos, cum Avicennâ, Rhaze, & Arabibus, id religioſè faciendum exiſtimamus: primò, cùm ſit morbus chronicus: ſecundò, cùm dependeat à materiâ frigidâ: periculum enim eſt, ne, magis refrigerato, per phlebotomiam, cerebro, major pituitæ copia generetur, & malum augeatur. Nos itaque venæſectionem non, niſi non in corporibus ſummè plethoricis, in paucâ quantitate, vel ante operationem, ad præcavendam inflammationem, quæ ſuboriri poſſet, admittimus. Medicamenta alia fluentem materiam ad oppoſita loca retrahunt, & divertunt; ut ſunt clyſteres acres, apophlegmatiſmi potiùs, quàm errhina, in affectibus oculorum moleſta, cucurbitulæ cum ſcarificatione, pexus capillorum verſus poſteriora, frictiones capitis & dorſi, phœnigmi, ponè aures adhibiti, pyrotica, ſeu cauteria actualia, brachiis, vel occipiti, admota, ſetaceum in cervice. Celſus, *lib. 6.* ſanguinem è frontis venâ, vel naribus, extrahit: vel venas temporales, per quas ſanguis in oculos potenter fluit, quod patet ex earum inflatione, adurit; & ſic fluxio intercipitur; ut ſciamus, novi nihil eſſe, dum, in dentium dolore, venæ aurium, ſummo cum Patientis bono, aduruntur. Ita, in rubore faciei, uri & exſtirpari poſſunt venæ ad ſuperiores frontis partes, faciei ſangvinem & ruborem communicantes. Vide *Hiſt. mirabil.* Marcelli Donati, *c. de rub. faciei*, Galen. *5. meth. & in calce 13.* citantis.

de Venarum temporalium aduſtione.

Diſcutientia.

Alia medicamenta *diſcutiunt*: ut ſunt *Decocta* ſudorifera, ex *Chinâ, ſalſaparilla, ligno ſancto* &c. vel *Conſervæ anthos, beton. ſalviæ, majoranæ*: *Confectio ſeminum aniſi, fœniculi, coriandri* &c. ante & poſt cibum eſitata. Capiti etiam deraſo *Cucuphæ*, & *Sacculi*, herbis cephalicis repleti, admoventur: ſuntque *Suffitûs* cephalici ex *ſtyrace, ſuccino, benzoino, roſis, floribus anthos, lavendula* &c. Fieri quoque poſſunt *Capitis lotiones* ex deſiccantibus: qualia ſunt *lixivia ex cineribus ſarmentorum vitis cum vino facta*, & *decocta betonicæ, majoranæ, ſalviæ, abſynthii, calamenti, origani, ſtœchados, lavendulæ, fœniculi*, &c.

Cucuphæ & Sacculi. Suffitûs. Lotiones capitis.

Fomenta.

Fomenta quoque, uti in omnibus affectibus oculorum plurimùm commendantur; ita & hîc non parum proſunt. Fiunt autem ex *decocto verbenæ, euphraſiæ, cumini*, in *vino* & *aquâ* facto, cum ſpongiâ calidè adminiſtrando. Ad humorem in *Pueris* præparandum, ſufficit, ut nutrix maſticet *ſemen fœniculi, aniſi*, aut *coriandri*, & ſæpius, maximè autem jejuno ſtomacho, in oculos halitum immittat: in *Adultis* collyria, quæ ſecundum Galenum, *2. de locis affectis*, licet plus promittant, quàm efficiant, debent primò eſſe mitiora, ut fortioribus aſſveſcat natura. Primò itaque *aqua mellis, ſucci fœniculi*, vel *aniſi, verbenæ, euphraſiæ, chelidonii majoris* (qui tamen valde violentus eſt,) *rutæ, raphani, marrubii*, admiſto *ſaccharo communi*, vel *ſaccharo Saturni*, vel *croco*, in oculum inſtilletur: hiſce ſuccedere poteſt *fel perdicum, bovis, hominis* vel *eſſentia* ejus &c. mitius eſt *piſcium fel*, ut *lucii, anguillæ*, &c.

Curatio in Infantibus. Adultis.

Cautela.

Nota: dum fortiora oculis admoventur, emplaſtrum adſtringens temporibus applicandum; vel veſicatorium nuchæ, vel cauterium inurendum, ad majorem fluxionem prohibendam. interim tamen, ubi acrimonia nocuiſſe videtur, *aquâ albuminis ovi*, vel *mucilagine ſeminis cydon. aquâ roſar.* extractâ, vel *lacte muliebri*, demulcenda eſt. Ubi verò malum nec internis, nec externis, cedit, ad fluxum oris, per Mercurium, vel inunctum, vel ſumptum, confugere debemus: quo necdum juvante, ad ipſam operationem, dum-

modò

modò matura ſit cataracta, hæreatque inter cryſtallinum humorem, & pupillam, non verò in ipſo foramine, aliàs abſque dilaceratione fieri non poſſet; deveniendum eſt. Itaque, præmiſsâ purgatione, &, ſi opus eſt, leni V. S.ne, poſt pridianam abſtinentiam, cœlo ſereno & tranquillo, decreſcente Lunâ, in loco lucido, deligato prius ſano oculo, ne moveatur, & diductis Ægri palpebris, in ſiniſtro quidem oculo, dextrâ manu functionem obeunte; in dextro verò, ſiniſtrâ, acui ad minorem oculi canthum, à perito Chirurgo, usque ad vacuum intus ſitum, adigatur: deinde ex ſuperiori parte ad ipſam cataractam inclinetur, quam infra pupillam deducat, & vehementiùs imprimat, ut inferiori parti firmiter inſideat & inhæreat; ſicque operatio perfecta eſt: parti verò albumen ovi, cotone exceptum, imponatur, & circumquaque adſtringens aliquod, loco Defenſivi, ad prohibendam inflammationem, adaptetur; oculus ne moveatur, ſtrictè devinciatur, Ægerque victu tenui liquidoque, quietus, usque ad ſeptimum diem, in loco obſcuro detineatur: deinde longo tempore accurata προφυλαξία ſtudendum eſt, manet enim ſemper Recidivæ periculum; quod fiet, ſi corpus frequenter expurgetur, oculos roborantia adhibeantur: nempe in exitu lecti maſticetur *ſem. fœniculi* aliquamdiu, deinde os vino repleatur, quo, tantillum in ore calefacto, abluantur oculi, donec acrimoniâ ſuâ eos vellicet, & dolorem aliquem inferat, qui, ceſſante ablutione, ceſſat. Nonulli, ad oculos confortandos, utuntur perſpicillis viridibus, aut cæruleis, immò etiam ordinariis benè proportionatis; ſiquidem, mediantibus iis, ſpecies objectorum oculos non adeò ſeverè feriunt. Hæc de Cataractâ. Plura vide in Chirurgicis.

Gutta ſerena quid.

Gutta ſerena fit, dum viſio penitus aboletur, nec tamen extrinſecè in oculo videtur quippiam; dum nempe & externarum ſpecierum, & animalis ſpiritûs, influxus, propter obſtructionem, vel compreſſionem, vel continui ſolutionem, impeditur.

Unde fiat.

Obſtructio fit vel ab humore pituitoſo, vel ab ipsâ cerebri ſubſtantiâ, ictu, caſuve, in nervos illabente; qualiter etiam paralyſis & apoplexia ſæpius generatur. Compreſſio autem fit ab humore pituitoſo, extrinſecus incumbente, vel à ſangvine, vel à pure, vel ab ipsâ cerebri ſubſtantiâ, vel ab oſſis fragmento, tumore, vel inflammatione, uti Platerus refert, vel ab aliâ quavis materiâ. Solutio verò continui fit per profunda capitis vulnera, quibus nervi optici præſcinduntur. Cognoſcitur ex eo, quòd extrinſecus alieni nihil in oculo appareat, præter pupillam ſubnigram, & ſolito ampliorem; & tamen omnimoda eſt viſûs abolitio. Cauſarum cognitio difficillima eſt; ſi tamen ab obſtructione fit, alii ſenſûs non læduntur; nullaque alia ſunt in aliis partibus ſigna: ſecus, ſi ab inflammatione, tumore, vulnere &c. in quibus aliæ partes compatiuntur.

Affectus hic, cum totali viſûs ablatione, cùm fit ab humore craſſo & viſcoſo, nervum opticum obſtruente, eſt ferè incurabilis; præcipuè in ſenibus: ſi verò ex parte tantùm ſit obſtructio, & non totalis cæcitas; ſalutis ſpes eſt. Si autem fiat ab humoribus, in interiorem cerebri partem præcipitatis, uti nonnunquam à violento vomitu fit, curari poteſt: imò id, vomitu reiterato ſucceſſiſſe, teſtatur Fabricius Hildanus, *centur. 5. Obſerv. 19.* Ita obſervatum eſt, mulieres quaſdam graviditationis tempore fuiſſe excæcatas, ſine dubio à ſangvine redundante, & nervos opticos comprimente; adeoque affectus hic, unà cum partu, receſſit. Multos in hunc affectum facilè incidiſſe, ſed vacuationibus univerſalibus, & revulſionibus quibusdam, curatos fuiſſe, teſtantur Auctores. Prognoſis.

Curam quod attinet, hæc auſpicanda eſt à materiæ, nervis impactæ, vel adhærentis, quæ vel obſtructionem, vel compreſſionem facit, præparatione & evacuatione, univerſali priùs, deinde particulari, poſtea à partis roboratione. Curatio.

Victus ſit attenuans, & moderatè ſiccans; aër ad calidum & ſiccum vergens; cibi boni ſucci, minimè fumoſi & craſſi; uti ſunt aromata, lacticinia, piſces &c. panis ſit bene fermentatus; cujus paſta malaxari poteſt cum *aquâ fœniculi*, vel *ſemine* ejusdem: abſit lo- Victus.

liceum,

lium; oculis ſingulariter inimicum. Ad attenuationem & roborationem in condimentis, conferunt *hyſſopus*, *aniſum*, *fœniculum*, *majorana*, *ſalvia*, *betonica*, *euphraſia*, *nux moſchata* &c. Cavenda eſt *lactuca*, oculis maximè noxia: eſicanda eſt columba, &c., ſecundum quoſdam, rapa; quam tamen, uti vaporoſam, non adeò probamus. Vitetur omnis repletio cibi & potus, præcipuè vini generoſi: cujus loco ſit *decoctum Chinæ*, cum *radice liquiritiæ* dulcificatum, & *ſeminibus coriandri*, & *aniſi*, aromatizatum.

Nocivus ſomnus à cibo. Somnus à cibo cane pejùs & angve vitandus eſt; utpote qui caput replet, & pituitæ copiam generat: alvus laxa ſervetur; ira, & graviora animi pathemata, fugiantur; craſſi humores attenuantibus & incidentibus præparentur; uti eſt *decoctum hyſſopi*, *betonicæ*, & *ſalviæ*, cum *ſyr. byzantino*, & *oxyſaccharo ſimplici*. Deinde materia præparata educenda eſt *Purgatione univerſali*, quæ talis eſſe poterit:

Purgatio univerſalis.

℞. *Maſſæ pilul. lucis maj.*
cochiar.
extracti agarici, ana ℈ß.
pulv. Syrii gr. v.
ol. fœnicul.
aniſi, ana gut. iij.

Cum ſ. q. *aquæ euphraſiæ*, vel *beton.*

Pilulæ. F. *Pilul.* nro. viiij. pro unâ doſi: vel, in forma *Potionis*:

Potio.

℞. *Fol. ſen. ſ. ſt.* ʒiiiß.
beton.
verbenæ,
euphraſiæ, ana m ß.
mechoacannæ albæ,
agar. trochiſcat. ana ʒij.
mannæ elect. ℥ij.

His omnibus ſuperaffunde *ſeri lactis bullientis* ℥v. Stent infuſa per noctem: manè in colaturâ diſſolve
cremoris tartari ℈j.
ſalis euphraſiæ gr. vj.
ol. aniſi gut. iij. M. F. Potio.

Factâ purgatione, eadem conſideranda ſunt circa phlebotomiam, quæ in ſuffuſione conſiderata ſunt. Cùm enim affectus dependeat à causâ frigidâ; hæc ſanguinis miſſione augeri facillimè poſſet: ſi tamen aperta ſint plethoræ ſigna, in ætate juvenili, parciori manu ſanguis eſt mittendus.

Venæſectio. Factâ univerſali, ex brachio, ſanguinis miſſione, ſolemus etiam ex venis affectui proximis, uti ſunt venæ frontis, temporum, canthorum, naſi &c. vel ſcalpello, vel hirudinibus, ſanguinem mittere. Cæci quidam, poſt vulnus in fronte acceptum, viſum receperunt, evacuato ſcilicet ſanguine comprimente. Si affectus hic proveniat ab hæmorrhoidibus, vel menſibus, obſtructis; tunc & illæ & hi convenientibus medicamentis provocandi ſunt. Deinde vel apozemate, per otto dies continuato, vel pilulis ſæpius repetitis, corpus *evacuandum* erit. [illegible] Ad ulteriores revulſiones, & derivationes, pro tollendâ causâ antecedente, faciendæ ſunt *frictiones* extremorum, præcipuè inferiorum: *Frictiones.* *Cucurbitulæ.* *Cucurbitulæ* ſcapulis, & dorſo, immò & occipitio vel maximè, (nam præſentiſſimo quandoque fuerunt auxilio) cum & ſine ſcarificatione applicari poſſunt. *Veſicatoria.* *Veſicatoria* etiam cervici, vel toti capiti, applicata, diu aperta ſervari debent: *Setaceum.* *Setaceum* quoque multis fuit auxilio; loco cujus, in delicatulis, ſubrogari poteſt *Cauterium*; *Cauterium.* quod non tantùm nuchæ, ſed etiam ſuturæ coronali, impoſitum plurimos juvit. *Decocta ſudorifera.* *Decocta* etiam *ſudorifera*, ex *ligno Sancto*, *ſalſaparillæ*, *Chinâ* &c. per aliquod tempus, ad provocationem ſudorum propinata, non tantùm intemperiem frigidam capitis tollunt, ſed Guttam ſerenam quoque curant. *Collyria.* *Collyria* in hoc affectu parum efficiunt; cùm obſtructio ſit in nervis opticis, ad quos eorum vis non pervenit: caput verò corroborari debet *Cucuphis* ex herbis cephalicis, *Pulvinaribus*, *Sacculis*, *Balſamis*, &c. *Cucuphæ.*

Objectiones. Objic. 1. Auctores ſuffuſionis locum faciunt ambiguum: Ergo malè aſſeritur hic contrarium. Reſp. cum Hali Abbate, *9. theor. cap. 13.* locum ſuffuſionis eſſe inter cryſtalloidem & corneam: Ergo, qui aliter ſentiunt, hallucinantur.

Objic. 2. Authores dicunt, omnes ſuffuſiones per Chirurgiam curari poſſe: cùm tamen ex Arculano, *9. ad Almanſ.* Cataracta, quæ totum oculum occupat, item quæ eſt ex integrâ obſtructione nervi optici, curationem vix recipiat. Reſp. cum Paulo, *lib. 3. de Glaucomate*, pauca ſuffuſionum genera eſſe facilè ſanabilia.

Objic.

Objic. 3. Humoris vitrei impuritas, aut dislocatio, etiam facit ſuffuſionem: Ergo hæc non tantùm dependet ab obſtructione nervi optici. *Reſp.* hanc non eſſe ſuffuſionem veram, ſed affectum humoris vitrei genuinum; qui, ſi dislocatus ſit, eſt omnino incurabilis.

Caput XVI.

De Humoris Cryſtallini affectibus, ſeu Glavcomate, & ſitu vitiato.

Glavcoma quid ſit. DE Suffuſione actum eſt; quæ à *Glavcomate* in hoc differt, quòd illa ſit puris in pupillâ concretio; hoc verò propriè affectus humoris cryſtallini, denſati, reſiccati, & in glaucum colorem mutati: uti teſtatur Galenus, *10. de uſu partium*: unde, *Comment. ad aph. 31. lib. 3.* ſcribit: *Senibus Glavcoſin accidere, ob immodicam inſtrumentorum, viſui ſervientium, ſiccitatem.*

Signa, & differentia. *Cognoſcitur* hic affectus, quòd circa pupillam inſignis & profunda appareat albedo, & omnia tanquam per fumum & nebulam videantur. Difficulter à ſuffuſione diſtingvitur: hinc etiam Authores affectum unum pro alio acceperunt: in hoc tamen diſtingvuntur, quòd in ſuffuſione albedo in ipsâ pupillâ, & ferè juxta corneam ſit; in Glavcomate verò multò ſit profundior.

Prognoſis. *Prognoſin* quod attinet, affectus hic, præcipuè in ſenibus, eſt incurabilis, nec remedia multa, niſi incaſſum laborare velis, adhibenda ſunt, niſi ſuffuſionis ſuſpicio adſit: humor cryſtallinus ſitu aliquando peccat, cùm ſcilicet latiori ſuâ parte, quæ foveolam, lentis inſtar compreſſam, habet, pupillæ foramini è diametro non opponitur: & tunc res geminæ apparent: ſi in uno tantùm ſit oculo, tunc parallelus, qui in utroque oculo æqualis eſſe debet, amittitur, ita, ut res diviſa appareat; oculi enim debent in eâdem eſſe planitie; aliàs res geminæ apparent: quod facilè patet, ſi unus oculus, altero intacto, comprimatur: tunc enim res geminæ apparent. Idem aliquando contingit à vaporibus, aut tenui pituitâ, humorem cryſtallinum occupantibus, & ſpiritûs viſivos dividentibus: ut in ebriis, & febricitantibus, floccos in lecto colligentibus; unde oritur, quòd objecta gemina & diſciſſa videntur. Humor cryſtallinus ſitu peccat, vel quando nimium verſus anteriora accedit; vel quando verſus poſteriora nimium recedit: ſi priori modo ſit, objecta remota meliùs, quàm proxima, videntur: E contra, ſi poſteriori modo.

Illi, qui objecta tantùm approximata vident, *Myopes* dicuntur, habentque humorem cryſtallinum ad poſteriora multum accedentem: vitium tamen hoc ſpecillis plurimùm corrigitur. *Myopes qui.*

Si humor cryſtallinus ad dextram, vel ad ſiniſtram, nimium declinet, dicitur *Strabiſmus*: in quo pupilla rebus videndis non directè opponitur; hinc, ut objecta conſpiciant, caput ad partem movendum eſt. Fit quoque affectus hic ex reſolutione, aut vitio, muſculorum oculos moventium, qui oculum ipſum in baſi ſuâ continere non poſſunt. Si affectus hic connaſcatur, difficulter, vel nunquam, curatur: ſi verò dependeat à muſculorum capitis reſolutione, curari interdum poteſt. *Quid Strabiſmus.* *Prognoſticum.*

Contingit etiam, ut variè humoris cryſtallini ſitus mutetur: unde etiam objecta aliquando duplicia; aliquando inverſa; aliquando contorta aut curva conſpiciuntur; quæ omnia fiunt vel ob vitiatum ejus motum, vel ab humore aliquo pituitoſo, ipſam humoris cryſtallini partem occupante: &, ſicut in aquâ baculus incurvatus apparet, extractus verò non, propter majorem & minorem aquæ & aëris denſitatem, in quibus vel magis, vel minùs, ſpecies, ob medium denſius, vel tenuius, refringuntur; ita aqua, cùm ſit denſior, quàm aër, magis, quàm iſte, ſpecies à baculo in oculum transmiſſas impedit & refringit: unde baculus eâ parte, quâ in aquâ immerſus eſt, curvus; eâ verò, quâ in aëre, rectus apparet. *Cur baculus videatur in aqua curvus.* Quòd autem ſpecies inverſæ omnino videntur, id fit ob humoris cryſtallini inverſionem, ita, ut pars ejus lateralis & gibboſa pupillæ opponatur: uti videmus, à ſpecillis rotundis objecta inverſa repræſentari; quia in medio convexo *Cur ſpecies inverſa videantur.*

vexo & denſo ſpecierum viſibilium radii ita refringuntur, ut ſeſe cruciatim interſecent, &, quæ ab objecti parte ſuperiori feruntur, tanquam interna, & è contra, videantur. Horum affectuum curæ vel dependent ab aliorum curis, vel difficulter curantur.

CAPUT XVII.
De Ungue, & Albugine.

Unguis in oculo quid. PTerygium, ſeu *Unguis* in oculo, eſt membranula (quæ tamen carnem quandoque refert; uti vidimus in Comitiſſâ quadam Hungaricâ, & dicitur *Panniculus*) dura & nervoſa, quæ, ex majore oculi angulo prodiens, primò album oculi contegit, deinde paulatim ad nigrum ipſum, & pupillam, ſeſe extendit, unde viſus perditur.

Ejus Cauſa. *Generatur* autem à prævia oculi anguli, aut tunicæ adnatæ, exulceratione, ſcabie, longa exulceratione &c. ex Aëtio, *lib. 7. cap. 58.* quando nempe natura, ad corrigendum malum, ſupercreſcentiam facit, & in ſuo opere nimium luxuriat. Nam non tantùm humores neceſſarii illùc mittuntur, ſed etiam ſuperflui; utpote humor craſſus viſcidus.

Differentia tot, quot humorum. *Differentia* ſunt tot, quot ſunt humorum redundantium, & malum principaliter efficientium, diverſitates. Nam alius eſt durus; alius mollis & carnoſus: alius citrinus, à bile; alius ruber; alius ad nigrum accedens; alius albus: alius parvus; alius magnus; alius facilè ſeparabilis à corneâ; alius difficulter; alius ſimplex; alius ſordidus & carnoſus.

Curatio. *Curam* quod attinet, ſi malum recens eſt, ſolis *Pilulis Capitalibus* aliquando curari poteſt: ut:

Pilulæ Cephalicæ. ℞. *Extract. agarici,*
pilular. cochiar. ana gr. xv.
pulv. Syrii gr. v.
ol. aniſi,
fœniculi, ana gut. iij.

Cum ſ. q. *ſyrupi de ſtœchade* F. Pilulæ num. viiij. Inaurentur pro unâ doſi, ſæpius, tertio quoque die, repetenda.

Fomenta. *Fomentis* quoque oppugnari poteſt recens Pterygium: ut ſunt ea, quæ fiunt ex *decocto euphraſiæ, verbenæ, origani, camomill. ſem. coriand. aniſi, fœnic.* &c. Deinde *Collyria* parum corrodentia, de quibus *ſupra*, applicari poſſunt. *Collyria.* Quòd ſi non ceſſerit malum, paulatim ad fortiora accedendum eſt: ſi verò medicamentis non cedat, ad manûs operationem deveniendum eſt, & acu transfixus deprimatur. De hac operatione vide Aëtium, *loco citato*, vel H. Aquapendentem.

Albugo quid ſit. *Albugo* eſt affectus corneæ tunicæ; quando nempe ſuam transparentiam, ſeu diaphaneitatem, conſtitutione perversâ amittit: vel albo, vel flavo; uti in ictero: vel plumbeo; uti in ſugillatione, colore afficitur. Alieno colore tingitur in ſenibus; vel nimio uſu calidorum, & nimium ſiccantium medicamentorum, ob exſiccationem humorum naturalium, qui antè pulchrum colorē cauſabant: item mutatur corneæ ipſius color ab ophthalmiâ, tractis ſcilicet per dolorem humoribus alienis; vel lævore in aſperitatem, per ulcera, cicatrices, &c. degenerante: contrahitur etiam albugo corneæ, ob medicamenta nimium frigida, & repercutientia: unde humores impacti colorem vitiant.

Ejus Differentia. *Differentiæ* albuginis ſunt, quòd alia eſt totius pupillæ; alia partis tantùm: alia magna; alia mediocris; alia parva tantùm, & dicitur macula: alia profunda; alia ſuperficialis: & ex hoc cognoſcitur, quòd magis albicet; profunda verò, quòd ad nigram magis accedat; utpote quæ ab uvea tunicâ, ſibi propinquâ, aliquid coloris nigri mutuatur.

Cauſa. *Cauſa* ſunt omnia illa, quæ pituitam craſſam generare, corneam exſiccare, ulcerare, cicatrizare, condenſare &c. poſſunt.

Prognoſis. Albugo recens facilis eſt curationis; antiqua verò difficilis: item, quæ relinquitur ab ophthalmia, convenientibus adhibitis diſcuti poteſt: ſi verò fiat à cicatrice relictâ, ferè incurabilis eſt, ob partis ſenſibilitatem; quæ ad tollendam cicatricem acria non tolerat medicamenta, ſine periculo convulſionum.

Curatio per Digerentia. *Curationem* quod attinet, optimâ victûs ratione, tenuiori ſcilicet & calidiori, præordinatâ, humor pituitoſus primò

primò *præparandus* eſt *ſyrupo bizantino*, cum *decocto ſalviæ, majoranæ, roris marini, euphraſiæ*, per aliquot dies, ad ℥iiij. manè exhibito : dein, ad *expurgandum* humorem jam præparatum, hæ *Pilulæ* exhibeantur :

Purgantia Pilul. ℞. *Extr. agarici,*
pilularum cochiarum,
lucis maj. ana ℈ß.
pulv. Syrii gr. v.
ol. fœnic. gutt. vj.

Cum ſ. q. *aq. euphraſiæ* F. Pilulæ n. viiij. inaurentur, pro unâ doſi, bis in ſeptimanâ repetendâ. Atque ita faciendæ ſunt eædem revulſiones, derivationes, & evacuationes, quales in curâ Guttæ ſerenæ factæ ſunt. Quibus peractis, *Topica.* accedendum eſt ad *Topica*, emollientia, attenuantia, & diſcutientia : hiſce *Fomenta.* per *Fomenta* ſatis fiet : qualia ſunt :

℞. *Rad. chelidon. maj.* ℥iij.
althææ ℥ij.
ſem. fœni Græci ℥iß.
fol. malvæ m. ij.
flor. euphraſ.
melilot. ana p. ij.

F. Decoctio in ſ. q. *aquæ fontis*; cui lintea intincta in oculos exprimantur, ſiatque inſtar ſtillicidii : deinde lintea madida applicentur : vel etiam deco- *Diſcutientia.* cti hujus vapores excipiantur. *Diſcutientia* quod attinet, vide Caput de *Suffuſione*. Noſtrates inflant in oculum *ſaccharum tritum*; quod potenter diſ- *Detergentia.* cutit. Ad *detergendum* ſequens præſcribit Rondeletius :

℞. *Mellis* ℔j.
rad. fœnic.
ariſtoloch. rotundæ, vel *longæ*, ana ℔ß.
herb. chelidon.
rutæ,
fœnic. ana m iij.
flor. roſar. recent.
centaur. min. ana p. iij.

Inciſa macerentur ſimul in *melle*, addendo *urinæ pueri impuberis* ℔ij. eáque in *vaſe æneo*, *ad Solem*, *vel in fimum*, *poſita*, *per decem dies*, agitando tantùm *quarto quoq; die*, & *æruginem radendo*, *ſimulq; miſcendo*, *deſtillentur omnia ſimul*, & ſerventur uſui. Cum hac *aquâ* extrahatur *mucilago tragacanthi*; vel vitellum ovi commiſceatur, & inſpiſſata applicetur, ne diffluat ad canthos oculorum, doloremque pariat. Aliqui, ad detergendam albuginem, conducunt puerum, vel puellam, qui, poſt *fœniculi* maſticationem, ſingulis diebus bis oculum lambat : taliter etiam materia craſſa attenuatur & diſcutitur. Alii *ſuccum fœniculi recenter expreſſum* applicant; vel etiam *ſemen hormini tritum*, vel in *aquâ roſarum infuſum*, applicant : quod, oculum mundificare ſupra modum, Authorum fide certum eſt. Noſtrates applicant *pinguedinem lucii antiquiſſimam*; quâ cæcus quidam imperfectè, quandocunque volebat, viſum ſibi eousque conciliabat, ut incedere liberè poſſet. Nos applicamus *phlegma vitrioli*, vel *oleum chartæ*, ſeu *ex linteis combuſtis*, *&* *inter duas orbiculas ſuffocatis*, collectum.

Si curam albuginis, *à cicatrice cauſatæ*, aggredi libuerit, victûs regimine *à cicatrice cauſata.* bene ordinato, ne ſuperfluorum, ad oculum, per acrimoniam, medicamentorum & dolorum fiat attractio, præmiſsâ evacuatione per purgationem, &, ſi opus fuerit, per venæſectionem; adhibendi ſunt fotûs cicatricem emollientes : deinde abſtergentia & diſcutientia remedia ſunt applicanda, à levioribus ad fortiora pedetentim adſcendendo : quibus ſuccurrere poterunt cucurbitulæ, veſicatoria, ſetacea &c. Abſtergentia & diſcutientia vide *ſuperiùs* : dein ad *fella* deveniendum eſt; utpote hirci, bovis, milvi : ſi autem fella ſint nimiùm liquida, feranturque ad alias oculi partes, dolores ibidem cauſatura, excipienda ſunt *melle*, & applicanda : hujus farinæ ſunt *ſucc. chelidonii majoris*, vel *centaur. minoris*; item *amurca omphacii*, parati in vaſe æneo, *ſuccus anagallidis flore purpureo*, *cyclaminis*, *aſphodeli*, *ariſtolochiæ*, *rutæ* &c. Omnes ij ſucci *melle* excipiendi ſunt, & palpebris inungendi. Sicciora medicamenta ſunt, *os ſepiæ*, *myrrha*, *ſpuma nitri*, *ſal ammoniacum*, *ſtercus lacertæ*, *cornu cervi uſtum* : hæc vel pulveriſata inflantur, per pennam, in oculum; vel ex iis Collyria efficiuntur.

CAPUT XVIII.

De Pupillæ Dilatatione nimia, & Conſtrictione.

Quid Mydriaſis.

D*ilatatio pupillæ Mydriaſis* dicitur; & vel ſenſim fit, vel repentè; uti à re vulnerante: & tunc extremitas rhagoidis, quâ parte rugata eſt, circa iridem diſrumpitur, vel quoquo modo ejus continuitas ſolvitur.

Cauſa nimiæ dilatationis pupillæ.

Senſim fit, vel à multis flatibus, vel ab humoribus intra oculum irruentibus, vel à denſis tenebris. Prioris cura erit, ſi fiat à ſangvine, per venæ ſectionem, & medicamenta adſtringentia, repellentia, & corroborantia: uti eſt *decoctum roſarum rubearum, foliorum rubi, myrti, fœniculi* &c. poſterioris verò cura à priori non multum diſcrepat, ſi huic fomento plura carminativa addantur; uti eſt *anethum, aniſum*, &c. Poſt hæc Collyria adſtringentia parentur, ex *acatiâ, hypociſtide, bolo, cortice thuris, tutiâ, ſangvine draconis*, in *vino* diſſolutis, &c. Si malum non ſit amplius in fieri; ſed diu in facto eſſe, eſt difficillimæ curationis; eò, quòd pars illa rugatam ſuam contractionem amiſerit, ob diſtenſionem internam.

Conſtrictio pupillæ quid.

Pupillæ Conſtrictio priori contrarius eſt affectus: in quâ pupilla plus juſto corrugatur, & contrahitur; uti fit in tabe, & phthiſi, vel nimio lumine, & Solis, vel furni, calore humoribus nimium exſiccatis: fitque vel ſenſim, vel affatim: priori modo in enarratis; poſteriori verò, quòd per vulnus pars albuginei, ſeu aquei, humoris evacuetur: & tunc ſubitò concidit, eſtque affectus fere incurabilis: regenerari enim, præcipuè in adultis, vix poteſt. Contractio, quæ fit à ſiccitate, curari debet humectantibus, & victu analeptico, fovendo oculum *aquâ tepidâ*, cui parum *vini* addatur; vel *lacte tepido*, in quo emollientes herbæ, uti *malva, althæa* &c. bullierint: quæ tamen emollientia prudentèr, & parcè, ſunt applicanda, utpote oculis noxia: adeoque, axungias, & mucilagines, in Collyria redigere, & palpebris immingere, longisſime præſtat: foveri quandoque poteſt *decocto violarum*, & *chamomillæ*. *Vinum* in hoc affectu, & aromata, ſurſum petentia, niſi adſit inflammatio, conceduntur, ut, rarefactis & ſublimatis humoribus ipſis, ſpiritibusq; reſtauratis, fiat pupillæ dilatatio.

Objectio.

Objicies: Coria exſiccata majora habent foramina, quàm non-exſiccata: Ergo non poteſt fieri conſtrictio pupillæ, ob exſiccatam uveam tunicam; immò ab ejus ſiccitate potiùs fiet dilatatio. R/. Si ſolius uveæ tunicæ adeſſet exſiccatio; concedo: ſed major eſt humorũ deperditio, quæ ſimul cauſat pupillæ exſiccationem & corrugationem.

Quæſtiones. I.

Quær. 1. Cur in ſenibus pupilla anguſtior redditur? Reſp. partim ob ſpirituum defectum; partim ob partium ſolidarum & ſpermaticarum exſiccationem; partim ob humorum conſumptionem.

II.

Quær. 2. Cur Chriſtiani olim excæcabantur, è denſiſſimis tenebris, ad ſummum lumen, per Tyrannos delati? Reſp Ob violentiſſimam pupillæ, in tenebris denſiſſimis, ob luminis admittendi neceſſitatem, dilatatæ conſtrictionem ſubitaneam; vel ob tam violenti objecti, luminis ſcilicet, repentinam invaſionem.

CAPUT XIX.

De Viſus Debilitate & Obſcuritate: item de Nyctalopiâ, & Myopiâ.

Viſûs debilitas unde.

V*iſûs debilitas fit* vel à nimiâ evacuatione, & ſpirituum paucitate; vel à ſiccitate; vel à nimiâ humiditate, & materiâ, in capite, vel in toto corpore, redundante. Si fiat *priori modo*, tunc replere oportet, & reſtaurare, humiditatem nativam, & ſpirituum defectum. Conveniunt itaq; alimenta multum nutrientia, & paucorum excrementorum; uti ſunt ova, ſangvificationi amiciſſima: commendatur uſus *raparum decoctarum*, cum *ſalviâ, betonicâ, hyſſopo, aniſo, fœniculo*. Ne autem raparum, aliàs à proprietate viſui conferentium, flatulentia noceat, *Tragea* ſequens, pro paſtûs coronide, frequenter uſurpetur:

Ejus Cura à nimiâ Evacuatione, per Victum:

Tragea.

℞. *Sem. coriand. præparat. rapar. fœnic. aniſi*, ana ℥ij.
pulv. euphraſiæ, ſileris montani, caryophyllorum, cardamomi min. cubebarum, cinamomi, ana ʒj.
macis moſchat. ʒij.
ſacch. roſat. tabulati ad pond, omnid.
F. Tragea, prædicto modo uſurpanda.

Si

Digitized by Google

à Siccitate. Si viſûs debilitas fiat *à nimiâ ſiccitate*, unde cornea tunica corrugata ſuam amiſerit diaphaneitatem, humectanti victûs ratione utendum: ſtillicidium ergo emolliens ſupra totum caput faciendum eſt: oculus item *lacte mulie-bri*, vel *decocto ſeminis lini*, fovendus. Veſcatur Æger *pineis*, *amygdalis* &c. Si fiat *ab humiditate nimiâ*, *ab Humiditate.* humida omnino ſunt vitanda; ut aër, & *Victus.* victus humidus: inedia imperanda eſt: corpus *Purgatio.* expurgandum *pilulis lucis maj. de agarico*, *fœtidis*, *aloephanginis*: deinde uſurpetur ſuffumigium capitale ordinarium: uti proſtat in noſtris Pharmacopoliis. Si humores craſſi & pituitoſi in *Præparantia.* toto corpore redundent, *præparentur decocto hyſſopi*, & *flor. ſtœchados*, in *hydromelite* facto, & ad ℥v. omni manè, & veſperi, ante cœnam, exhibito. Hîc conferunt maſticatoria, errhina, & quævis caput-purgia; quæ tamen, ut particularia, univerſali evacuationi minimè ſunt præferenda. Talis autem *Purgantia.* fiet *purgatio phlegmagoga*:

Potio univerſal.
℞. *Mechoacanna albiſſima*,
agar. rec. trochiſcati,
myrobalan. chebular.
citrinar. ana ʒij.
fol. ſena mundat. ʒiijß.
manna electa ℥ij.
ſem. fœnic.
coriandri, ana ʒj.
tartari albi præparati ʒij.

His omnibus ſuperaffunde *decocti hyſſopi bullient.* ℥v. Stent infuſa per noctem: manè, factâ levi ebullitione, in colaturâ, forti expreſſione factâ, diſſolve
electuarii de pſyllio ʒiß.
crem. tartari ℈j.
ſpiritûs macis ℈ß. M. F. Potio.

Particularia. Factâ hac univerſali evacuatione, attrahatur per nares *Pulvis ſternutatorius* ex *helleboro albo*, *majoranâ*, *ſalviâ*, *flor. anthos*, *ſem. fœniculi*, addito pauco *tabaco*, vitando *flores lilii convallium*, oculis, ob nimiam violentiam, noxios: attra-*Confortantia.* hatur etiam *aqua ſalvia*, *majorana*, *betonica*; *ſucci*, vel *decocta*: à cœnâ uta-*Tragea.* tur Æger præcedenti *Tragea*, vel *fruſto panis aſſato*, vel *zingibere condito*. Ad viſûs conſervationem uti poterit ſequen-*Collyrium.* ti *Collyrio*:

℞. *Tutia*, aliquoties *urinâ pueri*, & demum *aquâ fœniculi*, ablutæ, ʒij.
coralli albi ſubtiliſſimè pulveriſati,
C.C. uſti, ana ʒß.
fol. auri num. ij.
aq. fœniculi,
euphraſ.
roſar. ana q. ſ.

M. F. Collyrium: quo ſæpius utatur Æger. *Maſticatio*, *ſem. fœnic.* matutino tempore facta, viſum plurimum confortat. *Maſticatoria.*

Obſcuritas viſûs. Viſûs obſcuritas, quæ per cauſas à debilitate diſtingvitur, dum alia eſt impotentia per ſe, alia ab errore externo, fit à multis cauſis. *Cauſa.* Vel enim conſiſtit in oculis, vel in ſpiritibus. Per oculos intellige humores, vel tunicas, vel nervos: in humoribus, v. g. in glavcedine, ubi humor eſt denſior redditus, & non bene recipit ſpecies, aut ſpiritûs viſorios; vel in corneâ tunicâ affectus ſubjectatur: v. g. propter cicatricem, albuginem &c. quorum affectuum curas jam ſupra tradidimus. Si verò malum ſit in ſpirituum meatibus, ita, ut Patiens nihil omnino videat, nullo apparente extrinſecus malo; tunc fit ab obſtructione; quæ, ſi antiqua eſt, difficillimè curatur: item, ſi malum eſt à vulnere nervi, incurabile eſt: fit ſæpè à craſſis vaporibus & humoribus, per vomitum valentiorem; deinde vomitu repetito diſcutitur.

Curatio: Purgantia. Corpus itaque Pilulis, aut Electuariis, capitalibus eſt evacuandum: nam ſæpius iis contingit, qui multum conſtipantur, vel qui malè concoquunt. Si fiat à ſpirituum craſſitie, tenui victu utendum eſt. *Victus.* Extrinſecè *aqua mellis*, *Externum.* ſuperiùs ordinata, applicetur. Sequens *Aqua*, intrò ſumpta, ad ℥ij. oculorum obſcuritatem mirè corrigit: *Interna.*

Aqua Ophthalmica.
℞. *Rad. fœnic.* &
cyperi, ana ℥iiij.
ſummit. fœnic.
chelid. maj.
euphraſ. ana mij.
ligni Gvajaci ℥iij.
flor. anthos & *ſtœchados*, ana mij.
centaurei min. p. j.
mellis optimi ℔ij.
vini albi ℔j.

Incidantur herbæ & radices, & macerentur 24. horis: deſtillentur ex vitreis organis: Aqua ſervetur uſui

 quoti-

quotidiano. Collyria detergentia & corroborantia cùm in Capite de *Suffuſione*, tum *alibi*, poterunt inveniri.

Nyctalopia quid.

Nyctalopia eſt nocturna quædam cæcitas, quâ affecti interdiu vident ; noctu verò aut parum, aut nihil : fitque ob paucitatem ſpirituum, quæ non ſufficit ad illuminandum oculum, cæteroquin craſſum, aut nimiâ humiditate obtenebratum. *Ejus cauſa.* Major eſſe ſolet hæc cæcitas noctu, quàm interdiu, ob Lunæ influxum, quæ modico ſuo calore humores liquefacit, ſed non diſcutit. Item qui meliùs vident in Novilunio, quàm in Plenilunio : idque patet ex Ariſtotelis ſententiâ, qui dicit, oculum eſſe aqueum, adeoque à Lunâ, quæ eſt dominatrix humorum aquoſorum, regi. *Curatio.* Si fiat à craſſis humoribus, hi attenuandi ſunt uſu *ſyrupi de hyſſopo*, vel *aquæ* paulò antè deſcriptæ : copia minuenda eſt Pilulis capitalibus. Victûs ratio attenuans & diſcutiens præſcribenda.

Quæſtio. I. Quid myopia.

Quæres I. Unde fit *Myopia*, ſeu luſcioſitas, in quâ objecta tantùm propinquiora videntur? Plurimi, cum Galeno, putant, fieri à paucitate, vel debilitate, ſpiritûs viſorii ; qui non eget medii illuminati copiâ ad perfectam viſionem, ſed ab ea diſſipatur : contrà verò, qui craſſos habent ſpiritûs, remota meliùs vident ; quia ſpiritus ille craſſus majori eget illuſtratione ; quæ in medii illuminati copiâ reperitur. Alii veriùs defectûs illos, *ex Opticâ*, in humoris cryſtallini diverſum ſitum, uti ſupra meminimus, referunt. *Opticorum opinio de cauſa myopiæ.* Cùm enim ſpecies objectorũ per pyramidem recipiantur in cryſtallino humore, ad quem conus pyramidis protenditur ; ſi cryſtallinus verſus anteriora, & pupillam, magis accedat, objecta remotiora meliùs videbuntur : nam ut conus pyramidis ad cryſtallinum perveniat, & in eo terminetur, objecta remotiora eſſe neceſſe eſt. Si enim ad oculum magis accedat conus pyramidis, cryſtallinum tranſgreditur, & objecta magis confuſa percipiuntur : contrà verò, ſi cryſtallinus in profundo oculi magis ſitus ſit, & ab uveâ tunicâ magis elongatus, objecta debent eſſe viciniora, ut conus pyramidis ad eam accedere poſſit.

II. Cur luſcioſi quandoque bene vident?

Quær. 2. Tamen luſcioſi quidam optimè vident ? Reſp. eſſe tantùm ſimpliciter luſcioſos, ſeu ſimplici ſtrabiſmo laborare ; à relaxatione muſculorum, unde oculi ſub eodem parallelo, ſeu axe, non continentur.

III.

Quær. 3. Unde fiat, quòd ſenes, & ij, qui multùm inclinato capite ſcripſerunt, remota meliùs videant ? Reſp. Ob conſumptionem humoris aquei ; unde cum tempore decumbit ad anteriora, & uveam tunicam, humor cryſtallinus : hinc etiam perſpicilia concava myopiâ laborantibus ; convexa verò ſenibus, conferunt : in illis, ut radii ſpecierum viſibilium diſpergantur, & conus pyramidalis longiùs protendatur ; in his verò, ut radii uniantur, & conus pyramidalis abbrevietur, adeóque objecta propinqua conſpiciantur. *Quibus perſpicilia concava, & quibus convexa, conveniant.*

CAPUT XX.

De Procidentia, Staphylomate: item de Clavo Oculi.

FIt quandoque, ut, ruptâ corneâ tunicâ, vel ab ulcere eroſâ, vel à cauſis aliis, utpote ictu, caſu, ligno, ferro, rebus acutis, &c. oculus procidat : & primò quidem pars quædam uviformis tunicæ procidit, &, antequam ſupra modum excreverit, dicitur *Μυιοκέφαλον*, eò, quòd figuram muſcæ capiti ſimilem referat : *Myiocephalon.* cùm verò ampliùs creverit, eouſque, ut acinum uvæ repræſentet, *Σταφύλωμα*, Græcè, Latinè, *Uvatio* dicitur : *Staphyloma, ſeu Uvatio.* at ubi plurimùm aucta eſt, ut palpebras tranſiliat, *ἧλον* Græcis, Latinè *Malum* dicitur : *ἧλον, ſeu malum.* verùm ubi callum obducit, & calloſa facta eſt, præter id, quòd extra palpebras tranſgreditur, *Clavus*, eò, quod clavi capiti aſſimiletur, nominari conſvevit. *Clavus. Differentia.* A Phlyctænâ, quæ eſt oculi puſtula, diſtingvitur in hoc, quòd circa radicem ejus labia quædam corneæ tunicæ corroſæ apparent in Clavo ; in Puſtulâ verò non, quæ tota ſuperficialis eſt, & ſubnigra. Vide plura apud Aetium. *Μυιοκέφαλον* faciliùs *Prognoſt.* ſtaphy-

Staphyloma difficiliùs curatur: ubi verò alborem, aut callum, contraxerunt, curationem nullam recipiunt: ſi oculi procidentia fiat à corneæ corroſione, tunc, uti reliqua oculorum ulcera, curari debet, præmiſsâ nempe purgatione & phlebotomiâ: ſi recens myocephalon adſit, aut recens ſtaphyloma, curandum eſt revellentibus & adſtringentibus, cum Galen. *4. de compoſ. medicament.* quem & Paulus, & Aëtius, ſecuti ſunt: talia autem ſunt non nimium aſpera, ut *flores roſar.* earúmque *ſuccus, crocus, ſpica, hypociſtis, vinum adſtringens*, aut *roſar. decoctum*, applicatum. Si uvea tunica per corneam ruptam magna ex parte propendeat, Æger ſupinus jaceat, ut pars in naturalem ſitum paulatim reducatur; ſi verò ſtaphyloma ſit calloſum, prognoſtico relinquendum eſt: poteſt tamen ſuus decor oculo ex parte reddi. Nos aliquoties corrugationem, evocato ſcil. humore aqueo, factâ per lancettam ſat largâ apertione, feliciter procuravimus; factâque operatione, *ovi albumen*, cum *aquâ roſaceâ* agitatum, ſtupis exceptum, applicavimus, ad inhibendam inflammationem. Paulus, *lib. 6. cap. 19.* ſtaphylomatis ligaturas facit; quæ tamen nó minùs carent doloribus. *Clavum* curare, eſt unum ex iis, quæ ab arte fieri non poſſunt: cœcitas etiam curari non poteſt: decori tamen peritis Chirurgiæ operationibus incumbendum eſt, ut ſcilicet vel ligaturis, vel corrugatione tentatâ, turpiſſimum aliàs malum palpebris occultari poſſit.

Curatio à corroſione.

Curatio Clavi.

Quæſtio.

Quæres: Unde proveniat, quòd vetulis duplex quaſi pupilla, aut uvea, eſſe videatur: unde vulgo incantatrices, & præſtigiatrices, eſſe dicuntur? Reſp. Licet hujus non meminerint Auctores; eum tamen affectum, putamus, eſſe imperfectum ſtaphyloma, ruptâ nimirum corneâ tunicâ, uveam per ipſam adnatam conſpici: ſi & ipſa adnata rupta foret, tunc perfectum adeſſet ſtaphyloma. Si tamen aliquis hunc affectum ad ὑπόχυμα, vel ad Suffuſionem, referre mordicus attentet, cum eo non decertabimus.

Caput XXI.

De Oculi Exitu, & Profundatione: item de quibuſdam in Oculos illapſis.

Oculi expreſſio, Græcè πρόπτωσις, fit, quando ita eminens eſt oculus, ut totaliter procidere videatur. Accidit hoc, teſte Aëtio, iis, qui athleticis certaminibus quaſi ſuffocantur: item mulieribus difficulter parientibus, ob vehementiſſimum conatum, aërisque compreſſionem, qui, in collum regurgitans, ſtrumas facit; in caput, non tantùm venas frontis inflat, ſed oculos etiam quandoque dejicit: ita etiam contingit, obſtructis ventribus, & difficulter urinantibus, vel alvum dejicientibus: item tubicinibus, ob eam cauſam, oculi ſunt prominentiores; præcipuè iis, quibus ſuſpenſorii muſculi ſunt molliores, vel laxiores. Fit etiam oculi exitus à catarrho, confertim in eum irruente; aliquando ob reſolutionem muſculorum; aliquando ob vulnus, vel contuſionem, adnatæ tunicæ, vel ſeptimi muſculi, qui utcunque tranſverſus eſt, in inferiori parte ſitus, & oſſi in minori angulo, ſeu cantho, alligatus; ſi à vulnere, vel contuſione ſit, hiſce curatis, curatur quoque oculi exitus: ſi ob ſuffocationem evenerit, cubiti venam incidere oportet: ſi humores in cauſâ fuerint, expurgandi: ſi à pariendi difficultate, procuranda ſunt menſtrua; quibus plerumque malum deſinit: quod ſi, in viris, poſt ſangvinis miſſionem & purgationem, non remiſerit malum, cucurbitula occipitio applicanda eſt. Potus ſit aqua, diæta contracta, & oculo *lana, melle* illita, addito pauco *croco*, imponatur, linteolúmque complicatum ſuprà ſvaviter alligetur: deinde adſtringentibus & exſiccantibus, uti vult Rondeletius, agendum eſt: qualia ſunt *ſuccus polygoni*, aut *pſyllii*; aut *plantaginis*, cum *decocto folior. rub. roſar. rubear. ſem. ſumach. myrti*, cui addi poteſt aliqua *aceti* quantitas, ad majorem penetrationem: aliqui parum *aluminis* addunt, quod potenter adſtringit. Hic medica-

πρόπτωσις

Oculi quid.

[illegible]

Curatio.

menta fronti applicanda ſunt, ut pericranium, à quo membranæ trahunt originem, exſiccetur, & conſequenter ipſa adnata contrahatur. Pro ejusmodi *Frontali*: — *Frontale.*

℞. *Balauſtior.*
acatia,
myrtillor.
mali granat.
rad. biſtortæ,
gallar. immaturar. ana ʒij.
boli Armenæ ʒß.
corticis thuris,
croci, ana ʒß.
ol. roſacei & *myrtin.* ana ℥ij.
ſucci cydonior. & *aceti roſacei*, ana ℥j.

Incorpora ſimul, & reduc ad formam Nutriti: applicetur ſupra frontem & genas: frigida omnia applicentur ſupra oculum, niſi ab humiditate, reſolutione, aut flatibus, ſit malũ: nec calidè, nec tepidè, ſunt applicanda; quia calor tepidus relaxat, adeoque malum auget; ſi autem malum eſt ab humiditate calidâ, adſtringentia ex uſu erunt; ut *rad. cyperi, piper longum, caryophylli* &c. Vide, quæ de *Oculi Procidentiâ* dicta ſunt.

Gordonius huic malo contrarium quoddam malum, oculi ſcilicet *Profundationem*, opponit: quæ fit ob febres diuturnas, vigilias immodicas, anguſtiam, mœrorem, inediam, triſtitiam, & omnia illa, quæ vehementer exſiccant, inaniunt, & excavant. *Curatur* humectantibus, reſtaurantibus, potu aquæ calidæ, dulcis, lactis, oleorum temperatorum &c. — *Profundatio Oculorum. Ejus Cauſa: Curatio.*

Incidunt nonnunquam corpuſcula quædam in oculos noſtros: ut culices, pulveres, paleæ, &c. unde ſummus excitatur in oculo dolor: ad eluenda hæc corpuſcula utimur ſternutatoriis, quibus violenter excutiuntur illapſa; vel inſtillamus aquam, vel lac, tepida: meliori autem modo, & faciliori, extrahi non poteſt corpus, in oculum illapſum, quàm ſi *corallium rotundum*, magnitudine piſi minoris, in oculum imponatur, parùmque circum circa agitetur; ſicque infallibiter excutitur doloriſicum illud corpuſculum, nullo, quod mirandum eſt, à corallis dolore illato. Sequuntur vitia palpebrarum, ciliorum, & canthorum. — *Oculis illapſa. Cura.*

CAPUT XXII.

De Ectropio, ſeu Palpebrarum Inverſione, Scabie, cum Rubigine; item de Ulceribus, & Chalazio.

EVerſiones palpebrarum, ſeu *ectropiæ*, fiunt, teſtibus Paulo, & Aëtio, exulceratione præcedente, & carne ipſarum ſuperauctâ, vel ob duriorem cicatricem. Multos hoc morbo affectos vidimus, poſtquam curam morbi Gallici per ſuffumigia ex Mercurio ſuſtinuerant; humoribus nimirùm à Mercurio ſublimatis, & ulceribus ab acri materia factis. Carne tandem ſupercreſcente, invertuntur palpebræ: fitque affectus aſpectu horridus. Similes affectûs abſque tamen malignitate Venereâ, curavimus, exhibitis iis, quæ ſalſos & ſeroſos humores expurgarunt; ut: — *Ectropium quando, & unde, fiant.*

℞. *Maſſæ pil. lucis maj.*
ſine quibus eſſe nolo, ana ℈j.
reſinæ galappæ,
pulv. Syrii, ana gr. iij.

F. Pilulæ num. viiij. pro unâ doſi, ter, vel quater, alternis diebus repetendâ.

Nota: quòd, ſi ſuſpicio adſit morbi Gallici, v. vel vj. gr. *Mercurii dulcis correcti* hiſce Pilulis addi poſſint. Factis hiſce evacuationibus, *vena* capitis *ſecanda* eſt: deinde oculus lavandus *vino albo*, in quo *alumen rochæ* inter ebulliendum diſſolutum fuerit: deinde palpebræ ſequenti *Linimento* inunguntur: — *In ſuſpicione morbi Gallici quid faciendum. Venæſectio. Lotio. Linimentum.*

℞. *Tutiæ præparatæ* ʒß.
camphoræ ℈j.
axungiæ porcinæ ℥iß.

M. F. Linimentum, quod novies *aquâ roſarum* lavandum eſt, deinde palpebris inungêdum. Nos *Collyrium* facim, ex ʒj. ☿ij *ſublimati*, cum ℥iij. *aq. plantag.* & ruborem, unâ cum ulcere, tollimus: vel pulvis *plumbi uſti*, cum *ſulphure vivo*, inſpergi poteſt. Aliqui *æruginem torrefactam* applicant: ſed valde violenta eſſe videtur, niſi adſit cicatrix, quæ priùs corrodenda ſit: quando adeſt excreſcentia carnis, parum *Mercurii ſublimati* miſceatur cum *unguento baſilico*, vel cum *butyro recenti*; vel *aqua* — *Collyrii ex ☿io ſublimato. Vide Pharmacopœiam Danielis Myliis.*

Mercurialis inungatur, uſque ad decidentiam.

Palpebrarum depilatio. *Calloſitas* quandoque, vel *depilatio* palpebrarum, vel *aſperitudo* adeſt: de quibus vide Aëtium, &c. Contingit aliquando, ut oculi *pruriant*, cum *rubedine*: quod fit ab humoribus ſalſis & acribus, in oculorum palpebras decumbentibus. *Curatio.* In tali caſu corpus expurgandum eſt *pilulis de fumo terræ*, & *lucis major.* *Pilula.* deinde *cucurbitulæ* ſcapulis *Cucurbitula.* ſunt applicandæ: poſtea *aloë* diſſolvatur in *aquâ roſarum*, & fiat *Collyrium*: *Collyrium.* vel *myrrha* in *lacte muliebri* diſſoluta adhibeatur.

Ad Pruritũ Palpebrarũ Ungv. præſtans. Ad *Pruritum* palpebrarum apprimè facit ſequens *Linimentum*:

℞. *Sangvinis draconis* ʒiß.
baccar. lauri,
ſulphuris vivi, ana ℈ß.
viridis æris gr. xvj.
cadmiæ, in aq. roſar. lotæ, ʒß.
F. omnium Pulvis ſubtiliſſimus: dein adde *ſaginæ ſuillæ antiquæ*, liquefactæ & trajectæ, ℥iiij.
ol. communis ℥ß.
camphoræ ſubtiliſſimè tritæ ʒj.

M. F. Unguentum: aliàs hujus loci eſſe poterit *Ungventum ex camphorâ, ceruſsâ, mucilagine tragacant. aquâ roſarum extracta*: vel

℞. *Pomadæ* ℥ß.
tutiæ præparatæ,
trochiſc. albor. Rhaſis, ana ʒj.
vitrioli Romani ℈ß.

Foreſti medicamentum. M. F. Linimentum, palpebris inungendum: vel *tutia*, cum *unguento roſaceo* mixta, petiolis aptis inuncta, rubedini applicetur: quod eſt medicamentum à Foreſto probatum, quod unâ tantùm applicatione curavit.

Ulcera, & fiſſuræ, palpebrarum. *Ulcera* & *Fiſſuræ* palpebrarum oriuntur, ophthalmiâ, vel aliis oculorum malis, non bene curatis; utpote ex reliquiis humorum ſalſorum, & acrium, illuc delatorum. *Curatio.* Pro *curatione*, *malicorium*, & *lentes*, decoquantur in *vino albo*, eoque ulcus abluatur: vel fiat *Collyrium* ex *vitello ovi*, *croco*, & *olibano*, pulveriſatis, applicetúrque, ſanie prius bene aq. ſalsâ abſtersâ.

Palpebra tumida ex flatu. Si palpebræ ſint quaſi *œdematoſæ*, vel flatibus *tumidæ*, uti ſæpius contingit infantibus multum flentibus & humidis, applicetur *decoctũ abſynthii*, *chamomillæ*, *anethi*, *aniſi*, & *fœniculi*: vel apponatur *emplaſtrum diachylon*, cum *ammoniaco*, & *pulvere rad. ireos.*

De gangliis, atheromatis, & favis, vide Aëtium, *lib. 7. cap. 81.*

Chalazoſis, ſive *laxitas* palpebræ fit vel à paralyſi, ex conſenſu nervorum cerebri, vel ab intemperie humidâ, quâ pili invertuntur. *Laxitas palpebrarum.* Palpebræ aliquando omnino ſubſident, vel à paralyſi, vel à vulnere muſculi, à fundo orbitæ orti, transverſim diſſecti. Laxitas à paralyſi curatur remediis, in *capite de Paralyſi*, propoſitis: à muſculo reſecto, cicatrice jam factâ, malum incurabile eſt. *Curatio.* Hic bene monendi ſunt Chirurgi, ne inciſiones faciant rectitudinis fibrarum: immemores aliàs perpetuum faciunt oculis operculum. *Admonitio ad Chirurgos.*

Caput. XXIII.

De Difficultate aperiendi & claudendi oculum, cum Inflatione palpebrarum: item de Hordeolo, Phthiriaſi & Madaroſi, ſeu Defluvio capillorum ex ciliis & ſuperciliis, Lagophthalmiâ, & Tremore.

Oculi apertio prohibita unde. Oculi *apertio prohibetur*, vel ob ſiccitatem; vel ob humores craſſos & viſcoſos, vel ob tumorem palpebrarum, vel ob conglutinationem. Si adſit tumor, cum inflammatione (qui affectus vocatur *Sclerophthalmia*) ætáſque ſufficiat, venæſectio adminiſtretur: *Σκληροφθαλμία.* deinde pars affecta foveatur *decocto malvæ*, *althææ*, & *hordei*; vel *Cura.* *aqua tepida* ſpongiâ ſæpius applicetur: materia biliosa alteretur juſculis & emulſionibus; expurgetur decocto *tamarindorum*, *myrobalanorum citrinarum*, & *rhabarbari*, *in aquâ cichorei* facto: vel *albumen ovi*, *aquâ roſar.* bene agitatum, vel *lac muliebre*, vel *mucilago ſeminis lini*, aut *cydoniorum*, *aquâ roſar.* extracta, applicetur.

Hordeolum. *Hordeolum* eſt tuberculum, grano hordei ſimile, palpebræ cilio obveniens: quod ſi, inſtar petræ, indureſcat & creſcat, in grandinem, ſeu χαλάζιον, tranſit. *Cura ejus.* Vulgares illud *cerâ albâ* communi-

muniunt, vel *diluto hordei*. Conſultum eſt, ut in adultis corpus expurgetur *Pilulis cochiis*, & *lucis majoris*: quovis manè *ſalivâ jejunâ*, *maſticato* tamen priùs *hordeo*, abluatur: vel, abſciſſo muſcæ capite, reliquo corpore hordeolum fricetur. Sequens eſt Fernelii, ad tollendum hordeolum, item ad pſorophthalmiam, ſeu pruritum, & rubedinem, oculorum:

Præſtans Fernelii Collyrium.

℞. *Tutia praparat.*
ſarcocolla, ana ℈j.
vitrioli Romani,
ſumach, ana ℈ß.

Pulveriſata ligentur in nodulo panni rari, & ponantur in *aqua euphraſia*, *roſar. fœnic.* ana ℥j. Expreſſo nodulo, *Collyrium* ſæpius uſurpetur. Mulierculæ noſtræ, hordeolo incipiente, Patienti colaphum impingunt; atque ſuperſtitione potiùs, quàm vero remedio, malum curare ſeſe autumant.

Phthiriaſis.

Phthiriaſis, ſeu *morbus pedicularis*, ipſis etiam palpebris, & ciliis contingit, præcipuè apud eos, qui impurè vivunt: latóſque illos, & ſubcutaneos pediculos, Italicè *Piatoli* vocant: qui ex putrido ſemine, circa pudenda, generantur, hincque ad axillas, barbam, immo ipſas etiam palpebras, ſeſe diffundunt, ita, ut in iis continuum excitent pruritum. Abſtergi itaque poterunt palpebræ *decocto betæ*, vel *ſtaphidis agria*, vel *aquâ infuſionis Mercurii*, vel *unguento Mercuriali*: quo nihil præſtantius. Foreſtus *albumen ovi* coquit ad duritiem, ac tandem per ſex horas infundit in *aceto forti*: totáque nocte ſupra oculum retinere jubet: atque, manè remedium, unà cum pediculis adhærentibus, removeri.

De pediculis ſubcutaneis, Piatoli Italorum.

Curatio.

Foreſti remedium ad oculorum pediculos.

Ciliis etiam, & Superciliis, affectus quidam contingit, qui *Madaroſis*, ſeu *Depilatio*, dicitur; fitque ob acrem, nitroſam, acutam, & plerumque Veneream, defluxionem, ob quam capillorum radices quaſi corroduntur: vel etiam ob defectum caloris, protrudentis materiam ex quâ; unde juxta poſitio impeditur: vel ob nimiam humiditatem, poros, per quos pili forent extrudendi, nimium dilatantem: vel ob cicatricem, & duritiem, palpebrarum pili non protruduntur: ad quod opus, teſte Hipp. *lib. de naturâ pueri*, raritas cutis ſummè neceſſaria eſt. Hoc malo affecti primò bene ſunt expurgandi: deinde partes hoc *Linimento* perungendæ:

Depilatio palpebrarum.

Curatio.

Linimentū probatiſſimum.

℞. *Stercoris leporini*, & *hircini* ana ℥j.
corticum avellanar. adustar. ℥iij.
F. omnium Pulvis ſubtiliſſimus: deinde, cum *pinguedine hirci*, vel *capra*, F. Unguentum probatiſſimum, in quavis depilatione: quo etiam denigrantur pili. Nos præſcribimus *aq. mellis*.

Lagophthalmia eſt convulſio, vel retractio, palpebræ ſuperioris, vel à cerebro, patiente à cicatrice, vel futurâ, proveniens.

Lagophthalmia.

Τρόμος eſt ejuſdem palpebræ *Tremor*. Uterque affectus, ſi ab affecto cerebro proveniat, eſt periculoſus.

Tremor.

CAPUT XXIV.

De Anchylope, Ægylope, ſeu Fiſtulâ lachrymali, Rhyade, & Encanthide: item de Epiphorâ.

Tumor quidam inter majorem angulum, & naſi radicem, apparet, qui, antequam aperiatur, *Anchylops*; apertus verò, *Ægylops*, ſeu *Fiſtula lachrymalis*, vocatur: fitque vel cum, vel ſine, inflammatione: provenit à ſanguine bilioſo; adeſtque rubor, & phlegmone, furunculo ſimilis: degenerat paulatim in abſceſſum ſinuoſum, & fiſtulam lachrymalem; quæ, teſte Hipp. *6. aphor. 45. ſi per annum durat, cariem facit* in oſſe; ac deprehenditur ex foveâ, quæ digiti preſſurâ exploravi poteſt. Si ſit ſine inflammatione, provenit ab humore frigido, craſſo & pituitoſo, aliquando melli ſimili: tumor hic, licet diuturniori tempore; tandem tamen degenerat in fiſtulam. Difficilem & artificioſam affectûs hujus curam vide *in Chirurgiâ noſtrâ*.

Fiſtula Lachrymalis primò Anchylops, poſtea Ægylops vocatur.

Antiquus os corrodit.

Cura eſt in Chirurgiâ.

Rhyas eſt caruncula anguli majoris conſumptio, vel diminutio, unde major, quàm par eſt, evadit angulus: ab humoribus acribus & erodentibus, vel medicamentis corroſivis, ad fiſtulam lachrymalem curandam applicatis, quam plerumque affectus hic conſequitur: fit etiam poſt inciſionem Sebel, vel pterygii, ſive ungvis ocularis.

Rhyas quid.

Rhyadi

Encanthis quid.

Rhyadi opponitur *Encanthis*, quæ eſt ipſius carunculæ immodica eminentia, à ſangvinis & humorum repletione proveniens. Hæc, ſi valde magna fuerit, incidenda eſt vel cauterio potentiali, per calamum inflato; & tale eſt *vitriolum*, vel *alumen uſtum*: caveatur autem, ne nimium, vel nimis parum, eradicetur, ad cavendam perpetuam lachrymationem, vel ne æger in Rhyadem præcipitetur. Operationi huic præmittenda eſt purgatio; deinde, factâ inciſione, ſi dolor adſit, *albumen ovi* concuſſum, ſtupis exceptum, applicetur: deinde, ad conſolidationem, ſequenti *Collyrio* utendum eſt:

Cura.

Collyrium.

℞. *Aloës*,
olibani, ana ℈ij.
ſangvinis draconis,
ſumach, ana ℈ß.
Cum *aq. roſar.* F. Collyrium.

Curatio Rhyadis.

Rhyadis curatio facienda eſt reſtaurante victu, ſarcoticis, & conſolidantibus; cui uſui eſſe poterit præcedens Collyrium, item frequens *lactis muliebris* in oculum inſtillatio, vel *decoctionis conſolidæ majoris* fomentum.

Epiphora quid.

Quamvis aliqui *Epiphoram* ad affectûs adnatæ tunicæ referant; cùm tamen ad angulum oculi ſæpe pertineat; eam hîc retulimus: eſtque humoris tenuis per oculos effluxus; unde lachrimæ involuntariæ per oculos continuò defluunt.

Ejus Cauſæ.

Cauſæ eſſe poſſunt, cerebri, velut partis mandantis, prava diſpoſitio, utpote frigida, vel humida; deinde ipſa oculi, & carunculæ, in angulo ſitæ, utpote partium recipientium, laxa & debilis quædam diſpoſitio: Epiphora plerùmque concomitatur ophthalmiam, fiſtulam lachrymalem, rhyadem, & encanthidem. Viæ autem, per quas humores iſti ad oculos feruntur, ſunt arteriæ, tum internæ, tum externæ: ſi humor eſt frigidus, tantam non infert Patienti moleſtiam; ſi verò eſt calidus, acris, ſalſus &c. ingentes infert dolores; immò & corroſiones & ulcera cauſat.

Signa diagnoſtica.

Signa diagnoſtica ſunt lachrymæ perpetuò fluentes: utrum verò calidus ſit fluxus, vel frigidus, colligitur ex præſentiâ, vel abſentiâ, doloris: ſi per internos meatûs ad oculos diffluat humor, colligitur ex profundâ capitis gravitate, vel dolore, vel ſternutatione; ſi verò per externos meatûs fluat, id cutis tacta indicat; immo vaſa tument, malumque repercutientibus mitigatur; ſecus, ſi ex profundo: nam tum his exacerbatur malum. Epiphora, quæ Ægylopi, & aliis oculorum inveteratis malis, ſuccedit, & diuturna eſt, aut in ſenibus reperitur, difficulter curationem recipit; ſecus, recens.

Prognoſticum.

Curatur hic affectus humorum revulſione, derivatione, evacuatione: quod fiet Venæſectione, & Purgatione. *Venæſectio* in frigidâ cerebri intemperie non convenit, niſi magna adſit plethora; quæ tamen parcior eſſe debet: liberalior autem, & frequentior, eſſe poteſt in fluxione calida, cum plethorâ, & ubi adeſt magna humorum acrimonia. Fieri quoque poteſt revulſio per *Cucurbitulas* ſcarificatas, apertionem venarum ſedalium, earumque, quæ circa aures ſunt, per hirudines, item veſicatoria, non tantùm cervici, ſed etiam, dictante Foreſto, occipiti admota. Cauteria denique, & Setacea, adminiſtrari poſſunt: purgationes ex Pilul. Cephalis, *cochiis* ſcilicet, *ſine quibus eſſe nolo*, *aloëphanginis*, *marocoſtinis Minderери*, *de agarico*, *de ſuccino Cratonis*, *aureis* &c. fieri poſſunt: vel, loco earum, concinnetur *Apozema* ex *herbis cephalicis*, cum *agarico*, *mechoacanna*, *rhabarb. fol. ſenæ*, & ſimilibus. Vide, quæ diximus in *calidâ & frigidâ cerebri intemperie*. Repercutientia fluxui, per vaſa externa tendenti, applicanda ſunt, factis ſcilicet univerſalibus remediis: ut

Curatio.

Venæſectio.

Cucurbitulæ &c.

Pilulæ Cephalicæ.

Decoctum.

℞. *Croci Martis adſtringent.*
boli Armenæ,
terræ ſigillatæ,
ſangvin. draconis, ana ʒj.
thuris,
gummi elemi, ana ℈ij.
pulv. roſar. rubear. ℈j.
aq. plantag. & *roſar.* ana ℥iß.
aceti roſati ℥j. M. F. *Epithema*, fronti & temporibus applicandum: ſi tamen catarrhus frigidus fuerit, aliquid *maſtichis*, *gummi junip.* & *ſpicænardi*, addi poterit. Ad fluxum repercutiendum proſunt Collyria ex *tutiâ*, *aloë roſat. trochiſcis al-*

Epithema.

Collyria.

bis Rha-

Digitized by Google

bis Rhazis, ſine opio, coralliis præparatis rubris, & albis, ſem. ſumach. &c. cum *aq. plantag.* facta. Vide plura *in Capite de Ophthalmiâ*, Et hæc, de oculorum morbis, tractaſſe, ſufficiat.

CAPUT. XXV.

De Aurium Dolore, & Exeuntibus præter naturam.

Dolor aurium cur ſit graviſſimus.

DOlor *aurium* eſt graviſſimus affectus, ob membranas earum ſubtiles; &, ob capitis viciniam, valde periculoſus: aure enim inflammatâ, ſæpius inflammantur meninges, unde ſequitur phrenitis, lipothymia, convulſio, febris continua, mors ſubitanea. Aurium doloris, ſicut & cujusvis, *quinq;* ſunt *ſpecies*: punctorius ſcil. ſtimulans, tenſivus, gravis, & pulſatilis.

Cauſæ doloris aurium.

Cauſæ, dolorem aurium excitantes, ſunt continuum ſolventia quæcunque; ut intemperies, ſine, & cum, materiâ, vermes, res quævis in aures illapſæ, ulcera, humores, vulnera, contuſiones, vehementes ſtrepitûs & ſoni, præcipiuè in iis, qui ſenſum habent valde acutum: Frigidum & nervis, & nervoſis partibus, teſte Hipp. maximè inimicum eſt: hinc eſt etiam, quòd frigida intemperies, brumali tempore, vel ab aquilone frigido, vel à balneis aq. frigidæ, plus cæteris nocere comperiatur.

Frigida intemperies frequentior auribus, quàm calida.

Calidæ aurium intemperiei ſine materiâ non meminerunt Auctores, eò, quòd calor partibus hiſce nervoſis valde ſit amicus; ſi verò tantus ſit, illico, parte rarefactâ, ob violentiam agentis, fit intemperies cum materiâ, antequàm malum cedat ſub Medici curam. Inducitur autem primò à frigore, in parte mittente, (quamvis etiam in parte recipiente fieri poſſit) intemperies frigida; unde frigidi, pituitoſi & craſſi, vel ſeroſi, generantur humores: ab iis quandoque flatûs, à quibus perſæpe ωταλγία, ſeu aurium dolor vehementiſſimus, producitur, elevantur: ſanguis & bilis in aures, per arterias delapſa, cauſant inflammationem, vel eryſipelas; quibus ſæpius exulceratio ſordida contingit. Vulnerantia, & contundentia, hîc enumerare, ſupervacaneum eſſet. Si Mercurius, vel res externa acuta corrodens, aut mordax, intromiſſa ſit; ſi vermes, aut beſtiolæ illapſæ ſint, ex Ægroto, aut adſtantibus, facilè reſcire eſt.

Signa intemperiei ſine materia.

Cognoſcitur verò intemperies immaterialis, quando nulla omnino gravitas ſentitur in parte affectâ, vel etiam in cerebro; aut non apparet magna in corpore cacochymia: Frigida intemperies ex antecedentibus, & præſentibus, ſymptomatibus cognoſcitur; nam vel adeſt gravitas, vel tumor; læditur frigidis, gaudet calidis: calida verò cognoſcitur ex calidis antecedentibus; ut anni tempore, victu, exercitiis, animi pathematibus, medicamentis, &c. calidis; Patiens juvatur frigidis: ſi à *flatu* proveniat aurium dolor; tunc non gravativus, ſed tenſivus, erit; ſonus clarus auditur, non confuſus: ſi à *vulnere*, aut *ulcere*, oriatur; tunc vel ſanies, vel ſanguis effluit; ſi ab *inflammatione*, tunc dolor erit continuus, gravitas, cum tumore, & febre continuâ: quòd ſi fuerit *apoſtema* calidum in ipſo nervo; adſunt febres, cum horripilatione, tremore, & mentis alienatione; uti Paulus, *lib. 3. cap. 23.* inſinuat.

à Flatu:

à Vulnere: Ulcere:

Inflammatione.

Apoſtemate.

Diagnoſis.

A quonam humore fiat inflammatio, *cognoſcitur* ex intenſione, vel remiſſione, doloris: à bile enim eſt maximus; à ſangvine mitior: mitior iterum à pituitâ, & melancholiâ. Vide plura apud Arculanum.

Prognoſis aurium doloris.

Prognoſis eſt, quòd dolor is, qui fit ab inflammatione nervi, vel etiam, qui à calidis humoribus, cum phlogoſi, fit, admodum periculoſus: quòd facilè meninges, & cerebrum, trahantur in conſenſum: unde delirium, & convulſio, ſubſequi conſvevit; & ſæpius Ægroti circa ſeptimum diem moriuntur. Si dolor ſit à ſolâ intemperie, ſine materiâ, eſt facilioris curationis: item ſi à pituitâ, ſero, vel flatibus, longiori quidem eget tempore, ſed minoris eſt periculi. Difficile quoque eſt, ſordida aurium ulcera curare; cùm ob ſitum, tum eò, quòd aures ſint emunctoria cerebri, in quæ multa confluunt excrementa: ſi tamen ulcera ſint, quæ poſt abſceſſûs conſequi ſolent; item, ſi pus ſit album, læve & æquale, faciliùs

curam

curam recipiunt: at ſi ſanies ſit fœtida, virulenta, viridis, & prava; ſi ulcus ſit fiſtuloſum, ſeu ſinuoſum; ſi oſſis caries, aut corruptio, adſit; aut difficillimè, aut nunquam, curantur.

Cura. *Curatio* doloris variat, pro varietate cauſæ, à quâ producitur. Galen. *3. de compoſit. medicamentorum per loca, cap. 1.* ait, quòd *omnis cura per cauſæ ablationem fiat*; nam dolor à frigiditate, calefacientibus; à calore, refrigerantibus; à flatu, carminativis; ab ulcere, abſtergentibus & conſolidantibus; ab inflammatione, revellentibus, derivantibus & evacuantibus curatur. Attendendum autem diligenter, utrum dolor ex inflammatione ſit criticus: tum enim adjuvanda criſis, minimèque repercutiendum. Criſis autem quadrifariam adjuvatur: primò, multitudinem humorum evacuando, ut virtus exonerata in reliquum potentiùs agere conetur: 2. virtutem roborando, his, quæ ſanguinem & ſpiritum cumulant: & hoc fiat ante criſin; ne in criſi natura impediatur: 3. præparando, & ſuperfluitates auris abſtergendo, ante criſin: 4. virtutem ſtimulando, ſi natura ad criſin tardaverit; vel, ſi moram natura in criſi contraxerit, in expellendo: ſymptomata item removenda ſunt, &, quoties dolor modum excedit, non frigidis, aut repercutientibus, ſed emollientibus & anodinis, demulceatur. Nam per repercutientia, & frigida, criſis retardatur. Si verò dolor ex inflammatione non ſit criticus, admittit evacuantia, revellentia, repercutientia per ſe, & reſolventibus mixta, & ſymptomatum demulcentia: Evacuantia ſunt Venæſectio; in plethoricis; purgatio; in cacochymicis: inter revellentia ſunt, etiam venæſectio, cucurbitularum applicatio; maximè, ſecundum Zacutum Luſitanum, *lib. 1. obſerv. 64.* & Hipp. *lib. 2. Epid. ſect. 6.* retrò aures: quod tamen non revulſionis, ſed evacuationis, aut derivationis, cauſâ factum fuit, cum omnium ſymptomatum remiſſione. Adhibentur item frictiones: hirudineſque retrò aures, teſte eodem Zacuto, mirè proſunt. Repercuſſio in materiâ calidâ, ubi non eſt motus criticus, fit cum *ol. roſac.* & quartâ parte *aceti*, per decoctionem reſoluti; vel, in materiâ frigidâ, cum *ol. amygdalar. amarar.* & *camomillæ.* Repercuſſio, reſolutioni mixta, fiet, ſi ſupradictis addatur *mucilago ſeminis lini*, vel *fœnigræci*, *aquâ camomillæ* extracta, *emplaſtrum diachylon minus*, vel ex *farinâ hordei*, coctâ cum *ol. camomillæ*, quod reſolvit ſimul, & emollit; reſolvit etiam, & maturat aurium apoſtemata, emplaſtrum ex *farinâ fabarum*, cum *ol. lilior. albor.* Ad demulcenda ſymptomata *lactis muliebris recens mulcto albumen ovi* miſcent, & ad ℥ß. tepidè in aurem inſtillant; vel etiam *lac* ab ubere ſtatim imprimunt. Nos jubemus, ut fumos, & vapores, *decocti hordei*, in *aquâ*, vel *lacte*, facti in aures, per infundibulum excipiantur, deinde aliquid de *ol. nymphææ* & *violar.* in aurem infundatur.

Si febris adſit, præſcribantur *Emulſiones*, & *Julapia refrigerantia*: item juſcula ex *portulacâ*, *acetoſâ*, *lactucâ*, *plantag.* cum *ſyr. limonum*, & *flor. papaveris errat.* ſæpius in die ſunt propinanda. *Si febris adſit, refrigerantia, Emulſiones.*

In vehementiſſimâ doloris urgentiâ *opium* quandoque adhibetur; poſt cujus tamen uſum *oleum caſtorei* immittatur, ad noxam opii tollendam: uti ſunt *trochiſci albi Rhaſis*, vel *ſief album cum opio*; quod diſſolvatur in *oleo papaverino*, vel *nymphææ*, &c. ſed teſte Galeno, *3. de compoſitione medicamentorum ſecundum loca*, opium eſt capiti & nervis inimiciſſimum, utpote quod, eodem teſte, alicui & ſenſum, & vocem, reliquo vitæ tempore, ademit. *Quid poſt u-[illegible]*

Nos, ubi ſumma adeſt neceſſitas, in parvâ quantitate, v. g. ad gr. iij. in ℥j. *ol. amygdalar. amarar. papaveris*, vel *nucleor. Perſicor.* additis *camphoræ* gr. ij. diſſolvimus: ſi flatus adfuerint, parum *olei camomillæ*, vel *anethi*, ſuperaddimus, atque ita non digito (tactum enim non fert pars doloroſa) ſed ſpecillo, lanâ obvoluto, & in liquorem intincto, modeſtè in meatum auditorium inſtillamus: *Anodinum auri inſtillandum.*

ſi, in inflammatione, adhibitis convenientibus, nec dolor, nec febris, remittat, ſed augeatur magis, cum pulſatione; tunc adjuvanda eſt maturatio, additis iis, quæ moderatè reſolvunt: ut: *Maturatio quomodo adjuvanda ſit.*

℞. *Rad. althææ*,
lilior. albor. ana ℥j.
fol. malvæ,
bismalvæ,

althææ,

althææ, ana ℥iij.
flor. hypericonis,
camomillæ, ana mj.
ſem. lini,
fœni Græci, ana ℥ß.
ſummitatum anethi p. j.

Fotu. Coquantur in ſ. q. *lactis*, pro *Fotu* ſæpius adminiſtrando; quo etiam flatûs, ſi adſint, potenter diſcutiuntur: vel etiam ex ſimilibus, cum *mica panis*, confici poteſt *Cataplaſma* applicandum. *Cataplaſma Faventini.* Victorius Faventinus ſequens *Cataplaſma* utiliter adhibuit;

℞. *Cæpam* num. j.
butyri recentis ℥ij.
ol. camomill. & *roſac.* ana ℥j.
croci ℈j. Miſc.

F. Cataplaſma, non exceſſivè calidè applicandum. Si facta fuerit maturatio, abſceſſusque ruptus, convertatur deorſum auris, ut pus effluat, deinde ulcus abſtergatur cum *decocto hordei*, & *melle roſato*, additis, ſi placet, *vitello ovi*, & paucâ *terebinthinâ*: ſi verò ulcus, ob acrium humorum redundantiam, dilatari videatur, addenda eſt *myrrha*, *crocus*, *thus*, *ſucci betæ*, & *cyclaminis*, quæ, decocta, in aures, priùs ab omni immunditie liberas, inſtillentur: his tandem ſubnectenda ſunt ſarcotica: ut: *Quæ facienda in dilatatione ulceris.*

Liquor inſtillandus.
℞. *Myrrhæ rubeæ*,
thuris,
ſarcocollæ, ana ʒj.
ariſtolochiæ rotundæ,
corticis granator. ana ℈j. Miſc.

F. omnium Pulvis, diſſolvendus in *decocto rad. ſymphyti*, & inſtillandus. Si ulcus nullis cedat remediis, ſed in vetuſtatem abeat, fovetur à cacochymiâ vel totius, vel partis, id eſt, ipſius capitis; adeoque corpus frequenter expurgandum, & *decocto rad. Chinæ*, & *ſalſæ parillæ*, ſiccandum: errhinis item, & maſticatoriis, item cauteriis, veſicatoriis, ſetaceis (Hollerius ſcoriam ferri, quæ ſepties cum aceto bullit, & exſiccata eſt, in convenienti vehiculo, in aurem inſtillat, & ulcus potentiſſimè ſiccat) &c. agendum eſt: *In antiquo ulcere quid agendum.* quòd ſi aurium dolor contigerit à remediorum acrimoniâ; hæc demulcenda eſt *ol. amygd. dulc.* inſtillato; cui etiam aliquid *opii* ſuperaddi poterit; ſi dolor fiat à corpore extraneo, v. g. piſo, cerafi nucleo, pulice, lapillo, vermibus, vel ferreo aliquo corpuſculo &c. videndum eſt, utrum per inſtrumentum extrahi poſſit: quod minimè fieri poterit, ſi totus auris meatus ab eo obturetur: uti vidi in filiolo cujusdam Itali. Peccetius obvolvit *ſpecillum* terebinthinâ, illudque, ex ſuperiori parte oleo perunctum, ne adhæreat auris parietibus, corpori extraneo affixum extrahit: ſi nihil effecerit, per *ſternutamenta* tentanda eſt excretio; vel per *olea* emollientia, & meatum lubricantia. *Varii modi, in aures illapſa extrahendi.* Cavenda verò eſt multa auris irritatio; quia, adveniente inflammatione, impoſſibilis eſt extractio. Si *pulices* in aures introierint, ibique ingentes tinnitûs, & moleſtias, fecerint, *globulo* ex pilis caninis, in aurem immiſſo, necantur. Alii cum terebinthinâ, goſſypio adhærente, per *ſpecillum* immiſſum extrahunt. Auctores tradunt, *caput lacertæ* vivum, vel recens mortuum, auri per tres horas admotum, omnia auri infixa corpuſcula infallibiliter extrahere. *Caput lacertæ omnia in aurem illapſa extrahit.* *Aqua*, in aurem immiſſa, facit, ut ambulans, ſeſe tympanum calcare, perpetuò exiſtimet: hæc vel effundenda prono auris foramine; vel goſſypio, aut lanâ, aut ſpongiolâ, intromiſsâ evocanda eſt. Si vel ex putridâ materiâ vermes in aure creverint, vel aliunde illapſi fuerint; hi protinus enecandi & educendi ſunt:

℞. *Summit. centaur. min.*
abſynthii, ana mj.
myrrhæ electæ,
aloës, ana ʒß.

Bulliant in ſ. q. *vini*: fiatque inſtillatio: vel, loco horum, *ol. abſynth.* vel *nucleorum Perſicor.* guttatim inſtillari poterit. Enecati tandem vermes *ſpecillo*, *cotone involuto*, & *terebinthinâ peruncto*, extrahi debent. *Vermes mortui ut ex aure extrahendi ſint.* Si (quod ſæpius contingere ſolet) ex aure magna *ſanguinis* quantitas, ob ruptas venulas, exierit, revellendus eſt per phlebotomiam, deinde adſtringentia in aurem ſunt immittenda, ut *ſuccus millefolii*, *ſymphyti maj. plantag. polygoni*, *acatia*, diſſolutus in *decocto roſar.* cum *vino rubro facto*. *Fluxus per aures, ſanguinis;* Fit nonnunquam (ut in Pharmacopœi cujusdam filio contigit) ut ingens *ſanies* *Saniei;* ex au-

ex auribus profluat: quo in caſu vide ſuperiùs, *Ulcerum curas*. Si plurimum *ſeroſi humoris*, vel in pueris, vel adultis, quod ſæpe fit, effluat, non illicò fluxus ille, teſte Arculano, *in Almanſorem*, reſtringendus eſt, præcipuè in pueris; nam taliter ex facili convelluntur: ſed permittendus eſt aliquantiſper, dein exſiccandus moderatè corpus evacuantibus, caput ſiccantibus, & ſudoriferis: in adultis diætâ ſiccante; qualem in frigida cerebri intemperie præſcripſimus.

Reprimenda in quibus vitanda ſint.

In aurium affectibus maximè *vitanda* ſunt ea, quæ iis nocent; ut ſunt fumus argenti vivi, ſemen arundinis fol. caſtaneæ, pulvis platani, fragores & ſonitus violenti.

Quæ vitanda in aurium affectibus.

Quær. 1. Quænam ſint obſervanda circa repercutientia, in aurium doloribus? Reſp. Ut non ſit materia criticè expulſa: ut non ſit furioſa: non plurima: non immediatè à cerebro expulſa: non valde tenax: non paulatim congeſta: non fluxerit ad partem extrinſecam auris.

Quæſtio, I. Conditiones, circa repercutientia obſervandæ, ſeptem.

Quær. 2. Quænam ſunt obſervanda in iis, quæ in aurem injiciuntur? Reſp. 1. ut, quod injicitur, non ſit calidum, nec frigidum, ſed tepidum: & hoc præcipit Avicennas: 2. ut parva ſit injecti quantitas: 3. ut ſtet in aure pauco tempore: 4. ut, antequam aliud injiciatur, primum ſit extractum, & abſterſum: 5. ut, cùm aliquid in aurem injicitur, Patiens jaceat in latere ſano: 6. ut locus ſit auriſcalpio mundificatus, propter auris tortuoſitatem: 7. ut non adminiſtrentur repercuſſiva in apoſtematibus auris, ob viciniam partis nobilis, & malum, quod inde poteſt evenire.

II. Notatu digna circa medicamenta, quæ in aures injiciuntur.

Caput XXVI.

De Aurium Sonitu, & Tinnitu.

Sonitus aurium eſt diſpoſitio ad ſurditatem.

Cùm, teſte Benedicto Faventino, *Aurium ſonitus* ſit *diſpoſitio*, ſeu via, *ad ſurditatem*; antequam de hac agamus, de illo priùs pertractabimus. Et, ſicuti per alienos colores, uti in Ictero, depravatur viſus: ita per extraneos ſonos depravatur auditus; uti fit in *Aurium tinnitu, ſonitu, & ſibilo*; qui fit intra ipſas aures, externúmque ſonum impedit, quò minùs ab ipſis Ægris percipiatur. Hic, teſte Cornelio Celſo, meatus auditorius (potiſſimum ſecundum ejus extremitatem, ubi delatum nervum attingit) oblæſus eſt.

Affectio ipſa eſt *ſymptoma* in genere *actionis læſæ*: ſentit enim ſentiendi facultas, quod ſentire non deberet; adeoque depravata ejus actio dicenda eſt, *quæ alium, quàm deberet, ponit terminum*. De *parte affectâ* nemo dubitat.

Sonitus eſt ſymptoma actionis læſæ.

Subjectum.

Cauſas quod attinet, Galen. *de vict. rat. 43.* dicit, fieri ob ſpiritum flatulentum, in partibus capitis genitum, vel ob vaporum multitudinem, ſurſum delatam, vel etiam ob ſensûs acredinem. Cauſæ *procatarcticæ* ſunt frigus externum, calor, ventus, ictus, contuſio, vulnus, præcedens febris, quam particularis ſecuta eſt criſis, cruditas, humorum plenitudo, vel cacochymia, præcipuè bilioſa; item *intemperies calida*, quæ *arteriam* auris interiora ſubeuntem, *multo ſpiritu replet*. Repletio hæc vel à toto, vel à parte, id eſt, capite, provenit. Ad hunc affectum facit vini generoſi potus, crapula, violentus vomitus, uſus violentorum medicamentorum, ipſum auditûs organú deſtruentium. *Continua* ſonitûs aurium cauſa eſt aëris interni commotio, quem naturaliter, in cavitate oſſis petroſi, quieſcere opus erat, ut probè, rectè, & abſque errore, facultas ſonum dijudicaret. Alii cauſam ſonitûs aurium *duplicem* eſſe ſtatuunt: *occultam* unam: *manifeſtam* alteram. *Occultam*, dicunt, eſſe dibilitatem ſensûs audiendi, aut ſubtilitatem: *manifeſtam* verò fieri volunt, *primò* ab aëre externo, internum movente: 2. ex ſanie: 3. ex motu, ab humorum ebullitione excitato; ut in febribus, & hypochondriis, melancholicâ fæce turgentibus, in uterocacochymico: 4. ex repletione ſuperfluâ: 5. ex humorum agitatione & fervore: 6. caſu & percuſſione: 7. ex magna humorum inundatione: 8. ex fame, humores & aërem commoventе: 9. ex medicinis purgantibus, quæ movent, & non educunt.

Cauſa Sonitûs, ſeu tinnitûs aurium.

Procatarctica.

Calor arteriam auris multo ſpiritu replet.

Continens.

Duplex ſonitus cauſa, occulta & manifeſta.

Cùm minimè conveniat, citra artem, aut cognitionem, curationem

 auſpi-

auſpicari, perpendendæ ſunt ſonitûs aurium *Differentia*, quæ à vaporum multitudine vel paucitate, craſſitie vel tenuitate; vel motu, oriuntur.

Signa cauſarum.

Si enim flatus, aut vapor, multus ſit, craſſus, & celeriter moveatur, tinnitus aquæ rapidum fluxum, cum fragore fluentis, vel tympani, vel venti repræſentabit ſonum. ſi verò flatus, aut vapor, ſit paucus, & celeriter moveatur, arboris confractæ, vel domûs collabentis, ſubitæque ruinæ, vel catapultæ, ſpeciem refert.

Sibilus à multo & tenui; Tinnitus à pauco & tenui: Suſurrus à craſſo fit vapore.

Si *multus* ſit, *tenuis*, ſubitoq; motus, *ſibilum* excitare ſolet, ad fluminis influctis ideam. Si *paucus* ſit, *tenuis*, & celeriter moveatur, *tinnitum* excitat. Si *multus* ſit, *craſſus*, & lentè moveatur, *ſuſurrum* excitat, & campanas aliquando refert. Si *multus* ſit, *tenuis*, & lentè moveatur, *remiſſiorem ſibilum* excitat. Verbo: prout eſt craſſities vel tenuitas, paucitas vel multitudo, celeritas vel tarditas; ita etiam ſonitus variatur.

Signa differentiarum.

Diligenter itaque & cauſæ, & differentiæ perveſtigandæ ſunt. Si enim malum ſit ab *intemperie calida*, vel à bile, vel à ſenſu acri, patet ex temperamento bilioſo & calido. Si à *ſenſu acri*, inde patet, quòd violenti ſtrepitûs nunquam poſſint audiri: qualem auditum habuiſſe fertur Tyrannus Attila, qui vehementiùs clamantem quemcunque patibulo adjudicavit. Si ſit à *criſi*, præceſſit morbus. Si ſit à *flatu*, debet eſſe interpolatus, non continuus. Videndum eſt etiam, an ab hypochondriis, an ab utero, hepate, liene, pancreate, vel ab ipſo capite, oriatur: quod patet ex prævia ejusdem gravedine, dolore, inflammatione, rubore, æſtu. Si verò ſonitus ſit *per eſſentiam*, & in ipſis auribus, nunquam intermittit, ſed continuus eſt, præceſſerunt cauſſæ procatarcticæ, organum auditûs lædentes; velut itinera hyberna, per loca nivoſa, humida, marina, ventoſa &c. Si fiat ab *intemperie frigida*, cum, vel ſine, materia, id patet ex eo, quòd calidis demulceatur; eſtque in corpore frigido, vel ſaltem in capite frigido, per ſe, vel per accidens.

Prognoſis.

A tali cauſa ortus difficiliùs curatur, quàm à calida; quia, ob materiæ craſſitiem, quandoque tranſit in ſurditatem: quòd tunc meatus auditorius, vel nerv., obſtruitur. Item recens faciliùs, quàm inveteratus, curatur, & à morbo Gallico ortus.

Cura.

Hujus affectûs *Cura* multum convenit cum præcedenti: in qua notandum, quòd, ſi à bile procedat, ut hanc evacuemus, & refrigerantibus juſculis, emulſionibus, julapiis &c. contemperemus, & *ſuccum portulacæ*, vel *oleum nymphææ*, aut *papaverinum*, in aurem infundamus. Hippoc. *4. aph. 28.* ait: *biloſas dejectiones ſurdis evenire, bonum.* Idem de Tinnitibus dicendum eſt. Fit quandoque, ut tempore convaleſcentiæ, ob debilitatem, fiat aurium tinnitus; qui recuperatis, per victum analepticum, viribus facilè remittit. Si caput humidum fuerit & frigidum, unde continuæ in aures deſtillationes procumbunt, caput expurgetur ſequentibus *Pilulis*:

Pilulæ caput purgãs.

℞. *Extr. pilular. de agarico,*
cochiarum,
ſine quibus, ana ℈ß.
reſinæ gialap. gr. iv.
pulv. Syrii gr. v.

Cum ſ. q. *ſyrup. de ſtæchade* F. Pilul. num. ix. pro una doſi. Deinde *aqua majoranæ* ſæpius in nares attrahatur. *Maſticatoria* ex *maſtiche*, & *pulvere radicis pyrethri*, cum ſufficienti quantitate *aquæ ſalviæ* facta, uſurpentur. *Veſicatoria* nuchæ, vel *cauteria* brachio, è partis affectæ directo, inurantur: quibus ſolis aurium tinnitum cedere, ſæpius animadvertimus. *Suffumigia*, in *præcedenti capite* deſcripta, hûc etiam referri poſſunt.

Diæta.

Victûs ratio ſit calefaciens, & boni ſucci.

Cura ſonitûs à flatu.

Si malum fiat à flatu, ſemina carminativa ſæpius maſticentur, vel infundantur gut. ij. *olei cumini*, vel *laurini*, calidè in aurem, vel etiam *decoctum carminativum*, cum *vino albo* factum; vel coquantur *chamomilla*, *anethum*, *cuminum*, *fœniculum*, *aniſum*, *origanum* &c. in *aqua*, & *vino*, fumusque per tubulum in aurem affectam excipiatur.

Caput XXVII.

De Gravitate Auditûs, & Surditate.

Auditûs gravitas, & Surditas, differunt tantùm ſecundum magis & minus.

Præcedentem aurium debilitatem, aut tinnitum, ſæpiſſime ſubſequitur *Gravitas auditûs*, vel etiam omnimoda *Surditas*: quos affectûs eò, quòd

Digitized by Google

quòd differant tantùm ſecundùm magis & minus, plerunque uno & eodem capite tractant Authores. *Gravitas auditûs* à Græcis vocatur ὑποκώφωσις: *Surditas* verò κώφωσις. *Audiunt graviter* homines, quando exiguas & remiſſas voces penitus non audiunt; magnas vix percipiunt. Ubi verò Auditus eò uſque defecerit, ut neque exiguæ, neq; magnæ, voces percipiantur, *Surditas*, ſeu κώφωσις, dicitur. Galen. 2. *de ſympt. cauſ.* dicit, *Auditum triſariam lædi: abolitè*, in *ſurditate: diminutè* in *gravitate auditûs: depravatè* verò, in *aurium tinnitu*, & *ſibilo*: de quo *ſupra*. Aures læduntur vel per ſe, vel per ſympathiam: per ſe, quando ipſum auris organum læſum eſt: per ſympathiam verò, quando vel ab hypochondriis, vel ab utero, capite debili, aut facultate, aut nervis, &c. læditur; ut bene Gal. 1. & 3 *de loc. affect.* Quoquo modo oriatur, eſt ſymptoma in genere actionis læſæ; id eſt, diminutè, in ſurditate; & auditu gravi, abolitè: quæ ambo ſequuntur morbum, vel in intemperie, vel in compoſitione, vel in ſoluta unitate; uti teſtatur Galen. 1. *de different. ſympt.*

Quid ſint. — *Actionis triplex læſio.*

Gravitas auditûs fit ob interni aëris, in cochleâ, quæ eſt cavitas, poſt tympanum ſita, contenti craſſitiem & turbiditatem; dum ſoni tanquam per medium improportionatum, & craſſius, audiri debent, adeoque multâ impreſſione & approximatione opus eſt. Ita Hipp. dicit, ſub *Auſtro hebetem* eſſe *auditum*, qui non tantùm externum, ſed etiam internum, aërem turbidum, humidum, & craſſum reddit. Vel etiam, ob capitis frigidi & humidi indiſpoſitionẽ, fit gravis auditus, eò, quòd plurimi fluxûs in aures procumbant, qui tympanum laxant, redduntque ſonis edendis inhabile: caput enim frigidum multas generat, & coäcervat, cruditates, quas ſuo tempore ad aures, velut emunctoria propria, rejicit. Eadem capitis indiſpoſitio ſpiritûs generat craſſos & debiles, facultatis auditoriæ inſtrumenta penitus inidonea: ita ex cibis craſſioribus, & conſimili aëre, craſſi & inhabiles generantur ſpiritûs. Ideòque Pythagoras, aliique Philoſophi, à leguminibus, ad Diſciplinas perfectiùs addiſcendas, ſibi temperabant.

Cauſa gravitatis auditûs. — *Auſter gravem reddit auditum.* — *Legumina ingenium hebetant.*

Fit etiam gravis auditus ratione inſtrumentorum, id eſt, nervorum obſtructorum, vel intemperatorum; uti contingit poſt longinquos morbos, ſcilicet lethargum, carum, apoplexiam, paralyſin, tinnitum, flatum, victum intemperatum, itinera difficilia per niveos montes, vel etiam poſt criticam aliquam metaſtaſin, ad aures factam; factâ ſcilicet humoris morbifici ad aures tranſpoſitione. Si fiat à tympani laxitate, humectatione, tenſione, exſiccatione, ruptione, corroſione; cognoſcitur ex cauſis præcedentibus.

De *Cauſis ſurditatis* vide Gal. *de ſympt. cauſ. cap.* 3. Si fiat gravitas auditûs à *debilitate*, & *alimenti defectu*, id conſtat ex macilentiâ faciei, ex pallore, & totius corporis atrophiâ, ſeu tabe. *Surdi*, in quibus audiendi actio penitus aboletur, ſi tales ſint *à nativitate*, plerumq; *etiam ſunt muti*; quia idiomata per auditum percipiuntur, eſtq; maximus conſenſus inter auditus, linguæ, laryngisq; organa, per nervum quintæ conjugationis; qui non tantùm ad aures, ſed etiam lingvam, ramos aliquot mittit: hinc fit, quòd, ut faciliùs audiamus, os aperimus, quodq;, dum aures ſcalpimus, tuſſicula, ſecundùm Avicennam, excitatur. Hic affectus à prærecenſitis cauſis, ſed intenſioribus, fit. Si ſurditas proveniat à *cerebri vitio*, tunc reliqui ſenſus plerumque compatiuntur, teſte Avicen 4.3.c.4. Si fiat vel *à tumore*, vel à *materia in poro auditorio hærente*, vel ab *aliquâ re illapsâ*, accipe phialam, aquâ clarâ plenam, eam auri admove, & *candelâ*, retrò poſitâ, *in auris profunditatem reſpice*, & facilè advertes, utrum aliquid illapſum ſit.

Surditatis Cauſa. — *Cur ſurdi à nativitate iidem & muti ſint.* — *Inſpectio in aurem per candelam.*

Prognoſin quod attinet, Hip. 4. *aph.* 28. innuit, quibusdam billioſas dejectiones ceſſare, ſuperveniente ſurditate; &, è contrà, ſurditatem, aut gravem auditum, ceſſare, ſupervenientibus bilioſis dejectionibus. Paulus, *lib.* 3. dicit, quòd ſurditas ab origine, id eſt, hæreditaria, nullo artis remedio elidatur; quæ verò non abſoluta eſt, recipiat curationem, ſed difficulter. Hipp. 4. *aph.* 60. ait: quibus in febribus aures obſurduerunt, his ſangvis ex naribus fluens, aut alvus turbata ſolvit. Gal. 3. *de compoſ. medic. ſecundum loca, cap.* 3. inquit, quòd, ſi gravis auditus non ſolvatur, in omnimodam ſurditatem

Prognoſis.

ditatem degeneret: quamvis multos, totâ vitâ graviter audientes, ſurdos nunquam fuiſſe novêrimus. Intelligendus itaque Gal. eſt, ut plurimùm, non, ut ſemper. Si ſurditas ſuos habeat paroxyſmos, aut intervalla, curabilis eſt: ſi verò fiat à vulnere, callo, vel ruptura tympani, incurabilis eſt. Gravidas auditûs, vel etiam ſurditas, faciliùs curatur, quæ fit per conſenſum, quàm illa, quæ fit per eſſentiam.

Curatio. De *Cura* gravis auditûs, ab intemperie ſine materia, vide Avicen. *4.3.tract.1.c.5.* Si gravis auditus, aut ſurditas, fit *per conſenſum cerebri*, aut *aliarum partium*; tota cura illûc eſt dirigenda: quam *ex propriis Capitibus* videre eſt. Si fiat *à ſcirrho*, incurabilis eſt: ſi verò *tumor* ſit *phlegmonoſus*, aut *eryſipelatoſus*, per venæſectiones, & purgationes, curari poteſt. Vide caput *de Aurium dolore*. Si fiat ab *illapſis rebus*, hæ extrahendæ ſunt, vel per elutionem, vel per excuſſionem, ſternutamento procuratam. Si à *frigore* fiat, calidis oleis, ut *oleo Philoſophor*, *caſtorei*, *majorana*, *roris marini*, *ſalvia*, *ſpica*, *amygdalar. amarar. de been*, *laurino*, *theriacali aquâ*, *elixire vita*, *proprietatis*, &c. inſtillatis curanda eſt: *Remedia ad gravem auditum.* vel fomenta ex *pane*, cum *baccis lauri*, & *ſemine carvi*, *piſto*, *per medium diſſecto*, & *aquâ vita parùm irrigato*, applicanda: vel fomentis *decocti abſynthii*, *origani*, *ſalvia*, & *caſtorei*, in *vino* facti, vel ſuffumigio ſulphuris, fonticulis, veſicatoriis, diætâ ſudoriferâ, thermis ſulphureis, pulvere, ſacculis, & emplaſtris cephalicis utendum. Si à *calore* fiat malum, ad refrigerantia confugiendum eſt: quæ ſunt vel actu talia, vel potentiâ: potentiâ talia ſunt, quæ calida propinantur, ſed cum tempore refrigerant: venæſectio item, & purgatio, conſecutivè id efficiunt: item decocta, quæ actu ſunt tepida, potentiâ verò frigida, uti eſt aqua, & lac, tepida ſuperfuſa, vel infuſa &c. & *oleum papaveris*, *amygdalar. dulcium*, *liliorum alborũ*, &c. Si à *ſiccitate*, humectantibus utendum eſt; uti ſunt, ſomnus longus, balneum aquæ dulcis, victus refrigerans & humectens. *Eſſentiam fellis humani*, *ſpiritu vini extractã*, veluti appropriatã, commendamus (cave tamen, ne in inflammatione, vel nimio calore & ſiccitate, adhibeas) Hac enim Prælatum quendam ſurdum olim liberavimus. Loco ejus *fel perdicum*, *leporis*, *capra* &c. ſubrogari poteſt, vel *ſuccus ruta*, cum *melle*, & *caſtoreo*. Apud nos in uſu eſt *pinguedo anguilla*, vel *ſerpentis*: alii decoquunt *radicem hellebori nigri*, vel *folia hellebori albi*, in *vino*, vel *ſpiritu vini*, & inſtillant: aliqui *ova formicarum* trita, &, cum *ſucco cepa*, in aurem inſtillata, tanquam certum ſurditatis remedium, deprædicant. Nos, cum Foreſto, jubemus gr. j. *moſchi*, goſſypio exceptum, in aure continuò geſtare. Ad ſurditatem plurimùm faciunt, *veſicatoria ſet acea*, & *cauteria*, ad nucham appoſita; item *hirudines* retrò aures applicatæ: præcipuè, ubi malum à ſanguine bilioſo ſit, ſunt inſtar omniũ: quamvis etiam venis hæmorrhoidalibus proficuè admodum in hoc affectu applicari poſſint. Si auditûs gravitas, aut ſurditas, provenit à *morbo Gallico*, factis nempe tumoribus, aut ulceribus, in aure, conſultum erit, ptyaliſmum, ſeu ſalivationem, unctionibus, vel ſuffumigiis, vel Mercurii introſumptione (de quibus vide caput *de morbo Gallico*) procurare: ſic enim, reſolutis tumoribus, & ulceribus percuratis, etiam ſurditas ipſa deſinet. Hartmannus commendat *axungiam talpa*, vel *ſuccum cepa*, *ſpiritu vini* imbutæ, & ſub cineribus coctæ, expreſſum, inſtillatum: nos adderemus *ol. caſtorei*, vel *ſuccini albi*. In applicatione topicorum diligenter obſervanda ſunt, quæ *ſupra* tradidimus.

Quær. 1. Quomodo fiat auditus? Nec Hipp. enim, nec Galenus, accuratè hanc rem tractaſſe videntur. *Quaſtio.* Reſp. Aër externus, percuſſus à duris ſolidisque corporibus, & ſoni qualitate affectus, vicinum aërem alterat, hic proximum afficit, donec, continuatione quâdam, ad aurem usq; perveniat: hanc continuationem vocat Avicennas *Undam vocalem*: ſicuti lapis, in aquam injectus, circulos facit, quorum alter alterum excitat; ita & percuſſus aër ſuos facit circulos, quorum unus alterum movet usque ad tympanum auris noſtrę, quod primò allidit; hoc tria illa oſſicula, malleum ſcilicet, incudem, & ſtapedem, movet, iisq; ſoni characterem imprimit: hinc ſonum aër vernaculus ſtatim excipit, quem per feneſtellas in tortuoſos anfractûs, & labyrinthum, mox in cochleam,

leam, defert, ab hac in nervum quintæ conjugationis auditorium trajicit, & ab eo, ad communem ſenſum, tanquam cenſorem & judicem.

II. Quær. 2. Utrum aër vernaculus, ſeu congenitus, ſit verum auditûs organum? Reſp. negativè: quia aër non eſt pars corporis: ergo non poteſt eſſe præcipuum auditûs organum. Probatur: quia pars omnis vel eſt ex ſemine, vel ex ſanguine, vel ex utroque ſimul: ſed ex nullo horum eſt aer internus: ergo nec pars: ergo nec princeps auditûs inſtrumentum eſt. Deinde etiam aër non vivit: ergo non poteſt eſſe inſtrumentum auditûs; quia, teſte Ariſt. *lib. de anima*, nil expers animæ eſt inſtrumentum alicujus ſenſus. Aer itaq; non eſt organum, ſed medium tantùm internum.

III. Qu. 3. Quodnam ergo ſtatuendum eſt verum & præcipuum auditûs organum? Reſp. nervum quintæ conjugationis, in utramque aurem expanſum, eſſe verum auditus organum: veluti proceſſus mammillares ſunt odoratûs.

IV. Qu. 4. Cur, ut faciliùs audiamus, os aperimus? Reſp. Ob ſocietatem, quam aures habent cum palato, per canaliculum cartilagineum, velut aquæ ductum, qui, à ſecundo auris meatu, ad os & palatum fertur. Ductus hic expurgando aëri vernaculo, & aurium excrementis evehendis, dicatus eſt, tum ut inſitus aër novi, per os inſpirati, appulſu refocilletur. Sic ab aëre ad os, & ab ore ad aurem, liberè meat & remeat aër; unde fit, ut, bene audire volentes, cohibeamus ſpiritum, ne, inſpirato aëre copioſo, impleatur cochlea, & tendatur tympanũ: ita in oſcitatione non bene audimus, quia inflatur tympanum.

V. Qu. 5. Cur, dum aurem fricamus, cogimur expuere? Reſp. Quia per eam frictionem exprimuntur in palatum excrementa, vel ductus cartilagineus ſtimulatur ad excretionem. Sequuntur quidam *Odoratûs*, & *Narium, affectûs*.

Caput XXVIII.

De Narium hæmorrhagia.

Hæmorrhagia narium quid. Quamvis hujus affectûs in *tractatu de Febribus* meminerimus; ordo tamen requirit hîc, ut plura de eo tradamus. *Narium hæmorrhagia* eſt ſymptoma in excretis, & quidem rei toto genere p. n. Nam ſangvis naturaliter continetur in hepate, corde, venis, arteriis: ſi alibi extravaſatus fuerit, putreſcit: quod innuit Hipp. dum ait; *ſi in ventrem ſangvis deſcendat, neceſſe eſt, ut putreſcat.* Uti autem naturale eſt, ut ſangvis in corpore retineatur; ita eſt præter naturã, dum ſangvis excernitur, dependetq; à morbo aliquo organico, vel communi, id eſt, ἀναςομώσει vel διαπηδήσει, quæ ſunt morbi organici; ῥήξει, vel διαβρώσει, quæ ſunt morbi cõmunes. *Quatuor hæmorrhagiæ cauſæ.*

Locus affectus ſunt nares, per quas ſangvis ex venis, aut arteriis, cerebri baſin perreptantibus, vel à venis palati ad nares deſcentibus, aliq; vel uteri hæmorrhoidas referentibus, effluit. *Subjectum morbi.* Hæmorrhagia narium alia eſt *critica*: alia *ſymptomatica*. *Critica* eſt, quæ fit præcedentibus concoctionis ſignis, cum conferentia, & in die critico; in morbis acutis, dolore capitis &c. *Symptomatica* verò, quæ fit cum deperditione virium, in ſummâ humorũ cruditate, & in die minimè critico; qualis eſt ſextus, qui dicitur tyrannus, cum virium dejectione, à natura nimium ſtimulatâ, & ob id malè agente. *Quotuplex ſit hic affectus.*

Cauſa hæmorrhagiæ narium ſunt aut ſangvinis nimia aquoſitas, imminente ſcil. hydrope, aut bilis, acrimoniâ, aut quantitate ſuâ irritans, aut febrilis calor, aut debilitas facultatis retentricis, aut expultricis irritatio, aut criſis, aut ætas juvenilis; aſſerente Hip. *4. prog. text. 37.* *Cauſæ hæmorrhagiæ.* Ubi magna adeſt ſanguinis copia; aut vaſorum reſeratio, aut diviſio, aut corroſio, contuſio, aut ruptio fit. Quib. *occaſionem* præbent hæmorrhoidum, aut uteri, ſeu menſtruorum, obſtructiones, *Occaſionales.* victus plenior, crapula, otium, exercitia nimia, magnus clamor, æſtas, longa in Sole mora &c. Si ſanguis fluat copioſè, vel eſt ἀναςόμωσις, vel ῥῆξις: quæ tamen *Signa cauſarum.* ultima præſupponit ictum, vel caſum, vel ingentem ſangvinis quantitatem; deinde, reſerato vaſe, in ἀναςομώσει, ſanguis tantùm fluit per intervalla, quia nõ in tantâ ſemper quãtitate affluit; ideóq; clauduntur orificia vaſorũ: in ῥήξει verò, ſeu vaſis rupturâ, ſangvis continuò fluit; vaſa enim rupta ſemper manent aperta: deinde ſangvis ſemper eſt tenuior in ἀναςομώσει, quàm in ῥήξει. Si διάβρωσις, ſeu corroſio adſit, cõcomitatur cacochymia, aut coryza ſalſa præceſſit. In διαπηδήσει verò ſangvis eſt paucus & tenuis; utpote qui per rarefactos poros exſudare de-

redebet. Si hæmorrhagia fiat à *retentricis facultatis debilitate*, color eſt pallidus, ſæpiſſime adeſt hepatis vel lienis durities, pedes tument, adeſtque cachexia: præceſſerunt vel morbus diuturnus, vel graves exceſsûs in cibo & potu. E contrà, ſi fit à *nimia ſangvinis copia*; tunc venæ & arteriæ temporũ intumeſcunt, facies rubet, athleticus viſitur habitus &c. Si à *cacochymia* proveniat affectus, ſigna ejus ſeſe manifeſtant in bile, melancholiâ, pituitâ, propriis cujusq; ſignis. Si ſanguis fluat *ex venâ*, non fluit cum tanto impetu, quàm ſi ex *arteria*, ex quâ proſiliendo quaſi ſaltat. De ſignis futuræ hæmorrhagiæ criticæ vide ea, quæ de Criſibus, *in institutionibus noſtris*, tradidimus. Gal. *lib. 3. de criſibus, cap. ult.* ait, multos morbos acutos hæmorrhagiâ tolli, ideſt, criticâ; non ſymptomaticâ. Fernelius, *lib. 2. de ſangvinis miſſione, c. 1.* putat, nullum ſangvinis profluvium, licet criticum, eſſe ſalubre; eò, quòd tenuior tantùm, remanente craſſiore, per id ſangvis evacuetur: quod tamẽ verum non eſt; nam etiam craſſus per nares ſangvis evacuatur, licet non ita, in guttulis illis, citò nimiùm concreſcentibus, ob recedentem citò, & non ſegregantẽ, calorem manifeſtetur, uti in eo, qui ex venâ evacuatur; in quo calor diutius conſervatur, qui homogenea ab heterogeneis ſeparet. Hipp. *in aph.* Menſtruis deficientibus, ſanguis ex naribus fluens, bonum. Idem putandum eſt de fluxûs hæmorrhoidalis &c. abſentiâ.

Fernelii ſent. de hæmorrhagia qualis.

Prognoſis hæmorrhagiæ narium.

Hæmorrhagiæ vehementiſſimę, & hypercatharticæ, ſunt peſſimæ: itẽ eæ, quę fiunt materiâ adhuc crudâ, & in principiis morborum; ſunt enim ſymptomaticæ. Deinde bonum ſemper eſt, ut hæmorrhagia ſequatur rectitudinem fibrarum; ita, ut, quæ ex latere directo, v.g. inflammato hepate, ex nare dextrâ; affecto liene, ex ſiniſtrâ; ſi contrà fiat, malum. Item, cùm nil criticum debeat eſſe paucum, malum ſemper eſt, quando guttatim ſtillat ſangvis, niſi fiat die indice: nam ſignum eſt, naturam eſſe debilẽ, & copiâ materiæ crudæ oppreſſam, quæ tantùm ſtimulatur, nec poteſt concoctioni ſtudere. Hipp. *7. aph. 87.* ait, hæmorrhagiam narium quaternariis eſſe noxiam. Deinde longæ narium hæmorrhagię corpus ita refrigerant, ut inducant in cachexiam, & hydropem.

Cura.

Curam quod attinet; hæc tota conſiſtit in removendâ causâ: ſi itaq; proveniat à *nimiâ ſanguinis tenuitate*; hic incraſſandus eſt: ſi à *nimio calore*; refrigerandus: ſi ob *virtutis debilitatem*; hæc victu analeptico, & expultricem demulcente, tollenda. Deinde, ſi *motu* peccet ſangvis; revellendus & derivandus eſt in contrariam partem, per phlebotomiam, cucurbitulas, hirudines. Tertiò, ſi *ora vaſorum aperta* fuerint; hæc, intruſis adſtringentibus in nares, ſunt reſtringenda. Quartò *victûs ratio*, ex ſex rebus non-naturalibus inſtituta, illùc ſemper collimet, ut ſangvini craſſities concilietur, & retentrix facultas corroboretur. Videndum itaq; primò, utrum hæmorrhagia narium ſit verè critica; hæc namq; ſinenda eſt, quamdiu manet intra limites criticæ evacuationis: ſi enim nimium evacuet natura, frænum illi quamprimùm injiciendum eſt. Maxima ergo cura ad hæmorrhagiam criticam, excedente naturâ, ſymptomaticam non negligendo; dirigenda eſt: quod fiet ex triplici fonte: Chirurgico ſcilicet, Pharmaceutico, & diætetico.

per Chirurgiam.

Venæſectionem &c.

Pro revulſione ſtatim occurrit *Venæſectio*, quæ è directo partis affectæ, amplo ſatis foramine, celebranda eſt. Deinde *frictiones, & ligaturæ*, adminiſtrentur; *cucurbitula* ſatis magna regioni hepatis, ſi ex dextrâ nare fluat ſanguis; lienis, ſi ex ſiniſtra (cave tamen inflammationem) utriq; pedi, cum Foreſto, applicetur: alii etiam ſcapulis, vel brachiis, ſupra muſculum bicipitem, applicant. Noſtrates fortiter incurvant minimum digitum manûs, & cũ dolore ligant; ita, ut dextra parti dexter; ſiniſtræ ſiniſter reſpondeat. Gal. *5. m. c. 5.* dicit, ſanguinis fluxum ſiſti, procurato animi deliquio: quod tamen non fit in hæmorrhagiâ uteri, & partium internarum: talis ſiquidem per animi deliquium, calore & ſanguine concẽtrato, invaleſcit & augetur. Hiſce omnibus parùm juvantibus, nos applicamus frigidè *oxycratum*, cum *nitro præparato*, teſtibus, & regioni hepatis lienisque. Eundem liquorem linamentis in nares intrudimus, & linteolis collo circumligamus; vel etiam jubemus, ut in ore teneatur. Fuit hoc quondam remedium infallibile Comitiſſæ de Harrach, ad ſiſtendam hæmorrhagiam ſuã, ejusq; ſucceſſum pluries experti ſumus. Ejus

Remedium ad Hæmorrhagiam narium, ſæpius probatum.

loco

loco ſubrogari utiliter poteſt *aq. ſpermiolæ*, ſeu *ſpermatis ranarum*. Præter hæc, fronti applicamus ſequentia:

Frontale F. F. Miſericordiæ, Viennæ deprædicatum.
℞. *Croci Martis adſtringentis*, *boli Armen.*
terræ ſigillatæ, *ſangv. dracon.* ana ʒj.
decocti gallar. & *malicor.* cum Mj. *fol. millefolii facti*, ℥vj.
aceti roſacei ℥iß.
nitri præpar. ʒß. M. Frontale.

Cataplaſma. Vel etiam ex iis fieri poteſt *Cataplaſma*, frontiq; & capiti raſo, circa coronalem ſuturam, applicari. Aliàs Authores plurimùm laudant *Frontale* ex *gypſo*, cum *albumine ovi*, & pauco *aceto* ſubacto. *Aquæ frigidæ aſperſio, & Terriculamenta.* Subita *terriculamenta*, cum *adſperſione aquæ frigidæ* ad faciem, uti per deliquiũ fieri ſolet, ſangvinem ſiſtunt. Mulierculæ Viennenſes infundunt aliquot guttas *aceti* in aurem nari fluenti vicinam, ad aliquam venis illàc tranſeuntibus *Infuſio aceti in aurem vicinam.* conciliandam adſtrictionem. Fabas, & numiſmata, venis temporũ, & frontis, tumentibus ſuperligant, atq; ita, fortiter comprimendo, ſangvinem ſiſtunt; ſed ejusmodi remedia nõ conducunt, quando fluxus à cerebri baſi proficiſcitur. Capillos Patientis, in turundam actos, & incenſos, naribus etiam intrudimus; vel, loco ejus, goſſypium in atramentum intingimus, & naribus indimus, & fronti colloq; alligamus: pulveres quoq; adſtringentes per calami tubulum, ore aquâ pleno inſufflamus: cùm eſchara aliquando per uſtionem ſit procuranda, ad *Eſcharotica.* orificia vaſorum occludenda, eſcharoticis ex *vitriolo uſto* (vitriolum album mitius eſt) utimur, eáq; inflamus in nares: ſed, cùm vehemens ſit medicamentum, *Pulvis Riverii.* Riverius ſequentẽ *Pulverem* ſubſtituit: ℞. *Gallar.* ℥ij. *alumin* ℥j. Calcinentur ſimul, pulvisq; in nares inſuffletur. Interea julapia, juſcula, emulſion. ſanguinem contemperantes, & aliquo modo incraſſantes, propinanda ſunt: ut ſunt Julapia ex *aqua roſarum*, & *plantaginis*, & *ſyrupo de portulacâ*, *granorum Chermes*, *granatorum*, &c. Juſcula, in quibus *portulaca*, *endivia*, *lentes* &c. incocta fuerint. Emulſiones ex *ſemin. frigidis majorib.* & *minorib.* & *ſemine urticæ*, cum *decocto lentium*, ſæpius ſunt propinan- *Oxycratum ſuſpectum.* dæ. Alii *oxycratum* ſolum in bona quantitate propinant, ad ſiſtendam hæmorrhagiam: ſed, cùm incidat, ſuſpectum *Specificum Mannagettæ* eſſe debet. Profeſſor olim noſter Magnificus, Guilielmus Mannagetta, ut ſpecificum, *fimum porcinum* non tantùm calentẽ fronti, & naribus, applicare jubebat; ſed etiam cum *aqua plantaginis*, in mortario contuſum, & colatum, parùmque cum *ſaccharo* dulcoratum, propinabat. Nos *ſtercus* aſininum *Authoris.* eodem modo, cum *ſucco urticæ* dilutum, & colatum, feliciter exhibuimus. Propinavimus etiam ſangvinem ex Ægro effluentem, in ſartagine ferrea calcinatum, & pulveriſatum, eundemq; frontali admiſcuimus: ſed vel exiguum, vel nullum, effectum experti ſumus. In Aula Cæſarea Comitiſſæ cuidam nullo artificio ſiſti poterat narium hæmorrhagia, præterquam nodatis ſtrictè, circa coronalem ſuturam, capillis; unde illicò ſanguis ſiſtebatur. Noſtræ medicatrices vetulæ *lapidem hæmatitem* manibus geſtare Patientes jubent. Quòd ſi magna adſit cacochymiæ bilioſæ, vel ſeroſæ, quantitas; tollenda eſt purgationibus intervallatis. Hepar corroborandum ſequenti *Pulvere*:

℞. *Specier. diarrhodon Abbatis*,
dialaccæ,
diacurcumæ, *ſpicæ*, ana ʒj.

M. Pulvis: dividatur in quatuor partes, ad totidem chartulas, & exhibeantur cum juſculo, in quo *radix cichorii ſylveſtris* bullierit. Moderni noſtri commen- *Pulvis hepaticus: Rubeus.* dant paſſim *Pulverem* illum *hepaticum rubeum*; qui nihil aliud eſt, quàm *nitrum*, vel *tartarus*, *ſucco florum papaveris erratici*, vel *decocto ſantali rubei*, tinctus. Aliàs *Crocus Mart. adſtringens* ejus vices ſupplere poteſt. In ſumma neceſſitate quandoq; ad *Opiata* confugere cogimur: ut, *Opiata.* v.g. ad duo, vel iij gr. *Nepenthes*, vel *laudani Cæſarei*, vel *laudani* ☉ & ☽ *Harmanni*. Expergefacto deinde *tinct.* vel *ſolutio*, vel *magiſt. corallor. cum decoct. rad. pentaphylli* & *ſyr. gran. chermes*, propinetur.

Victûs ratio debet eſſe incraſſans: qua- *Diæta.* lia ſunt decocti *lentes*, *oryza*, *extremitates animalium*, *caſeus*, *ova ad duritiem cocta*, *poma cocta*, *cydonia condita*, *vinum cydoniorum*, *granatorũ* &c. Abſtineat Æger à cibo evchymo, ſeu boni ſucci, & multi nutrimenti: potus ſit *decoctum radicis anchuſæ*, *fructuũ cynosbati*, & *pentaphylli*, *chalybeatum*, & *ſyrupo granatorũ*, vel *ſaccharo roſato tabulato* dulcoratum. Vitet graviores animi & corporis motûs; utpote iram, naſi frictiones, oris motûs per loquelam, maſticationem multam &c.

Quæſtio. I. Quær. 1. Cur, ſecundùm Hipp. 4. *aph.27.* poſt quemcunque ſangvinis fluxum alvi humectentur? Reſp. Cauſa eſt debilitas caloris nativi, non potentis reſolvere aut digerere humiditates; quæ ideo ad alvum procumbunt.

II. Quær. 2. Cur poſt multam hæmorrhagiam ſubſequatur cachexia, & hydrops? Reſp. Ob deperditionem ſpirituum: vel ſæpe etiam fit hæmorrhagia, præviâ viſcerum debilitate, quâ humores ſeroſi generantur, & fluxiles, qui facultatem expultricem ad ſui excretionem ſtimulant.

III. Qu. 3. Cur frigida teſticulis admota ſiſtendæ hæmorrhagiæ habeant maximam virtutem? Reſpon. Cùm totius corporis vigor ex præſentiâ ſeminis, debilitas verò, & effæminatio, in ejus abſentia appareat; mirum non eſt, ſangvinem plurimùm refrigerari & incraſſari, applicatis ad teſticulos frigidis, tanquam ad focum, è quo calor & ſubtilitas ſangvini conciliatur; unde fluxui redditur aptior.

CAPUT XXIX.

De Sarcomate, Polypo, læſo Olfactu, Fœtore Narium, & Ozæna.

Sarcoma quid. S*Arcoma* eſt excreſcentia carnea narium, quæ certam non habet figuram, ſimilis hyperſarcoſi, quæ ulceribus ſupercreſcit. In hoc à *Polypo* (de quo vide Chirurgiam noſtram) diſtingvitur, quòd hic exili quaſi petiolâ aut radice, naribus adhæreat: ob idq; Rhaſes polypum narium hæmorrhoidas vocat. *Ejus Cauſa.* Hujus affectûs *Cauſa* eadem eſt quæ Polypi. Vide, ut *ſupra.*

Quot modis lædatur Olfactus. *Olfactus læditur* vel diminutè, vel depravatè, vel abolitè: primus & tertius modus tantùm differunt ſecundùm magis & minus: fiuntque vel ab intemperie, vel ab obſtructione, vel à compreſſione. Compreſſio fit, quando proceſsûs mammillares, in anteriore cerebri parte, à materia pituitosâ & craſsâ comprimuntur, ita, ut ſpecies animales vel diminutè, vel omnino nō, tranſeant: fit etiam ob narium ſubſidentiam; quæ aliquando fit à mala conformatione ipſius naſi, ita, ut ſpecies odorabiles tranſire non poſſint. Item obſtruuntur nares ab humore conſimili, pituitoſo ſcilicet & craſſo, vel ipſos ſenſibiles naſi meatûs, vel inſenſibiles cerebri & proceſſuum mammillarium poros, obſtruente: quod etiam fieri poteſt ab hyperſarcoſi, ſarcomate, polypo, &c. Ab intemperie verò olfactus vel diminuitur, vel aboletur: in catarrho, coryza, febribus, & aliis, vel adſcititiis, vel hæreditariis, intemperiebus. Depravatur olfactus in ozæna, & ulceribus naſi, oris, gingivarum, pulmonum, & cruditatibus ſtomachi; vel etiam quando putrida aliqua materia naſo, vel oſſi cribriformi, adhæret, vel proceſſibus mammillaribus continuò ab ipſo cerebro communicatur; unde ſpecies odorabiles objectorum depravantur. Adeoque bene advertendum, à quanam parte ipſa odoratûs depravatio proveniat. Si materia ſit in cavitatibus narium, plerunque vox oblæditur; quia nares non parum ad vocem bene efformandam conducunt. *Olfactus in Ozæna depravatur; ab intemperie diminuitur, vel aboletur.*

Prognoſis. Si fiat à catharro, vel à ſimplici coryza, facilè curatur hic affectus: ſi verò ſit inveteratus; difficulter, vel nunquam.

Curatio. *Curatio* hujus affectûs ſuis cauſis debet accomodari: ſi enim fiat ab obſtructione, à ſarcomate, aut polypo; vide eorum curas *in Chirurgiâ noſtrâ.* Si fiat ab intemperie frigida; oppugnetur contrariis. Si à materia frigida, craſſa, & vitioſa, proceſſibus mammillaribus adhærente, proveniat; utendū eſt errhinis, apophlegmatiſmis, ſternutatoriis, &c.

De narium fœtore. *Narium fœtor* propriè is dicendus eſt, qui non aliunde, quàm ab ipſo naſo, vel cerebro, vel ejus veſtibulo, ſuam ducit originem.

Ejusdem Cauſa. Id autem fit vel ab ozæna, vel à ſarcomate, polypo, ſordidis ulceribus, materiâ ſupra os cribroſum, vel circa proceſsûs mammillares, putreſcente & retentâ: id quod fit vel ob malam naſi conformationem; v. g. depreſſionem & ſimitatem: vel ob cicatricem: vel ob aliam obſtructionem.

Prognoſis. Fœtor narium recens facilè curatur; inveteratus difficulter, vel nunquam: Si proveniat ab ozæna, polypo &c. ab eorum curis etiam cura ipſius dependet.

Cura fœtoris narium. *Cura* itaq; auſpicanda eſt à cauſarum ablatione, & accidentium amotione. Si fœtor proveniat ab ulceribus, ozænâ, polypo; de his vid. *Chirurgiam noſtram:*

ſi verò

Si verò proveniat ab humoribus putridis, in anteriori cerebri parte, circa proceſsus mammillares, vel os cribriforme; hi evacuandi abſtergendique ſunt. Corpus itaque 1. univerſaliter *expurgandum* eſt: ut:

Purgatio. Univerſal. Pilulæ.

℞. *Extr. panchymag. Crollii,*
pilular. cochiar.
de agarico, ana ℈ß.
reſinæ gialappæ gr. vij.
pulver. Syrii gr. ij. Cum ſ. q. *ſyrupi de ſtæchade* F. Pilulæ, num. ix. pro una doſi:

Decoctum. Vel, loco earum, utatur Æger ſequenti:

℞. *Herb. ſalviæ,*
betonicæ,
majoranæ, ana Mß.
flor. ſtæchados,
anthos,
lavendulæ,
violarum, ana pj.
rad. pæon. decreſcente Lunâ collectæ ʒij.
fol. ſenæ S. S. ℥ij.
agarici in petia ligati ʒij.
rhabarb. elect. ʒiß.
tartari albi præpar. ʒij.
paſſular. minor. mundatarum ℥ij.
macis ℈j.

His omnibus ſuperaffunde *juſculi carnium bullientis*, aut *vini albi*, ſi temperamentum ob calorem obſtare non videatur, ℔ivß. ſtent infuſa 24. horis. De hoc, expreſſis nonnihil ſpeciebus, ſumatur omni manè ℔ß. Si tamen *vinum* fuerit, præmittantur ſemper aliquot cochlearia juſculi carnis: continuetur per octo dies, ut totũ corpus probè evacuetur.

Particularis. Deinde ad *particulares evacuationes* progrediendum eſt; uti ſunt errhina, & maſticatoria. Noſtrates attrahunt è vola manûs, ſingulis diebus, manè, aquam *majoranæ*, vel *vinũ album*, in quo *ſalvia*, aut *betonica*, bullierit: deinde vel *cremorem hordei*, vel *ſuccum bliti*, aut *betæ*, ad majorem abſterſionem, præſcribimus. In magna pituitæ copiâ attrahi poteſt vehemens illud *caputpurgium*, quod fit ex *vitriolo*, diſſoluto in *aqua majoranæ*: de quo ſupra, *in Affectibus ſoporoſis*: hocque medicamento, tanquam *naſali Clyſtere*, optatiſſimo cum effectu uſi ſumus.

Caputpurgium ſpeciale.

Sternutator. Pulv. Vel in forma Sternutatorii attrahi poteſt ſequens *Pulvis*:

℞. *Fol. majoran. ſiccæ*
betonicæ,
ſeminis aniſi,
piperis longi,
rad. hellebori nigri, ana ℈ß.
ireos Florent. ℈j.
flor. lilii convall. gr. v. M. F. Pulvis in nares attrahendus; vel, cum ſ. q. *olei nardini*, F. inſtar Linimenti, naribus digiti minimi apice, in parvâ quantitate, intrudendi. *Linimentum.*

Liquor. Quòd ſi fœtorem palliare volueris, diſſolve *moſchum* & *ambram* in *vino albo*, vel *elixire vitæ Mattholi*, eoque ſæpe nares inunge. De Ozæna vide *Chirurgiam noſtram*.

Caput XXX.

De nimia Sternutatione.

Unde Sternutatio originem duxit, quoad ordinariam illam benedictionem.

S*Ternutatio* tempore Gregorii Magni videtur aliquando fuiſſe ſymptoma morbi epidemici, quo, veluti crebrâ cerebri convulſione, homines illico moriebantur: unde videtur orta conſvetudo benedicendi, in ſternutatione: quæ quamvis ex ſe ſit ſalubris, & excrementorum cerebri quædam excuſſio: nihilominus aliquando vitioſa fit, ob frequentiam, quâ Ægroti plurimùm debilitantur, imò convulſionis periculo ſubjiciuntur.

Sternutatio quid. *Sternutatio* itaque eſt cita & violenta cerebri actio, ſeu concuſſio, quæ ejusdẽ excrementa vel expellit, vel expellere nititur. Contrahuntur cerebri meninges, præcipuè ſecundum partem anteriorem: unde excrementa vel per nares, vel per palatum, aëre collecto, explodunt. Et ſicuti tuſſis eſt motus pectoris, quo noxia ex ejusdem bronchiis, vel aſpera arteriâ, expelluntur: ita ſternutatione narium meatûs, in quibus membranæ quædam ſenſûs exquiſitiſſimi ſunt, & anteriores cerebri partes, emundantur: ita Gal. *coment. in 7. aph. 51.* *Sternutatio tuſſi comparatur.*

Cauſa Sternutationis. *Cauſa* ſternutationis ſunt humores, & vapores acres, vel à cerebro delapſi, ut in catarrhis calidis & ſalſis; vel à partibus inferioribus elevati, vel etiam ibidem collecti; à quibus interna narium membrana irritatur, unde, ad excretionem, cerebri membranæ in ſuppetias veni-

veniunt; &, communicato à pectore aëre, fit violenta excuſſio. Ita exteriùs etiam acria in nares inſufflantur, ut excitetur ſternutatio, quando vel facilitandus eſt partus, vel excitandus à ſopore homo, vel pituita ex pulmonibus rejicienda: uti teſtatur Gal. 2. *de ſympt. cauſ. cap. 5.* vel ſingultus compeſcendus, vel hyſterica paſſio curanda, vel cerebri partes anteriores expurgandæ. Aër quoque externus frigidus quandoque ſternutationem cauſat, poris ſcilicet condenſatis, & humoribus concentratis, vim expultricem ſtimulantibus.

Quid proſit Sternutatio in variis affectibus.

Prognoſtica.

Affectûs hujus *Prognoſis* eſt, quòd non ſit periculoſus, niſi plurimùm excedat, uti ſæpe contingit in febribus, unde vires plurimùm dejiciuntur: ita etiam non eſt bonum, ut ſternutatio ſit *nimium frequens in principio catarrhi;* ſic enim *ejusdem concoctio impeditur*, quæ maximè quiete opus habet.

Per nimiam ſternutationem catarrhi impeditur concoctio.

Ejus commoda.

Sternutatio tamen habet ſua *commoda*; quia per eam ſæpius hæmorrhagia narium excitatur, quæ à febribus, & dolore capitis, vel gravedine, quamprimùm liberat: unde criſin, per hæmorrhagiam narium futuram, prænunciat. Hippoc. 2. *prognoſ.* ait, *ſternutationem in gravioribus pulmonum & pectoris morbis eſſe noxiam; quia inflammationem auget, partesq; magis divelluntur, & dilacerantur* &c.

noxia.

Cura.

Curam quod attinet, hæc dirigenda eſt ad cauſam morbificam; quæ ſi ſit à frigore, vel calore, vel ab humorum acrimoniâ, per alterantia contraria agendum eſt: humores ſunt præparandi, revellendi, derivandi, evacuandi, & partes affectæ corroborandæ: ſi itaq; à cauſa calida ſit, in corpore plethorico, *ſecanda* eſt *vena* brachii mediana, vel in pede, ad revulſionem faciendam.

Venæſectio.

Purgatio.

Factâ venæſectione, humores *expurgandi* ſunt pharmaco minimè humores agitante, ſed mitiori: ut:

Potio.

℞. *Decoct. tamarind. cum* ℥iij *agarici r. trochiſcati, & in petia ligati, facti* ℥iv.
in quo diſſolve
mannæ elect. ℥ij.
cremoris tartari,
pulv. radic. gialappæ (quia ſeroſi & acres humores expurgandi ſunt)
ana ℈j. M. F. Potio.

Ad revulſiones etiam faciunt frictiones & ligaturæ; ad derivationes veſicatoria, muſculo deltoidi, vel retrò aures, applicata plurimum facient. Ad evacuationes, quæ fiunt ex ipſa parte affecta, ipſius capitis frictiones, pectinationes, narium emunctiones, vel dilutiones, per attractionem aquæ, vel lactis tepidi, oculorum confricationes, *ſpiritûs* (quod etiam ſingultui ſummè prodeſt) *cohibitio*, ex uſu eſſe poterunt. Præter jam dicta, nonnulli in nares immittunt *oleum nenupharinum*, *anethinum*, vel *amygdalarum dulcium*, vel *butyrum recens*: aliquando ſufficiunt vapores aquæ, vel lactis tepidi, ad acrimoniam iſtam demulcendam. Et quamvis Authores opiatorum non meminerint; tamen, in ſumma humorum acrimoniâ, & ſternutatione vires multùm dejiciente, etiam ad opiata confugere licet.

Spiritûs cohibitio ad compeſcendam ſternutationem.

Opiata.

Quæſtiones.

I. Quær. 1. Cur caput elevamus in ſternutatione? Reſp. ad faciliorem humorum tenuium & vaporoſorum excluſionem, qui ſuperiora ſemper petunt.

II. Quær. 2. Utrum ſternutatio fiat à morbo, aut à natura, aut à cauſa morbi? Reſpondeo cum Gal. 2. *de ſympt. cauſ. cap. 1.* ubi diſtinguit ſternutationem à palpitatione, & tremore, dicitq; palpitationem à ſolo morbo fieri; tremorem verò à morbo & natura; ſternutationem à ſolo morbo: quod tamen de ſternutatione vitioſa intelligendum; imò hoc univerſaliter falſum eſt; quia ſternutatio ſæpius eſt ſymptoma cauſæ.

Objectio.

Objic. Gal. 4. *de ſympt. cauſ.* ait, ſternutationem eſſe ſymptoma animalis, ſeu motricis facultatis: Ergo non provenit à morbo, vel à cauſa morbi; ſed ab ipſa natura: Ergo Gal. ſibi videtur hìc contradicere. Reſp. ſternutationem eſſe ſymptoma facultatis voluntariæ ſecundariò; concedo: primariò; nego: ita intelligendus eſt Gal. adeóq; nulla eſt contradictio.

III. Quær. 3. Cur in Ægris ſternutatio habeatur pro bono ſigno? Reſp. Quia ſignificat, naturam non adeò dejectam eſſe, quin adhuc ſeparet inutile ab utili, & excrementa expellat; ſicuti ſurdities, & tinnitus aurium, in febribus malignis bonum ſignum præbet, eo, quòd ſignum ſit, naturam aliquam materiæ morbificæ metaſtaſin feciſſe,

vel

vel generare flatûs, qui ſunt opus naturæ concoquentis & ſeparantis: adeóq; bene ſperandum eſt. Nam in deſperato Patiente tanta eſt naturæ proſtratio, ut omnem, circa concoctiones, negligat operam.

IV. Quær. 4. Cur à Sole fiat ſternutatio? Reſp. quia Sol fundit, & acriores reddit, humores, qui, ad naſum deſcendentes, irritant facultatem expultricem; excitaturque ſternutatio.

V. Quær. 5. Cur ſolemus benedicere ſternutanti? Reſp. id fieri in memoriam epidemici cujusdam affectûs, tempore Gregorii Magni graſſati, ex quo pleriq; ſternutantes citò moriebantur.

Caput XXXI.

De Dentium Dolore, Nigredine, & Corroſione, ſ. Carie.

Doloris dentium facilis diagnoſis: locus verò occultus. *Doloris dentium* manifeſta eſt *diagnoſis*; ſed *locus*, in quo fit, eò quòd lateat, plurimos torſit. illius itaque *triplex* eſt locus: aut in ſubſtantiâ, aut in nervo ad radicem dentis ſito, aut in gingivarum ſubſtantia, id eſt, alveolorum membranis, quæ, ob dentis duritiem, aliàs malè affectæ, intolerabilem inferunt dolorem. Hæc gingivarum ſubſtantia aut corroditur, aut inflammatur &c. Quomodo ipſi etiam dentium ſubſtantiæ accidat dolor, patet ex Gal. *5. de compoſ. medic. ſecundū loca, c. 8.* & *16.* Sed de his plura in *Controverſiis.*

Signa. Idem Galen. *loco citato*, ait, quosdam dentium affectûs eſſe evidentes; veluti quando ſunt coroſi, perforati, nigri, intemperati, ita, ut vel calorem non ferant, vel frigus: alios occultos; nempe quando dolor eſt profundus. De his vide Paulum, *lib. 3. cap. 26.* & Avicennam, *f. 3. cap. 4.*

Cauſa. *Cauſa* doloris dentium eſt intemperies, vel ſoluta unitas: intemperies eſt vel ſine, vel cum, materia; quæ ſi copioſa fuerit, uti ſunt ſangvis, pituita, & ſerum, à renum pigritie cumlatum; (fit etiam dolor à vermibus) vehementes cauſabit extenſiones; ſi pauca, tenuis, & acris, tunc ulcus inde orietur, & per conſequens dolor: ſi autem fuerit intemperies ſine materia, tunc erit vel frigida, vel calida &c. Si fiat à materia, hæc vel eſt à toto, vel à parte tantùm. Si eſt à nuda intemperie, hæc provenit vel à cauſa externa, uti aëre frigido, vel Auſtrino, calore, crapulâ, vel ab interna.

Dentes autem alieno; v. g. *nigro calore* afficiuntur, ab humorum vitiis, Mercurio &c. *Unde pravus dentium color.* *Signa diagnoſtica.* Dentes ipſos affectos eſſe, cognoſcimus ex pravo illorum colore, corroſione: ſi verò, præſente dolore, in naturali ſtatu eſſe videantur, reſpiciendæ ſunt gingivæ; utrum ſint tumidæ, decolores, ulceratæ, putrefactæ: ſi horum nihil ſit, ſuſpicandum eſt, malum eſſe in caudice, vel potiùs nervo: & tunc dolor eſt profundus. Intemperiei ſpeciem cognoſces ex juvantibus applicatis, & lædentibus. Gal. *5. de compoſ. medic. per loca, cap. 8.* ait: quòd ſi dentes lividi, per omnem ſuam ſubſtantiam, facti appareant, nihil mirum eſt, ipſos quid inflammationi ſimile pati.

Cauſa. Cauſas autem in hiſce diſtingvere oportebit: quòd ſi à calidis humoribus ſit malum, dolor erit multò vehementior & brevior: ſi à frigidis, obtuſior & longior: ſi dolor ſit à vermibus, eſt dolor per intervalla rediens, modicum tamen deſinens, isque pungitivus: à flatibus verò tenſivus & divulſivus, qui carminativis & diſcutientibus adhibitis brevî ceſſat.

Prognoſis doloris dentium. *Prognoſin* quod attinet, Avicen. *3. 3. cap. 5.* ait: Si affectio fuerit in gingiva, nunquam removebitur dolor, evulſo dente: ſi in nervo fuerit, quandoque per dentis extractionem ceſſat, materiâ ſcilicet faciliùs exitum habente; quandoq; non: nempe quando materia eſt craſſa, viſcoſa, & nervo fortiter adhærens. Quibus circa dentes, in febribus, quidam lentores naſcuntur, iis fortes fiunt febres; teſte Hipp. *4. aph. 53.* Signum enim eſt, calorem jam adoriri partes ſolidiores, easq; in gluten reſolvere. Stridor dentium non aſſuetus, malum: *1. prognoſt. text. 24.* Tumor gingivarum doloris ſignificat imminutionem. De doloris brevitate, ab humore calido & acri: item de diuturnitate, à frigido, jam commemoratum eſt.

Cura. *Cura* perficitur dupliciter: *univerſaliter* ſcil. & *particulariter*: *Univerſalis.* Cura *univerſalis* in ſe continet evacuationē, revulſionem, & fluxûs cohibitionem: quod fit purga-

purgatione, & venæſectione; ubi corpus eſt plethoricum, & malum quoquó pacto ab ipſo ſangvine fovetur: fit quoque ſangvinis & humorum averſio, & evacuatio, per cucurbitulas ſcarificatas, quarum conſveta applicatio intermiſſa plerumque vel dentium, vel capitis, vel ſcapularum, dolores, vel fluxiones rhevmaticas, uti in Paſchali hâc Auſtriâ quotidiè obſervamus, cauſat. Ad eundem ſcopum proſunt frictiones. Caputpurgium fit per *Pilulas* ſequentes;

℞. *Extr. pilular. cochiær.*
aſſaiereth, ana gr. xv.
ligni aloës gr. iij.
pulv. Syrii gr. v. Cum *ſ.q. ſyrupi de ſtæchade* F. Pilulæ numero. ix. quæ potiùs dandæ ſunt in cauſa frigida: in calida enim ſunt ſuſpectæ; adeóque potiùs *infuſum tamarindorum* cum *manna* (uti *ſuprà* videre eſt) propinandum erit. Diuretica in affluentiâ humorum ſeroſorum maximè proſunt: uti *decoctum Foreſti*, cum *ſyrupo* de *althaa Fernelii*, & *ſpiritu ſalis* &c.

Pilul. caputpurgia.

Particularis Coacta.

Cura *particularis* duplex eſt: una *Coacta*; altera *Regularis*: *Coacta* conſiſtit in auferendo ſenſu, per narcotica, ſeu opiata: quando ſcilicet eſt periculum convulſionis, ob doloris vehementiam. Cura *Regularis* fit, dum primò deſtillationes repelluntur frigidis, & parum adſtringentibus: uti *decocto plantaginis, roſarum, myrti, camphora*, cum *diamoro, ſyrupo roſar. myrtino*: dein repellentibus discutientia &c. junguntur, & in fine reſolventia & maturantia admiſcentur: ſi præ mollitie dens eroſus & cavernoſus ſit, eum reddere oportet duriorem, per auſtera, ſiccantia, & acerba medicamenta: ſi lividus, aut niger, per reſiccantia medicamenta: Avicen. *7. 3. cap. 6.* Inquirendum eſt, an *per ſe*, an *per conſenſum*, fiat dolor: ſi *poſterius*, incipe ab evacuatione membri conſentientis, cum ventris ſolutione, & phlebotomia: ſi verò prius, cum ſcarificatione, & ſimilibus: deinde ſi materia calida, cum frigidis; frigida, cum calidis; ſi ſicca, cum humectantibus, butyro ſcilicet, & adipe anatis; ſi humida, contra &c.

Regularis.

per Conſenſum.

per ſe.

Acetum in topicis.

Nota: omnia Topica cum acerrimo *aceto* propinanda eſſe, ad majorem penetrationem; niſi dolor ſit à gingivarum inflammatione: ubi opus non eſt: in cauſa tamen valde frigidâ ſubſtituimus *vinum*, quo ſæpius acrimonia aceti, Ægro intolerabilis, diluenda eſt.

Noxia dentibus.

Dentibus nocent omnia exceſſivè frigida: ut nix, glacies, braſſica, dactyli, granata dulcia, lac, porrum, raphanus: gingivis à proprietate nocere dicuntur ficûs.

Gingivis.

Factis univerſalibus revellentibus & derivantibus, per purgationem, pilulas ſcilicet, vel potiones & venæſectionem, in cauſa calida (nam, teſte Galeno, in *vehementiſſimo dolore larga venæſectio remedium eſt certiſſimum*; minor tamen fit in cauſa frigida: idem, ſed debiliùs, faciunt cucurbituiæ, & veſicatoria) Nos, in ipſa doloris dentium curatione, decoquimus *radicem ptarmicæ* (quæ eſt *radix pyrethri ſylveſtris*, & creſcit hîc in ſumma copiâ, ad Imperatricis Favoritam; ex cujus floribus conficiuntur coroilæ, toto anno perdurantes) in *aceto*, & calidum liquorem in ore detinere jubemus: in cujus defectu ſubſtitui poteſt radix pyrethri; quæ, maſticata, dolori à proprietate medetur, vel *decoctum ſerpilli*, vel *ligni S.* vel ſimilis *Gargariſmus*, ſæpius in ore detinendus, conficiendus eſt:

Radix ptarmica.

℞. *Rad. pyrethri*, vel *ptarmica* ℥j.
fol. betonica,
ſalvia,
majorana, ana mj.
Decoquantur in ſ.q *aqua* & *aceti*, ad colaturæ ℔j. in qua diſſolve
mellis anthoſati,
de pyrethro, ana ℥j.
opii Thebaici gr. vj. M.F. Gargariſmus.

Borrax dentis palpitationem mirabiliter tollit. In ſummis doloribus *lac capra tepidum*, cum *croco* (qui in aliis etiam ſæpe adhiberi poteſt, utpote anodinus) in ore detentum, eos lenit: in cauſâ calidâ *portulaca* maſticata, vel temporibus applicata, juvat: idem facit *radix conſolida majoris* recens temporibus applicata: fluxiones enim ſuâ adſtrictione inhibet. *Succus caparum* ſi affricetur ſæpe, præſervat. Mulieres Noſtrates applicant temporibus Emplaſtrum ex *maſtiche*: ſed ejus loco ſubſtituimus emplaſtrum ex *pice nigra*, cum *gallis* & *alumine*. Quidam aures intus ſcarificant, vel venulas in cochlea inurunt, ut alimentum, in dentes fluens, intercipiatur.

Præſervatio à dentium dolore.

piatur. In aures item inſtillant *acetum*, vel *oleum amygdalarum amararum*: vel decocti *origani*, *pulegii*, & *ſalviæ*, in *aceto* facti, vapores per infundibulum excipiuntur. Si dolor ſit à cauſa frigidâ, calida in aurem injecta proſunt: v.g. ſi *theriaca* diſſolvatur in *elixire vitæ*, vel in *aqua ſalviæ*, vel in *ſucco allii*, & infundatur in aurem. *Oleum camphoræ*, cum *oleo caryophyllorum* mixtum, in dentem inſtilletur, vel goſſypio imponatur: eodem modo *oleum buxi* per deſcenſum, ſive circulationem factum laudatur: parti verò dolenti extrinſecus ſequens medicamentum applicari poterit: ſtupis excipe *albumen ovi*, *aquâ roſaceâ* bene *agitatum*, cui adde *pulveris piperis* ʒj. Vel

Ther. in aures infunditur.

Varia remed. contra dolorem dentium.

℞. *Spir. vin.* ℥vj.
ceruſſæ pulv. ʒiij.
camphoræ ʒj.

M. & ante applicationem move: poſt application. dentes *vino calido* collue. Repercutientia externa periculoſa ſunt; ſiquidem vel apoſtemare faciant, vel materiam in pectus; unde ſuffocatio; vel in gulam, unde angina oritur; repercutiunt: uti benemonet Valeſcus de Taranta. *Radix lapathi acuti*, vere collecta & in taleolas inciſa, dentique applicata, teſte Foreſto, mitigat dolorem. Si neceſſe ſit, ad *narcotica* confugere, decoquenda ſunt *hyoſcyamus*, vel *ſemen papaveris albi*, vel *opium*, *myrrha*, & *laudanum*, cum *aceto*; vel cum pauco *vino* in Linimenti formam redigenda, & goſſypio denti applicanda. Intus ſumi poſſunt *laudani Caſarei* gr. iv. vel idem *laudanum*, in pil. redactum, cavitati dentis imponatur. Si Vermes in dente fuerint, aliquot grana *Mercurii dulcis* in ejus cavitatem immittenda ſunt; vel *ſpiritus vini*, in quo *aloë* bullierit, vel *oleum abſynthii* inſtilletur: quod pro ſecreto habuit pientiſſimæ memoriæ meus olim Profeſſor, D. Hebertus. Si dolor omnibus iſtis non cedat, *dens* (non tamen in ſummo dolore, vel dum fluxio vehemês eſt, vel in ſumma gingivæ inflammatione) *evellendus* eſt, citra magnam capitis concuſſionem, vel maxillæ, aut vaſorum, diſruptionem, unde ingens hæmorrhagia conſequi poſſet; quæ adſtringentibus tamen, ut *pulvere vitrioli*, aut etiam cauterio actuali, eſſet ſiſtenda. Factâ evulſione, gingiva digitis comprimenda eſt, ut ſangvis exprimatur, illiusq; laxitas tollatur. Si Æger Chirurgi manum averſetur, procurandus eſt dentis caſus per frictionem *foliis helleboraſtri*, vel dente alterius demortui factam; cavendo, ne alii dentes tangantur; vel pulvere *lumbricorum terreſtrium*, vel decocto *radicis cucumeris agreſtis*, in *aceto* facto; vel paſtâ ex *thuris* & *amyli pulvere*, cum *lacte tithymali*, ſeu *eſulæ*, factâ, & in cavitatem dentis impoſitâ; vel *radice ranunculi* eodem modo intruſâ. Fit quandoque, ut dentium dolor periodicè redeat: quo in caſu evacuationibus, & optimâ diætâ, præveniendum eſt. Intermittendæ minimè ſunt conſvetæ evacuationes, per hæmorrhoides; cucurbitulas, phlebotomias &c. Dentes *denigrantur* vel à *Mercurio*, ſi nempe, durante ſalivatione, pingvibus inungantur dentes; vel ab humoribus vitioſis, illis adhærentibus, & cum tempore carioſos efficientibus: ii autem humores vel à toto, ut in cacochymia univerſali, vel à parte, uti ſtomacho, liene, hypochondriis &c. proveniunt: unde tetri elevantur vapores, qui, dentibus adhærentes, eos denigrant & corrumpunt. Cauſa itaque eſt attendenda: ſi nigredo illa proveniat à *Mercurio*, fricentur dentes ſequenti *Pulvere*:

Narcotica medicamenta.

Evulſio quando, & quomodo, facienda ſit.

Dentium nigredo:

à Mercurio proveniens quomodo tollenda.

℞. *Pulv. ſegulæ*, *pumicis*, *corallor. rubeor.*
ſulphuris vivi, ana ʒiij.
folior. auri numer. vi.
ſpiritûs ſulphuris ʒß.
olei tartari ℈j. Cum ſ. q. *mellis roſati colati* F. inſtar Opiatæ, quâ fricandi ſunt dentes ſæpius de die. Geſtandum ore, & maſticandum eſt ſæpius, *aurum*: *Mercurium* enim à proprietate attrahit ad ſe: ſi verò aliunde proveniant humores iſti, evacuandi ſunt: deinde *bacillo liquiritiæ*, in *ſulphuris* vel *vitrioli ſpiritu* intincto, fricentur dentes, moxq; linteo abſtergantur. Dentes *corroſi* curantur *ſuffumigio* ex *ſem. hyoſcyami*.

Caries

Quær. 1. Cur fucatis mulieribus plerunque fæteant os & dentes? Reſp. ob uſum Mercurii, qui proprietatem habet, humores ad os & fauces protrudendi, parteſque illas corrumpendi.

Quæſtio 1.

Objicies 1. Ariſtotel. *1. & 3. de animâ*, pilis, oſſibus, & ungvibus, nullum eſſe

Objicies 1.

ſenſum,

ſenſum, aſſerit: ergo dentes non ſentiunt. Reſp. Licet Galenus, *3. de ſympt. cauſ.* dicat, dentes celeriter dolorem percipere; id non intelligendum eſt per ſe, ſed tantum per accidens, id eſt, ob nervos & membranas: id eſt, dens non ſentit ut os, ſed ut nervo adhærens, vel ut nervus quidam induratus: apparet enim in avulſis puerorum dentibus medulla, nervi medullæ ſimillima.

2. Objic. 2. dictum eſt ſuperiùs, ex Galen. *5. de compoſ. medic. ſecundum loca*, dentes etiam in ſubſtantia dolore. Reſpondeo, id intelligendum eſſe cauſaliter, non ſubjectivè.

3. Objic. 3. Hippoc. *5. aph. 18.* dicit, frigidum eſſe inimicum oſſibus, dentibus, nervis, cerebro, ſpinali medullæ; calidum verò utile: ergo dentes, contra oſſium naturam, non videntur eſſe frigidæ & terreſtris naturæ; aliàs frigidò, velut ſimili, deberent delectari: deinde hîc videtur eſſe tavtologia; quia ſuffeciſſet, ſi Hippoc. oſſium mentionem feciſſet. Reſpondeo: quando aliquid dicitur frigidum in corpore noſtro, non eſt, quod naturaliter ſit tale, ſed tantum remiſſæ caliditatis, in comparationem aliarum partium magis calidarum: cùm itaque & oſſa aliquid habeant caloris (quod ex medulla patet) calore utique delectabuntur. Quòd autem dentes inter oſſa ſint ennumerandi, conſtat ex Galen. *de oſſibus cap. 5.* ubi Sophiſtas vocat eos, qui dentes in oſſium album non referunt: id tamen lato modo intelligendum eſt; nam oſſa vera non recreſcunt, ſicuti dentes, & cornua: eſt Ariſtotelis ſententia *3. de natura animal. cap. 9.* adeoque Hippocrates tavtologiam nō commiſit: ſiquidem dentes plures in ſe conſiderationes habent, quàm oſſa.

II. Quæres 2. Quomodo intelligendum illud Serapionis, *2. de dentibus*, ubi ait: ſi dentes in ſuo toto corpore viriditatem accipiant, tunc non mirum eſt, ſi conſequatur iis aliquid ſimile apoſtemati? Reſpondeo: dentes poſſe apoſtemari per viam congeſtionis, ex ſuperfluitate nutrimenti; non verò per viam rheumatis, ſeu fluxionis.

Quæres 3. Cur dentes à ſolutione continui, v. g. limâ, ferro, &c. non; à nive verò, ſeu frigore, maximè læduntur? Reſpondet Aretæus, cauſam eſſe ſoli Deo notam. Quidam elegantem hanc adferunt rationem: ut caro, ob molliriem, quia magis ſectioni patet, difficilius ſectionem fert, quam intemperiem; ita oſſa, ob duritiem, quia minùs ſectioni patent, ab intemperie facilius læduntur: ſic ferocia & robuſta animalia ſagacia non creavit natura; timida verò, vel aſtu, vel pernicitate, armavit. Reſpondemus, quòd, cùm propter exquiſitiſſimi ſenſus nervum ſentiat dens, frigus autem nervis ſit inimiciſſimum, ideò frigus ſentiatur; non verò limatio, quæ nervum non tangit. III.

Quæres 4. Quid ſit hæmodia, ſeu dentium Stupor? Reſpondeo: eſſe quandam quaſi dentis congelationem, ob nervum refrigeratum, vel ob ſenſum ipſius debilitatum, à frigidis & acetoſis humoribus, non ſecùs, ac, dum puncturæ, formicarum ſimiles, ob nervi compreſſionem, in corpore excitantur. Fit autem hæmodia præcipuè ab acetoſis; quia hæc omnia ſunt nervis inimica: utpote quæ per eos ſpirituum tranſitum vel impediunt, vel ipſos ſpiritus deſtruunt, utpote ſpiritibus orbata, & contraria. IV.

Quær. 5. Cur dentes callo non obducantur? Reſpondeo: quia ab ambiente frigore calli generatio impeditur: deinde; cùm callus non tantùm generetur ab humore, qui ab oſſibus exprimitur, ſed etiam à vicinis partibus, perioſtio ſcilicet; hîc autem abſit perioſtium: etiam generari non poteſt callus. V.

Quæres 6. Cur totus dens recreſcit, & pars minùs? Reſpondeo: eò, quòd pars remanens ſit mortua, adeoque in ea produci nihil poſſit. VI.

CAP.

CAPUT XXXII.

De Gingivarum affectibus: Inflammatione ſcilicet, Eroſione, Exulceratione ſerpente, & Hæmorrhagia.

Gingivar. *Inflammatio: Parulis: Epulis.*

ACcidunt *Gingivis Inflammationes*, *Ulcera ſerpentia*, *Parulis* & *Epulis*. *Inflammatio* fit à ſangvine calidiore. *Parulis* itidem eſt inflammatio, quæ, niſi discuſſa fuerit, in ſuppurationem vertitur. *Epulis* eſt carnis excreſcentia, quæ, ab inflammatione contracta, ad intimos molares dentes pertingit, aliquando cum febre, & dolore, ita, ut Æger os aperire non poſſit. Avicennas, *3. 3. cap. 3.* Gingivæ, inquit, acciduntapoſtemata; cauſa materies, deſcendens ad ipſam, ſecundùm plurimum ex capite, & quandoque ex communitate ſtomachi: quandoque fiunt in principio, ex malitia formæ, ob id, quod ex vaporibus corruptis, à liene, ut in ſcorbuto &c. elevatur: aliquando à lumbricis, præcipuè in pueris, qui humoribus vitioſis ſcatent: unde generantur lumbrici, & gingivæ non tantùm inflammantur, ſed etiam corroduntur: adeóque in pueris, gingivas corroſas habentibus, ſemper vermium ſuſpitio eſſe debet.

Cur Pueri verminoſi nares fricent.

Ob quam etiam cauſam Pueri vermibus ſcatentes nares perſæpe fricant, vapores ſcilicet putridos, à vermibus adſcendentes, qui eas irritant. Inflammatio utrum ſit à ſangvine, vel alio humore, ex calore, & exceſſu vel defectu caloris patebit: adeóque humor peccans per purgationem, venæſectionem, ſcarificationes &c. evacuandus eſt, aut per inediam conſumendus.

Notanda de Topicis.

In *Topicis* duo ſunt conſideranda: nempe ipſius affectûs indicatio; & particulæ, quæ curatur, natura. Affectum quod attinet, convenit in principio, ut id, quod influit, modeſtè repellatur; in augmento verò addantur diſcutientia in æquali pondere: in fine autem diſcutiens præcellat: &, ſi quid induratum fuerit, à repellentibus, aut adſtringentibus, omnino abſtinendum eſt, & contrà maturantia ſunt adhibenda. In partis natura conſiderare oportet, ſuperficiem oris eſſe cute, totum corpus ambiente, molliorem, ac rariorem, adeóque fortibus non eſſe utendum medicamentis.

Cura Parulidis.

Cura Parulidis per discuſſoria, antequam ſuppuretur, perficitur: uti ſunt collutiones ex *decocto ſeminis lini*, *fanigraci*, *chamomillæ* &c.

Epulis.

Epulis verò *curatur* per discuſſoria, & ſicca: Nos utimur *pulvere Zingiberis*, cum *ſale*, vel cum pauco *alumine*; quod ſiccat & reprimit: vel ex *aqua*, ſeu *decocto*, *myrti*, *malicorii*, *gallarum*, *glandium*, *plantaginis*, ex *ſucco portulacæ*, *floribus chamomillæ*, *meliloti* &c. fiant oris collutiones. Solemus etiam gingivas illinere *melle roſato colato*, cum *ſpiritu vitr.* vel *ſulphuris*, ad notabilem acciditatem commixtis: vel, ſi ulcera ſint profunda, digeſtivo, facto cum *myrrha*, *terebinthina*, & *vitello ovi*, ſæpius attingantur. Ad plenariam ulcerum curationem, ſi dentes corroſi fuerint, evellendi: caro enim ulcerata, cui ſubſtrata ſunt oſſa carioſa, nunquam ſanatur.

Hæmorrhagia.

Si ab ulceratione *Hæmorrhagia*, vires debilitans, ſucceſſerit, niſi ſit critica, quæ, teſte Remb. Dodonæo, *Obſervat. 14.* & Amato Luſitano, *Curationum cent. 5.* cum levamine ſæpius contingit, ſiſtenda eſt. Fitque ob acrimoniam, & vitioſam hepatis, aut lienis, v. g. in Scorbuto, diatheſin. Vel ejusmodi hæmorrhagia ſæpius evenit poſt dentem violéter evulſum, ita, ut venula, aut arteriola aliqua rupta ſit; unde mortem ſucceſſiſſe, obſervatum eſt. Idem contingit in Ptyaliſmo, poſt Mercurii aſſumptionem. Vide Tractatum noſtrum *infra, de morbo Gallico*. Si talis hæmorrhagia eveniat, evulſo dente, revulſio facienda eſt per phlebotomiam, aut cucurbitulas: item oris collutiones adſtringentes, ex *decocto gallarum*, & *aluminis*, præſcribendæ ſunt: quæ tamen in ptyaliſmo ſunt periculoſæ, quia facilè eum repercutiunt. Cataplaſmata erunt ſecuriora ex *terra ſigillata*, *ſangvine draconis*, *alumine*, & pauco *vitriolo*, *albumine ovi* ſimul exceptis, & applicatis. Si nec his cedat, vena, aut arteria aperta vel adurenda eſt cauterio actuali; vel *pulvis chalcanthi*, aut *chalcitidis uſta*, immittendus; qui eſcha-

ram

ram facit, & ſangvinem ſiſtit. Hoc remedio quidam Viennæ, prope Lanienam, antehàc poſtquam multas ſanguinis libras per gingivas excreviſſet, ab Orci faucibus liberatus fuit. Jubetur etiam quandoque Patiens, in ejusmodi fluxu, digito vas apertum comprimere, usque dum ſanguis Coägulatus ſit, & vena reſtricta. Horum loco, hæmorrhagiæ locus impleri poteſt pilulâ, factâ ex *gummi Arabico*: vel applicetur Galeni emplaſtrum ex *aloë*, *thure*, & *pilis leporinis*, *albumine ovi* ſupra ſtupas exceptis, confectum; quod magnopere adſtringit. Nota: medicamenta ſæpius eſſe renovanda; quia ab oris humiditate diluuntur, viresque amittunt.

CAPUT. XXXIII.

De Batracho, & Aphthis, ſeu Oris Ulceribus: item de Uvulæ relaxatione.

Batrachus quid ſit.

BAtrachus, ſeu *Ranula*, de qua etiam *in Chirurgia noſtra* egimus, eſt tumor venarum, quæ ſub lingua continentur, qui adeò increſcit, ut nova lingva oriri videatur. Aliqui vocant *Apoſtema pituitoſum*. Contingit maximè pueris, fitque ab humore pituitoſo, aut humiditate viſcoſa, à capite deſcendente: ita Avicennas, *6. 3. cap. 17.* *Cognoſcitur* ex hoc, quòd ſimilis ſit ranæ. *Curam* quod attinet, in pueris oris collutiones adſtringentes ſufficiunt; vel fricetur pulvere ex *ſale*, & *Zingibere*, & *ammoniaco*, cui etiam addere poteris tantillum *gallarum*, vel *aluminis*. Quidam ranam viridem nuchæ alligant. In adultis verò ſecatur vena ſublingualis: vel, ſi tumor ſcirrhoſus fuerit, conſumendus, & corroſivis, vel manûs operatione, ferro ſcilicet, extirpandus eſt.

Cauſa. Diagnoſis. Cura.

Aphtha.

Aphthæ, ſunt ſuperficiariæ oris puſtulæ, ſeu ulcera, habentia quiddam caliditatis igneæ: ita Galen. *6. de compoſ. medic. per loca, cap. 4.* De his etiam facit mentionem Hippoc. *3. aph. 24.* In ætatibus talia contingunt: parvis, & nuper natis puerulis, oris ulcera, quæ *Aphthæ* vocantur: utpote cùm vitioſum fuerit lac, aut ob malam infantis in ſtomacho concoctionem. *Cognoſcuntur* tactu, & viſu: nam tumor & rubor adſunt; color ſpeciem humoris refert, utpote rubeus ſanguinem, &c. Ultima ſpecies, à ſanguine melancholico, maximè maligna & lethalis eſt, idque vel maximè tempore peſtifero. In febribus malignis talia quoque ulcera generantur, ob corruptorum humorum magnam colluviem. Quæ ſunt ſine inflammatione, leviora ſunt, quàm quæ eam ſibi habent adjunctam. Aphthæ recentes, citra inflammationem, facilè curantur; ſecùs, quæ in ulcera cacoëthica degenerant. *Curantur* aphthtæ optimâ victûs ratione, refrigerante & ſiccante; humoris peccantis collectione & evacuatione. Avicen. *6. 3. cap. 24.* in adultis præſcribit venæſectionem ſub mento, & humoris peccantis evacuationem. In *Pueris* verò, ſi à lactis vitio fiant, mutetur nutrix, vel ejus lac corrigatur victu laudabili, tum etiam venæſectione & purgatione. Victus ſit refrigerans & aliquo modo adſtringens, ex *cydoniis*, *pyris*, *ſorbis*, *lactuca*, *endivia*, *portulaca*: vitentur aromata, ſalſa, & acria quævis. Factâ venæſectione, in *Adultis*, applicatis ventoſis, vel hirudinibus retrò aures, vel veſicatoriis in nucha, purgatione item, humori peccanti congruâ, peractâ, Stomatica, Galeno dicta, ſunt adhibenda, eaque primò mitiora, ut Gargariſmi ex *lacte chalybeato*, vel *mucilagine ſeminis pſyllii*, & *cydoniorum*, cum *aqua roſarum* extractâ; vel *cremor hordei*, vel *aqua plantaginis*, cum *melle roſato*, vel *ſyrupus de moris*, aut *de roſis ſiccis*, & *pauco nitro præparato*, aut *ſucco portulacæ*, aut *ſempervivi*, ſi adſit inflammatio: ſi hiſce malum non cedat, *mellis roſato* addatur *ſpiritus vitrioli*, vel *ſulphuris*; vel, in adultis, ſolo *ſpiritu vitrioli* tangantur ulcera; quæ, ſi ſordida ſint, & profunda, *ungventum Ægyptiacum*, cum *melle roſato* mixtum, requirunt. In ſummis doloribus, & vigiliis, ad contemperandos humores, aliquando licet confugere ad *Narcotica*, *diacodium* ſcilicet, vel *emulſionem ex ſemine papaveris*, vel ad ipſum *opium*; quod,

Diagnoſis.

Prognoſis.

Curatio.

in Pueris:

Adultis.

Narcotica.

quod, ad granum unû, pueris ipſis, cum pulmento, exhiberi poteſt. Vide plura *in Chirurgia noſtra*: item *de Faucium ulceribus, in Tractatu de lue Venerea*. Illuſtriſſima Comitiſſa de Schwartzenberg Infantes ſuos certiſſimè præſervabat ab oris & gingivarum ulceribus, hæc quotidie manè abluendo madidis urinâ infantis linteolis.

Columellæ relaxatio. *Columella*, ſeu *Uvula*, *relaxatur* ab humore pituitoſo, à capite in eam decidente: fit etiam quandoque cum inflammatione; quæ ipſis etiam tonſillis frequenter communicatur. Hæc inflammatio cùm iisdem remediis cedat, quibus gingivarum; illorum repetitione ſuperſedemus.

Signa laxatæ uvulæ. *Signa* uvulæ relaxatæ ſunt, loquela per nares, & ſolito difficilior: nam columella eſt quaſi vocis plectrum: deinde apparet, ac ſi bolum in collo haberent Ægri, quem deglutire fruſtra conarentur; quiq; non levem facit nauſeam. *Cura uvulæ.* *Curam* quod attinet, fieri debent revulſiones, derivationes, & evacuationes, humoris peccantis, per purgationes, venæſectiones, cucurbitulas, ſudores &c. *Topica.* *Topica*, ſi adſit inflammatio, poterunt eſſe liquida, ex *decocto maticorn*, vel *plantaginis*, vel *gallarum*, cum *aqua fabrorum* facto, & *melle roſato*, vel *diamoro*, commixto. Si verò inflammatio abſit, pulvis ex *malicorio*, & pauco *pipere longo* factus, ſpatulâ, vel extremitate pollicis, depreſsâ priùs lingvâ, applicetur. Nos ſolo *pipere longo pulveriſato* multos reſtituimus; cui etiam aliquid *aluminis* addi poteſt. Quòd ſi malum ſit inveteratum, & nec repercuti, nec diſſipari poſſit, *abſcindi* debet: *Uvulæ amputatio.* non tamen durante inflammatione, nec præſente lividitate; nec totaliter, ſed relictâ aliquali parte; deinde dum pars ſuperior inſtar petioli extenuata eſt: tunc enim ſecurior eſt operatio; quâ peractâ, extremitas uvulæ *ſpiritu vitrioli* tangenda. Aretæus, *l. 1. de cauſ. & ſign. acutor. morbor. c. 8.* & Sennertus, *l. 2. p. 1. cap. 20.* mentionem faciunt membranarum, utrinque, circa gurgulionem, inſtar alarum veſpertilionum explicatarum; quas ita laxas, & tumefactas, vidi in Piſtrice Aulicâ, deinde in Illuſtriſſimo Comite Draskowitz, Hungaro, ut quandoq; in aſperâ arteriam profundè decumberent, cum nauſeâ; in forti expiratione autem, ad magnitudinem juglandium, ſupra lingvam extruderentur. Faſſus eſt prædictus Comes, haſce membranas ſibi aliquoties intumuiſſe, ſeſéque eas putridas, aliquando integras, rejeciſſe, ſed malum ſæpius recrudeſcere. Unam vidi & diſſecui in præſentia Comitis de Nadaſti, quæ erat dura, inſtar rugatæ ficus minoris.

Quæres 1. Utrum de curâ uvulæ relaxatæ verum ſit, quòd, tractis circa ſagittalem ſuturam capillis, retrahi illa dicitur? Reſp. affirmativè: nam, evulſis fortiter capillis, abſcedente cute, ex horrore vacui, humores ſurſum retrahuntur, adeoque liberatur columella. *Quæſtiones.* I.

II. Quæres 2, Cur Galen. *11. de uſu part. cap. 11.* dicit: Quibus uvula reſecta eſt, ii in reſpirationis læſionem incidunt? Quid uvula facit ad reſpirationem? Reſp. hîc Galenum intelligendum eſſe de reſpiratione per nares, clauſo ore factâ, quæ difficulter perficitur: nam columella bene diſpoſita aërem extruſum dividit, & per medium ſecat, ita, ut commodè per utramque narem exire poſſit; ſecùs ſit, quando reſecta eſt uvula: ſic enim externis injuriis patent pulmones; quibus debilitatis, cum tempore difficilis reſpiratio oriri poteſt.

Caput XXXIV.

De variis Lingvæ Tumoribus.

QUamvis hæc *in Chirurgia noſtra* tractaverimus: ordo tamen requirit, ut hîc pauca de his afferamus. *Lingvæ tumor: quadruplex* *Lingva quatuor Tumorum* generibus afficitur: phlegmone ſcilicet; veluti reliquæ partes carnoſæ: eryſipelate: oedomate: & ſcirrho; *Scirrhi exemplum.* qualem nuper, eumque cancroſum, & immedicabilem, vidimus in Illuſtriſſimo Barone de Vertemali, utpote qui, in cancrum degenerans, corroſis ſublingvalibus venis & arteriis, hæmorrhagiam tantam excitavit, ut eâ ſuffocatus fuerit Æger. Cauſam hujus cancri, ſummâ ductus pœnitentia, agnovit ipſe divinam, eò, quòd Religioſis graviter & frequenter detraxiſſet.

Cauſa. Fit etiam quandoque, ut lingva in ingentem magnitudinem excreſcat, ob luxuriem multitdinis alimenti; unde, ore hiante, lingva aëri expoſita liveſcit, ob ſangvinem aëri expoſitum; qui, teſte Galen. *3. de ſympt. cauſ. cap. 2.* grumeſcit, & niger evadit: aëri autem magis exponitur in lingva, & labiis, in quibus cutis eſt tenuior, quàm in aliis corporis partibus: illa autem magnitudo lingvæ impedit loquelam, & hominem reddit deformem. Vide Gal. *lib. de different. morbor. cap. 9.* ubi ſimile narrat exemplum.

Signa. *Cognoſci* facilè poſſunt lingvæ tumores, quia viſui patent: ſpecies autem tumoris cognoſci debet ex colore: Inflammatio ſcilicet à rubore; Oedema ab albedine, & magna pituitæ excreatione; Scirrhus à colore ſublivido, & duritie; Eryſipelas à magno ardore, tumoris mediocritate, & colore ſubflavo.

Prognoſis. Prognoſin quod attinet, ſi ex lingvæ tumore ſuffocationis periculum immineat, eſt periculoſus: deinde magna lingvæ inflammatio aliis etiam partibus poteſt communicari; utpote pulmonibus, cordi, cerebro: imò putavit Marcus Marci, cum lapide ſuo Butleri, lingvam eſſe primam totius corporis radicem, quæ, univerſali iſto medicamento imbuta, toti corpori ſanitatem impertiatur: ſi hoc; ergo omnis malus ipſius affectus eſſet periculoſus valde; cùm tamen multi ſæpe accidant linguæ tumores, citra ullum vitæ periculum.

Curatio. *Inflammatio* lingvæ tollitur revulſionibus, per venæſectionem, ſcarificationem, cucurbitulas, hirudines, gargariſmos, ex *ſucco lactucæ*, *ſempervivi*, *ſolani*, *plantaginis*, *decocto lentium excorticatarum*, cum *diamoro*, vel *ſyrupo de roſis ſiccis*, vel *granatorum dulcium*, vel *ſucco lactucæ*: cum Galen. *14. m. m. à principio* enim *repellentibus utendum eſt*, addito pauco *nitro*, ad penetrationem. Factis revulſionibus & derivationibus, evacuatio ex ipſa parte affecta fieri poteſt ſectione venarum ſublingvalium. Si humores cacochymici admixti ſint, hi per purgationem iis appropriatam educendi ſunt: ut, ſi pituita, & ſeroſi humores, plurimùm redundent,

℞. *Mechoacan. alb.* *Purgatio.*
agarici recens trochiſc. & in petia ligati, *Decoctum.*
rad. gialapp. ana ℥ij.
folior. ſen. mundator. ℥ß.
mannæ ℥ij.
confect. ſem. aniſi,
ſalis tartari, ana ʒß.

His omnibus ſuperaffunde *decocti florum* & *fructuum bullientis* ℥v. Stent infuſa per noctem: manè in colatura diſſolve *cremoris tartari* ℈j. &, ſi fortiorem velis, adde

electuar. de pſyllio, vel *caryocoſtini*, ʒj.
ſpirit. macis gut. vj.
eſſentiæ cinamom. ʒß. M. F. Potio.

Vel, hujus loco, præſcribi poſſunt *Pilulæ cochiæ*, ſi deglutire poſſit Æger.

Si tumor ad ſuppurationem tendat, *maturandus* eſt *decocto ficuum in lacte*, cum *radice althææ* facto, vel etiam *ficu per medium ſectâ*, & ſæpius applicatâ, vel etiam *mucilagine ſeminis fænigræci*, vel *cydoniorum*, vel *pſyllii*, *aquâ hordei* extractâ; Quidam utuntur *oxymelite* cum *zingibere*, &, ſi tumor durus fuerit, addunt *ammoniacum*. Factâ ſuppuratione, abſceſſus eſt aperiendus: quòd ſi res in longum eat, tumórque nec venæſectioni, nec purgationi, cedat, nec gargariſmis; tunc ſcarificetur lingva ſat profundè, ad effluxum copioſi ſeroſi humoris; deinde lingva *ſalsâ aquâ* abſtergatur. Nos etiam non improbaremus hirudines infra mentum applicatas; vel etiam veſicatoria, deltoidibus muſculis, vel etiam nuchæ, applicata. Alvus interea ſervetur aperta per clyſteres emollientes & abſtergentes. *Maturantia.*

De *Ranula*, ſeu *Batracho*, tum *ſupra*, tum etiam in *Chirurgia* dictum eſt. *Linguæ puſtulæ* curantur, ſi tangantur cum *melle roſato*, *ſpiritu vitrioli*, vel *ſulphuris*, acido reddito, vel ſolis ſpiritibus. *Ranula.* *Lingvæ puſtula.*

Quæres: Annon, ſi lingvæ, per malam conformationem, nimium eſſet, decurtari & reſcindi poſſet? Reſp. cum Claudino, poſſe; ſed à perito Artifice. *Quæſtio.*

Cap.

Caput XXXV.

De Guſtu læſo: item de Balbutie; & Paralyſi, ſeu Reſolutione Linguæ.

Guſtatus læſus.

Hîc non agimus de inappetentia, aut cibi faſtidio, actionem ventriculi abolitam, aut imminutam, comprehendente; ſed de *Guſtu læſo* ab actione ipſius lingvæ vel imminutâ, vel abolitâ, vel depravatâ, nempe quòd ſapit vel ex parte tantùm, non totaliter; vel omnino non; vel aliter, quàm deberet.

Cauſa.

Cauſa imminutæ & abolitæ actionis, quæ tantùm ſecundum magis & minùs differunt, ſunt vel cerebri, vel nervorum, affectûs, unde ſpiritûs animales in tertium nervorum par, ad organum guſtatûs irridiandum, vel non, vel debiliter, feruntur: quod fit vel in nervorum obſtructione, ab humoribus pituitoſis, vel à tumoribus incumbentibus, vel à compreſſione, vel à vulnere, vel à paucitate ſpirituum; uti fit in ſumma ægritudine; vel à nervorum reſolutione; uti in paralyſi: tunc enim non tantùm motus linguæ tollitur, ſed etiã guſtus; qui eſt ſenſus, à cerebro, uti cæteri, oriundus. Poteſt etiam fieri, ut, dum lingva per idiopathiam, ſeu per eſſentiam, læditur, v. g. in propriis ſuis tumoribus, ulceribus, puſtulis, intemperiebus, guſtus vel imminuatur, vel aboleatur. Depravatio verò guſtûs fit ab humore aliquo extraneo, tanquam medio quodam alieno, lingvam occupante; unde rerum guſtabilium ſpecies non, ut in ſe, ſed aliter, ſentiuntur: v. g. ſi humor bilioſus lingvam occupet, omnia erunt billioſa; ſi pituitoſus, dulcia; ſi melancholicus, auſtera; ſi acidus, acida: imò in febricitantibus, & ictericis, abſque rerum externarum acceſſu, ſapor ille continuò verſatur in ore. Hæc omnia ex propriis humorum ſaporibus coloribúsque ſunt cognoſcenda.

Curatio.

Cura ad ipſam cauſam dirigenda eſt: ſi enim guſt, lædatur à cerebro, aut nervis malè affectis; iis quantocyus proſpiciendum: ſi à ſpirituum paucitate; hi ſunt multiplicandi victu analeptico: ſi ex humorum redundantia fiat, ii ſunt expurgandi: ſi malum foveatur ab hepatis, aut lienis, affectibus; iis quoque, ex propriis capitibus, ſubveniendum eſt: ſi denique à propriis lingvæ affectibus, velut ulceribus, tumoribus, intemperie, magnitudine &c. proveniat; vide *ſuprà dicta*. Si guſtus lædatur ab humore craſſo & pituitoſo, lingvam occupante; acidis, incidentibus, & abſtergentibus, agendum eſt: qualia ſunt *cremor hordei*, cum *oxymelite*, vel *ſucco limonum*: acida enim facultatem hanc, aliquo modo obtuſam, excitant, & guſtum reficiunt: item, poſt oris collutiones,

℞. *Spir. vini* ℥j.
vitrioli ʒß.
mellis ℥j.

M. F. inſtar Linimenti, quo lingva ſæpius inungatur; & guſtus propediem redibit.

Lingva triplici morborum genere tentatur; utpote intemperiei, ut in balbutie, ſiccitate: organico, ut in magnitudine auctâ, & imminutâ, ob fræni, ſeu vinculi brevitatem, tumoribus, obſtructionibus nervorum primi paris; & communi, in ſolutione continui, vulneribus ſcilicet, ulceribus &c. In omnibus hiſce actiones linguæ vel diminuuntur, vel abolentur, vel depravantur. Lingua morbo triplicat.

Balbuties fit, quando litera R. pronunciari nõ poteſt: fitq; ob nimiam linguæ humiditatem vel nativam, vel adſcititiam: in pueris cum tempore, deſinente humiditate, ceſſat balbuties: alii autem totâ vitâ ſunt balbi, ob humiditatem capitis & lingvæ: & hi diuturno alui profluvio, humiditatibus in ventrem decumbentibus, ſæpe vexantur; id aſſerente & confirmante Galen. *comment. in 6. aph. 32.* Balbuties illa, quæ, à nativitate orta, usque ad pubertatem perdurat, incurabilis eſt; illa verò, quæ ex accidenti fit, v. g. à catarrho, vel nimiâ cerebri adſcititiâ humiditate, curari poteſt longo uſu *radicis cichor. condit.* & aliis. Balbuties.

Cùm tertium par nervorum faciat ad guſtum & ſaporem, ſeptimum verò ad motum lingvæ; *Reſolutio*, ſeu *Paralyſis* ipſius maximè conſiſtit in obſtructione, aut reſolutione ſeptimi paris, à materia pituitoſa, craſſa, vel tenui, partem Reſolutio.

capitis poſteriorem maximè occupantes; præcipuè poſt apoplexiam: unde plerunq; etiã dimidia corporis pars reſolvitur: aliquando tamen fieri poteſt, ut nervi lingvæ reſolvantur citra ullam apoplexiam, vel à ſolius nervi nimia humiditate, vel ab obſtructione, vel à reſectione. Avicennus dicit, à ventoſâ, nuchæ applicatâ, factam fuiſſe linguæ paralyſin, reſectâ ſcilicet nervi parrte. Diſtingvendum autem eſt ex materiæ craſſitie, aut tenuitate; item ex calore, utrum materia ſit calida, aut frigida: ſi enim adeſt lingvæ rubedo, & multa tenuis materiæ excretio; tunc materia eſt calida: & tunc gargariſmi calidi non valent, ſed magis proſunt ea, quæ vim quandam ſtypticam habent.

Prognoſis. *Prognoſin* quod attinet, ſi affectus ſit recens, ſolitarius, & in homine robuſto; curabilis eſt: ſi verò ſit antiquus, ab apoplexia, & in ſene; vel difficulter, vel nunquam, curatur.

Cura. *Therapia* hujus affectûs tota dirigenda eſt ad cauſam antecedentem, humorem ſcilicet in cerebro reſidentem, qui præparandus, reſolvendus, & evacuandus eſt: cauſa deinde conjuncta radicitùs tollenda. Si cauſa antecedens eſt frigida, vide ea, quæ *de cerebri Intemperie frigida* dicta ſunt: ſi verò calida eſt, in corpore plethorico, præmiſsâ

Venæſectio. aliquâ purgatione, *ſecanda* eſt *vena*, primò brachii, deinde, ſi opus fuerit, ſub-

Purgatio. lingvalis. *Purgatio* talis eſſe poterit:

Pilula. ℞. *Extr. pilular. cochiar.*
ſine quibus,
aurear. ana ℈ß.
reſina gialapp. gr. vij.
pulver. Syrii gr. iij. Cum ſ. q. *ſyrupi de ſtæchade* F. Pilul. numer. ix. Ne autem humores pilulis hiſce agitentur, lenius hoc aſſumi poterit:

Potio. ℞. *Aqua laxat. recens præpar.* ℥iv.
cremor. tartar. ʒß.
ſpirit. macis gut. x.
vitriol. gut. xij. M. F. Potio.

In affectu frigido religiosè detrahendus eſt ſangvis, ſed fortiùs purgantibus, & ſudoriferis, ex decocto *Chinæ*, & *ligni ſancti*, paratis; item cucurbitulis, etiam ſub mento, cum Avicenna, applicatis, veſicatoriis, cauteriis &c. malum eſt oppugnandum. Nos in lingvæ reſolutione præſtantiùs *εὐπορέστερον Gargariſma* non reperimus, quàm illud ex *hydromelite ſimplici*, cui magna quantitas *farina ſeminis ſinapeos* commiſta ſit; quo calido ſæpe os colluendum & gargariſandum; vel, loco illius, *Gargariſmi.*

℞. *Herb. ſerpilli,*
ſalvia,
majorana,
betonica, ana Mj.
flor. ſtæchados,
anthos, ana pj.
rad. pyrethri,
ireos, ana ʒiij.
liquiritia ℥ß.

Inciſa decoquantur in ſ. q. *aqua* ad tertias: in colatura, forti expreſſione factâ, diſſolve
ſyrup. de betonicâ,
oxymelit. ſcillitic. ana ℥ij.
farina ſem. ſinap. ℥ß. M. F. Gargariſm.

Si materia ſit calidior, à calidioribus abſtinendum eſt; adeóque fiat *Gargariſmus* ex *decocto lentium*, cum *roſis*, *betonica*, *ſalvia*, & *ſyrupo de betonica*. In cauſa frigida *ſpiritus ſerpilli*, vel *lavendula*, vel *flor. lilii convallium*, plurimum facit ad recuperandum lingvæ motum. Eodem modo ſequentes *Trochiſci* ſæpius in ore ſunt geſtandi:

℞. *Extr. caſtorei,* *Trochiſci ſublingvales.*
ſalvia,
ſucci liquiritiæ inſpiſſati, ana ʒij.
gallia moſchata ʒß.

Cum ſ. q. *mellis anthoſat.* F. Trochiſci, ſæpius in ore detinendi. Nucha ſequenti *Linimento* ſæpius inungenda eſt: *Linimentum.*

℞. *Olei caſtor.* ℥ß.
nuciſta ʒiij.
balſam. ſuccini,
majorana,
apoplectici, ana ʒj. M. F. Linim.

Et quandoquidem in hoc affectu poſterior capitis pars maximè patitur: huic, capillis deraſis, applicari poteſt *emplaſtrum de betonica*, quod caput ſummoperè confortat; vel, loco ejus, fiat *cucupha* ex herbis cephalicis; vel inſpergatur pulvis ex iisdem confectus. Corpus in tali affectu ſolito ſæpius expurgandum eſt vel apozemate cephalico, vel pilulis. *Diætam* medicamentis correſpondere oportet: vitentur crapulæ & commeſſationes, item ſomni longiores, itinera per loca paluſtria, & aërem *Victûs ratio.*

rem nebuloſum. Potus ſit vinum oligophorum, id eſt tenue, ſeu pauciferum. A paſtu ſequenti Trageâ utendum: Tragea.

℞. *Coriandri prap.*
aniſi,
fœnicul.
nucu moſchat.
cubebar. ana ʒiij.
folior. betonica ʒij.
ſacchar. albi ad pondus omnium,
F. Tragea, in taleolâ panis aſſatâ, cum pauco *vino*, à paſtu, ad ʒß. deglutienda, nil deſuper bibendo, aut comedendo.

Quæſtiones. I. Quæres 1. Quomodo fit, ut acida guſtum augeant? Reſp. partim, quia humores, ſenſum guſtus obtundentes, incidunt; partim diſtributionem eiborum promovent; partim etiam, quia bilem flavam, guſtus inimicam, diluunt.

II. Quæres 2. Quis, & unde, affectus ille, in quo Ægroti aliquoties unam ſyllabam repetunt? Non enim videtur hic provenire ab humiditate; cùm nimis citò pronuncient; celeritas autem illa ſit caloris ſignum. Reſp. hos vocari balbos, & τραυλὰς, affectumque hunc provenire ab exuperante capitis calore, cum humiditate conjuncto: ſunt enim plerunque ſangvinei, quibus affectus hic contingit: celeritas enim illa, quâ ſyllaba aliquoties repetitur, à multis provenire dicitur à calore: impotentia autem loquelam abſolvendi provenit ab humiditate. Sine aliorum præjudicio, putamus, celeritatem illam eſſe ſimile quid tremori, in quo à natura debili frequens eſt motus.

Objectio. Objic. Avicen. *fen. 1. lib. 3. tract. 4. cap. 18.* dicit, balbos eſſe maximè ad melancholiam diſpoſitos; ſed melancholia eſt affectus ſiccus: ergo balbi ſunt ſicci. Reſp. balbos eſſe diſpoſitos ad melancholiam per accidens, quatenus ſunt alvi fluxui obnoxii (videmus enim, ejusmodi pueros balbos, inſtar anſerum, ubique cacare) talis autem fluxus vehementer exſiccat.

III. Quæt. 3. Cur melancholici, & hydropici, acutum habeant guſtum, vehementerque appetant? Reſp. ad primum: quia humor melancholicus, ob ſtypticitatem ſuam, fibras corrugat & contrahit, & ſimile quid inanitioni cauſat; unde fit guſtus & appetitus. Reſp. ad ſecundum: frigidum ſtomachum ſemper plus appetere, quàm digerere; qui ſemper in hydropicis eſt, ob proventum aquarum, & calorem debilem. Hinc vidimus Linzii, hydropicam quandam, in Gynæcéo Cæſareo, ſummè voracem, & ore cibis pleno extinctam fuiſſe.

CAPUT XXXVI.
De Angina.

TAm pectoris, quàm oeſophagi, limen infeſtat *Angina*, quaſi intus angens, faucium, ſeu pharyngis, & capitis aſperæ arteriæ, ſeu laryngis, affectus graviſſimus: nam cibi potúsque, & ſpiritûs introitum præcludit, nullo thoracem occupante vitio. Eſt autem *Angina* inflammatio gutturis, cum febre continuâ, dolore ingenti, ardore, anhelatione, deglutiendi difficultate, anguſtia & ſuffocationis metu conjuncta; ex Hippoc. *3. de morbis.* Angina. quid.

Angina eſt *duplex: legitima*, & *notha*. *Illa* iterum quadruplex recenſetur: vel quatenus interni faucium, ſeu pharyngis, ſeu capitis oeſophagi, muſculi afficiuntur; & vocatur *Synanche*: vel quatenus ejusdem capitis oeſophagi, ſeu pharyngis, muſculi externi afficiuntur; & dicitur *Paraſynanche*: vel quando interni laryngis, ſeu capitis aſperæ arteriæ, muſculi afficiuntur; & vocatur *Cynanche*: vel quando externi, ſeu communes, ejusdem capitis aſperæ arteriæ, vel laryngis, muſculi afficiuntur; & *Paracynanche* nominatur. Hippoc. *lib. 2. de morbis*, treſ tantùm facit differentias; prima eſt omnium graviſſima, quæ, cùm in faucibus, & collo, conſpicuum faciat tumorem, proprios laryngis muſculos perſtringit, cum orthopnœa, oris hiatu, linguæ exertione, oculorum prominentia, faciei rubore, deglutitionis impedimento, potûs in nares regurgitatione, & aphonia, inſtantique ſuffocatione. Altera non minùs dolorifica eſt, quæ in faucibus tumorem & ruborem excitat: & hæc valde periculoſa eſt, ſed diutius durat: ſi rubor & inflammatio ſeſe extrinſecè magis exten-

Anginæ differentia. Legitima. Synanche. Paraſynanche. Cynanche. Paracynanche.

tendat, minùs periculoſa eſt angina. Tertia levior eſt: nam tumore & rubore extrinſecè conſpicuis, ſolam cervicem, ejuſque muſculos, afficit, cum minoribus ſymptomatibus.

Cauſa Anginæ. *Cauſa* anginæ ſunt, aër frigidus, ictus, potus frigidæ, vel gelidæ, oſſicula piſcium per tonſillas trajecta, ebrietas, & quævis repletio, ſeu plethora, item fluxio bilioſa & ſangvinea; quæ, per ramos jugulares venæ, ad guttur pertinentis, irruens inflammationem excitat: fluxio item pituitoſa tam tenuis, quàm craſſa; quæ etiam, teſte Hipp. 4. *acutor.* anginam efficit; ſed plerumque illegitimam; quæ vel nullam, vel exiguam, inflammationem & febrim excitat: poteſtque referri inter anginas nothas.

Notha. Angina item *notha* eſt, quæ fit à vertebrarum colli luxatione, unde gulæ gutturiſque introitus præcluditur: hæc autem luxatio fit ab ictu, caſu, vel defluxu humoris, vertebrarum vincula laxantis. Noſcitur hęc luxatio, ex cavitate in parte manifeſta: & hoc vitiū deploratum eſt: nam, teſte Aeginetâ, manûs operationem omnino renuit. Item angina ſæpiſſime fit ob defectum menſtruorum, & vel maximè hæmorrhoidum; uti Viennæ centies obſervavimus.

Indicationes. *Indicationes* à morbo, cauſâ morbi, & viribus, deſumuntur. Humor ad partem confluens repellendus, revellendus, derivandus: qui verò jam influxit, vel reſolvendus, vel concoquendus & ſuppurandus: vires ſunt corroborandæ. Inter omnes differentias ſæviſſima eſt illa, quæ nulla in faucibus, aut cervice, monſtrat ſigna, niſi doloris, & orthopnœæ; quippe quæ, ſpiritu intercepto, eodem die, vel ad ſummum intra quartum, ſuffocat: hinc eſt, quòd Hippoc. *4. aph. 34.* ait: *Si febre detento derepente collum intorqueatur, ut vix deglutire queat, nullo in faucibus, aut cervice, apparente tumore, mortiferum eſt.* Idem dicendum eſt de eâ, quæ fit ob luxationem vertebrarum colli. Hipp. *in Coacis*, ait: *tumores* in angina, ſine ulla ratione repente evaneſcentes, lethales ſunt: ſignificant enim, humores intrò ſerpſiſſe:

Prognoſtica. item; niſi celeriter cocta expuant, ſed pauca, viſcida, & craſſa ſputa reddant, malè & lethaliter habent: ſi verò ſpuma circa os appareat, deſperatum eſt, *2. aphor. 43.* Securiſſima eſt, ſed longiſſima angina, quæ fit à pituita: ea tamen, quæ fit à tenui pituitâ, brevior eſt, quàm quæ à craſſa: hæc ſiquidem aliquando ad quadrageſimum diem extenditur. Hiſce affectibus magis viri, quàm fœminæ, juvenes, quàm pueri, aut ſenes, afficiuntur. Vernum tempus anginæ generandæ aptiſſimum eſt, ob ſanguinis copiam, & pituitæ à calore fuſionem, & defluxum in fauces: in hyeme quoque, cœlo udo, accidit, ob frequentes deſtillationes: rariùs autumno; quia proventus bilis, ab æſtate relictus, ejuſmodi tumores non facilè excitat. Auſtrina tamen conſtitutio diuturna, uti teſtatur Hippoc. *3. aph. 16.* anginæ procreandæ apta eſt: refertur enim inter morbos pluviarum, ab eodem, *loco citato.*

Cùm hic affectus ad interitum citiſſimè ruat; & opportuna medendi ratione, & convenienti victûs ratione, occurrendum eſt. *Cura Anginæ.* *Therapevtica*, ſeu medendi ratio, quatuor præſidiorum generibus inſtituitur: avertentibus ſcilicet; inter quæ phlebotomia primum ſibi vendicat locum; quæ, alvo priùs enemate lenitâ, in cubito, partitis vicibus celebranda eſt, donec doloris & inflammationis notabilis fiat remiſſio: hyeme ſangvis parciori manu detrahendus, vulnere latiori; vere autem, & æſtate, contrà: ſi angina (quod ſæpe fit) obſtructis accidat menſibus, in pede primò; dein in brachio: quòd ſi mali pertinacia ſuffocationem minetur, cucurbitulæ colli lateribus applicentur, & *venæ ſublingvales*, nariúmque, *ultimò ſecentur*: ultimò, inquam, *Venæ ſublingvales ultimò ſecandæ ſunt.* non primò, ne, ſi primò fieret, illùc tota corporis plethora traheretur, & inflammatio augeretur. Zacutus, & Trajanus, venarum jugularium apertionem maximis efferunt laudibus. Quòd ſi non à ſolo ſangvine angina, ſed phlegmate exuperante, excitetur; poſt phlebotomiam ſufficientem levis aliqua *purgatio* exhiberi poterit, qualis erit hæc:

℞. *Syrup,*

Purgantia. Potio laxativa.

℞. *Syrup. mannat. Horſtii* ℥j.
aquæ laxat. recent. ℥iij.
magiſt. tartar. laxat. ℈j. M. F. Potio.

Vel etiam ℥ij. *mannæ elect.* diſſolvantur in *juſculo gallinæ*, &, additâ ʒß. *cremor. tartari*, & ℥ß. *olei amygdalar. dulc.* calidè exhibeantur. *Repellentia non ſunt adhibenda. Gargariſmi.* Secundò repellentia; ut quæ foris minimè, ne materiam impingant, ſed per gargariſmos, ſunt adhibenda: qualia ſunt *oxycratum*, *decoctum folior. plantaginis*, *prunellæ*, *roſar. rubrarum*, *centinod. folior. rubi*, *portulacæ*, *oxalidis* &c. in quo diſſolvi poterit *ſyrup. granatorum*, *roſar. ſiccarum*, *myrtillor. violar. diamorum*, &, pro majori abſterſione, *mell. roſat. colat. cremor. hordei*, &c. Vel

℞. *Aquæ plantag.*
ſolani,
roſar.
caprifol. ana ℥ij.
decoct. hord. ℥iv.
diamori,
mellis roſati colati,
ſyrup. de roſis ſiccis,
granator. ana ʒß.
ſpiritûs acid. ſulphuris q. ſ. ad notabilem aciditatem: M. F. Gargariſmus: cui etiam, cum tempore, *caricæ* addi poterunt. In magno etiam dolore *lac tepidum chalybeatum* gargaryzari poterit.

Digerentia. Tertium remediorum genus ſunt digerentia; quæ, in ipſo etiam morbi vigore, miſcenda ſunt cum adſtringentibus; in declinatione verò ſola & impermixta adhibenda. *Gargariſmi.* Talia ſunt *Gargariſmi ex decocto agrimoniæ*, *betonicæ*, *hyſſopi*, *hordei*, *paſſularum*, *jujubarum*, *glycyrrhizæ*, *ſeminis aniſi*, *caulium*, *lini*, *fœnigraci*; in quo *mel roſatum*, *oxymel ſimplex*, *ſyrupus roſarum*, *diamorum* &c. diſſoluta ſint: *Linctûs.* Item *Eclegmata*: ut:

℞. *Oxymelit. ſimp.* ℥iß.
ſyrup. de hyſſop. ʒß.
pulver. ſpecier. diatreos ʒij.
myrrhæ ʒß.
croci gr. x. M. De quo ſæpe lambat Æger: hiſce etiam addi poteſt *terra ſigillata*. *Cataplaſma.* Externè applicari poteſt *Cataplaſma ex nidis hirundinum*, cum *lacte ſeminis lini*, & *radicis althææ*, in *lacte* coctis, factum: addimus *album Græcum* quandoque: vel, loco ipſius, *oleum liliorum alborum*, *amygdalarum dulcium*, *mucilago ſeminis lini*, vel *farina ſeminis lini* & *fœnigraci*, coquantur in *oxymelite*, vel *oxycrato*, & applicentur ad modum Cataplaſmatis, nó negligendo interea appropriata: ut ſunt *album Græcũ*, ſeu *Zibetta* canis oſſa tantùm vorantis; quod in eclegmat. diſſolvi poteſt; item pulvis *centaur. min. radix gentianæ*; quæ tamen potiùs valent, dum tumor jam factus & rumpendus: & tunc *agaricus* addendus eſt. Quòd ſi materia ita ſit pertinax, ut digeri nullo modo velit, ad ſuppurantia, tum interna, tùm externa, confugiendum erit: ut:

℞. *Rad. lilior. albor.* *Gargariſmus.*
alth. ana ℥j.
fol. malv. mj.
ſem. lini,
ficuum pinguium,
paſſular. mundatar.
dactylor. ana ʒß.
F. Decoct. in ſ. q. *aquæ*: in colaturâ diſſolve
mellis commun. ℥ij.
croci ℈ß.
myrrhæ ʒß. M. F. Gargariſmus.

Extrinſecus ſequens admoveatur:

℞. *Rad. lilior. albor.* ℥iiij. *Cataplaſma.*
althææ cum toto m. j.
herb. malv.
violariæ, ana mj.
hyſſop. mß.
caricar. num. vj.
farinæ ſemin. lini ℥j.
flor. chamæm.
melilot. ana pj. Coque in ſ. q. *hydromelitis*, ad putrilaginem: per ſetaceum trajectis adde
axung. gallinæ ℥ij.
farinæ volatilis ℥j.
fermenti ℥ß.
croci ℈j.
ol. lilior. albor. q. ſ. ad mollem conſiſtentiam: M. F. Cataplaſma, quod tepidè applicetur. Suppuratione jam factâ, ſatagendum, ut tumor diſrumpatur; quod fieri poteſt *fruſtulo panis*, vel *carnis*, per vim deglutiti, vel *ſpongiâ filo alligatâ, & deglutitâ*, eâq; , poſtquam intumuit, retractâ, vel *cultello ligneo* in collum adacto, vel *pulvere centaurii*, vel *albi Græci*, per cannulam inflato: vel *oleo ſulphuris*, aut *vitrioli*, extremitate candelæ huic intinctâ, tangatur tumor,

&

& brevi rumpetur: vel, cum Schenckio, adminiſtretur *decoctum agarici*, & *radicis althææ*, cum *pauco Zinzibere*; quod, rumpendi tumores vim ſingularem habere, aſſeveratur. Quòd ſi jam abſceſſus ſit factus, apertuſque tumor, cavendum, ne effluens ſanies in pulmones ruat, ſed prono corpore collocandus eſt Æger, ut per os illa effluat; dein os *decocto hordei*, cum *melle roſato*, in quo *bolus Armena*, *thus*, & *myrrha*, pulveriſata commixta fuerint, colluatur. Nota, quòd in deſperata angina à multis *Laryngotomia* celebretur, ut ſcilicet, apertâ larynge, impedita reſpiratio per foramen celebretur, ut fuligines excludantur: ſed cùm hæc operatio non minùs rara ſit, quàm periculoſa; ad eam exercendam non facilè deveniendum eſt. Adminiſtrationem tamen vide apud Fabricium Hildanum.

Laryngotomia.

Victus ratio. *Diæta* in angina debet eſſe tenuiſſima: nam, teſte Hippoc. *in morb. acut.* tenuiſſimo victu utendum, ne excrementa, à cibis provenientia, cauſam morbi augeant, & natura à morbi digeſtione ad ciborum coctionem avocetur. Itaque juſcula ex uſu erunt gallinæ, caponis, vituli, &c. Potus erit decoctum hordei, & liquiritiæ.

Objectiones.

1\. Objic. 1. Dictum eſt, ſi ab Angina habitis ſpuma circa os fuerit, deſperatum eſſe; cùm tamen Avicennas dicat; anginâ præfocatos ſpumantes ſanari. Reſpondeo: Avicennam de rariſſimè contingentibus loqui: ſpuma enim à ſumma anguſtiâ, ſuffocatione, vel convulſione, exprimitur.

2\. Objic. 2. Frequentes anginæ dantur abſque febre; ergo falſum eſt, quod aſſertum. Reſpondeo: in principio, dum fiunt ab humore pituitoſo, concedo; in progreſſu verò, & ab humore bilioſo, nego.

3\. Objic. 3. Paulus, *lib. 3. cap. 27.* dicit, pueris anginâ laborantibus manum non eſſe adhibendam, adeóque incurabiles eſſe; cujus tamen contrarium docuit experientia. Reſpondeo; Paulum intelligendum eſſe de pueris, anginâ à luxatione colli laborantibus; quo deſperato malo, ob copioſam humiditatem, non rarò afficiantur pueri.

Objic. 4. Ordinantur hîc Gargariſmi adſtringentes, qui maximè noxii eſſe videntur; quia non tantùm materiam impingunt, ſed etiam ad pulmones & cor, cum maximo vitæ periculo (uti patet *5. aph. 10.*) repercutiunt. Reſpondeo cum Avicenn. *9. 3. cap. 10.* ubi repellentia adhibet in principio, non in ſtatu: deinde commiſcentur incidentia, uti oxymel, acetum &c. ne materia impingatur. 4.

Quæſtiones.

I. Quæres 1. Utrum angina frequentiùs fiat à pituitâ; an à ſangvine? Reſp. cum Gordonio, Gilberto Anglico, & Gerardo de Solo, ſuper Almanſorem, c. *de Squinantiâ*: cùm angina ſit morbus peracutus, & celerrimi motûs, plerumque fieri à ſang. non verò à pituitâ: quod patet ex eo, quòd illi ſæpiſſimè anginoſi fiunt, qui hæmorrhoidibus ſunt obnoxii: hîc experto mihi crede Roberto.

II. Quær. 2. Utrum phlebotomia in omni angina conveniat? Reſp. cum Avicenn. *9. 3. cap. 10.* Oportet, ut evacuetur, in principio cujuſcunque, materia faciens illam, cum phlebotomiâ: præterea, ſi non evacuativa, ſaltem revulſiva, in omni anginæ ſpecie conveniet: ejuſdem mentis eſt Hipp. *4. de victûs ratione in morbis acutis, text. 30.* Paulus Ægineta, *l. 3. c. 27.*

CAPUT XXXVII.

De Catarrho & Rheumatiſmo.

Homo cerebri mole cætera animantia ſuperat.

HOminem cerebri quantitate aliud quodvis animal exſuperare, extra omnem dubitationis aleam eſt; adeóque non mirum, ſi hoc plura generet excrementa, &, conſequenter, ſi cum fluxionibus, à cerebro derivatis, tota ipſi ſubjecta regio conflictetur, præcipuè dum copiâ, qualitate, & motu, peccant ipſa cerebri excrementa: hinc per vias inconſvetas, impetu quodam, in partes vicinas, & ſubjectas, magno ſanitatis diſpendio prolabuntur. Et hæc quidem fluxio in genere dicitur *Catarrhus*: propriè tamen ille tantùm dicitur catarrhus, qui ad pulmones, & ventriculum, decumbit: qui ad nares, *Coryza*: qui ad fauces, *Catarrhus.*

Digitized by Google

fauces, *Bronchus*: qui ad palatum; *Ptyaliſmus*: qui in extimas corporis partes, *Rheumatiſmus*: qui ad dentes, *Odontalgia* &c. Catarrhus nec eſt morbus, nec cauſa morbi: ſupereſt igitur, ut ſit ſymptoma, in excretis nempe. Prima catarrhi origo in inferioribus partibus ſæpe reperitur, utplurimùm tamen in ipſo cerebro; quod patitur, velut pars ſimilaris, intemperiem, vel ut pars organica, repletionem &c. Intemperies non rarò eſt frigida, quæ neque alimentum ritè conficit, neque ſuperflua digerit: proinde plurima coacervantur excrementa; quæ in ametriam cadunt, ob diuturnas moras, ubi non celebratur debita cerebri excretio, aut exhalatione tenuis vaporis, per ſuturas cranii, & cutis poros, aut effluxu humoris craſſi, per nares & palatum deficientibus. Hæc autem excretionis ametria vel excedit, vel deficit: defectus eſt morborum plerumque cauſa: exceſſus vel eſt humoris ſeroſi, pituitoſi, vel bilioſi. Hinc catarrhus nonnunquam à calida cerebri intemperie, cum multâ humiditate, in vaſis turgente, plus, quàm decet, attrahente, & plus juſto humores liquante, oritur; vel, collecto jam humore, accedente aëris à calido in frigidum mutatione, exprimitur velut ſpongia in partes infernas; vel etiam ab auſtrali & calido aëre liquatur. Interna verò ſeminaria præcipua ſunt, ventriculus debilis, cruditatum protoparens, & reliqua æſtuantia viſcera: cauſæ procatarcticæ caput replent vel vaporibus, vel humoribus; ut ſunt cibi vaporoſi, ut allium, cepe; pituitoſi, ut crambe, lactuca, legumina; deinde ſatietas, & ebrietas à vino potenti, ſomnus diuturnus, vel etiam nimis longus, auſtrina & pluvioſa cæli conſtitutio, alvi pigrities, frigus ambiens, Lunæ radii, ventus, dolor, motus, calor Solis nimius, ira, balneum, odores, Venus, frequens venæſectio, capiti ſummè noxia. Catarrhus alius eſt per protopathiam, alius per conſenſum; alius calidus, alius frigidus: calidus oriri poteſt à frigidâ causâ, & frigidus à calidâ: deinde tenuis poteſt eſſe frigidus, & craſſus calidus: atque

Differentia.

adeò ex conſiſtentia non poteſt erui diſtinctio calidi catarrhi à frigido: ſed potiùs dicendum, ſi adeſt febricula, ſitis, capitis dolor, oculorum & faciei rubor, tincta urina, ſi ipſa catarrhi materia ſit ſalſa, acris, erodens, fœtida, flava: calidum eſſe catarrhum: frigidum verò arguit, quando materia eſt inſipida, lingva albicans, capitis gravitas, ſomnolentia, corporis motus lentus, facies pallida, urina cruda, & uſus calidorum confert, &c. his accedunt ætas decrepita, anni tempus hyemale, victûs ratio frigida. Hic affectus quò magis ætati, anni tempori &c. familiaris eſt, eò tutior: hinc ſenibus ſunt magis familiares Catarrhi, ob pituitæ proventum: in decreptis non admittunt concoctionem, ob caloris nativi debilitatem: ſæpius, *teſte Avicenna*, fiunt à frigore, quàm à calore; ideóque hyeme, quàm æſtate, ſunt frequentiores catarrhi: frigus enim dum cutim denſat, inſenſibilem tranſpirationem impedit, & vapores ad caput elatos exprimit: unde gravedines illæ, tuſſes, & raucedines: quare non ineptè Galen. *3. de ſymp. cauſis* & catarrhum diarrhœæ aſſimilavit. Nam veluti diarrhœa eſt ob ventris cruditatem: ita catarrhus ob cerebri cruditatem: & impoſſibile eſt, fieri catarrhum, illæſo cerebro, vel ſangvine integro: quæ in nares fiunt, fluxiones, leviores ſunt, quàm quæ in fauces; peſſimæ omnium, quæ fiunt ad pulmones: authore Celſo, *l. 4. cap. 2.* Si materia ſit tenuis & acris, *ferina* dicitur, quòd ægrè coquatur, & pulmones erodat. Minùs his, qui ex capite, gravedine, & raucedine, febricitant, fiunt recidivæ: nam febris catarrhum concoquit, humores abſumit, & partem ad quandam ſymmetriam reducit. Si verò materia eſt pauca, frigida, dulcis, vel inſipida, non fœtens, non rotunda, & in nares vel os defluens: longè minus negotium & periculum affert, quàm ſi ea fuerit multa, calida, amara, ſalſa, fœtens, rotunda, & ad pulmones decumbens. *Indicationes* deſumuntur à formâ, ſubjecto, & cauſâ

Conſ.

Materia ferina.

Prognoſ.

Indicationes.

effici-

efficiente. Si cauſa efficiens hujus ſymptomatis in excretis eſt intemperies capitis frigida, alteranda eſt per calefacientia; ſi calida, per refrigerantia; ſi humor eſt craſſus nimis, attenuandus eſt; ſi tenuis, modicè incraſſandus; ſi acris, mitigandus; ſi peccet in motu, revellendus, derivandus, & evacuandus ſpecifico evacuante; eoque primùm univerſali, deinde particulari. Utrum ſis indicationibus citò, an tardè; facilè, an difficulter, ſatisfieri poſſit, id ex præcedentibus patebit. Itaque ad *Therapiam* accedamus, & primò calidi catarrhi remedia producamus. Primò itaque, ante omnia alvus lenienda eſt *Clyſtere*, ſi malum aliam medicinam non patiatur: ut:

Cura.

Enema.

Purgans. ℞. *Caſſiæ pro clyſteribus* ℥iij.
decoct. emollientis pro clyſt. ℔j.
ſalis. p j. M. F. Clyſter.

Quòd ſi malum non ita ſit urgens, ut ſit catarrhus ſuffocativus, in quo purgatio magis figit humores, & impingit, leniter *Purgans* tale ordinari poterit:

Potio. ℞. *Flor. caſſiæ* ℥j.
rhabar. elect.
tartari albi præp. ana ʒß.
ſeri lactis caprini q. ſ. pro diſſolutione. Fiat Potio brevis. Innoxiè ſemper diſſolvimus
mannæ elect. ℥ij. in juſculo, & cum
ol. amygdalar. dulcium ℥ß.
cremor tartari ʒß. addit. exhibuimus: quod remedium mediam plerumque catarrhi partem ſuſtulit: eſt Magni Ducis Hetruriæ.

Vel, in forma *Pilularum*:

℞. *Maß. pil. ſine quibus eſſe nolo,*
extr. rhabarb. ana gr. xv.
agarici ℈ß.

Cum ſ. q. *ſyrup. de ſtœchad.* Fiant Pil. n. ix. Inaurentur: quòd ſi malum urgeat, magnusque ſit faciei & oculorum rubor, ſi febris adſit, ſufficere poterit clyſter, & illicò ad phlebotomiam devenire licet, in catarrho præcipuè calido, loco, & quantitate debitis; idque præcisè, ſi gravioris alicujus ſymptomatis metus immineat, ut ſuffocationis, vel inflammationis alicujus partis: ſi verò catarrhus eſt frigidus; nullus, vel rarus, venæſectioni, niſi in ſummè plethoricis, datur locus, quâ caput intensè refrigeratur, & malum augetur, ingensque ſequitur animalis facultatis dejectio, lethargus, & ſæpe mors. Hinc per phlebotomiam, taliter celebratam, non ita pridem, inſignis Cæſaris Muſicus vocem penitus amiſit, nullis medelis recuperabilem. In frigido catarrho *præparantia* humores ſunt præſcribenda: ut ſunt *ſirupus de betonica, oxymel ſimplex, decoct. ſalviæ, betonicæ, majoranæ, liquiritiæ, hyſſopi, praſſii, ſtœchados, pulegii, calamenthi,* &c. Deinde inſtituenda eſt ſolennis *Purgatio* totius: ut: **Digeſtiva.**

Purgatio. ℞. *Herb. hyſſopi,*
calamenthi,
ſerpilli, ana m j.
ſem. odorator. aniſi,
fœniculi, ana ʒj.
Fiat decoctio ad ℥iiij.

In quibus colatis infunde per noctem
rhab ar. elect.
agarici albi,
mechoacannæ, ana ʒij.
fol. ſenæ. ſ. ſtip. ʒiij.

Mane, factâ levi ebullitione, in expreſs. colaturâ diſſolve
mannæ electæ ʒx.
extract. diacarthami ℈ij.
cremor. tartar. ℈j. M. F. Potio.

Factâ univerſali purgatione, fieri poterit particularis cephalica, per Errhina, Gargariſmos &c. quos pete ex *capite de Apoplexia*. *Intercipientia* conveniunt materiæ, antequam fluxerit; *expectorantia* verò, poſtquam fluxit: hinc à cœna *diacodium* præſcribunt Authores; manè verò expectorantia: v. g. **Expectorantia.**

℞. *Syr. de jujubis,*
hyſſopo,
oxymel. ſcillit. ana ℥j.
aq. hyſſopi,
ſcabioſæ,
tuſſilaginis,
veronicæ, ana ℥ij.
ſpirit. ſulph. gut. vj.
M. F. Julep. **Julepus.**

de quo

de quo frequenter unum cochlear exhiberi poterit. Purgationes, præcipuè in contumaci catarrho, per intervalla iterari poſſunt; quales *antè* fuerunt præſcriptæ. Expectorationem quoque adjuvant *Ung venta pectoralia*; ut:

Unguenta pectoralia.

℞. *Pulpa capar. ſub cineribus coct.* ℥iij.
cui adde
olei viol.
irini,
lini, ana ℥ß.
ung. pector. Auguſt. ℥j.
croci Orient. ℈j. M. F. Linimentum;

quo non tantùm pectus, ſed & dorſum inungendum eſt: vel, loco hujus, applicari poteſt *empl. filii Zacharia*; quod pulmonum mucilaginem reſolvere ſolet. Quòd ſi tanta ſit capitis, eáque frigida, intemperies, ut illud, velut pars mandans, malum continuò foveat; huic quoque tum externis, tum internis, providendum. Inter interna eſt *decoctum ſudoriferum*, quod non tantùm humores per inſenſibilem tranſpirationem educit, ſed & ipſi etiam capiti robur imprimit, & calorem nativum imbecillem reſtaurat: tale autem eſſe poterit:

Decoctum ſudoriferum.

℞. *Ligni ſaſſaf. odorif.*
Gvajaci,
rad. ſalſaparillæ, ana ℥iij.
ligni viſci quercini ℥ij.
fol. ſalv.
beton. ana m. j.

Infundantur per 24. horas in *aq. font.* ℔vj. ſupra cineres calidos: deinde probè tecta bulliant lento igne, ad decidentiam medietatis: deinde colentur, & exprimantur: de colatura exhiberi poſſunt omni manè ℥vj. deinde corpus bene tegendo ſudetur: idque repeti poterit aliquoties. Nota; quòd hæc in calidi catarrhi curâ adhiberi non debeant, quia humores ſemper acriores redderentur, & magis attenuarentur, quod hic minimè tentandum eſt; ſed potiùs humores attemperandi *emulſionibus ex amygd. dulc. nucleis pini, ſem. papav.* & *melonum*, vel *cremore hordei*, cum *ſaccharo cando* ante decubitum exhibito. Deterſo ſudore, hoc, vel ſimile, *Emplaſtr.* capiti deraſo applicari poteſt:

Emplaſtrum.

℞. *Thuris,*
maſtich.
ſuccini, ana ʒij.
galbani,
ladani,
opopanacis, ana ʒß.
viſci quercini ʒiij.
ſem. pæoniæ maris ℈j.
ol. nuciſtæ expreſſi q. ſ. Fiat maſſa

Emplaſtri; quæ, extenſa ſuper corium, applicari calidè poterit ſuturæ coronali: vel, loco hujus, *Pulvis confortans* ejusmodi inſpergi poteſt:

Pulv. confortans.

℞. *Rad. ireos Florentinæ* ʒj.
cyperi rotund.
acori, ana ʒiß.
ſantali citrini,
lig. rhodii, ana ʒj.
ſpec. diambr. ʒiß.
trochiſc. de gallia moſchata ℈j.
moſchi ℈ß.
ambræ gr. x. M. F. Pulvis:

Vel talis fieri poteſt *Suffitus*:

Suffitus.

℞. *Benzoes,*
maſtichis,
thuris,
ſandaracæ, ana ʒß.
tacamahac. ʒiij.
macis,
caryoph. ſuccini, ana ʒß.
roſ. rubear. p. iij. M. F. Pulvis groſſus

pro Suffitu, qui maximè in catarrho frigido, non calido, poteſt uſurpari. Alia quodammodo illius rhevmatiſmi, quem die Barm vocant Germani (vide Schenckium, *in Obſervat.*) curandi ratio eſt, qui fit, dum non tantùm articuli, ut in podagra, ſed etiam ipſi muſculi, & iis adjacentes partes, ſummas habent vellicationes, & dolores arthriticis ſimillimos: dum nempe, ex jecoris imbecillitate copioſi, iiq; ſeroſi, generantur humores, qui primitus ad caput aſcendunt, ac deinde totum corpus irrigant: neque ullum, ob tenuitatem, humor iſte facit tumorem, neq; facilè ſuppuratur, ob ineptitudinem; uti plerumq; eſt variolarum materia. Non tamen negaverim, etiam immediatè à jecore ad ambitum corporis protrudi poſſe humorem hunc ſeroſum, ſi nec capitis, nec occipitis, nec colli, aut ſcapularum, præceſſerit dolor: plerumq; tamen, ob tenuitatem, primùm in caput ſublimatur, deinde cadit in ſubje-

Rhevmatiſmus quomodo fiat.

ctas partes, in quibus univerſalem dolorem, eúmque vagum, excitat.

Curatio. In hoc affectu, non ſecus, ac in catarrho, materia morbifica revellenda, mitiganda, & evacuanda, viſcerum intemperies corrigenda, omniumque partium vires conſervandæ. Eſtq; hic affectus non tam periculoſus, quàm moleſtus & longus, &, ſi apoplexiæ, vel convulſioni, ſuperveniat, bonum. Galen. ſæpius repetitâ *Venaſectione* rhevmatiſmum curavit; quod repetitis vicibus, præmiſſo tamen Clyſtere, fieri poterit.

Enema.

℞. *Fol. atriplicis*,
malvæ,
bis malvæ,
betæ,
bliti,
lactucæ,
violariæ, ana m j.
ſem. lini,
fœni græci,
aniſi, ana ʒj.

Coque ad libram unam. In colat. diſſolve
el. diacatholici ℥j.
mellis anthoſati,
mercurialis, ana ℥ij.
butyr. recentis ℥j. M. F. Clyſter: quo rejecto, vena brachii mediana ſecari, ac tribus, quatuor, vel quinq; diebus continuis repeti poterit, ſingulis vicibus detrahendo ad ℥vj. donec ista humorum turgentia, & orgaſmus, omnino collatur.

Decoctum diureticum. *Diuretica* quoque, quale eſt *decoct. rad. lappæ majoris, & polypodii querc.* cum *cerevіſia* factum, calidè, ad ℥vj. vel vij. ſumptum, ad ſudores & urinas provocandas, crebriùs propinanda; utpote ad imitationē naturę, quæ per largos ſæpe ſudores, vel urinas copioſas & craſſas, malo huic imponit coronidem: quod patet ex Hippoc. *Quibus circa articulos dolores fiunt, & ſedantur, non podagrico modo; in iis comperies viſcera magna & in urina ſubſidentiam albam.* Hinc decocto

Sudoriferum. ſi addas *radices ſalſaparillæ*, *Sudoriferum* efficere poteris, ad tollendos humores ſeroſos non ineptum; non tamen nimis frequenter adhibeatur, ne viſcerū intemperies augeatur. Fit autem hic morbus in iis, quibus in pueritiâ, & juventute, ſangvis, è naribus fluere ſolitus, deſiit. Purgare ab initio, non eſt conſultum; quia potiùs & viſcerum intemperies, & humorum acrimonia augeretur; hoc tamen in morbi declinatione non incommodè fieri poteſt, debentque humores ſeroſi præcipuè è corpore eliminari; ut:

Purgatio per Potionem.

℞. *Rad. aperient.*
lappæ maj.
ebuli, ana ʒij.
herb. fumar.
adianth.
capill. Veneris,
cuſcutæ, ana m j.
cichorii,
endiviæ, ana m ß.

Fiat decoctio in ſ. q. *aq. fumar.* vel *ſeri lactis*, ad ℥vj. In colatura infunde per noctem
rad. jalappæ,
fol. ſen. Al. ſ. ſt.
rhabar. elect. ana ʒij.
herb. gratiolæ,
ſoldanellæ, ana ʒj.
ſem. carthami contuſi ʒiij.

Manè, factâ levi ebullitione, in colatura diſſolve
mannæ elect. ℥j.
elect. de pſyllio ʒiij.
tartari cryſtalliſati ℈j.
ſpiritûs macis ℈ß. M. F. Potio; quæ porrigatur in aurorâ. Hiſce factis, non negligenda ſunt illa, quæ hepar confortant, ut ſunt:

Corroborantia. Liniment. hepaticum.

℞. *Cerati ſantalini* ℥j.
ſucci cichorii recens extracti ℥ij.
Bulliant ad ſucci conſumptionem: reſiduo adde
olei roſacei,
de capparibus, ana ℥ß.
aceti roſacei ʒij. M. F. Limentum; vel etiam ſolum *Ceratum ſantalinum* applicari poterit. Intus exhibeatur talis *Mixtura*:

Mixtura.

℞. *Rob cynosbati*,
paſſul. cum *aq. cichorei* coctar. & trajectarum, ana ℥j.
conſervæ roſar.
flor. tunicæ, ana ℥ß.
pulv. diarrhodon Abbatis,
roſatæ novellæ,
diatrion ſantalon,
trochiſc. de eupatorio,
diacurcumæ, ana ℈j.

Cum

Cùm ſufficiente quantitate *ſyrup. de eupatorio* fiat Mixtura; cui addi poteſt *ſucci citri recens expreſſi* quantum ſatis ad gratam aciditatem: Vel ℞. *Pulv. deoppilativi rubei* ℈ij. Detur omni manè, in ℥iij. *aq. cichor. ſtillat.* Deniquè, pro membris roborandis, *Balneum ſulphureum*, ſeu *Thermæ*, eſſent perquam utiles, externa nempe, vi morbi debilitata, calefaciendo, & humores in iis contentos conſumendo, denique urinas copiosè movendo. Capiti eadem, quæ *in Catarrhis* ſunt propoſita, adhiberi poterunt.

Balnea & Thermæ.

Victûs ratio.

Diæta in hoc affectu moderata eſſe debet. In catarrho vitanda ſunt omnia, quæ caput replent: v. g. acria, quæ humores fundunt, ut cæpæ allium, ſinapi, eruca, raphanus; vinum generoſum; item quæ craſſis vaporibus caput infeſtare ſolent, ut lacticinia, & legumina omnia, piſces, fructûs recentes humidiores, ut melopepones &c. Itaque potus ſit vinum oligophorum, tenue, & minimè vaporoſum, aquâ dilutum: cibi ſint quantitate pauci, qualitate & ſubſtantiâ facilis concoctionis & diſtributionis, qui multa humiditate non ſint fugaces, conditi *nuce moſchatâ*, *coriandro*, & pauco *cinamomo*. Quærenda ſunt corporis moderata exercitia, otium vitandum, & ſomnus diuturnus; excretiones procurentur in tempore, caput quotidiè bene pectinetur, fricetur: caveantur ea animi pathemata, quæ homini plurimum nocere poſſunt: ut ſunt ira, triſtitia: quarum illa magnam ſangvinis ebullitionem, & ſpirituum agitationem excitat; unde humores funduntur, commoventur, & liquantur; qui dein ruunt in partes affectas: hæc verò, utpote triſtitia, calorem nativum ſuffocat; unde plurimus cruditatum proventus. Et hæc de *Catarrho*, & *Rhevmatiſmo*.

Quæſtiones.

Quær. 1. Quænam tum Galenica, tum Chymica, ſoleant eſſe uſualia ad Catarrhos curandos? Reſp. Hartmannus præſcribit *Aquam ſerpilli*, cum *vino* deſtillatam: item *ſacculum ex ſuccino* præparatum, & in *vino ordinario* infuſum: quod remedium & nos, ad præcavendam apoplexiam, ſummè commendamus: item *laudanum Caſareum*, vel *opiatum*: aliqui *rad. verbaſci* virginis collo appendunt. Chymici exhibent *arcanum Solis*, cum *ſpiritu ſalis gemmæ dulci*, *ſpiritum vitrioli* & *ſulphuris*. *Ol. ſuccini* commendat Croll. *f.* 195. *Elixir propriet. elixir Solis Quercet. ſyr. corall. perlar.* ſeu *gemmat. ſyr. ex violis, ſyr. helleboratus, ſyr. de peto Quercet. hydromel, oxymel pectorale*, ſeu *decoct. hyſſopi in hydromelite*, addito pauco *aceto*, *aqua caponis*, *decoctum galli veteris*, *ſal viperarum*, *extr. ligni S. dianthos*, *diapraſſium*, *diambra*, *diaolibanum*, *diamoſchu dulce*, *diasarion*, *pil. aloëphang. maſtichina*, *de ſuccino Cratonis*, *aurea*, *Arabica*, *cochia*, *de agar. rotula becchica alba & nigra*, *oxymel ſcilliticum*, præcipuè ad incidendum catarrhum craſſum, *ſyr. de papavere*, ubi incraſſandum, item *de liquiritiâ*, *de betonicâ*, *de hyſſopo*, *de ſtœchade*, *decoctum*, vel *lohoch ex ſulmone nigrorum* &c. omnia etiam poſſunt præſcribi.

Quær. 2. Utrum Sternutamenta in Catarrho ſint ſalubria? Reſp. Galen. 2. *prædict. comm.* 49. ait, Sternutamentum ſequi gravedines maximâ ex parte: &, cùm Sternutatio concutiat pectus, vitietque pulmones, igitur in deſtillatione non eſt ſalubris, quia facit, ut materia à capite ad pulmones magis decumbat; vel eſt ſignum inſalubre, oſtendens, per conſenſum etiam affici cerebrum. II.

Quær. 3. Utrum bene Artemides, Med. pro voce tremula laminam plumbeam pectori applicaverit? Reſp. cum Hipp. 5. *aphor.* 24. *Frigida, qualis eſt nix & glacies, pectori inimica, tuſſes movent, & deſtillationes*: ſed plumbea lamina eſt frigida: ergo pectori non eſt applicanda. III.

Qu. 4. Cùm vulgus horreat purgationes in Catarrhis: ergo male hîc, vel quare, adhibentur? Reſp. Nos hîc *mannata* præſcribere, quæ verè ſunt pectoralia & aërea medicamenta, quæque non vehementem faciunt humorum agitationem; fortiora in declinatione tantùm ordinamus. IV.

Qu. Utrum bene Mulierculæ, ſtatim in decubitu catarrhi ad pectus, Unguentis ſuccurrere nitantur? Reſp. Minimè. Nam taliter vias laxant, & catarrho viam faciunt, ut procliviùs ad pectus decumbat. Ungventa autem illa V.

illa tantùm conveniunt in declinatione, quando humores, qui jam ad pectus fluxerunt, attenuandi & expectorandi ſunt.

VI. *De Balneo artificiali Authoris.* Quær. 6. Cùm in *capite de Arthritide* fiat mentio Balnei cujuſdam artificialis ſulphurei, quod & in curâ rhevmatiſmi plurimum poteſt emolumenti afferre ; quænam ſit genuina ipſius deſcriptio ? Reſpon. Quamvis hactenus, ob innumerabiles feliciſſimos effectûs, hujus deſcriptionem in occulto ſervaverim : attamen proximi, & maximè pauperum, charitate commotus, hanc publico bono lubens communico : Reſp. *Sulphuris vivi apyri* (id eſt quod ignem expertum non eſt) *calcis vivæ*, ana ℔j. Fiat Pulvis, qui aliquot ebullitionibus, cum *aqua communis* menſuris circiter octo coquatur, deinde ab igne removeatur, ut ſubſideat, & refrigeſcat per noctem. Altero die fiat balneum plenum, ex aquâ, ſi fieri poteſt, fluviatili calidâ, ad cujus refrigerium decantetur lixivium, pridiè ex ſpeciebus extractum ; remanente in fundo ollæ pulvere : & ſic *Balneum* paratum eſt, in quo duabus circiter horis, ſervato balnei calore æquali, per reaffuſionem aquæ calidæ inſideat Æger. Poſt uſum balnei, ex ejuſdem aquâ tantum reaffundatur ad ollam, in qua ſubſidet ille pulvis, donec impleatur, ſervetúrque reliqua balnei aqua in cupâ bene tecta : altero die eadem aqua calefiat, & altera, in olla exiſtens, iterum ad refrigerium balnei affundatur per decantationem, remanente ſemper in fundo pulvere. Taliter procedendo, idem balneum quater uſurpari poteſt : deinde, ſi ulterius continuare opus fuerit, novæ balnei ſpécies in recenti aquâ bulliant, fiatq; balneum, ut antè. Si, integram balnei curam fieri, neceſſe ſit, viginti octo diebus, ſicuti in Thermis naturalibus fieri aſſolet, continuandum illud eſt, quo usque cutis effloreſcentiæ, per balneum procuratæ, totaliter evaneſcant. Eſt reverà balneum *αὐτόχειρον*, quod naturali ne latum quidem unguem cedit, omnibus nervorum & articulorum doloribus, matricis affectibus, paralyſi, calculo renum, & omnibus aliis affectibus, naturali balneo attributis, accommodatiſſimum : immò hanc prærogativam habet, quòd ejus vires augeri & diminui poſſunt, addendo plus, vel minus, de ſpeciebus ; quod naturali non convenit : & ſi tertio vel quarto die vires primi lixivii imminui videantur, novum ſemper in promptu decoctum eſſe poteſt, ut virium ſemper æqualitas ſervetur. Advertendum tamen, ne huic balneo impura corpora immergantur ; ſicuti & in naturalibus obſervatur.

Quær. 7. Cur in Auſtria tam frequentes ſint Catarrhi ? Reſp. Partim ob viſcerum intenſum calorem, humores, ſicut in macrocoſmo à Solis calore, attrahentem, ſuſpendentem, & attenuantem ; unde motus eorum ſurſum excitatur : quod patet ex paucitate urinarum, quæ tantò major plerunque eſſe ſolet, quantò vehementiores ſunt catarrhi : accedit, quòd vina avidè à viſceribus attracta, & diutius, quàm par eſt, retenta ea impensè calefaciant, unde debitus urinis ad renes decubitus negatur : hinc tam multi phthiſici, hydropici : &c. VII.

CAPUT XXXVIII.

De Raucedine.

C*Atarrhorum ſpecies* à Gerardo hiſce verſibus exprimuntur :

Dum fluit ad pectus, dicetur rheuma catarrhus ;
ad fauces branchos : *ad nares dico* coryzam.

Idem aſſerit Paulus, *lib. 9. cap. 28.* communis, ex omnibus vitiis excrementitiæ humiditatis, ex capite in ſubjectas partes deſcenſus, ſi in nares fluat, *Coryza* : ſi ad palatum, *Catarrhus* : ſi in guttur & aſperam arteriam, ita, ut membranam interiorem exaſperet, feratur, *Bronchus* dicitur : ſi fluxio in pectus decumbat, *Tuſſis* exoritur : de qua *cap. ſequent.*

Raucedo eſt loquela depravata, difficilis, & inæqualis, cum ſibilo, ob læſionem organorum vocis. *Cauſa* procatarcticæ, ſicut & aliarum deſtillationum, ſunt aër frigidus & humidus, aſperæ arteriæ inæqualitatem, & nervi *Raucedo.* *Ejus Cauſa Procatarctica.*

diſcra-

diſcraſiam, procurans, item mora ſub radiis Lunæ, ſeptentrionales venti, humiditatum expreſſores, item aër calidus, venti meridionales, caput replentes, & humiditates colliquantes, ſomnus longus, coitus nimius, & omnia ad caput evaporantia aromata, crapulæ, ira, clamor nimius, halitus lupi, lues Gallica, phthiſis, *potus glaciatus*, in ſummo calore, v. g. inter ſaltandum, vel in palæſtra, factus; item ulcera faucium, vel earundem nervorum reſectio, concuſſio, tumor, inflammatio &c. Cauſæ *conjunctæ* ſunt humores actu fluentes, qui ſæpe ſunt calidi, ſubtiles, interdum craſſi & frigidi: ita Gal. *in 3. aph. 5.* Aëtius, *ſerm. 8. cap. 53.*

Potus glaciatus ad phthiſin [illegible] ſunt.

Conjuncta.

Prognoſis.

Prognoſin quod attinet, Hip. *2. aph. 40.* inquit, raucedines, & gravedines, in valde ſenibus, concoctionem non admittere; quia frigiditas illa, ex ſenili ætate acquiſita, reprimi non poteſt: imò & in quibusdam juvenibus difficulter concoquuntur. Item raucedines, quæ fiunt ob reſectionem, vel corroſionem, ipſius nervi vocalis, ſive recurrentis, vel uvulæ, poſt antiquum morbum Gallicum (alsdann reden ſie als wie die Dieb im Roßſtall) vel etiam poſt phthiſin habituatam, ſunt incurabiles.

Cura.

Cura itaque ad cauſam dirigenda eſt: ſi intemperies frigida & humida ſit, hæc calefacientibus & ſiccantibus corrigenda; uti ſunt, præmiſſis expurgantibus, ſudorifera ex *decocto ligni ſancti, ſaſſafras, & ſalſaparillæ*; item *conſerva betonicæ, ſyrup. de eryſimo Lobelii*: quo ſolo aliqui à decennali raucedine liberati fuerunt. Fiunt etiam *Gargariſmi* ex *ſalvia, majorana, roremarino, betonica*, &c. in quorum decocto diſſolvitur *mel pyrethri*, & *antheſatum*, vel *ſyrupus de eryſimo Lobelii*, vel *de hyſſopo*: vel etiam herbæ cephalicæ imponuntur fiſtulæ, & earum fumus, ſicuti & *vernicis, ſandarachæ*, & *ladani*, inſtar tabaci attrahitur; unde partes exſiccantur. Poteſt etiam nucha, & ſub mento, inungi *Unguento nervino*, cum *oleo caſtorei*. Potus debet ſemper eſſe actu calidus; vitandus aër frigidus, & ejusdem multa inſpiratio; ova & cruda, & ſorbilia, ſæpius pota, claram vocem efficiunt. Si raucedo proveniat à cauſa calida, refrigerantibus eſt oppugnanda; ut ſunt *Gargariſmi* ex decocto *lentium, portulacæ, plantaginis*, & *melle roſato*.

Quæſtiones.

I. *Conditiones ad Gargariſmos requiſitæ.*

Quær. 1. Quænam ſint in *Gargariſmis* obſervanda? Reſpondeo cum Meſue: quatuor eſſe diligenter obſervanda: 1. ſi ſuſpicio ſit, catarrhum ad pectus & pulmones ruiturum, in pronis ad phthiſin, & aſthma, gargariſmi maximè ſunt ſuſpecti: 2. in genere ſubtilium, acutorum, & mordicantium, gargariſmi calidi ibidem ſunt ſuſpecti, quia acriorem reddunt fluxionem: 3. in præfocationibus, quæ citò fiunt, id eſt, in pronis ad ſuffocationes, gargariſmi ſæpe mactant: uti non ita pridem in puero Nobili contigit, cui cùm per ſyringam gargariſmus injiceretur, ille ſuffocatus fuit: 4. ſi catarrhus ſit copioſus, gargariſmus eſt periculoſus.

II.

Quær. 2. Utrum verum ſit, eos, qui gracilem habent vocem, plerumque impotentes eſſe? Reſp. id eſſe falſum: attamen, non ita bene membratos eſſe, certum eſt: caloris enim, omnia dilatantis, inopiam deſignat vox gracilis.

III. *Venæſectio in catarrho calido noxia.*

Quær. 3. Accidit hic non ita pridem, ut Muſicus quidam Cæſareus, poſtquam, ex præpoſtero Medici conſilio, in vehementi catarrho, venam ſecari ſibi juſſiſſet, omnimodam vocis jacturam fecerit. Unde hoc? Reſp. catarrhum fuiſſe frigidum, in corpore cacochymico, eumque hominem per venæſectionem adeò fuiſſe refrigeratum, ut exiguus nervorum vocalium calor à multitudine frigidorum fuerit extinctus: hinc bene attendendum eſt, ne idem in frigida, atque in calidâ fluxione factitemus.

IV.

Quær. 4. Cur contracti, & paralytici, ſunt rauci. Reſpond. cùm contractura, & paralyſis, ſit affectus nervorum, ſimul etiam compatiuntur nervi recurrentes: quod ex hoc apparet, quia, curatâ contracturâ, redit vox, ſine *ſarcocollæ* adhibitione; quæ aliàs raucedini plurimum confert.

Uſus Sarcocollæ in raucedine.

V.

Quær. 5. Quomodo poteſt cognoſci temperamentum pulmonis ex voce? R. cum Avicen. *lib. 3. fen. 10. tract. 1. cap. 8.* vocem gravem ſignificare caliditatem pulmonis; acutam frigiditatem; raucam

cam humiditatem; aſperam ſiccitatem: cui, ſecundum eundem Avicennam, *ſquilla* opitulatur.

Caput XI.

De Plevritide.

Plevritis. Affectus Pectoris, & laterum ejus, notiſſimus eſt *Plevritis*, ſeu inflammatio plevræ, id eſt, membranæ coſtas ſuccingentis, vel muſculorum intercoſtalium, cum dolore pungitivo, febre &c. ita Gal. *5. de locis affectis, c. 3.* Omnem plevritidem eſſe febris effectum, uti vult Thomas de Willis, *c. 11. de febrib.* minimè concedimus. *Diviſio plevritidis.* Plevritis dividitur in legitimam, & notham, ſeu ſpuriam. *Legitima.* *Legitima* eſt, quæ fit à ſangvine: *Notha.* *Notha*, quæ à pituita, flatibus &c. *Cauſa procatarctica.* *Cauſæ procatarcticæ* ſunt omnia illa, quæ ſangvinem augere, & fluxionem cauſare poſſunt: v. g. cibus copioſus & polytrophus, vinum copioſum, aromata, æſtus, auſtrina cæli conſtitutio, balneum, ira, dolor, frigus, & aquilo, cutim denſans, & humores impingens; item potus aquæ frigidæ, poſt vehementem corporis incaleſcentiam: unde circulationi ſangvinis filum rumpitur, & ſangvis ſtagnans corrumpi incipit. *Continens.* Cauſa *continens* eſt ſangvis, qui per venam ἄζυγον, aut intercoſtalem, vel thoracicam, influit in plevram, vel in muſculos meſoplevrios, id eſt, intercoſtales, vel in utramque ſedem, illicque putreſcens, phlegmonem excitat. Is verò ſanguis ſæpe tenuis eſt, & bilioſus, nonnunquam pituitoſus, raro melancholicus; qui motu tardior eſt, vixque à tam denſo corpore admittitur: proinde tot ſunt plevritidis, quot ſunt phlegmones, differentiæ, pro varietate humoris fluentis. *Antecedentes.* Cauſæ *antecedentes* duæ ſunt: humor, qui copiâ, vel qualitate, peccat; & inſita, vel adſcititia, propter morbum aliquem, ictum, dolorem &c. lateris infirmitas: *Pars debilis ſæpe morbi ſedes.* pars enim debilis fit præ reliquis morbi ſedes; uti ex *4. aph. 33.* videre eſt. *Notha quotuplex.* *Notha* plevritis dicitur *dupliciter*: ex ſitu, dum muſculos occupat externos; & ex materia, quæ naſcitur ab humore frigido & pituitoſo, à capite, per cervicem, in ſcapulas, & lateris muſculos, vel priores, vel poſteriores, defluente: uti docet Hippocr. *lib. de locis in homine.*

Signa diagnoſtica. *Signa diagnoſtica* exhibent dolor punctorius lateris vel unius, vel utriusque, vel totius pectoris: qui, ſi ſit lancinativus, eſt in muſculo; ſi ſolùm pungitivus, in membranâ: quòd ſi Æger in partem dolentem decumbere non poſſit, dolor eſt in perioſtio: ſi digitorum preſſu dolor exacerbetur, ſignum eſt, quòd ſit magis externus: quòd ſi plevra ſit læſa, decubitus ſuper latus dolens eſt minùs dolorificus: contrà ſi, per decubitum in latere oppoſito, plevra extenditur, & majorem efficit dolorem. Signa læſi mediaſtini ſunt, quando dolor eſt in medio pectore, usque ad infimam thoracis partem, cum parte dorſali correſpondens: diaphragmate affecto, dolor inſpiratione creſcit. Galen. *15. de conſtit. art. cap. 10.* ſigna breviter perſtringit; quòd nempe ſit dolor pungitivus, reſpiratio difficilis, pulſus ſerratus & durus, febris continua, tuſſis; & quòd, ſi ſputum eſt rubeum, fit à ſangvine; ſi flavum, à bile; ſi albicans, à pituita: quæ tamen ſigna quandoque fallunt; præcipuè ſi adſit catarrhus, qui bilem ſæpe diluit.

Indicationes. *Indicationes* deſumuntur vel ab ipſo morbo, qui eſt inflammatio, ſeu intemperies, cum tumore; & ſic indicantur refrigerantia & imminuentia: vel à cauſa morbi, quæ eſt ſanguis, cui motus alius, per revellentia & derivantia, conciliandus, ac ille demum evacuandus eſt: vel à viribus, quæ ſunt per ſimilia conſervandæ: vel à ſymptomate, ſcilicet à dolore, qui rationem cauſæ induit; & indicantur mitigantia dolorem; dum nempe vel tollitur judicium ſenſationis, & aliò avertitur, vel organum recipiens anodynis, digerentibus, & ſuppurantibus curatur.

Prognoſis. *Prognoſis* deſumitur ex ſymptomatum remiſſione, aut vehementiâ bonâ, vel malâ. Quò enim dolor, febris, & ſpirandi difficultas, eſt minor, eò ſemper affectus eſt ſecurior: ſi verò nihil excernatur, ſpirandi difficultas ſit maxima, febris intenſiſſima, pulſus parvus, frequens, ſerratus, & valde durus; mors prænunciatur; teſte Galen. *4. præſagitionum*

gitionum ex pulſibus. Ante omnia hic expuitio conſideranda eſt, quæ, ſi intra tertium diem appareat, nec diſpareat, brevem morbum ſignificat. Si ſputum ſit valde ſanguineum ac rotundum, malum : lentor enim fit à calore ſummo, concoquente & ſiccante : quod ſi ſputum ſit viride, aut nigrum, peſſimum eſt. Hippoc. *5. aph. 8.* ait : *Quicunq́, morbo laterali laborantes, in 14. diebus non ſuppurantur, empyici fiunt.* Item plevritis in ſenibus, & gravidis, eſt perniciosa : quòd ſi diarrhœa ſupervenerit, malum : ſignum enim eſt, hepar, & ventriculum, ob inflammationis vehementiam, in conſenſum trahi, & facultatem retentricem aboleri ; túmq; plerumque excernuntur nigra & aduſta : & hinc eſt, quòd Mulierculæ noſtræ putant, hepar & pulmones excerni : unde extat illud dicterium Germanicum : Es geht ihm ſchon Lunge und Leber durch / es iſt aus. Vomitus bilioſus, ſub initium, à natura commodè inſtituitur : ad quem imitandum Galli *vinum emeticum* propinant : quòd ſi plevritidi ſuperveniat peripnevmonia, malum eſt : nam pejus ſemper eſt, à parte ignobili ad nobiliorem, quàm è contra, materiam transferri. Plevritis, quæ diuturno morbo ſupervenit, periculoſa eſt. Quibus in plevritide ſtrepitus ex ſputo plurimus, vultus demiſſus, oculusque ictericus, vel vitreus, his mors in propinquo eſt ; teſte Hippoc. *in Coacis.* Si lingva ſit circa initia bile tincta, circa ſeptimum diem fit criſis.

Curatio. Ad hunc affectum debellandum humor fluens revellendus & derivandus; qui verò fluxit, diſcutiendus, & pars, quæ remanet, concoquenda, maturanda, & expectoranda eſt ; alterationi febrili ſubveniendum, vires roborandæ. Fient autem iſta hac methodo : Factâ, per fomentum ex *decocto panis triticei*, in *lacte* facto, cum *oleo chamomelino* & *anethino*, *Curâ tentativâ*, ſecundùm Hippoc. *2. de vict. rat.* unde, ſi malum ſit à flatibus, deſinet ; ſin minùs, augebitur, & ſtatim ceſſandum eſt ; *Venæſectio.* injiciatur illicò clyſter emolliens; dein ſangvis ex baſilicâ ejuſdem lateris detrahatur : quæ phlebotomia, horis aliquot interpoſitis, tamdiu iterânda eſt, donec omnia remiſerint ſymptomata : & quamvis morbus jam ad ſeptimum, vel nonum diem pervenerit, ſecanda tamen eſt vena ; teſte Hippoc. *3. epidem.* Neque hîc adſtipulandum eſt illis, qui præpoſterè Hipp. *epidem. ſect. 3.* dum venæſectionem prohibet, ubi expuitur ſanguis, ſequuntur, & in omni plevritide venæſectionem diſſvadent. *Quomodo Hipp. v. ſ. in plevritide non admittat.* Nam intelligendus eſt de iis, quibus mitis eſt inflammatio, & quibus per ſolam ſangvinis expuitionem manifeſta ſit ſymptomatum remiſſio : deinde licet Hippoc. *de vict. rat. in acut.* in plevritide, verſus diaphragma deſcendente, purgationem; in aſcendente verò ad ſcapulas, venæſectionem admittat : tamen etiam in deſcendente, ubi magni ſunt dolores, venæſectio inſtitui debet potiùs, quàm purgatio, ne, ubi febris urget, calore medicamenti purgantis augeatur. *In qua parte ſecanda ſit vena.* Quod ad *ordinem* venæſectionis attinet (de quo magna ſemper inter Authores lis fuit) videndum eſt, utrum major ſit neceſſitas ſanguinis, qui fluxit, an ejus, qui fluxurus eſt. Si adhuc tantus non ſit dolor, in corpore, pleno major eſt neceſſitas fluxuri, quàm ejus, qui fluxit : ideoq́ue, cum Avicennâ, primò ſaphena, deinde vena brachii oppoſiti, poſtea vena brachii in latere affecto, ſecanda eſt : id eſt : ubi eſt neceſſitas ejus, qui fluxit, in parte proxima, & directa ; ubi verò eſt neceſſitas fluxuri, in parte oppoſita ſecanda eſt vena. Zacutus *Hirudines* in ipſa parte affecta applicat, *Hirudines.* ut immediata fiat evacuatio : quod tamen tentandum non eſt, niſi factis priùs revulſionibus, ne materia attrahatur ad partem affectam. Neque ſeries hæc evacuationum continuò ſervanda eſt ; quia unica quandoque evacuatio malo adimendo ſufficit ; quod patet ex totali ſymptomatum remiſſione. Quòd ſi nec ætas, nec vires, phlebotomiam patiantur, vel hirudines, vel *Cucurbitulæ*, brachiis & cruribus, non *Cucurbitulæ.* dorſo, aliàs fieret attractio ad partem affectam, ſunt applicandæ. Nota : ubi magnus urget dolor, malú in augmento eſt, majorq́ue eſt ejus, qui fluxit, quàm fluxuri, neceſſitas ; adeóque vena ejuſdem lateris quantocyus eſt ſe-

canda,

canda; uti dictum. Deinde *Omentis* agendum eſt: ut:

Epithema. ℞. *Omentum caſtrati ſuis*, vel *vituli*, *calidum*, &c, *oleo amygdalarum dulcium calido* irroratum, loco dolenti applica. Vel

Inunctio. pars ungatur *unguento de althæa*, & *cumini pulvis* ſuperaſpergatur, poſtea *folium caulis* ſuperponatur. Vel *gallina viva*, per medium ſecta, *pulvere radicis ireos* conſperſa, calidè admoveatur. Vel tale fiat *Fomentum*:

Fomentum. ℞. *Herb. alth. cum toto,*
malvæ,
ſummitatum anethi,
flor. chamomillæ, ana mj.

F. Decoct. in ſ. q. *lactis*, cui intingantur ſpongiæ, vel lintea, & tepidè applicentur. Vel omnia hæc veſicæ ſuillæ includantur, & eodem modo, ſæpius calefacta in *aquâ calidâ*, ſuperponantur. Si dolor ſit valde internus, fomenta vel parum, vel nihil, juvabunt, adeóque ad medicamenta interna confugiendum eſt: ut:

Internus Liquor. ℞. *Olei lini Polonici deſtillati*, vel *amygd. dulc. recenter extracti*, ℥ij.
decoct. hord. ℥vj. M. propinetur bis in die. Vel

Emulſio. ℞. *Sem. melon. excortic.* ʒvj.
papav. alb. ʒij.
amygdal. dulc. excorticatar. ℥ij.

Contunde in mortario, ſenſim affundendo *decoct. hord.* ℔j. F. l. a. Emulſio; in qua diſſolve

ſacchari candi alb. ℥ij.
magiſt. dentis apri,
oculor. cancri, ana ʒj.

De hac, bene priùs agitatâ, vitrum unum aliquando propinari poterit. Vel, loco ejus,

Julepium. ℞. *Aq. endiv.*
taraxacon. ana ℔ß.
ſyr. flor. papav. errat.
granat. dulc. ana ℥ij.
ſpirit. ſulphuris ℈j. M. F. Julap.

Vel conficiatur *Apozema* ſequens:

Decoctum. ℞. *Herb. endiv.*
intybi,
taraxacon.
pulmonariæ Gallicæ,
tuſſilag. ana mß.
flor. violar.
borrag.
papav. errat.
roſar. rubear. ana pj.
jujubar.
ſebeſten,
paſſular major. & minor. ana ʒß.
radic. liquirit. ʒiij. F. Decoct. ad ℔j.

In colaturâ diſſolve

ſyrup. flor. papav. errat.
de jujub. ana ℥ij.
ſpirit. ſulphuris ℈j. F. Apozema: propinetur ℥iv. bis de die: manè ſcilicet, horâ ſeptimâ, & veſperi, horâ quartâ. Cum hoc apozemate ſequens *Pulvis* appropriatus exhiberi poterit:

Pulvis ſpecificus. ℞. *Magiſt. dentis apri,*
oculor. cancri, ana ʒß.
flor. nitri,
ſulphur.
ſem. cardui Mariæ, ana gr. v. M. F. Pulv. dividatur in duas partes. Vel, horum loco, tale *Eclegma* ex uſu eſſe poterit:

Linctus. ℞. *Conſerv. flor. malv.*
papav. errat. ana ℥ß.
pulv. magiſt. dentis apri ʒj.
ſyrup. de liquirit.
capillor. Veneris,
de althæa Fernel. an. ℥iß. M.

F. Eclegma; de quo ſingulis horis unum cochlear porrigi debet. Helmont præſcribit *pulv. de virgâ cervi*, vel *tauri*, vel *bellidis hortenſis*, vel *cichorii ſylveſtris ſuccum*, vel *ſanguinem hirci ſylveſtris præparatum*; *fuliginem camini*, *ſtercus gallinaceum album* &c. Alii *pomum* excavant, & ʒj. *thuris maſculi* imponunt, coctumque exhibent, &, ſuperdando *aquæ cardui benedicti* ℥iv. ſudorem provocant. Nos feliciter exhibemus *Pulv. Minſichtii ad Pleuritidem*, qui recipit *flores papav. errat.* Quòd ſi morbus ad declinationem pervenerit, cauſa ejuſdem, jam præparata & cocta, per medicamentum leniens pectorale educenda eſt: ut:

Lenitivum. ℞. *Mann. elect.* ℥ij.
cremor. tartar. ʒß.
rhabarb. elect. ʒj.

His affunde *aquæ taraxac. bullient.* ℥iv. Stent per noctem: manè in expreſſione diſſolve

magiſt. tartari purgant. ℈j.
olei amygdal. dulc. ℥ß. M. F. Potio; quæ in pleuritide deſcendente, etiam ab initio, exhiberi poteſt: quia plus poteſt materia morbifica ad indicandum, quàm

quàm febris, vel materiæ cruditas, ad prohibendum. Et licet materia nec turgeat, nec ſit concocta: ſufficit tamen, quòd fomentis non cedat, & quòd natura per inferiora inclinationem oſtendat: quò enim natura vergit, eò ſemper eſt ducenda. Practici

De Clyſteribus. Viennenſes *Clyſteribus* contenti ſunt frequentibus, atque à medicamentis abſtinent, ne diarrhœa, in hoc morbo aliàs fatalis, concilietur: quod ſi fieret, ei *ſyrupo myrtino* protinus occurrendum foret, cum *coralliis præparatis*, & *ſpodio de ebore* &c. Quòd ſi materia, quæ jam fluxit, ſit valde impacta, incidi, & ad expectorationem præparari debet per *oxymel ſcylliticum*, vel *oxyſaccharum ſimplex*, item *ſyrup. de jujub.* & *liquiritiæ*. Vel applicentur ſpongiæ in *aquâ calidâ*, vel *decocto rad. althææ, flor. chamomillæ, ſem. fœnigr.* &c. immerſæ.

Victus ratio. *Diæta* toto morbi tempore virium robori conſervando apta, tenuis tamen, præſcribenda eſt. Victus ergo, in biliosa plevritide, magis refrigerans eſſe debet, quàm in pituitoſa: & quò materia eſt copioſior, eò ſemper minus

Cibus. *cibi* exhibendum eſt. Sint itaque ſorbitiones ex ſucco hordei colato, juſcula, decocta paſſularum, panatellæ, contuſa ex amygdalis & pineis; item pulpæ pomorum redolentium, prunorum,

Potus. rob paſſularum &c. *Potus* ſit *decoctum liquiritiæ*, & *ſiliquarum*: vinum prohibetur in magna inflammatione; uti & hydromel, quod aromatibus ſcatet; item cerevisia multùm lupulata. Talis diæta usque ad nonum diem ſervanda

Aër. eſt, nec abſque ratione mutanda. *Aër* debet eſſe valde temperatus, ad frigidum tamen vergens, ratione febris; ſitque talis vel arte, vel naturâ. *So-*

Somnus. *mnus* ſit moderatus: à narcoticis abſtinendum, quæ caloris febrilis, & putridarum fuliginum, expirationem prohibent, & materiam, quæ jam fluxit, magis impingunt: hinc, dum nimiæ urgent vigiliæ, ſufficit, vel balneum pedum, vel manuum, ex *decocto ſummitatum anethi, folior. lactucæ, vitis, ſalicis* &c. & *capitibus papaveris*: vel inunctio temporum ex *unguento alabaſtrino, populeone, refrigerante Galeni, oleo nuciſta expreſſo, nymphæa* &c. Vitentur violenti *animi motus*, ut ſunt ira, triſtitia &c. *Affectus.*

Objicies 1. Phlebotomia, in hiſce toties repetita, eſt contra Avicenn. *10. 3. cap. de pleuritide*, dum ait: cumque phlebotomas, & evacuas, & non ſedantur accidentia, tunc ſcias, quòd prohibitio collectionis, quam quæris, difficilis eſt: non igitur reiteres phlebotomiam, ne congeletur materia, quæ habitura eſt collectionem: & poſt hæc diſpoſitio debilitatis virtutis non eſt, quæ tollere poſſit phlebotomiam, ſed opus tunc clyſteribus: hiſce videtur Avicen. prohibere iteratam phlebotomiam. Reſp. hic Avicennam non prohibere iteratas phlebotomias, ſed præcipere, ut poſt easdem, iteratas in vanum, phlebotomias, ab iis abſtineatur; ad præcavendam virium reſolutionem. Prudentis autem erit Medici, evacuationes cum virium tolerantia ita commenſurare, ne hæ omnino reſolvantur. *Objectiones.* 1.

Objic. 2. Avicen. *10. 3. cap. 1.* ait: in ſolutivo timor magnus: ergo non hic bene medicamenta purgantia adminiſtrantur. Reſp. in pleuritide aſcendente, concedo; in deſcendente, nego: vel id intelligendum eſt de fortibus, vel ſtypticis, ut ſunt *myrobalani, rhabarbarum*, &c. non verò de lenitivis; uti ſunt *mannata* &c. 2.

Objic. 3. Hippoc. *6. aph. 16.* ait: *à morbo laterali, vel pulmonia habito alvi profluvium, malum*: ergo & cathartica erunt mala. Reſpond. fluxus à natura non regulatus eſt malus; concedo: à virtute regulante; nego: imò Hippoc. *lib. de aëre aquis & loc.* ait, quòd, qui habent ventrem naturâ humidum, minimè morbo laterali, atq; aliis morborum generibus, corripiantur. 3.

Objic. 4. Galen. *comment. 12. in 1. aph.* dicit: febrim, cum ſpirandi difficultate, tuſſi, & dolore lateris pungente, eſſe ſigna plevritidis ſignificativa; cùm tamen detur plevritis, in qua non eſt febris. Reſp. datur plevritis ſine febre notha; concedo; legitima; nego: de hac autem ultima intelligendus eſt Galenus. 4.

Objic. 5. Authores fomenta à principio aliquando improbant; aliquando 5.

verò

verò probant: ergo malè. Reſpond. cum Hippoc. *de vict. rat. c. 9.* ſi fomentis dolor non placetur, non diutiùs calefacito: nam pulmones ad ſuppurationem excitat: ſi verò malum fuerit à flatibus, vel etiam à materia frigida, fomentum optimè celebratur: ſecùs, ſi à materia calida; tunc enim exaſperatur malum.

6. Objic. 6. Meſues, referente Gordonio, repercutientibus utitur; quorum tamen mentionem facimus nullam. Reſpondeo cum Galen. *2. m. cap. 17.* parciùs ad pectus adſtringendum, id eſt, repercutiendum eſſe, eò, quòd humores ad cor & pulmones reprimantur.

Quæſtiones. I. Quær. 1. Utra plevritis ſit periculoſior: ſiniſtra; an dextra? Reſpond. cum Conciliatore, *cap. 100.* dextri lateris plevritidem eſſe ſiniſtrâ deteriorem, reſpectu ſitûs materiæ: item quia ſæviora fiunt ſymptomata: item ob majorem venæ *ἀζύγου*, in dextrâ parte, divaricationem; unde etiam copioſior materia communicatur, & inflammatio major excitatur.

II. Quær. 2. Utrum omnis plevritis ſit febris effectus; ut ait Thomas de Willis, *de febrib. cap. 11.* Reſpondeo negativè: imò contrarium in plevritide evenit: nam præcedit repletio, dolor, & inflammatio; & ultimò febris oritur.

7. Obj. 7. In inflammatione muſculorum, coſtis ſupertenſorum, utpote pectoralis, ſerrati majoris & minoris, latiſſimi dorſi &c. adeſt dolor lateris pungitivus cum febre: & tamen non eſt plevritis. Reſpondeo: nos dixiſſe, plevritidem eſſe inflammationē membranæ coſtas ſuccingentis, non muſculorum pectoris, qui externum manifeſtant dolorem, recipiuntque materiam per thoracicas venas, quæ fomentis diſcutitur ab Hippocrate: plevra verò inflammata ab iiſdem exacerbatur.

8. Objic. 8. Hippoc. videtur incipere venæſectionem à baſilica: ergo, cum Avicenna, à pede malè eam incipimus. Reſpondeo 1. nos diſtinctionem feciſſe de materiâ fluxura, & illâ, quæ jam fluxit. 2. Nos doctrinæ Hippocratis & Galeni non eſſe contrarios; cùm enim vena baſilica ſit in rectitudine fibrarum; ſecundò continuetur cum ramo axillari, qui producit thoracicam, junctam per externas partes thoracis azigos; eam commodè ſecari poſſe exiſtimamus.

Quær. 3. Unde pulmones tam crebrò adhærent coſtis? Reſpondeo: vel fieri id tempore plevritidis, à glutinoſo humore, ex plevra eructato: vel ob exiguum pulmonis motum, qui ſine dolore fieri non poteſt; adeoque facilius adhæret: deinde eò, quòd vix ſit plevritis ſine peripnevmonia; uti teſtatur Riolanus, in *Enchiridio ſuo Anatomico.* 10.

Qu. 4. Ex quonam latere ſit mittendus ſangvis in plevrit. Reſp. cum Cardano, *in meth. med.* dum morbus lateralis in initio eſt, ſi parum ſanguinis detrahendum ſit, adverſâ parte fieri poteſt; ob id Arabes oppoſitam lateris dolentis prætulerunt: quòd ſi multus ſanguis ſit detrahendus, ex eodem latere fiat: hæc phlebotomia utilior illâ, ſed rarò ſecurior: verſamur enim in locis, ubi corpora valde ſunt plethorica: hinc, ex eodem latere ſanguinem mittendo, optatum ſemper finem conſecuti ſumus. 11.

Caput XLI.

De Peripnevmonia, ſeu Inflammatione Pulmonum.

Peripnevmonia eſt inflammatio, ſeu tumor calidus, pulmonum, proveniens à ſanguine in genere: hinc eſt duplex morbus: nam quatenus eſt tumor, eſt morbus in auctâ magnitudine: quatenus verò eſt calidus, eſt morbus in intemperie. Peripnevmonia.

Subjectum eſt pulmo: *Cauſa* ſanguis, ut plurimùm pituitoſus, rarò bilioſus, qui, ob pulmonum raritatem, facilè evaneſcit; pituitoſus verò, ob craſſitiem & viſciditatem, magis adhæret. Subjectum. Cauſa.

Differentiæ ſunt, quòd peripnevmonia ſit vel totius pulmonis, vel partis tantùm: quòd fiat à ſangvine, peccante vel ſubſtantiâ, vel quantitate, vel qualitate, vel omnibus ſimul: à ſanguine puro, vel impuro, transmiſſo, vel attracto, vel à parte, vel à toto, vel ab Differentiæ.

anginâ,

anginâ, vel à pleuritide, vel ab aſthmate, phthiſi &c.

Signa diagnoſtica. *Signa* ſunt, quòd reſpiratio fit difficilior, quàm in pleuritide, ægrique erecti ſpirare opus habeant: item quòd dolor ſit gravativus, non punctorius, nec tantus, febris aſſidua, & ſicca tuſſis, moleſtior quàm in pleuritide, quia primariò afficitur pulmo, color maxillarum mutatus, naſus ſimus, pulſus mollis, inæqualis, & vitioſus omnino, facies rubicunda eſt, ob ſanguinis evaporationem, ſputum bilioſum, ſpumoſum, quandoque cruentum, lingua ſicca, arida, vel aduſta.

Indicationes. *Indicationes* cum pleuritidis indicationibus conveniunt; excepto vitalis indicationis ſubjecto, nempe pulmone, qui corroborandus eſt.

Prognoſis. Mala eſt in hoc affectu *Prognoſis*: nam ſi accidat naturæ debili, malum eſt omnino lethale; quia virtus citò concidit, ob cordis viciniam. Si tamen ſit à pituita, minùs eſt periculoſa, quàm ea, quæ fit à bile aduſta; quæ vehementiſſima excitat ſymptomata. Si pleuritidi peripneumonia ſuccedat, pejor. Urinæ circa initia craſſæ, dein ad quartum diem tenues redditæ, ſunt lethales: Hippoc. *in Coacis.* ſine ſputo periculoſiſſima eſt.

Cura. Venæſectio: &c. *Curatio* planè cum pleuritidis curatione coincidit. Vena itaque brachii, injecto clyſtere, quamprimùm aperienda eſt, & toties repetenda, donec ſymptomatum fiat palpabilis remiſſio: attendendum tamen eſt ad ſucceſſionem ab alio morbo. Pro revulſione conferunt cucurbitulæ, veſicatoria, hæmorrhoidum, venarum ſublingvalium, & ſaphenæ apertio. Medicamenta ex fonte Pharmacevtico hîc eadem ferè ſunt, ac in plevritide. *Vitanda* eſt *Purgatio*, præcipuè ab initio morbi, ob rationes ſuperiùs traditas. *Becchica* itaq; ſunt omnibus medicamentis permiſcenda: qualia ſunt: *tuſſilago*, *pulmo vulpis*, *pulmonaria*, *emulſiones*, *julapia*, *ex ſyrupo flor. papav. erratici*, *de jujubis*, *oxymelite*, *ſyrupo de glycyrrhiza*, *violaceo*, *mucilagine ſemin. cydoniorum*, *pſyllii &c.* eclegmata, uti ſunt *loch de pulmone vulpis*, *de pino* &c. *vinum granatorum* etiam in hac re prodeſt. Pectus *illinatur* ſequenti:

℞. *Olei violac.* *Unguentum.*

nymph. ana ℥iß.

mucilag. ſem. lin. aq. roſar. extract. ℥j. *Fomenta.*

trochiſcor. de camphora ℨj. M. F. Linimentum, ante & retrò ad dorſum adminiſtrandum. Hîc adminiſtrari quoque poterunt veſicæ *oleo*, vel *aquâ calidâ* impletæ, fomenta &c. clyſteres, ex *hordeo*, & emollientibus facti, frequenter injiciendi ſunt. *Clyſteres.*

Dieta. *Victus* ſit tenuiſſimus: potus *decoctum hordei*, & *liquiritiæ*: aer ad frigidum vergens, & venter ſemper reſpondeat.

Objic. 1. Meſues, *cap. de peripneumoniâ*, oculatus Author, dicit, veram peripneumoniam fieri ex pituita, & eſſe minùs mortalem: ergo falſum eſt, quòd ſit notha, uti dictum eſt. Reſp. cum Conciliatore, *different. 100.* id eſſe falſum, vel Meſuem intelligendum eſſe de peripnevmonia à ſanguine dilutiori, & minùs bilioſo factam. *Objectiones. 1.*

Objic. 2. Avicen. *10. 3. cap. 10.* ait, peripnevmomiam fieri à ſanguine & pituita, quoniam in raro membro non continetur humor ſubtilis: ergo non videtur fieri à bile. Reſp. non fieri à bile ſyncera; ſic enim eſſet eryſipelas; concedo: à mixta; nego: rarò tamen fieri à bile flava; ab atra rariſſimè, non inficiamur. 2.

Objic. 3. Peripnevmonia fit abſque dolore, ob paucitatem nervorum, in pulmonum ſubſtantiam inſertorum: ergo malè fit doloris mentio. Reſp. ſi ſoli pulmones afficiantur, concedo: ſi pelliculæ ipſius thoracis ſimul afficiantur, nego: quin imò in peripnevmonia eſt profundus dolor, ab imo pectore ad ſpinam uſque protenſus. 3.

Quær. 1. Cur, affectis pulmonibus, rubeſcant genæ & facies: naſus fiat ſimus? Reſp. ob magnam pulmonum & faciei ſympathiam: hinc ex rubore faciei, in phthiſicis, partem dextram, vel ſiniſtram, pulmonum affectam eſſe, indicatur. Ob eandem cauſam Naſus fit ſimus: contractis ſcilicet, ab inflammatione, membranis, inflantur oculi, & venæ temporales. De his vide Avicen. Arculanum, Marcum Gatinariam, & Savonarolam. *Quæſtio. 1.*

II. Quær. 2. Utrum Narcotica hîc non conferant? Reſpond. negativè, cum Avicen. *10. fen. 3. cap. 2.* quia ſputum & maturationem impediunt; ſicuti in febribus malignis malignitatem expirare prohibent, & lupum in ſtabulo includunt.

III. Quær. 3. Cur peripnevmonia fiat à plevritide; & non è contra? Reſpond. quia, ſi mitis fuerit inflammatio, omnis humor noxius per ſputum expurgatur: ſi verò ſit pernicioſa, antequam coſtæ patiantur, ſtrangulat.

IV. Quær. 4. Quomodo venæ communis ſectio confert in peripnevmonia; cùm nullam habeat communionē cum venis pulmonis? Reſp. licet Gal. id contra Eraſiſtratū diſputaverit, per nunctamen approbatam ſanguinis circulationem optimè poſſe defendi: nam ſanguis à dextro cordis ventriculo, per anaſtomoſin, ad ſiniſtrum, & venam cavam, circulatur.

CAPUT XLII.
De Empyemate.

Empyema quid. EX plevritide, peripnevmonia, aut angina, oritur affectus quidam, *Empyema* dictus, ſeu *Vomica:* quando nempe thorax purulentâ materiâ impletur, ut Galen. *2. m. m. cap. 8.* refert, eſtque oppletio quædam, ſeu conſtipatio pectoris, à materia purulentâ, exiſtente intra ipſius cavitatem. Neque materia aquoſa facit empyema; ſed hydropem pectoris.

Ejus Cauſa: Itaque *Cauſa* empyematis eſt materia purulenta contenta toto genere p. n. quæ non tantùm poſt abſceſſum in thoracem defertur, ſed in eo etiam generatur, à materia illùc à capite translatâ; uti teſtatur Hipp. *7. aph. 38.* Eſt autem pus illegitimum, & ſpurium, à materiâ pituitoſâ, à capite deſtillante, & pulmonū quaſi lemis conjunctâ, ortum.

Differentia: Empyematis *differentiæ* ſunt: quòd alia ſit conſtipatio major; alia minor: alia in dextra thoracis parte; alia in ſiniſtra. *Signa.* Signa empyematis deſumuntur ex ſenſu gravitatis, in profundo thoracis affecti: ſecundò ex fluctuatione: tertiò ex difficili reſpiratione, cum fætore: quartò ex tuſſi primò ſicca, dein cum rejectione materiæ purulentæ: quintò ex macie, quam excipit febris partim hectica, partim putrida, ob vapores putredinis calidos, cor impetentes, & illi intemperiem vel diſpoſitivam, vel habitualem, communicantes. Major aut minor puris quantitas cognoſcitur ex vehementiâ ſymptomatum. Quòd pus ſit in parte dextrâ, Æger in eâdem parte commodiùs decumbet; è contra, ſi in ſiniſtra. Deinde, ſi velis explorare, in quanam parte thoracis empyema reperiatur, toti thoraci madidū applica linteum, & citiùs in parte affecta exſiccabitur, quàm in altera; quia ortus calor à materia putrida citiùs exſiccat. Si pus ſit legitimum, indicium erit, empyema à plevritide, angina, aut peripnevmonia, ortum eſſe: ſi illegitimum, à deſtillatione.

Indicatio-nes. *Indicationes* præcipuæ deſumuntur hîc ab ipſa mali cauſa, nempe à materia, in cavitate thoracis contenta; quæ, cùm ſit toto genere p. n. indicat ſui eradicationem: ſi nimium ſit acris, temperanda; ſi calida, refrigeranda; nimiū viſcida, abſtergenda & attenuanda.

Prognoſis. *Prognoſis* eſt, quòd, niſi materia intra quadrageſimum diem evacuetur, Ægri moriuntur, vel morbus in tabem degenerat: Hipp. *5. aph. 15.* Gal. *4. de loc. affect. cap. 7.* Empyici, quibus, ob magnam puris copiam, totus thorax in reſpiratione attollitur, celerrimè ſuffocantur. Deinde ſi empyema utrumque thoracis latus occupet, malum; pejusque ſemper eſt, ſiniſtrum quàm dextrum latus occupari. *Quòd ſi pus per alvum, ſputum, & urinam, expurgetur, bonum: ſi verò fætens & faculentum, malum: 7. aph. 44. Empyici meliùs habentes, ſi pus fœtidum expuere incipiunt, recidivâ moriuntur:* Hip. *in Coäcis.* Quibus ſpeculum à pure, velut ab igne, coloratur, mortale eſt. Quòd ſi, poſt apoſtematis ruptionem, febris & ſitis remittant, appetitus redeat, bonum eſt: contrà malum.

Cura. Venæſectio. In *Cura* Empyematis *venæſectio* non convenit, ob virium debilitatem, niſi apoſtema crudum ruptum fuerit, vel niſi ſit à deſtillatione per ſanguinis copiam fomentata. Quòd ſi pus, naturæ beneficio, intra 30. vel 40. dies non evacuatur, Galenus, *comment. in aphor. 27. ſect. 6.* thoracis uſtionem,

ſeu apertionem intra coſtas legitimas, quartam ſcilicet, vel quintam, remotè à ſpinali medulla, & extremitate coſtarum, ſvadet; ita tamen, ut unâ vice tota puris quantitas non evacuetur: aliàs Ægri quamprimùm moriuntur. Antequam tamen ad extrema hæc deveniatur, materia in thorace contenta ad ſuppurationem celerem, tum extrinſecis, tum intrinſecis, juvanda; ſæpiúſque applicatis *Clyſteribus*, ſequenti remedio utendum eſt:

Clyſteres.

Cataplaſma. ℞. *Ficuum* num. XII.
rad. alth.
lilior. albor. ana ℥iß.
flor. chamom.
melilot. ana p. j.
farinæ ſemin. lini,
fænigr. ana ℥iß.

Cum ſ. q. *lactis caprini* coquantur ad conſiſtentiam Cataplaſmatis; cui adde
butyri recent.
terebinth. ana ℥j.

Interna. Applicetur tepidè lateri affecto. *Intus* exhiberi poterit *ſyrup. de alth. Fernel. de tuſſilag. capill. Veneris*; vel etiam *terebinthina, aquâ hordei lota*, cum *pulvere liquiritiæ*: plurimùm namque detergit & diſcutit. Quòd ſi apertura fuerit celebrata (de qua conſule *Chirurgiam noſtram*) collocetur Æger in latere affecto: deinde propinetur *Decoctum vulnerarium*: ut:

Potio vulneraria. ℞. *Herb. conſolidæ mediæ,*
Saracenicæ,
ſaniculæ,
betonic.
ſcabioſ.
auriculæ muris,
pimpinell.
vincæ pervincæ, ana m j.
flor. hyperic.
borrag. ana p. ij.
ſem. card. benedict.
Mariæ, ana ʒij.

Coque in ſ. q. *hydromelis.* ad ℔j. In colatura diſſolve
ſyrup. de alth. Fern. de ſymphyt. ana ℥iß.

Propinentur omni manè ℥iv. vel v. Hoc idem decoctum per ſyringam in thoracem injici, dein *emplaſtrum ſacrum*, pus attrahens, applicari debet. Quòd ſi pus ad alvum tendat, illa lubricanda eſt, illucq; derivandum pus. Si per urinas evacuari geſtiat, diureticis promovendum eſt.

Diæta. *Diæta* ſit moderata in omnibus, & cùm interdum morbus ſit chronicus, paulò craſſior exhibenda eſt: quò autem acutior eſt morbus, eò tenuior ſemper eſto cibus: *hordeata, amygdalata, pineata*, hîc ex uſu erunt. Potus ſit *decoctum hordei, ficuum*, & *liquiritiæ*, vel etiam *hydromel.* De Phthiſi *in ſequenti capite*, adeóque illius tantùm hîc propter ordinem mentio facta eſt.

Objectiones. 1. Objic. 1. Non videtur fieri mentio uſtionis in hoc affectu; cùm tamen *6. aph. comment. 27.* dicat Galenus: uſtione tantùm indigent, qui plurimum habent puris; adeò, ut deſperent, per ſpuitionem poſſe expurgari: ergo aliquando etiam debet fieri uſtio. Reſp. Nos quidem uſtionis mentionem feciſſe, ſed eò, quòd multo tempore indigeat, antequam decidat eſchara, púsque effluat, non usque adeò approbamus: ſi tamen mollities extrinſecè, inter quartam & quintam thoracis coſtam (qui eſt verus paracenteſis locus) appareat, etiam adminiſtrari poſſe, non inficiamur; ſed facta eſchara quamprimùm incidenda eſt; utpote quæ ſenſum nullum habet.

2. Objic. 2. Eraſiſtratus aſſerit, nihil ex thoracis ſpatio in pulmones recipi poſſe: ergo id falſò aſſertum eſt. Reſp. cum Galen. *5. de loc. affect. cap. 3.* qui, *ibidem*, docet modum & viam, quâ fit tranſitus. Aëtius, *ſerm. 8. cap. 65.* ait, ſuppurationes aut multitudine ſuâ ſuffocare, aut à colluvie pulmones putrefacere.

3. Obj. 3. Dicunt unanimiter Authores, purulentam materiam per renes & urinas expurgari poſſe; cùm tamen nulla reperiatur via. ℞. negativè: nam vel per venam ἄζυγον, vel per viam magnæ arteriæ, ſeu aortæ, ad emulgentes, & renes, deferri facilè poteſt: ſi enim, ſecundum Galenum, ad pulmones transferri poſſit; ergo etiam ad ſiniſtrum cordis ventriculum (in quo repentinam quandoque ſuffocationem cauſat) & inde ad renes, transferri facillimè poteſt.

Quæſtio 1. Quær. 1. Cùm in Empyemate ſectio inter coſtas cum Ægri ſalute fiat; utrum idem non poſſit in Phthiſi practicari? Reſp. id quidem hactenus, quantum mihi conſtat, non fuiſſe pra-

ćticatum : attamen ſi, unum inferiorum pulmonis loborum maximè ulceratum eſſe, & plus materiæ generare, quàm ut expui poſſit, reperiretur, absque dubio thoracis apertio commodè celebrari poſſet; tum ut materia per viam breviorem & commodiorem educeretur, tum ut pulmonum ulcus, injećtis per ſyringam abſtergentibus, faciliùs conſolidari valeret. Imò memini, me quendam in Noſocomio Patavino vidiſſe, qui, geſtatâ cannulâ plumbeâ, ſimile habebat in pećtore emunćtoriũ. Aliqui, teſte Riolano, pećtoris paracenteſin in ſuffocatione, à flatibus proveniente, ſusque deque feliciter praćticant: quin & id in Phthiſi praćticari poteſt.

II. Quær. 2. Quid ſit pećtoris hydrops? Reſp. hydropem pećtoris fieri, cùm ej9 cavitas aquis impletur; quod nonnunquam ex urinarum retentione fit, excitaturque affećtus aliquis, qui phthiſin mentitur, rejiciturque ingens materiæ copia: qui tamen affećtus, procedente iterum urinâ, deſinit. Hoc affećtu egomet aliquoties laboravi.

III, Qu. 3. Per quas vias humor ille ſeroſus à renibus ad cavitatem pećtoris defertur? Reſp. per eaſdem, de quibus Gal. *6. de loc. affećt.* ubi dicit: anheloſos, & aſthmaticos, materiâ per lumbos ad cavitatem abdominis transeunte, fieri hydropicos.

CAPUT. XLIII.

De Phthiſi, ſeu Ulcere Pulmonum.

Phthiſis quid. Phthiſis, ἀπὸ τῦ φθίνειν, diminuere, conſumere in genere, ſignificat tabem, ſeu totius corporis conſumptionem; in ſpecie autem, & propriè, eſt Ulcus pulmonum, à materia acri & erodente excitatum, quod frequens tuſſis, febris lenta, ſimul & totius corporis conſumptio, conſequitur: *Thomas Eraſtus, Helideus de Padoan. Petrus Merenda.*

Ejus Pars affecta. *Pars affećta* ſunt pulmones, qui, cùm cerebro ſubjećti ſint, excrementa ejus facilè ſuſcipere poſſunt: eſt enim caro pulmonum mollis, rara, & fungoſa, ut, follis inſtar, aëre impleri atque diſtendi poſſit, citra noxam; ideóque promptè ab humoribus acribus eroditur atq; exulceratur; uti Gal. *l. 1. de locis affećtis c. 1.* annotat: nec totus ſemper afficitur pulmo, ſed modò dextra, modò ſiniſtra pars ulceratur: ſunt enim lobi pulmonum intermediis membranis dirempti, nec vel continuitatem, vel contiguitatem habent: hinc eſt, quòd, uno quandoque totaliter conſumpto, alter ſuo adhuc fungatur officio: &, licet cavæ thoracis partes, aſpera arteria, & fauces, exulcerentur; unde etiam tuſſicula, febris, tabes, ſeu totius conſumptio, conſequatur: propriè tamen phthiſis dici non poteſt, niſi ſimul pulmones ulcere ſint affećti. *Differentia* deſumuntur *à* *Differentiæ.* *formâ, materiâ, cauſis efficientibus, ab origine.* A *forma*: ſunt enim benigna ul- *à formâ.* cera, vel cacoëthica, & ita mali moris, ut vitiata pulmonum temperies ſanguinem alimentoſum corrumpat, & in materiam purulentam, vel puri analogam (ut patet in illâ phthiſi mendoſâ, Viennæ frequentiſſimâ) convertat. A *materia* ſunt differentiæ: quòd *Materiâ.* aliquando ipſum parenchyma lædatur, aliquando ipſius vaſa. A *cauſis* alia eſt à *Cauſis.* catarrho ſalſo & acri; alia à ruptione vaſorum thoracis, poſt hæmoptoiſin, ſeu ſputum ſanguinis, aut tumorem, ſeu inflammationem in ſuppurationẽ verſam. Ratione *originis* alia eſt per *Origine.* eſſentiam; alia per conſenſum: quando nempe pulmones ob nativam, vel etiam acquiſitam, debilitatem phthiſi laborant. Nativam plerumq; habent debilitatem homines macilenti, colli oblongi, pećtoroſi, quales Vinicolæ: per conſenſum, quòd materia aliunde, v. g. vel ex capite, hepate, utero, thorace, aſperâ arteriâ, larynge, ad pulmones defertur. Fit autem utplurimùm exulceratio poſt ſputum ſanguinis.

Phthiſis *Cauſa* vel ſunt *evidentes*, ſeu *Cauſa* *externa; antecedentes*; vel *continentes*. *Externa* ſunt, aëris exceſsûs magni, tam *Externa.* quoad frigus, quàm quoad calorem: frigus enim, dum vaſa pulmonum nimium condenſat, facilè ad rupturam cogit, quia, quod durum, potiùs rumpitur, quàm extenditur, aut dilatatur: calor autem, humiditati conjunćtus, caput replet, quod pulmonibus acres amandat fluxiones.

Ex

Ex temporibus anni, autumnus tabidis maximè noxius eſt; deinde ver humores, in hyeme coacervatos, fundit, præcipuè cùm fici folia cornicis pedibus ſimilia fuerint. *Æſtate ſiccâ & aquilonià: autumno verò pluvioſo & auſtrali, vehementes capitis dolores in hyemem, & tuſſes, & raucedines, & gravedines, nonnullis etiam tabes, ſunt exſpectandæ.* Hippoc. *3. aph. 13.* cibus quoque, & potus, vitioſos & acres ſuccos generans: lepus marinus illas habet proprietates, ut pulmones erodat, & phthiſin inducat: item calcis recens extinctæ evaporatio. Hinc in Auſtria frequentior eſt phthiſis, ob calcis copiam, quæ, aëre ſicco, una cum pulvere, in patria ventoſa, frequenter inſpiratione ad pulmones attrahitur; motûs deinde vehementiores, clamor, qui venas pectoris rumpit, præcipuè à 18. anno, usque ad 35. quo tempore maxima ſanguinis eſt copia, ideoque facilis vaſorum pulmonis ruptio; quam ſequitur ulcus: huc etiam faciunt vulnera pectoris ipſius, nempe pulmonis, vel partium ei adjacentium; à quibus fit communicatio; quæ etiam per contagium fieri poteſt, à præſentia phthiſici: quo cum infecura eſt converſatio, ob fœtidam exſpirationem.

Antecedens. *Antecedens* cauſa eſt partium naturalis, vel etiam acquiſita, imbecillitas, multa generans excrementa, quæ continuò per pelvim ad palatum deſtillant, & inde ad pulmones, tandemque corroſiones efficiunt; eòdem ſanguis calidus & bilioſus, ab hepate, per truncum venæ cavæ, diaphragma penetrans, ad dextrum cordis ventriculum delatus, & inde, per arterioſam venam, ad ſubſtantiam pulmonum, quos corrodit, vel ita debilitat, ut phthiſeos capaciores reddantur; dum nempe alimentum transmutari non poteſt in ſubſtantiam pulmonum, & plura, quàm par eſt, generantur excrementa; quæ, dum vel putreſcunt, vel incaleſcunt, exulcerant. Anguſtia quoque pectoris, in hominibus alatis, ad phthiſin generandam non parum facit: irruente enim levi humorum quantitate, vaſorum facilè fit ruptio; unde hæmoptoiſis. Hæmorrhoides itidem & menſes ſuppreſſi, dum in pulmonem recurrunt, idem præſtant. Galen. *in 6. epid. ſect. 16. Deſtillationes*, ait, *à capite in pulmones deſcendentes, tum malignas eſſe, putandum, ſi ea, quæ deſtillant, tenuia fuerint, uſq; erodendi præditæ: hac enim neq; in pulmone morari tam diu convenit, quoad concocta craſſeſcant, quemadmodum alias fluxiones, ex tenus quidem materia, ſed non corroſiva, & ægrè maturеſcente, conſtantes, neq; rurſum ſtatim expulſa:* intus enim morantes, non facilè concoquuntur, ſed viſcus ipſum lacerant, ſi excernantur; ob quas caput motum recentem attrahit materiam, adeòque mera fit humorum circulatio. Deinde ob violentiam tuſſis vaſa pulmonum dirumpuntur: hinc *aphoriſmus ſect. 7. 38. Deſtillationes in ventrem ſuperiorem intra 20. dies ad ſuppurationem perveniunt:* intelligendus eſt de materia capaci. Hippoc. *aph. 15. ſect. 7. A ſanguinis ſputo, puris ſputum; à puris ſputo, phthiſis:* ſanguis enim, intra thoracis cavitatem contentus, ſeu extra vaſatus corrumpitur; corruptus pulmones inficit, & corrodit. Poſt inflammationem autem cujusvis partis pars corrumpitur; ſi à calore externo calor innatus omnino ſuperatur, fiunt gangrænæ, & ſphaceli; qui terminus peſſimus eſt; hinc multi tam ſubito à rejectione puris, vel ſanguinis, exſpirant: ſi verò ex parte tantùm ſuperatur calor, abſceſſus.

Cauſa *Continens*, & immediata phthiſis eſt humor acris, actu pulmones erodens: nam ulcus in pulmone fieri non poteſt, niſi adſit materia acris. *Continens.*

Signa diagnoſtica ex tribus ſymptomatum fontibus præcipuè deſumuntur: *Signa diagnoſtica.* actionibus nimirum læſis, ab excuntibus mutatis, & à partium affectibus: ab actione læsâ pulſus eſt parvus & languidus, anhelitûs difficultas, tuſſis frequens, vigiliæ ob crebram tuſſim, vitiata partium nutritio, ob languentem calorem nativum: unde atrophia phthiſis plerunq; comes eſt: cùm enim aura quædam maligna ab ipſis pulmonibus ad cor transferatur, inficiuntur ſpiritûs vitales influentes, qui innatos reficere ex integro non poſſunt; unde nutritionis defectus: ab exeunte mutato excreatio eſt purulenta, & ramen-

Digitized by Google

tis pulmonum ſæpe commixta, fætida, in ignem injecta fætent, in aquam, quam, marinam eſſe debere, multi autumant, fundum petunt; urinæ interdum oleaginoſæ, vel ſurfuraceæ, ob corporis colliquationem; ſudores continuò eliciuntur, ob virium debilitatem, eò, quòd deductum alimentum diſcutiatur; alvi quoque profluvium aliquando ſupervenit, naturali facultate ita debilitatâ, ut retineri non posſit, pallidus corporis color, & extenuatio, & facies cadaveroſa, & Hippocratica, capilli defluunt, ungves incurvantur, ob conſumptionem carnium, in quibus radicantur; ob eandem cauſam capilli defluunt, pedes, utpote partes à fonte caloris remotiſſimæ, intumeſcunt; imminente jamjam caloris innati omnimodâ extinctione, febris primò mentitur quotidianam, circa noctem affligens, tandem continua hectica permanet, quæ ab aſſumpto cibo recrudeſcit. Phthiſicis enim ſimile quiddam, quod calci vivæ, accidit, cui ſi affundatur aqua, efferveſcit: alimentum enim, ad membra calida habituali calore delatum, effumat, inſtar aquæ frigidæ, ſupra calcem vivam affuſæ. Galen. *comment. 7. prog. Hipp. ſect. 60.*

Signa cauſarum. *Signa cauſarum* ex Ægri relatione petenda ſunt: ſi enim ab inflammatione in ſuppurationem verſá fiant, præceſſit peripnevmonia; ſi ipſum pulmonis parenchyma exulceratum fuerit, plus materiæ, & minori cum dolore, rejicitur; ſi aſpera arteria, minus, & cum majori dolore; ſi in aliqua pectoris parte dolor ſentitur, in hac ulcus eſſe, cenſendum eſt.

Indicationes. *Indicationes* à ſpecie morbi, cauſis efficientibus, & parte affectâ, deſumuntur. Morbus eſt ulcus pulmonis: ulcus autem eſt morbus compoſitus ex ſoluta unitate, & imminuta magnitudine: quatenus eſt ſolutio continui, indicatur reuniens & conſolidans: quatenus eſt imminuta magnitudo, reſtaurans, & congenerans: ad quod duo ſunt neceſſaria: videlicet cauſa efficiens, quæ eſt temperies partis debita, à quâ, velut ab artifice, caro generatur: deinde materia ex quâ, videlicet ſanguis bonus & laudabilis. Si igitur pulmones intemperie laborent, alterandi ſunt per contraria: ſi vitium fuerit in ſanguine, illud erit vel ratione qualitatis, vel ratione quantitatis: qualitas alteranda eſt; quantitas imminuenda: cùm autem in regeneratione carnis duplicia excrementa generentur, tenue, & craſſum, quæ carnis regenerationem impedire poſſunt, tenue exſicandum, craſſum abſtergendum: hinc medicamenta, ad ulcus directa, tum abſtergentia, tum exſiccantia & conſolidantia eſſe convenit; cùm humores aliunde ad pulmones fluant, revellendi, derivandi & evacuandi; partes ſunt corroborandæ, ne mittant, & ne recipiant. *Qui tabe vexãtur, ſi ſputum, quod exſpuunt, carbonibus injectũ, fætet, & capilli defluunt, lethale: 5. aph. 11. Si alvi profluvium tabe detento superveniat, lethale: 5. aph. 14.*

Prognoſtica. Phthiſis inveterata nullam omnino curationem admittit; præcipuè dum ex ſucci vitioſi eroſione id poſſident Ægri, quorum aliqui, ut ſalſuginem, ſputum ſuum ſentire ſe, ajunt; quin & recentia pulmonum ulcera ſanari difficillimè posſunt; tum ratione ſitûs, quia medicamenta primo contactu ad partem affectum provenire nequeunt, atque per multas ambages plurimum de viribus amittunt; tum quia citra gravem motionem, utpote tuſſim, expurgari nequeunt; &, licet medicamentis conglutinantibus callus fieri poſſit, durare tamen vix poteſt; cùm à materia pulmonum aliena ſit durities, quin motu facilè rumpatur.

Cùm tamen in juvenibus per medium hettogeneum molle ſanationem aliquando moliatur natura, Ægri non ſunt omnino relinquendi; ſed allaboret Medicus, ut indicationibus ſatisfaciat, ex *Chirurgia*, *Pharmaciá*, & *Diæta.*

Curatio. per Chirurgiam. Venaſectio: &c. Quod ad *Chirurgiam* attinet, ex hâc *Venaſectio*, quamprimùm adminiſtrato enemate, ſi corpus eſt plethoricum, celebranda eſt, in eâ quantitate, quam Ægri vires permittunt: &, ſi phthiſis ſit à catarrho acri, à capite defluente, cephalica; ſi à rupto vaſe pulmonis, jecoraria; ſi à menſibus retentis, hæmorrhoidibus ſuppreſſis, venæ crurum aperiantur: &, ſi Æger fuerit debilior, neque magna adſit copia ſanguinis, *cucurbitulæ*, vel *hirudines*, ſufficient, in iis locis,

locis, nempe in quibus celebranda fuiſſet venæſectio: ligaturæ, & frictiones, rarò tamen, ſangvinis miſſionis vicem gerunt, præcipuè attrahendo à parte affectâ ſanguinem. Cauteria quoque brachiis, pedibus, imò etiam ſuturæ coronali, cum Helideo de Padoanis, applicari poſſunt. Cornelius Celſus, *l. 5. c. 22.* pectus *urit* variis in locis,

Uſtio. ſub mento, in gutture, & ad mammam utramque, item ſub imis oſſibus ſcapularum, nec ulcera ſanari permittit, niſi remittente priùs febre, & tuſſi deſinente: idem facit Aëtius, *ſerm. 4. c. 57.* Ubi pus, in cavitate pectoris col-

Sectio. lectum, phthiſin generat, *apertionem* thoracis ſuadet Hipp. quæ etiam fieri poteſt uſtione: partem latentis puris, ex decubitu, in parte ſanâ, difficile non eſt explorare, ſiquidem pondus ingens in latus ſanum decumbere videtur. Fa-

Quomodo facienda. cienda autem eſt *ſectio* circa *quartam* & *quintam* coſtam, à ſuperioribus numerando, cavendo finem coſtarum inferiorum, quibus adhæret diaphragma; cujus læſio periculoſa eſſet: fiat itaque ſectio dicta in medio duarum coſtarum, totam puris quantitatem prima vice minimè educendo, ne ſimul ſpiritus & vita educatur. Hinc ait Hipp. *6. aph. 27. Quicunq; empyici uruntur, aut ſecantur, ſi pus univerſum effluxerit, omnino moriuntur:* &, ſi pus album educatur, bonum; ſi cruentum, fætens, &

Præparantia. fæculentum, malum. Si phthiſis ſit ab humore acri, à capite defluente, primùm præparandus eſt mitigantibus, & aliquo modo incraſſantibus: ut ſunt *aqua ſtillatitia lactuca, flor. nymph. papav. plantag. intybi ſativi, tuſſilaginis*, cum *ſyrupo de nymph. de violis, de cichorio ſimpl.* &c. dein educendus eſt hoc, vel ſimili cathartico:

Purgantia. Potio. ℞. *Decoct. pector.* q. ſ. in quo diſſolv.
manna elect. ℥ij.
ſyrupi roſ. ſolut. ℥ß.
ol. amygd. dulc. ℥ß. M. detur in aurora; vel

℞. *Paſſul. enucleat.* ℥j.
prunor. Damaſc.
jujubar. ana n. vij.
ficuum ping. n. ij.
ſem. carthami contuſi ʒvj.
aniſi ʒi.
rad. glycyrrhiza,
polypod. ana ʒiij.
fol. ſen. ſ. ſt. ℥ij.

Hæc omnia includantur in gallo veteri, & in ſufficienti quantitate *aqua* decoquantur ad conſumptionem tertiæ partis, ita, ut olla ſatis ſit ampla, ne aliam aquam, ante ebullitionis finem, affundere neceſſe ſit: jus colatum & expreſſum ſervetur ad uſum; de quo ſumi poſſunt ſinguli manè ℥v. calidè. Abſtinendum hîc eſt à fortioribus, quæ ulcera pulmonum magnopere exaſperant, vel etiam incurabilem excitant alvi fluxum. In hoc morbo, teſte Hipp. fatali Gal. improbatur, qui, *quinto meth. med. cap. 14. phthiſicos ex ſcam. colocynth. agarico, bdellio* &c. purgare jubet.

Errhina medicamenta, quæ per nares attrahuntur, potiùs, quàm apophlegmatiſmi, qui in ore detinentur, in uſu eſſe debent; ſiquidem illa à pulmonibus ad nares derivant; hi verò ad ipſos pulmones materiam præcipitant. *Particularia.* Primò factâ purgatione levi, ſuperflui humores ſunt contemperandi, motus eorum compeſcendus, & aliqua ſaltem pulmonibus quies concilianda; utpote *diacodio*, in hoc caſu à Gal. Ægineta, Tralliano, Aëtio, Oribaſio, ſummè decantato: ad eundem uſum eſſe poterit *eclegma de papav.* item *pil. de cynogloſſo Bened. Favent.* vel *Philonium Perſicum*: hic *ſynapiſmos* Galen. *5. meth. c. 5.* ex *ſtercore palumbium*, & *thapſia*, capiti deraſo appoſitos, non probamus. Si phthiſis ſit ab inflammatione, in ſuppurationem verſa, diligenter attendendum, quò pus prorepat, ut ejus motus adjuvetur: ſi nimirum ad alvum proreptet, emollientibus; ſi ad veſicam, diureticis; ſi ad os, per tuſſim expectorantibus: ſi à menſibus vel hæmorrhoidibus ſuppreſſis oriatur, initio humores peccantes præparandi & evacuandi, poſtea ora vaſorum medicamentis topicis ſunt reſeranda. His peractis, ad ulceris curam deveniendum eſt: & primò quidem abſtergentia ſunt exhibenda, quæ ulceris ſordes eluant: in quem uſum eſſe poterit *hydromel*, tam *ſimplex*, quàm *compoſitum*, in quo *hyſſopus*, vel etiam *ſcabioſa*, coqui poterit; vel, ſi bilioſior fuerit Patiens, *aqua hordei ſaccharata*: majorem tamen abſtergendi vim habet

ſyr. de glycyrrhizâ, de praſſio, looch ſan. & exp. de pino, de ſcylla. Factâ abſterſione, convenient glutinantia, id eſt ſarcotica: ut ſunt *tragacant. gummi Arab. maſtich. amylum, pulmo vulpis præparat. decoct.* vel *ſyrupus de ſymphyto maj. de hedera terreſtri, de althaâ:* ultimò tandem epulotica, id eſt, cicatrizantia, quæ conſtringendi & exſiccandi ſunt prædita facultate, ut *bolus Armena, & terra Lemnia, ſanguis draconis, balauſtia, flor.* vel *conſ. roſarum, corallia, margaritæ, oculi cancri; cinis cancrorum fluviatilium:* his tamen admiſcenda ſunt vehicula, utpote *myrrha, ſacchar ſpica*, ne ſibi viam præcludant, utpote quæ craſſioris ſunt ſubſtantiæ. Ex his fiunt compoſitiones: *electuar. reſumptiva, diatragacant. frigidum, diapenidium, troch. de ſuccino, de terrâ ſigillata, de carabe, de papav. lac ſulphuris Crollii, flores ſulphuris ſaccharo cando rectificati; elect. ladani Crollii*, fol. 178. *balſamus*, & *ol. ſulphuris, flores benzoi, extr. pulmon. vulpis*, vel *vituli, tragea Quercet. ſyr. de calamint. looch de althaâ, è pino, ad aſthma, paſſulatum.* Theriac. & Mithridat. à Gal. Orib. & Meſue, præſcripta non approbamus. Tempore conglutinationis *unguenta pectoralia*, parum adſtringentia, applicari poſſunt: ut:

℞. *Ung. pector.* ℥ij.
ol. myrtin.
roſac. ana ℥ß.
pulv. roſ. rubr.
malicor.
balauſt. ana ℈j.
croci ℈ß. M. F. Liniment.

Linimentum.

Adverte tamen, ne adſtringentibus, tum internis, tum externis, ſputi expectorationem impedias; quod experiri poteris ex difficiliori reſpiratione: hinc ad aliquo modo laxantia & expectorantia redeundum eſt. Præſtantiſſimæ ad phthiſin ſunt *Rotulæ Doct. Knevelii*, quæ

Rotulæ Knevelii.

℞. *Flor. ſulph. ter ſublimat.* ʒiij.
antim. diaphor. ʒj.
maſtich.
ſuccini albiſſ. ana ʒij.
crocis Oriental. ℈j.
diatragacanth. frigidi ʒß.
ol. aniſi gut. XII.
ſacchari albiſſimi, in *aqua hedera terreſtris* diſſoluti, ℥vij. F. Rotulæ: quarum ſeptem, vel octo, pro una doſi ſumantur ante prandium, & paulò ante decubitum veſpertinum: ſequentis quoque *decocti* frequentior uſus eſſe poterit:

Pectorale decoct.

℞. *Caricar. ping.*
paſſ. maj. ana ℥iiij.
herb. hyſſopi,
tanac.
tuſſilag. ana m. j.
flor. violar.
borrag.
roſar. ana mß.
dactyl.
ſebeſten,
jujubar. ana ℥j.
liquirit.
ſem. aniſi,
fœnic.
fænigræc. ana ʒij.

Terenda terantur, & contundenda contundantur, atque in ℔iiij. *aq. hordei* bulliant ad tertiæ partis conſumptionem: huic etiam addi poterit *vini albi* ℔j. Deinde fiat colatura, de qua ſumi poterunt omni manè ℥iiij. Cum hoc decocto cochlear medium de ſequenti *Pulvere* ſumatur:

Pulvis.

℞. *Flor. ſulph. ter ſublim.* ʒij.
pulv. anonymi,
pulm vulpis præp.
Haly a[illegible] phthiſin, ana ʒj.
ſperm. ceti ʒj.
ſacchar. penidiati ℥ij.

M. F. omnium Pulv. detur ad ſcatul. poteſt etiam ſumi cum *aq. antiphthiſica ex limacibus*, & *pulmone vulpis*. *Saccharum roſaceum* ſæpiſſime ſumptum à plurimis Authoribus dilaudatur: aliqui *rad. verbenæ*, & *caryophyll.* Lunâ exiſtente in Tauro collectam, collo, tanquam ſpecificum *amuletum*, appendunt: alii *lignum vulnerarium* pure ſæpius inficiunt, & mundant; alii tranſplantant: ſed occultis iſtis actionibus debilior, vel potiùs nulla, eſt adhibenda fides.

Diæta. *Aër.*

Diæta tum medicamentis, tum ipſi etiam corporis virtuti, ſecundum 6. res nonnaturales accommodanda eſt. Aër ſit in activis qualitatibus temperatus, ad ſiccitatem vergens: qualiter curat Galen. *5. meth. c. 12.* dum phthiſicos ad Thebas montes ablegat, ubi aër eſt ſiccus, qui citiùs ad pulmones tranſit, eoſque exſiccat: hinc ejus mutatio unicum

cum fere eſt remedium: uti de ſe narrat Paræus, *in Chirurgia*: atq; adeò *cibus*, quicquid rudi Minervâ oggerat Grembſius, debet eſſe evchymus, ſeu boni ſucci, ut corpus emaciatum reſtauret, &, ob facilem concoctionem, calorem imbecillem non gravet, ſimul & ſit refrigerans & humectans, ut ignea & ſicca partium temperamenti ſubſtantifici, in quo febris hectica ſubjectatur, ſubſtantia corrigatur: nec obſtat, quòd aërem ſiccum præſcripſerimus: hic enim reſpectum habemus ad phthiſin; deinde cibus non penetrat tam citò ad pulmones, quàm aër, ſed partium ſolidarum, ſiccarum, & calidarum, cibus ille refrigerans & humectans debitum ſit nutrimentum. Convenient itaq; *juſcula* ex *aven. hord. amygd. dulcibus*; *pultes* ex *avena, hordeo, oryza, amylo*, & *mica panis albi*, cum *lacte caprino*: *cancri* item *fluviatiles* commendantur, *carnes avium montanarum, pullorum gallinaceorum, teſticuli gallorum, ova ſorbilia, contuſum carnium, pedes vitulorum, teſtudines* &c. & quia, ob extenuationem, pluri egent phthiſici alimento, frequentia exhibendi quantitatem debet ſupplere, ne calor debilis oneretur. *Lac humanū* primò, ſecundò *aſininum*, tertiò *caprinum*, inter omnia cibaria primum ſibi locum vendicant; nam faciliùs in ſubſtantiam alendi convertuntur, atque diſtribuuntur, Hipp. *5. aph. 64.* & non tantùm alimenti, ſed & medicamenti vires obtinet lac; hinc ulceri pulmonum convenit: feroſa enim ſuâ ſubſtantiâ ulcera repurgat; caſeoſâ glutinat; &, ſi magis glutinandum, uſtulato utendum, ut partes feroſæ ex parte conſumantur, & ſigantur: hinc tempore abſterſionis *hyſſopus, ſatureja, thymus, praſſium*; tempore verò conſolidationis *polygon. burſa paſtor. millefol. fænicula, alchimill.* capris, vel aſinis, exhiberi poteſt. Dandum autem eſt *lac ſacchàro roſato* permixtum, vacuo ventriculo, & mundato ventre, cùm ſuâ naturâ facilè corrumpatur, ſi incidat in ventriculum impurum: nam in frigidò ventriculo acidos; in calido nidoroſos ructûs parit: deinde, ſecund. Hipp. *5. aph. 64.* lac caput dolentibus, hypochondria elata, aut murmurantia habentibus, febriculoſis, & ſiticuloſis, malum. Quibus enim humor, ex capite ad pulmones deſtillans, phthiſin facit, iis ex lacte effumationes, ad caput aſcendentes, dolorem augent, hypochondria elata habentibus aceſcit, febrieuloſis & ſiticuloſis in nidorem convertitur, & aduritur. Cibi omnes acres, acidi, ſalſi, quales ſunt piſces, & carnes infumatæ, aromata, cæpæ, ſynapi, relinquendi; è contra conditis ex *croco, paſſul. amygd. ſacchar.* & *melle* uti licet. *Potus* ſit *aqua hordei* cum *radice glycyrrhiza, paſſulis, ficubus*, & *ſemine aniſi* decocta, item *hydromel ſine ſpeciebus*, item *cerevifia alba*, quæ multo non abundat lupulo: ſuper omnia vitanda ſunt nimia repletio & inanitio, Venus, alvi adſtrictio; exercitia ſunto moderata, caveatur à clamore, & frequenti locutione, vehementique pulmonum motu, ulcerum conſolidationi inimico, quibus corpora incaleſcunt: ſomnus ſit moderatus, atque nocturnus; pomeridianus enim caput replet, & deſtillationes ad pulmones dirigit: animi quoque pathemata ſunt moderanda: iram præſertim, & triſtitiam, vitent Ægroti, quæ corpora conficiunt, Et hæc de *Phthiſi*.

Cibus. *Potus &c.*

Quæſtiones. I. Quær. 1. Utrum phthiſis poſſit fieri à ſiccitate per ſe? Reſp. cum Gal. *3. aph. 16.* morbi, tabitudines nominati, ad has duas ſequuntur conſtitutiones: & ad frigidiſſimam, ex quâ nonnulla ex vaſis, quæ ſunt in reſpirationis inſtrumentis, dirumpuntur; & ad alteram, quæ conjunctam habet cum caliditate humiditatem, quarum occaſione caput repletum fluxiones mittit ad pulmones: à ſiccâ verò conſtitutione omnia alia magis, quàm tabitudines, conſequuntur: & ſic à ſiccitate non ſit phthiſis.

II. Quær. 2. Utrum humiditas poſſit per ſe pulmones ulcerare? Reſp. cum Conciliatore, *diff. 193. in appenditio*, ubi ait, humiditatem per ſe non cauſare phthiſin, niſi fuerit conjuncta humido catarrhali, vel caliditati, vel frigiditati, vel acrimoniæ.

III. Qu. 3. Unde multi plurimam materiam purulentam rejiciunt, citra pulmonum exulcerationem? Reſp. id fieri eodem planè modo, quo in gravi ophthalmia, & eanthorum partium ſpon-

ſpongioſarum inflammatione, contingit: ubi, ſicut plurima materia, puri analoga, excernitur, & continuò tranſſudat; ita in phthiſi mendoſâ, citra ſenſibilem continui ſolutionem, materia puri analoga, à depravato pulmonum nutrimento, vel aliunde illûc delata, & in materiam puri ſimilem converſa, perpetuò rejicitur, & in magna quidem quantitate, ob magnam pulmonum poroſitatem, receptionis & retentionis cauſam.

IV. Quær. 4. Utrum ex thoracis cavitate materia in pulmones transferri, & per os rejici poſſit? Reſp. etſi Eraſiſtrato contrarium placuerit; nos tamen affirmativam tenere. Eſt Galen. *5. de locis affect. c. 3.* ubi docet modum, & viam, per quam fit tranſitus: ſimiliter *5. m. c. 8.*

V. Qu. 5. Utrum vomitoria in phthiſi locum habere poſſint? Reſp. Quamvis id aſſeruerit olim venerandus Profeſſor meus, Nicolaus Herbertus, vir eximiæ Sanctitatis, dicens, non magis vomitu, immò minùs, quàm tuſſi, pulmones irritari, adeoque vomitoria in bilioſis, ubi malum fovet bilis, admitti poſſe: Ego tamen negativam teneo: funeſta enim me plurima deterruerunt exempla; dum plurimi phthiſici, à Medicaſtris pſeudo Chymicis hoc curandi modo perculſi, rejectâ, cum ſanguine, animâ vomitoriis ſuam adſcripsêre perniciem.

Objectio: 1. Obj. 1. Lac non videtur conducere phthiſicis: ergo malè hîc adhibetur: probatur: lac, ſec. Hipp. eſt omnibus febricitantibus malum: ſed plerique phthiſici febricitant: Ergo. Reſpon. Hipp. intelligendum eſſe de iis, qui febre putridâ febricitant; non de iis, qui hecticâ. Vide Conciliatorem, *diff. 144.* ubi curam lactis in hectica approbat.

2. Obj. 2. Quando Ægroti lacte utuntur, debent ab aliis cibis abſtinere, præcipuè à ſalſis, carnibus, vino, &c. quorum hîc non fit mentio. Reſp. Lac dupliciter adhiberi; vel coctum, vel crudum: ſi coctum adhibeatur, hac cautione non ſemper opus eſt: ſi crudum, fit cura 40. vel 50. dierum, tuncque & nos ab omnibus iis, quæ lac coagulare, vel ipſius tranſitum impedire poſſunt, abſtinendum eſſe cenſemus.

Objic. 3. Lac datur Podagricis, ad conſumendam ſummam humorum cacochymicorum quantitatem, unde ex corpulentis macilenti evadunt: ergo, è contrario, phthiſicis & emaciatis dandum non erit. Reſp. Neg. conſequentiam; alius enim eſt podagricis, alius phthiſicis, lac exhibendi modus: neq; lac datur podagricis, ut extenuentur, ſed ut curentur: extenuatio autem lacti non eſt attribuenda, ſed ejus quantitati, dum modicè & bene adhibetur.

Objic. 4. Saccharum roſaceum à multis etiam improbatur, præcipuè recens, in phthiſeos cura: ergo etiam præpoſterè hîc adhibetur. Reſp. Neg. conſequentiam: nam Avicen. *13 tr. 4. c. 6.* ait: unum de maximè conferentibus, in curâ phthiſeos, eſt Zuccharum roſaceum. 4.

Objic. 5. Saccharum roſaceum pectus anguſtat, ob eam, quam habet, adſtringendi vim, & ſic prohibet expectorationem, quod phthiſicis perniciolum eſt: quòd autem adſtringat, patet ex hoc, quòd in omni alvi fluxu, præcipuè verò in dyſenteria, præſentiſſimam ferat opem: ergo hîc adhibendum non eſt. Reſp. cum eodem Avic. *loco citato*, & ſi anguſtetur anhelitus, detur in potu ſyrupus de hyſſopo, & ſi inflammetur, dentur trochiſci de camphorâ. Meſue aſſerit, ex rebus mirabilis juvamenti, ad conſolidationes & ſanationes ulcerum pulmonis, eſſe ſaccharum roſaceum recens, & ſupra quod non præterit annus: vis autem adſtringendi, quam habet, optimè facit ad tollendam illam pulmonum laxitatem, quæ ſummam humoribus recipiendis occaſionem præbet. 5.

Obj. 6. Dicitur, pus per renes, aut per uterum, expurgari; & tamen nullæ adſtruuntur viæ, per quas fiat expurgatio. Reſp. Non hîc Meſuem, Fallopium, & plures alios, hâc de re fuſiùs diſcurrentes, examinabo; ſed dicam tantùm, cum Gal. *in comment.* vitia univerſi corporis æquè per urinas, ac per alvum, expurgari: idem aſſerit *c. 4. l. 6. de locis affectis*: item *comm. ad 4. aph. 75.* idem volunt Avicennas, & Paulus. Viam autem, per quam expurgatur pus, non putamus, cum Eraſiſtrato, tantùm eſſe ſiniſtrum cordis 6.

ventri-

ventriculú, nec ramulum, à Fallopio inventum, nec cum Gal. *de loc. aff. l. 6. cap. 4.* eundem ſiniſtrum cordis ventriculum tantùm, ſed & venæ ſine pari anaſtomoſes, quas habet cum arteriis emulgentibus, & quandoque etiam, cum Gal. Diocle, Hollerio, Andrea Laurentio &c. ſiniſtrum cordis ventric. per arterias: quod non parum facit ad tuendam ſanguinis circulationem, contra Cacabarios.

Caput. XLIV.

De Aſthmate, Dyſpnœa, & Orthopnœa.

Aſthmatis definitio: Licet aliqui Aſthma pro omni reſpirandi difficultate, quæ fit à calore, abſceſſu, ulcere, tumore, plevritide, peripnevmoniâ, anginâ, ulceribus, flatibus, &c. ſumant: nos tamen magis ſtrictè *Aſthma* ſumimus pro magnâ & frequenti reſpiratione, in quâ diaphragma, muſculi intercoſtales, & abdominis, violenter moventur, cum ſtertore & ſibilo conjunctâ, ab humore pituitoſo, bronchia pulmonum opplente. Si Æger non, niſi erectâ cervice, reſpirare poſſit, dicitur *Orthopnœa*: ſi cum ſonitu & anhelitu, *Aſthma* propriè nominatur: ſi reſpirationis modica ſit difficultas, vocatur Dyſpnœa.

Differentiæ: *Differentiæ* partim ab ipſo ſubjecto deſumuntur, thorace ſcilicet: nam vel dextra, vel ſiniſtra, vel media ejus pars, *Cauſæ:* vel totus afficitur: partim à *cauſa* efficiente, ſcilicet anguſtiâ; quæ vel eſt coaleſcentia, vel ſubſidentia, vel compreſſio, vel conſtipatio, vel obſtructio: quæ tamen differentiæ magis ad difficilem reſpirationem in genere pertinent. Certum eſt, aſthma utplurimùm fieri à defluxu humoris pituitoſi à capite ad thoracem, ibique bronchia pulmonis obſtruentis: poteſt tamen fieri etiam ab humore, ex venoſo genere ad pulmones eructato; quod in *Non tantùm fit à capite, ſed aliunde etiam provenit quandoque.* defectu urinarum ſæpe fit, dum remanent humores ſeroſi in venoſo genere, qui per arteriam venoſam in pulmones devolvuntur, & aſthma cum ſtertore efficiunt. Eodem modo contingit ab obſtructione alvi, quâ durante, aliquibus aſthma contingit; ceſſante verò, ceſſat: & hæc quidem aſthmatis ſpecies fit aliquando ſine ſtertore. In talibus ſæpius adeſt mala hepatis diſpoſitio: hinc etiam, poſt pedum tumores, in cachexiam & hydropem incidunt, crudorum humorum proventu aſthma primùm efficiente. *Flatulentum* aſthma, *Aſthma à Flatibus eſt ſine ſtertore.* quod in affectu hypochondriaco contingit, fit ſine ſtertore; quia flatus, ab aëre agitati æqualiter, nullum edunt ſtertorem: ſecus fit in humoribus, bronchia pulmonum occupantibus, qui, dum aëri attracto obviant, illi reſiſtentes, & tanquam corpora corporis allidentia, ſtrepitum ſeu ſtertorem edunt. Ab *utero* quoque ſpecies aſthmatis ille- *Item ab utero.* gitimi oritur; quando ſcilicet vapores tetri ab utero per arterias ad cor & cerebrum feruntur, ibique ſpiritûs vitales & animales vi quidam narcoticâ figunt; unde muſculi reſpirationi dicati moveri non poſſunt, fitque reſpiratio difficilis, ſed abſque ſtertore, ob humorum abſentiam.

Signa aſthmatis ſunt, quòd in aſthmate *Signa aſthmatis.* major ſit reſpirandi difficultas, ſpiritus denſior & craſſior, major ſtertor & ſibilus, quàm in ſimplici dyſpnœa, ſeu difficili reſpiratione. Si verò ſit *per idiopathiam*, ſive per eſſentiam, conti- *Distinctio inter aſthma per eſſentiam & per conſenſum.* nuò durat: ſi *per conſenſum*, per intervalla recurrit; quia non continuò materia ad id efficiendum recurrit: quod dum fit, & tuſſis, & omnia ingraveſcunt ſymptomata, facies & labia intumeſcunt & livent, eſt ſumma inquietudo, túncque adeſt orthopnœa, & non, niſi erectâ cervice, poſſunt reſpirare, urinæ & fæces alvinæ aliquando ſubſiſtunt, pectus violenter elevatur, cordis adeſt palpitatio. *Prognoſin* quod *Prognoſis.* attinet, aſthma eſt morbus periculoſus, chronicus, & diu durans, qui plerunque in cachexiam & hydropem degenerat. Pueri, qui ex catarrho fiunt aſthmatici, facilè moriuntur, ob humiditatum multitudinem, naturæ debilitatem, & vaſorum pulmonis anguſtiam. Deinde qui ex peripnevmonia, plevritide, aut angina, aſthmatici fiunt, periculoſiùs decumbunt.

Curam quod attinet, illa duplex eſſe *Cura:* debet: *in*, & *extra*, *paroxyſmum*: *in* *in Paroxyſmo.* ipſo

ipſo *paroxyſmo* injecto clyſtere, ſi corpus ſit plethoricum, *vena* quamprimùm *ſecanda* eſt, & quidem mediana brachii dextri, niſi fiat à menſibus retentis: tunc enim ſaphena tundenda eſt. Hîc cavendum à *cucurbitulis*, quæ ad partes thoracicas magis attrahunt: deinde *becchicis*, tum internis, tum externis, agendum eſt: interna debent eſſe, quæ humorem craſſum attenuant, incidunt, diſcutiunt; uti eſt *decoctum hyſſopi*, cum *oxymelite ſcillitico*, & *croco*, vel *oxymel de peto Quercetani, rotula diatreos*. *Ungventa* in principio fluxionis ſuſpecta ſunt: partes enim & muſculos thoracis, nimium laxando, ad recipiendum magis reddunt idoneos. Sequens *Syrupus* omnibus ſcopis ſatisfacere repertus eſt:

Venæſectio. *Cucurbitula dorſo affixa nocent.* *Becchica.* *ab Ung. in principio cavendum eſt.* *Syrup. ſpecial.*

℞. *Oxymel. ſcillit.*
ſyrup. de hyſſop. ana ℥ij.
extract. croci ℈j.
flor. ſalis armoniac. gr. xxiv. M.

De quo unum cochlear ſæpe exhibeatur, cum ℈ß. *ſpermatis ceti*. *Terebinthina* quoque, *aquâ hyſſopi* ad albedinem lota, & pondere ʒij. quotidie propinata, plurimùm conducit ad pectus mundificandum, calefaciendum, humores ſeroſos per urinas educendos, & materiam ſimul quodammodo balſamandā. *Herba cumini*, in prævigilio S. Joannis collecta, & *ſuffumigii* loco adhibita, vel ex ea *pedilavium* confectum, vel etiam ejus *decoctum*, plurimum ad aſthma conducere, pluries compertum eſt. Suffitus ex *propoli*, ſeu *cerâ virgineâ*, tam ad aſthma, quàm ad tuſſim antiquam, facit plurimum. *Vomitum* in hoc affectu plurimum prodeſſe, ſæpius item probatum eſt: ex fortibus itaque exhiberi poteſt ℥j. *ſyrupi emetici Angeli Sala*, & ʒiij. *aqua vomitiva Plateri*; ex *nucibus*, & *raphano*; vel etiam *ſyrupus de peto* addi poteſt. Alias vomitoriorum formulas ex præcedentibus repetere poteris. Per vomitum magna pituitæ copia tum ex pulmonibus, tum ex ſtomacho, ubi diaphragma plurimùm comprimit, & difficilem reſpirationem excitat, rejicitur. Toto morbi tempore *clyſteres* frequentes injici poterunt in pauca quantitate. *Lac*, *flores*, *ſulphuris*, cum *butyro recenti*, ad ℈j. omni manè exhiberi poterunt: *oleum ſacchari* ad id quoq; facit plurimum. Ad materiam antecedentem educendam, *purgationes* lenes phlegmagogæ ſæpius repeti poterunt: ut:

Suffumigia. *Vomitoria.* *Clyſteres.* *Specifica.* *Purgationes.* *Potiones.*

℞. *Agaric. rec. trochiſcat.*
rhei electi,
mechoacan. albiſſimæ, ana ʒij.
myrobalanor. chebular. ʒj.
manna elect. ℥iß.

His omnibus ſuperaffunde *aqua tuſſilaginis bullient.* ℥iv. Stent per noctem: manè in colaturâ, forti expreſſione factâ, diſſolve

magiſt. tartari laxat. ℈ß.
ſpirit. ſulphuris acid. gut. v. M. F. Potio.

Vel

℞. *Syrup. mannat. Horſtii* ℥iß.
aq. laxat. recent. ℥iiß.
cremor. tartari,
agaric. rec. trochiſc. ana ℈ß.
M. F. Potio.

Vel, in forma *Electuarii*:

℞. *Elect. de tamarind. compoſ.* ʒvi.
Detur pro doſi, cum pauco *ſacchare*.

Electuarium.

Diata in paroxyſmo debet eſſe tenuiſſima; ſecus extra paroxyſmum. Potus eſſe poterit *decoctum liquiritiæ*, *ſiliquarum*, *paſſularum*, *hordei* &c. vel *hydromel* ſine multis ſpeciebus. Aër, maximè frigidus, vitandus eſt: nam omne frigus inimicum pulmonibus, nervis, & oſſibus. Somnus longus in hoc morbo plurimùm nocet: nam humores pituitoſi per hunc cumulantur, & à peripheria ad centrum feruntur. Excernenda procurentur indies per clyſteres lenientes, ne inteſtina, plùs juſto infarcta, diaphragma & plumones premendo, reſpirationem impediant. Et hæc de *Aſthmate*.

Diata: &c.

Quær. 1. Utrum, dum flatus pectus adeò violenter diſtendit, ut ſummum præfocationis adſit periculum, non liceat thoracem aperire, non ſecùs, ac in empyemate? Reſp. hanc operationem à peritis Lutetiarum Chirurgis ſummo cum emolumento multoties factitatam eſſe.

Quæſtiones. I.

Objic. 1. Ergo idem videtur in tympanite practicari poſſe. Reſp. non tantùm poſſe, ſed paracenteſin hanc pluries fuiſſe celebratam; in qua non tantùm adſunt flatûs, ſed aquæ iiſdem permixtæ.

Objectio. 1.

Quær. 2.

II. Quær. 2. Unde fit, quòd quidam circa occiput, vel vertebras colli, percuſſi ſtatim incidant in dyſpnœam, vel etiam in aſthma? Reſp. id fieri ob nervos, ſpiritûs ad pectoris muſculos, & diaphragma, aliàs tranſmittentes, ictu iſto, vel caſu, læſos.

III. Quær. 3. Cur ex ſcirrho hepatis, aut lienis, oritur difficilis reſpiratio? Reſp. Ob compreſſionem diaphragmatis. Idem fit quandoq; à flatibus, vel ab aquoſo humore, in abdomine contento, in confirmato hydrope.

IV. Quær. 4. Unde fiunt circuitûs, ſeu paroxyſmi, in aſthmate? Reſp. A cumulo & fermentatione humorum: cumulatâ enim materiâ, ſicuti in febribus fieri aſſolet, natura ſtimulata materiam agitat, unde ſequitur fermentatio, pulmonum coarctatio, & aſthma.

V. Quær. 5. Quomodo diſtinguitur aſthma, quod à frigore, & illud, quod à calore provenit? Reſp. 1. à juvantibus & lædentibus; 2. ex caloris ſenſu, anhelitu, pulſu magno & frequenti, cognoſcitur, aſthma eſſe à calore: è contrà ex frigido anhelitu, pulſu parvo & tardo, item ex gelidis partibus præcordialibus, malum à frigore proficiſci, colligitur.

VI. Quær. 6. Cur Hippoc. *4. aph. 50.* dicit, ſpirandi difficultates in febre intermittente eſſe lethales? Reſp. Hippocratem intelligendum eſſe de febribus chronicis, quæ jam ad cachexiam & hydropem deduxerunt: in iis enim ſi adſit ſpirandi difficultas, deſperatú eſt.

VII. Quær. 7. Utrum animal poſſit vivere cum apnœâ, id eſt omnimodâ reſpirationis privatione? Reſp. cum Galeno, *de loc. affect. cap. 7. in fine*, impoſſibile eſſe, ut animal, omni reſpiratione exactè privatum, in vita ſervari poſſit: nec obſtat, quòd animalia in cavernis reſpirare non videantur: nam licet id non fiat ſenſibiliter, fit tamen inſenſibiliter.

Obj. 2. Anhelitus depravatus eſt in aſthmate: ſed diaphragma eſt anhelitûs proprium inſtrumentum, teſte Conciliatore, *different. 99.* ergo aſthma videtur eſſe affectus diaphragmatis; non verò pulmonum. Reſp. Licet diaphragma ſit proprium inſtrumentum anhelitûs; pulmo tamen eſt inſtrumentum coadjuvans, adeoq; affecto pulmone, difficilis eſt anhelitus: ſicut & affecto diaphragmate videmur ſuffocari, uti fit in incubo: nobis enim ſupinè decumbentibus, ſanguis, in venæ cavæ deſcendentis magnos ramos, diaphragma perreptantes, irruens, diaphragmatis motum impedit: unde ſequitur difficilis reſpiratio, & quaſi ſuffocatio; quæ, imaginationem, primò adſe rapiens, ponderis irruentis, vel ſuccubæ, pondus ſibi adeſſe, firmiter credit.

VIII. Quæres 8. Quid ſignificat, in Ægrotis, intermiſſio reſpirationis, quam aliquando rara, aliquando magna, ſubſequitur reſpiratio? Reſp. Si poſt intermiſſionem ſequatur magna reſpiratio, ſignum eſt delirii: ſi verò parva & frequens, defectus in thorace magnus, & caloris nativi extinctio notatur.

Obj. 3. *Paulus*, & Avicennas, fortiſſimis purgationibus in aſthmate utuntur, nempe hierâ picrâ, colocynthide, helleboro, &c. cùm tamen fortes purgationes magis figant in pectore humores. Reſp. nos fortes purgationes per inferiora non approbare: per ſuperiora verò ſummo cum Ægrorû commodo ſæpiſſime præbuimus. Authores autem fortes illas purgationes potiùs ordinaſſe videntur in ordine ad cauſam antecedentem, quàm ad conjunctam: ſi nimirum aſthma fuerit à toto, vel à parte remotâ, ſine dubio forti opus erat medicinâ.

Caput XLV.

De Tuſſi.

CUm hiſce affectibus affinitatem maximam habet Phthiſis, quidem: ſed cùm de eâ, unà cum Catarrho, tradiderim ſuprà, reſtat jam, ut de *Tuſſi* pauca diſſeramus; quæ *duplex* eſt, alia *morboſa*, quæ provenit à cauſa, facultati expultrici contraria; altera *non morboſa*, quæ accidit concurrente ſolâ voluntate, citra moleſtiam expultricis. *Tuſſis quotuplex.*

Hîc de Tuſſi *morboſâ* agemus: &, cùm tria hîc, ad actionem edendam, concurrant, nempe ſuppoſitum, quod concurrit ut quod; facultas, quæ concurrit ut quo; & diſpoſitio, quæ concurrit ut inſtrumentum cum quo; neceſſe eſt, ut de- *Morboſa. Tria ad actionem concurrentia.*

ut depravata actio in hiſce accidat. Facultas quidem non poteſt lædi, quòd animâ non ſuſcipiat magis & minus; ſed fruſtrari, ſi ſimul & inſtrumentum, & diſpoſitio, lædatur: tunc enim eſt morbus: nam ſi tantùm ab errore externo fruſtretur, non eſt morbus.

Facultas lædi nō poteſt; ſed fruſtratur.

Hic Tuſſis formaliter *definiri* poteſt, quòd ſit vox, dependens à larynge, aërem vi efflatum percutiente. Vox dicitur, quæ eſt motus aëris percuſſi. Vel tuſſis eſt valida efflatio, quâ motrix facultas non per contractionem, ſed per ſpiritûs vehementè emiſſionem, quidquid ſpirandi organis moleſtum eſt, conatur expellere, ut definit Galen. *2. de cauſ. ſympt. cap. 4.* Eſt enim ſymptoma motricis facultatis, quæ à cauſa p. n. ſtimulatur.

Tuſſis definitio formalis.

Differentia.

Fit vel *primariò*, vel *per conſenſum*: quæ fit primariò, triplex eſt.
1. *Prima* eſt ab intemperie frigida, vel ſicca, quæ gutturis inæqualitatem, vel aſperitatem inducit: quippe ſpiritus, per viam lævem ferri ſolitus, ſi quando in aſperam ſuperficiem allidat, concitato impetu, vi thoracis foràs agitur, ut, quod moleſtum eſt, expellat. Hùc etiam pertinent acida & auſtera, quæ fauces exaſperant.
2. *Secunda* tuſſis, quæ primariò fit, differentia eſt ſolutio continui, ab acri humore aut vapore, fumo, pipere, &c. quæ mordent, obſcurè erodunt, exulcerant, & dolorem pariunt.
3. *Tertia* differentia eſt obſtructio, vel conſtipatio ejus meatûs, quem natura pervium fecit aëri: nam quidquid viam aëri intercipit, tuſſim movet.

Cauſa.

Talia ſunt *cauſa* externæ, ut pulvis, fumus, cibus vel potus in aſperam ateriam decurrens, faucium tumor, pulmonum tubercula, arenulæ, humor aliquis vel à cerebro defluens, vel in pulmonibus collectus, & eorum bronchia obſtruens, vel à partibus vicinis defluens. Vice conſortii, ſeu *per conſenſum*, fit tuſſis ab hepatis, diaphragmatis, aut lienis affectibus, à repleto ventriculo, tenſo abdomine, uti in hydrope, lumbricis &c. Sic ob nervorum conſenſum fit tuſſis, dum auriſcalpium nimis profundè in aures immittitur, teſte Ariſtot. *6. problemat. ſect. 32.*

Tuſſis duplex. 1 ſicca.

Ex his duplex oritur tuſſis: *ſicca* ſcilicet, ac *humida*. Sicca, ſeu *vulpina*, eſt, in qua nihil expuitur, ob nudam intemperiem, aſperitatem, eroſionem, dolorem, compreſſionem, tubercula, vel etiam humorem aliquem, qui vel ſuâ tenuitate ſpiritum eludit, vel craſſitie, & lentore, bronchiis pulmonum tenaciùs inhæret: ut docet Gal. *1. epidem. ſect. 1. comment. ad particulam 13.* *Humida* tuſſis eſt, quâ ſputum, è faucibus, ſcreatu; ex aſpera arteriâ, tuſſiculâ; ex pulmonibus, validiore motu educitur.

Humida.

Tuſſim *calidam* demonſtrat ſputum tenue, flavum, ſalſum, cum ſiti, ardore genarum, rubore frontis, calore, vigiliis, febre, pulſu magno, urinâ bilioſâ, rerum frigidarum appetitu, in ætate juvenili, & viſceribus calidis; ubi calida victûs ratio præceſſit.

Signa tuſſis Calida:

Frigida tuſſis ex contrariis dignoſcitur.

Frigida.

Quòd ſi ægrum *ſine intermiſſione* fatiget tuſſis, veterem obſtructionem arguit, vel pulmonis aliquod vitium, vel cauſam aliquam ſtabilem, in corpore latentem; quam ex propriis ſignis dignoſcere neceſſe eſt.

Tuſſis continua.

Tuſſis, præterquam quòd omnibus *ætatibus*, & utrique *ſexui*, accidit: pueros tamen, & ſenes, maximè infeſtat, ob humorum pituitoſorum proventum.

Quoad Ætatem, & ſexum.

Tempore hyemali tuſſes utplurimùm dominantur; ſecundò verno tempore humores, in hyeme collecti, funduntur à calore, & tuſſes excitantur. Quòd ſi æſtatem ſiccam & aquiloniam autumnus pluvioſus ſequatur, tuſſes in hyeme expectandæ ſunt: nam dum corpora repleta à frigore condenſantur & exprimuntur, in iis humores à capite ad partes inferiores decidunt, & tuſſes excitant. Frequens & valida tuſſis febrim accendit, venas in pectore rumpit, & hæmoptoiſin accelerat, pueris hernias, gravidis cauſat abortum.

Tempora anni.

Indicationes deſumuntur vel ab ipſo affectu, vel à cauſa, vel à viribus. Quòd ſi à nuda intemperie proveniat, indicantur alterantia per contraria: ſi ſimul adſit materia, indicantur ſimul evacuantia: ſi fiat à materia à capite illuc defluente, indicantur revellentia, derivantia, evacuantia: ſi fiat ab obſtructione, hæc utile nihil indicat, ſed ejus tantùm cauſa; quæ, ſi craſſa eſt, attenuanda & incidenda, deinde evacuanda. Ratione ſubjecti, ſive pulmonum, indi-

Indicationes.

indicantur pnevmoniaca. Quòd ſi ſymptoma nimium urgeat, indicat ſui alleviationem, per anodyna.

Prognoſis. *Prognoſin* quod attinet, tuſſis hydropicorum malum deſperatum prænunciat: item in hecticis tuſſis eſt mala; nam ſignificat, eousque intemperiem habitualem radicatam eſſe, ut vaſa pulmónum contrahat, vel corruget. Tuſſis ſicca ſemper pejor eſt, quàm humida; niſi proveniat à levi intemperie. Tuſſis in ulcere pulmonum ſordido curari non poteſt.

Curatio. *Therapiam* quod attinet, ex Chirurgia debet, præmiſſo clyſtere, celebrari **Venæſectio: &c.** *venæſectio*, ſi corpus ſit plethoricum. Si diuturna ſit tuſſis, & fiat à capite, cauterium fiat in brachio, vel in nucha. Veſicatoria poſteriori capitis parti, & brachiis pedibúsque affigantur. Pectoris regioni ungventa applicentur. **Pharmacia.** Ex fonte Pharmacevtico *Decocta pectoralia* præſcribi poterunt:

Julepus pectoral.
℞. *Spec. decoct. pectoral.* ℥ij.
flor. papav. errat. p. ij.
violar. p. j.
herb. auriculæ muris,
bellidis hortenſ.
hyſſop.
veronic.
tuſſilag. ana mß. F. Decoct. in
f. q. *aquæ*, ad ℔j. In Colatura diſſolve
ſyrup. de jujub.
flor. papav. errat. ana ℥iß.
hiſpidulæ ʒvj. M. F. Julap.

pro quatuor doſibus matutinis, calidè propinandis. Huic *decocto* addi poteſt aliquid *ſpermatis ceti.* Quòd ſi materia ſit craſſa, & incidenda ſit, *oxymel ſcylliticum*, vel *oxyſaccharum ſimplex*, in uſu eſſe poterit: vel herba *hyſſopi* cum *hydromelite* bulliat, & hauſtus propinetur. Nota: quòd aliquando cauſam, aliquando ſymptoma, reſpicere oporteat: nam ſi ſit intemperies frigida ſine materia, ut in rigente cælo, & tempeſtate aquiloniâ; per domicilium calidum, quietem, ſilentium, ſpiritûs detentionem (qualiter etiam ſingultus à refrigerio propulſatur; nam intus calorem auget) vini potum calidum, & lintea calida pectori alligata profligatur: è contra, ſi ſit tuſſis à calore, refrigerantibus curanda. Quòd ſi, ut plerumque accidit, tuſſis fiat ab *humorum acrium* à capite ſtillicidio in pulmones, quatuor præſidiis tuſſis curanda eſt: primò **Tuſſis ab humoribus acribus ut curanda.** avertentibus; ut eſt blanda purgatio, & venæſectio &c. derivantibus; ut ſunt errhina, apophlegmatiſmi: & revellentibus; ut ſunt clyſteres, cucurbitulæ, veſicatoria &c. ſecundò ſiſtentibus curanda eſt tuſſis; qualia ſunt, quæ incraſſant, & impetum tenuis acriſq; humoris prohibent; cujusmodi ſunt alimenta refrigerantia & ſiccantia; ut amygdalata, hordeata, vini interdictio &c. Nota cum Avicen. *cap. de catarrho*, **Intercipientia quando interdicenda.** *intercipientia* non eſſe adhibenda, quando materia jam tantùm in pectore eſt: ſic enim magis impingitur. Quòd ſi vigiliæ plurimum urgeant, narcotica exhiberi poſſunt: ut ſunt: *pilul. de cynogloſſ. Benedict. Faventin.* gr. xvij. *laudani opiati* gr. iij. vel iv. *ſyrup. flor. papaver. erratic.* **Suffumigia.** *Suffitus* parum adſtringentes: **Emplaſtrum de cochleis.** *emplaſtrum de cochleis*, quod recipit duos vel tres *limaces*, qui in mortario, unà cum cochleis, contundi debent, deinde ſupra ſtupam extendi, & tandem pulvis *nucis moſchatæ, maſtichis*, & *ſuccini*, inſpergi, capitíque raſo imponi. Loco limacum accipi poteſt *placenta roſarum*, & prædicto pulvere adſperſa applicari: hæc catarrhû defluentē potenter retinent, & tuſſim minuunt. Tertiò *Becchica*, ſeu *Pectoralia*, **Pectoralia.** ſunt adminiſtranda, quæ tuſſim leniunt, & excreationem juvant: & talia ſunt *rotulæ diatragacanthi frigidi, diaireos, trochiſci becchici albi & nigri, ſuccus liquiritiæ inſpiſſatus.* Quòd ſi parùm ſit adſtringendum, & humoribus frænum injiciendum, *rotulæ diatragacanthi cum bolo, ſyrup. corallior. myrtinus, violatus, jujubinus, roſar. ſiccar., diacodium ſimp. ſacchar. penidiatum, diacydonium, mucilago ſeminis cydoniorum, gummi Arabici* &c. ex uſu erunt. Quartò agere oportet **Ungventa.** *Linimentis* ex *oleo lini, amygdalar. dulc. lilior. albor. axung. gallinæ, mucilagine ſcemin.* & *radic. althææ:* quæ thoracis motum facilitant, partes aridas humectant, & vaſa ruptioni inepta reddunt. Sequens medicamentum materiam in pectore contentam vacuat: ut:

Eclegmata.
℞. *Oxymel. ſcyllit.*
ſyrup. de praſſio, ana ℥iß.
penidior.
pinear. ana ʒij. M. F. Eclegma.

 Meli-

Melicratum in materia craſſa, & *oxymel* in viſcida, plerumque adhibentur. Sequens in uſu continuo eſſe poterit:

℞. *Syrup. de jujub.*
oxymelit. ſcyllit. ana ℥iß.

M. Detur cum *baculo liquiritiæ.* Aliqui propinant *ſuccum*, vel *decoctum, caulium rubeatum*, cum *ſaccharo cando permixtum*, pondere ℥vi. pro doſi: ego parum *croci* adderem, ut potus magis redderetur pectoralis. Quæcunque autem ſumuntur, debent eſſe calida: nam frigida ſunt pectori inimica. Alii concinnant *Unguentum ex allio*, cum *pinguedine ſuilla*; quo plantas pedum ealidiſſimè inungunt. *Electuarium* ſequens ad omnem tuſſim utiliſſimum eſſe, ſæpius compertum eſt:

Decoctum caulium rubeorum.

Elect. ad Tuſſim.

℞. *Enula campana* ℥iv.
bismalu. ℥xij.
malor. cydonior. vel *cydon. conditor.* ℥xvj

Bulliant in *aqua communi*, usque ad deſiccationem: deinde terantur in mortario ſimul, & cribrentur: poſtea pro ſingulis libris adde ℔ij. *mellis albi*, & coque moderatè; deinde, cùm ab igne removes, cuilibet libræ adde

croci ℈j.
flor. ſulphuris ʒij.
liquirit. raſa. ʒj. Miſce omnia, & aromatiza pauco *cinamomo*, & *aquâ roſar. fragrante.* De hoc Electuario, maximè pectorali, ſæpe utatur Patiens magnitudine unius caſtaneæ; manè ſcilicet. & veſperi, ſuperbibendo de ſequenti Viennenſium, in tuſſi, *Panacea:*

Panacea Viennenſium.

℞. *Aqua taraxac.*
ſcabioſ. ana ℥iij.
ſacchar. cand. alb. ℥ij. M. & filtra.

Materiam antecedentem quod attinet, ſi præcipuè à capite fluat catarrhus, *Pilulæ capitales* in hunc modum præſcribi poterunt:

Pil. Cephalica.

℞. *Extr. pilular. cochiar.*
de agaric. ana ℈ß.
ligni aloës compoſ. gr. iij.
magiſt. gialappa, *amygdalis ſubacti*, gr. vi.
olei aniſ.
ſuccin. ana gut. ij.

Cum ſ. q. *ſyrup. de ſtœchade* F. Pilulæ num. vij. inaurentur, pro una doſi, ſumendæ manè, vel etiam veſperi. Cucurbitulæ dorſo & brachiis applicari poterunt; quo facto, accedendum ad ea, quæ à proprietate pulmonibus conſulunt: ut eſt *Eclegma de pulmone vulpis*, *vituli caſtrati*, *ſyrup. de hyſſopo*, *capillor. Veneris*, *radic. ari*, *liquirit.* &c. Quòd ſi tuſſis in longum abeat, corpusq; ſit valde humidum, *decoctum ſudoriferum* ex *ligno Sancto*, & *China* aliquandiu exhiberi poterit. Medici quidam præſcribunt *flores ſulphuris*, cum *ovo recenti*, alii *lac*, vel *balſamum ſulphuris*, *quintam eſſentiam croci*, *liquorem ſacchari*, cum *raphano* paratum, *oleum ſacchari*, vel *tinct. ſacchari*, cum *ſpiritu vini* & *croco*: vel *tinct. mumia*: alii *ſpiritum tartari fœtentem Doctoris Marci Marci*, quem vocant Die Wanzen Supp.n: alii *aq. Theriacalem*: alii *mixtur. ſimpl. ſuccum bryon. eclegma de papavere*, *Auream Alexandr. Philon. Roman. Ther. rec. aq. ſerpilli Hartmanni*, *julapium Zeccipherum*, *ſacch. enulatum*, vel *penid. ſpecies roſat. novella*, *decocta*, *lohoh* & *ſyr. pectorales.* *Diæta* ſit moderata: cibus ſint juſcula ſubſtantioſa, amygdalata, hordeata, &c. Vini potus vitetur, quia humores ad caput ſublimat: ſalſa, pontica, acria, amara, acetoſa, ſunt maximè noxia.

Appropriata.

Diæta.

Quær. 1. Quomodo generata fuerit materia illa, cornu ſimilis, & ſatis magna, quam, poſt diuturnam tuſſim & tabem, exerevit virgo quædam Viennenſis, ad aureum Urſum; unde omnino convaluit? Reſp. materiam illam fuiſſe ſimilem illi, de qua facit mentionem Avicen. *l. 3. tract. 3. cap. 1.* ad finem, ubi dicit: res petroſas tuſſi quandoque rejici: cujus cauſa eſt humor craſſus, quem calor in lapidi, vel cornu, ſimilem materiam convertit. *Quæſtio I.*

Quær. 2. Utrum tuſſis fieri poſſit à ſola alteratione? Reſp. cum Gal. *5. de ſympt. cauſ. cap. 4.* tuſſim fieri refrigeratis tantùm reſpirationis inſtrumentis, ita, ut affecti inter ſcreandum nihil expuant. *II.*

Quær. 3. Utrum tuſſis ſicca fiat à ſola intemperie ſicca? Reſp. etiam cum Galen. quòd, ſi humor craſſus & viſcoſus, vel adeò tenuis eſt, ut expelli nequeat, ſiccam tuſſim efficiat. Eodem modo Hippoc. *4. aph. 54.* ait. Siccæ tuſſes ſunt, in quibus nihil omnino expuitur. Fiunt aliquando à ſola intemperie inſtrumentorum reſpirationis: aliquan- *III.*

aliquando in faucium aſperitate, vel à pauco & tenui, & deſtillante humore: igitur etiam ſicca, & ea, quam Vulpinam vocant, tuſſis à cauſa materiali fieri poteſt.

IV. Quær. 4. An tuſſes ſæpius à cauſa calida, an frigida, fiant? Reſp. cum Galen. *3. aph. comment. 25.* ſæpius fieri tuſſes à frigore, quod, tanquam manus tremens, ex cerebro humiditates in partes ſubjectas exprimit; unde gravedines, tuſſes, &c. oriuntur.

V. Quær. 5. Utrum plus noceat Tuſſis, quàm Vomitus? Reſp. Quod ad pulmones attinet, iis plus nocet tuſſis, quàm vomitus: unde ſæpius inculcavit Clariſſimus Herbertus, Profeſſor olim Viennenſis, etiam pulmoniacis ſine detrimento dari poſſe vomitoria.

VI. Quær. 6. Quænam illa tuſſis ſit, quam Uterinam vocant? & unde? Reſp. hanc plerumque gravidis evenire, ob compreſſionem diaphragmatis, vel ab ipſo fætu, vel à repletione venæ cavæ à ſanguine, ex utero in eam regurgitante, vel à flatibus, vel ab aquâ in abdomine contentâ: uti fit in hydropicis deſperatis.

Caput XLVI.

De Hæmoptoiſi, ſeu Sanguinis Sputo.

SAnguinis per ſputum, vel tuſſim, rejectio, eſt ſymptoma à morbo communi, vel conformationis, tanquam causâ propriâ, ſcaturiens, & *Sputum ſanguinis* vulgò dicitur: idque cum omnibus aliis hæmorrhagiis habet comme, ut fiat vel per ἀναςόμωσιν, vel ῥῆξιν, vel διάβρωσιν, vel διαπήδησιν. Fit διάβρωσις, ſeu corroſio, ab acrimonia ipſius ſanguinis: διαπήδησις, ſeu rarefactio, fit à nimio calore, & cutis ad rarefactionem diſpoſitione. Ῥῆξις, ſeu ruptura, fit à ſangvine, quantitate ſuâ venarum tunicas rumpente, vel ab irruente quovis violento. Ἀναςόμωσις verò fit à ſanguine, qualitate, quantitate, & tenuitate peccante: unde vaſorum dilatantur orificia, ſanguisque effluit.

Sputum ſanguinis.

Species ſputi ſang. vel potius cauſarum ejusdem.

Ejus Cauſæ quotuplex.

Externa.

Cauſa ſputi ſanguinis eſt *duplex*: *interna*, & *externa*: *externa* eſt, quæ vel mediatè, vel immediatè, id efficit: immediatè id efficit ictus, caſus, percuſſio, &c. mediatè verò id efficiunt, quæcunque ſanguinem augere, calefacere, acrem reddere, attenuare, depravare &c. poſſunt: ad hæc facit victus plenus, cum vino generoſo & aromatibus, conſuetarum evacuationum, utpote menſtruorum, hæmorrhoidum, hæmorrhagiæ narium, &c. retentio, item longa & athletica exercitia, ira, clamor, æſtus, item frigus ingens, poros conſtipans, & ſanguinem ita concentrans, ut venas rumpat; vel etiam *potus aquæ glaciatæ, in magno æſtu factus*: hic enim, repente adſtringendo, & humores repercutiendo, vaſa rumpit, vel aperit: quod Nobili cuidam Viennenſi non ita pridem contigit, qui facto, à ſaltu, vini glaciati magno hauſtu, in hæmoptoiſin & mortem incidit.

Quomodo aqua vel potus glaciatus excitet ſputum ſanguinis.

Diagnoſin quod attinet, primò neceſſe eſt, locum, è quo manat ſanguis, perſpectum habere: nam Gal. eos vocat ſtolidos, qui curas temerariè, loco affecto minimè cognito, auſpicantur. Quòd ſi à capite proveniat ſanguis, præceſſit dolor ejusdem, vel caſus, vel ictus, adeſt titillatio palati, & ejusdem cruentatio: ſi ex arteriis profluat, maximo impetu proſilit, tenuiórque eſt & rubeus, voxque cohibetur: ſi à pectore, præceſſit tuſſis, dolor, & gravitas: ſi à pulmone, ſpumoſus eſt ſanguis, rejiciturque ſine dolore; ſecundum Hippoc. *5. aph. 13.* ſequitur corporis extenuatio, & rubor in genis: ſi fiat à ῥήξει, primò erit multus, deinde paucus, cum aliquo dolore: ſi à διαβρώσει, ſeu eroſione, multus eſt ſanguis, & præceſſerunt acres à capite defluxiones, & victus calidus: ſi fiat ab ἀναςομώσει, ſeu apertione vaſorum, ſanguis à principio paucus eſt, dein augetur, eſtque ſine dolore: ſi ſanguis ſit ab apoſtematibus, corroſionibus, & ulceribus, eſt puri commixtus, & talia præceſſerunt. Vel breviùs: ſanguis ab ore proveniens quatuor modis cognoſcitur: aut expuitur tantùm, & eſt à partibus oris: aut exit cum ſcreatu, & eſt à colatorio, uvulâ, palato, & partibus eorum: aut exit cum vomitu, & provenit vel à ſtomacho, vel ab hepate, liene &c. aut exit cum tuſſi, & eſt à pectore, pulmone, canna, aut lacerto vocali,

Signa diagnoſtica cauſarum.

vocali, ſeu epiglottide: ſi verò ab aliâ aliquâ parte proveniat ſanguis, utpote ab utero, hepate, liene &c. (unde ad pulmones, qui ſic ſecundariò tantùm, & minori periculo afficiuntur, tranſmittitur) tunc præceſſit earundem partium dolor, inflammatio, tumor, aut intemperies.

Prognoſis. *Prognoſin* capimus ex Hippoc. *4. aph. 25. Sanguis ſi supernè qualiscunq; fuerit, malus; infernè autem niger, bonus*: quamvis omnis immoderata evacuatio, teſte Galen. *de compoſ. medic. per loca, cap. 4.* ſit mala. Hippoc. *5. aph. 3. Ubi ſanguis plurimus effluxerit, ſingultus, aut convulſio, ſupervenienx, malum*; intellige, niſi à plenitudine proficiſcatur: tunc enim aliquando ad valetudinem confert. Idem Hippoc. *7. aph. 15. A ſanguinis ſputo puris ſputum, malum*: Avicen. *10. 3. tract. 3. cap. 4.* Et ille, cui accidit ſputum ſaguinis, eſt præparatus, ut ei adveniat ulcus pulmonum; & ille, qui eſt à pectore, tam periculoſus non eſt, quàm ille, qui à pulmone. Et multoties ſputum ſanguinis eſt cauſa ſanitatis, ſc. apoſtematis in hepate, aut ſplene, reſolutio &c. Fit quoque ejusmodi ſanguinis rejectio innoxiè in mulieribus menſtrua obſtructa habentibus, vel in hæmorrhoidum obſtructione.

Quæ ſpecies ſit periculoſior. Inter ſpecies ῥῆξις eſt periculoſior, quàm ἀναστόμωσις; imò etiam quàm διαπήδησις: διάβρωσις autem eſt periculoſiſſima, & , ſecundum Galenum, incurabilis, ob ulcus, quod eam conſequitur.

Cura. *Curam* quod attinet: primus ſcopus erit, ſex res nonnaturales ad frigidum & ſiccum reducere, ut ſanguis cohibeatur & refrigeſcat. *Diæta.* Cibi itaque ſint glutinoſi, ſtyptici & frigidi: quales ſunt cremor hordei, pulmentum ex amylo, piſces viſcoſi, carnes craſſæ & pingues, animalium extremitates, recens caſeus, portulaca, milium, oryza. Potus ſit *aqua chalybeata*, vel *decoctum radicis pentaphylli*, aut *tormentillæ*, *ſantali rubei*, *ſeminis coriandri*, *lentium*, *hordei*, &c.

Venæſectio. Secundus ſcopus eſt ſanguinis revulſio, quæ ſtatim, injecto clyſtere, per venæſectionem in brachio ejusdem lateris, in quo aliqua compreſſio, vel dolor, ſentitur, fieri debet: idque per intervalla, neque in magna quantitate: ſolemus etiam ſecare venam malleoli internam, & maximè ſi à menſium, vel hæmorrhoidum, obſtructione fiat hæmoptoiſis: ad hunc etiam ſcopum cucurbitulas natibus, hepati, vel hypochondriis, aut inguinibus, applicamus: frictiones item & ligaturæ intermitti non debent. Tertius ſcopus eſt, ut mala ſanguinis qualitas emendetur: ſi enim aquoſus ſit, aut bilioſus, aqua educenda, bilis expurganda, viſcera corroboranda: aqua autem educetur *infuſo rhabarbari* & *myrobalanor. chebularum*, additâ pauca quantitate *pulveris radicis gialappa*, & *tartari*. *Purgatio.* Pro contemperando ſanguinis fervore:

Alterantia. Julepus.

℞. *Aqua portulac.*
 cichor.
 endiviæ, ana ℥iv.
ſyrup. cydonior.
 de portulac.
 myrtini, ana ℥ij. M.F. Julapium: doſis eſt ʒiv. vel v. bis in die: Vel, loco hujus, ſæpius lambatur *ſyrupus de ſucco portulacæ*, vel *corallior. rubeor.* quæ contemperando adſtringunt. Aliàs, pro quarto ſcopo, ad adſtringendum ſcilicet, ſequens *Pulvis* exhiberi poterit, bis in die, ad ʒj.

Pulvis adſtringens.

℞. *Cortic. myrobalanor. citrinar.*
boli Armenæ,
corallior. rubeor. prap.
ſem. plantag. ana ʒj.
ſacchari roſat. tabul. ʒij. M. F. Pulvis: doſis ʒj.

Experiſta. Aliàs, ſicuti in omni ſanguinis fluxu, maximè prodeſt *ſemen plantag.* ad ʒj. ſæpius exhibitum (eſtque ſecretum Sereniſſimæ domûs Mantuanæ) ita etiam in hoc. Aliqui ʒß. *ſemin. papav. alb.* omni manè, vel *ſyrup. de papavere*, vel ipſum *diacodium*, exhibent. Amatus Luſitanus *ſuccum urticæ* omnibus præfert, ad ℥iv. per aliquot dies ſumptum. Aliàs ʒß. *ſanguinis draconis*, ſæpius ſumpta, aperta vaſorum orificia mirè conſtringit. Aliquando cogimur ad *Narcotica* confugere: qualia ſunt, *Theriaca recens*, *Philonium Romanum*, *requies Nicolai*, vel denique *laudanum opiatum*, vel *laudanum Cæſareum*. *Narcotica.* Si verò, pro quinto ſcopo, porrectis adſtringentibus reſpirationis difficultas ſuboriatur, unde ſanguinis concreti & retenti ſumitur augmentum; ad *oxyſaccharum*, vel *oxymel*,

mel, vel etiam ad *poſcam*, dulcoratam tamen, confugiendum eſt, & diſſolutus ſanguis *rotulis diatragacanthi*, vel *ſyrupo de jujubis* educendus. Interea ſe- *Epithema.* quens *Epithema* hepati & ſcroto applicandum eſt:

℞. *Pulv. boli Armen.*
terræ ſigillat.
nitri, ana ʒij.
croci Mart. adſtringent. ʒj.
aquæ fabror.
acet. roſac. ℥iij. M. F. Epithema:

Vel, loco hujus, *ceratum ſantalinum* hepati & lumbis applicandum eſt: vel *unguento refrigerante Galeni*, vel *rubro potabili*, cum *oleo roſaceo*, & *nymphææ*, prædictæ partes inungantur. Si malum hoc ab acri catarrho fomentetur, humores contemperandi ſunt, cauterium brachio inurendum, corpus quater ad minimum in anno purgandum, & ſæpius *infuſum rhabarbari* in *aqua*, vel *decocto, cichorii* propinandum.

Objectio: 1. Objic. 1. Meſue, *cap. de fluxu ſanguinis*, ait, ab ore ſi fuerit acuitas & inflammatio, & ebullitio in ſanguine, propter mixtionem choleræ acutæ; in ipſo oportet, ut evacuetur cholera priùs, deinde phlebotometur: ergo idem & hîc faciendum eſſet. Reſp. neceſſitate non urgente, concedo: in magna revulſionis neceſſitate nego: quia, niſi protinus fieret revulſio, Æger expiraret, etiam medicamento in corpore exiſtente: quo turpius Medico accidere nihil poteſt.

2. Objic. 2. Rhaſes ait: In ruptura venæ pectoris, & phthiſicis, noli prohibere ſcreatum, perſeverante adhuc catarthi ad pectus deſcenſu: ergo malè id præcipimus. Reſp. Neque id facimus, niſi præmiſſis revellentibus & evacuantibus: ergo nec facimus contra Rhaſis præceptum.

3. Objic. 3. Dicitur hîc, quòd, ſi ſanguis à pulmone proveniat, ſpumoſus ſit: idem dicendum eſt, quando à pectore provenit, quia debet æquè ſubſtantiam pulmonum pertransire: ergo hæc differentia non videtur ſufficere. Reſp. aliud eſſe verè ſpumoſum, per totam ſubſtantiam; qualis eſt ſanguis, qui à pulmone rejicitur: aliud ſpumæ permixtum eſſe; qualis eſt, qui à pectore procedit.

Objic. 4. Dictum eſt: ſputum ſanguinis contingere mulieribus menſtruo carentibus innoxiè; cùm tamen difficillimæ curationis ſit, utpote cui aperitiva debentur, quæ ab Avicenna, *cap. de cura ſputi ſanguinis*, velut calida, prohibentur: ergo malè dictum eſt, ejuſmodi fluxum innoxium eſſe. Reſp. nos non dixiſſe, innoxium eſſe abſolutè, ſed tantùm non adeò periculoſum. Deinde menſtrua non tantùm provocantur aperitivis, ſed etiam venæſectione in pede; veluti ordinavimus cum Galen. *5. m.* qui per venæſectionem menſtrua provocat; non verò aperitivis utitur. 4.

Quæres: Quomodo hoc intelligendum, quòd Authores dicunt, omnem *Quæſtio.* ſanguinis rejectionem per ſuperiora eſſe malam; cùm tamen hæmorrhagia narium critica ſit optima. Secundò Galen. *aph. 4. comment. 25.* inquit, eam, quæ ſupra fit, per os, ſolam excretionem non eſſe ſemper malam. Tertiò Hippoc. ait: quicunque evomunt ſanguinem, ſi ſine ſebre quidem, ſalubre: igitur non ſemper eſt rejectio ſanguinis mala per ſuperiora. Reſp. Authores eſſe intelligendos de hæmorrhagia ſymptomatica, quæ ſemper eſt mala; non verò de critica.

Caput XLVII.

De Virium Imbecillitate, Lipothymia, ſeu Animi Deliquio, & Syncope.

Si levis ſit *imbecillitas*, eſt virtus tan- *Virium imbecillitas.* tùm cordis debilis: ſi major, eſt ἔκλυσις, ſeu Animi Deliquium: ſi *Deliquium animi.* maxima, *Syncope* dicitur; in qua eſt *Syncope.* *præceps omnium virium lapſus*, & quidem ſecus, ac in apoplexiâ; in qua virium cordis magna remanet integritas; quam indicat pulſus magnus: in ſyncope verò non; imò adeſt *aſphyxia* quædam, ſeu pulsûs ad ſenſum abolitio. Hunc affectum Lipothymia, ſeu animi deliquium, plerunque præcedit: quæ eſt ſyncope imperfecta. Non eſt mirum, ſi omnium partium actiones deſinunt, dum nempe ſpiritûs vitalis influxus prohibetur, unde partium ca-

Eorum Subjectum. lor innatus actuari non poteſt. Affectuum horum *ſubjectum* primarium eſt cor; ſecundarium, & conſecutivum, *totum corpus*: nam cor læditur & quoad attractionem, quæ fit in diaſtole; & quoad expulſionem, quæ fit in ſyſtole.

Cauſa efficiens syncopes. *Cauſa efficiens* proxima, immediata, & conjuncta, eſt fruſtratio motricis cordis, ſeu ſpirituum vitalium defectus, non quidem omnimodus (nam ſic eſſet mors) ſed ad ſenſum, & tantus quidem, ut natura cogatur ſpiritûs ex aliis partibus mutuari; quod patet ex earû refrigerio, ſudore ſyncoptico, & actionum omnium defectu &c. Fit autem ſyncope vel per reſolutionem ſpirituum; vel per ſuffocationem: reſolutio fit, dum læditur retentio, citra vitium expultricis: fitque dupliciter retentionis læſio: vel læsâ, ſeu potiùs fruſtratâ, facultate; vel ob errorem externum. Facultas cordis fruſtratur ob nimiam caliditatem, cum humiditate; uti fit in febribus ſyncopalibus, peſtilentibus, putridis, colliquativis, malignis &c. Error autem externus eſt ſpiritus vitalis nimis exiguus, vel tenuis: exiguus nimis generatur ob intemperiem frigidam & ſiccam; vel ob defectum materiæ, eò, quòd ſuccus crudus, & ater corruptus, alterationis incapax, cordi offeruntur. Hûc inedia refertur, quæ etiam in corde optimè conſtituto defectum ſpirituum cauſat. Per accidens eſt ſpirituum paucitas, quando ii generantur quidem, ſed per calorem, motum, exercitium, vigilias, Venerem, animi pathemata, cathartica, vulnera, evacuationes, & quaslibet inanitiones, è corpore eliminantur.

Syncope per conſenſum. *Ad conſenſum* accedunt morbi maligni cerebri, lienis, hepatis, teſtium, ſtomachi, in cardiaca; uteri, in hyſterica paſſione: quæ partes maximum habent cum corde conſenſum & ſympathiam. Inſenſibiliter quandoque ſpiritûs evacuantur, v.g. ubi adeſt nimia cutis raritas, balneum, & ambiens calidius, inedia longa, morbi chronici, gaudium vehemens, ira, dolor ingens in colicâ, nephritide, podagrâ, cardialgiâ, odontalgiâ, &c. ſuffocantur ſpiritûs, & obruuntur, à ſubitaneo ad cor refluxu, vel à vaporibus tetris, vel à ſangvine craſſo, frigido, viſcido, coägulato, obſtructionibus, &c.

Signa imminentis & Præſentis. *Signa* ſunt, quæ vel *futuram* ſyncopen, vel *præſentem*, denunciant. Quòd ſi tali affectu ſæpius afficiatur Æger, & accedat improviſa anxietas, animi perturbatio, capitis gravitas, viſus caligo, faciei coloris mutatio, pulſus frequens &c. ſyncopen *in propinquo eſſe*, pronunciandum eſt. Si vero *jam adſit*, patet ex præcipiti omnium virium lapſu, pulſu rariſſimo & formicante, obſcuro, intermittente, & tandem abolito, ſummo faciei pallore, habitûs corporis frigore, ſudore ſyncoptico, &c.

Differt ab aliis Affectibus. *Differt* ab Apoplexiâ, quòd in hac pulſus remaneat ſat magnus, adſitque ſtertor: ab epilepſia differt, quòd in hac ſint convulſiones: ab uteri ſtrangulatu, quòd in hoc audiant, & videantur ſuffocari, Patientes.

Indicationes à Subjecto morbi. *Indicationes* deſumuntur à *ſubjecto*, & *cauſa efficiente*. Cor, quod eſt *ſubjectum* hujus affectûs, vitale aliquod remedium proportionatum requirit: nam ratione calidi innati indicatur conſervans, & quidem ratione quantitatis, alimentum; ratione qualitatis, calidum ſimile requiritur.

à Cauſa efficiente. A *cauſa efficiente*, ſi ſit reſolvens, indicatur occludens & adſtringens, præſente ſcilicet immoderatâ apertione. Si *immodica* adſit *evacuatio*, ob materiam impetu motam, cohibenda eſt, & revellenda: ut ſi, v. g. fiat ſyncope ob immoderatum ſudorem, licet quidem adſtringere, ſed non revellere. Si ſyncope fiat *à reſolutione*, ob fluxum ſangvinis narium, licet revellere ad partes infernas: ſi verò fiat virium reſolutio, quia non generantur ſpiritûs, ob cordis intemperiem frigidam, indicatur calefaciens: ſi adſit quædam ſiccitas, ſimul humectans: ſi ſyncope ſit à *cauſa ſuffocante*, obſtructio nihil indicat, ſed tantùm materia obſtruens; quæ, ſi copioſa eſt, craſſa, & viſcida, indicat minuens, attenuans, detergens. Quòd ſi ſyncope fiat *ab errore externo*, ſeu cauſa externa, hæc quidem nihil indicat, niſi fiat interna; e.g. materia toto genere p. n. quæ eradicanda eſt.

Prognoſis. *Prognoſticum* ſyncopes deſumitur ex Hippoc. *2. aph. 41.* Qui frequenter, ac vehementer, ſine cauſa manifeſta, deficiunt

ficiunt animo, ii derepente moriuntur; taliter enim paulatim vires cordis exolvuntur; unde mors. Secundò ſyncope ratione partis nobilis, quam occupat, periculoſa eſt, & magis, quàm lipothymia. Tertiò periculoſior eſt, cum cordis pars ſiniſtra afficitur, quàm dextra. Quartò ſyncope, quæ adhibitis remediis non ceſſat, lethalis eſt: quin, etſi parum ceſſare videatur; ſi tamen pulſus non redeat, nec calor, maneátque Æger frigidus, facilè relabitur, & moritur. Quintò ſyncope, quæ fit à vehementibus animi motibus & evacuationibus, vel à cauſa quadam evidenti & ſubitanea, tam periculoſa non eſt. Sextò periculoſior eſt ſyncope, quæ fit à cauſa reſolvente, quàm à ſuffocante; niſi ſuffocatio fiat à cauſa venefica & peſtilente; quæ in eodem verſatur periculo.

Cura. *Curam* quod attinet, ſyncopticus ſtatim ſupinus collocandus eſt in plano, deinde aqua frigida faciei inſpergenda, ſternutatio procuranda, *vinum generoſum*, *aqua Imperialis*, *cinamomi bugloſſata*, *elixir vitæ Matthioli* &c. in os injicienda ſunt: naribus panis recens è clibano extractus admovendus, ſal labiis & dentibus affricandus, item nodulus ex *caryophyllis* & *floribus borraginis* confectus, in aceto intinctus, olfactui admovendus, vel *aqua ſalſa* in ore detinenda; item volæ manuum, & plantæ pedum, rutâ fricandæ ſunt. Hîc tamen maximè cauſa mali reſpicienda eſt: nam ſi à defectu alimenti ducat originem, intingatur *mica panis* in *vino generoſo*, & porrigatur; item offerantur *ova ſorbilia*, *contuſa valde nutrientia*, *juſcula reſtaurantia*, *gelatinæ*, & ſimilia. Quòd ſi à nimio ſudore fiat, pori adſtringantur aëre frigidiori, irrigatione per aquam chalybeatam, julapiis refrigerantibus intrò ſumptis; epithematis cordi, hepati, teſtibus, pulſibus, applicatis, ut:

Epithema cordial.
℞. *Pulv. ſpecier. pro epithem. cordis,*
hepatis, a. ℈ij.
aquæ borrag.
bugloſſ.
roſar.
acet. rub. Idæi, ana ℥ij.
camphoræ ʒß. M. F. Epithema. Vel Pulvis lecto inſpergendus præſcribatur ſequens:

Pulv. adſperſorius.
℞. *Flor. nymph.*
roſar. rubear. ana ʒiij.
ſem. ſumach.
myrtillor. ana ʒij. M. F. Pulvis lecto inſpergendus. Si fiat ab uteri ſuffocatione, remedia illi affectui conducentia adminiſtrentur: ſi fiat à malignitate febris, alexipharmaca conducent; ſi à veneno, eradicantia, & ei oppoſita, ex uſu erunt: ſi ab hypercatharſi, ſive nimia purgatione, narcotica; uti eſt *Theriac. recent.* ʒj. vel gr. iij. *laudan. opiat.* adſtringentia, deinde nutrientia, erunt imperanda: ſi ab hæmorrhagiâ, ea ſtatim erit ſiſtenda: ſi fit à plethora, ſangvis per vices educendus: ſi à ſpirituum in centro ſuffocatione, ii ſunt per ligaturas, frictiones, cucurbitulas &c. ad peripheriam revocandi: talis autem ſuffocatio fit à ſubitaneo metu; quò in caſu venæſectio emolumenti affert plurimum. Sternutamenta in ſyncope ſæpius adhibeantur: qualia ſunt:

Pulv. Sternutatorius.
℞. *Rad. helleb. alb.*
flor. lilii convall.
ſem. nigellæ, ana ʒß. M.
F. Pulvis, qui in nares inſuffletur in parvâ quantitate. Loco ſternutatorii *Theriaca* & *Mithridatium*, cum *extracto caſtorei*, vel *confectione anacardina*, naribus & palato inungantur: item **Errhina.** *balſamus*, *oleum*, & *aq. cinamomi*, *rutæ*, *caryophyll.* cum *moſcho* & *ambra*, *acetum florum tunica*, vel *ſambuci*, *eſſentia meliſſæ*, lipothymiam citiſſimè diſcutiunt.

Diæta. In *Diæta* aër ſit frigidus, ſi ſyncope proveniat à reſolutione: deinde à ſuffocatione non conducit calidus; quia magna adeſt neceſſitas ſpiritum concentrandi, eventilandi, & refrigerandi: cibus ſit liquidus, & facilis diſtributionis, præterquam in ſyncope, quæ fit à ſuffocatione; in qua à vino abſtinendum eſt.

Objectiones. 1. Objic. 1. Galen. *Comment. in 41. aph. 2.* omnino contrariatur Hippocrati: nam non omnes, inquit, qui exolvuntur, derepente moriuntur; quod tamen Hippoc. *aph. eodem*, aſſerit. Reſpond. eos, qui ſæpe, & vehementer, & ſine cauſa exolvuntur, derepente mori. Si verò tres iſtæ conditiones non adſint, vera eſt Galeni ſententia.

Obji-

2. Objic. 2. In Syncope planè non videtur convenire venæſectio: Ergo malè ab Authoribus proponitur; quia magis adhuc ſpiritûs deperduntur. Reſp. cum Galen. *1. aph. comment. 23.* ubi, ſæpius ad animi deliquium ſangvinem mittendû eſſe, aſſerit: deinde ſi ſyncope ſit à maximo dolore, proderit; vel ab obſtructione; vel à remorata circulatione: per venæſectionem obſtructiones reſerantur, ſangvini motus & eventilatio reſtituitur, ſpiritûs ſuffocati eventilantur: adeoque conciliandi, & bene intelligendi ſunt Auctores; non confundendi.

Quæstio. I. Quær. 1. Utrum in Lipothymia reficientia ſtypticis præmitti debeant; vel contra? Reſp. quòd actu exiſtens ſyncope refici deſideret: & ſic præcedent reficientia ſtypticis; ideo frigidam in faciem conſpergimus: ſed ſi timeatur de futura ſyncope, ob nimiam evacuationem ſtyptica præmittenda ſunt: eſt Galeni, *12 in cap. 6*

II. Quær. 2. Cur ſale guſtato, vel confricatis eodem labiis, Ægri ab animi deliquio & ſyncope (uti ſæpius inter venæſectionem probavimus) liberantur? Reſp. Vel quia per violentiam frictionem excitantur ſpiritus; vel quia ſal eoſdem figit & concentrat, qui aliàs reſolvebantur: vel, ſicuti ſal ſummum eſt rerum conſervativum; ita etiam hominis, in tanta virium reſolutione.

III. Quæres 3. Cur venæſectio usque ad animi deliquium, ſecundum Hippocratem & Galenum, in ſummis febribus, & doloribus, adeò proficua cenſeatur? Reſp. Cùm ſummæ febres fiant à ſumma ſangvinis & humorum fermentatione, unde vaſa repleta dolores, tenſiones, & anguſtias ſummas excitant, quantitate illâ ſanguinis fermentantis demptâ, deſinit tenſio, dolor, & calor. Hinc ſemper neceſſe eſt, ut peritus Medicus phlebotomiam cum putredine & fermentatione commenſurare ſciat. Idem cenſendum eſt de doloribus à repletione cauſatis.

IV. Quær. 4. Cur animi deliquio affecti ſolo, vel humi, proſternendi ſunt, ita, ut nulla pars alterâ ſit depreſſior, aut elatior, quo citiùs vires reſumant? Reſpond. quia hôc corporis ſitu ſpiritûs liberiùs ſeſe ad omnia corporis membra recipiunt; unde facilior reſipiſcentia.

Quær. 5. Unde fit, quòd quidam à morbo tam difficulter vires recipiant; alii verò promptiùs? Reſp. id plerumque fieri ob corporis impuritatem, adnuente Hippoc. *Impura corpora quantò magis nutries, tantò magis lædes:* adeóque, ſi in ſtatu convaleſcentiæ corpus nutritum non proficiat, ſignum eſt, purgatione egere. V.

Nota 1. in animi deliquiis Mulierum odorifera ex *roſis*, aut *balſamis*, applicanda minimè eſſe: nam hiſce matrix concitatur, & hyſterica fit ſuffocatio. Dum enim matrix odorifera, uti & dulcia, appetit, ad eorum præſentiam movetur, &, ſi aliàs ſemine putrido, vel cacochymicis & narcoticis ſcateat humoribus, ii commoti vapores ſurſum mittunt, qui, ad nervos pectorales delati, difficilem reſpirationem; ad caput, ſtertorem; ad artûs, convulſiones excitant. 1.

Nota 2. Medico diligenter attendendum eſſe, dum Patientem accedit, ne funeſtum illicò effutiat prognoſticum. Accidit enim perſæpe, ut Patientes, minimè aliàs periclitantes, in animi deliquio, aut ſyncope, reperiantur, qui, paulò pòſt refecti, temerarium Medici irrident prognoſticum. 2.

Caput XLVIII.

De Palpitatione Cordis.

Quemadmodum in ſyncope cordis motus diminutus; ita in Palpitatione eſt auctus & depravatus, cum difficili anhelitu, arteriarum motu, & animi pathematis. Sicque *Palpitatio Cordis* nihil aliud eſt, quàm immoderata ejus concuſſio, quâ vehementer attollitur & contrahitur, ut, quod ſibi noxium eſt, excutiat. *Palpitationis Cordis Definitio.*

Cauſa ſunt vel intemperies, quæ cor ad motum reddit promptius; vel inflammatio, tuberculum, ſanguis multus & craſſus, grumoſus, obſtructionem faciens, bilis retorrida, aucta pericardii aqua, quæ libero motui reſiſtit, flatus in eo concluſus, humor putridus, lapilli; vel aliarum partium conſenſus, ut vapor virulentus ab utero, hypo- *Cauſa.*

chon-

chondriis, liene, ventriculo, pulmone &c. elevatus; quem, tanquam hoſpitem externum, pulſu continuo diſcutere conatur facultas cordis expultrix.

Differentia. Hinc alia palpitatio eſt *per eſſentiam*, alia per *conſenſum* vel partis, vel totius: ut in febribus malignis, & criſi; in qua, ob agitationem humorum, tetri vapores cordi per arterias communicantur: ita in ſpleneticis, melancholicis plurimis, cachecticis, puellis chloroſi laborantibus, lumbricos in alvo, & aliam quamvis crudam colluviem foventibus: ab iis enim vel flatus, vel vapor, exurgit, & cor irrepit. Hæc palpitatio ſæpius per quietem remittit, ſed modico motu, calore, balneo, crapulâ, vini meracioris potu, irâ, metu, fœtore, aëre infecto &c. vehementer exaſperatur.

Diagnoſis. *Signa diagnoſtica* ſunt evidentia & palpabilia: nam inordinatus & inſvetus eſt cordis motus, & interdum tantus, ut, facto anevriſmate, coſtæ ipſæ è locis ſuis ſecedant. Accuratè hic diſtingvendum eſt, à quanam cauſa oriatur hic motus. Si enim à calore, pulſus eſt celer, adeſt febris, ſitis, reſpiratio magna, lingvæ ſiccitas, macies, ὀξυθυμία, ſeu proclivitas ad iram; ſi verò ſit à frigore, pulſus eſt tardus, languidus, ignavia, apyrexia: ſi à ſanguinis copia, apparet plethora, juvenilis ætas, victus ratio plena, polyphagia, quæ multum generat ſanguinis: in hoc caſu ſubitanea ab exercitio fit invaſio; à flatu citiùs deſinit.

Prognoſis. Affectus hic ſat periculoſus eſt, & huic morbo obnoxii rarò ad ſenectutem perveniunt; teſte Galen. *5. de loc. affect.* ſed quò frequentior eſt, tantò periculoſior. Dicit Avicennas, eam, quæ fit ab inflammatione, confirmatâ intemperie, tumore, vulnere, anevriſmate, pernicioſam eſſe. Si fiat à commixtione pericardii cum corde, inſanabilis eſt; teſte Galeno: item in febribus oborta lethalis eſt; quia incenſum vitæ principium denotat, ex Hippocrate, *4. aph. 65.* Palpitatio, quæ fit per eſſentiam, periculoſior eſt illâ, quæ fit per conſenſum; ſecundò ea, quæ fit à cauſa interna, pejor eſt illâ, quæ fit ab externa.

Indicationes unde deſumendæ. A forma, ſeu motu pravo, non ſumitur utilis *Indicatio*. A corde, affectûs hujus ſubjecto, deſumitur indicatio vitalis. Quoad cauſam efficientem, ſi eſt intemperies calida, indicatur refrigerans: ſi frigida, calefaciens. Tumor & anguſtia nihil utile indicant; ſed materia, quæ tumorem & anguſtiam facit, ſui indicat evacuationem. Soluta unitas *oleum* requirit *Sacerdotale*. Cauſa externa nihil indicat, niſi ſubeat naturam cauſæ internæ.

Cura. Venæſectio. *Therapiam* quod attinet, ſi cauſa ſit copia ſangvinis, vires prementis, præmiſſo enemate, baſilica brachii dextri: ſi à retentis menſibus, vel hæmorrhoidibus, malleoli interna ſecanda eſt. Si lien vapores contribuat, in ſiniſtra parte celebranda eſt *venæſectio*, obſervatâ ſcilicet rectitudine fibrarum: ſi verò adſit animi deliquium, ſummáque partium refrigeratio, à ſectione penitùs abſtinendum eſt: ſi palpitatio ſit à cacochymia, humor ille putridus, emittens vapores, cathartico convenienti educendus eſt; ſi, v. g. ſit bili permixtus humor, ſequens Potio ex uſu eſſe poterit:

Purgatio. Potio.

℞. *Rad. aſparag.*
gramin.
petroſel.
angelic. ana ʒiij.
ſem. cartham.
card. bened.
fœnicul. ana ʒj.
herb. meliſſ.
ſcabioſæ, ana m̃ß.
flor. bugloſſ.
calendulæ, an. p. j. F. Decoct. in ſ. q. *aquæ borrag.* ad ℥iv.
In colatura infunde per noctem
agaric. recens trochiſcat. ℈iv.
rhei electi ʒij.
folior. ſen. mundat. ʒiß.
cinam. ℈j. Manè in expreſſione diſſolve *ſyrup. de roſis moſchati* ℥j. Si fortior eſt Patiens, in iis diſſolv. *electuarii de tamarindis* ʒij. M. F. Potio. Vitanda ſunt omnia quæ vires cordis jam debiles magis dejiciunt: ut ſunt ſcammoniata, colocynthis &c. In acceſſione vicem purgationis ſubire poſſunt clyſteres, frictiones partium externarum, applicatio cucurbitularum ſiccarum in hypochondriis, flatûs diſcutientia.

cum

tum intus ſumpta, tum extra appoſita. Ad cordis calorem, qui ex motu oritur, contemperandum ſequens Julapium præſcribendum erit:

Julapium refrigerans. ℞. *Syrup. de ſucco acetoſ.*
acetoſit. citri,
granator. acidor. ana ℥iß.
aq. bugloſſ.
oxalidis,
fragor.
borraginis.
meliſſ. ana ℥iij.
ſpir. vitrioli q. ſ. M. F. Julapium: de quo ℥iv. vel vi. pro viceunâ exhiberi poterunt. In eundem uſum ſequens Mixtura porrigi ſæpius debebit:

Mixtura. ℞. *Conſerv. acetoſell.*
acetoſit. citri,
flor. borrag. ana ℥ß.
pulv. diamargarit. frigid.
trochiſc. de camphor.
raſur. eboris, ana ʒß.
oſſis de corde cervi pulveriſat. ℈ij.
Cum *ſyrup. de ſucco limonum* F. Opiata mollis; de qua ſæpius magnitudo caſtaneæ ſumatur; & ſequens *Epithema* cordi & pulſibus applicetur:

Epithema Cordial. ℞. *Aq. borrag.*
card. bened.
acetoſ.
nenuepharis,
roſar. ana ℥ij.
acet. roſac. ℥iß.
pulv. ſantali rubei,
trochiſc. de camphora, ana ʒß.
croci ℈j. M. F. Epithema, cordi & pulſibus applicandum. Quòd ſi tanta ſit palpitatio, ut anevriſma in fieri eſſe videatur, apponi debet *lamina plumbea*, vel etiam *ferrea*, *pulvere* aliquo *cardiaco* conſperſa. In cauſa frigida omnia debent eſſe calefacientia: ut eſt *conſerva flor. anthos, bugloſſ. meliſſ. cortex citri conditus, nux moſchata condita, Mithridatium, Theriaca, el. Orvietanum, confectio alkermes, electuarium diambra, diamoſchi dulc. diamargarit. calid. ſpecies lætificantes Galeni, lignum aloës, cinamom. caryophyll. radix angelic. Zedouria, ſemen cardui b. amomi, crocus, ambra, moſchus:* ex quibus fiunt *Opiata*, cum *ſyrup. conditura cortic. citri*, vel cum *ſacharo*, in

Rotulæ. *aqua roſar.* diſſoluto, F. *Tabellæ*: vel cum *aqua cardui bened. borrag. meliſſ. ſuccisa,*

Potio. Morſelli. *angelica, calendula*, ſit *Potio*, vel *Morſelli*, vel, cum aliquo *ſyrupo*, nempe de *ſucco meliſſæ*, fiunt *Boli*. Eodem modo *Epithemata* magis debent eſſe calida; uti eſt *Theriaca*, in aqua *cardiacâ*, vel *calendula*, diſſoluta, cum *pulvere caryophyllor.* &c. *Linimentum* ex unguento *roſato Meſ. oleo citri, cinam. caryophyllor. moſcho & ambra*, &c. Si malum ſit à chloroſi, vel ab hydrope, cachexia, hypochondriaca paſſione; hæc mala tolli priùs debent per medicamenta iis convenientia. Sequens *Gelatina* palpitationi eſt accommodatiſſima: ℞. *Gallum veterem, deplumatum*, & ab omni pingvedine *liberum*, num. 1. Incidatur minutim, unà cum oſſibus, dein adde

Boli. Epithemata. Linimentum. Gelatina.

corda vervecis num. ij.
cinam.
caryophyll.
macis, ana ʒß.
fol. meliſſ. mß.
flor. borrag.
bugloſſ.
roſar. ana p. j.
vini alb. ℥ij.
confect. Alkermes ʒj. Ponantur in lagena ſtannea bene cooperta: Bulliant in MB. octo circiter horis: deinde f. expreſſio fortis, & ponantur loco frigido, donec concreſcant in Gelatinam; de hac cum omni juſculo exhibeantur cochlearia duo: eſt ſummum confortans & appropriatum. Alii apponunt regioni cordis *cucurbitulas ſiccas* in paroxyſmo: & *clyſteres carminativos* ſæpius injiciunt. Alii pro ſecreto habent, ſi *os de corde cervi* regioni cordis

Amuletum. appendant. Alii *rhapontici veri* ʒß. cum *vino* propinant: vel omnia coquunt in *vino generoſo*: vel cum *ol. cinamomi*, & *moſcho*, F. Rotulæ, quæ ubiq; ſecum geſtentur, & uſurpentur: nec Epithemata cordi & pulſibus applicanda negligantur, ex *Theriac. camphora, aq. carbunculi*, vel ex *balſamis cordialibus*. *Aqua Anhaltina* uſus eſt utiliſſimus ad palpitationem cordis.

Objectio 1. Objic. 1. Non videtur ſatis hîc diſtingui palpitatio cordis à tremore. Ergo malè. Reſp. cum Galen. *lib. de trem. & palpit. cap. 5.* ubi ait: Tremor eſt partium, quæ ſurſum viciſſimq; deorſum moventur, involuntarius motus; ſed ſurſum ferri & diſtrahi, & ferri deorſum & contrahi, uti fit in palpitatione, non eſt idem: Ergo palpitatio & tremor non ſunt idem.

Qu.

Quæſtio I. Quæres: Unde in Chloroſi tanta ſit palpitatio cordis? Reſpond. palpitationem cordis in chloroſi provenire præcipuè poſt motum ab humoribus ſeroſis, in capſula cordis contentis, qui, dum per motum agitantur & rareſiunt, cordi fiunt moleſtiores, adeóque illos dum excutere nititur cor, & non poteſt, motus augetur, fitque palpitatio. Eadem ferè eſt ratio palpitationis poſt curſum. Aliter à metu fit palpitatio, retrocedentibus ſcilicet ad afflictum cor ſpiritibus, quaſi ſuppetias laturis: ſimul etiam refluunt alii humores; unde non tantùm palpitatio, ſed quandoque etiam mors, ſubſequitur.

2. Objic. 2. Galen. *5. de loc. affect. cap. 2.* dicit, ſe nunquam inutiliter venam ſecuiſſe in palpitatione cordis; cùm tamen dictum ſit, eam poſſe fieri à flatibus & ſeroſis humoribus; in quibus planè non convenit venæſectio. Reſp. Si flatus à cruditatibus, & ſeroſi humores à plethorâ cauſentur, uti plerumque contingit in catarrhis à plethora ortis; etiam in iis convenit venæſectio: non quidem ratione ſui, ſed ratione cauſæ.

3. Objic. 3. Zacut. Luſit. applicat ventoſam cordis regioni; cùm tamen per hanc plures humores videantur ad cor attrahi. Reſpond. id fieri non in corpore repleto, & in palpitatione ab humoribus cauſatâ; ſed à flatibus: hi enim diſcutiuntur.

II. Quær. 2. Unde cognoſcitur, palpitationem fieri à malignis vaporibus? Reſp. Per inæqualitatem pulsûs.

III. Quær. 3. Quomodo diſtingvatur palpitatio arteriæ cœliacæ, à palpitatione cordis? Reſp. Imprimis ſitu: nam pulſus arteriæ cœliacæ longè infra cor, & ferè ad regionem ſiniſtram ſtomachi, ſentitur; fitque plerunque in magnis hypochondriorum obſtructionibus: tántaq; interdum arteriæ illius eſt palpitatio, ut quandoque ex diſtenſione fiat anevriſma: ex cujus apertione repentina mors ſuccedit.

❧:(o):❧

Caput XLIX.

De Imbecillitate Stomachi, Inappetentia, & Cibi Faſtidio.

Ut terra ſtirpium, ſic ventriculus, in animalibus, cibi receptaculum & quaſi promptuarium eſt; quem, ſinu ſuo exceptum, certâ percoquit horâ, & in chylum, omnibus partibus accommodum, commutat: nam ventriculus eſt primæ coctionis officina, ejúsque vitium non corrigitur in ſecunda, nec in tertia: quòd ſi prorſus aboleatur coctio, vocatur ἀπεψία; ſi imminuatur, βραδυπεψία; ſi depravetur, δυσπεψία nominatur. *Ventriculi vitia.*

Horum ſymptomatum *Cauſa* eſt vel facultatis læſio; vel error externus: facultas, licet impropriè, bifariam læditur: in *eſſentia* ſcilicet, & *inſtrumenti vitio*: per eſſentiam intelligitur temperamentum, dum pervertitur, & vocatur intemperies vel ſine, vel cum materia. *Intemperies* ſine materia diu non permanet: ſi enim eſt calida, bilem, & corruptum alium congenerem habet humorem: ſi frigida, pituitam & cruditatem. *Inſtrumenti vitia* ſunt prava conformatio, tumor p. n. ulcus, abſceſſus &c. *Error externus* pendet vel ab alimentis, quæ ob copiam, vel qualitatem alienam, uſum intempeſtivum, ordinem præpoſterum, corrumpuntur: vel ab excrementis, ſive in ventriculo, ſive aliunde confluentibus; quæ ſumptum cibum, etſi laudabilem, inficiunt, & coctionem impediunt: vel à labore, Venere, ſomno breviore, cæteriſque rebus coctionem interpellantibus, Galen. *3. de ſympt. cauſ.* *Cauſa.* *Intemperies.* *Inſtrumenti vitia.* *Error externus.*

Intemperiei calidæ ventriculi *ſigna* ſunt ſitis, anorexia, ſive inappetentia, oris & præcordiorum ardor, potûs cibique frigidi appetentia, læſio in uſu rerum calidarum, ructûs bilioſi, nidoroſi, oris ſiccitas, ſalivæ paucitas, præcipuè ſi adſit ſiccitas, totius corporis macies, lingvæ ſcabrities, oris ventriculi dolor cardiacus, nauſea, vomitus, corporis inquietudo, &c. *Signa Intemperiei Calidæ.*

Frigidæ intemperiei, ſive debilitatis ventriculi, quæ ab illa provenit, ſigna *Frigida.*

ſunt, major ciborum appetentia, nulla ſitis, facilis & jucundus calidorum uſus, coctionis tarditas, vomitus pituitoſus, multitudo ſalivæ, linguæ albedo, & labiorum pallor, inflatio, tenſio, gravitas, tumor doloroſus, extremorum frigiditas, anxietas. Si adſit abſceſſus, ex rejectis colligetur: ſi ulcus, cibis acribus ingeſtis exacerbatur malum, & vomitus urget, quo ſangvis, vel ſanies, rejicitur, langvet appetitus, accedit lenta febris, corpus cachecticè ſeſe habet, & ſenſim contabeſcit deficitque.

Inappetentiæ Cauſa. *Inappetentia* cauſatur, quando partes non inaniuntur, remanente ſcilicet in iiſdem alimento, vel quavis aliâ colluvie, à crapulâ, exercitii defectu, pororum adſtrictione, quam ipſæ partes faſtidiunt: ſic non ſentitur in ventriculo ſenſus ſuctionis, ab ipſis partibus provenientis: deinde aliquando tractio illa à partibus non exercetur, quando nempe calor innatus earum nimis eſt debilis, ob febres malignas vel hecticas, cachexias, inedias, evacuationes nimias &c. vel non fit tractio, propter obſtructiones partium illarum, per quas fieri deberet: vel etiam non ſentitur illa ſuctio, ob defectum animalis facultatis non ſentientis; vel ob læſionem nervorum, ventriculo ſenſum communicantium: hi enim dum vel amittunt ſuum debitum temperamentum, vel ob ſpiritû obſtructione retentum, vel compoſitionem; ſenſu vel ex parte, vel ex toto, privantur. Hinc delirantes cibi nihil ſumere volunt, quia ſenſum ſuctionis, ob nervos præcalidos & malè affectos, non ſentiunt.

Indicationes. Hiſce bene ponderatis, ad *Indicationes* deveniendum eſt. Si malum ſit ab intemperie frigida, calefaciendum; ſi à calida, refrigerandum: ſi verò ſit cum materia, ei appropriato cathartico obviandum, viresque conſervandæ.

Prognoſis. *Prognoſis* hujus affectûs deſumitur ex *2. aph. 31. Si alicui, à morbo bene comedenti, corpus non proficiat, malum*: tum propter alteratricis virtutis imbecillitatem, quæ non poteſt tantum conficere, quantum appetit; tum etiam propter humorum peccantium abundantiam: hinc eſt, quòd evacuatione indigeat: *impura enim corpora quò plus nutriveris, eò magis læſeris*: *2. aph. 10.* quia mali ſucci, in corpore collecti, attactu & conſortio novus accedens cibus corrumpitur. Item in convaleſcentibus cibi faſtidium recidivam minatur, ob eandem cauſam. Bona autem appetentia in omnibus morbis laudabilis eſt; teſte Hippoc. *2. aph. 33. Sic, mente conſtare, & rectè ſeſe habere, ad ea, quæ offeruntur, bonum: contrà, malum.* Nam pravos humores ventriculi orificium occupare, calorem & facultatem opprimi, vel obtundi, quominùs ſenſum ſuctionis habeat, ſignificat. Hinc obſervatum, in peſte quosdam, omni appetentiâ privatos, interiiſſe; alios, æquè inappetentes, violenter & coactè cibos ingeſſiſſe, & evaſiſſe. Melius ſemper eſt, inappetentiam provenire ab humoribus pravis, quàm à caloris nativi exolutione. Si fiat à pituita, eâ exclusâ ſedatur inappetentia. Naturæ magis conſentaneum eſt, hanc inappetentiam ſenibus, quàm pueris, in quibus plurimum mollis ſubſtantiæ diſſipatur, & plura requiruntur alimenta, contingere. Hippocrates, *6. aphor. 3.* In longis inteſtinorum difficultatibus cibi faſtidium, malum: ob communem inteſtinorum, & ventriculi, tunicam, quæ, dum ſecundum inferiorem partem vel ulcere, vel inflammatione, læditur, compatitur etiam ſecundum ſuperiorem. Hanc ob cauſam dyſenterici tandem vocem amittunt, ob ſympathiam, & continuationem inteſtinorum cum gula.

Cura Inappetentiæ à Frigida intemper. *Curam* inappetentiæ quod ſpectat, ſi *frigida intemperies* adſit cum humore, humor phlegmaticus præparandus & educendus eſt per phlegmagoga, ut:

Purgatio. Potio.

℞. *Agarici rec. trochiſcat.*
mechoacann. alb. ana ℥iij.
rhab. elect. ℥ij.
fol. ſen. ſſ ℥ijß.
Zingib. elect. ℥j.
mann. elect. ℥iß.

His

His ſuperaffunde *aq. bullient.* ℥v. Stent infuſa per noctem: manè, factâ levi ebullitione, in colatura, *albumine ovi* clarificata, & pauco *cinamomo* aromatizata, diſſolve

ſyrup. roſarum. moſchatar. vel *muchari roſ.* ℥ß.
magiſt. tartari laxat. ℈j.
ſpir. macis ℈ß. M. F. Potio.

Vomitus. Vel etiam Vomitus

ſalis vitrioli alb. ℈j. vel
ſyrup. emetic. Angeli Sala ℥j. provocari poterit. Deinde accedendum eſt

Alterantia. ad *alterantia*, ſed *paulatim calefacientia*: ut eſt *conſerva abſinth. Pont.* & *ſal ejusdem*, quod verè dici poteſt *ſpecificum ſtomachicum*, quia menſtruum ſalivale à ſimilitudine ſubſtantia reſtaurat, *radices acori condita*, *zingiber*, *zedoaria*, *calamus aromaticus*, *cortic. citri*, *aurantior. nux moſchata condita*, *ſyrup de mentha*, *de abſinthio*, *de cinamomo*, *aqua vita*, item *eſſentia cinamomi*, *elixir vita Matthioli*, *elixir proprietatis Paracelſi* &c. *ſpecies roſata novella*, quæ ad reſuſcitationem caloris innati mira faciunt: potus calidus, *vinum Malvaticum*, vel *Hippocraticum* &c.

Externa. *Extrinſecè calefacientia* applicari poſſunt: ut eſt *unguentum Imperatricis Eleonora ſtomachicum*, *oleum abſinthi*, *maſtichis*, *ſpica*, *camomilla*, *ſpirit. macis*, item *placenta ex ovis in frixorio aſſatis*, cum *oleo camomilla*, ex *abſinthio & mentha*, *inciſis* calidè applicata. Item Sacculi ejusdem regioni applicari poſſunt, ut:

Sacculus ſtomachicus. ℞. *Comar. abſinth.*
mentha,
lavend. ana mj.
maſtiches,
tacamahac.
nucis moſchat. ana ʒj.
flor. anthos,
lavend.
roſar. ana mj.

Omnia inciſa, & *ſpiritu abſinthii* irrorata, includantur Sacculo, qui in regione ſtomachi geſtetur. Aliqui *ſalem in ſartagine toſtum* ſacculo imponunt, & calidè ſtomacho applicant; quod mirè confortat ſtomachum.

Interna. Pulveres. Decoctum ſaſſafras. Continuentur præterea interna, uti eſt *Pulvis cortic. aurantior.* cum *tartaro* & *ſale abſinthii*; item *decoct. ligni ſaſſafras*, quod appetitum vehementer excitat; præſertim, ad majorem energiam, aliquot gr. *croci Martis* additis: Mars enim appetitum excitat, ut patet in Acidularum potoribus, qui mirè appetunt. *Acidula appetitum excitant.*

Emplaſtra quoque applicari poterunt; uti eſt *diaphænic. calid. de maſtiche*; item ex *reſina pini*, ſupra alutam extenſâ; quod etiam pleuritidi conferre, pluries expertus ſum. *Externa. Emplaſtra.*

Si malum proveniat *à cauſa calida*, primò hæc tollenda eſt humoris bilioſi alteratione, præparatione, & eductione: *Præparatur* bilis *ſyrupis refrigerantibus*: ut: *à Cauſa calida. Præparatio.*

℞. *Aq. cichor.*
acetoſ.
lactuc. ana ℥iv.
ſyrup. de ſucco acetoſ. ℥iij.
mentha ℥ß.
oxyſacchar. ſimpl. ʒvj. M. pro tribus doſibus.

Purgatio talis eſſe poterit: *Purgantia. Potio.*

℞. *Rhab. elect.*
cortic. myrobalanor. citrin. ana ʒiß.
pulpa tamarindor. ℥ß.
fol. ſen. ʒiij.

Infunde per noctem in ſ. q. *aqua cichorii ſtillatitia*: manè, factâ levi ebullitione, in colatura diſſolve

mann. elect. ℥ij.
flor. nitri gr. vij.
crem. tartari ʒß. M. F. Potio.

Emulſio quoque refrigerans propinari poterit: ut: *Emulſio refrig.*

℞. *Sem. melon.*
cucumer.
cucurbit. an. excorticat. ʒiij.
amygdalar. dulc. excorticat. ℥ij.

Contunde in mortario, ſenſim affundendo *decocti hordei* ℔j. F. l. a. Emulſio, in qua diſſolve

ſyrup. de portulac.
ſucco limon. ana ℥ij. Detur ad vitrum: doſis ℥vi. Si ab alia aliqua parte dependeat malum, ab ejus quoque partis cura mederi oportet.

Nota: quòd in ſumma ventriculi debilitate *Potus aquar. Thermalium*, quales ſunt *Carolina in Bohemia*, magnâ copiâ potæ, plurimùm auxilio fuerit: frigidum namque ſtomachum calefaciunt, craſſos humores abſtergunt, *Potus aquarum Thermalium.*

& omnem ab inteſtinis ſaburram è corpore eliminant, ſed obeſis potiùs, quàm macilentis, conducunt; pulmoniacis ſunt omnino funeſtæ: nam experientia docuit, tales plerunque fuiſſe extinctos: ſubſtitui poſſunt *Thermæ Badenſes*: quas aliquando tum ad hunc ſcopum, tum etiam ad ſiſtendas ſalivationes, à Mercurio procuratas, fructuosè præſcripſimus. Loco Thermarum utuntur alii *decocto ligni Guaiaci*, vel *vino Guajacino*, ab Amato Luſitano plurimùm deprædicato, optimo cum ſucceſſu. Vide Am. Luſ. *Curat. med. c.32. de Colico affectu.*

Diæta. *Diæta* debet eſſe moderata, nec ſtomachus, jamjam debilis, multis cibis onerari debet; ſed tales exhibendi ſunt, qui nullam omnino moleſtiam excitant. Idem intelligendum eſt de quantitate potûs.

Queſtio I. Quær. 1. Utrum poſſit aſſignari tempus moræ ciborum in ſtomacho? Reſp. Authores hac in parte diverſimodè ſentire: nam Averrhoës dixit, tempus moræ ciborum in ſtomacho eſſe 16. horarum: ita etiam Gentilis, *in Avicen. de cura febr. phlegmat.* 4. aſſignat. Nos dicimus, certi nihil ſtatui poſſe: cùm enim natura ſit variabilis, jam citiùs, jam tardiùs, opus ſuum perficit: nam quandoque eſt impedimentum internum & inviſibile; quandoque externum: tamen ad 4 vel 5. horas, cum Avicenna, tempus moræ ciborum in II. ſtomacho accedere putamus.

Quær. 2. Cur hypochondriaci plerunque ſtomachum habeant debilem? R. Quia in iis omnes rami venæ portæ humoribus melancholicis, craſſis, & frigidis turgent, & conſequenter etiam ſtomachi venæ gaſtricæ iiſdem ſcatent: nam oriuntur à vena portæ. Exiſtente autem tali in venis gaſtricis ſanguine impoſſibile eſt, ſtomachum bene ali, aut menſtruum ſuum ſalivale, digeſtionis præcipuum inſtrumentum, III. bene elaborare.

Quær. 3. Poſſuntne ſiccitas, aut humiditas, ex ſe ſolis, abſque concurſu activarum qualitatum, concoctionem lædere? Reſp. cum Avicenna, de nocumentis digeſtionis, negativè: cùm enim ſint puræ qualitates paſſivæ; non, niſi cum activarum adminiculo, lædere poſſunt.

Obj. Humidum temperatum, uti aqua tepida, in magna quantitate ſumpta, nocet ſtomacho: nam vomitum excitat: ſed id non videtur fieri cum adminiculo aliarum qualitatum: Ergo humidum ex ſe poteſt nocere. Reſp. aquam tepidam nocere, non ob qualitatem, ſed ob quantitatem; quamvis etiam dici poſſet, illum teporem, naturæ minimè familiarem, nocere; non verò humidum, ut humidum.

Quær. 4. Quomodo fiebat illud, de quo Marcellus Donatus, *in Medic. hiſtoria mirabili*, narrat, quòd cibus & potus ingeſtus omnis ſtatim mutatus fuerit in phlegma; unde ſuffocationes graviſſimæ ſubſequebantur? Reſp. id potuiſſe accidere ex malo & venenato quodam humore, Mercurii naturam imitante, in ſtomacho hærente; qui reliquos humores in phlegma convertebat. Similia ferè ſymptomata refert Avicen. *in tract. de Venenis*, à carne ſuffocata, lacte &c. oriri. IV.

CAPUT L.

De Cardialgia, & Dolore Ventriculi.

VEntriculus, ob nervorum ſextæ conjugationis propagines, ſtomachicas dictas, exquiſitiſſimum obtinet ſenſum; atque adeò non à nudâ ſolùm intemperie, ſed & ab acri & erodente humore, ſæpius affectus oritur, qui *Cardialgia*, *Cardiogmos*, ſeu *Ventriculi Dolor*, vocatur: eſtque ſenſus quidam mordicationis, tenuis & acris humoris ſoboles, jejunantibus, purgatis, exercitatis, delicatis, familiaris. Interdum tamen naſcitur à crudis humoribus, vel copiâ prementibus, vel, ob flatûs admixtos, diſtendentibus. Cardialgia. Ejus

Affectum hunc ſequitur anxietas, inquietudo & jactatio totius corporis, velut in cauſonide. Adeſt morſus ingens humoris acris, qui dignoſcitur oris amarore, ſiti, iracundiâ, vomitu bilioſo. Cruditas colligitur ex ructu, ingluvie, tenſione, morbi & Ægri naturâ. Flatus non rarò inter duas proprias ejus membranas, rugoſam ſcili- Signa.

ſcilicet internam, & carnoſam externam, contentus inflationem parit ſummè dolorificam.

Cauſæ. *Cauſas* intemperiem ventriculi generantes repeto ex *capite præcedenti*. Continui ſolutionem cardialgiam poſſe cauſare, dubium non eſt; uti eſt ulcus, quin & devorata oſſicula, pharmaca deleteria, humores & vapores maligni, acres, tumores &c. Calculus in ureteribus, vel renibus, contentus ſæpe cardialgiam, ob ſympathiam membranæ peritonæi, & nervorum, excitat. Cauſa procatarctica ſunt alimenta calida, vinum generoſum, ira, temperamentum bilioſum. Quòd aliquibus *dolor ante cibum exacerbatur*, hoc bilis dominium ſignificat, quæ jejunii tempore exagitatur, & in ventriculum attrahitur, aut acrior, ex dilutionis defectu, evadit. Aliis *ſtatim aſſumpto cibo* cardialgia excitatur; quia humores crudi aſſumpto cibo commoventur; vel etiam, qui in fundo erant, ob levitatem cibis ſupernatant, & ſuperiori ventriculi orificio maximè ſenſibili applicantur: vel etiam, qui antè fixi erant, ſolvuntur, & in actum deducuntur: alios, *dum fit ipſa digeſtio*, dolor ille corripit; quia vapores acres, ob calorem exuperantem, elevantur: alios *quatuor* aut *quinque horis à cibo* dolor invadit, ob coctionis depravationem, & ciborum corruptionem: alii *poſt ſomnum* cardialgiâ maximè torquentur; ſignùmque eſt, humores per ſomnum in ſtomachum decidiſſe; & ob copiam, in vigiliis agitatam, dolores excitari.

Prognoſticum. *Prognoſis* hujus mali eſt, quòd ſit affectus quaſi cordialis, adeóque non exiguum minetur periculum: & quò major eſt cauſa, eò ſemper major eſt affectus. Hippoc. *4. aphor. 65.* ait: *In febribus circa ventriculum vehemens æſtus, & cardiogmos, malum*: ſignum enim eſt, magnam eſſe humorum ſaburram, & ingentem ventriculi inflammationem. Si dolor proveniat à flatibus, vel lumbricis, periculo vacat; niſi ob ſymptomatum gravitatem periculoſior evadat; quia pertinax flatuum cauſa hydropem ſiccum generare non raro ſolet.

Indicationes. *Indicationes* ſunt, ut ventriculi intemperies corrigatur, humoresque evacuentur: ſi continui magna adſit ſolutio, reuniatur: vires denique conſerventur.

Cura. Ut his indicationibus ſecundum prognoſticum ſatisfiat, neceſſe eſt, ut, ſi humor bilioſus in ventriculo ſtagnet, non urgente febre, quæ per talia exacerbatur, vomitivis excludatur; quæ ex *præcedent. capit.* repeti poſſunt; vel cholagogis minoribus, qualia in *præc. cap.* ſunt ordinata, evacuetur. In flatibus blanda *Catapotia* præſcribi poterunt: ut:

Purgatio.

Pilulæ.

℞. *Extr. pilular. Ruffi* ℈j.
Mercurii dulc.
olei ſulphuris correcti,
diagrydii, ana gr. vi.
olei aniſi gut. v.

Cum l. q. *aquæ cinamomi* F. Pilulæ num. ix. inaurentur, pro una doſi. Deinde malum *ſtomachicis*, & *flatus diſcutientibus*, eſt oppugnandum:

Appropriata.

Syrupus.

℞. *Rad. galang.*
cortic. aurantior. ana ʒiij.
herb. menthæ,
betonicæ,
hyſſopi, ana m. j.
ſem. aniſi,
cumini,
carvi,
fœniculi,
coriandri, ana ʒij.
flor. anthos,
ſpicæ nardi,
ſchœnanth. ana p. j.
cinamom. acuti ʒv. F. Decoct. *in aquâ* ad ℔j. addendo *vini optimi* ℔ij. In colatura diſſolve *ſacchari albi* ℔iß. F. l. a. Syrupus: de quo ſumatur omni manè ℥ij. Vel

℞. *Aq. phyſogonæ*,
cinamom. ana ℥iij.
Zedoar. ℥ij. M. De hac cochleare unum ſæpe ſumatur. Quòd ſi humor craſſus & pituitoſus cardialgiam excitet, illa, quæ incidunt, plurimum faciunt; ut eſt *oxymel.* & *oxyſaccharum ſimplex*, vel *cremor tartari* ſæpe ſumptus: deinde *phlegmagogis* educendus eſt: ut:

Pulvis Phlegmagogus.

℞. *Mechoacann.*
agarici,
turbeth electi,
rad. gialapp. ana ʒj.
zingiber. ℈ß.
pulv. Syrii gr. xij. M. F. Pulvis. Dosis sit ℈ij. vel ʒj. cum pauco *tartaro.*

Nota de usu Pilularum.

Nota: in pituitæ magno proventu *Pilulas* exiguum ſæpe effectum nanciſci, dum nimirum vel pituitâ obvolutæ integræ rejiciuntur; vel, ob ſopitum ventriculi calorem, non deducuntur in actum.

Topica.

Hîc Topica ſtomacho applicari poſſunt: ut eſt *placenta ex ovis frixis*, cum *abſinthio, mentha,* & *oleo chamemelino.* Vel

℞. *Herb. abſinth.*
mentha,
lavendula, ana mj.
flor. roſar. rubear.
camomilla, ana p. ij.

Fomentum.

Coque in ſ. q. *vini rubri*, addendo ℥ij. *aceti roſacei*: F. Fotus, quo ſpongiæ madidæ calidè ſtomacho applicentur.

Unguentum.

Loco hujus *ungi* poteſt regio ſtomachi *oleo anethino, de ſpica*: quibus aliquid *aquæ cinamomi*, cum *vino* deſtillatæ, vel *ſpiritûs vini*, addi poteſt.

Epithema.

Horum loco *panis recens è furno extractus*, per medium ſectus, & *ſpiritu vini* irroratus, vel *aromatum pulvere* cōſperſus, applicetur.

Stillicidium.

In contumaci ſtomachi dolore fiat *Stillicidium* ex *ol. ſpica*, & *abſinthii*; quod, aliquoties repetitum, intimè penetrat.

Cucurbitulæ.

Applicatio *cucurbitularum* ſiccarum, ad ſtomachi regionem, dolorem incantamenti inſtar aliquando ſiſtit. Fieri autem non debet hæc operatio, niſi prævijs evacuationibus, vel per clyſteres carminativos, vel per vomitivum blandum; ne materia mota dolores intendat.

à materia Frigida.

In materia frigida non tam conveniunt Narcotica, quàm in calida: quia nimis refrigerant, & ſic dolores augent.

Calida.

In materia autem *calida*, ad præcavendas à dolore convulſiones, utiliter exhibentur: v. g. porriguntur

Opiata.

laudani opiati iij. vel iv. gr. cum *conſerva flor. papaver. errat.* vel *req. Nicol.* ʒj. vel *Philon. Rom.* tantundem.

Emulſiones, &c.

Horum loco demulcetur dolor *Emulſionibus* ex *ſemine papaveris, melon.* & *amygdalis dulcib. juſculis*, & *lacte recenter mulcto*, *oleo amygdalar. dulc.* cum *juſculo* exhibito, *clyſteribus anodynis*, *balneo aquæ dulc.* vel *univerſali*, vel ſolo *pedilavio*, cui *capita papaveris, ſummitates anethi, flores nymphæa, folia ſalicis, ſalvia* &c. ſint incocta.

Balneum ... à Pituita, Flatibus; Bile; Ulcere;

Si Cardialgia ſit *à pituita*, vel *flatibus*, balneum debet eſſe calidum: ſi verò à *bile*, tepidum: ſi fiat ab *ulcere*, illud erit abſtergendum & conſolidandum: ſi à *tumore* (omnia enim tumorum genera ventriculo accidunt) aliorum more curanda eſt.

à tumore flatuoſo;

Si ſit à *tumore flatuoſo*, applicetur *empl. de baccis lauri*, quod eſt in hoc mirabile: vel *ungatur ol. anethino, carvi, cumini, fœnic. abſinth. mentha, caſtorei, ſpica, maſtiche*: aſſumatur unum cochlear *aq. Phyſogona*, vel *Zedoar.* vel dentur *ſpecies aromat. roſata*, vel *roſata novella, diagalanga, diacymini Nicolai, diazingiber.* &c.

ab inflammatione;

Si *ab inflammatione*, quæ cognoſcitur per dolorem pungentem, diſtendentem, pulſantem, in dorſum usque extenſum, reſpirationem difficilem, humoris cruenti vomitionem, & febrim ardentiſſimam, à ſanguine puro, per venæ portæ ramos in ventriculi tunicas delato; venæſectione ſæpius adhibitâ, & hæmorrhoidum apertione, removenda eſt.

à ſanguine bilioſo.

Si ſit à *ſanguine bilioſo*, eſt inflammatio eryſipelatoſa, febris lipyrias; in qua exteriora frigent, interiora verò uruntur, & eſt periculoſiſſima: in eâque venæſectio inſtituenda eſt, bilis & calor ſunt mitiganda, clyſteres lenientes injiciendi.

Purgantia.

Omnia *purgantia*, præter caſſiam & tamarindos, ſunt valde ſuſpecta.

Alterantia.

Alterantia per os ſumenda: quibus ſyrupus *de nymphaa*, & *papaveris*, miſceri debet: ut:

Julapium.

℞. *Aq. plantag.*
acetoſ.
roſar.
endiv. ana ℥iij.
vini granator. recent. expreſſ. ℥ij.
ſyrup. flor. papaver. erratic.
de nymph. ana ℥j. additâ *ſpiritûs vitrioli* paucâ quantitate, M. F. Julapium.

Juſcula medicamentoſa.

Juſcula interea herbis refrigerantibus, veluti *endiviâ, portulacâ, acetoſa, cichorio*, &c. alterata porrigantur. Si malum ad declinationem pervenerit, purgantibus mitioribus erit oppugnandum.

Diæta.

Diæta debet eſſe moderata, & in omnibus tum morbo, tum cauſæ morbificæ, correſpondere.

Quæ-

Quæſtio I. Quær. 1. Cur in cardiaca paſſione Ægri quandoque ſuffocari videantur, mente, vel ſopore capiantur? Reſp. cum Vegetio, cardiacum fieri, quoties ſanguinis illa corruptio ſtomachi, vel thoracis, impleverit venas, cerebrúmque percuſſerit, cor etiam peſtiferi humoris labe conſtrinxerit; quæ infirmitas inducit mentis alienationem, & corporis ſudore monſtratur; ex quo difficillimè liberatur.

II. Quær. 2. Cur cardialgia ſæpiſſime accerſat ſyncopen? Reſp. Ob cordis viciniam, & nervorum communicationem; unde cor maximè compatitur, adeóque à Bacaneho dicitur Cordialgia.

III. Quær. 3. Quomodo diſtinguatur cardialgia à ſtomachi dolore in genere? Reſp. omnem cardialgiam eſſe dolorem ſtomachi; ſed non è contra. Nam ſtomachus poteſt etiam dolere ſecundum orificium inferius, vel ſecundum fundum, vel ſecundum latera; nec tamen adeſt cardialgia: quæ tantùm eſt affectus ſuperioris orificii ventriculi.

IV. Quær. 4. Quomodo illud Plinii intelligendum, ubi dicit, eorum, qui cardiacâ intereunt, cor uri non poſſe? Reſp. non intelligendum eſſe, quaſi cardiacorum cor ſit incombuſtibile; ſed, cùm in cardiacâ ob ſyncopen moriantur, dicit, cor uri non poſſe; id eſt, non poſſe eſſe inflammatum, quia in ſyncope ſummè ſemper eſt refrigeratum.

V. Quær. 5. Unde fiat, quòd cardialgici vino, ſpiritu vini, aromatibus, & calidis quibuſcunque, maximè lædantur; frigidis verò ſubleventur? Reſp. Quia cardialgia tunc provenit à bile, & calidis humoribus, qui calidis exaſperantur; hinc non temerè calefaciendum eſt in cardialgia, vel colicâ bilioſâ, ne Patientes fiant contracti.

VI. Quær. 6. Cur ſtomachi dolor quandoque tam pertinax ſit, ut omnes Medicorum conatùs eludat? Reſp. Quia vel flatus, vel humores, aliquando ſunt inter duas ejus membranas, difficulter inde mobiles; vel etiam continuò generantur, uti in cholera ſicca, ſeu morbo ructuoſo.

Quær. 7. Unde accidat, ut quibusdam ab aſſumpto cibo; aliis tantùm ante cibum, doleat ventriculus? Reſp. Si ſubſtantia ventriculi arctata ſit, & exſiccata à longo morbo, vel tumore aliquo affecta, aſſumptum cibum, etiam paucum, ægrè fert; ſi verò bilis, vel flatus, ſit in ſtomacho, aſſumpto cibo bilis diluitur, & flatùs diſcutiuntur: hinc eſt, quòd picrocholi jejuni diu eſſe non poſſunt. VII.

Quær. 8 Unde quidam perpetuum ardorem circa regionem ventriculi ſentiant? Reſp. Ex effuſione bilis in membranas, vel in duplicaturas membranarum ejus. VIII.

Quær. 9. Cur dolor ſtomachi applicatâ aquâ frigidâ ſæpiùs ſiſtitur? Reſp. Tunc dolor vel eſt à bile, & per frigidam refringitur; vel ab imbecillitate, in qua calor, per frigidam concentratus, flatùs & humores crudos digerit. IX.

Caput LI.

De Fame canina, Siti morboſa, Picâ, Malaciâ, Ructu, & Singultu.

SYmptomata hæc ſtomacho, extra naturalem ſtatum conſtituto, ſemper eveniunt. Si appetitus in quantitate peccet, vocatur *Fames canina*, quando nempe continuus adeſt vorandi appetitus, cum vomitu. *Bulimus* autem propriè eſt, quem non ſequitur vomitus: famem autem caninam ſemper vomitus ſubſequitur. *Subjectum* hujus affectùs eſt ventriculi os ſuperius. *Venti. [illegible] ſymptoma.* *Fames Canina.* *Bulimus.* *Eius Subjectum.*

Cauſa eſt res ad appetitum continuò ſtimulans: v. g. ſuccus quidam vitioſus, plerumque frigidus & melancholicus, ventriculum mordens; vel totum corpus alimenti inops, inedia ſcilicet; vel etiam vermes. Si proveniat à *frigiditate*, corpus & labia ſubalba ſunt, dejectiones adſunt liquidæ & frequentes: ſi autem à *calore* proveniat, alvus pigerrima eſt, dejectiones ſunt duræ, corporis æſtus & extenuatio adeſt; quòd ſi ciborum abſit copia, æger animi deliquiis torquetur. *Cauſa.* *Signa à frigiditate.* *Calore.*

Affectùs hujus *prognoſticum* deſumitur ex 2. aph. 4. ubi fames mala cenſe- *Prognoſticum.*

 [illegible] tur,

tur, quæ excedit: nam ſanitas in mediocritate conſiſtit: deinde qui hoc malo vexantur, tandem in cœliacam paſſionem, aut hydropem, collapſis ſcilicet viribus, incidunt.

Cura à malis Humoribus.

Si itaque affectus hic oriatur *à malis humoribus*, ij ſunt evacuandi, & ventriculi intemperies corrigenda: ut:

Purgans.

℞. *Extr. pilul. de hiera cum agaric.* ʒß. *pulv. Syrii* gr. VI. Malaxentur cum ſ. q. *ſyrupi de abſynthio*, F. Pilulæ num. IX. pro una doſi. Vel unum ex antè dictis

Vomitor. Alterantia calida.

vomitoriis exhibeatur. Dein frigida ſtomachi intemperies corrigatur *conſervâ, ſyrupo*, vel *ſale, abſynthii, Theriacâ veteri, vino generoſo*: nam famem

Vini potus famem tollit.

Θώρηξις, ſeu vini potio, ſolvit: *2. aph. 21.* quia citò nutrit, calefacit, & aliquo modo ſtupefacit; item *aromatico roſato, diagalangâ, thymo, acoro condito*, &c.

à Calore.

E contra ſi ſit *à calore*, refrigerandum eſt: v. g. *aquâ Regis Ferdinandi*, ex *nitro* ſolo, lagenæ impoſito, ac puteo immerſo, ſoluto, & deſtillato, factâ, *ſyrupo de agreſta, de portulaca, de endivia, de mentha* &c.

Externa.

Externa Linimenta, Fotus, Emplaſtra, Sacculi, Stillicidia, &c. adminiſtrari poſſunt. Ut fames calidi & ſicci, ita *Sitis* frigidi & humidi eſt appetentia, teſte Ariſtot. *2. de anima cap. 3.*

Sitis. Ejus duplex Locus:

cujus *duplex eſt locus*: *pulmo*, & *ventriculus*. Sitis, quæ fit à calefactis *pulmonibus*, colligitur ex utili & grata frigidi aëris inſpiratione, fitque à calore febrili & externo.

Cauſa.

Sitis *cauſa duplex* eſt; *calor* ſcilicet, & *ſiccitas*: cum enim humida corporis ſubſtantia à calore diſſipata eſt, attrahentibus, & exinanitis, & ſiccis partibus à ſibi vicinis nativus tandem humor ventriculi, vel pulmonum, abſumitur, & ſic potus expetitur, ſitiſque excitatur. Item ſiccitas oritur à ſalſo & bilioſo humore, in partes illas effuſo; teſte Galen. *1. de ſympt. cauſ. cap. 7.* Idem facit aër calidus, motus vehemens, labor, vigiliæ, balneum, vinum generoſum, ſalſa, acria, aromata, item dulcia, quæ facilè bileſcunt, item calida medicamenta, febris, evacuationes magnæ, &c.

Cur famem faciliùs, quàm ſitim, toleramus.

Quòd famem faciliùs, quàm ſitim, toleramus, cauſa eſt, quia calor, quo vivimus, humidum magis, quàm ſiccum, requirit; tum quia ſitis eſt duplicis appetitus eſt, cibi ſcilicet, & potûs; fames verò cibi tantùm: teſte Ariſtot. *5. problemat. 28.* Quibus noctu bibendi eſt aviditas, iis admodum ſitientibus obdormiſcere, bonum eſt, eò, quòd per ſomnum ſitis edometur: *5. aph. 27.* deinde ſomnus humectat: *nec, à purgatione ſitire, ſemper bonum eſt*: poteſt enim à nimia humidi evacutione, vel medicamenti calefactione, provenire illa ſitis.

Cur, ... ſemper bonum ſit, à purgatione ſitire.

Qui ſunt habitu ſicciore, per balneum humectans à ſiti liberantur; at humidioribus, diſſipato per ſudorem humore, ſitis excitatur. Naturâ biljoſis aqua ſitim non ſedat, ſed bileſcit; teſte Hippoc. quia, cùm neque humectet, neque facilè diſtribuatur, in his longâ in hypochondriis morâ corrumpitur: *3. acut. 8.* *Quæ præter rationem in acutis ſolvitur, ſitis, mala eſt*; quia vel mentis læſionem, vel facultatis appetentis exolutionem, indicat: *1. prorrhetic. 9.*

Cura.

Sitim arcent, os continere, tacere: ſputum cum potu frigidum introducere, refrigerat & humectat, ut ſunt juſcula, ex *lactucâ, portulacâ, oxalide* &c. cocta, vinum dilutiſſimum pro diſtributione. Reliqua pete ex *Cura ſymptomatum febrilium.*

Pica, & Malacia.

Cùm os ventriculi ſuperius vitioſo aliquo turget humore, aliquando appetentia ita depravatur, ut *Pica*, ſeu Malacia, excitetur, alieniquè cibi, & varii, appetantur; ut ſunt creta, corium, carbones, carnes crudæ &c. Malum hoc gravidis plerumque contingit, ob menſium ſuppreſſionem, & fætus multo alimento egentis imbeciſlitatem; quin & virgines chloroſi laborantes, cæteraſque, ob menſium ſuppreſſionem, vexat mulieres, interdum etiam pueros, in hoc ex ἀδδηφαγία, vel ingluvie, malum incidentes: viros item melancholicos; cùm ſcilicet bilis atra in ventriculum effunditur, teſte Aetio.

Ejus Cura in Pueris Mulieribus gravidis.

Curam quod attinet, ſi Picâ *Pueri* laborent, ij flagris ſunt ab hac conſvetudine arcendi: *gravidæ* verò *Mulieres* cibis evchymis & boni ſucci ſunt nutriendæ, omniſquè illis demenda eſt talia edendi commoditas.

non gravidis.

Aliis *non gravidis* menſes ſunt provocandi vel exhibitione *Pulveris Helidæi de Padoanis*, vel decocti *cicerum rubrorum, ſabinæ, croci, radicis dictamni albi, rhabarbari, & agarici*, ſæpius repetitâ. Quòd ſi humor melancholicus

cholicus in *viris* exuperet, ille educendus eſt primò melanagogis per inferiora; dein levi vomitorio per ſuperiora &c.

Ructus. *Ructus* eſt expultricis facultatis ſymptoma, quo flatulentus ſpiritus è ventriculo per os excluditur.

Ejus Natura, & flatuum cauſa. *Cauſa* ejus externa eſt ex cibo flatulento nimia repletio, *nitriq; & ſulphuris ſtagna in corpore abundantia*, quorum, à calore reſolvente, perpetuæ fiunt detonationes; item potus immoderatus, motus à cibo; interna ventriculi imbecillitas; quam calida vel frigida intemperies excitavit per ſe, vel cum humoris affluxu.

Differentia. Hinc etiam *duplex* eſt Ructus, *nidoroſus*, & *acidus*: ille bilioſi humoris, vel dyſpepſiæ: hic frigiditatis, acidæ pituitæ, vel imperfectæ coctionis, eſt ſoboles; teſte Galeno, *2. de temp. cap. 6.* Quòd ſi nullum habeat ſaporem, melioris notæ cenſetur.

Curatio. Ructui occurritur *diætâ* frugali, humoris peccantis evacuatione, flatuum per carminativa diſſipatione, abſtinentiâ à ciborum flatulentorum, leguminum nempe, caulium, caſei, &c. eſu; utendum iis, quæ concoctionem juvant, & intemperiem corrigunt. Carminativa ſunt, quæ flatûs diſcutiunt: ut *ſemen cumini, aniſi, fœniculi, carvi, dauci, bacca lauri, camomilla.*

Singultus. Facultatis præcipuè expultricis ſymptoma eſt *Singultus*, quo ventriculus cibos malè complectitur, & vitium, quod in tunicis hæret, excutere nititur. Ariſtoteles, *1. problemat. 33.* facit affectum pulmonum. Galenus, *2. de ſympt. cauſ.* ſingultum vocat convulſionem, ex convulſione muſculorum, qui inſpirationem faciunt; adeòque eſt motus ventriculi violentus, ejuſdem cum vomitu generis; excedens tamen; eò, quòd ejus cauſa profundiùs tunicis ſit impacta, difficulterque poſſit excuti: ſecùs in vomitu; ubi excluduntur ea, quæ in cavitate ventriculi ſunt contenta. Eſt motus ſimilis convulſioni; non propriè convulſio; quæ tantùm muſculis, & partibus, quæ voluntarium habent motum, evenit. Eſt tamen ſimilis convulſioni, propter irritatos ſtomachi, vel œſophagi, nervos.

Hinc ſingultui, prout & convulſioni, *duplicem cauſam* aſſignat Hippoc. *6. aph. 39.* inanitionem ſcilicet, & repletionem; per inanitionem intelligitur ſumma ſiccitas; qualis ſuccedit inediæ, vigiliis, vacuationibus immodicis, febribus & inflammationibus: per repletionem verò intelligitur ſuperfluus craſſuſque humor, ventriculi tunicis impactus, eum gravans; acris, pungens, flatuoſus, vel teter, quidam vapor, cibus pravus, corruptus, aut medicamentum, criſis inaniens, frigus, quod conſtringendo & denſando tranſpirationem impedit, adeòque replet. *Ejus Cauſa duplex.* Cauſat denique ſingultum variarum partium conſenſus; ut meningum cerebri, uteri, inteſtinorum, hepatis inflammati, ob vaſorum, vel partium, communionem & ſympathiam.

Singultus ab inanitione periculoſiſſimus eſt, & quaſi mortis prodromus; præſertim in ſenibus; in quibus mala omnia graviora eſſe ſolent, ob ætatis debilitatem. *Prognoſis.* Si fiat ob hepatis inflammationem, malum; teſte Hippoc. *7. aph. 17.* Deinde *ibid. aph. 3. A vomitu ſingultus, & oculorum rubor, malum*: ſignum enim eſt, ingentem inflammationem vel cerebri, vel ventriculi, per vomitum eſſe excitatum; cùm tamen vomitus ſingultui potiùs remedio eſſe debuiſſet. *Aphonia cum ſingultu peſſima eſt*: ſignum enim eſt, nervorum principium trahi in conſenſum. *Singultu detento ſternutatio ſuperveniens, ſingultum tollit: 6. aph. 13.*

Curam quod attinet, ſi *ab inanitione* proveniat, licet penè ſit deſperata, occurrendum tamen ei eſt cibis boni ſucci, & liquidis, citóque humectantibus; fomentis etiam dorſi & ventriculi ex *hydrelæo* & *oleo violato*, *balneo lactis*, vel *aquæ dulcis*, cum *hordeo*. *Cura ab inanitione.* Si fit à *repletione*, materia illicò eradicanda eſt vel vomitu, vel clyſteribus, vel blandâ & ſæpius repetitâ purgatione. *Repletione.* Deinde, ſi *humor acris* ſit, contemperetur *ſyrupo papaveris erratici*, *de ſucco endiviæ*, cum *aqua portulacæ*, *lactucæ*, *cremore hordei*, & topicis refrigerantibus. *ab humore acri:* Si materia ſit *craſſa* & frigida, incidenda priùs eſt, & attenuanda, *oxyſacchаro* ſcilicet *ſimplici*, *hydromelite*, cum *foliis hyſſopi*, & pauco *cinamomo*: deinde vacuanda eſt *vomitivo*: poſtea *extracti caſtorei* gr. iv. *craſſo:*

vel

vel v. in *Pilulis* ſæpius exhibeantur; vel cum *ſyrupo de abſynthio*, vel *de menthâ*, diſſolvantur, & orificium ventriculi *ol. caſtorei* inungatur. *Caſtoreo* enim ad ſingultum melius nihil hactenus reperii. (Nauſea.) In *Nauſea* ſummè prodeſt *eſſentia zedoariæ*. (à Flatu.) Quòd ſi ſingultus ſit *à flatu*; ſternutatio, metus, aut clamor, conferunt, eum diſſipando. Cibi item calidiores ex uſu erunt; ut ſunt *aromata*, *vinum generoſum*, *ſemina calida* à paſtu ſumpta, vel *diagalanga*, *dianiſum*, *diacyminum*, *electuarium de baccis lauri*, *decoctum menthæ* cum *melle anthoſato*, *ſyrup. de aq. vitæ*, *elixir vitæ Matthioli* &c. Item flatûs (Cucurbitulæ.) diſcutiuntur, ſi *cucurbitulæ ſiccæ* regioni ſtomachi applicentur; dein *oleo de ſpica*, *camemelino*, *anethino*, &c. foveatur: fomenta item applicari poterunt ex *decocto camomillæ*, *menthæ*, *pulegii*, *origani*, *calamenthi*, *abrotani*, *baccar.* & *folior. lauri*, *ſeminum carminativorum*, in *vino* facto, & calidè ſpongiis parti laboranti adhibito. (Retentio ſpiritûs cur medeatur.) *Spiritûs retentio* partes internas multùm calefacit, vapores diſcutit, & cibum prementem ex ipſo ſtomacho exprimit, adeóque præſentaneo interdum eſt auxilio; item faucium (Collutio ex frigidâ.) *ex aqua frigida Collutio* prodeſt ad ſingultum: nam per hanc calor repercutitur & unitur, ad ſingultûs cauſam (Sternutatio.) edomandam aptior: idem facit *Sternutatio*, quæ altiùs aliquando contenta violenter excutit.

(Quæſtio I.) Quær. I. Quomodo intelligendus Galenus, *lib. art. medic. cap. 83.* in hiſce: intemperies naturales ventriculi appetunt ſibi ſimilia; quæ verò p. n. ſunt, contraria. Videtur hîc contradictio eſſe in adjecto: quomodo enim poteſt dari intemperies naturalis? Reſp. quidam; intemperiem naturalem eſſe intemperiem in facto eſſe; præternaturalem verò, quæ eſt in fieri: ſicuti dixiſſe videmur *in Tract. de Febrib.* intemperiem habitualem determinare formam ad ſui conſervationem & productionem. Sed Valleſius hanc rationem reprehendit; ſiquidem gravidæ abſurda appetunt abſque intemperie factâ, (Quid Gal. intelligat per intemperiem naturalem.) id eſt habituali. Ego exiſtimo, Galenum per *intemperiem naturalem* non intelligere eam, quæ excedit ſanitatis limites; ſed quæ tantùm reddit corpora intemperata: & hæc ſimilibus delectatur: nam ſimile gaudet ſimili.

(Objectio I.) Objic. I. Galen. *loc. cit.* ait: calidus calidorum longo uſu, & frigidus frigidorum, magis offenditur. Ergo ſimilia non gaudent ſimilibus. Reſp. Etſi offendantur; non tamen ſequitur, non appetere, aut non gaudere.

(II.) Quær. 2. Cur puellæ menſtruis carentes, & gravidæ, tam abſurda appetant? Reſp. Ob tales humores, in tunicis & venis ipſius ventriculi contentos, qui ſibi ſimilia appetunt. Quibus tandem, vel provocatis menſtruis, vel à fœtu grandiori, vel à partu, evacuatis, aut conſumptis, deſinit quoque depravatus iſte appetitus.

(III.) Quær. 3. Unde fit, quòd prædictæ non læduntur ab eſu carbonum, cretæ, calcis, corii, ceræ, piperis &c. Reſp. negare nos, eas non lædi: ſed quòd facilius tolerent, quàm alii homines, cauſa eſt abſentia nauſeæ, & ſummus, quem habent cum delectatione, appetitus. Quæ enim ſapiunt, aliquo modo nutriunt.

(IV.) Quær. 4. Unde eſt ſummus ille appetitus, qui aliquando morituris contingit: unde Teutonicum illud dicterium: Der Tod friſſt mit ihm? Reſpon. fieri ob totius inanitionem, quæ procedit à reſolutione & debilitate retentricis facultatis.

(V.) Quær. 5. De qua fame intelligendus eſt Hippoc. *2. aph. 21.* ubi dicit: *famem vini potio ſolvit*? Reſpond. de canina: non tamen, quæ fit ex longa inediâ, vel alvi profluvio, aut hæmorrhagia, aut alia evacuatione. Galen. *comment. in eund. aphoriſm.*

(VI.) Quær. 6. Unde fiat, quòd ſummam & extremam ſitim meliùs extingvat unicum ſpiritûs vini cochlear, quàm maxima aquæ quantitas? Reſp. id fieri partim quia maximè penetrat, partim quia confortat: ſitis enim dum fit ab inanitione, & ſpirituum diſſipatione, uti in Hiſpanico exercitu aliquando vidimus, unico ſpiritûs vini cochleari magis ſedatur, quàm vel copioſiſſimo aquæ potu.

(VII.) Quær. 7. Eſtne idem Bulimus, & appetitus Caninus? Reſp. negativè; quia, ſecundum Galenum, *loc. cit.* bulimus tantùm fit à frigiditate exteriore,

unde

unde fit intenſus membrorum appetitus, cum dejectione appetentiæ ſtomachi, unde venæ fiunt vacuæ; ſed poſtea ſtomachus reſpuit & abhorret cibum; quod non contingit in fame canina.

VIII. Quær. 8. Cur radiculâ comeſâ alii fœtidum eructant; alii minimè? Reſpond. Quorum alvus ac ſtomachus durus eſt, eorum quoque purus eſt ructus; è contrà fœtidus: radicula enim calida humorum craſſitiem incidit & attenuat; unde exhalatio & ructus fœtidus.

IX. Quær. 9. Cur, qui piper, & multum panis, comederunt, ex facili ſingultiant? Item cur, retento ſpiritu, & deglutitâ ſalivâ, item motu repentino, ſiſtatur ſingultus? Reſp. Piper qualitate acri id efficit, ſecundum proportionem bilis pungentis: panis verò quantitate, dum, inſtar ſaxi, gravat, & ſtomachum excitat ad id, à quo dolet, expellendum: quæ omnia vel retento ſpiritu, vel per metum concentrante calore, concoquuntur; unde ceſſat ſingultus. Item retentus ſpiritus ſuperflua ex ſtomacho expellit, eum coarctando.

Caput LII.

De Nauſea, Vomitu, & Volvuloſa Stomachi ſubverſione.

Vomitus quid.

Vomitus eſt motus violentus facultatis expultricis ſtomachi; quo expellitur id, quod eſt noxium, per viam oris.

Nauſea & Vomitus quomodo differant.

Nauſea & *vomitus differunt* tantùm ſecundum magis & minus. Galenus, *6. de ſymptomat. cauſ. cap. 2.* accipit nauſeam pro vomitu; quia & nauſea, & vomitus, ſunt motûs ventriculi, quibus noxia ex cavitate ſuâ aut expellere nititur, aut expellit. *Nauſea* enim eſt inane vomendi deſiderium, cum aliqua cordis anxietate, & tenuis humoris, per ſalivationem, excretione: fitque, uti Galen. *1. de loc. affect. cap. 4.* vult, dum humor quiſpiam in ipſis ventriculi tunicis continetur: quamvis etiam in ipſa cavitate contineri, &, dum qualitate, aut quantitate, peccat, facultatem irritare poſſit; ſed vel ob debilitatem ejus, vel ob materiæ ineptitudinem, craſſitiem ſcilicet & viſcoſitatem, expelli, & vomitu rejici non poteſt. Hæc quatuor ventriculi ſymptomata ſe invicem ſequuntur. Primò eſt ἀνορεξία, ſeu ſtomachi vitioſa temperies ac cacochymia; unde cibos averſatur: hæc dum creſcit, nauſeam excitat; quam ſequitur *Subverſio*, ſeu fundi ſtomachi ad ſuperiora everſio, quæ, ſi vehemens eſt; *Volvuloſa* dicitur à Galeno, *8. de compoſ. medic. per loca, cap. 3.* à qua demum fit *Vomitus*; cujus differentiæ à cauſis deſumuntur, vel internis, vel externis. Unde alius eſt *naturalis*; alius *artificialis*: *naturalis* item alius eſt *periodicus*; alius *criticus*; alius *ſymptomaticus*.

ἀνορεξία.

ἀναῤῥοπή.

Differentiæ vomitûs unde.

Periodicus.

Periodicus eſt, qui fit vel ab ipſa naturæ providentiâ, ad præcavendos morbos, certis temporum circuitibus; vel etiam ab ipſis hominibus fit, præſervationis gratia: aliquando ſingulis menſibus; aliquando ſæpius: nam quidam per quotidianum vomitum à gravibus ſæpe morbis præſervantur.

Criticus.

Criticus vomitus eſt, qui fit die critico, præcedentibus ſignis concoctionis, cum euphoria, ſeu morbi ſolutione, vel in meliorem ſtatum translatione.

Symptomaticus.

Symptomaticus autem vomitus eſt huic omnino contrarius: fit enim à natura, à cauſa morbificâ crudâ & incoctâ irritatâ, ſine remiſſione, imò cum aliqua deterioratione.

Alia.

Aliæ vomitûs differentiæ deſumuntur ab *humoribus*, qui excernuntur: qui vel ſunt *alimentitii*; vel *excrementitii*: alimentitii ſunt chylus, alimenta, ſanguis; *excrementitii* ſunt bilis, pituita, melancholia, ſerum, pus, lumbrici &c.

Artificialis.

Artificialis vomitus eſt ille, qui fit à quacunque cauſa externa; ut

ſunt

ſunt medicamenta & alimenta noxia, & emetica: ut ſunt fungi, &c. compreſſio, ictus, fætor, aer auſtrinus, contagioſus, & venenatus, motus violentus, inſuetus, navigatio in mari, potiſſimùm flante aſtro, aſpectus vel imaginatio rei turpis & fœdæ, uti cadaveris: idem faciunt cibi præpoſtero ordine ingeſti, pingues & oleoſi, aqua tepida magnâ quantitate ſumpta, item nimia cibi & potûs ingurgitatio: uti fit in crapulis: natura enim, copiâ & quantitate preſſa, ſtimulatur ad rejectionem.

Cauſa.

Procatarctica.

Cauſæ aliæ ſunt *procatarcticæ*; aliæ *antecedentes*, & *conjunctæ*. *Procatarcticæ*, præter dictas, ſunt aër corruptus, fœdi odores, cibus & potus in odore & ſapore malus, mala ejus proportio, unctuoſitas, motus à cibo ſtatim laborioſus, ira, & cætera animi pathemata, percuſſio capitis, caſus, veneni potus, & morſus animalium venenatus. Cauſæ

Antecedentes: per Eſſentiam,

antecedentes per eſſentiam ſunt mala intemperies, calida, frigida, aquea, & flatuoſa, materiæ ſtomacho adhærentes, vel innatantes; quæ gravando, pungendo, ac extendendo, vomitum cauſant; item acuitas ſenſûs oris ventriculi, mala compoſitio, vel pylori obſtructio; vel morbus in numero, ut vermis mordicans ac pungens; ſolutio continui, ut abſceſſus, ulcus, inflammatio, puſtulæ, dolor, imbecillitas ipſius ſtomachi. Vomitus etiam ſæpe

per Conſenſum.

fit *per conſenſum* vel à toto, ut in febribus: & tunc vel criticus, vel ſymptoticus: de quo dictum eſt: vel provenit à parte aliqua materiam transmittente; uti à cerebro, hepate, ſplene, renibus, utero &c.

Signa.

Signa vomitum præcedentia ſunt nauſea, ſubverſio, tremor, labiorum & hypochondriorum tenſio. Si fiat

à nuda intemperie: Sine materia: per eſſentiam.

à nuda intemperie, ſine materia, per eſſentiam, triſtis quidam ſenſus adeſt in ore ventriculi, nec adeſt ulla gravitas, nec ructus, extraneum ferens ſaporem vel odorem, ſed frequens adeſt nauſea, abſ-

Cum materia.

que vomitu: ſi verò adſit *materia*, gravitas percipitur, ructûs vel acidi, vel amari, vel dulces, vel fœtidi, eructantur. Si aliqua ſit *obſtructio in pyloro*,

ab Obſtructione pylori:

tardiùs fit concoctio, & cibi deſcenſus.

à Vermibus,

Signa *vermium* ſunt commotio quædam, ſive titillatio, circa ventriculum, fætor oris &c. In *ſoluta unitate* rejici-

à ſoluta unitate.

tur vel ſanguis, vel pus. Si fiat vomitus *per conſenſum*, v. g. in febre, à toto;

per Conſenſum.

creſcit, creſcente morbo; & eodem decreſcente, decreſcit. Si fit *à renibus*,

à Renibus.

tunc eſt plerumque paſſio nephritica. Si *à liene*, ipſius vel tumor, vel dolor,

à Liene.

vel durities aliqua percipitur. Plura de his lege in Arculano, Savonarola, Gordonio, Galeno, *de Pleuritide, circa finem*, Avicenna, *3. 3. tract. 5.*

Prognoſis.

Prognoſin quod attinet, vomitûs, quibus varii coloris humores rejiciuntur, præcipuè in acutis, mali ſunt: nam varios & graves in corpore affectûs eſſe, ſignificant. Vomitus porraceus, æruginoſus, plumbeus, niger, aut malè olens, eſt lethalis; nam hæ bilis ſpecies malignos ſolent in corpore morbos producere: & fætor quidem magnam deſignat corruptelam. *Sinceri vomitûs in acutis, mali*: idem dicendum de pauco & laborioſo: Hippoc. enim inquit: *Nihil paucum eſt criticum.* Vomitus, qui in ſubſtantia, qualitate, & quantitate, laudabilis eſt, ut qui fit ex bile flavâ, cum pituita mixtâ, bonus eſt; præcipuè ſi fiat die critico. Longo alvi profluvio laboranti, ſi ſpontè vomitus ſuperveniat, bonum: *6. aph. 15.* fit enim materiæ in contrarium revulſio, párſque affecta, utpote ventriculus, corroborari incipit, & materiam peccantem à ſe arcere.

Cura.

In *Curâ* attendendum eſt: utrum vomitus *cibalis* ſit; an *humoralis*: *criticus*; an *ſymptomaticus*: *per eſſentiam*; vel *per conſenſum*. Si ſit *per eſſentiam*, *qua-*

Ejus Quatuor Scopi: per Eſſentiam.

tuor ſunt curationis *ſcopi*: *primus* eſt, vomitûs remotio: *ſecundus*, ventriculi roboratio: *tertius*, diverſio, & accidentium correctio: *quartus*, victûs ratio. *Primus* autem & *ſecundus* ſcopus uno eodemque tempore contrariis moderatè ſtypticis alterantibus perficietur. *Tertio* ſcopo ſatisfiet rejectione materiæ peccantis per vomitum, revulſione per cucurbitulas, clyſteres, ſuppoſitoria, purgationes, frictiones. De *quarto* ſcopo dicetur *poſtea*. Si ſit

per Conſenſum.

per conſenſum vel totius, vel partis, curato toto, vel parte, deſinet vomitus. Si eſt criticus, ſinendus; ſi ſymptomaticus, compeſcendus: ſi humores bi-

lioſi

lioſi aut pituitoſi plurimi in ſtomacho contineantur, Ægerque facilè vomat, habeat pectus ſanum & latum; detur ipſi *Vomitorium*: nam, teſte, Hippocr. *lib. de flat. vomitus vomitum curat*: v. g. ℈j. *ſalis vitrioli alb.* vel *oleum tepens* cum *aqua* & pauco *aceto*, vel etiam *ſyrupi emetici Angeli Salæ* ℥vi. cum *juſculo* exhibitæ, vel *aſari* ʒj. vel *gummigotta* gr. xij. ſufficienter vomitū excitabunt. Si Æger vomitorium renuat, *clyſteres* frequentes injiciantur, in quibus *hiera picra Galeni* ℥ß. vel *electuar. diaphanic.* ʒj. diſſolvatur. Ad evacuandam ex ſtomacho per inferiora materiam peccantem, *Vomitus.* *Clyſteres.*

Purgatio. Pilula.

℞. *Maſſ. pilular. peſtilent. Ruffi,*
de hiera picra Gal.
extr. aloës roſat. ana ℈ß.
pulver. Syrii gr. v. vel vij.
ſalis abſinth. gr. iij.

Cum ſ. q. *balſami de Peru* F. Pil. num. ix. pro una doſi, alternis diebus, jejuno ſtomacho ſumendæ. Aliàs

Potio.

℞. *Aq. cichor. ſtillatis.* ℔j.
in qua infunde
rhab. elect. inciſ. & in nodulo incluſi ℥ß.
cortic. myrobalanor. citrinar. ʒj.

Stent infuſa 24. horis: dein, nodulo parum expreſſo, ſumantur omni manè cochlearia iv. præcipuè in vomitu bilioſo: præterquam enim, quòd bilem purgat, aliquam poſt ſe adſtrictionem relinquit hoc medicamentum. Si vomitus non à cacochymia, ſed à ventriculi debilitate, eveniat, & cibi aſſumpti humoresque utiles rejiciantur, cum virium dejectione; ſupprimi debet *revellentibus* & *adſtringentibus*: *priora* ſunt clyſteres, ligaturæ, fomenta partium inferiorum, cucurbitulæ, infimo ventri & femoribus admotæ: poſteriora verò *conſerva roſar. decoct. myrobalanor. citrinar. mala cydonia* & *Punica*, eorundem *ſucci* & *ſyrupi*, *julep. roſatum*, cum *aqua plantaginis*, *electuar. diatrion ſantalon*, *diacydonium ſimplex*, *rob de ribib. berberes condit. myrobalani condit. corallium rubr. praparat. raſura eboris*, *pulvis C.C. praparat. pani toſto* inſperſus: *ſal* etiam in ſartagine *aſſatus*, ſacculo impoſitus; & ſtomacho applicatus, vomitum ſiſtit: item *fructûs auſteri*. Hîc omnia pingvia & dulcia ſunt vitanda: juſcula etiam multa nocent, quia ſtomachum nimium dilatant. Si *ſangvis vomatur*, ſitque concretus, diſſolvendus eſt *oxycrato*, *aquâ nucum*, vel *oxymelite*, item *ſyrupo acetoſo*, *roſar. pallidar. coagulo hædi*, *leporis*, &c. Deinde reprimitur cibis incraſſantibus. Hîc plurimum facit *decoctum millefolii Tabernamontani*. Vel *Revellentia.* *Adſtringentia.* *Vomitio ſanguinis.* *Reprimentia.*

Liquores.

℞. *Aq. plantag.*
polygoni, ana ℔ß.
julap. roſat. ℥ij.
ſucci cydonior.
ſyrup. de papaver. ana ℥j.
M. pro tribus doſibus.

Vel

Electuarium.

℞. *Succ. acacia inſpiſſati*, & *ſucco cydoniorumparum molliſicati*, ʒij.
terra ſigillat.
lapid. hamatit. praparat.
corallior. rubror. prap. ana ʒß.

Cum ſ. q. *ſyrup. de ſucco cydonior.* F. Opiata, ſeu Electuarium molle; de quo omni horâ, quantum cuſpide cultri teneri poteſt, ſumatur. *Linimenta* extrinſecus adſtringentia & refrigerantia fiant ex *oleo myrtino*, *cydonior. ſucco plantag.* & *aceto*: item *Epithemata* ex *oxycrato*, vel *vino adſtringente*, *decocto plantag. roſar. balauſtior*, *malicorio*, *ſantalis* &c. Sequens *Emplaſtrum* ex uſu eſſe poterit: *Externa.* *Linimenta.* *Epithema.*

Emplaſtr.

℞. *Carnis cydonior.* ℥ß.
cerati ſantalini ℥j.
maſtichis ʒij.
ſang. dracon.
hypociſtid.
boli Armen. ana ʒij.

Malaxentur cum *oleo myrtino*, &, additâ *cera alba* ſ. q. F. Emplaſtrum.

Contra, ſi vomitus fiat *à cauſa frigida*, ſumantur Carnes aſſatæ, & aromatum pulvere conditæ, vinum generoſum, cortex citri & arantior. verbo: calida omnia. Extra admovetur *oleum de ſpica*, *de abſinthio*, *de mentha*, *de maſtiche* &c. *panis toſtus*, *ſpiritu vini* & *aromatibus* conſperſus; item *emplaſtrum diaphœnicum calidum* ſtomachicum, cum *oleo mentha*, *abſinthii*, *de ſpica*, &c. mixtum. *à cauſa Frigida.*

Reme-

Contra vomitum.

Remedia autem vomitûs, præter cholagoga, & ea, quæ dicta ſunt, adhibentur paſſim *ſyrup.* vel *vinum, cydonior, ſyrup. granator. acidor. conſerva roſar.* &c. Aliqui exhibent aliquot gr. *maſtichis*, cum *ovo ſorbili*, omni manè. Potentius nihil eſt ſpecifico

Præſtantia ſalis abſinthii.

illo ſtomachico, *ſale* ſcilicet *abſinthii*, ad ℈j. vel ʒß. in *juſculo carnis*, cum pauco *ſucco limonum*, exhibito. Ad ſiſtendum vomitum, etiam *poſt me-*

à purgante ſumpto.

dicamenti purgantis aſſumptionem, applicetur regioni ſtomachi linteû quadruplicatum calido *aceto* intinctum. *Camphora* naribus admota plurimum facit

Ab aſſumpto Antimonio.

contra nauſeam. Si vomitus ſit ab aſſumpto antimonio, cochlear unum *ſpirit. vini*, vel *aquæ Imperialis*, vomitum in inſtanti ſiſtit; vel etiam *laudan. opiati* gr. IV. in duas pilulas redacta, ut acris ſtomachi ſenſus tollatur, & vomitus ſiſtatur, exhiberi

ab inflammatione ſtomachi.

poſſunt. Si magna *in ſtomacho* ſit *inflammatio*, quod apparet ex febre, cum vomitu pertinaciſſimo conjuncta, plerunque celebranda eſt venæſectio, ſi corpus ſit plethoricum. Varia quoque in vomitu *Fomenta* ſto-

Externa. Fomenta.

macho adminiſtrantur: v. g. *decoctum abſinthii & menthæ*, in *vino* factum, addito pauco *aceto*, ſpongiis ventriculo ſæpius applicandum eſt.

Epithema.

Villa-Novanus accipit *fermentum acerrimum*, quod *aceto fortiſſimo*, & *ſucco menthæ* diluit, ventriculóque ter vel quater applicat; quod vomitum infallibiliter ſiſtit.

Emplaſtr.

Nos *emplaſtrum de cruſta panis, de maſtiche*, vel *diaphœnicum calidum*, cum *pulpa cydonior. pulvere caryophyllor. macis*, & *nucis moſchatæ* applicamus, vel *panem toſtum vino rubro*, & *pulvere nucis moſchatæ*, aut *balauſtior.* conſperſum ventriculi regioni applicare jubemus.

Diæta.

Diæta in hoc affectu debet eſſe moderata: nam quò magis oneratur ſtomachus, eò etiam magis urget vomitus: dulcia item, & pingvia, ſunt vitanda: talia enim nauſeam pariunt. Potus item debet eſſe parcus, ne ventriculum nimis laxet, & malum augeat.

Objectiones.

1. Objicies primò: Vomitus dicitur violentus motus, cùm tamen detur naturalis vomitus, utpote qui, ſine ulla violentiâ, omni menſe, vel ſæpius, cum tolerantia recurrit. Reſpondeo: licet vomitus iſte conferat; non tamen propterea naturalis eſt: eſt enim tantùm ſignum bonum ex mala cauſa: imò ventriculi motus ille, quo ita evertitur, eſt planè violentus.

2. Objicies ſecundò: Vomitus criticus fit à natura. Ergo eſt naturalis. Reſpond. eſt naturalis, quatenus naturale opponitur violento; nego; eſt naturalis impropriè; concedo.

3. Objicies tertiò: Salivatio & ruminatio etiam videntur eſſe vomitûs; & tamen non fiunt violenter. Reſpondeo: ſalivationem, quæ vel à liene, vel etiam aliunde, provenire poteſt, non eſſe vomitum; quia in hac non eſt ſtomachi everſio violenta: in ruminatione verò, licet à Riolano dicatur fieri inverſo ventriculo, eſt tamen motus naturalis, vaccis præcipuè & bobus proprius.

4. Objicies quartò: Multi Authores, referente Baccanelio, aſſerunt, vomitum quovis tempore, & in omni homine, poſſe tutò provocari; quod videtur abſurdum. Reſpondeo cum Galeno, *4. aphor. comment. 7.* cui imperandus eſt vomitus, oportet, ut ſit gracilis & facilis ad vomendum; ut non ſit hyems: & ſic non quolibet tempore, nec in omni homine, convenit vomitus: imò idem mediocriter carnoſos, & difficulter vomentes, per inferiora potiùs purgandos eſſe aſſerit.

Nota I.

Nota primò: Ex Hippocrate, *lib. de ſalubri Diætâ*, gracilioribus & imbecillioribus à cibo; fortibus autem ante cibum, provocandum eſſe vomitum.

II. Nota ſecundò: Inſvetos priùs ad vomitum lenibus vomitoriis eſſe purgandos, ne ad inſveta tam citò fiat tranſitus.

Nota

III. Nota 3. ante vomitionem ventris lenitionem præcedere debere, porrigendaque eſſe ejusmodi præparantia, quæ humores craſſos incidant; denique tempus æſtivum potiùs, quàm hyemale; calidum, quàm frigidum, eligendum, capútq; & ventrem faſciis tempore vomitus ſtringenda eſſe.

IV. Nota 4. poſt vomitum lavandam eſſe faciem *aquâ roſaceâ*, cui parum *aceti* addi poſſit: laveturque os ex *vino*, differatur cibus per duas horas, deinde aſſumantur res boni odoris (nam ſicuti graveolentia ſtomachum evertunt; ita bene olentia corroborant) ſint item cibi grati ſaporis, paucæ quantitatis, facilis concoctionis & diſtributionis, paucique excrementi: potus ſit vel nullus, vel ſaltem admodum paucus.

V. Nota 5. Vomitum in Illuſtri quadam Domicella nullis aliis remediis cedere voluiſſe, præterquam *balneo aquæ dulcis*, cum *hordeo*: bilioſus nimirum vomitus fuit, à bile in toto, & ventriculi tunicis, exiſtente, quæ balneo univerſali ita diluta fuit, ut naturam ad vomitum ſtimulare deſierit: bilis enim habet ſeſe inſtar aceti fortis, cui quò plus aquæ affunditur, eò plus de aciditate ſua & viribus perdit: ita bilis in corporibus bilioſis per balnea aquæ dulcis tepida vires amittit.

CAPUT. LIII.
De Cholera, Lienteria, & affectione Cœliacâ.

INter affectûs ſtomachi, expultricem læſam concernentes, referuntur *Cholera*, *Cœliaca paſſio*, & *Lienteria*. *Cholera* eſt bilis ſupernè & infernè eruptio: vel immodica ventriculi perturbatio, ſupra infraq; erumpens, ob laborioſam vellicationem utriusque orificii. Cholera eſt *duplex*: *ſicca* ſcilicet, & *humida*. *Sicca* eſt ab acri flatu, qui, ſive egeratur, ſive retineatur, partes ventris membranoſas flaccidas reddit, eúmque inflat: unde fiunt Ructus & crepitus, ob continuas detonationes & accenſiones ſulphuris ac nitri: adſunt item laterum ac lumborum dolores, nihil alvus dejicit, flatubus ſcilicet dejectionem impedientibus, vel ſiccitate iisdem ingenitâ eandem remorante. Cholera *humida duplex* eſt: legitima, & notha. *Legitima* eſt bilis pallidæ, praſſinæ, viridis, vel æruginoſæ, vel nigræ, aut in ventriculo genitæ, aut ab hepate, liene, meſenterio, pancreate, inteſtinis, utero, &c influentis rejectio. *Notha* eſt, quæ ortum ducit vel ab eſculentis, vel per ſe vitioſis, ut ſunt olera, pepones, fungi, cæpæ, porrum, allium, braſſica, cucumeres, caro ſuilla, mellita omnia, venena; vel in ventriculo genitis, & corruptis, ob copiam, uſum intempeſtivum, ordinem præpoſterum, intemperantiam, Venerem, balneum, motum à cibo violentum, pharmaca venenata, & deleteria, omnia denique naturæ contraria.

Cholera quid.

Eius Differentiæ: Sicca.

Humida duplex: Legitima:

Notha.

Dignoſcitur affectus à ferociâ, quæ homines valde torquet, dum inteſtina & ventriculum corrodit, inflat, diſtendit. Cognoſcitur item à vomitu & dejectione fætida, liquidâ, variegatâ, & ſummè moleſtâ: adeſt ſitis intenſiſſima, inappetentiâ, inquietudo, & corporis jactatio, pulſus languidus, extremorum frigus, animi deliquium, ſingultus, ſyncopticus ſudor, nervorum tenſiones, & ſæpe convulſiones, membrorum contractio, ſtrangulatus, nauſea & vomitus inanis, & teneſmus; dum ſcilicet nihil vel ſurſum, vel deorſum, ob naturæ debilitatem, vel ob materiæ ineptitudinem, dejici poteſt.

Signa diagnoſtica.

Hic affectus eſt graviſſimus & periculoſiſſimus: nam derepentè non rarò moriuntur Ægri, præcipuè ſi vomitus ſit fætens, lividus, niger: uti contigit Illuſtriſſimæ alicui Domicellæ hic Viennæ. Quibusdam tamen ſæpe utiliter evenit, præcipuè bilioſis, juvenibus, & in æſtate, ob ambientis fervorem: imò lipyriæ febris non, niſi cholerâ ſuperveniente, quieſcit: teſte Dureto, *in Coacas*. Nos plures, in Aulâ Cæſarea hoc morbo laborantes, curavimus, utpote Illuſtriſſimam Domicellam de Plettemberg, Philippinam, & alias.

Prognoſtica.

In cholerâ *ſicca* conveniunt ea, quæ alvum ſubducunt & leniunt: ut ſunt clyſte-

Cura Siccæ.

Clyſteres. Clyſteres emollientes ex *decocto furfurum*, *herbar. malvæ*, *atriplicis*, *bliti*, *violariæ*, *branca urſina*, *mercurialis*, *ſeminis lini*, &c. cum *oleo amygdalar. dulc.* & *melle mercurial.* confect. Per *Alterantia.* ſuperiora porriguntur *juſcula carnis* cum *olea dulci*, vel *lac ſeminum melonum*, *papaver.* & *amygdalar. dulc.* *Balneum aquæ dulcis tepidum* imperari debet, cum *hordeo* & *herbis*, ſi placet, *refrigerantibus* & *humectantibus*, ad bilis acrimoniam de- *Diæta.* mulcendam. Quies cum ſomno imperanda eſt; item abſtinentia à cibo, vomitus interdicendus eſt, Æger lacte aſinino cibandus, corpus *oleo* inungendum; id ſvadente Dureto, *in Coacas.* In *Humida.* *Vomitus.* *humida* autem cholera materia protinus evacuanda eſt per Vomitum, *ſyrupo* ſcilicet *acetoſo*, *oleo*, & *aquâ tepidâ* multâ: uti ante aliquot annos fecimus in Excellentiſſimo Comite de Nadaſti feliciſſimè. Si materia vergat deorſum, *Lenientia.* *Clyſteres.* *lenientia* ſunt porrigenda, ut ſunt *ſyrup. roſar. pallidar.* vel *maſchatar. de trib. is*, *de cichorio quadruplicato rhabarbara*, *ſerum lactis*: item clyſteres emollientes ex uſu erunt, quales antè, *in Cholera ſicca*, fuerunt ordinati. Licet in hoc affectu *Venæſectio in cholera ab inflammatione.* à plerisque *venæſectio* rejiciatur, ob virium debilitatem; in ſumma tamen partium internarum inflammatione unicum fuiſſe remedium, à Nobis non raró obſervatum eſt: viribus tamen ſemper fiat aliquantulum reſtauratis, partitis vicibus, & cohibito humorum *à Cauſa calidâ.* impetu. In *cauſa calida* ſtomacho ſequens applicari poterit:

Epithema ſtomach.
℞. *Aq. roſar.*
plantag. ana ℥iij.
ſucci cydonior.
acet. roſac. ana ℥j.
pulv. ſantal. rub.
roſar. ſiccar. ana ʒj.
galliæ moſchat. ʒß.
caryophyllor. gr. iv. M. F Epithema, ſtomacho *linteolis*, vel *ſpongiâ* tepidè applicandum.

Vel, loco ejus,

Emplaſtrū praeſens.
℞. *Picis* ℥ij.
olei cydonior. ℥ß.

Liqueſcant ſimul, & fiat Dropax, qui, ſtomacho applicatus, vomitui præſens adfert adminiculum. Vel *panis toſtus* diſſolvitur in *vino adſtringente*, vel *aceto*, cum *pulvere maſtichis*, *menthæ*, *caryophyllor. roſar. balauſtior. malicorii*, & ſtomacho *Fotus.* applicatur. In tanta ſymptomatum ferociâ cogimur non raró ad *Narcotica* *Narcotica.* confugere: primò ſcilicet ad ʒj. *Theriac. recent.* vel ad gr. iv. *laudani opiati*, vel totidem *laudani Cæſarei*; vel exhibemus ʒij. *diacodii*: quod efficacius eſt ex *decocto*, ſeu *extracto*, *corticum papaveris*, quàm ex ipſo *ſemine*; quod in Bohemia, & Sileſia, pro optimo cibo, citra hypnoticam, habetur.

Diæta. *Cibus* ſit paucus, coctu facilis, gratus, & adſtringens, ne materiæ quantitas gravet & corrumpatur: hinc etiam ab Avicennâ omnino prohibetur, &, ejus loco, rerum fragrantium jucundi odores, recreandis viribus aptiſſimi, ſubſtituuntur. Ne tamen vires omnino dejiciantur, *Contuſa*, ſeu ex- *Conſumata:* preſſiones ex caponibus & perdicibus, *Gelatinæ* item *Gelatina* ex granis mali Punici, ſucco arantiorum, pane, in vino granatorum aut cydoniorum intincto profunt: denique *deſtillata reſtaurantia* *Reſtaurantia:* offerenda ſunt. Si cibus retineri omnino non poſſit, applicetur, per breve intervallum, *cucurbitula* regioni *Cucurbita.* ventriculi; vel *petiola aceto calido* imbuta, ſeu *ſtrophiolum* quadruplicatum, eodem *aceto* madidum. *Potus* ſit *Ju-* *Potus.* *lapium* factum ex ℔iv. *aquæ*, cum *ſyrupi*, vel *ſucci granator.* vel *cydonior.* ℥iij. vel etiam cum *oxyſaccharo*, *acredine citri*, &c. Si affectus ſit *à cruditate*, adſitque ma- *à Cruditate.* gna nimis virium debilitas, parum *vini adſtringentis* offerendum eſt, & vires refocillandæ. Frequens cujuscunque rei potus vitandus eſt: quin & principium curæ in vomitu ſemper eſſe debet abſtinentia ab omni potu.

Lienteria. *Lienteria* eſt celer alimentorum, nihil ab alvo mutatorum, dejectio.

Ejus Cauſa duplex. *Cauſa* illi duplex à Galeno, *6. de loc. affect. cap. 2.* aſſignatur: utpote retentricis facultatis debilitas, & ventriculi exulceratio. Nos *aphthas* addimus. Ad *retentricis debilitatem* facit *Retentrix debilis.* refrigeratio, laxitas, & aliena qualitas. Refrigeratur autem ab aëre gelido,

do, frigidæ potu, fructuum horariorum eſu, pituitâ à cerebro defluente.

Laxitas. Laxitas conciliatur hauſtu *olei*, *aquæ tepidæ*, *butyri* &c. à *prunis*, *malvâ*, *venenis*, item à frigidis, ut *ſolano*, *hyoſcyamo*, *papavere*, *opio*, *fungis* &c.

Differentia. Lienteria, & Cœliaca, ſecundum magis & minus *differunt*: in hac enim vel adeſt ciborum, ſed non prorſus incoctorum, exitus: ſiquidem concoctio inchoatur quidem, ſed ob ventriculi debilitatem non perficitur. Altera Lienteriæ cauſa eſt exulceratio ventriculi ab acribus & corruptis cibis, pharmacis, venenis calidis, ſuccis mordacibus in alvum tramiſſis, ut bile flavâ, ſalſa pituitâ, pure &c. à quibus vis expultrix ita proritatur, ut cibum indigeſtum ejiciat immaturè.

Signa diagnoſt. à Cauſa calida: *Signa diagnoſtica* cauſarum hujus affectûs ſunt, quòd, ſi à *calida* ſit *intemperie*, vel acri ulcere, dolor & morſus à cibo, ructus nidoroſus, amaror, linguæ ſcabrities, excreta bilioſa, ſanioſa vel purulenta, febris & jactatio adſint. *frigida.* Si verò ſit à *cauſa frigida*, nec dolor, nec ſitis adeſt, Æger fame torquetur, lingva albicat, excretiones ſunt crudæ, aquoſæ, & pituitoſæ.

Cœliaca. Si dejectiones ſint omnino chyloſæ, *Cœliaca paſſio* à meſenterii obſtructione, uti ſæpe pueris accidit, oritur. *Prognoſt.* Si Lienteria, aut Cœliaca paſſio, ſit diuturna; ad tabem & atrophiam, cachexiam, vel hydropem, extincto calore nativo, Ægrum præcipitant.

Lienteriam diuturnam ſuperveniens ructus ſolvit: eſt enim alicujus mutationis & concoctionis ciborum ſignum. Senibus ſæpe funeſta eſt Lienteria, aut Cœliaca illa, quæ in autumno incipit, & ad hyemem ſeſe extendit: fovetur enim ab ejuſdem frigore, pituitæ genitore. Illa, quæ fit ab humore acri, ſæpius in dyſenteriam abit, ob inteſtinorum corroſionem: quin & dyſenteriæ lienteria nonnunquam ſuccedit, ob cicatrices denſas & læves, quæ cibi retentionem prohibent. Lienteria ſuccedens chronicis morbis mortalis eſt, ut ait Arculanus, *cap. de liene*.

Cura. Affectûs hujus *curatio* duobus præcipuè fit: vacuantibus nempe, & roborantibus; quæ, pro cauſarum varietate, ſunt quoque varianda. Itaque humoris peccantis expurgatio per *catharticum* molienda eſt. *à Pituita. Purgatio. Pilulæ.* Si ſit *pituita*, ſequentes Pilulæ ex uſu erunt:

℞. *Maſſæ pilular. Ruffi*,
aurear. ana gr. xv.
aloës roſat. ℈ß.
pulv. Syrii gr. vi.
Cum ſ. q. *ſyrupi de mentha*, F. Pilulæ num. vij. Inaurentur pro una doſi.

à Bile. Potio. Si *bilis* peccet,

℞ *Rhab. elect.* ʒij.
fol ſen. ʒiij.
cortic. myrobalanor. citrinar. ʒiß.
mann. elect. ℥iß.
His omnibus ſuperaffunde *aq. cichorii* bullientis ℥iv. Stent per noctem: manè in expreſſione diſſolve
cryſtall. tartari ℈ß.
electuar. de ſucc. roſar. ʒß.
ol. cinam. gut. iij. M. F. Potio.

Confortantia. Poſt ſufficientem evacuationem *roborandus* eſt Æger Opiatis, Pulveribus, Emplaſtris, Unguentis, Fotibus, calidis, ſi à frigida; frigidis & adſtringentibus, ſi à cauſa calidâ oriatur malum: talia reperi poterunt ex *antè traditis in frigida & calidâ ventriculi intemperie*. Sequens ab Amato Luſitano, tanquam ſingulare, commendatur:

Electuarii. ℞. *Theriac. opt.* ʒvj.
conſerv. roſar. antiq. ℥iv.
miva cydonior. q. ſ. M. F. Opiata.
Doſis ʒß. manè, nihil ſuperbibendo.

Fomentum. *Fomentum* ſimile regioni ventriculi per vices applicari poterit:

Sacculi. ℞. *Fol. mentha*,
plantag.
abſinth. ana mij.
flor. roſar. rub. pij.
malicorii,
balauſtior.
calicum glandium, ana ʒij.
rad. tormentill.
biſtortæ, ana ℥ij.
nucis moſchat.
caryophyllor.
cinam.
macis, ana ʒj.
Contundantur & incidantur, iiſq; duo *Sacculi* impleantur interpuncti, qui macerentur in *vino rubro*, *aquâ fabrorum*, & *aceto* calidis, regionique ſtomachi alternis admoveantur. *Emplaſtra.* *Emplaſtrum de cruſta panis*, *de maſtiche*, *diaphœnicum*

cali-

calidum, etiam applicari poſſunt. In æſtu hoc pinguia omnia ſunt vitanda; utpote quæ magis laxant. Si itaque cauſa ſit frigida, alimenta ex uſu erunt magis aromatizata, ut vinum rubrum, ſtypticum: ſecus in calida & ulceratione; ubi conveniunt moderatè exſiccantia, & fervorem mitigantia alimenta. Somnus diuturnus, ſicut in omni evacuatione, ita & in hac, non eſt inutilis; quia nativum calorem concentrat; unde vis unita redditur fortior.

Quæſtio. I. Quær. 1. Cur Duretus interdicit vomitum in cholera ſicca? Reſp. Cùm cholera ſicca fiat à flatibus acribus & exagitatis, per violentiam vomitûs magis exacerbantur, agitantur, & partium intemperies calida intenditur.

II. Quær. 2. Cur lac aſininum præcitatus Auctor præſcribit; cùm Hippocrates hypochondria murmurantia habentibus illud maximè prohibeat? Reſp. Lac hîc præſcribi ob magnam humectationis neceſſitatem: nam ſicuti parva pluvia in macrocoſmo ingentem ventum ſedat; ita in microcoſmo lac, quod, ratione ſeri, plurimùm humectat & aperit, ſummè neceſſarium erit.

Objectio. I. Objic. 1. Permittitur hîc venæſectio; cùm tamen ſumma ſit virium dejectio: Ergo malè. Reſpon. Nos hîc venæſectionem non in extrema virium jacturâ, ſed iis adhuc conſtantibus, vel refectis, concedere, ad æſtum illum viſcerum tollendum. Ubi enim tanta bilis æruginoſæ & porraceæ copia generatur, neceſſe eſt, ingentem adeſſe inflammationem; cui venæſectio diametraliter opponitur.

2. Objic. 2. Venæſectio in omnibus violentis evacuationibus ab Hippocrate prohibetur: ſed hîc eſt violenta evacuatio: Ergo. Reſp. Hippocratem prohibere venæſectionem in evacuationibus, in quibus plurimum de calore innato deperditum eſt; concedo: in aliis, nego. Imò Medici Pariſienſes, referente Riolano, paſſim ad præcavendam gangrænam, parcâ tamen manu, venam ſecant.

III. Quær. 3. Cur in cholera ſicca plerunque magna eſt alvi conſtipatio? Reſpond. 1. Ob humiditatis abſentiam. 2. Eò, quòd bilis, clyſter ille naturalis, non feratur ad alvum, ſed perpetuò accendatur, & per os detonet. 3. Ob calorem viſcerum, humiditates alvinas, non ſecus ac Sol præcalidus, ad ſeſe trahentium & ſublimantium.

Quær. 4. Cur omnes, qui morbo ructuoſo, ſeu cholerâ ſicca, laborant, debiliſſimum habeant ſtomachum? Ry. 1. Eò, quòd ſtomachi ſubſtantia à flatibus perpetuò diſtendatur & rareſcat; unde calor nativus deperditur. 2. Dum ſtomachus à flatibus perpetuò diſtenditur, ſeſe ad digeſtionem contrahere non poteſt; & hinc concoctio fruſtratur. IV.

Objic. 3. Authores dicunt, digeſtionis perfectæ ſignum eſſe ructuum abſentiam; hinc tum demum cibandum eſſe: ſed qui cholerâ ſicca laborant, à flatibus & ructibus nunquam ſunt immunes: ergo nunquam eſſent cibandi. Reſpon. inter duo mala minus ſemper eſſe eligendum: adeóque ſatius erit, Ægrum ructantem cibare, quàm per omnimodam inediam enecare. 3.

Quær. 5. Quid ſignificant acidi ructûs? Reſp. Ventriculi frigiditatem; uti habet Gal. *6 aph. comment. 1.* Quæcunque à pituitâ, ventriculum refrigerante, fiunt lævitates inteſtinorum, ſemper cum ipſis ſunt acidi ructûs; adeóque in Lienteria etiam ſunt acidi ructûs. V.

Objic. 4. Hippocrat. *6. aph. 1.* ſcribit: In longis lævitatibus inteſtinorum ſi ructus acidus fiat, qui priùs non erat, bonum: Ego ructus eſt ſignum concoctionis & caloris, non verò frigoris. Reſp. Ructum acidum calorem & digeſtionem ſignificare hîc, abſolutè nego. Nam quamvis in affectibus hiſce ructus acidus demonſtret progreſſum à majori frigore ad minus: non tamen negat, ructum acidum eſſe ſignum frigidi ventriculi. 4.

Quær. 6. Cur ſingultus, qui accidit habentibus fluxum ventris, malus? Reſpond. Significat enim, inteſtina funeſtè habere, & ſtomachum etiam trahi in conſenſum: idem fit poſt diuturnos alvi fluxûs: ex debilitate retentricis ſuccedens Lienteria perducit in hydropem. VI.

Objic.

5\. Objic. 5. Flatuum cauſa refertur ad detonationes nitri & ſulphuris; cùm tamen detonationes nitri & ſulphuris celerrimæ ſint : hæc verò non. Reſp. Detonationes nitri & ſulphuris purorum ſunt celerrimæ ; concedo : impurorum ; nego. Nitrum enim & ſulphur ſunt cibis craſſis & viſcoſis commixta ; unde tam difficulter in apertum erumpunt flatûs ; quod etiam accidit propter corporis profunditatem, & meatuum anguſtiam ; immo etiam propter expultricis debilitatem.

Caput. LIV.

De Debilitate, & Intemperiebus Hepatis.

QUantumvis hepar, omnium Scholarum ſententiâ, & diligenti ſcrutinio, ſangvificandi munere privatum ſit, ſolumque illi ſangvinis depurandi officium tribuatur : ea tamen ejus eſt dignitas, ut nulla ipſius paſſio ſine totius magnâ ſympathiâ accidere poſſit. Inter alios affectûs, quibus hepar afficitur, illi frequentiſſimè accidit *Intemperies* aliqua vel *frigida*, vel *calida* : à qua Hepatici dicuntur. Hæc *Imbecillitas duplex* eſt : vel *nativa*, vel *adventitia* : *cum*, vel *ſine*, *materia* : *cum* vel *ſine*, *hepatis corruptela* ; unde paulatim contabeſcit Æger. Hepatis affectio hæc vel fit *primariò* ; vel *per conſenſum* aliarum partium, v. g. inteſtinorum gracilium, ventriculi, meſenterii, epiploi, veſiculæ fellis, lienis, renum, veſicæ, uteri, pancreatis, venarum, &c. Proinde prout una præ cæteris temperamenti qualitatibus, huic vel illi ſerviens actioni, magis læditur ; ſic una præ alterâ facultas magis afficitur. Si Jecoris *attractrix imbecilla* eſt, aderunt liquidæ, bilioſæ, & ſanguineæ dejectiones, humorib, ſcilicet in ventre mutatis, ſed non diſtributis; dum ſcilicet vis ſangvinem à bile & ſeroſis humoribus ſegregandi debilis eſt : & quamvis attrahantur humores ; non tamen depurantur, ſed potiùs corrumpuntur, & præter modum cumulantur ; unde fædus oritur color, cacochymia, cacotrophia,

Hepatis Intemperies:

Debilitas duplex.

Signa attractricis debilis.

& cachexia, &, ſi exceedat frigus, hydrops ; quia ſanguis in aquam mutatur ex defectu concoctionis ; per quam fit incraſſatio. Eſt autem concoctionis defectus ob ineptitudinem materiæ indigeſtibilis : hic autem tantùm fit defluxus, & nulla ſecretio, aut major ſangvinis elaboratio, atq; adeò aquoſa materia ad venas rapitur ; craſſa verò ſubſidet, & tumores ſcirrhóſque cum tempore generat. Fit ſæpe, ut, langvente vi hepatis retentrice, excitetur fluxus, ſeu dyſenteria hepatica, in qua ſangvis per alvum loturæ carnium ſimilis rejicitur, arguitúrque inſigne jecoris vitium.

Intemperiei calidæ cauſæ ſunt aër calidus, exercitationes violentæ, vigiliæ immodicæ, ira frequens, alimenta & medicamenta calida, ſeu multis aromatibus condita, vinum generoſum, febres, & partium vicinarum caliditas excedens.

Intemperiei calidæ Cauſa:

Hepatis intemperies calida cognoſcitur ex dejecta cibi appetentiâ, ſiti inexplebili, ob fluxum bilis in ventriculum, ex vomitu porraceo, bilioſo, croceo, mordaci, ſpumoſâ alvi dejectione, urinâ flavâ, pulſu celeri, febre, lingvæ ſeabritie, labiis aduſtis & aſperis, oris amarore, facie ictericâ, palmarum ardore, jactatione, cutis calore ; præſertim ſi adſit juncta ſiccitas, corporis extenuatio, & colliquatio.

Signa.

Frigida hepatis intemperies contrariis *exploratur* ſignis : abſentiâ ſcilicet febris & ſitis, pulſu tardo, colore pallido, facie turgidulâ, tumidis pedibus, urinâ tenui & albâ, multis flatibus corruptâ, intensâ appetentiâ, dejectionibus nô ita frequentibus, nec copioſis, nec graviter olentibus, chyloſis, vel loturæ carnium ſimilibus, quæ hepatis debilis fere ſunt indices, ut & iis, quæ ſanguinis, vel vini fæcem referunt ; quæ tamen ſæpe caloris præaſſantis certum præbent indicium ; quod ex aliis ſignis eruendum eſt. Quòd ſi frigidæ intemperiei, poſtquam ſanguis dilutus rejectus fuit, accedente pororum conſtipatione, ſuccedat febris, præaſſationes quoque ſubſequi poſſunt ; teſte Æginetâ, *lib. 3. cap. 47.*

Frigidæ intemperiei Signa:

Cauſæ frigidæ hepatis intemperiei ſunt, aër frigidus & hyemalis, cibi frigidi,

Cauſa.

gidi, potus in calore repentinus & glaciatus, frequens virium dejectio, febris continua & ardens, in qua nimium refrigerantia ſunt adhibita, balneum aquæ dulcis, hæmorrhagia copioſa &c.

Indicationes. Omnis hepatis intemperies debet per contraria tolli; quibus modicè adſtringentia miſceantur, ut parti robur concilietur. *Curatio in calidâ.* In *calidâ* convenient refrigerantia, & bilem evacuantia. *Laxatio.* Primo itaque, injecto enemate, vel ſumptis *aquæ laxativæ* ℥iv. cum ℈j. *tartari vitriolat.* *Venæſectio.* *incidatur vena* dextri brachii, in bona quantitate; ſic enim non tantùm refrigerium aliquod hepati afferetur (tantum enim eſt caloris, quantum ſangvinis) ſed etiam bilioſi humoris pars evacuabitur. Hoc facto, ad ulteriorem humoris bilioſi evacuationem, & partis contemperationem, accedendum eſt, *Purgatio. Decoct.* ſequenti ſcilicet *Apozemate:*

℞. *Fol. endiv.*
cichor.
portulac.
lactuc. ana mj.
flor. cordial. ana pj.
rad. cichor. ſylveſt.
anchuſæ,
gramin.
oxylapathi,
rubiæ tinctor.
aſparag. ana ʒiiß.
pulp. tamarindor. ℥j.
fol. ſen. ſ. ſ. ℥ij.
cortic. myrobalanor. citrinor. ʒj.
rhabarb. elect. ʒiij.
flor. Perſicor. p. ij.

His omnibus ſuperaffunde *ſeri lactis caprin.* bullient. ℔iß. Stent per noctem: manè, factâ levi ebullitione, in expreſſionis colatæ & clarificatæ ℥iij. diſſolv.

Syrupi de cichorio, quadruplicato rhabarbaro, ℥j.
elect. de tamarind. ʒij.
ſpirit. nitri gut. iij. M. F. Potio.

Si fortiorem velis, addere poteris ʒj. *electuar. de ſucco roſar.* Hæc evacuatio debet continuari diebus aliquot; deinde *Alterantia.* ad *alterantia* ſaltem deveniendum eſt: qualia ſunt *ſerum lactis, aqua taraxaconis*, vel *cichorii*, ad ℥vj. ſingulis diebus manè, per menſem unum, vel diutius, ſumpta, item *rob cynosbati*: vel tale *Julapium* concinnari poterit:

Julapium.

℞. *Aq. endiv.*
acetoſ.
cichor.
portulac. ana ℥iij.
vini granator.
ſyrup. de acredine citri, ana ℥ij.
ſpirit. vitrioli q. ſ. ad gratam aciditatem. F. Julap. de quo ſumi poterunt ℥v. vel vi. manè. Ad hepar contemperandum non parum etiam facit *Acidularum* uſus: quamvis Riverius, *in Obſervationibus*, *de Acidulis.* eas hepar calefacere putet. Item:

Electuar.

℞. *Conſerv. flor. nymph.*
cichor. ana ℥j.
pulv. ſantal. rub. ʒij. Cum ſ. q. *ſyrup. de acredine citri* F. Mixtura mollis, capienda omni manè, ad magnitudinem caſtaneæ. Loco ejus, ſolemus exhibere *Pulverem hepaticum rubeum*, ad ʒß. & ad ℈ij. qui conſtat ex *tartaro, ſantali rubei infuſione tincto*, & *faculâ acetoſellæ*; item *Tinct. roſar.* cum *ſantalo rub.* facta, hepar confortat: huic etiam addi poteſt *lignum ſaſſafras*, & *rad. acetoſæ, cichor. rubiæ tinct.* & *pentaphylli*: vel ℞. *eſſentia eupatorii, agrimoniæ, meliſſæ, eſſentia diarrhodon, dialacca, diacurcum. chelidon. maj.* quamvis hæc magis ad calidam intemperiem conveniant.

Extrinſecè fomenta, emplaſtra, unguenta, balnea &c. adminiſtrari poſſunt: *Externa. in calidâ.* maximè in *calidâ* jecoris intemperie convenit *Ceratum ſantalinum*, vel quod ſequitur:

Unguent.

℞. *Succi endiv.*
cichor.
portulac. ana ℥j.
maſſ. macerat. ſantalini ℥ij.
Coque ad ſuccor. conſumptionem, dein adde *olei roſar.*
de nymphæa,
unguent. refrig. Gal. ana ℥ß.
M. F. Unguentum, quo ungatur hepatis regio. Vel

Epithema.

℞. *Fol. portulac.*
endiv.
cichor.
acetoſ. ana m. j.
ſem. melon. contuſor. ʒß.
rad. anchuſæ,
rubiæ tinctor. ana ℥ß.
Coq. in ſ. q. *aq.* addendo *aceti* ℥ij. F. fortis expreſſio, cui intinge ſpongiam, vel triplicata linteola, & ſæpius applicentur: licet quidam putent, emplaſtra,

plaſtra, quòd poros obſtruant, calefacere. Sed experientia nos docuit, hepar applicatione *empl. de cicuta*, vel *ſantalini*, vel etiam *lamina plumbea*, ad votum refrigeratum fuiſſe.

à Frigidâ. Hæc *in frigida* hepatis intemperie non conveniunt, ſed omnia contraria, utpote calefacientia. (venæſectioni *Purgantia.* nullus hîc datur locus) *Purgantia* ſint phlegmagoga & hydragoga: quia in tali intemperie plurimum phlegmatis vel aquæ generatur: ut:

Unguentum. ℞. *Maſſæ emplaſt. diaphœn. calid.* ℥iß.
ſucc. agrimon.
abſinth. ana ℥ij.
Bulliant ad ſuccor. conſumptionem: dein adde
olei de abſinthio,
camomill. ana ℥ß.
unguent. Martiat. ℥j. M. F. Liniment.
Vel
℞. *Summit. abſinth.* miß.
flor. chamomill. piij.
herb. menthæ,
agerati,
ſpicæ nardi,
ſalv. ana mj.
caryophyllor. aromat.
cinam. acut. ana ʒß.
galang.
Zingib. elect.
maceris ana ℈j.

Incidantur omnia, & contundantur *Sacculus.* minutim, indanturque *Sacculo* interpuncto, qui bulliat cum ſ. q. *vini albi*, & applicetur ſæpius calidè regioni hepatis. Ex hiſce, absque ſacculo, fieri *Fomentum.* poteſt *Fomentum*. Sicuti in calida hepatis intemperie vitanda ſunt omnia calefacientia; ita in frigida omnia refrigerantia.

Sicca hepatis intemperies ad calidam: humida ad frigidam referri poteſt.

Quæſtio. 1. Quær. 1. Quinam verè hepatici vocantur? Reſpond. Qui in hepate alteratricis facultatis habent impotentiam: vel potiùs, cum Galeno, *lib. finitionum med Jecinoroſos* appellamus, quos jecoris dolor, cum tumore & duritie, & corporis colore malo, comitatur: & his febris ardens ſupervenit, & lingua areſcit; quæ omnia evenire ſolent, cùm alteratrix facultas ſuo non probè fungitur officio.

Nota: Galenum, *5. de loc. affect. cap. 7.* facultatem hepatis, in ordine ad ſanguinem, vocare ſpeciatim alteratricem, non generatricem: qui locus maximè favet modernæ ſententiæ, quòd ſanguificatio non fiat in hepate, ſed in corde.

Objic. 1. Si ſanguificatio non fit in hepate; cur ergo in ejus læſione medicamenta hepati applicantur? Cur rejectio aquæ, loturæ carnis ſimilis, color oculorum fuſcus, &c. deſignant hepatis debilitatem? Reſp. Cùm alteratricem facultatem, & ſecretricem, hepati nemo deroget, hæcque ad ſanguinis prima rudimenta maximè ſit neceſſaria, ſique patiatur, neceſſe etiam ſit, ſanguinem impurum & incoctum promanare, unde turpis oculorum & corporis color oritur: ſequitur, etiam medicamenta hepar confortantia, ut utiles humores retinere, inutiles verò ſecernere poſſit, in omni ſanguinis defectu maximè eſſe neceſſaria. *Objectio 1.*

Objic. 2. Si ſanguis fieret in corde: Ergo in fluxu hepatico, qui fit ob læſam hepatis retentricem, rejiceretur inculpatus ſanguis; quod negant *antè* dicta. Reſpon. Etſi fiat in corde ſanguis: tamen, ſi hepar non ſecernat humores biliosos & ſeroſos, non rejiciet ſanguinem purum, ſed cum iis humoribus mixtum; ut fit in fluxu hepatico: deinde malè affecto hepate, impoſſibile eſt, cor inculpatum ſanguinem generare ſaltem temporis ſucceſſu. 2.

Objic. 3. Ibi fit vera actio, ubi fit ejus depravatio: ſed in hepate fit ſanguificationis depravatio: Ergo etiam in eo debebit fieri vera actio, ſive ſanguificatio. Probatur: quia in perfecto hydrope aſcite, à maxima hepatis intemperie proveniente, nullus generatur ſanguis, ſed mera aqua; ideò tantum, quia maxima adeſt hepatis intemperies: Ergo ibi depravatur ſanguificatio: ergo neceſſariò etiam in ſtatu naturali ibidem debebit fieri vera ſanguificatio. Reſp. Ubi fit depravatio, ibi fit vera actio, alterativè & inchoativè; concedo: generativè & completivè; nego. Hæc enim ſecundum ipſius Ariſtotelis, & omnium Modernorum opinionem fit in corde. 3.

Objic. 4 Ibi fit generatio ſanguinis, ubi eſt principium diſtributionis ejus: 4.
ſed

ſed in hepate eſt principium diſtributionis; Ergo. Probatur minor: ibi eſt principium diſtributionis, ubi eſt principium venarum: ſed in hepate eſt principium venarum: ergo. *Reſp.* hepar nec eſſe principium diſtributionis ſanguinis, nec venarum: quod ex hoc ſatis apparet, quòd vena cava, ex corde orta, ipſum hepar omnino tranſeat, abſq; eo, quòd in ejus ſubſtantiam diſtribuatur: quod bacillo trajecto in Anatome probari poteſt. Deinde ſatis jam probatum eſt, principium diſtributionis ſanguinis eſſe cor, per arterias; venæ enim in circulatione exceptum per anaſtomoſin ſangvinem revehunt.

5. Objic. 5. In ſumma narium & uteri hæmorrhagiâ cucurbitula hepatis regioni applicata eam ſiſtit: id autem fieri videtur eò, quòd ſangvis ad ſuum principium retrahatur: Ergo hepar erit principium generationis & diſtributionis ſanguinis. *Reſp.* ſanguinem non tantùm ſiſti applicatis hepati cucurbitulis, ſed etiam pedibus & brachiis: ſiſtitur ſanguis non ideo, quia ad ſuum principium retrahitur; ſed quòd ipſi circulatio & fluxio dematur. Ob hanc eandem cauſam refrigerantia & adſtringentia teſtibus applicata ſiſtunt hæmorrhagiam.

Caput LV.

De Hepatis Obſtructione.

Hepatis Obſtructio. NUllum viſcus eſt, quod tam frequenter *Obſtructione* tentatur, quàm ipſum jecur, ob venarum tum per gibbam, tum per cavam ejus partem diſſeminatarum anguſtiam, & ſuccorum continuè permeantium craſſitiem & cruditatem; teſte Gal. *lib. de conſtit. art. cap. 17.* pars tamen cava ſæpius obſtructa reperitur, quàm gibba, ob fæcum copiam majorem. *Ejus.*

Cauſa duplices. Obſtructionis *Cauſæ duplices* à Galeno numerantur: copia ſcilicet, & qualitas, humoris craſſitie ac lentore peccantis; quâ ratione ſanguis multus in plethoricis, bilis interdum per calorem incraſſata, frequentiùs craſſa & viſcida pituita, & crudus quivis humor, facit obſtructionem. Talis autem humor vel ab aliqua parte, ut cerebro, ſtomacho &c. ſanguini communicatus ſenſim in tenues jecoris venas ſeſe inſinuat; vel concoctricis & expultricis debilitate, ab intemperie frigidâ contracta, vel à cibis crudis & craſſis, fructibus, oleribus, & adſtringentibus, quæ vias coarctant; item à dulcibus, vel potu jejunè ſumpto, & avidè, unà cum aliis ſordibus, ad maſſam ſanguineam rapto, medicamentis importunè adhibitis, motu vehementi, balneo, flatibus, calculis &c. colligitur.

Signa diagnoſtica. *Diagnoſtica* obſtructionis jecoris ſigna ſunt, tenſio, vel tumor, in dextro hypochondrio, ob copiam materiæ, & flatuum admixtionem; dolor obtuſus, cum quodam pondere, & gravitatis ſenſu; difficilis anhelitus, ob compreſſionem thoracis; pulſus frequens & inæqualis, ob virium oppreſſionem; urina tenuis & pauca, ob ſeri colaturam, & fæcum craſſiorum interceptionem; dejectiones liquidæ, ob ſeri & bilis copiam, aliquando etiam cruentæ, ob retentricis debilitatem; corpus calidius, ob prohibitam tranſpirationem; facies decolor, & oculi flavi, dum obſtructio ad veſicam felleam; nigri, dum verſus lienem tendit, ob pravorum humorum copiam, à jecoris vi ſeparativâ debili provenientem.

Indicationes. Utiles *Indicationes* ſunt vitales, & præſervatoriæ. Ab obſtructione ipſa non ſumitur utilis indicatio. *Vitalem* quod attinet, hæc indicat conſervans, id eſt, hepaticum, quod calorem innatum jecoris conſervat. Indicationes *præſervatoriæ* deſumuntur à materia, & cauſa generante materiam; v. g. ſi fiat à materia copioſa, indicat minuens; ſi à craſſa, attenuans; ſi à viſcida, detergens: cauſâ autem generante materiam frigidam, ſi ſit ventriculus frigidus, requiruntur calefacientia.

Prognoſis. His indicationibus vel faciliùs, vel difficiliùs ſatisfiet, prout vel major, vel minor fuerit obſtructio; & majus quidem eſt periculum, ſi jecur afficiatur ſecundum gibbam, quàm ſi ſecundũ cavam ſuam partem: ratio eſt, quia à gibba faciliùs trahitur cor in conſenſum: deinde ex cavâ, ob ſitum inteſtinis vicinum, humores faciliùs expurgantur.

Pericu-

periculoſior eſt quæ cum, quàm quæ ſine, febre advenit: tum enim materiæ putridæ obſtruentis ſignum eſt. Si materia ſolâ peccet quantitate, minùs periculoſa eſt obſtructio, quàm ubi craſſities, viſciditas, & lentor, accedunt: & quò craſſior eſt materia, eò difficiliùs ſolvitur obſtructio; uti patet, dum fit à melancholia. In omni obſtructione difflatio prohibetur; unde facilè oritur febris putrida; deinde, interceptâ chyli concoctione, atrophia; corrupto ſanguine, cacochymia; quæ tandem, mutato partium temperamẽto, deſinit in cachexiam: quòd ſi inveteretur, impacto magis humore, ſcirrhum hepatis; extincto verò calore, hydropem progenerat. Quòd

Cura. Venæſectio. ſi obſtructio fiat à ſanguine menſtruo retento, phlebotomia in pedibus, factâ levi priùs evacuatione, celebranda eſt. Si ab aliâ ſanguinis copiâ, præſente febre, eadem utique proderit: ſi verò obſtructio proveniat à frigidâ, craſsâ, & viſcidâ pituitâ, à venæſectione abſtinendum eſt; teſte Galen. *11. m. c. 14.* Si ab obſtructis hæmorrhoidibus, earum proderit apertio. Materia ob-

Evacuatio per alvum. ſtruens tribus modis *educitur: per alvum* ſcilicet, *per urinas*, & per *ſudores*. *Per alvum* autem commodè educi non po-

Præparantia. teſt, niſi præparatâ priùs materiâ: talia itaque ſunt *Præparantia*, factâ ante venæſectionem, uti dictum eſt, levi purgatione: ut:

Julapium. ℞. *Aquar. apii*,
cuſcut.
fumar.
endiv.
cichor. ana ℥iij.
ſyrup. de quinq. radic.
byzantin.
capillor. Veneris, ana ℥j.
ſpirit. vitrioli q. ſ. ad gratam aciditatem. M. F. Julap. de quo propinentur ſingulis diebus manè ℥v.

Vel, ſi ſit in æſtate:

℞. *Rad. eryngii*,
rubiæ tinctor.
polypod. querc.
cichor.
gramin.
acetoſ. pratenſis, ana ℥j.
herb. cuſcut.
chamæpit.
chondrillæ,
ſcariolæ,
capillor. Veneris,
praſſii,
abſinth. ana m. j.
agrimon.
hepatic. ana mß.
ſemin. calidor. ſi cauſa eſt frigida, *frigidor.* ſi calida, ana ℥ij. Decoq. in ſ. q. *aquæ* ad remanentiam ℔ij. In colatura clarificata diſſolve

ſyrup. de duab. & quinq. radic.
de eupator.
cichor. ſimpl.
byzant.
acetoſ. ſimpl. ana ℥j.
ſpir. vitrioli q. ſ. M. F. inſtar Julapii: de quo ℥v. propinentur Ægroto omni manè. Quo per ſex vel octo dies continuato, ad *Purgationem* materiæ deveniendum eſt: ut: *Purgatio.*

℞. *Decocti præcedentis* ℔ij. *Apozema.*
in quo infunde per noctem
fol. ſen. ſ. ſ. ℥iß.
rhei electi, ſi materia non nimium craſſa eſt, ʒij.
agarici recent. trochiſcat. ʒiij.
mechoacann. albiſſ. ʒiiß.
cinam. opt. ʒß.
zingib. elect. ℈j. Manè, factâ levi ebullitione, in colatura diſſolve
ſyrup. diaſereos ℥iij.
de tribus ſolut. ℥j.
℞. De hac *mixtura* ℥iiij.
magiſt. tartari purgant. ℈j.
elect. de ſucco roſar. ʒj. M. F. Potio: quæ poterit aliquoties repeti, alternis præcipuè diebus, in præcedenti decocto. Si humoris melancholici ſuſpicio ad eſt, infundi poterit *Martis* cum *Venere* reverberati, & cum *aceto* aliquoties extincti, in petiolam ligati, ʒj. Factis hiſce, ſi malum ex integro nondum recedat, *Pilulæ* ſequentes exhiberi poterunt:

℞. *Maſſæ pilul. tartarear. Schrôderi* ℈j. *Pilulæ.*
extract. chelidon. major.
gentian.
pulver. Syrii, ana gr. v.

Mala-

Malaxentur cum ſ.q. *ſyrup. de eupatorio;* F. Pilulæ num. IX. pro una doſi : & ſic fiant quatuor doſes ; de quibus continuet ſumere omni die, ſuperbibendo ab aſſumptione unâ horâ *juſculum gallinaceum*, in quo *radices aperientes*, cum *paſſulis*, bullierint. *Externa* interim, ſeu Topica, non negligantur: ut.

Externa.

Fomenta. ℞. *Radic. bryoniæ,*
althææ, ana ℥iij.
herb. atriplic.
verbaſci,
malvæ, ana mj.
agrimon. mß.
ſem. lini,
fænigr. ana ʒß.
flor malv. arboreæ rubeor.
roſar rubear. ana p.ij.
ſantali rubr. ʒß. Inciſa omnia coquantur in ſ.q. *aquæ*: deinde, factâ forti expreſſione, in reſiduo intingatur ſæpe ſpongia, & calidè jecori applicetur. Vel, loco ejus, ſequens *Emplaſtrum* apponatur:

Emplaſtrũ. ℞. *Maſſæ cerati de cicuta,*
ſantalini, ana ℥j.

Malaxentur cum ſ. q. *olei lilior. albor.* F. Maſſa mollis, hepati applicanda, & ſæpius renovanda. Uſus *chalybeatorum* utiliſſimus erit: vel enim ſumatur ʒß. *pulver. cachectici Quercetani*, omni die manè, in juſculo, per quindecim dies, per horam deinde ſpatiando : & tertio quovis die, horâ quartâ pomeridianâ, magnitudinem caſtaneæ ſequentis *Electuarii* ſumendo:

Chalybeata.

Pulvis.

Electuarium laxativ. ℞. *Rob ebuli* ℥iß.
diagrid. roſat. ℈iiß. Cum ſ. q. *ſyrup. violar. laxat.* F. Electuar. molle. Quòd ſi Æger pulverem averſetur, ſequentem *Tincturam* ſubſtituere licebit:

Tinct. Martis noſtra. ℞. *Martis cum ſulphure præparat. & reverberat.* ℥ij. cui ſuperaffunde *ſucc. limon. depurat.* ad eminentiam trium vel quatuor digitorum : Stent in digeſtione 24. horis, ſæpius agitando : deinde tinctura decantetur, & reſiduum filtretur : de hac Tincturâ ſumatur omni manè à duodecim usque ad quindecim gut. immò ad ʒj. in juſculo aperiente. Hæc etiam conveniunt in obſtructione lienis. Reſeratis tandem obſtructionibus, *confortetur* hepar, ſingulis diebus, per octo dies, *Tinctura* ſequentis ℥iv. ſumendo:

Confortantia.

Remedium Perſarum ad hecticam. ℞. *Aq. roſar. rub. odoriferæ* ℥vi. cui infunde *ligni ſantali rubri* q.s. extrahe *Tincturam* nobiliſſimam : quam *ſaccharo roſato tabulato* dulcorare poteris. Eſt medicamentum Perſicum, quo hepaticos & hecticos plerunque curant. Idem facere dicitur *Tinctura ligni nephritici*; item *decoctum radic. cynorrhodi*; quod etiam pro *Potu ordinario* convenit.

Alia.

Potus Ordinarius.

Quæſtio. I. Quær. 1. Poteſtne fieri prohibita ventilatio ſine obſtructione? Reſpon. affirmativè: poteſt enim non perſpirare aliqua corporis noſtri pars, eò, quòd facultas ſit gravata, aut etiam eò, quòd arteriæ aut venæ, per quas ventilatur, ſint duræ & ineptæ ad dilatandum.

Quær. 2. Poteſtne fieri obſtructio hepatis, v. g. à ſola ſanguinis nimiâ quantitate, ſine craſſitie aut viſcoſitate? Reſpondeo affirmativè: nam ſicuti veſica urinaria quantitate urinæ ita aliquando diſtenditur, ut contrahere ſeſe non poſſit ad expulſionem: ita etiam in venis & arteriis jecoris, ſi adeò repleantur & diſtendantur, ut vis expulſiva non poſſit agere, ſtagnat ſanguis, fitque obſtructio. Hinc etiam Gal. *10. m. cap. 2.* in obſtructione jecoris ſanguinis miſſionem ſvadet. II.

Quær. 3. Utrum flatus, in vaſis jecoris contenti, obſtructiones cauſare poſſint? Reſp. affirmativè; ſicuti fit in cholicâ paſſione, in qua flatûs ita diſtendunt inteſtina, ut eorum expultrix facultas operari omnino non poſſit. III.

Quær. 4. Cur in obſtructionibus hepatis urinæ quandoque planè aqueæ redduntur? Deinde cur in iiſdem obſtructionib9 majoribus pulſus eſt intermittens? Reſp. ad primum: aqueas reddi urinas, quia veluti transcolantur, craſſioresque earum partes relinquuntur; vel ob defectum concoctionis non tinguntur, ſalem ſcilicet humorum non recipiendo. Ad ſecundum: ideo in obſtructionibus pertinacibus adeſt pulsûs intermiſſio, quia arteriæ vel comprimuntur, vel obſtruuntur: unde fit, quòd vis pulſifica, vel etiam ſpiritus vitalis, non, niſi inæqualiter, poſſit transire & permeare: adeoque Medicus ad quamvis pulsûs intermiſſionem facilè terreri non debet. Nam IV.

ſæpe

ſæpe vidimus, poſt longos morbos pulſûs inæqualitatem & intermiſſionem, reliquo vitæ tempore, ſine evidenti ſanitatis detrimento permanſiſſe.

V. Quæres 5. Cur hepatis obſtructio difficilem reſpirationem facit, præcipuè in motu graviori? Reſpondeo: Quia hepar ſolito gravius eſt: &, cùm adhæreat diaphragmati, illud deorſum trahendo reſpirationem reddit difficilem.

VI. Quæres 6. Unde eſt, quòd ii, quibus hepar, aut lien, aut hypochondria obſtructa ſunt, ab aſſumpto cibo, quantumvis modico, gravitatem ſentiant; non ſecus, ac ii, qui maximè ſeſe cibi quantitate impleverunt? Reſpondeo: illud inter alia ſigna certiſſimum eſſe hepatis aut lienis obſtructionis, quam Hippocrates, *4. de vict. rat. in acut.* ſatietatem hypochondriorum nominat: partes enim illæ ſatiatæ & repletæ dolorificæ ſunt, & ſenſibiles, adeoque etiam à leviori ſtomachi repleti pondere afficiuntur.

VII. Quæres 7. Poſſuntne obſtructiones per febrim tolli? Reſpondeo, omnino: præcipuè ſi ortæ fuerint à craſſis crudisque humoribus; vel etiam à flatibus.

VIII. Quæres 8. Quænam præcipuè mala ab hepatis obſtructione provenire poſſunt? Reſpondeo: humorum putredines, febres, inflammationes, alvi fluxus, colicam, Icterum, cachexiam, hydropem &c. ab obſtructione, ægritudinum matre, oriri poſſe.

IX. Quæres 9. Quomodo chalybeata poſſunt obſtructiones reſerare; cùm ad ipſum hepar penetrare non poſſe videantur? Reſpondeo: ſufficere, ſi chalybeata hiantia venarum in inteſtinis orificia confricando aperiant: quin & chalybeata, ut ſpiritum vitrioli Martis, ad ipſum hepar penetrare, in eoque craſſos humores attenuare, & vitioſum ejus tonum corrigere, certiſſimum eſt.

CAPUT LVI.

De Ictero.

I*Cterus* ab Ictero, ſeu galbulâ, ſive, ab arcu cœleſti, *Arquatus*, ſive *morbus Regius*, ita dictus eò, quòd hoc morbo affectos apparatu Regio, & ludis laſcivis, uti perutile ſit, eſt flavus totius corporis color, à bile in cutem profuſâ, propter veſiculæ fellis obſtructionem, & malam hepatis vel lienis diſpoſitionem, vel etiam ob bilis pravitatem. *Icterus* eſt *ſymptoma* qualitatis mutatæ, ſumitúrque bifariam: vel enim eſt *niger*, vel *flavus*: flavus eſt ab hepate; niger à liene. Hîc de flavo agimus. *Icteri onomatopœia. Definitio. Icterus eſt ſymptoma duplex:*

Hepatis prava diatheſis, ſeu diſpoſitio, eſt ob intemperiem, obſtructionem, ſcirrhum, & quamlibet debilitatem, obſtantem, quò minùs bilis à ſanguine ſecernatur: & hinc ea cum ſanguine ad totiꝰ corporis habitum defertur, eúmq; depravat. Obſtruitur autē meatus choledochus vel per compreſſionem extrinſecè, vel per craſſum intus contentum humorem, pituitam ſcilicet craſſam, bilem aduſtam, calculos &c. & ſæpe prædictum meatum ſcirrhus, aut tumor partium vicinarum ita comprimit, ut bilis excrementitia ad receptaculum ſuum ordinarium rejici non poſſit. Humor bilioſus vel peccat quantitate nimiâ, & à naturâ indirigibili; vel qualitate; dum nempe reliquos humores inficit, ſibíque aſſimilat: quod ſæpe fit in febribus putridis, veneno aſſumpto &c. tunc enim ſanguis totus bilis induit naturam. *Flavus. Cauſa. Bilis bifariam peccat.*

Signa Icteri *diagnoſtica* ſunt, flavus corporis, præcipuè oculorum, color, amaritudo lingvæ, pruritus cutis, pigrities, inappetentia, vomendi deſiderium, ſtomachi everſio, & ſingultus, urinæ croceæ vel fuſcæ, inſtar cereviſiæ, quibus quoque ſi linteum intingantur, tingitur. Utrum Icterus fit ab obſtructione; an à mala diatheſi, vel à pravitate humoris, diligenter expendendum eſt. Si eſt *Signa diagnoſtica.*

ab obſtructione, alvi excrementa albeſcunt, adeſt alvi pigrities, eò, quòd bilis, naturalis ille ſtimulus, & quaſi clyſter, aliò tendat; ut ſuum inteſtinis deneget ſtimulum. Icterus in febribus aliquando eſt ſymptomaticus; aliquando criticus. Symptomaticus fit ſine; criticus verò cum febris remiſſione, & Ægri levamine; unde Hip. *4. aph. 62.* *Quibus in febribus morbus Regius ante diem ſeptimum ſupervenerit, malum;* ſi nempe ſine rigore fit: ſi verò cum rigore, bonum; uti teſtatur idem Hippoc. *4. de vict. rat. in morb. acut.* Si enim cum rigore ſit, ſignum eſt, naturam fortiter partibus ſenſibilibus impingere humores, vel cauſam ipſam morbificam violenter aggredi: ſecundò ſignum eſt, naturam ſentire, adeoque morbum nondum eſſe in habitu: tertiò bilem non adeò calidam, ſynceram, & à cauſa calida profectam, quin aliquali frigore, ſeu potiùs remiſſo calore, partes ſentientes, nervoſas ſcilicet, feriat. Addi poteſt, quartò, rigorem ſignum eſſe naturæ vincentis, dum calor partium externarum ad debellandam morbi cauſam ſeſe concentrat: quod in motu ſeu excretione ſymptomatica, & à mera irritatione facta, fieri neceſſe non eſt. Icterus in ſpir. vin. affatim bibentibus incurabilis eſt: uti bene aſſerit Hartmann.

Prognoſis.

Cura. *Cura* hujus affectûs, Icteri ſcilicet, perficitur cauſarum ablatione: ſcilicet obſtructionum intemperiei, nimiæ bilis quantitatis, & pravæ qualitatis remotione. Si Icterus ab obſtructione ſit, materia obſtruens incidenda, attenuanda, & præparanda eſt decocto, *in præcedenti cap.* deſcripto, per octo dies ſumpto. Dein ſequentes *Pilulæ* exhibeantur:

Pilulæ multoties à nobis probatæ.

℞. *Extr. chelidon. major.*
centaur. min.
croci, ana gr. vi.
maſſ. pilul. tartarear. Schröderi ℈j.
pulver. Syris gr. v.

Cum ſ. q. *aquæ chelidon. major.* F. Pilul. num. ix. & ſic fiant quatuor vel ſex doſes, ſingulis vel alternis diebus ſumendæ. Altero, ſi placeat, poſt primam doſin exhibitam, die, ſi corpus ſit plethoricum, *vena* brachii dextri baſilica *tundatur*, ut per bonam ſanguinis evacuationem omnia totius corporis vaſa reddantur magis patula. Altero à venæſectione die pilulæ continuentur, quousque color corporis flavus remittere videbitur. Interea regio hepatis *ungatur oleo lumbricorum terr.* ad id ſpecifico; vel etiam *oleo tamariſci*, in quo liquefieri poteſt aliquid *cerati ſantalini*, & *de ſucco cicutæ*, ut fiat Linimentum. Quòd ſi ex toto color ille flavus non receſſerit, aliquandiu *juſcula* alterantia ſumantur ex *radice cichorii ſylveſtris, rubiæ tinctorum, chelidonii majoris, curcumæ, urticæ, foliis violarum*, & *floribus hyperici*, in *brodio carnis* facta; cum quibus doſis ſequentis *Pulveris* exhiberi poterit:

Venæſectio.

Topica.

Cibaria.

Pulv. hepat.

℞. *Pulv. hepatici rubri ex tartaro,*
ſalis abſinth.
chelidon. major.
centaur. min. ana ℈j.
croc. Martis aperient. ℈iv.

M. F. Pulvis: dividatur in octo partes æquales, ad totidem ſchedulas. Húc etiam *Chalybeata* omnia, *antè* præſcripta, revocari poſſunt, quæ obſtructiones potenter reſerant, & partes roborant. Ad Icterum peculiariter conducunt, *amara dulcis*, *chelidonia major. radix*, *allium*, *abrotanum*, *lapis in veſica fellis tauri genitus*, *ſtercus anſerinum* & *gallinaceum* &c. *Abrotanum* coquatur in *vino*, &, abſente febre, per ſex dies bibatur. Narravit mihi Illma Comitiſſa Breinerin, ſeſe uſu *croci* plurimùm adjutam fuiſſe: aliàs præſcribimus *ſpiritum tartari*, vel *ol. ſalis Crollii*, *ol. ſuccini*, *tinct. tartari*, vel *ejusdem magiſterium chalybeatum*, vel *eſſentiam cubebarum*; item *dialaccam*, *ſpecificum Ictericum Conradini*, vel *aurum diaphor.* vel *extr. aronis*, & *pil. de eupatorio*: item *decoctum fragariæ* cum *paſſulis* eſt appropriatum; præcipuè ſi mſ. *marrubii* addatur.

Chalybeata.

Appropriata.

Diæta. *Diæta* ſit ex liquidis, ad tollendas obſtructiones: potus *vinum lymphatum*, vel *decoctum radic. cynosbati* & *liquirit.* cum *paſſulis.* Vulgò bibunt ex ſcyphis de *cerâ flavâ*, & ſimul multo *croco* utuntur. Obructionibus ſcientificè reſe-

reſeratis, ad abſtergendum flavum totius corporis colorem, maximè *Balneum*. prodeſt *Balneum* abſtergens aquæ dulcis, ex *decocto hordei* & *piſorum*: poſt hujus uſum excitetur *Sudor* in lecto, ut reliquiæ humoris bilioſi, partibus corporis impacti, exhalent.

Objectiones. 1. Objic. 1. Illud videtur eſſe falſum, Icterum ante ſeptimum diem in febribus eſſe pernicioſum: multos enim hactenus ſervatos animadvertimus; tum etiam ipſe Hippocrates, *4. de vict. rat. in acut. text. 18.* ait: in bilioſa febre morbus Regius, cum rigore, ante ſeptimum diem, morbum ſolvit. Reſpond. Si Icteritia fiat ante ſeptimum diem, abſque alia evacuatione, utpote per ſudorem, ventrem, urinas &c. plerumque eſt mala: vel ſi fiat abſque ſignis coctionis: videntur autem eſſe concoctionis ſigna, ubi adeſt rigor.

2. Objic. 2. Authores aſſerunt, Icterum, poſt ſeptimum diem apparentem, abſque tumore hepatis, bonum eſſe ſignum. Reſpondeo: Icteritiam etiam poſt ſeptimum diem, quæ abſque ſignis concoctionis fit, poſſe eſſe peſſimam: ſi verò ſigna concoctionis præceſſerint, Icterus fit cum ſummo naturæ levamine.

3. Objic. 3. Si Icterus fieret tantùm ab obſtructione veſiculæ fellis, vel hepatis, urinæ tantummodo flavæ referrentur; cùm tamen etiam omnino brunaceæ, vel inſtar cereviſiæ craſſæ, & potiùs nigræ reddantur: Ergo videtur etiam dependere ab obſtructione lienis, in quo humor melancholicus continetur. Reſpondeo: Non ideo opus eſſe, ut humor melancholicus & niger à liene proveniat: ſi enim hepar obſtructum ſit, humorem melancholicum ad lienem ſecernere non poteſt, ſed per arterias emulgentes, unà cum humoribus ſeroſis, potiùs ad renes amandat. Ego tamen ſaturatam hanc urinæ tincturam provenire exiſtimo à bile, in hepate diu retenta & aduſta: non tamen nego, etiam ejuſmodi humorem melancholicum quandoque à liene, non per alios, à variis Authoribus fictos, ductûs, ſed per emulgentes arterias, ad renes deferri, & per urinas rejici. Hinc eſt, quod Gal. quartanarios diureticis curabat.

Objic. 4. Urina nigra in Hippocr. Prognoſtico, & Aphoriſmis, eſt lethalis. Ergo per liberalem ejus profuſionem non liberabuntur lienoſi aut quartanarii. Reſpondeo: Si urina ſit generatione, vel ob aduſtionem, vel ob extinctionem caloris innati, talis; concedo: ſi verò tantùm ſit nigra admixtione humoris atri, quem lien expurgat; nego. 4.

Quæres 1. Cur, ſecundum Avicennam, *cap. de Icteritia*, urinæ albæ, aut parum tinctæ, dicuntur malæ in Ictero? Reſp. Quia, hydropem imminere, ſignum eſt: urinarum namque albarum perſeverantia deſignat obſtructiones indies creſcere, parteſq; craſſiores retineri. *Quæſtiones.* I.

Quær. 2. Cur idem Avicen. *loc. cit.* dicit: plures Icteritiâ frigidâ & contumaci laborantes morte ſubitâ extingvi? Reſpond. Icteritiam frigidam plerunque eſſe cum cachexia conjunctam; adeóque tales vel narium hæmorrhagiâ, vel alvi fluxu ſuccedente, derepente mori, ob extinctionem caloris innati. II.

Quær. 3. Utrum Ictericis conferat, ut bibant ex ſcyphis cereis; veluti hîc, in Auſtria, & paſſim, moris eſt? Reſpond. ceram vim potiùs ſtypticam, quàm aperitivam habere: hanc tamen conſvetudinem inde ortam fuiſſe exiſtimo, quòd vulgus putet, flavum ceræ colorem per ſympathiam flavam corporis noſtri tincturam ad ſe allicere. III.

Quær. 4. An materia Icteri ſit craſſa, vel tenuis? Videtur enim eſſe craſſa; aliàs per inſenſibilem tranſpirationem evaneſceret: videtur etiam eſſe tenuis; quia denſiſſimas oculorum membranas perreptat & penetrat. Reſpond. materiam Icteri eſſe tenuem, utpote bilioſam; quòd autem non evaneſcit inſenſibiliter, cauſa eſt denſitas cutis, ab ambiente frigido fomentata & adjuta. IV.

Quær. 5. Cur Avicenn. *15. cap. 6.* Ictericis balneum & motum prohibet; V.

cùm tamen utrumque approbent plerique ? Reſpon. Avicennam improbare balneum non abſolutè, ſed exceſſivè calidum, in Ictero à cauſa calida; idem de vehementi motu cenſendum eſt: balneum enim tepidum ex hordeo abſtergit, emollit, cutim aperit, caloremque contemperat: & hinc Ictericis ſalutare eſt.

VI. Quær. 6. Cur Ictero diu laborantes plerunque in cachexiam & hydropem incidunt ? Reſpond. Ob effectuum, ab obſtructionibus productorum, rationes priùs allatas, ſi chloroſis hydropem producat; quantò magis idem efficient pertinaces jecoris obſtructiones ?

Caput. LVII.

De Scirrho Hepatis.

Scirrhus quid, & quotuplex. Scirrhus, affectus hepatis, eſt ejusdem tumor durus, ab humore craſſo, in hepatis ſubſtantia impacto & indurato, factus. Alius eſt *exquiſitus*; in quo nullus ampliùs dolor ſentitur: alius *non exquiſitus* & ſanabilis; in quo dolor ad tactum ſentitur. *Ejus Cauſa, & differentia.* Scirrhus hepatis *dupliciter* generatur: vel per influxionem & congeſtionem humoris craſſi, in ipſo hepatis parenchymate; vel per inflammationem, dum ſcilicet, poſt illam, partes ſubtiliores reſolutæ ſunt, remanentibus craſſioribus, materiâ vel pituitâ craſsâ, vel humore melancholico, à ſimili victûs ratione cauſatis. Hûc accedit immodicus diaphoreticorum & repellentium uſus; quæ, refrigerando, materiam figunt & incraſſant. Huic item generando cauſam præbet hepatis debilitas, ob quam digeſtio impeditur: hinc fit excrementorum cumulus, quæ diſcuti & expelli ſufficienter non poſſunt.

Signa diagnoſtica. Hepatis ſcirrhus *patet* ex hoc, quòd pars hypochondrii dextri eſt reſiſtens, dura, & tenſa; oculi ſunt variegati, è fuſco ad flavum tendente colore perfuſi; totum corpus cacheticum eſſe videtur; quia ſanguinis ſubſtantia depravata cacochymiæ cauſam præbet: &, cùm talis ſit color, quales ſunt humores, ſi humoribus paucis repletum ſit corpus, idem in ſuo etiam colore depravatur. *Signa diagnoſtica* ſcirrhi *completi* ſunt abſentia doloris, dum premitur: & hic vel nullam, vel rariſſimam, admittit curam. *Scirrhi completi.* Scirrhus verò *incompletus* hepatis ex hoc *cognoſcitur*, quòd, dum tangitur, potenter dolet. *Incompleti.*

Indicationes curativæ in ſcirrho ſunt, ut magnitudo aucta tollatur, obſtructiones reſerentur, & parti robur concilietur. *Indicationes.* Hiſce indicationibus ſatisfacere licet ſit difficile; ſi tamen ſcirrhus non ſit completus, curationem admittit: in ſcirrho autem completo ſcopum ſuum difficillimè aſſecuturus eſt Medicus. Ut indicationibus tum ex fonte Chirurgico, tum Pharmacevtico, tum etiam Diætetico ſatisfaciamus, humores primò obſtructionem & tumorem facientes tum externis tum internis præparandi, revellendi, derivandi, & tandem evacuandi ſunt. *Tres Curationis fontes.* Præparantur autem ſequenti *Apozemate:* *Præparantia.*

Apozema.

℞. *Herb. agrimon.*
capillor. Veneris,
ſcolopendriæ, ana mj.
rad. polypod. quercin.
rubiæ tinctor.
anchuſæ,
eryngii,
aſparagi,
ruſci, ana ℥ß.
chelidon. major. ʒiij.
ſummit. centaur. minor. pj.
abrotani p. ij,
flor. borrag.
violar.
bugloſſ. ana p. j.
paſſular. minor. mundar. ℥ij.

Decoq. in ſ. q. *aquæ* ad remanentiam ℔iß. In colatura, forti expreſſione facta, diſſolve

ſyrup. de pomis ſimpl. ℥iv.
ſpirit. vitrioli. q. ſ. ad gratum ſaporem. De hoc decocto propinentur omni manè ℥iv. vel v. cum una doſi ſequentis *Pulveris:*

Pulvis.

℞. *Croci Mart. aperient.*
ſpirit. vitrioli coagulat.
ſalis acetdular. ana ʒj. M. F. Pulvis: divi-

dividatur in ſex partes, ad totidem ſchedulas. Hic Pulvis continuari poteſt etiam citra decocti ſumptionem, per quindecim dies. Externè autem applicabuntur *Emplaſtra*, *Unguenta*, *Fotus* &c. ut:

Emplaſtrũ. ℞. *Maſſæ cerati de cicuta* cum *ammoniaco* q. v. Extende ſupra alutam, & fac *Emplaſtrum*, hepatis regioni applicandum.

Vel

Linimentum. ℞. *Ol. tamariſc.*
lilior. albor. ana ℥j.

Fomentum. in iis diſſolve

Cataplaſm. *maſſæ emplaſtri de cicuta* ʒj. F. Linim.

Vel foveatur ſequenti *Cataplaſmate*:

℞. *Rad. alth.*
bryoniæ, ana ℥ij.
fol. cicutæ,
malvæ, *viridium*, ana mj.

Coq. ad putrilaginem in ſ. q. *lactis*, addendo ſub finem

farinæ ſem. lin.
micæ panis, ana ℥ij.

F. Cataplaſma, quod ſæpius applicandum. Cùm affectus ſit ſatis diuturnus, à remediis non illico deſiſtendum, ſed iis pertinaciter inhærendum eſt.

Stillicidium. Prodeſt etiam *Stillicidium* ex *oleis emollientibus*, ut *lilior. albor. lini*, *lumbricor.* in quibus *malvæ*, *althææ*, *violariæ*, *fragariæ* &c. bullierint. In defectu oleorum decoctum emolliens ſubrogari poteſt. Fit autem ſtillicidium ex alto loco, ut liquor ſtillatim decidens magis imprimatur, & fortiùs penetret: id quod ſpongiâ paulatim expreſſâ commodè fieri poteſt.

Diæta. *Victûs ratio* ſit humida & emolliens, vinum generoſum vitetur, quod adurit, &, partes tenuiores reſolvendo, craſſiores & aduſtos, hepatique maximè noxios humores relinquit. Ira etiam multum nocet, quæ continuas facit in ſangvine ebullitiones, à quarum reſidentia plurimum craſſorum humorum ſubſidet, & partium intemperies augetur: acida etiam præcipitant humores, & hinc augent obſtructiones: quo modo *ſpir. vin.* & *Elixir vitæ*, velut ſulphurata, humores præcipitant, & obſtructiones generant.

Objectio I. Objic. primò: Galen. dicit, ſe ſcirrhum jecoris ab initio ſæpius curaſſe: ubi verò ad plures dies fuerit extenſus, neque ſe, neque alios, potuiſſe curare; cùm tamen ſcirrhi plurium menſium frequentiſſimè curentur. Reſp. Galen. loqui de ſcirrho plurium dierum exquiſito; non verò de non exquiſito: qui, etiamſi plurium ſit menſium, tamen ſanationem recipit.

Objic. 2. Per topica emollientia hepar non videtur poſſe emolliri: nam vel non penetrant, vel emplaſticâ ſuâ vi poros magis obſtruunt; unde tumoris conſequitur augmentum. Reſp. emollientia extrinſecè applicari non tantùm ut externa cutis laxetur, ſed etiam ut ipſa hepatis ſubſtantia molleſcat. Si enim cataplaſma ex pulvere abſinthii, aut myrrhæ, ſtomacho applicatum, in ore cauſat amaritudinem; quantò magis emollientia ipſum hepar penetrabunt, ipſius vaſa laxabunt, ut faciliùs craſſum contentum excutere poſſint? Imò humores craſſi, accedente humiditate, redduntur fluxiles, & à natura magis domabiles. II.

Quær. 1. Cur ſcirrhus confirmatus non dolet? Reſpond. Ob æqualem & narcoticam intemperiem, quam conſiſtens rhevma humoris torpifici infert. *Quæſtio. I.*

Quær. 2. Quid ſibi vult, quando mulieres dicunt, infantibus hypochondria concreviſſe, vel unterwachſen ſeyn? Reſpond. per id intelligi tumorem hepatis, vel lienis: cui non ineptè applicant Unguentum deoppilativum, clyſmaticum, vel Emplaſtrum de cicuta. II.

Objic. 3. Emplaſtrum de cicuta videtur eſſe venenatum: Ergo non facilè regioni hepatis aut lienis applicandum erit: venenum enim non tantùm intrò ſumptum, ſed etiam applicatum externè, nocet. Reſpon. nos non negare, emplaſtro de cicuta etiam aliquam ineſſe corrodendi vim, unde etiam cutim rubefacit, & per eandem corroſivam facultatem, inſtar menſtrui, humores craſſos diſſolvit: ſed illud tam bene correctum eſt *oleo capparum*, *trino*, & *ammoniaco*, uti videre eſt in Schrödero, ut venenatâ ſuâ vi nocere ampliùs non poſſit: imò conſtat experientiâ, nemini unquam nocuiſſe, etiam ſine ullis corrigentibus, cataplaſmatis modo applicatum. III.

CAPUT LVIII.

De Intemperie Hepatis calida, & Inflammatione in ſpecie.

Hepatis intemperies calida: Auſtria, communis & frequens affectus. Ejus Cauſæ: Signa.

HEpatis calidâ intemperie frequentius nihil eſt in Auſtria: ad quam vina calida, aër calidus, carnes & cibi ſatis delicati, ſeu inflammabiles, plurimum faciunt: ad hoc etiam confert ira, & violenti animi corporiſque motûs. *Cognoſcitur* ex rubore faciei, ex calore palmarum, maximè à paſtu, ex ſiti & bilis redundantia, item ex alvi conſtipatione. Sicut enim Sol in macrocoſmo terreſtres & aqueos humores ſuo calore ſurſum trahit, & ſuſpendit; pari ratione jecur calidum inteſtinorum regionem ita exſiccat, ut alvus humida eſſe non poſſit.

Curatio. Si eſt intemperies ſine materia, alterantibus curari poterit: ſi verò cum materia, evacuantibus deſuper opus eſt. *Alterantia. Aquæ:* In intemperie ſimplici *alterantia* ſunt *Aqua taraxac.* per duos menſes ad ℥iv. vel v. omni die hauſta: idem, in remiſſiori tamen gradu, efficiet *aqua cichorii, ſerum lactis caprini*, in quo *acetoſa, endivia, lactuca, portulaca* &c. bullierint. *Emulſiones.* *Emulſiones* ſunto ex *ſemin. 4. frigid major. & minor. juſcula* item iis alterata, & multa ſanguinis evacuatio, hepar plurimum refrigerant; uti patet ex iis, qui, ob hæmorrhagiam, in cachexiam & hydropem, frigidos ſcilicet affectus, incidere. *de Acidulis.* *Acidulæ* licet multis videantur hepar refrigerare: ſapienter tamen à multis contrarium animadverſum eſt; qui in acidularum potu hepati refrigerantia applicare coacti ſunt: idque in multis obſervatum eſt. Notandum eſt enim, in acidulis heterogeneas eſſe partes, alias aqueas, alias ſulphureas & ſpirituoſas, alias fixas, alias volatiles, verbo: alias frigidas, alias humidas, alias calidas: hinc etiam mirum non eſt, acidulas longo tempore, & inordinato corporis motu ſumptas, poſtquam obſtructiones, debilis caloris cauſas, reſerarunt, hepar ipſum per accidens partim, partim per ſe, calefacere. *Externa.* Externa in jecoris intemperie calida ſunt *ceratum ſantalinum, unguentum refrigerans Galeni, populeum, aqua nymphæa, portulaca, ſolani, ſempervivi, roſarum*, linteolis imbutis applicata; quibus ſemper aliquid *aceti*, ad penetrationem, admiſcendum eſt; item *oleum roſarum, papaverinū, nymphææ* &c. Aliqui *laminam plumbeam* geſtant, ſed difficulter, ob pondus. Alii omni die veſperi ingentem *aquæ frigidæ* hauſtum faciunt, eoque jecur plurimum refrigerari contendunt: ſed in omnibus attendendum eſt, ne ab uno extremo fiat tranſitus ad aliud; ſcilicet à jecoris intemperie calida ad frigidam, & cachexiam, cum tumore pedum, & cadaveroſo totius corporis colore ac habitu; quod hydropicis ſæpe evenit. Vide plura in *cap. de Intemperiebus in genere.*

Inflammatio jecoris. Cauſa. Jecoris *inflammatio* à tenuitate, & fervore ſangvinis, ſuppreſſione alicujus evacuationis, ciborum copiâ, dulcium & amarorum uſu, ictu, lapſu, ſtrictiori veſtitu &c. contingit; quibus ſanguis extravaſatur, & in ſubſtantiam hepatis effunditur; ubi putreſcit: ex putredine fit calor; ex calore parenchymatis corruptio. Inflammatur hepar vel ſecundùm gibbam, vel ſecundùm cavam partem tantùm, vel ſecundùm utramque.

Signa. *Cognoſcitur* jecoris inflammatio ex dolore in dextro hypochondrio, tenſione, febre continua & ardente, cum vomitu bilioſo, urinâ valde tinctâ, corporis jactatione; ſæpe adſunt exanthemata toto corpore erumpentia; virium ſumma dejectio, lipothymia, lingua ſicca, deinde aſpera & nigricans, ob fuligines ab incendii foco excitatas, deinde delirium cauſantes. *Partis Gibbæ.* Signa *partis gibbæ affectæ* tantùm ſunt, quando adeſt difficilis anhelitus, & ſicca tuſſicula: etiam interdum ſputum ſucculentum, ob ſaniem pulmones exſiccantem, item lateris dolor, ad jugulum quandoque pertingens, ob tenſionem plevræ: & hinc non decipiatur Medicus: nam affectus hic plevritidem ſæpe mentitur: hinc ſitus doloris diligenter explorandus eſt. *Cava affecta.* Si pars hepatis *cava* afficiatur, eò, quòd ventriculus magis compatiatur, etiam majus adeſt cibi faſtidium & vomendi deſiderium, imò bilis vomitus, & quandoque ſingultus, alvi adſtrictio, vel bilioſa & fætida excretio. Quòd ſi inflammatio

tio

Eryſipelatoſa. tio fit à bile, dicitur *eryſipelatoſa*: & omnia prædicta ſunt vehementiora.

Meſenterii. Aliquando *Meſenterium* inflammatur: & tunc dolores ſunt profundiores, & magis dilatati: quin & ſanioſæ urgent dejectiones.

Muſculorum abdominis. Si *muſculi abdominis* inflammatione laborent, tum tumor oblongus, ob magnitudinem muſculorum rectorum, adeſt.

Prognoſis. Quò major eſt hepatis inflammatio, majora habens adjuncta ſymptomata, eò ſemper eſt periculoſior: quòd ſi, febre perſeverante, diem vigeſimum transgrediatur, tumor ſuppuratur: quandoque terminatur in hydropem, maximè ubi diu manet ſine ſuppuratione. Abſceſſus hepatis lethalis eſt, præſertim ubi caro ejus conſumitur; quod apparet ex pure fæci, id eſt amurcæ olei, ſimili: tunc enim ſanguis continuò affluens ulcus reddit ſordidum, quod tetris vaporibus cor obruit. Si verò ſuppuratio tantùm ſit inter tunicas, Ægri evadunt; uti patet ex Hippocr. *7. aph. 5.* & *4. 17.* Deinde: in jecoris inflammatione ſingultus, malum, *7. aph. 17.* tunc enim, ob conſenſum, ſimul ventriculus inflammatur. Si, ventre interiùs multùm calente, extrema frigeant, malum: nam febres ex hypochondriorum doloribus malignæ ſunt. Hinc plurimorum Doctorum errores non parum culpandi, *Hypochondria Medico ſæpius tangenda in febribus.* qui, *nec attactis quidem hypochondriis*, in quibusvis febribus ad diaphoretica calida, tanquam ad ſacram anchoram, properant; quæ tamen in febribus, à viſcerum inflammatione provenientibus nunquam, vel ſumma cum cautione ſaltem, &, ubi inflammatio eſt *Cautela de diaphoreticis.* in gibbâ ejus parte (quam eò, quòd à naturâ hæmorrhagiâ, urinis, & ſudoribus ſolvatur, idem etiam fieri per artem poſſe, tenendum eſt) ſunt adhibenda; ſiquidem inflammationem non parum augent: aliud enim eſt, putredinem eſſe in venis; aliud, extra venas, & in partium ſubſtantiâ; ad quam non tam *diaphoretica* perveniunt, quàm reliquos humores accendunt; unde inflammatio creſcit. Mali tranſlationem à jecore ad lienem fieri, melius eſt, quàm à liene ad jecur: quia major eſt hepatis, quàm lienis dignitas.

Nota. Nota iterum hîc malos Doctorum Analogiſmos, & conſequentias, qui, memores, ſe aliquando in febre quadam, v. g. ab inflammatione cavæ partis jecoris, purgationes bene exhibuiſſe; promiſcuè in febribus quibusvis, in principio, & citra orgaſmum, ſed peſſimè, purgant.

Curatio. *Curam* quod attinet, duplex primâ ſtatim fronte ſcopus eſt præfigendus: ut ſcilicet materia fluens revellatur & derivetur; quæ verò jam fluxit, impediatur. Itaque, applicato ſtatim clyſtere emolliente & parum refrigerante, ut:

Clyſter emolliens & refrigerans.

℞. *Herb. atripl.*
malvæ,
bismalvæ,
lactuc.
endiv.
portulac. ana mj.
hord. integri m.j.
ſem. lin. ℥iß.
flor. meliloti p. j.
roſar. rubear. p. ij.
furfur. mj.

Decoq. in ſ. q. *ſeri lactis*, ad colaturæ ℔j. in qua diſſolve
mellis violati,
merçurialis, ana ℥ij.
caſſiæ pro clyſterib. ℥j.
ſalis gemmæ pj.

Venæſectio. M. F. Clyſter, & reddito, vena dextri brachii baſilica mox ſecanda eſt, & ſangvinis major quantitas extrahenda, ſi inflammatio ſit à ſanguine: poteſt autem fieri pluribus vicibus, ne Ægri vires unâ vice dejiciantur.

In pedibus etiam venæ ſecari poterunt, maximè ſi hæmorrhoidum, aut menſium fluxus deſit. Si ætas ſectionem venæ prohibeat, applicentur cucurbitulæ natibus & femoribus; vel etiam hirudines; ligentur extrema, ut illuc ſanguis revocetur. Extrinſecè moderatè refrigerantia ſunt applicanda, ne calorem magis impingant: idem tenendum eſt de refrigerantibus internis, quæ & difflationem impediunt, & calorem concentrant: v. g.

Julep refrigerans.

℞. *Aquar. cichor.*
endiv.
portulac.
acetos. ana ℥iv.

ſyrup. de ſucco acetoſa,
granator. dulc.
violar. ana ℥ij.

Cum ſ. q. *ſpirit. vitrioli* ad gratum ſaporem F. Julapium: de quo ſumantur ſingulis quatuor horis ℥iv. vel v. Sequens *Epithema* regioni hepatis applicari poterit: ut:

Epithema hepatis.

℞. *Herb. agrimon.*
cichorii,
flor. roſar. ana ℥iij.

Decoq. in ſ. q. *aqua*, ad colaturæ ℔j. in qua diſſolve
acet. roſac. ℥ij.
trochiſcor. de camphora,
de roſis, ana ʒj.
ſantal. rubr. pulveriſat. ʒß. M. F. Epithema; cui moderatè calido linteola intingantur, & ſæpius applicentur. Alii ſolent applicare *oxyrrhodinum* ex *oleo nymphaa* & *roſar.* cum *aqua roſacea* & *aceto*, mixtis, *factum*. Morbo provecto, & ad declinationem accedente, conveniunt leniter *purgantia*: ut:

Purgantia. Potiones.

℞. *Decoct. aperitiv. lenit. major. cum rha-* [*barb.* ℥iv.
In quibus diſſolve
caſſia recenter extracta,
electuar. lenit. ana ʒß.
tartar. alb. prap.
nitri vitriolati, ana ℈ß. M. F. Potio. Hæc maximè convenit, ubi cava pars jecoris laborat; nam humores bilioſos & aduſtos leniter evacuat. Hujus loco ℞. *Rhabarb. elect.* ʒß. Contunde groſſo modo; quod, petiæ inditum, ſuſpendatur ſeu infundatur in *aqua cichorii ſtillat.* ℔j. De quo infuſo, factâ ſemper expreſſione, ſumantur quotidie ℥iij. vel iv. Vel
℞. *Decoct. tamarindor.* ℥iij.
ſyrup. roſar. laxat. ℥iß.
cremor. tartari,
rhabarb. electi, ana ℈j. M. F. Potio, quæ leniter evacuat. Si inflammatio tendat ad *ſuppurationem*, licet ſalutis ſpes in anguſto verſetur, promovenda tamen eſt, ſumptis, ut: *lacte aſina* cum *ſaccharo*, vel etiam *decocto paſſular.* & *dactylor.* vel admotis, ut: *cataplaſmate* ex *radicib. althaa, lilior. albor. malva, ficubus, paſſulis, ſemine lini, fanigraci, ſummitat. meliloti, camomilla*, cum *hydromelite coctis*, additâ *axungiâ gallina, anſeris, terebinthina* &c. Factâ ſuppuratione, materia per urinam & alvum pellenda eſt; ulcus verò per *ſerum lactis, hydromel*, vel *decoctum hordei*, abſtergendum, &, dum ſatis abſterſum fuerit, ad *decoctum vulnerarium*, & tandem ad omnimodè conſolidantia, ut ſunt *pulvis boli Armen. ſanguis draconis, carabe*, perveniendum eſt: ſed priùs elaborandum ſemper, ne inflammatio ad ſuppurationem perveniat. De *Fluxu hepatico* pluribus agetur *capite de Dyſenteria.*

Suppurantia. Externa. Mundificativa. Conſolidantia.

Objicies 1. Præſcribitur hîc aqua hordei, & hordeata; cùm tamen à Gentile, & quibusdam aliis, ob dulcedinem, quæ facilè oppilationes cauſat, improbentur. Reſp. aquam hordei non ſolùm ab Avicenna, Serapione, *tract. 4. cap. 2.* Rhaſe, in *lib. diviſion.* & à Galeno *13. m.* præſcribi, ſed etiam ob eam, quam habet, moderatam abſtergendi & contemperandi vim, utiliſſimam eſſe in affectibus hepatis calidioribus. Objectio. 1.

Objic. 2. Serapio viſcoſa, dulcia, & Pontica alimenta ad hepar religiosè vetat: ſed hordeum eſt viſcoſum: ergo hordeum ab ipſomet antecitato Serapione prohibetur. Reſp. hordeum non eſſe viſcoſum: viſcus enim propriè ex partibus animalium membranoſis, & ſimilibus, ab animalibus aut reſinoſis petitis alimentis, extrahitur: hordeum autem nec eſt membranoſum, nec reſinoſum. 2.

Quæres 1. Cur non ordinamus hîc, cum Dioſcoride, inter epithemata, ceruſſam, quam, velut ſubtilem, calidis omnibus opitulari ille aſſerit? Reſp. Dioſcoridem hîc intelligendum eſſe de calidis externis; non verò de calidis internis: externè enim prodeſt ceruſſa non ſolùm per ſe, refrigerando; ſed etiam diutius parti, ob viſciditatem, inhærendo: internè verò non refrigerat, ſed potiùs calefacit, poros condenſando: eſt enim ſtyptica, & craſſarum partium, ob terreſtreitatem, quam obtinet: intus autem ſumpta eſt venenum. Quæſtio.

Objic. 3. Ceruſſa aceto præparatur; ergo non eſt ſtyptica; quia hoc facit penetrare. Reſp. Etſi acetum penetret: ceruſſa tamen non penetrat; utpote craſſa & ſicca. 3.

Objic. 4. Plumbum, vel laminæ ex eo, renibus refrigerandis applicantur: 4.

Ergo

ergo idem etiam de ceruſſa hepati applicanda dici debebit. Reſp. cum Conciliatore, *different. 198.* ceruſſam & plumbum plurimùm diſtare in ſecundis & tertiis qualitatibus. Deinde lamina plumbea tenibus quidem, multò hepate ignobilioribus, applicatur; ſed perforata, ne ex integro ibidem poros condenſet, & calorem concentret.

II. Quær. 2. Cur ii, qui calidum jecur habent, ſtomachum plerumque frigidum obtinent? Reſp. Tum quia major calor diſſipat & attrahit minorem; vel quia, qui ſunt calido jecore præditi, cum tempore fiunt hypochondriaci, multis obſtructionibus laborantes, à quibus chylus impeditur, ob idque magna phlegmatis copia in primis viis cumulatur: vel ipſius ſtomachi venæ, à porta oriundæ, frigido & melancholico ſcatent ſanguine: unde frigidus ſemper eſt ſtomachus.

III. Quær. 3. Utrum Gutta roſacea, ſeu faciei rubor, à jecoris caliditate proveniat? ℞. Non tantùm à jecoris calore, humores aſſante, & in faciem, ob cutis tenuitatem facilè recipientem, tanquam commune emunctorium, rejiciente: ſed etiam à ſanguinis hæmorrhoidalis præaſſati copiâ magnâ: hinc certâ edocti ſumus experientiâ, *hæmorrhoidum apertionem præſentiſſimum Guttæ roſaceæ remedium eſſe.* *Guttæ roſaceæ remedium.*

Caput LIX.
De Cachexia & Hydrope.

Cachexia quid. Cachexia, ſeu malus habitus, eſt prævia quædam ad hydropem diſpoſitio, ex mala hepatis concoctione proveniens.

Ejus Cauſæ. *Cauſæ* ejus ſunt, morbus longus, duritiès, aut ſcirrhus ſplenis, vel hepatis, conſuetarum excretionum prohibitio, depravata hepatis ſive ſtomachi alteratio: quæ ſi omnino corrumpatur, non ampliùs cachexiam, ſed aliquam hydropis ſpeciem efficiet: deniq; omnes hydropis cauſæ leviores cachexiam inferre & cauſare poſſunt.

Signa. *Signa* cachexiæ ſunt corpus albeſcens, vel flavum, vel lividum, vel nigrum, ob totius malam intemperiem: coctiones impediuntur, ob hepatis, vel ventriculi, imbecillitatem, remanente tamen ciborum appetitu, à frigore elicito: deinde faſtidium, & animi defectus accidit, ob venenoſam materiam ad cor exhalantem; item reſpiratio rara, ob conſenſum pulmonis, vel diaphragmatis; extrema corporis inflantur, ut pedes, manûs, facies &c. remanentibus prementi foveolis, præcipuè ſi anaſarcam cachexia præcedat; ſudor & urina pauca, ob aquoſam humiditatem retentam, quæ per conſueta loca expurgari nequit; teſticuli inflantur. Si aſcitem cachexia præceſſerit, ulcera non tarò adſunt incurabilia, utpote ab internorum mala diſpoſitione fomentata, & ſanguinis defectu totum corpus mollius, ineptius, & invalidius redditur, coctiones depravantur, manente etiam appetitu; uti Aetius, *ſerm. 10. cap. 19.* & Avicenn. *14. tract. 4. cap. 3.* habent.

Cura quatuor ſcopis fit: 1. eſt circa *victûs rationem*, ut nimirum cibus & potus parcè, & citra ſatietatem, aſſumantur, nulla fiat ciborum ſuperingeſtio, prioribus nondum perfectè concoctis, fugiatur ciborum multiplicitas, aquæ potus interdicatur, præterquam aſſuetis, vel ob aliam rationem vinum bibere renuentibus. Cibus autem in hoc caſu ſit calidus, tenuis, & exſiccans, præſertim in cauſa frigida; in calidâ verò è converſo. Secundus ſcopus eſt *evacuatio*. Hinc ſi à menſtruis, vel hæmorrhoidibus, ſuppreſſis morbus proveniat, vel ab alia excretione prohibitâ; fiat venæ ſectio: ſi verò malum à vitiatis humoribus proveniat, tunc *expurgetur* corpus: ut: *Cura quoad Diætam.* *Pharmaciam.*

℞. *Rob ebuli* ʒj. *Bolus purgans.*
reſinæ gialapp. (in fortibus) gr. xviij.
cremor. tartar. ℈ß. Cum pauco *ſaccharo* F. Electuar. molle, matutinis horis exhibendum. Si cachexia proveniat ab obſtructionibus venarum meſaraicarum, vel uteri, ſequens *Vinum* propinetur:

℞. *Herb. cuſcutæ,* *Vinum medicat.*
capillor. Vener.
linguæ cervinæ,
meliſſæ,
pulegii, ana mj.
abſinth. Pontic. mß.

fol.

fol. ſen. ℥. ℥ij.
radic. gialapp. ℥ß.
rhabarb. elect. ℥ij.
Martis cum ſulph. præparat.
tartari albi præparat. ana ℥ß.
macis ℈j.

Inciſa & contuſa dentur ad Nodulum ligata: quibus ſuperaffunde *vini albi* ℔v. Stent infuſa 24. horis: de quo poſtea, præaſſumpto carnis juſculo, & compreſſo Nodulo, ſumantur ℥vj. omni manè. Veſperi ſequentis *Compoſitionis* gt. aliquot, v. g. à xij. ad xx. in juſculo porrigi poterunt:

Mixtura. ℞. *Eſſent. dialacca,*
diacurcuma,
elixir. proprietat. Paracelſ. ana. ℥iij.
M. ad vitrum.

Antiqui commendabant uſum Theriacæ; item *trochiſcos de rhabarbara, de roſis, de eupatorio, de alkekengi*: poteſt quoq; dari *pulv. cachecticus Quercet.* &c.

Hydrops datur à jecore originem non habens. Quamvis à. non ſemper hydrops directè, & tanquam à cauſa primaria, à jecore malo affecto proveniat; ſiquidem à ſola renum & menſium obſtructione non rarò oritur: tamen hydrops vix unquam confirmabitur totaliter, niſi affecto jecore, vel per frigus, ut in cachexia; vel per calorem, ut in hectica, & febribus ardentibus: dico: per calorem non immediatè, quia calor externus diſſipat internum, & conſequenter diatheſin relinquit frigidam.

Cur in hydrope refrigerantia quandoq; ordinentur. Hinc dum Authores aliquando in hydrope refrigerantia, cum Zacuto, præſcribunt, id non faciunt, ut hydropi occurrant, ſed ut cauſam magis oppugnent: nec hîc ideo hydropem ab affecto jecore putamus, eò, quòd hæmatoſis in eo lædatur, quam ei in omnibus hactenus traditis negamus; ſed ideo, quòd ei excrementorum à ſanguine ſeparandorum vis dematur: *malè* enim *affectum jecur* nec ſeroſos à ſanguine humores ad renes transmittit, nec bilem ad veſiculam amandat, nec majorem ſanguini refluenti benigno calore perfectionem conciliat; ſed potiùs omnia excrementa fovet in ſinu, & plura generat; unde cachexia oritur, ſanguis manet impurus, aqueus, bilioſus, crudus: hinc turpis color, aſcites ab aqua, tympanites à flatibus, & leucophlegmatia à phlegmate oritur.

Mali affectum jecur quid mali cauſet.

Hydropis Cauſa. *Cauſa* antecedentes hydropis ſunt vel calor febrilis, qui nativum reſolvit & diſſipat; vel morbus chronicus, quo facultas naturalis elangveſcit; vel ſcirrhus lienis & hepatis; vel obſtructio pertinax; vel ſuppreſſio menſium, vel hæmorrhoidum, unde calor ſuffocatur; item omnis evacuatio immodica, maximè ſanguinis, ubi ſpiritûs diſſipantur, ob graves affectûs partium hepati vicinarum, & cum eo communicantium, v. g. ſtomachi, lienis, diaphragmatis, renum, inteſtinorum &c. quibus naturalis hepatis calor opprimitur. A cauſis item externis non tantùm habitus corporis, ſed etiam partes internæ refrigerantur; uti eſt balneum aquæ dulcis, ambiens aër frigidus, aqua frigidæ potus immodicus, eſus lactucæ & herbarum refrigerantium, item fructuum, melonum &c. crapula frequens, Venus immoderata, labor ſpiritûs diſſipans, curæ, ira &c.

Tympanitis Cauſa: Flatuum *Cauſa* materialis in *Tympanite* eſt humor crudus, viſcoſus, craſſus, vel etiam melancholicus, nitroſulphureus, qui, à debili calore exagitatus, & quaſi accenſus, elevatur in bullas, vel craſſos vapores, qui partes continentes diſtendunt, & flatus dicuntur: hic humor vel in ventriculo, vel in inteſtinis, corùmque membranis, continetur.

Signa. Hydrops plerumq; oculis *patet*: nam pedes ſunt tumidi, & cachexia præceſſit, venter turget tum humore aqueo, tum flatibus; quando ſcilicet hepar humores ſanguini commixtos ſegregare ampliùs non poteſt; qui dum ad cor regurgitant, id ita refrigerant, ut nec ſanguinem ſuis ſpiritibus ditare, nec conſiſtentiam ei conciliare poſſit; hinc aqua ſuo pondere per ramos arteriæ cœliacæ ad capacitatem abdominis, inter peritonæum & inteſtina & ſcrotum; vel ex ramis iliacis, & arteriis emulgentibus, ad eandem tum ventris, tum ſcroti capacitatem derivatur usq; ad pedes; vel in toto corpore ſtagnat, & condenſatur in Anaſarcam; vel reſolvitur in flatûs, & fit Tympanites; vel manet aqua, & eſt Aſcites.

Cogno-

Signa diagnoſtica Anaſarca. *Cognoſcitur Anaſarca* ex totius corporis tumore œdematoſo, qui, dum premitur, retinet veſtigia & foveas:

Tympanitiæ. *Tympanitis*, quod, dum percutitur, inſtar tympani reſonat:

Aſcita. *Aſcites* verò, quòd, dum Æger de parte in partem vertitur, fluctuans inaudiatur aqua.

Accidentia Hydropi in genere ſupervenientia. *Communia* omnium ſpecierum ſymptomata ſunt, ſegnities totius corporis, & languor, color vitiatus, cibi faſtidium; quamvis non ſemper: nam vidimus usq; ad animæ è corpore exitum comedentes; adeſt quoq; ſitis inexplebilis, febris lenta, ob ſalſum & putridum humorem, circa viſcera collectum; inflatio à cibo, tuſſis, dyſpnœa, difficilis reſpiratio, pedum tumor &c.

Prognoſis. Signa Hydropis *prognoſtica* ſunt, quòd ſit mallum chronicum; & valde periculoſum. Inter omnes ſpecies Tympanites periculoſiſſimus; deinde Aſcites; & minùs Anaſarca. Quòd Tympanites ſit magis periculoſus, cauſa eſt, quia plerunq; ſiccitatem quandam hecticam habet adjunctam. Aſcites ex periculoſo morbo, febre ſcilicet ardente, vel quartanâ, vel cœliacâ, dyſenteriâ, arthritide, orthopnœa &c. ortus, periculoſiſſimus eſt, ob virium dejectionem: ita etiam intemperies calida, frigidæ ſuperveniens, calamitoſiſſima eſt, ob caloris nativi extinctionem, & extranei prævalentiam.

Tuſſis in Hydrope mala. *Hydropiſi tuſſis ſuperveniat, malum;* ex Hipp. *6. aph. 35.* ob diaphragmatis compreſſionem, vel ob humores ſeroſos, ſeſe in pectoris cavum inſinnantes: oris item ulcera, vicinam adeſſe mortem, confirmant, ob vaporum malitiam. Levcophlegmatiâ detento ſuperveniens alvi fluxus, ſolvit malum: *7. aph. 29.* Si hydrops, ſine vitio jecoris, ab urinarum ſolâ obſtructione oriatur, diureticis facilè reſolvitur. *Incipienti Hydropi alvi profluvium finem imponit: Si verò diarrhœa hydropi confirmato ſucceſſerit, malum*: ob viſcerum habitualem intemperiem, quæ aquas generare non deſinunt. Hydrops facilius in juvenibus, quàm ſenibus; in viris, quàm fœminis; in humidis, quàm calidis & ſiccis; in ſervis, quàm liberis; æſtate, quàm hyeme, curatur.

Curatio hydropis. *Curatur* hydrops per cauſæ ablationem, materiæ evacuationem, & viſcerum, maximè hepatis, corroborationem: hinc, vitatâ cane peiùs & angve omni venæſectione, niſi hydrops à conſveta aliqua ſanguinis evacuatione ſuppreſſâ provenerit, ante omnia ſequens *Vinum purgans* exhiberi poterit, *Purgantia.* poſtquam ſaltem pridie hoc *Electuarium* ſumpſerit Æger:

Electuar.
℞. *Rob. ebuli* ʒj.
magiſt. gialapp. gr. xv. vel xvj.
vel etiam, ſi Æger valde fortis ſit, xviij.
crem. tartar. ℈j.

Cum ſ. q. *ſyrup. domeſtici*, vel *flor. Perſicor.* F. Electuarium molle, pro una doſi. *Vinum purgans*:

Vinum hydroticum, nobis probatiſſimum.
℞. *Folior. ſen. ſ. ſ.* ℥ij.
radic. gialapp. ℥ß.
trochiſc. de eupatorio,
rhabarb. ana ʒij.
cortic. ebuli,
median. ſambuc. ana ʒiß.
radic. ireos noſtrat.
lappa major. ana ʒij.
ſcyllæ præparat. ʒj.
folior. gratiolæ,
ſoldanellæ, ana mj.
tartar. crudi Veneti ℥ß.
paſſular. mundar. minor. ℥j.

Inciſa omnia, & contuſa, dentur ad Nodulum ligata: ſi magnæ adſint obſtructiones, etiam *chalybis præparat.* ℥ß. &, ſi pituita multùm abundet, etiam *agarici* ʒij. addi poſſunt. Hiſce ſpeciebus ſuperaffundantur *vini alb.* ſextarii quinq;: ſtent in digeſtione poſt fornacem 24. horis: deinde, factâ priùs Sacculi expreſſione, dentur omni manè ℥vj. &, ſi caliditas vini timeatur, aliquot cochlearia brodii carnis uno quadrante horæ antè ſumi poſſunt.

Si vinum ſufficienter non purgaret, tertio quovis die repetatur *electuarium hydroticum, ſuprà* ordinatum. Hîc plurimi commendant *ſyrupi domeſtici* ℥j. immediatè unâ horâ ante prandium ſumptam; qui ſyrupus potenter aquas ducit. Nec minoris eſt efficaciæ *ſuccus ireos noſtratis*, cum *melle* mixtus, *ad* ℥ij. ſumptus; vel etiam in quo diſſoluta ſit *manna* ℥j. vel *ſyr. hydragogus Minſichti*, per ſe ad ℥ij. exhiberi poteſt. Alii commendant *trochiſcor. de rhabarb.* ʒj. omni die ſumptam. Eodem modo *tabulæ diacartha-*

carthami humores potenter eliminant: item *extractum eſulæ Quercetani*, cum *extracto hellebori*, in parva tamen quantitate ſumptum, medicamentum eſt hydroticum. Vidi fortibus *Mercurii vitæ* gr. iv. cum ʒj. *conſerva ab* *ſinthii* feliciter eſſe exhibita. Hujus loco magis arridet, ſequens ſumere:

Mercuria-lia.

℞ *Merc. dulc. recent. preparat.* gr. xvj.
magiſt. gialapp gr. xiv. M. F. Pulvis pro una doſi: vel, loco magiſterii, addatur ʒß. *pulver. radic. gialapp.* *Extractum elaterii*, vel *trochiſci alhandal.* & *gummi gotte*, & *catapulia ſuccini*, plurimum quoq; faciunt. Clyſteres item carminativi ſæpe exhibeantur. Si omnis hecticæ abſit ſuſpitio, *ſudorifera* in uſu eſſe poterunt, quæ fiunt ex *decocto granor. juniperi*, *radic. Chinæ*, *ligni ſancti*, & *ſaſſafras*, cum *radice lappæ majoris*; in quo ʒß *rob. ebuli* diſſolvi poteſt: eſt medicamentum *ſudoriferum* & *diureticum*, quod magis in leucophlegmatia, quàm in tympanite, convenit. Huc revocari poſſunt omnia remedia pro obſtructionibus hepatis, ſcirrho, &c. ordinata.

Sudorifero diureticum

de Acidularum uſu.

Licet hîc *Acidularum* uſum multi rejiciant: tamen ratione cauſæ, obſtructionis ſcilicet, plurimis auxilio fuerunt, præſertim *Spadanæ*. Cùm urinarum remora ſit maximè noxia, & lethalis, maximè ubi parvâ quantitate redduntur, & tegulæ contritæ ſubſtantiam referunt, *Diuretica* aliis remediis multis præferenda ſunt: ut:

Diureticum:

Sal:

℞. *Salis geniſtæ*,
abſinth.
ſtipitum fabar.
veronicæ,
juniperi,
ebuli,
tartar. diuretici, ana ʒj.

Lixivium.

M. ad ſcatulam: doſis ʒß. omni manè, ex juſculo. Vel extrahatur *lixivium* cum *vino*, ex *cineribus juniperi*, *geniſtæ*, *ſtipitum fabar. fraxini*, *abſinthii*; & *lixivium* hoc, *ſaccharo* dulcoratum, ad ℥iv. omni manè propinetur. Debiliùs movet urinas, ſed non ineptè ad rem facit, *terebinthina aquâ parietariæ lota*, ad ʒiij. omni manè ſumpta. Idem facit, ſed debiliùs adhuc, *ſpiritus ſalis*, in *juſculo* ſumptus. Interea externis & internis confortandum eſt hepar. Interna ſunt *conſerva abſinth. rob cynosbati*, *ebuli*, *juniperi*, *paſſularum*; item *aq. Theriacalis*, *vinum ebuli*, *ſambuci*, *hederæ terr. rad. leviſt.* & *vincetoxici*, item *extr. croci* & *myrrhæ*, item *ſuccus è cort. ſambuci* in uſu eſſe poſſunt. Extrinſecè confortant *Emplaſtra* ſupra aſſignata; præter *empl. ac baccis lauri*, ad Timpanitem utile.

Corroborantia.

Ex *Chirurgia venæſectio* omnino rejicitur. Cauteria verò in cruribus facta quamvis à multis improbentur; eò, quòd fiant ulcera difficulter ſanabilia, & ad hæc facilè accedat gangræna; nos nihilominus optimò cum ſucceſſu novis hiſce naturæ emunctoriis ſuccurrimus; ſiquidem ipſum jecur & lienem exonerant, & aqueos humores intercipiunt. Multa multi applicant *Emplaſtra ventri*, uti eſt *emplaſtrum diaphænicum calidum*, *de cicuta*, *de melilòto*, *unguentum carminativum Minſichti*, *unguentum de arthanitâ*, *oleum juniperi*, *abſinthii*, *cumini*, *carvi*, *camomillæ*, *terebinth. ſcorpionum* &c. Aliqui intingunt *ſpongiam* in *aquam calcis*, & hanc, ventri impoſitam, aqueos humores exſiccare affirmant: ſed fides ſit penes Authores. Hartmannus recipit *urinæ pueri* ℔iiij. *lap. prunellæ* ℥iij. facit bullire, & hiſce ventrem tumidum ſæpe fomentat. Extrinſecè œdematoſis cruribus *ſpiritum vini calidum*, vel etiam *cineris vitis* ſacco inditos & calefactos cruribus circumligamus. Prodeſt etiam *balneum pedum* factum in *aqua ſalſa*.

de Chirurgia.

Applicand. ad ventrem.

Diæta fit ex rebus non naturalibus aptè ordinatis, & omnis vitetur exceſſus: legumina, olera, caſeus &c. ſumenda minimè ſunt. Potus ſit *vinum abſinthiacum*, in quo *radix helenii*, *vincetoxici*, & *leviſtici*, infuſæ fuerint. Sæpius etiam vidi, imponi *medullam ſambuci*: vel, ſi vinum, ob febris præſentiam, admitti non poſſit, exhibeatur *decoctum paſſularum*, cum mj. *granor. junip.* factum, & aliquot taleolis *radic cichorei ſylveſtris*, quæ, ſummè hepatica eſſe, ſemper inventa eſt. Paracenteſin quod attinet, videatur Ambroſius Paræus, *in ſua Chirurgiâ*. Et hæc de Hydrope.

Diæta.

Potus medicatus.

Objicies 1. Gal. *4. aph. comment. 11.* dixit, hydropem aqueum eſſe ex majore frigore, quàm ventoſum; ergo periculoſior erit; contrà, ac aſſertum eſt.

Objectio 1.

eſt. Reſp. etſi à majore frigore proveniat; non ſequi tamen, periculoſiorem eſſe: imò frigidos morbos plerunq; minùs periculoſos eſſe compertimus, quàm calidos. Quòd autem hydrops flatuoſus magis ſit periculoſus, quàm aqueus, cauſa eſt, quòd cauſa ejus ſit magis radicata, & intemperies adſit habitualis: quæ non ſemper eſt in aqueo hydrope.

2. Objic. 2. Minùs intenſum frigus non poteſt eſſe magis habituale, quàm magis intenſum: Ergo falſa eſt ſolutio. Reſp. rationem habitualitatis non deſumi ab intenſione; ſed à modo inhærendi, & à ſubjecto.

3. Objic. 3. Aſſeri hîc videtur, quòd cachexia ſemper præcedat hydropem; cùm tamen Aëtius, *ſerm. 10. cap. 19.* aſſerat, cachexiam eſſe, cùm corporis habitus in aquoſitatem diffunditur: ſed datur hydrops ſiccus, utpote flatuoſus: Ergo hunc præcedere non poterit cachexia. Reſp. ex Avicenna, *14. tract. 2. cap. 3.* ubi dicit, cachexiam eſſe, ubi corrumpitur digeſtio hepatis, & accedit diſpoſitio ad hydropem: hîc intelligendus eſt hydrops in genere, tam humidus, quàm ſiccus; quamvis nunquam hydrops tam ſiccus ſit, quin plurimis aquis complicetur; uti apparet in tympanite.

4. Objic. 4. Aëtius, *ſerm. 10. cap. 19.* ait, ſenes cachexiâ facilè capi, & facilè liberari; pueros verò facilè perire: ſed potiùs corrumpitur digeſtio hepatis in ſenibus, quàm in pueris: ergò iis & faciliùs accidet cachexia, & difficiliùs ab ea liberabuntur. Reſp. pueros faciliùs in cachexiam incidere, & in eâ perire, quàm ſenes; quia ipſorum naturalis calor, licet vigore principiorum generationis fortis, attamen humiditatis ſuperfluitate obrutus, facilè ſuffocatur; unde fiunt cachectici; & quidem magis incurabiles, quàm ſenes; quia medicamenta magna magno (non quidem quoad motûs violentiam, ſed quoad receſſum à ſtatu naturali taliter dicto) huic morbo proportionata, veluti ſenes, tolerare non poſſunt.

5. Objic. 5. Approbatur hîc Paracenteſis: cùm tamen ab Antiquis ſæpius improbetur. Reſp. etſi Conciliator, *different. 199.* referat ex Galeno, ſeſe neminem vidiſſe ex inciſione verè liberatum: attamen Avicen. de inciſione mira, in robuſtis & fortibus, videtur approbare: debiles verò fere omnes ex hac inciſione moriuntur.

6. Objic. 6. In hiſce venæſectio in hydrope fere omni improbatur; cùm tamen eam audaciores quidam Galli paſſim in hydrope celebrent. Reſp. non tantùm venæſectionem, ſed & plura alia, temerariè intentari. Diſtinguimus: ſi Hypoſarca à menſium vel hæmorrhoidum obſtructione proveniat, judicamus, venæſectionem celebrari poſſe; ſi præcipuè vires ſecundent: in Tympanite verò, aut Aſcite, eam approbare nullo modo poſſumus; deficiente ſcilicet indicante.

7. Objic. 7. Aſcites, vel Tympanites poſſunt oriri à ſuperfluo calore: & cùm tantum ſit caloris, quantum ſangvinis, etiam in his venæſectioni locus adeſſe poterit. Reſp. Si calor à ſangvine fermentato oritur, concedo: ſed calor, qui in hydropicis obſervatur, provenit potiùs à putredine & ſtagnatione humorum, in abdomine contentorum, ibidemq; diutius, quàm par eſt, remorantium: at ii humores per venæſectionem non tolluntur; ſed potiùs paucus ille naturæ theſaurus, qui adhuc ſupereſt, cum ſummo Ægri detrimento tollitur, poſthac à facultate debili nunquam regenerabilis.

8. Objic. 8. Quidam lac hydropicis, tanquam ſingulare remedium, præſcribunt; cujus tamen nulla hîc mentio facta eſt. Reſpon. Quamvis novum non ſit, hydropicis lac præſcribi; imò Avicen. *14. cap. 3.* ob abſterſionem & proprietatem commendet; ſciendum tamen eſt, Avicennam lac camelarum, & caprarum Arabicarum, herbis montanis paſtarum, præſcripſiſſe: adeoque Novator quidam advena præproperè & funeſtè, nuper, hyemali tempore, quibuſdam hydropicis vaccarum, ſtramine ſolo nutritarum, lac præſcripſiſſe videtur.

9. Objic. 9. Videtur aſſertum eſſe, tuſſim hydropicis eſſe pernicioſam; cùm tamen hydropicos, etiam tuſſientes, ipſimet ſæpius curaverimus: ergo tuſſis non eſt pernicioſa hydropicis. Reſpondeo cum Galeno, *6. aphor. comment. 35.* Cùm ex alia ſit occaſione, in homine

aquam intercutem patiente, tuſſis non eſt ſignum exitiale; concedo: ſed quando ex ipſius morbi ratione provenit; nego.

Quæſtio. I. Quær. 1. Cur tot generentur flatûs in Auſtriâ? Reſp. uti ſæpius memoratum eſt, fieri ob abundantiam nitri & ſulphuris; ex quibus fiunt detonationes plurimæ: & ob id Auſtria non tantùm ob regionem ventoſa eſt, ſed etiam homines, qui ſe in omnibus regioni propter alimenta accommodant: quale enim eſt alimentum, tale quoque eſt alitum.

II. Quær. 2. Cur Auſtria dicitur ventoſa, aliàs venenoſa? Reſpondeo: Nulla alia res meliùs aërem à multis vaporibus, ex Danubianis marginibus & Inſulis fætidis (advehit enim ſordes plurimas Danubius) elevatis expurgat, quàm ventus: ſicut imber civitatum cloacas inſtar cathartici repurgat, & in majores fluviorum alveos feces deportat. Nec parum ad malignitatem in Auſtria facit Auſter, cum collateralibus, Phenice & Euro, qui ex Hungaricis lacubus, imò ex ipſa Hungaria, diſpoſitionem aliquam ad generandam illam febrem Hungaricam & petechialem ſummè malignam invehit.

10. Objicies 10. Sed Auſter cum collateralibus ſuis dictis etiam Auſtriam reddit ventoſam: ergo ſalubrem: quomodo igitur contrarium efficiet? Reſpond. per ventoſitatem non intelligi Auſtrinam, ſed Borealem ſeuSeptentrionalé, quæ ab Origano ſalubris dicitur cum collateralibus ſuis: venti enim boreales & ſeptentrionales per varios montes, & réſinoſas ſylvas, optimè pectinati & depurati, impetu ſatis magno feruntur: è contra Auſter & Eurus impuriſſimi & tardigradi, aëri depurando minimè idonei, perflant.

CAPUT LX.

De Affectibus Lienis: Inflammatione ſcilicet, Dolore, Obſtructione, & Scirrho.

Iſdem ferè cum hepate morbis afficitur *Lien*: ut intemperie calidâ, frigidâ, ſiccâ humidâ; vel *Inflammatione*, quæ lieni facilè accidit, ob arteriarum multitudinem, & vaſorum latitudinem, partisque laxitatem & ſitum; vel etiam ob debilitatem facultatis expultricis; dum nempe multi craſſi, fervidique humores in ejus poris & vaſis colliguntur: tunc enim vel accenduntur per putredinem, vel infarctu ſuo generant *Scirrhum*, *Obſtructionem*, *Dolorem* &c. Debilitas expultricis eſt ob intemperiem, calidam v.g. & humidam, vel etiam calidam & ſiccam, ob quam fibræ ſeſe contrahere non poſſunt: vel etiam tanta adeſt humiditas, ut ob ingentem laxitatem contrahi non poſſint: hinc lienoſi evadunt; & eò quidem faciliùs tales fiunt, qui à natura lienem habent imbecillem. *Lienis Affectus.* *Inflammatio.*

Communia lienoſorum *ſymptomata* ſunt ſiniſtri hypochondrii gravans dolor, tenſio, tumor ſine gravitate: ubi adſunt flatûs, gravans tumor in ſcirrho, ſitu & figurâ lienis circumſcriptus, difficili anhelitu, propter diaphragmatis compreſſionem, cui lien ſubjacet, cognoſcitur: dolor interdum ad jugulum usque pertingit, interventu plevræ: adeſt appetentia perſiſtens; quia ſuccus melancholicus & acidus, ventriculo per ramos venæ portæ communicatus, appetitum excitat, quamvis, ſi humor ille corrumpatur, accedente febriculâ, ſæpe etiam dejiciatur & depravetur appetentia: urget quoque læſa concoctio, cruditatum & plurimorum flatuum & ructuum genitrix: & hinc *lienoſi ſputatores*, crudo humore in os regurgitante: perſeverante malo fætet halitus, ob humorum putredinem; gingivæ & dentes corroduntur, vapore acri in os delato; ſudor quoque graveolet, ob impuritatem; cor palpitat, tetris laceſſitum vaporibus; cutis ſqualleſcit, fætidisque *Symptomata ſplenaticorum.*

que maculis & puſtulis deturpatur, vel etiam colore nigro, & ictero ſimili, inficitur, diffuſo ſcilicet per corporis habitum melancholico humore; corpus ignaviâ torpeſcit; vultus palleſcit & liveſcit; ſomnus terrificus obrepit; lipothymia, tracto per arterias corde in conſenſum, timor, & mœſtitia, Ægrum torquent: & hæc non tantùm in ſcirrho contingunt, ſed etiam in obſtructione, & quavis graviore ſplenica paſſione.

Prognoſis. Prognoſticum quod attinet, *Inflammatio* lienis rarò ſuppuratur, ſed ſæpius in ſcirrhum ſeceſſit, dum ſanguis ita venas ejus infarcit & obturat, ut neque digeri, ob craſſitiem, neque excerni facilè poſſit; præſertim ſi in refrigerantium vel calidorum uſu error aliquis committatur. *Scirrhus* autem lienis chronicus & longus eſt affectus, facilè conſeneſcens, & hydropem invehens. Pueri, & juvenes, uti, ob [illegible], in hunc affectum facilè incidunt, ita facilè ſanantur: ſenes verò, ſicut difficulter afficiuntur, ita difficillimè, vel nunquam, ſanantur. Hippocr. *lib. de loc. in hom.* ait: quibus lien floreſcit, vel intumeſcit, his totum corpus contabeſcit, vel quia ſanguis, ob lienis imbecillitatem, minus defæcatus, ad alendum ineptior redditur; vel quia excrementorum copiâ calor obruitur, unde corpus langueſcit. Quibus lien deorſum, ob tumorem, vergit, iis pedes & genua incaleſcunt, nares & aures frigent, inclinante deorſum materiâ, & ſolvitur hic tumor per abſceſſum, in pede ſiniſtro obortum. *Catarrhoſi non ſunt lienoſi.* Qui aſſiduis deſtillationibus ſunt obnoxii, minus ſplenetici fiunt; eò, quòd illi tenuibus, hi craſſis, abundent humoribus. Splenicis ſuperveniens dyſenteria, bonum eſt: ita enim craſſi & melancholici humores, qui ſplenem obſidebant, in alvum transferuntur: ſi tamen in longum non abeat; ſuperveniente enim hydrope, aut lienteriâ, ob ventriculi & jecoris conſenſum, calorisq; nativi debilitatem, mors ſequitur. Affectus lienis ſæpe ſolvuntur ulceribus in cruribus factis, iiſque curatu difficilibus; interdum per hæmorrhagiam naris ſiniſtræ, vel hæmorrhoidum apertionem, vel per urinas nigras, ſit copioſa redditus. *Si puero, tumefacto liene, ſanguis ex nare dextra fluat; malum.* Hoc namque pacto, jecur in conſenſum tractum eſſe, ſignum evidens eſt. Eodem modo dum ſpleniticis gingivarum corroſio, & oris fœtor accidit, malum eſt; niſi vel ſanguis erumpat, vel crura ulcerentur.

Signa lienis inflammati. Lienem *inflammatum* deſignat febris continua, dolor & tumor in ſiniſtro hypochondrio, livor nigricans in lingva, ob fuligines, Æger difficulter decumbit in latere dextro, ob pondus lienis ventriculo moleſtum: & prout vel major vel minor eſt inflammatio; ita etiam majora vel minora adſunt ſymptomata.

Prognoſis & Cura. In *Prognoſi & Cura* cum inflammatione hepatis convenit hic affectus; niſi quod inflammatio lienis cacochymiam ſæpe habeat adjunctam, quodque ſectio venæ ex ſiniſtra parte celebranda ſit in minori quantitate; quodque medicamenta topica ſiniſtro hypochondrio ſint applicanda.

Dolor. Lienis *dolor* ex ſitu noſcitur; ſæpe adeſt febris & durities, præcipuè quando dolor eſt à flatibus: tunc adeſt quidem renitentia, cum levitate; quæ tamen permanens durities cum gravitate aut eſſe, aut dici non poteſt. *À Colico dolore quomodo differat.* *Differt* lienis dolor à *Colico*; quod hic ſit vagus & pungitivus; ille autem fixus & gravis.

Cura. Lienis dolor ſi ſit *à flatibus*, *carminativis* diſcutitur, clyſteribus, & topicis: ut

Clyſter carminativus.
℞. *Decoct. carminat.* ℔ʃ.
In qua diſſolve
Elect. camomill.
laurin. ana ℥ʃ.
cumin.
carvi, ana ʒij.
diaphœnic. ʒj.
ſal. cathol. ʒvj.
ſalis commun. ℈j. M. F. Clyſter.

Linimentum. Extrinſecè ungatur lienis regio ſequente *Linimento*:
℞. *Olei chamomill.*
laurin.
cappar.
abſinth. ana ℥ʃ.
ung. carminat. Manſichii ʒj.
ceræ, *de ſteat.* ℈ʃ. M. ad ignem, F. Linimen-

nimentum; quo regio lienis diligenter ungatur. Sequens *Sacculus vino calido* intinctus applicetur:

Sacculus. ℞. *Flor. camomill.* mj.
ſpica pj.
ſem. aniſ.
cumin.
carui,
anethi, ana ʒj.
herb. verben.
adianth.
cuſcut. ana mß.

Inciſa & contuſa dentur ad Sacculum, uti *ſuperiùs* dictum, applicandum. Confecimus quandoque etiam *ſacculum ex verbena viridi*, inciſa & contuſa, cum *farina hordei*, & *albuminibus ovorum* mixta, applicavimùsque lienis regioni, & magnam quantitatem cruenti humoris extraxit, ita, ut lintea vel decies multiplicata penetraverit; non à videtur ordinaria illius mixturæ tinctura, quia non ſemper, nec in alio, præterquam in liene, loco hunc præbet effectum. Cucurbitula lienis regioni applicata, ubi nulla adeſt inflammatio, ad diſcutiendos flatus plurimum confert.

Scirrhus. *Scirrhum* lienis quod attinet, hic recurrimus ad hepatis ſcirrhum; cùm eadem requirat, mutatâ duntaxat regione.

Interna. Inter *interna Pilulæ de ammoniaco* à multis commendantur: item *decoctum urticæ mortuæ*, intus ſumptum.

Externa. Ad *extra* applicatur *emplaſtrum de ammoniaco* cum *Nicotiana*, *de cicuta* &c. Ego ſequentes *Pilulas* frequenter exhibeo:

Pilulæ. ℞. *Gum. ammoniac.* gr. viij.
maſſ. pilular. melanagogar. Quercet. ℈j.
extract. gentian.
centaur. min. ana gr. iv.
pulv. Syrii gr. iij. Cum ſ. q. *ſyrup. de de fumaria* F. Pilul. num. ix. pro doſi.

Obſtructio. Sicuti ſcirrhus lienis; ita & *Obſtructio*, cum hepatis obſtructione, in cauſis, & medicamentis, convenit. Hùc & chalybeata omnia apozemata præparantia & evacuantia, ſyrupi magiſtrales, additis ſemper ſpleneticis, revocari debent.

Objectiones. 1. Objic. 1. In lienis obſtructione paulatim evacuantia hic præſcribuntur; cùm tamen Galen. *13. m. m. cap. 16.* dicat: valentiora tantò magis lieni congruere, quantò craſſiori utitur alimento: ergo non levia, ſed fortia, lieni accommodanda. Reſp. Galenum hìc valentiora non intelligere purgantia, ſed valenter abſtergentia & incidentia, quæ materiæ craſſæ ſemper debentur, non verò cathartica.

Objic. 2. Avicen. *15. tract. 2. cap. 5.* ait: phlebotomiam apoſtemare lienem: ergo malè eam conceſſimus. Reſpond. Avicennam intelligere plurimam, & cum anguſto foramine; hæc enim tenuiorem evacuat ſanguinem, remanente craſſiore, unde fit ſcirrhus; ſi verò fiat apertio venæ amplo foramine, illud omnino præcavetur; uti bene notavit Rhaſes. 2.

Objic. 3. Videntur etiam quandoque applicari diuretica in affectibus lienis, cùm tamen hæc impugnet Galen. *10. m. m. cap. 17.* ubi inquit: gibbam hepatis expurgari per renes; lienem verò per inteſtina. Quin & Baccanelius inquit: nullam lieni per renes expurgendo viam omnino patere. Reſp. Galenum per lienem intelligendum eſſe de cava hepatis, quæ, ob communicationem, quam cum liene per ramum ſplenicum habet, lien dici poteſt; verum enim non eſt, lienem per renes, mediantibus arteriis emulgentibus, expurgari non poſſe; cùm quartanarii & ſplenetici, teſte ipſomet Hippocrate, rejectis urinis nigerrimis, liberentur; adeoque falſum eſt, nullam à liene ad renes viam patere, ut aſſerit Baccanelius: cùm Duretus, *in Coacas Hippocratis*, confirmet, icterum ſolvi rejectione urinæ nigræ. 3.

Obj. 4. Sed etiam nigræ poſſunt eſſe urinæ in obſtructione veſiculæ fellis; ergo nō opus eſt, ut urinæ nigræ proveniant à liene. Reſp. totum hoc pro nobis militare. Quòd ſi veſicula fellis, & cava hepatis, etiam per renes evacuari poſſit; ergo etiam, & multò magis, lien, infinitis arteriis intertextus. Quòd autem urinæ nigræ etiam ab obſtructione veſicæ fellis rejiciantur, proveniunt à bile aduſta. 4.

Obj. 5. Avicenna inquit: lac convenire ſpleneticis, cùm tamen ſplenetici ſemper habeant hypochondria murmurantia; quibus Hippocrates lac prohibet. Reſp. ſecundùm Avicennam, lac camelarum tantùm convenire ſpleneticis, quod illā proprietate confert; uti *ſupra* diximus. 5.

 Obji-

Objic. 6. Splenis apoſtemata videntur eſſe ſalubria, ſecundùm illud Hippocratis; apoſtemata ſplenis converti ad jecur, malum; è contrà verò, bonum. Reſp. hîc Authorem loqui reſpectivè: nempe, melius eſſe, ut cauſa morbi, vel morbus, ab hepate ad lienem, tanquam à parte nobiliore ad ignobiliorem, transferatur, quàm è contra.

I. Quær. 1. Cur in ſpleneticorum urina ſupernatat ſerum inſtar ſeri lactis, aliquando cæruleum? Reſpon. ſerum eſſe tale ob mixturam humoris atri, à liene non ſeparati aut cocti: adeoque ſignum eſt affecti lienis.

II. Quær. 2. Utrum lien ſangvine melancholico nutriatur? Reſpond. affirmativè, cum Galen. *5. de uſu part. cap. 7.*

III. Quær. 3. Cur inflammatio lienis criſi, per hæmorrhagiam naris ſiniſtræ factâ, ſolvi ab Authoribus dicitur; cùm Galen. *2. de art. curand. cap. 2.* gibbam hepatis, ſplenem, & inteſtina per inferiora expurgari, aſſerat? Reſpond. Galenum non eſſe intelligendum de humoribus tenuibus, ſed de craſſis; qui ſemper magis deorſum tendunt.

IV. Quær. 4. Per quas vias ſanguis feratur à liene ad narem ſiniſtram? Reſp. ſecundum Fernelium, *de Revulſ.* fieri per rectitudinem fibrarum: cùm enim homo ſit quaſi bifidus, quemadmodum nuclei plurimi; ſiniſtra cum ſiniſtris, dextra cum dextris, maximam habent communionem: præterquàm quòd omnia ſunt conſentientia & pervia.

CAPUT LXI.

De Scorbuto.

Scorbutus.

QUamvis *Scorbutus* oris, crurum, & totius corporis affectus ſit: cùm tamen à liene malè affecto præcipuè ſuam ducat originem; de eo hîc tractare, conſultum eſſe duximus. Nam verba Hippoc. *lib. de paſſionibus*, magni lienis mentionem facientis, hæc ſunt: venter inflatur; poſteà verò lien intumeſcit & durus eſt, ac dolores acuti in ſplenem incidunt: color etiam mutatur, & niger conſpicitur, pallidus, & qui malicorii ſpeciem refert; & ex ore malè olet; & gingivæ fætent, eæque à dentibus diſcedunt; & in tibiis ulcera, veluti puſtulæ nocturnæ, erumpunt; membra verò extenuantur, & ſtercus per alvum non demittitur. Hæc omnia ſcorbuto convenientiſſima ſunt; adeò, ut affectus ille *Hippocr. ignotus fuiſſe minimè* videatur.

Signa & ſymptomata Scorbuti ab Hipp. relata.

An Hippocr. fuerit notus.

Ejus Deſcriptio.

Deſcribitur autem Scorbutus, quòd ſit *prava & occulta qualitas, ſeu diſpoſitio, toti corpori, præcipuè verò lieni, & viſceribus nutritioni dicatis, impreſſa, ab humore melancholico, ſeroſo ſeu ichoroſo, peculiari modo corrupto orta, cum ſpontaneæ laſſitudinis & gravitatis, in cruribus præcipuè, ſenſu, pectoris anguſtiâ, reſpirationis difficultate, gingivarum corruptione, & oris graveolentiâ, ac maculis purpureis, in cruribus inprimis; aliiſq; morbis ac ſymptomatibus pluribus, ab eâdem cauſa pendentibus, conjuncta.* Dicitur *prava & occulta qualitas*, quia, etſi in viſceribus nutritioni dicatis, liene ſcilicet, hepate, meſenterio, cavitate inter ventriculum & ſeptum transverſum, adſint obſtructiones, cacochymiæ, & intemperies, cum humoribus ſeroſis, viſcoſis, & melancholicis; ſi tamen abſit occulta illa & maligna qualitas ſcorbutica, ſcorbutus adeſſe non poterit: hinc ex depravatâ, in ventriculo, chyloſi, dum nempe cibus ſatis fermentari vel ſpiritualizari, rarefieri & digeri nō poteſt, ut partes ſubtiliores, craſſis impermixtæ, per venas lacteas ad receptaculum chyli elevari, & inde ad cor referri poſſint, partes craſſiores à facultate appetitivâ trahuntur, & ſangvini commiſcentur, quæ partem in meſenterii vaſculis impingunt, in iiſque obſtructiones faciunt; vel etiam cum ſanguine circulantur, & colatoriis adhærent; vel in habitu corporis, ubi fit anaſtomoſis ex arteriis ad venas; vel in ipſo hepate, præcipuè autem in liene, cujus uſus eſt, humores illos craſſiores per arteriam cœliacam ad ſe allicere, eos, maximo arteriolarum numero attenuare, repurgare, & digerere: &, ſicut ex uva immaturâ ſuccus expreſſus non vinum, ſed vappam præbet; ita prorſus ex crudis illis humoribus nihil in corpore fieri poteſt, niſi cacochymia quædam: quòd autem hæc cacochymia

Explicatio deſcriptionis.

Unde ſcorbuticus ille character oriatur.

Scorbutum potiùs producat, quàm quemvis alium affectum; id plurimùm dependet ab internâ alimentorum, aëris, aquæ, &c. proprietate: nam magis certis in locis, velut Mari Balthico, vel etiam Oceano Hiſpanico vicinis, ſicuti Plica in Polonia &c. graſſatur. Deinde, poſtquam crudi iſti humores in primis viis multiplicantur & hærent, ac cum illis aliorum vitioſorum colluvies miſcetur, & calor noſter in eos perpetuò agit, ipſi verò alendo corpori inepti ſunt: indies corrumpuntur; donec tandem iſtam ſpecificam & ſcorbuto propriam corruptionem ac naturam induant.

Cauſa.

Cauſæ ſunt vel rerum non-naturalium vitioſus uſus: vel contagium ſcorbuticum. Primò cibus ille, qualis in regionibus Aquilonaribus incolis nautiſque familiaris eſt, ad generandum ſcorbutum plurimum facit; ut ſunt carnes ſalſugine aut muriâ conditæ, & fumo ſiccatæ ac induratæ, lardum rancidum aut crudum devoratum, panis biſcoctus & mucidus, legumina; quæ, teſte Hippocrate, *6. Epid. ſect. 4. text. 11.* generant crurum impotentiam; item caſeus, omnes denique cibi, qui craſſo & melancholico humori generando præbent occaſionem, piſces lacuſtres & maritimi, eodem modo ſale aut muriâ conditi & infumati; ut aſelli, paſſeres, haleces, farcimina infumata & ſalſa; ſal enim, cùm fixus ſit, ſi copioſus aſſumatur, à naturâ ſubtilizari facilè non poteſt; ideoq; in primis viis hæret, & ſcorbuticam materiam generat: acida enim melancholiam fermentant, multiplicant & exaltant, teſte Hippocrate *3. de vict. ration. in morb. acutis.*

Ad ſcorbutum generandum apti cibi.

Potus.

Potus item aquæ verminoſæ & corruptæ, craſſæ, crudæ, gravis, quâ etiam cibi coquuntur; item cereviſia fæculenta, ex aquis cœnoſis facta, nec bene lupulata, nec ſatis cocta, & juſtâ digeſtione ac fermentatione privata: Aër quoque Aquilonius, frigidus, humidus, ſalſuginoſus, marinus, nebuloſus & lacuſtris; uti in Hollandia & Belgio; teſtibus Foreſto, & Horſtio: in locis enim ſiccis minùs; in humidis verò maximè, dominatur ſcorbutus: hinc captivi, & qui in frigidis & humidis murorum exhalationibus vivunt, ſcorbuto ſæpe tentantur: eodem modo *poſt diuturnas febres*, relictâ ſcilicet magnâ acrium humorum ſaburrâ, & lienis intemperie, ſcorbutus facilè contingit.

Aër.

à Febribus.

Hæreditarius: per Contagium.

Denique ſcorbutus *hæreditario* modo, & *per contagium*, acquiritur. Conſtat enim, Parentes ſcorbuticos ſæpe talem generare prolem: &, ſicuti certa contagia certæ parti ſunt maximè contraria, uti lues Venerea hepati & genitalibus, phthiſis pulmoni, & ophthalmia oculis, cuti ſcabies: ita ſcorbutus lieni & gingivis. Quin & *per contactum, cibum, potum, exhalationes*, &c. communicatur ſcorbutus: infectâ enim leviſſima corporis noſtri particulâ, paulatim ſeſe inſinuat miaſma, &, ſanguini junctum, ſimul circulatur, ſicque paulatim lienem, & partes nutritioni dicatas inficit.

Scorbutus lieni & gingivis inimicus.

Signa incipientis.

Signa verò ſtatim, ut multi autumant, ex gingivarum corruptione, & crurum maculis, non ſufficiunt ad proclamandum ſcorbutum; quia ſæpe diu laborant Ægri, antequam talia accedant: ſed bene examinanda eſt eorum temperies & complexio, vitæ genus, victûs ratio, aër, in quo vixerunt, parentes, à quibus nati ſunt: & plurima ſimul conferenda ſunt ſymptomata. Nam unum & certum quoddam pathognomonicum ſignum, quo morbus infallibiliter cognoſci poſſit, non datur. Si itaque Æger ſit temperamenti melancholici, lienoſis affectibus obnoxius, vixerit in loco, aëre, & diætâ ſcorbuticis, vel tales habuerit parentes; ſi adſit difficilis reſpiratio, gingivarum corroſio, dentium vacillatio, pallor, aut quaſi violaceus faciei color, crurum maculæ, dolor gravativus, & puſtulæ nocturnæ, laſſitudo totius corporis, & maximè ad ambulandum impotentia, fœtor oris & anhelitûs, paroxyſmi quartani, vel quintani, vel ſextani, vel tertiani, vel quotidiani, præcipuè circa noctem; ſi dolor, vel tenſio, vel tumor, ſentiatur

tiatur circa regionem lienis: ſi aliis morbis appropriata medicamenta nihil; ei appropriata verò plurimum juvent, urina ſit nunc tenuis, nunc turbida, intenſæ rubedinis, & ad fuſcum declinantis, & cum ſplendore quodam, inſtar lixivii, ſimilis iis, quæ in febribus ardentibus, vel quartanis, poſt ſudorem redduntur: adſit præterea magnus urinarum ardor, pulſus parvus, debilis & inæqualis (niſi adſit inflammatio: tunc enim eſt magnus & durus.)

Ingraveſcentia. Quòd ſi malum *ingraveſcat*, omnia quoque ſymptomata pejorantur: uti eſt difficilis reſpiratio, alvi tormina, ambulandi impotentia, atrophia crurum, varices ſub linguâ, & inferioribus labiis, gingivarum intumeſcentia, corroſio, laxitas & flacciditas, cum graveolentia, dolor intolerabilis in plantis pedum, cruribus, & ſuris, dentium vacillatio, lumbago, dolores nephritici, membrorum tremor, motûs convulſivi, paralyſis & contractio, cæcitas ſubitanea, lethargus, delirium, triſtitia, cordis palpitatio, lipothymia; quæ, inquam, omnia ingraveſcunt.

Differentia à morbo Gallico. *Differt à lue Gallicâ*, quòd tumores habet ſcorbutus citò naſcentes, & citò evaneſcentes: deinde, ſi tumores Gallici aperiuntur, intus apparet inſtar lardi; ſecùs in ſcorbuto: deinde ſcorbutus ſequitur vitam triſtem; lues Gallica verò luxurioſam.

à doloribus nocturnis. *Nocturni* in ſcorbuto *dolores* multos deceperunt, qui tamen magis pungentes, quàm in lue Gallicâ, apparent; deinde plures partes ſimul occupant, & alia adſunt ſymptomata.

à Peſte. Ita ſcorbutus *Peſtem* ſæpe mentitur per bubones; cùm tamen, ſi præſentia examinentur, & præcedentia, quæ multò mitiora ſunt, quàm in peſte, conſiderentur, in affectûs ſcorbutici cognitionem facilè devenire liceat: hôc quoque ſimul notato: febrem malignam, acutam transgreſſam, cum anxietate & anguſtiâ circa præcordia & ventriculum, difficili reſpiratione, & laſſitudine ſpontaneâ, ſemper inferre etiam ſcorbutum; & periculoſius eſſe malum, dum corpori jamjam ad ſcorbutum diſpoſito, quàm cæterà integro & puro, ſupervenit; & dicta ſymptomata pullulare à materiâ ſcorbuticâ, in hypochondriis reſidente: maculis in hoc morbo non ſemper petechialibus, ſed plerumque ſcorbuticis pronunciandis.

Prognoſis. In ſcorbuti *prognoſtico* efformando cautiſſimum eſſe Medicum oportet: nec enim etiam ex debiliſſimo pulſu mortem ſtatim præſagire debet; quia in hoc affectu venenum facultati vitali ſaltem contrarium eſſe denotat. Malum recens facilè curatur; idque non rarò ſolâ loci & diætæ mutatione: radicatum verò, & chronicum, ſimili, id eſt chronicâ & longâ eget curâ, ob humorem melancholicum, qui eſt pertinacis & diuturni motûs, quique, poſtquam ſedem ſuam in viſceribus fixit, etſi ex parte eliminetur, annuatim tamen plerumque facit recidivas. Fœminæ cum hoc affectu multò diutius vivunt, quàm viri; eò, quòd plurimum humoris noxii per menſtrua effluat: ultimò tamen, utpote novis ſubinde debilitatæ ſymptomatibus, tabidæ, derepente ſæpe concidunt mortuæ: & ii præcipuè Ægri, qui in ſumendis medicinis, & ſervandâ diætâ, ſunt immorigeri, rarò ex integro convaleſcunt, ſed plerunque in cachexiam, hydropem, dyſenteriam, tabem, & atrophiam, lentámque tandem mortem incidunt. Qui catharticis fortioribus utuntur, humorem melancholicú exacerbant, & mortem accelerant. Si ſcorbutus eſt hæreditarius, difficulter curam admittit: maculæ nigræ, aut violaceæ, periculoſiores ſunt: fortis item diſpnœa malum. Quòd ſi tumores citò in diverſis partibus erumpant, & citò evaneſcant, malum: nam paralyſin, & convulſionem ſcorbuticam præſagiunt.

Ulcera in hoc affectu curatu ſunt difficilia, eò, quòd humores continuò affluunt, & novi generantur. Si febris, ut ſupra notatam, conjuncta ſit ſcorbuto, ea non curatur, niſi ad

hunc ſimul cura dirigatur: & hinc febres aliquando tam diturnæ ſunt, eò, quòd ſcorbuticam ſibi adjunctam habeant diſpoſitionem. *Unde cognoſcatur, febres à ſcorbuto ſoveri.* Cognoſcitur autem ex hoc, quòd in principio paroxyſmi ſæpe carus, aut convulſiones, brevî tamen ſpontè remittentes, adſint.

Curatio. Scorbuti *Curatio*, ex Foreſto, apertione, evacuatione, alteratione, non tantùm ab elementaribus, ſed etiam ab occultis & antiſcorbuticis qualitatibus factâ, & confortatione efficitur. *ex Fonte Chirurgico.* Ex *fonte Chirurgico*, præmiſſo levi pharmaco, ſi temperamentum Ægri permittat, *Venæſectio.* præſente cumprimis febri, *S. V.* ex brachio, vel crure ſiniſtro, vel ſalvatellâ, lato ſemper cum vulnere, ut craſſo & melancholico ſanguini detur exitus, inſtituatur: vel, loco ejus (maximè enim proſunt) hæmorrhoides aperiantur. Quòd ſi morbus jam valde progreſſus ſit, ſanguisque cacochymicus evaſerit, & vires ſint debiles, venæſectione potiùs ſuperſedendum eſt, & cacochymiæ ablationi incumbendum. *Pharmaceutica. Præparantia.* *Præparentur* itaque humores ſequenti *Apozemate*:

Apozema. ℞. *Rad. helenii*,
cichor. ſyl.
rhapontici,
ariſtoloch. rot.
aſari, ana ʒiij.
fol. ceterach,
lingva cervina,
ſcolopendria,
fumaria,
thymi,
epithymi,
capill. Veneris,
cochlearia,
becabunga,
verbena, ana m. j.
hyſſopi,
chamæpityos, ana mß.
cort. tamariſci,
cappar.
flor. geniſtæ,
cichorii ſyl. ana p. j.
ſem. urticæ,
agni caſti, ana ʒj.

Coq. in *aq. font.* ad ℔j. & ℥ij. In colat. forti expreſs. factâ & clarificatâ diſſolv. *facch. alb.* q. ſ. F. l. a. Syrupus; de quo ℥ij. cum ℥ij. *aq. fumariæ*, & ℈ß. *ſp. tartari compoſiti*, ſeu *mixturæ ſimplicis*, omni manè ſumantur, idque quatuor vel quinque diebus continuetur: vel, loco hujus,

℞. *Succor. cochlearia*, *Succi antiſcorbutici.*
naſturt. aquat.
becabunga,
fumaria, a. depuratorum ℥j.
facch. albi ℥ß. M. propin. per octiduum, bis in die: deinde his infund. *trochiſcor. de cappar. de rhabar. fol. ſenæ mundator.* & in nodulo ligator. ana ʒj. Iterû hæc infuſ. ſumatur per octo dies. Foreſtus, *in Obſervationib.* teſtatur, ſeſe multos curaſſe ſolo *lactis* uſu, in quo *cochlearia* & *becabunga*, in duplici vaſe, ad conſervandum ſalem volatilem, qui in hiſce maximè operatur, bullierant. Quia verò uſus lactis febricitantibus eſt noxius, conſultius erit, accipere *ſerum lactis*, vel *cerevißiam*, maximè pro pauperibus. *Purgationes* ſolemnes adminiſtrandæ ſunt: cui ſcopo ſequens *Syrup. Magiſtralis* inſervire poterit: *Purgantia.*

℞. *Herb. fumar.* *Syrup Magiſtralis.*
abſinth.
capill. Veneris,
cuſcuta,
ling. cervin.
agrimonia,
verbenæ,
cardamines, ana m. j.
flor. borrag.
bugloß.
geniſta,
cichor. ana ʒj.
cort. rad. capp. ʒij.
fraxini,
tamariſci, ana ʒj.
rad. polypod. querc.
liquir.
filicis,
oxylap. ana ʒij.
ſem. fænic.
aniſi,
card. bened. ana ℈ij.

Inciſa omnia infundantur in *ſeri lactis caprini* ℔iß. *ſucci fummar.* ℔ß. Stent infuſa xxiiij. horis in loco calido: deinde fiat coctio ad decidentiam ℔ß. In colat. forti expreſſ. factâ infund. per noctem
fol. ſen. ſ. ſt. ℥iß.
trochiſcor. de rhabarb.
eupator. ana ʒij.
ſem. carthami ℥j.

Manè

Manè f. fortis expreſſ. & colat. clarificatam coque cum ſ. q. *ſacch.* ad conſiſt. Syrupi magiſtralis; de quo
℞. ℥iiijß.
ſyrupi diaſereos ℥ß.
mixturæ ſimplicis ℈ß.
cremor. tartar. ℈j. & propinentur omni manè. Si non ſufficienter purgaverit, in eo diſſolvi poterit ʒj. vel ʒiß. *confect. hameck*; vel, ſi homines fuerint pauperiores, confugiendum eſt ad evporiſta:

℞. *Maſſæ pil. tartar. Schröderi,*
melanagog. Querc. an. gr. xv.
extract. helleb. nigri,
pulv. Syrii, ana gr. iij.

Cum ſ. q. *ſyrupi de fumar.* F. Pil. n. viiij. Involv. *pulv. liquir.* hæ poterunt alternis diebus repeti; & interim ad decocta appropriata, *ſuperiùs* adhibita, ſemper recurrendum eſt. *Diamorum noſtrum*, ad imitationem confectionis illius, quam Norwegi ex *Chamærubi fructu* conficiunt, & *butyro* liquefacto conſervant, ex uſu etiam eſſe poterit; vel, loco hujus, *Diamorum Norweg.*

Electuarium.
℞. *Conſerv. fumar.*
cochleariæ,
abſinth. ana ℥j.
borraginis,
rad. pimpinellæ,
helenii,
cichorii, ana condit. ℥ß.
pulv. ſpec. diarrhodon Abb.
pleris archontic. ana ʒß. Cum ſ. q. *ſyrupi byzantini* F. Elect. molle; de quo ſæpius ſumat Æger magnitudinem unius caſtaneæ.

Viſceralia. Toto curationis tempore ſtomachus ſtomachicis, hepar hepaticis, cor cordialibus, pulmones pectoralibus, ſplen ſpleneticis, unguentis, fomentis, empl. &c. confortentur, internis quoque roborentur medicamentis.

Symptomata Stomacaces. Stomacace, ſeu gingivarum laxitas, tollitur ſequenti *Oris collutione*:

Gargariſmus.
℞. *Flor. roſ. rub.*
balauſt.
malvæ arboreæ, ana ʒß.
fol. naſturt. aquat.
menthæ,
ſaturei, ana mj.
hyſſop.
ſalviæ, ana mß.
F. Decoct. in *aq. fabror.* ad ℔j.
In colat. diſſolv.
alum. ʒj.
diamori,
mellis roſ. colati, ana ℥iß. M. F. inſtar Gargariſmi. Vel

Mixtura.
℞. *Mell. roſ. colati,*
diamori, ana ℥ij.
ſpir. vitrioli q. ſ. ad ſenſibilem aciditatem. Hac mixturâ ſæpius attingantur gingivæ; vel ſolâ *aq. cochleariæ, beccabungæ*, aut *naſturtii*; vel, meliùs, earum ſuccis, *colluatur os*: his omnibus ſemper aliquid *aluminis* addi poteſt.

Oris collutiones.

Dentium vitia. Dentifricium. *Dentes* fricentur ſequenti *Pulvere*:

℞. *Salis communis torrefacti* ʒj.
alum. uſti ʒij.
balauſt.
C. C. præparat. ana ʒij.
macis ʒj.
fol. ſalicis mij.
M. F. Pulv. pro Dentifricio.

Difficilis reſpiratio. Decoctum pectorale. *Difficilis reſpiratio decoct. rad. helenii*, in *juſculo facto*, cum *croco* & *ſpecieb. pleres archonticon* plurimum corrigitur.

Gingivarū putredo. Unguentum. Si magna adſit *Gingivarum putredo*, *melli roſ.* addi poteſt aliquid *Mercur. præparati*: vel ſolo *Ungv. Ægypt.* illinuntur; &, poſtquam ſublata eſt caro putrida, ſarcoticis utendum.

Ulcera faucium. Gargariſmus. *Ulceribus faucium* occurritur ſequenti *Gargariſmo*:

℞. *Herb. prunellæ,*
cochleariæ,
planteg. ana mj. Decoq. ad ℔j.
In colat. diſſolv.
diamori ſimpl.
mell. roſ. colati, ana ℥ij.
ſpir. ſulph. ℈j. M. F. Gargariſmus.

Crurum dolores. Magno *crurum dolori* ſequenti *Fomento* occurrendum eſt:

Fomentum.
℞. *Fol. ſalviæ*
majoran,
abrotani,
cochleariæ,
beccabungæ, ana mj.
flor. chamomillæ,
meliloti, ana pij.
ſambuci piij.
baccar. junip. ʒj.
F. Decoct.

Alia quæcunque. F. Decoct. quo calido foveantur crura, ſpongiâ in eo immerſâ. *Reliqua* huic morbo evenientia *accidentia*, ut ſunt arthritis, convulſio, tremor, ſtupor, paralyſis, membrorum rigiditas, alvi fluxus, lipothymia, febres, tumores duri, eryſipelata, hydrops, ulcera, atrophia, &c. tum ex dictis, tum ex dicendis medicamentis, ex *propriis Capitibus* deſumptis (hac tamen cautelâ, ut huic morbo appropriata ſemper commiſceantur) ritè curabuntur.

Diæta. *Diætam* quod attinet, hæc morbi hujus cauſæ è diametro contrariari debet.

Aër. *Aër* itaque ſit ſiccus & depuratus, vel naturâ, vel arte: ad quod conciliandum plurimum faciunt ignes & *ſuffitus ex ligno juniperino & baccis* ejus accenſis, item ex *baccis lauri, roremarino, ladano, ſtyrace calamit. ſuccino* &c.

Cibus. *Cibus* ſit boni ſucci, facilis concoctionis & diſtributionis; vitentur ea, quæ *ſuperiùs* inter cauſas relata ſunt: *lac capr.* maximè commendatur, & præcipuè ſi in eo *cochlearia* & *naſturt.* incoquantur; abſente tamen febre: & ita non pauci ex toto reſtituti ſunt. Fugiantur acida, quæ melancholiam maximè fermentant: ciborum varietas cane pejus & angue vitetur. *Potus.* *Potus* ſit vinum tenue, vel abſinthiacum, cum *cochleariâ, naſturt. lign. ſaſſafras*, & *ſalſaparillâ*, cum pauco *ammoniaco*.

Motus & Quies. Somnus & vigiliæ. Affectus animi. *Exercitia* ſint moderata: *ſomnus* & *vigiliæ*: item *animi pathemata*, ita moderentur, ut minimè excedant.

Objectiones. 1. Objicies 1. Signum pathognomonicum morbi Gallici aſſignatur dolor circa noctem ingraveſcens: ſed in ſcorbuto etiam dicitur adeſſe dolor ſemper ad noctem ingraveſcens: ergo nulla erit differentia. Respondeo; quamvis negari poſſit, ſolum dolorem nocturnum eſſe ſignum morbi Gallici: diſtinguo tamen; in morbo Gallico eſſe dolorem tenſivum; hic verò pungitivo-gravativum: uti teſtatur Sennertus, *in ejus Definitione*.

2. Objicies 2. A materiâ mordaci & corroſivâ fit dolor pungitivus: ſed hic eſt materia corroſiva, uti aſſertum eſt, quòd ulcera gingivarum & crurum excitet: ergo falſa eſt hæc ſolutio. Reſpondeo: nos intelligere hîc dolorem *ἐσωτερικὸν*, ſeu profundum, & non cutaneum, ſeu ſuperficialem: nec obſtat, quin adſit in ſcorbuto dolor profundus & gravativus, ob materiam terreſtrem & melancholicam, ipſum perjoſtium gravantem: ſicuti videmus, omnia corpora, ut ſunt aër, aqua, & liquida omnia, ſecundum craſſiores partes fundum; ſecundum tenuiores, volatiliores, leviores, & magis corroſivas, ſuperiorem partem occupare.

Quæres 1. Quomodo nodi, & Gallici tumores differunt à Scorbuticis? Reſpond. eo, quòd tumores Gallici & nodi aperti materiam pinguem, & lardo ſimilem, exhibent; ſcorbutici verò melancholicam & tartaream: præterea tumores Gallici, ut bene notat Eugalenus, *pag. 91. num. 18. Obſerv. 10.* vitam luxurioſam; ſcorbutici verò triſtem & calamitoſam ſequuntur. 1.

Quær. 2. An cura morbo Gallico propria poſſit etiam accommodari Scorbuto? Reſp. abſolutè negando: ſic enim quendam ſcorbuticum, ab imperito Chirurgo quodam ſudoribus & Mercurio præpoſterè tractatum, & fere animam agentem, è mortis faucibus eripuimus. Cura autem ſudorifera ideo plerumque non prodeſt, quia obſtructiones ſemper reddit magis contumaces; conſumptis nimirum tenuioribus humoribus, ad deobſtructionem plurimum facientibus. Inſtabis: ergo malè ſiccans diæta ordinata eſt; in hac enim non minùs creſcent obſtructiones. Reſp. diætam ſiccam ordinari in ordine ad cauſam tollendam; ſudoriferam verò curam prohiberi in ordine ad effectum; cui, propter obſtructiones, quas auget, nocet. 2.

CAP.

Caput. LXII.

De Melancholia Hypochondriacâ.

Melancholia Hypochondriaca. Ejus Deſcriptio ſecundùm Gegerum, & alios.

Lienis affectibus affinis eſt *Mirachialis paſſio*, *flatulenta Melancholia*, ſeu *Melancholia Hypochondriaca*, quæ eſt delirium periodicum, ex vaporibus melancholicis, à melancholiâ p. n. in hypochondriis cumulatâ, elevatis, & cerebro communicatis, ſpiritúsque animales inquinantibus ortum habens. Licetus Patavinus dicebat, Mel. Hyp. eſſe *Primam Tonſuram ad Stultitiam.*

Cauſæ Proxima.

Cauſa aliæ ſunt *proxima* & *continentes*; aliæ *antecedentes*. *Proxima* & continens eſt melancholicus vapor, cerebro communicatus, ſpiritûs naturales offuſcans & inquinans; unde mœror & triſtitia oritur. Cauſa verò *Antecedens* eſt humor craſſus & melancholicus, in hypochondriis cumulatus, id eſt, in ſplene, venis meſaraicis, hæmorrhoidalibus, & ramis portæ; ſimul etiam in utero, hepate, pancreate, omenti duplicaturâ, cavitate inter ventriculum & ſeptum transverſum &c. Itaque affectûs hujus ſubjectum eſt regio hypochondriorum.

Differentia.

Differt tamen hypochondriaca paſſio à melancholia hypochondriaca eo, quòd paſſio hypochondriaca, ſeu affectio, latiùs patet, quàm melancholia hypochondriaca: ſiquidem affici poſſunt hypochondria, & non à melancholiâ.

Diviſio.

Aliqui *dividunt* melancholiam hypochondriam in dextram, & ſiniſtram: quæ diviſio potiùs paſſioni, quàm melancholiæ hypochondriacæ convenit. Multi de *viâ*, *per quam vapores ad cerebrum feruntur*, hactenus fuerunt ſolliciti: at qui facilem ex venâ portæ ad cavam, ex arteriis ſplenicis ad aortam, vaporum tranſitum, & ſangvinis circulationem, totiuſque corporis permeabilitatem, & inferiorum per nervos, venas, & arterias, cum ſuperioribus conſenſum noverit; per quas vias vapores ab hypochondriis ad caput eleventur, ex facili cognoſcet.

Via, per quā vapores ad caput feruntur.

Quòd autem varii varia patiuntur ſymptomata & deliria (alius enim ſe Deum putat; Atlantem alius; dæmonem alius; alius vitrum, alius dolium; alius, ſe ſine capite vivere; alius, ſe in magnam corporis vaſtitatem excreviſſe; alius, ſe meiere molle; alius durum, ne totam urbem inundet; alius, ſe mortuum fuiſſe; alius, naſum ingentem ſibi excreviſſe; alius, ſe ranas, paſſeres, columbas, &c. in capite aut ventre habuiſſe; alius, ſe felem eſſe; alius, introxicatum; alius, ſe granum milii eſſe exiſtimabat, ideóque gallinas cane pejus & angue fugiebat: uti plura horum refert Paſchaſius, *lib. de alea*) totum id eſt ob vaporum melancholicorum variam diſpoſitionem, qui ſpiritibus animalibus miſcentur, & per ſenſum communem turbatum intellectui repræſentantur. Ad hæc corporis & naturæ varietas plurimum facit. Nam pro corporis conſtitutione, & naturæ diverſitate, ac vitæ ſtudio, infinita penè, & varia falſarum opinionum & imaginationum producuntur deliria, & innumeræ impreſſiones, quibus cerebrum turbatur. Idem etiam ferè melancholicis evenit, quod ebriis: quorum uti aliqui ſaltant, alii flent, alii cantant, alii rixantur, alii ſunt ſtupidi, alii eloquentes: ita prorſus melancholia maximam accidentium generat diverſitatem. Aliam, ſed non incongruam, affert Ariſtot. *1. de inſomniis cap. 3.* ſimilitudinem: Quemadmodum, ait, in aquâ commotâ aut nulla effigies redditur, quæ apparet; aut redditur quidem, ſed obſcura & tortuoſa; quieſcente verò & ſtagnante aquâ, rei nativa imago apparet: ita & dormientibus & delirantibus evenit; dum enim vapores in cerebro errabundâ motione circumaguntur, imagines aut penitus obrutæ deliteſcunt, aut non, niſi turbulenta quædam & prodigioſa viſu exhibent: & eò quidem magis, quò humores ſunt

Unde iſta deliriorū varietas.

ſunt magis aduſti & perverſi; eò enim pejores quoque generant vapores.

Cauſa. *Cauſa* autem in genere ſunt errores in rebus non naturalibus, præcipuè in victu, & animi paſſionibus, excretis & retentis, commiſſi; præſertim ubi adeſt magna ventriculi, lienis, & hepatis antipraxia. Sic enim ventriculus debilis non debitè concoquit, viſcera calidiora cibos indigeſtos attrahunt, & vitium primæ concoctionis non corrigitur in ſecundâ: hinc, etſi lien feculentum attrahat ſanguinem, elaborare tamen eum, id eſt, attenuare & digerere non poteſt; & hic vaſa ſplenica, ramos venæ portæ & arteriæ cœliacæ, per totam abdominis regionem infarcit: hinc plurimæ fiunt obſtructiones, materia ſtagnat, & corrumpitur: unde infiniti generantur vapores & flatûs: ad quos facit cibus crudi & tartarei ſucci (de quo in affectibus lienis dictum) item evacutiones hæmorrhoidum, uteri, aut alvi, ſuppreſſæ; immò etiam eæ, quæ per vomitum fiunt: temperamentum item melancholicum, vita ſedentaria, ſpeculativa, & multis curis obnoxia, præcipuè circa ætatem viginti annorum, usque ad quadrageſimum, in qua aduſti humores tenuioribus exhalantibus prævalent, corpus exſiccatur, & errores in adoleſcentia commiſſi ſeſe produnt. Pueri & ſenes non facilè hypochondriaci evadunt eò, quòd multis humiditatibus ſint obnoxii, humori melancholico generando ineptis.

Signa diagnoſtica. Melancholiæ hypochondriacæ *Signa* ſunt: triſtitia & mœror fortis, absque evidenti ratione, ita, ut, ſi Patientes de ſuâ triſtitiâ interrogentur, ejusdem nullam poſſint reddere cauſam: dum malum ulterius ſerpit, delirium accedit absque febre, non quidem continuum, ſed per intervalla, & ſingulares conſtellationes: nam ſæpius ſatis hilares ſunt, ſed, quamprimùm iterum elevantur vapores, & turbatur cerebrum, redit malum, & in plurima phantaſmata incidunt Ægri, aures iis tinniunt, viſus obtenebratur, & omnes ſenſûs compatiuntur, depravato ſcilicet ſpiritu animali; ſomnus eſt terrificus & paucus, ob vaporum caput impetentium acrimoniam & ſiccitatem: cor palpitat, à flatu & vapore in pericardium delatis: & tunc Patientes omnino de vitâ deſperant: ſæpe adeſt cutis pruritus, veluti ſormicarum morſus, ab acri ſero proveniens, item ἰφύδρωσις, ſeu ſudatiuncula frigida, ab oppreſſione manans, frequens faciei rubor: fiunt etiam per varias corporis partes ſimiles palpitationes, dum nempe flatûs in iis continentur, ructûs acidi ejiciuntur, flatûs plurimi per inferiora pelluntur, & ita interdum ventrem diſtendunt, ut Ægros putes eſſe tympaniticos; qui tamen aliquando facilè diſcutiuntur; inteſtina murmurant, ſtomachus perpetuò dolet; qui dolor usque ad ſcapulas & dorſum ſeſe extendit, mediante mediaſtino: rejiciuntur per vomitum multa ſæpe phlegmata, & acidi humores, ex eòque vomitu dictus dolor, ad ſcapulas pertingens, & admodum frequens in Auſtria, miteſcit. Ea autem ſtomachi debilitas provenit à pravo, quem per venæ portæ ramos recipit, humore frigido, aut alimento: qualis enim ſanguis eſt in venâ portæ, & ramis meſentericis, talis eſt in ſtomachi ſubſtantiâ, & venis. deinde etiam non parum debilitatur naturalis ſtomachi calor ab obſtructionibus, & interceptâ ejusdem ventilatione, quæ per ſanguinis circulationem maximè efficitur: *Impedita ſanguinis circulatio ab obſtructionibus.* hæc autē in hoc affectu ab obſtructionibus impeditur. Eructationes ſtomachi proveniunt à flatibus: ubi enim ſtomachi periades crudo phlegmate obductæ ſunt, à calore debiliter in materiam viſcoſam agente in bullas & *flatûs* elevantur: *Flatuum cauſa.* ſi enim uniformiter materiam attenuare & digerere poſſet; inſenſibiliter, nec cum tantâ colliſione corporum craſſorum, diſcuteretur, nec tantos tum in ventriculo, tum in dorſo & lumbis, excitaret dolores. *Alvus obſtructa* frequenter hypochondriacos torquet, *Alvi obſtructio.* vel à calore, viſcerum humiditatem ad ſe trahente, vel à materiâ viſcoſâ, à debilitate ventriculi generata, & inteſtinis inſtar glutinis adhærente: *hypochondria* ſunt *inflammata* & *æſtuoſa*, *Calor & æſtus hypochondriorum.* ob in iis ſtagnantes fervidos humores, à quibus calidi vapores, per ſpinam dorſi ad caput & faciem elevati, congenerem excitant

phlogo-

Urina.

phlogoſin. *Urina* quandoque ſunt craſſæ; quandoque tenues: craſſæ, ob admixtionē craſſorum, tartareorum & ſalinorum humorum; tenues, ob vehementes obſtructiones; à materia craſſa, per quam percolata urina tenuis evadit. Urina craſſa ſubſtantiam quaſi laterum ſolutorum habet, quam vulgus *arenam* putat; ſed fallitur: ſiquidem eſt materia aduſta, quæ ſanguinis rudimentum quidem accepit, ſed adeò fuit aduſta, ut à natura, tanquam excrementum inutile, ad vias urinales detrudatur: idem in febribus ſæpe obſervatur: advertitur quoque circa ventriculi latus ſiniſtrum moleſta quædam pulſatio, proveniens ab obſtructione pulſantis *arteriæ cœliacæ*: quæ *pulſatio* ſi continua ſit, vel cum arteriæ anevriſmate, incurabilis eſt. Hæc pulſatio à cordis palpitatione, in hoc affectu quoq; frequente, eſt bene diſtinguenda: ſitu enim diſcrepant: hæc ſiquidem in ſuperiori infra papillam; illa verò in inferiori, & ſiniſtro hypochondrio, obſervatur.

Quid ſit rubrum illud in urinis, inſtar laterum contuſorum.

Pulſatio arteriæ cœliacæ frequens circa ventriculi regionem.

Cordis palpitatio.

Cordis palpitatio fit à vaporibus ad cor aſcendentibus, illudq; moleſtantibus, unde nititur per inordinatum motum illos expellere: ex inordinato hoc cordis motu Ægri penè de vita deſperant; & medicamentis nunquam ſatiantur, *putantq; ſeſe omnibus imaginabilibus morbis laborare, ob diverſa, quæ patiuntur, ſymptomata.* Nam prout vapores in hanc vel illam partem feruntur; dolores excitant, veluti capitis, aurium, colli, ſcapularum, pectoris, dorſi, &c. item ſomnū interruptum & vigilias: tam diu enim in ſomnum non recidunt Ægri, quamdiu vapores indiſcuſſi manent. Si nervos impetunt, ſæpe tremorem, ſpaſmum, paralyſin ſpuriam, & convulſiones excitant.

Prognoſis.

Prognoſin quod attinet, melancholia hypochondriaca lethalis non eſt, ſed morbus chronicus; &, licet ſæpius videantur curati, recidivam tamen patiuntur Ægroti: imò hypochondriacos longævos eſſe, aſſerebat Paravinus Profeſſor olim meus Licetus, eò quòd accuratiori vitæ regimini ſeſe adſtringant. Alvum, menſes, & hæmorrhoides, eſſe apertas in hoc affectu, bonum eſt: item urinas eſſe craſſas, melius eſt, quàm tenues; ob cauſas *ſuperius* dictas. Vertigo diuturna, & cephalalgia, ſæpe cōvulſiones, paralyſes, apoplexias, viſûs ablationes &c. præſagit. Mitiſſimè laborant, qui cerebrum à naturâ moderatè calidum, id eſt, ad frigidum & ſiccum declinans, obtinent; ſecùs ac qui calidiori cerebro præditi ſunt; hi à vaporibus magis aduruntur, unde ſe præcipites dare, furere, & inſanire ſæpe videntur; uti Empedocli contigit, qui furens in Ætnæ voragines inſiliit. Marius autem delirans expeditiones bellicas, & prælia finxit, pugnantis geſtu, clangore & ſtrepitu omnia complevit: ita habentes, quaſi tormentorum pulvis, vehementiſſimo impetu agitari videntur: ſi è contra ad frigidum nimium declinent; timidi ſunt, mœſti, obſcuri, tenebricoſi, deſperati, ante tempus ſeneſcentes &c.

Cura.

In primo *curationis* hujus affectus frontiſpicio ventriculus & jecur in ſtatera Medica diligentiſſimè trutinanda, ut eorum antipraxia, & contrariæ intemperies, prudenter conſerantur. Si enim major eſt hepatis calor, in eum omnis remediorum vis intendenda eſt; hic autem facilè cognoſcitur ex intenſâ ſiti, faciei rubore, colore violaceo & ferrugineo, guttâ roſaceâ, alvi pigritie, corporis atrophia, minori ciborum appetentiâ, &c: & in horum curatione expediet primò alvum humectare lenientibus, minimè fortibus, ne humores exaſperentur, obſtructiones aperire, jecoris calorem contemperare, ſtomacho providere, vapores revellere, intercipere, repellere, diſcutere, & eorū generationem, quantū fieri poteſt, impedire Clyſter igitur ſequens ſtatim injici poterit:

Ordo agendorum.

Clyſter.

℞. *Herb. cuſcutæ, lupuli, malvæ,*
parietar. mercurial. ana mj.
ſem. lini, fœnigr. ana ℥ß.
furfuris macri m.j.
epithymi ʒij.
cort. rad. helleb. nigri ʒß. F. Decoct in
ſ. q. *ſeri lactis*, vel *aquæ communis*, ad ℔j.
In colat diſſolv.
mel. mercurial.
violati, ana ℥ij.
ol. violarum ℥j.
elect. Indi maj.
diaphœnic. ana ℥ß.
ſalis communis p.j. M. F. Clyſma.

Si magnæ adſint vigiliæ, ʒj. *Philonis Romani*, vel *requiei Nicolai* addi poteſt: vel, loco hujus clyſteris, ad magnam ſaburram

Digitized by Google

excrementorum, in primis viis hærentium, deturbandam ſequens hauriatur medicamentum:

Potio purgans. ℞. *Seri lactis* ℥vj. In quibus decoq.
ſenæ elect. epithymi, ana ʒiij.
ſem. citri ʒß. Decocti hujus colati
℞. ℥iv. In quibus diſſolv.
mannæ electæ ℥ij.
ſyrupi de polypod.
roſ. ſolut. ana ʒiij.
crem. tart.
flor. nitri, ana ℈ß. M. F. Potio.

Hiſce peractis, corpore exiſtente plethorico, ad *Sanguinis miſſionem* primò accedendum eſt, & quidem ex venis inferioribus; ſic jubentibus Hippoc. *5. aph. 21.* Galen. *de curandi rat. per ſang. miſſ.* Avicenn. *lib. 1. fen. 4. doct. 5. c. 20* Fiat itaq; ex pede, vel ex venis hæmorrhoidalibus: deinde ex brachio, vel ex manûs ſalvatella. Si magna adſit ſtomachi frigiditas, & humoris melancholici frigidi & ſicci copia, ſanguinis quoq; portio minor extrahenda eſt. Hiſce peractis ad humoris melancholici *Præparationem* accedendum eſt: quod ſequenti *Apozemate* fieri aptè poterit:

Venæſectio. *Præparantia.*

Decoctum. ℞. *Herb. cuſcutæ*,
capill. Veneris,
linguæ cervinæ,
agrim. ana m. j.
rad. ſcorzoneræ,
cichor. ſyl.
graminis,
liquirit.
polypod. querc. ana ʒiij.
flor. borrag.
viol. ana p. j. F. Decoct. in ſ. q.
ſeri lactis ad ℔j. In colat. diſſolv.
ſyr. de pomis, borrag. a. ℥ij. M. F. Potio.

De hoc decoct. propinentur ℥iij. cum ℈ß. *mixturæ anthypochondriacæ*, & per octiduū continuetur: vel, loco hujus decocti, uti poterit Æger ſolo *ſero lactis*, in quo *chalybs ignitus* ter exſtinctus fuerit, & herba *cuſcuta*, vel *lingua cervina* bullierit. Si magis delicatum petatur, incoque *paſſulas minores*. Præparantibus hiſce aliquandiu in uſum revocatis, ad *Evacuantia* perveniendum eſt: liquida autem, dum hepar æſtuat, ſiccis ſunt magis conferentia: itaque

Evacuantia. ℞. *Herb. agrim.*
cuſcutæ,
ceterach,
capill. Veneris,
fumariæ,
oxalidis, ana m. j.
rad. cichor. ſyl.
polypod. querc.
bugloſ. ana ʒiij.
flor. borrag.
viol. ana p. j.
thymi,
epithym. ana ʒiij.
cort. rad. capp.
tamariſci, ana ʒj.
helleb. præpar. ʒß. Coq. in ſ. q. *aq.* ad ℔j.
In colat. infund. per noctem
ſenæ elect. ℥j.
rhab. elect.
myrob. citrin.
Martis præpar. ana ʒij. Manè, factâ levi ebull. in colat. clarif. diſſolv.
ſyr. diaſereos,
de pom. compoſ. ana ℥ij.
De hac Mixturâ
℞. ℥iiij. *magiſt. tart. purgant.* ʒj.
mixturæ anthypoch. ℈ß. M. Detur

omni manè, per quatuor dies continuos: &, ſi magis arrideant *Pilulæ*,

℞. *Maſſæ pil. tart. Schrod.* *Pilulæ.*
melanagog. Querc. an. gr. xv.
extract. helleb. nig. gr. v.
pul. Syrii gr. iij. Malax. ſ. q. *ſyr. de pom.*
F. Pil. n. viiij. Inaurentur pro una doſi, & ſic f. 12. doſes, totidem diebus ſumendæ.

His peractis, ad obſtinatiſſimum hunc affectum debellandum, ad *Chalybeata*, explosis aureis, teſte Jul. Cæſ. Claudino, *Reſp. 29* melancholiæ hypochondriacæ vera alexipharmaca, deveniendum eſt. ut: *Uſus Chalybeatorum.*

Tinctura. ℞. *Martis cum ſulph. reverberati* ℥ij. cui ſuperaff. *ſucc. citr.* q. s. ad eminent. duorū vel trium digitorum. Stent infuſa per horas 24. ſæpius agitando; & tandem Tinctura extracta decantetur: & de hac omni manè ſumantur xv. vel xx. gr. usque ad ʒj. in juſculo carnis, aut ſero lactis: Vel

Pulvis. ℞. *Chalyb. præpar.* ℥ß.
pulv. ſpec. diarrhod. Abbat.
margar. prap. ana ʒj.
trochiſc. de cappar. ʒiß.

M. F. omnium Pulv. ſubtiliſſimus, & cum ſ. q. *ſyr. de pom.* F. Elect. molle: de quo ſumatur omni manè magnitudo avellanæ majoris, ſuperbib. deſuper ℥iv. *decocti linguæ cer.* in *ſero lactis* facti: vel etiam ex ʒß. *pul. cachectici Quercetani*, cum ſ. q. *ſyr. de fumar.* F. Pilul. nro vij. omni manè ſumendæ. Si Æger *Electuarium.* *Pilulæ.*

ſyr.

ſyr. chalyb. affectet, vide Freitagium, *in Aurora Med. fol. 67.* Mihi plurimùm arridet *extract.* ſeu *eſſentia chalybis* Antverpienſium: cujus genuina eſt hæc deſcriptio:

Eſſentia chalybis Antverpienſium.

℞. *Limaturæ chalyb.* ℔ß. cui affund. *vini optimi* ℥viiij. Pone ad ignem lentum, vas moderatè agitando: tandem bull. donec emergat ſpuma craſſa & pingvis, quam collige, &, *novo vino* affuſo, ter quaterque repete: collectam cum vino ſpumam coq. ad conſiſt. mellaginis; ex qua, cum *melle* & *ſpecieb. diacurc.* vel *diarrhod. Abb.* F. Elect. molle; cujus doſis ſit ʒj. cum juſculo: vel mellaginem illam exſicca & pulveriza: cujus doſis ſit ʒß.

Nota I. dum chalybeata hæc ſumuntur, tertio quoq; die lenitivum eſſe propinandum, ne chalybs, pro gravioribus incommodis gignendis, in corpore diutius retineatur. Ad hunc uſum ℞. *Rob ebuli, pulpæ tamarind. aquâ cichor. coctor. & trajectorũ.* ana ʒx. *pul. Syrii* ℈iiß. Cum ſ.q. *ſyr. de pomis compoſ.* F. Elect. Doſis ſit magnit. caſtaneæ, horâ quartâ pomeridianâ, eodem die, quo chalybeatum aſſumitur, ſumenda.

Lenitivum.

Nota 2. Motum corporis ab aſſumpto chalybe neceſſarium & utilem eſſe: qui tamen, ſi à Patiente fieri commodè non poſſet, intermitti poteſt; quia chalybs non ſolo pondere obſtructiones reſerat, aliàs idem efficerent aurum & argentum, & magis plumbum (quod malè Jachinus, *c. 54. de lienis ſcirrho*, & Curelanus, in *animadv. Forolivii*, item Claudinus, *Reſp. 29. in Tract. de Chalybe*, aſſeruerunt, ſed qualitatibus vitriolatis, & aliis proprietatib9 lieni familiariſſimis, & etiam melancholiæ hypochondriacæ, miſter omnium; habet vim quandam abſterſivam & penetrativam, quâ plurima & minima illa vaſorum meſenteriorum oſcula, in inteſtinis aliàs hiantia, in hoc affectu verò obſtructa, aperit & hiare facit; unde alimentorum læſa anadoſis priſtino ſtatui reſtituitur: hinc tanti ſit à Begvino *ſal* vel *vitriolum Martis*, ad gr. xij. vel xx. in pilulas, cum *mucilag: ſem. tragacanthi* redactum.

Pil. antihypochondriacæ.

Idem fere, ob eaſdem qualitates, efficiunt Acidulæ, multis quidem, ob ſiccitatem, ſuſpectæ, quia conſequenter calorem inducant: qui tamen ſatis contemperari poteſt refrigerantibus, ſto-

Acidularum.

macho extrinſecè applicatis & ſumptis: quin & acidulas Ægranas in memetipſo jecur plurimùm calefeciſſe, poſt earundem uſu, proprio damno expertus ſum. Iis autem maximè proſunt acidulæ, qui ventriculum habent craſſo phlegmate repletum & frigidum: illum enim abſtergendo non parum roborant. Moris fuit hactenus, acidulas, aſcendendo à parva quantitate ad majorem; & ſic rurſus deſcendendo bibere: ſed exolevit maleſana hæc conſuetudo; ſiquidem in parva quantitate ſumptæ illæ remanebant in corpore, & plus nocebant, quàm ſuâ qualitate proderant: eodem modo ſe violenter movebant illarum potatores; & quamvis idem adhuc utiliter fiat; expertum tamen habemus, multos in lecto, calidis linteis ſtomacho appoſitis, acidulas ſumpſiſſe, eaſque non tantùm tranſiiſſe, ſed optatum etiam poſt ſe effectum reliquiſſe.

Modus autem bibendi acidulas apud Nos hic eſt: pridie leni pharmaco alv9 lubricatur, &, ſi corpus ſit valde plethoricum, poſtridie vena ſecatur: altero deinde die, intra horam circiter, lagena ℔vij. ita hauritur, ut cum primo vitro ʒj. *crem. tart.* vel ℈j. *rad. gelappæ*, cum ʒß. *crem. tart.* & ℈j. *ſalis acidularũ*, quod jam copiosè proſtat in noſtris Officinis Viennenſibus, ſumatur, per quadrantem horæ circiter obambulando: deinde conſequenter tota aqua, pergendo, minori, quàm primò, periodo, morſellos ſtomachicos ſæpius interim maſticando, paulatim abſumitur: & ita ſolem continuare 12. 15. 18. vel 24. & ultra, diebus: nec impedimus, ſi vires ſufficiunt, quò minùs Ægri aſcendant ad tres menſuras, & ultra; modò primæ doſes ſufficiant ad tranſitũ. Alii ſequens *Vinum purgans*, uno quadrante horæ, ante uſum acidularum, ad ℥vj. hauriunt:

Modus bibendi Acidulas.

℞. *Trochiſc. de capp.*
eupat.
rhab. ana ʒiß.
fol. ſen. ſ. ſt. ℥ij.
rad. gelappæ ℥ß.
cort. ebuli,
median. ſambuc. ana ʒj.
herb. ling. cervinæ,
ſcoloſendriæ,
meliſſæ, ana mj.
tart. crudi Veneti ℥j.
cinnamom. elect. ʒj.

Vinum laxativ.

Inciſa & contuſa omnia dentur ad petiam ligata ; quibus ſuperaffunde *vini albi* ℔iv. Stent 24. horis: de hoc ſumatur doſis *antè* dicta, tempore præſcripto. Simili vino plerunque utuntur in loco, ubi bibuntur acidulæ, vel, hujus loco, ſequentibus Morſellis: *Morſuli.*

℞. *Salis tart.*
acidul. ana ʒiß.
rad. gelappa ʒß.
cinamomi acuti ʒj.
ſacch. albi in *aq. roſar.* ſoluti q.ſ. M.F. Confect. Doſis ad ʒij. Ante acidularum ſumptionem his, & ſimilibus, facilis tranſitus conciliatur acidulis. Peractâ tandem omni acidularum ſumptione, corpus hoc medicamento expurgetur:

Bolus purgans.
℞. *Rob ebuli* ʒj.
magiſt. gelappæ. gr. xv.
crem. tart. ℈j. M.F. Elect. Victus tempore acidularú debet eſſe magis ſiccus, ad robur & tenorem ſtomachi conſervandum, acidulasq; ex ſtomacho exprimendas. Symptomata quoque, in hoc affectu frequentiſſima, ſunt mitiganda ex *propriis capitibus*: qualia ſunt vigiliæ, ſtomachi ac lienis dolor & æſtus, vertigo, delirium, alvi conſtipatio, ructus, metus & triſtitia; quæ duo ultima *Cordialia* requirunt: ut ſunt *tabula manûs Chriſti perlatæ*, *magiſt. chryſolith. ſmaragdi*, *ſapphiri*, &c. in *aq. borrag. meliſ.* vel alterius ſumpta. Item *conſerva meliſſa*, *borrag. flor. tunica*, cum *ſyr. conditura citri* mixtæ & exhibitæ. *Hepatis* regioni humectantia & refrigerantia *Epithemata* applicentur: nam ob calorem citiùs attrahit cibos ex ſtomacho, qui crudi permanent; alios verò in ſe contentos humores adurit; unde eodem tempore & phlegma, & altra bilis generantur. Reliquis ſymptomatibus medicinis ex *propriis capitibus* deſumptis occurrendum erit. Et cùm affectus hic adeò ſæpe contumax ſit, ut plerunque recrudeſcat; hinc palliativâ tantùm curâ tractandus eſt: ideò Joannes Crato præcipit, ut alternis diebus ℈j. *pil. de aloë roſat.* ſumat Æger. Alii unam aut alteram pilulam cubitum ituro per multum tempus præſcribunt, & ſie, cruditatibus ſeſe obvenire, credunt: ſimili cura uſus eſt Montagnana, Medicus inſignis; item Sereniſſimus Bavariæ Dux, quorum ille 40. hic autem 20. annis continuis ejusmodi pilulis uſi ſunt. Purgationis vicem obeunt clyſteres, hypochondriacis toto morbi decurſu perquam ſalutares.

Cordialia. *Hepatica.*

Diæta.

Diætam quod attinet, hæc, teſte Liceto Patavino, Profeſſore olim meo chariſſimo, hypochondriacos facit longævos: ſunt enim tam ſcrupuloſi, ut etiam de minimo exceſſu pœnas ſeſe daturos vereantur; quæ tamen eſſe debet affectui correſpondens; aêr ſit purus, & minimè nebuloſus: cibus minimè flatuoſus, ſed evchymus, facilis digeſtionis & diſtributionis: potus ſit vinum oligophorum & diureticum, vel aquâ, ſi tolerari poſſit, mixtum. Nota: hypochondriacos aliquando nullam aquam tolerare poſſe; idque ex eo, quòd, quò major eſt materiæ aduſtæ quantitas, tantò minùs tolerari poteſt hauſtus aquæ, vel cereviſiæ: ſi verò vel à naturâ, vel ab arte, per medicamenta materia ex parte fuerit ſublata, faciliùs tolerant; aliàs aqua frigida, in materiam aduſtam cadens, non ſecus, ac ſi in calcem caderet, detonat, funditque vapores & flatûs. Somnus vitetur meridianus, cruditatibus & flatibus generandis aptiſſimus: vigiliæ nimiæ humorem melancholicum exaſperant, & obſtructiones reddunt contumaciores: ira quoq;, & triſtitia affectum hunc non parum augent: ſummâ denique diligentiâ excretiones naturales quotidie procurentur: quæ, dum ſtagnant, flatuum maximam generant copiam, & viſcerum augent calorem. Et hæc eſt operoſa *Melancholia Hypochondriaca curatio*: quámque cùm tam multi ignorent; Ægri verò rarò ſuſtineant; hinc mirum non eſt, quòd tam rari integræ ſanitati reſtituuntur. De melancholia Hypochondriaca plus adhuc tractabitur, quando agetur de *Morbis Uteri*.

Quæſtio. I.

Quær. 1. Quomodo intelligendus ſit Hippocr. *de morbis popularibus*, *ſect.* 7. ſub finem, ubi ait: melancholicos comitialesque communicare: ſi enim ad corpus inclinaverit atra bilis, fieri comitiales; ſi ad animum, melancholicos: quo modo autem

autem atra bilis poteſt inclinare ? Reſpond. Hipp. intelligendum eſſe, ſi atra bilis ad corpus inclinaverit, id eſt, partes corporis nervoſas impetierit: ſi autem tetris vaporibus animi organa obnubilaverit, melancholiam excitare.

II. Quær. 2. Cur melancholicis adeò proſit hæmorrhoidum apertio; cùm plerumque tantùm ſanguis purus ex ramis externis evacuari videatur; imò Novator quidam advena non ita pridem hæmorrhoidū apertionem omnino improbarit, eandem ob cauſam? Reſp. mirum non eſſe, quòd hæmorrhoidum apertio melancholicis prodeſt; cùm Hippocr. *de morbis popular. ſect. 5.* dicat, atræ bili velut ſimilem eſſe hæmorrhoidem. Et quis Anatomicorum non novit anaſtomoſes, quæ fiunt ab internis hæmorrhoidibus ad externas? Et licet quandoque ſanguis videatur purus; eſt nihilominus ſeminarium flatuum & vaporum: quin & non ita pridem obſervavimus in Advocato quodam Viennenſi, ex applicatis hirudinibus libras multas materiæ inſtar ſpermatis ranarum, cum totali levamine plurimorum & graviſſimorum ſymptomatum, effluxiſſe.

III. Quær. 3. Cur melancholici dicantur longævi? Reſpond. 1. cum Liceto *antè* citato, ideo, quòd religioſiùs vivant, diætamque ritè ſervent: 2. eò, quòd humor melancholicus Saturninum & tardiſſimum habeat motum: 3. quòd in melancholico humore plurimum ſit talis ſtyptici commixtum, quo quaſi balſamatur mixtum, & ejus reſolutio impeditur.

IV. Quær. 4. Cur plerique Sapientes ſint melancholici & ſtyptici? Reſp. Melancholici inprimis fiunt, ob defectum concoctionis: iis enim, qui in perpetua ſpeculatione verſantur, ſpiritus quaſi figuntur, & ſpeculationi applicantur; interea humores ſtagnant & aduruntur, unde flatus & vapores tetri, caput ferientes, ipſam rationem obtenebrant, hominesque reddunt melancholicos: ſtyptici quoque fiunt, partim ob materiæ diſſvetudinem: deinde melancholici fiunt ſtyptici ob humoris melancholici ſtypticitatem & craſſitiem, qui, ob gravitatem, in partes ventris inferiores tendit, eas comprimit, & fecibus exitum prohibet: quin imò ſæpiſſime obſervavimus, homines, ob ſangvinis copiam, in venis hæmorrhoidalibus ſtagnantem, conſtipatos evaſiſſe; quo tandem ſublato, naturales habuerunt dejectiones. Sed videant melancholici, ne per negligentiam, naturam omni manè ſollicitandi, in deſvetudinem & ſtypticitatem incidant.

Caput LXIII.

De Colica Paſſione.

INter inteſtinorum affectûs non poſtremum ſibi vendicat locum *Colica*, à colo inteſtino ſic dicta; cujus acerbitate multi non tantùm in animi deliquio interierunt; ſed violentas etiam manûs ſibiipſis intulerant; uti teſt. Galen. *2. de loc. aff. c. 2.* *Colica paſſio.* *Etym.*

Colici doloris *Cauſas* enarrat Paul. Aegineta, *lib. 3. cap. 43.* nempe craſſam & tenacem pituitam, otium, crapulam, fructûs crudos, olera, caſtaneas, legumina, & frigidæ vel glaciatæ potum, &c. quibus generata pituita, colique tunicis & cellulis infarcta (quæ, teſte Galen. aliquando inſtar vermium, vel ſerpentum, longa excernitur) & latus diſtendens, flatûs excitat, frigoris & cruditatis ſobolem: item colicam generat bilis, à reſiccatis fecibus cohibita, quandoque inter duas inteſtini tunicas incluſa, & eas vellicans: vel etiam, ſi per ſpinam ad nervos transferatur, *Contracturam*; pituita verò *Paralyſin* excitat: quandoque etiam ipſa bilis in ipſa ſubſtantiâ ſtabulatur; unde cura exiſtit difficillima. Ad ejuſmodi humores generandos plurimum facit alvi obſtructio & pigrities; cui etiam perſæpe occaſionem damus, dum per incuriam, vel per ſpeculationes, aliáve impedimenta, eam quotidie non ſollicitamus. Colica etiam ab externis refrigerantibus oriri po- *Cauſa.* *Contractura & paralyſis unde.*

reſt; item à vermibus, calculis, tumoribus partium vicinarum, inflammatione, contorſione, venenis, nucleis ceraſorum, caſeo, &c. Nec tantùm opus eſt, ut humores illi in cavitate inteſtini hæreant; ſed etiam per venas in membranas feruntur humores bilioſi, acres, melancholici, &c. qui in iis diutiſſimè hærent, & difficillimè expelluntur. Recentiores mentionem faciunt *colicæ* cujusdam, quæ tamen non eſt vera colica, ſed potiùs *dolor* quidam *membranarum abdominis*, ab humore bilioſo, vel per criſin, vel poſt iram, in eas derepente effuſo. Dolor hic ſæpius per aliquot menſes perſeverat, & nullis cedit remediis: unde Patientes contabeſcunt, & febris intermittens, vel etiam continua & lenta, accedit: tamq; diu non remittit hic affectus, donec humor, in ſpinam dorſi & nervos translatus, paralyſin vel contracturam generet. Aliquando dolores poſt translationem in membris tanti excitantur, ut colicos æmulentur.

Colica ſpuria in abdominis membranis.

Signa diagnoſtica colicæ ſunt, dolor quaſi ab infixo palo alte excrucians, qui ad latus ſiniſtrum, & umbilicum, magis intenditur; ſæpe etiam vagus eſt, & ſurſum ab inguine revolvitur; adeſt rugitus, tenſio abdominis, alvi conſtrictio, nauſea & vomitus, ob ſubverſum ventriculum, à colo ſibi ſubſtrato ſuperiacente urina ſupprimitur, & à bile tingitur: à flatu tumor eſt vagus: à pituita, vel bile, fixus. Si dolor eſt ab acri humore, adeſt febricula, ardor, ſitis, vigiliæ, &c. tuncque applicata calida nocent; contrà, ſi à flatibus aut pituita, calefacientia proſunt: flatus excitant dolores tenſivos; bilis acres & pungitivos; pituita profundos: quamvis ex hac elevati flatûs etiam tenſivos dolores, eosque ingentes, generent.

Signa diagnoſtica,

Ad cauſam meliùs dignoſcendam præcedens victûs ratio probè examinanda eſt. Si enim Æger victu calido, tempore calido, violentis exercitiis, &c. uſus fuerit, malum *à bile* ortum habere ominandum eſt: ſi verò otium, ingluvies, ſomnus, cruditates, tempus hybernum, &c. præceſſerint, malum potiùs *à pituita*, vel *flatibus*, ortum habet. Accuratam denique coli doloris, *ab aliarum* infimi ventris *partium doloribus*, oportet facere *diſtinctionem*. Nam dolor nephriticus perſæpe colicum mentitur; & contrà; uti etiam Gal. ipſemet de ſeipſo, taliter decepto, teſtatur *2. de loc. aff. cap. 5.* Si eſt *Nephriticus* dolor, is eſt in rene ipſo, & per inguen, ac ureteres, ad teſticulum usque deſcendit; colicus verò latiùs vagatur, & medium fere ventrem occupat: quin & ille magis eſt ſuperficialis; hic magis profundus; ille acutus; hic magis obtuſus: in illo adeſt ardor urinæ; in hoc non, niſi adſit inteſtini inflammatio, quæ collo veſicæ communicetur. Item colicus dolor poſt paſtum exaſperatur, eò, quòd inteſtinum à ventriculo pleno comprimatur; ſecùs in dolore nephritico. Quidam ab alvi conſtrictione & vomitu ſigna deſumunt: ſed cùm utrumq; hoc ſymptoma utrique affectui eveniat; nullam ab his differentiam ſumimus; majus emolumentum ſentiunt Ægroti ab evacuationibus ἄνω ϗ κάτω factis, quàm in paſſione nephritica, quæ factis iis ſæpe exaſperatur. Colica diſtinguitur à tenſivo *Veſicæ* dolore; quòd hic tantùm hæreat ſuper os pubis, & veſica reperiatur inſtar tympani tenſa. Ita quoque per doloris ſitum ab *Uteri* dolore diſtinguitur colica: nam in illo adeſt menſium ſuppreſſio, tumor in hypogaſtrio, rubor in uteri orificio, & venarum tumor.

Signa cauſarum.

à Bile,

Pituitâ, Flatibus.

Differentia colicæ ab aliis doloribus:

Nephritico.

Veſica.

Uteri.

Prognoſin quod attinet: ſi colica paſſio fiat ab inteſtini coli inflammatione, periculoſiſſimum eſt malum, eò, quòd metus ſit, ne tranſeat in iliacam paſſionem, Ægerque moriatur. Si colica ſit vaga & levis, facilè diſcutitur; ſi verò ſit fixa, diuturna erit, cum pertinaci alvi obſtructione, à materia acri & bilioſa. Si vires reſolvat, ita, ut partium externarum fiat refrigeratio, malum: febris ſuperveniens flatûs reſolvit, & pituitam extenuat, *6. aph. 40.* Quòd ſi dolor ſit contumax, deſinit tandem in paralyſin, translato humore pituitoſo ex viſceribus in genus nervoſum; teſte Ægineta, *lib. 3. cap. 18.* vel in arthritidem, depulsâ materiâ antecedente in articulos; ex Avic. *cap. 6. tract. 3. fen. 16. lib. 3.* Colicus dolor contagioſus

Prognoſis.

& pe-

& peſtilens plerunque lethalis eſſe conſvevit; ſi urinæ ſint flavæ, malum.

Cura. *Curam* quod attinet, ſi corpus ſit plethoricum, & colica ſit ab inflammatione, vel à blioſo humore acri & calido, ad viſcerum æſtum contemperandum, teſte Avic. & Græcis, cum *Venæſectio.* Rhaze, & Aëtio, *vena* dextri cubiti primò, deinde pedis, *ſecanda* eſt, idq; ante topicorum applicationem, ne hæc ſanguinem ad inteſtina attrahant: præmitti tamen poterit ſimile *Enema*:

Enema. ℞. *Fol. origani,*
pulegii,
rutæ,
malvæ,
atriplicis,
biſmal. ana mj.
ficuum n.iiij.
ſem. lini,
fœnigr.
aniſi, ana ℥ij.
ſummit. anethi,
flor. camom.
meliloti, ana pj.
F. Decoct. in *jure capitis ververis* cum *lana* cocti. In colat. diſſolv.
confect. hieræ ſimpl.
diaphœnic. ana ℥ß.
mell. roſat.
menthæ,
mercurial.
anthoſ. ana ℥j.
ol. lil. albor.
anethi, ana ℥j. M. F. Clyſter; vel aliud Enema, magis temperatum, ubi calor magis urget, ordinari poterit.

Cucurbitula. *Cucurbitulæ* ſcarificatæ venæſectionis vicem in junioribus ſubeunt; quin & non ſcarificata magna, cum Gal. *2. meth. cap. ultimo*, umbilico, poſt materiæ evacuationem, applicari poteſt: hæc namque incantamenti inſtar ſæpe flatûs reſolvit, & dolores tollit. Nota: diligenter attendendum eſſe ad colicæ cauſam: quæ ſi eſt calida, omnia debent magis ad refrigerantia vergere: contrà, ſi materia ſit frigida, calida & diaphoretica, carminativa, &c. ſunt præſcribenda: ut:

Clyſteres. ℞. *Herb. alth. totius,*
origan.
calaminthæ,
puleg.
centaur. min. ana mj.
baccar. lauri,
juniperi, ana ℥ß.
ſem. lini,
carvi,
cannabini,
leviſtici, ana ℥ij.
ſummit. thymi,
anethi,
hyſſopi,
fl. ſtœch. ana pj.
F. Decoct. *in hydromel.* In colat. diſſol.
ol. rutac. ℥ij.
lini,
laurini, ana ℥j.
benedictæ laxativæ ℥vj.
hieræ ſimpl. ℥iij. M. F. Clyſt.

Vel

℞. *Ol. nuc.*
vini albi generoſi, ana ℔ß.
elect. de bacc. lauri ℥j.
caſtor. ℥j.
mell. anthoſ. ℥iij. M. F. Clyſter.

Vel

℞. *Decocti carminat.* ℥v.
extr. eſulæ ℥iß. bulliant ad diſſolut. extracti: dein adde
ol. lini ℥iv.
ſalis gemm. ℥j.
communis ℥ß. M. F. Clyſter:

Injiciatur calidè.

Si verò materia ſit calida, acris, & bilioſa, clyſteres ex *lacte*, vel *ſero* ejus, vel *decoct. malvæ*, *biſmal. atripl. ſem. frig. lini*, *fœnigr. flor. melil. nymphææ*, *cum melle roſ. ol. viol. butyro recenti, caſſia catholico*, parari debent; iiſque in ſummo dolore ℥ij. *Philonii Rom.* vel *Requiei Nicolai* ſuperaddi poſſunt. In violentiſſima colicâ *Acidulis* præſentaneum magis remedium hactenus adinventum non eſt. *Acidula.* Si dolores colici adeò vehementes fuerint, ut vires plurimùm debilitent, ad *Narcotica* confugiendum eſt: ut: *Narcotica.* ℞. *Laudani Cæſar.* vel *opiati Auguſtani*, gr. iv. F. Pil. nij. *Pilula.* Dentur horâ ſomni. Alii miſcent cum pilulis purgantibus; ut:

℞. *Extr. pil. aurear.*
ſine quibus eſſe nolo, ana gr. xv. *Simul purgantes.*
pul. Syrii gr. vi.
laud. Cæſar. gr. iv. Cum ſ. q. *ſyr. fl. pap. erratici* F. Pil. num. viiij. Inaurentur pro hora ſomni: hæ ſiquidem ſomnum concilíant, & à ſomno dejectiones aliquot procurant: poſſunt

Cholagoga. etiam alia *Cholagoga* exhiberi. Amatus Luſitanus, idem docente Gal. *12. meth cap. 7. aqua frigida* hauſtum propinat, ſeque, incantamenti inſtar, colicam ita ſedaſſe, aſſerit. *Aqua frigida.* *Balnea.* *Balnea* aquæ dulcis, vel ſemicupia, vel pedilavia, è *verbaſco, althæa, malva, hord.* &c. facta, dolorem non parum contemperant. Poſſunt etiam prædicta ſimplicia *Sacculis* includi, ſique in *lacte* coqui, & calidè applicari, ad humorem illum bilioſum contemperandum, & dolorem leniendum. *Sacculi.* Si colica *contracturam*, vel paralyſin minari videatur; quod cognoſcitur ex ſpinæ dorſi & membrorum dolore: illinantur ſpina & articuli ſequenti *Linimento*: *Contractura.* *Linimentum.*

℞. *Ol. lumbric.* ℥j.
ung. refrig. Gal.
nervini, ana ℥iß.

M. F. Linim: vel etiam paretur *Balneum* aquæ dulcis cum *hord.* ad acrimoniam humorum contemperandam. Si verò contractura jam ſit facta, vel paralyſis, ad *balneum ſulphureum* confugiendum eſt, & eo tam diu utendum, donec malum vergat in melius; corpore tamen priùs per ſufficientem evacuationem præparato. *Balneum ſulphureũ.*

à Cauſa frigida. Si verò colica ſit à *cauſa frigida*, aliter tractandus eſt Æger, nempe, præter *ſuperiùs* dicta, catharticis phlegmagogis: ut:

Purgantia. Potio.

℞. *Agar. rec. trochiſc.*
turbith bulboſi,
mechoacannæ albæ, ana ʒij.
fol. ſenæ ſ. ſt. ʒiij.
ſem. carthami ʒiß.
mannæ electæ ʒiß.

His omnibus ſuperaffunde
hydromel. bullient. ℥iiiiß. Stent per noctem: manè in colat. diſſolv.
magiſt. tart. purg. ℈j. M. F. Potio:

Vel

Pilulæ.

℞. *Extract. pil. aloephangin.*
de hierâ, ana gr. xv.
pul. Syrii gr. vij. Cum ſ. q. *ſyr. viol. laxat.* F. Pil. num. viiij. Inaurentur pro una doſi. Interea injiciantur *Clyſteres carminativi*: ut: *Clyſteres carminativi.*

℞. *Spec. decoct. carminat.*
emoll. ana ℥iß.
herb. puleg.
calaminthæ,
abſinth. ana mß.
baccarum lauri ℥ß.
flor. camom.
meliloti, ana pij. F. Decoct. in *aqua*, ad ℔j. In colat. diſſolv.
elect. de hiera picra Gal. ℥ß.
diaphœnici ℥j.
mellis anthoſ.
mercurial. ana ℥ij.
ſalis com. pj. M. F. Clyſter. Venter flatibus multùm diſtentus fortiter ligetur faſciâ ſtrictâ, ut ſubſideat, & ii excludantur: & magnes ſupra umbilicum ligetur. Evacuato corpore,

℞. *Aq. zedoariæ* ℥ij. *Mixtura appropriat.*
phyſagonæ ℥iij.
ſpir. macis ʒj. M. Ad vitrum: de hac Mixtura, pro diſcutiendis flatibus, ſumatur ſæpius cochlear unum:

Vel

℞. *Tinctura cort. arant. ſpir. vini extract.*
ſpir. nitri, ana ʒß. M. Detur cum *juſculo calido*, & ſudor excitetur. Hâc mixtura excluduntur flatûs inter membranas incluſi. Vel

℞. *Ol. camom. carul.* giiij.
zedoar. gij. M. Dentur eodem modo: vel *eſſentiæ tartari*, *ſpirit. vini extracta*, g. ſex vel octo. Venter interea ſequenti *Ungvento* muniatur:

℞. *Ol. anagall.* *Externa. Ungvent.*
camom.
abſinth. ana ℥ß.
cumini,
carvi,
baccar. lauri, ana ʒiij.
ung. carminat. Minſicbti ʒij. M. F. Linim. vel appone *empl. de bacc. lauri*, vel *diaphœnicum calidum*, cum *ol. laurino* malaxatum; vel *Sacculos ex milio*, *furfure*, *avenâque*, *torrefactis* in *ſartagine*, & *vino irroratis*. *Emplaſtra.* *Sacculi.* Sequens *Tragea* in uſum revocari poterit: *Tragea.*

℞. *Pul. ſpec. diacymini,*
diacalaminthæ, ana ʒj.
calami aromat.
ſem. cumini Romani,
fœnic.
aniſi, ana ʒiß.
cinam. electi,
ſalis abſinth. ana ʒß.
ſacch. ad pondus omnium. M. F. Tragea,

Tragea, quæ cum taleola panis parum aſſati, & vino Malvatico, ſumi poteſt. In ſummo dolore hîc aliquando ad *Opiata*, ſed rariùs, & non niſi urgente ſummâ neceſſitate, confugiendum eſt.

Opiata.

ab inflammatione inteſtinorum. Si colica oriatur ab *inflammatione inteſtinorum*, à purgatione abſtinendum eſt, ne malum exaſperetur, trahantúrque humores ad partem affectam: teſte Gal. *lib. 13. meth. cap. 11.* Sufficiet autem *oxyrrhodinum* ventri applicatum: vel etiam cataplaſma ex *farinis ſem. lini* & *hordei*, in *oxycrato*, cum *ol. roſar.* in cataplaſmatis formam coctis. Item injiciantur clyſteres moderatè refrigerantes: emulſiones item ex *ſemine melonum*, *4. frig. maj.* & *portulacæ*, *amygdal. dul.* &c. factæ, propinentur, & calefacientia omnia removeantur. Mihi narravit Illuſtriſſima Domicella de Schrottenbach / plures fuiſſe liberatos, aſſumptâ ʒj. *pulv. ſpermatis ceti*, cum *vino calido*. Nos experti ſumus, *Aquam Regis Ferdinandi*, de qua vide *in Febribus*, vel earum *curis*, ad colicam flatuoſam præſentaneum auxilium attuliſſe.

Quæſtiones. I. Quæres 1. Quomodo, ſecundum Hipp. *6. aph. 1.* colici fiant arthritici? ℞. id fieri per humorum metaſtaſin, ſicuti fit ex colica paralyſis; vel ſicuti ex hæmorrhoidum diuturnarum refluxu, ſecundum Duretum, *de dyſent. comm. in Coac. 1.* fit hydrops & phthiſis.

II. Quær. 2. Quomodo colica diuturna mutetur in paralyſin? Reſp. Per eandem humorum metaſtaſin, qui ab inteſtinis ſpinæ dorſi, & nervis, communicantur: &, cùm non tantùm ſint bilioſi, ſed mixti; non contracturam tantùm, & ingentes pariunt dolores; ſed etiam reſolutionem nervorum, ob pituitoſos & ſeroſos humores, unà cum bile ad nervos delatos, excitant.

III. Quær. 3. Cur colica adeò pertinax ſit & diuturna, nulliſque, vel pauciſſimis, cedat remediis, præterquam Acidulis? Reſp. Quia materia vel tunicis inteſtinorum adhæret, vel in earum duplicatura ſtabulatur: unde non poteſt extirpari, niſi diuturnitate affluentium acidularum, quæ non tantùm temperant humorem bilioſum, ſed etiam diluunt & abſtergunt; non ſecus ac imber, qui omnes civitatis cloacas expurgat.

Quær. 4. Cur idem medicamentis purgantibus non tantùm non efficiatur, ſed quandoque etiam malum exacerbetur? Reſp. Cùm purgantia omnia ſint aſpera, bilem exaſperant, & conſequenter ipſum malum: deinde ad materiæ morbificæ ſedem non penetrant. *IV.*

Quær. 5. Cur, qui calidis utuntur, in materia bilioſa exaſperentur, & reliquis citiùs paralytici evadant? Reſp. Quia calida humores pituitoſos fundunt, & bilioſos exaſperant; unde humores, ſubtiles redditi, ad nervos feruntur, & vehementiores excitant dolores. *V.*

Objicies 1. Videntur hîc quovis tempore adhiberi narcotica; cùm tamen in principio, & in colica è phlegmate, juxta Conciliatorem, *diſt. 24.* nullo modo conveniant. Reſp. Narcotica non conveniunt in principio, dum ſymptoma longè ſuperat morbum, viréſque ſunt ita debiles, ut durare, niſi refectæ, nullo modo poſſint; nego: è contra; concedo: deinde in materia frigida, & dolore remiſſo, narcotica minimè adhibemus; ſed tantùm anodyna: narcotica enim ſemper maxima cum cautela ſunt adhibenda. *Objectio. 1.*

Objic. 2. Narcotica etiam in colica flatuoſa ſæpe profuerunt: ergo verum non eſt aſſertum. Reſp. colicam flatuoſam etiam poſſe habere cauſam calidam; ſicuti eam à ſulphure deducimus: deinde, ſi narcotica in colica à flatibus, vel à cauſa frigida, urgente ſummo dolore, & viribus durare non valentibus adhibeantur; miſceantur ſemper cùm calidis: veluti eſt opium in Theriaca. *2.*

Objic. 3. Theriaca recens à multis cenſetur eſſe venenata: ergo danda non eſt. Reſp. Negando aſſertum: immo Gal. *5. meth. cap. 13.* mulieri, cùm dormitura eſſet, Theriacam dedit quatuor menſibus antè confectam: venenata igitur non eſt. *3.*

Cap.

CAPUT. LXIV.

De Iliaca paſſione: aliàs Miſerere mei.

Iliaca paſſio quid.

ILiaca paſſio, ſeu *Miſerere mei*, χορδαψὸς, ſeu Volvulus, à volvendo dicitur, quòd in ipſo inteſtina convolvantur, unde excrementa & chylus revolvuntur, & per os rejiciuntur. Eſt autem tenuis, ſeu ilei inteſtini gravis coarctatio ac dolorifica, quæ nihil deorſum ſinit deſcendere: ut docet Gal. *comment. ad aph. 22. lib. 2.* Non tamen negamus, ſimilem obſtructionem fieri in craſſiori inteſtino; ſed ea minùs eſt periculoſa, quàm quæ tenuibus inteſtinis contingit: uti habet idem Gal. *ad hiſt. 6. ſect. 2. epid. lib. 3.*

Cauſa.

Ejusmodi obſtructionis *cauſæ* ſunt variæ: v. g. inflammatio, ſeu tumor p. n. in ſubſtantia inteſtini ſubortus; qui adeò interdum augetur, ut ejus ductum viamque intercipiat & impleat: idem efficiunt feces, longâ morâ vel calore exſiccatæ, in anfractibus inteſtinorum retentæ; quæ ob duritiem expelli non poſſunt, præcipuè ubi facultas debilis eſt, & ſenſus inteſtinorum obtuſus; vel ubi fecibus adſtringens ineſt qualitas: hernia inteſtinalis, quæ, inſtar chordæ, inteſtinum in ſcrotum delapſum ligat & obſtruit: idem efficit pituita lenta, quæ, parietibus inteſtinorum adhærens, indureſcit, totamq; eorum replet capacitatem. Ilium quoque cauſant magnæ inteſtinorum exulcerationes, ob quas appulſum fecum horret natura, & furſum rejicit: ad idem pariter faciunt acerrimi humores, vim expultricem irritantes, & ſenſum fortiter vellicantes.

Signa.

Signa iliacæ paſſionis propria ſunt 1. rejectio chyli, phlegmatis, bilis, & deinde excrementorum, per ſuperiora; uti Aetius, *cap. 28. ſerm. 10.* tradit: item dolor acutiſſimus & ſæviſſimus, inflatio & diſtenſio vehemens, tumor in hypogaſtrio ſatis eminens & durus, omnimoda alvi ſuppreſſio: uti Gal. habet, *comment. in aph. 10. ſect. 7.* item ſudores ſyncoptici, horror totius corporis, lipothymia, convulſio, fœtens halitus, ſingultus &c.

Differentia ab aliis.

Signa communia cum *colica* ſunt, dolor in abdomine, diſtenſio ventris, alvi adſtrictio, nauſea, inquietudo, urinæ paucæ &c.

Signa Cauſarum. ab inflammatione inteſtinorum: fecibus induratis:

Si affectus hic proveniat *ab inflammatione inteſtinorum*, omnia ſunt violentiſſima: uti febris, dolor, bilis, & fœcum per ſuperiora rejectio. Si malum proveniat à *fecibus induratis*, præceſſit aliquot diebus antè alvi adſtrictio, febris ſæpe abeſt, & ſymptomata ſunt remiſſiora.

flatibus:

Si affectus proveniat *à flatibus*, alvus eſt plurimùm diſtenta, colica prægreſſa eſt, & cauſæ pituitam generantes præceſſerunt:

hernia.

ſi ſit ab *hernia*, ad oculum patet.

Prognoſis.

Prognoſin quod attinet, Gal. *de loc. aff. cap. 2.* ait: dolores quoque graviſſimi in ſublimioribus inteſtinis eveniunt, vomitionibus graviter cruciantes, adeò, ut nonnulli ſub finem ſtercus quoque evomere conſpiciantur: à quo affectu, ſecundum plurimos, vix unquam aliquis ſanus potuit evadere. Ab ileo vomitus ſtercoris, coactis inteſtinis, & facto eorum motu periſtaltico; ſingultus, ob inflammationem; delirium & convulſio, rapto in conſenſum nervorum principio, oborta, malum. *Quibus à ſtranguria ileus ſupervenerit, intra dies ſeptem moriuntur, niſi, febri ſuperveniente, urina multa effluxerit: 6. aph 44.* Pueros hic affectus crebrius infeſtat, ob cruditates; ſed minùs periculoſè; ſenes rariùs; ſed perniciosiùs, ob infirmitatem: Aëtius, *cap. 2. lib. 6. acut.* Inter anni tempora, autumnus magis, quàm hyems, affectûs hujus ferax eſt, ob ſiccitatem & inæqualitatem: æſtas utrumque ſuperat, ob calorem. Optimum ſalutis ſignum eſt, ſi ſymptomata remittant, & alvus aſſumpta incipiat excernere.

Curatio.

Cura inchoanda eſt, indicatione à cauſa efficiente deductâ, quæ, ſi ſit inflammatio, reprimitur frequentibus clyſteribus emollientibus potiùs, quàm catharticis, venæſectione ſat copioſè factâ, victu tenuiſſimo, frigido & humectante, fomentis chalaſticis & refrigerantibus, hæmorrhoidum & ſaphenæ apertione. Clyſteres fieri poſſunt ex *cremore hordei*, vel *lacte recens mulſo*, cum *mucilaginis ſeminis pſyllii*, *aq. portul. extracta*, ℥j. vel etiam ex ſolo *oxycrato ſimplici*. Poteſt item, progreſſu

greſſu temporis, injici *ol. lil. albor. violac. amygdal.* cum *mucil. ſem. cydon. lini*, &c. Ex his poterunt fieri fomenta.

Enema. *Clyſter* his omnibus emolliens ſimilis injiciatur:

℞. *Herb. verbaſci*,
malvæ,
althææ,
viol.
anagall. ana mj.
ſem. lini,
pſyll. ana ʒiij.
flor. nymphææ,
roſ. rub.
violar. ana pj. F. Decoct. ad ℔j.
In colat. diſſolv.
caſſiæ pro clyſter. ℥ij.
ol. roſar.
violar. ana ℥j. M. F. Clyſter.

Propinentur *olei amygd. dul. rec. extracti* ℥ij. in *juscula* refrigerante: item tale *Julapium* in uſu eſſe poterit:

Julepus.
℞. *Aq. portul.*
endiv. ana ℥vj.
ſyr. flor. nymph.
de portul. ana ℥iß.
ſucci citri q. ſ. ad gratum ſaporem.
M. F. Julap. vel, ejus loco,

Emulſio. ℞. *Sem. melon. excort* ℥j.
portul.
papav. albi, ana ʒij.
amygd. dul. excort. ℥ij. Contund. in mortario, ſenſim affundendo *decoct. rad polypodii* ℔iß. F. lege artis Emulſio: de qua ℥iv. vel v. ſæpius in die propinentur.

Balneum aq dulc. *Balneum aquæ dulcis tepidum* in hoc affectu ſaluberrimum eſt. Aliqui in inflammatione, abſente vomitu, lene *Vomitivum* propinant ex *aq. tepida*, & pauco *aceto*, cum *ol. viol.* ut fiat revulſio ab inteſtinis inflammatis. Sclopetarii glandes plumbeas deglutiunt, ut ſe ab hoc morbo liberent. *Vomitiv.*

Diæta. *Diæta* in hoc affectu ſit tenuiſſima: Potus *decoct. hord.* & *rad. liquir.* Cibus *cremor. hord.* & ſatius eſt, ut in principio xxiv. horis *ab omni cibo abſtineatur*, ut aliquid materiæ morbificæ conſumatur: quinimò maxima ſpes eſt in abſtinentia: abſque hac enim cibi corrumpuntur, & vomitui occaſionem præbent. Potulenta tamen & liquida faciliùs ad hepar tranſeunt; quæ nihilominus pauca eſſe debent. Si paſſio iliaca proveniat *à flatibus*, ii ſunt diſcutiendi clyſteribus carminativis, catharticis & topicis, quæ ex *cap. de Colica* deſumere poteris. *Abſtinentia à cibo.* *à Flatibus.* Si verò inteſtina fuerint *obvoluta*, ℔ß. *Mercurii vivi*, *per corium colati*, propinari poteſt. Idem quoque, acidulis, in magna copia hauſtis, purgantibus fortioribus, & clyſteribus, item emollientibus externis, pingvibus jusculis, oleo dulci, ſumpto & admoto, nihil efficientibus, in obſtructione ab induratis fecibus, & humore inteſtinis adhærente, exhiberi poteſt, idque in caſu tantùm deſperato. *ab inteſtinis obvolutis. Mercurius in cura Miſerere mei.* Riverius, *in Obſervationibus ſuis*, notat, *Mercurii vivi* ℥j. optatum habuiſſe effectum: & hinc Ambroſ. Paræum culpat, quòd ℔iij. una vice propinet, eò quòd à ſummo Mercurii frigore calor nativus facilè exſtingvi, vel ſangvis in venis coagulari, & circulatio impediri poſſit; cui opinioni nec nos contrariamur. Si iliaca paſſio proveniat à *Veneno*; illud alexiteriis oppugnetur: ſi à *lapſo in ſcrotum inteſtino*, ſeu enterocele fiat, foveatur primò inteſtinum *decocto emollienti calido*, & *carminativo*, vel *ſpiritu vini*: deinde, collocatâ ſuperiori corporis parte in loco decliviori, moderatè reponatur inteſtinum, & clyſteribus emollientibus omnimoda alvi procuretur apertura. *à Veneno. Herniâ.*

Objicies 1. Hip. *6. aph. 44.* ait, febrim ſupervenientem, & urinæ fluxum copioſum, curare iliacam paſſionem; ergo iliaca paſſio debet provenire à frigidis humoribus, qui per febrim diſſolvuntur, & per urinas rejiciuntur; cùm tamen ſæpiſſime proveniat ab inflammatione inteſtini, vel à calore feces indurante. Reſp. Hipp. intelligendum eſſe de iliaca paſſione, à frigidis & pituitoſis humoribus ortâ; non verò ab indurante aut inflammante calore. *Objectio, 1.*

Objic. 2. Avic. dicit, illam poſſe generari ex ſtranguria: cùm tamen nos, & plurimi Authores nobiſcum, ſummâ urinarum difficultate laborantes plurimos viderimus, quorum nullus iliacâ paſſione affectus fuit. Reſp. Quamvis, iliacam paſſionem ex ſtranguria, veſicæ ſcilicet inflammatione inteſtinis communicatâ, fieri poſſe, non inficiemur; attamen, contingere id frequenter, negamus. 2.

Objic.

3. Objic. 3. Avic. *16. cap. 29.* ait, deterius eſſe ilium, in quo ſtercus per ſuperiora rejicitur: ergo debet adhuc dari aliud, quàm hîc deſcriptum. *Reſp.* Avic. accipere ilium pro inteſtinorum tenuium dolore vehementiſſimo, cum quo excrementorum per ſeceſſum difficilis eſt exitus: Nos verò in intenſiori gradu ſumimus, ubi jam feces per ſuperiora rejiciuntur.

4. Objic. 4. Aetius ilium vocat inteſtinorum emollitionem; cùm tamen chordapſum nominent Authores eò, quòd chordæ inſtar tendatur inteſtina. *Reſp.* Aëtium vocare emollitionem eò, quòd tenſa inteſtinorum durities tactui cedat; quod in duritie ſcirrhoſa nō fit: eo autem habito ad hanc reſpectu, mollities dici poteſt: ſed hîc Aëtii ſermo videtur eſſe longè petitus: Nos potiùs Galeno ſubſcribimus.

5. Objic. 5. Si iliaca poſſet fieri à compreſſione inteſtini; ea maximè contingeret in hydrope aſcite, dum cavitas abdominis, aquâ plena, inteſtina maximè comprimit. *Reſp.* aquam continens quidem ſuo pondere comprimere; contentum verò minimè; imò illud aliquo modo ſublevare: atq; adeò, cùm inteſtina non ſint aquæ continentia, ſed potiùs contenta: non premuntur.

6. Objic. 6. Ergo ſaltem negari non poterit, quòd in tympanite à flatibus fieri debeat. *Reſp.* cùm hi aquæ rationem non habeant, nos non negare, à flatibus compreſſionem fieri poſſe in ileo; ſed cùm plerunque ipſa inteſtina ſint flatibus plena (quod patet in continua per os & anum flatuum rejectione) meatûs habent patentes; unde à flatibus non facilè fit ileos.

7. Objic. 7. In cura rejectionis ſtercorum per os videtur malè adhiberi Mercurius vivus, cùm ſit venenoſus: ſecundò, ſi in tantâ quantitate adhibetur, calor nativus exſtingvetur; uti aliquando Pharmacopæi Viennenſis famulo contigit, qui, in ſummo febris ardore, exhauſtâ Mercurii pixide, illicò exſtinctus eſt. *Reſp.* Mercurium vivum, & non ſolutum veneni rationem non habere: ſulphur enim arſenicale, in eo contentum, actuari non poteſt ante ipſius ſolutionem & præcipitationem: deinde non facilè exſtingvet calidum nativum, quia citiſſimè tranſit, nec diu moratur. Quòd autem in allegato exemplo exſtinctus fuit calor nativus à ſumpto Mercurio, cauſa fuit, quòd ad ℔ij. ejus ad minimum hauſtum fuit: deinde factum id eſt ob ſummam illam, & ſubitaneam ab uno extremo ad aliud mutationem, in ſubjecto aliàs debili; ubi ſumma aderat caloris nativi rareſactio.

Objic. 8. Saltem non videtur tam citò tranſire poſſe Mercurius, ob oris inferioris ſtomachi altum ſitum, ob quem in fundo ventriculi diutius hærebit. *Reſp.* experientiam contrarium teſtari. Morionib. enim per jocum ſæpius datus fuit, & citò innoxièque tranſivit, ſed non in tanta quantitate: quòd autem diutius non hæreat in fundo ventriculi, ratio eſt, quòd, cùm ſit toto genere p. n. ſummeq; moleſtus & ponderoſus, à Natura quàm citiſſimè rejiciatur. Inſtabis: ſi eò, quòd moleſtat, rejicitur: ergo per ſuperiora, maximè in illo inteſtinorum motu periſtaltico, rejici debebit. *Reſp.* negando paritatem: major enim eſt diſtantia: deinde pondus grave facilius ſemper eſt, per inferia, quàm ſuperiora, rejici. 8.

Objic. 9. Præſcribuntur acidulæ in cura hujus affectûs, quæ etiam à minimè laborantibus ſæpiſſime per ſuperiora rejiciuntur; cùm etiam, ob vitriolum, vim quandam obtineant vomitivam: idem hîc futurum videtur, & conſequenter per acidulas exaſperabitur malum. ℟. Etſi primâ, ſecundâ, & tertia vice rejiciantur; non idcirco ab iis deſiſtendum eſt, ſed continuandus earum uſus, donec tranſierint: nam per frequentem earum hauſtum, & actuale frigus, paulatim iſta phlogoſis ſtomachi & inteſtinorum remiſſura eſt, unde fibræ à calore contractæ emollientur, & acidulis tranſitum præbebunt. Nota: acidularum uſum in hoc affectu multò tutiorem eſſe, quàm Mercurii: ab iis enim ſumma illa refrigeratio timenda non eſt. 9.

Cap.

CAPUT LXV.

De Arthritide.

Arthritis: Ejus Definitio.

ARthritis dicitur à parte læsâ, utpote ab articulo, qui ἄρθρον Græcè nominatur: propriè autem *deſcribitur*, quòd ſit triſtis ſenſus partium ſenſitivarum, articulis proximarum, à ſolutione unitatis, humorum influxum ac tenſionem ſequente, dependens. Diximus, in articulis fieri, ad diſtinctionem rheumatiſmi: deinde non in omnibus articulis æquè primò, ſed potiùs in diarthroſi, ubi eſt motus evidens, quàm in ſynarthroſi, ubi motus eſt obſcurus: partes autem illæ, in quibus continetur materia, ſunt membranæ, tendines, ligamenta, nervi, dum nempe illæ diſtenduntur, comprimuntur, alterantur.

Differentia à loco affecto petita.

Prout autem varii ſunt articuli, quos afficit arthritis; ita quoque variæ oriuntur *Differentiæ*. Si enim plures partes eodem tempore occupet dolor, Arthritidis nomen retinet: ſi pedum articulos, Podagra: ſi manuum, Chiragra: ſi genuum, Gonagra: ſi coxarum, Iſchias, ſeu Iſchiatica nominatur. Eſt autem affectus hic ſymptoma, ad actionem læſam facultatis ſenſitivæ pertinens, nimirum tactum, cujus functio depravata eſt.

Causa.

Cauſa aliæ ſunt *interna*; aliæ *externa*: *interna* ſunt, vel *antecedens*, vel *conjuncta*: *antecedens* eſt articulorum imbecillitas, ſive ab origine, ſive per acquiſitionem; *conjuncta* eſt unitatis ſolutio à materia: ut eum Fernelio doceamus, eſt humor vel pituitoſus, vel ſeroſus: ſanguis enim non continetur intra articulos, à quo duntaxat fit laſſitudo tenſiva: non tamen negarim, aliquid bilis ſimul contineri: &, cùm arthritis ſit quaſi quædam inundatio fluviorum, quantitatem aquarum intra alveum continere non potentium, neceſſe eſt, ut ſit redundatio quædam, diſtenſionem faciens. Hîc autem *quatuor* præcipuè ſunt *conſideranda*: *motor*; *terminus à quo*, ſeu *pars mandans*; *mediū*, ſeu *via per quam* fit fluxio; & *terminus ad quem*, ſeu *pars recipiens*. *Pars recipiens* ſunt articuli debiles: pars *mandans* eſt caput, præcipuè ſecundum partes externas: hinc arthritidem plerunq; præcedit dolor crinalis: ex hoc fonte ſuperflui humores ſub cute aditum moliuntur, & ad artuum compagines devolvuntur: poſtquam enim ad caput, per jugulares externas lati, partim etiam per ſuturas cranii, ex cavitatibus cerebri, ad partes externas exſudarunt, cumulati motu, balneis, vel quocunque calore reſoluti, per vias ſubcutaneas in partes ſubjectas defluunt, & præcipuè ad articulos: hos enim dum alluunt, ob eorum frigus condenſantur, adhærent, & paulatim, dum fermentantur, majus acquirunt ſpatium; nempe rareſacti diſtendunt, & lancinant: hinc dolores, & continui ſolutio.

Conſideranda in fluxu arthritico.

Causa Arthritis.

Cauſa hujus mali *conjuncta* eſt unitatis ſolutio, quæ à materiâ, vel flatulentâ, vel humidâ, vel tophaceâ, cavitates oſſium, parteſque vicinas replente & diſtendente ortum ducit. *Antecedens*, ut dictum, eſt capitis & articulorum imbecillitas, ſive nativa, & congenita, ſive hæreditaria ſit, ſive adſcititia, nimirum nimia laxitas, raritas, humiditas, frigiditas, deinde humoris redandantis influxus. Partes mandantes, & primariæ mali cauſæ, poſſunt eſſe ventriculus, hepar, lien, uterus; ſi nimirum diſpoſitione præternaturali afficiantur: hinc plurimos humores accumulant, qui, furſum elevati, poſtquam aliquandiu in capite morati ſunt, defluunt ad ſubjectos articulos. Non tamen negaverim, aliunde, poſt morbos acutos, ad pedes & articulos ferri poſſe; uti teſtatur Averroes, *collig. 7. c. 3.* quin & colligi poteſt humor ab excremento concoctionis oſſium, in epiphyſibus, à *Laurentio* oſſium ventriculi dictis. Quævis enim pars habet ſua excrementa: ergo & oſſa, & articuli. Cauſæ *externa* ſunt aëris omnes exceſſus, balnea, natatio in frigidâ, frequens crapula, ebrietas ex quocunque potûs genere, maximè verò ex vino generoſo, jejuno ſtomacho aſſumpto, & glaciato, motus immodicus, Venus, otium, intermiſſio conſveti exercitii & evacuationis, ſuppreſſio urinæ, ſudoris, vigiliæ, curæ, mærores, ira, pedum debilitas, contracta ab anguſtia calceorum, ab ictu, caſu, luxatione. *Signa diagnoſtica* ſunt articulorum dolor tenſivus: qui

Signa diagnoſtica.

qui major, vel minor eſt, pro ſpirituum acrium, & ſalium differentiis; non enim eſt purus humor aqueus, ſed, ut Platerus vult, qualitate & ſubſtantiâ alienâ præditus; motus difficilis, tumor vel manifeſtus, vel etiam obſcurus, ob mali profunditatem, quandoque cum vicinarum partium atrophiâ. Hippocr. *l. de affectionibus*: articularis morbus cùm tenuerit, corripit calor, & dolor acutus corporis articulos, & in alium atq; alium articulum incumbit. *Particulares* autè arthritidis ſigna ab ipſis partibus affectis, ut Iſchiaticæ ab iſchio; Podagræ à pedibus deſumuntur. Signum etiam in plerisque præbet, quòd inflammatio fiat ſine ſuppuratione, nempe ob ineptitudinem humoris: dum enim incaleſcit, quod tenue eſt, exhalat; quod craſſum, in tophos abit: ex hoc colligitur, non eſſe à ſanguine, ſed ab ejus ſeroſis partibus, à natura è venis & arteriis, velut noxiis, protruſis; uti ſolet fieri in variolis, morbillis, eryſipelate, ſcabie, ſudoribus criticis. Intentiones curativæ, & *Indicationes*, licet deſumendæ ſint à cauſa primùm; nec ſymptoma, quà tale, indicet: tamen, quà cauſa urgens, ex accidenti indicare poteſt, & Medici ſollicitudinem ad ſe trahere: quale ſymptoma hîc eſt dolor tenſivus, qui plurimum attrahit ad partem affectam, & vires debilitat: itaque dolor anodinis leniendus eſt, &, cùm materia cum impetu ruat in partem affectam, repellenda, revellenda, intercipienda, derivanda, evacuanda, & flatus diſcutiendi; quia motus trahentis eſt velocior motu rei attractæ; quia facultas attractrix plus attrahit, quàm expultrix poſſit expellere, & per diaphoreſin diſcutere; in omnibus juvandus eſt naturæ conatus imbecillis; ſuperfluus, ab irritatione ortus, cohibendus: quibus factis, ad ſublationem cauſæ deveniendum per evacuantia; ad partium roborationem per ſimilia, & partibus appropriata.

Indicationes.

Prognoſtica.

Univerſale Hippocrat. Prognoſticum eſt, à podagra multos ſanari poſſe; hac tamen diſtinctione: quicunq; ſenes, aut callos habent circa articulos tophaceos, aut ærumnosè vivunt, ſiccam alvũ habentes; hi omnes ex toto ſani fieri non poſſunt humana arte: ſanat quidem hos ad tempus dyſenteria, ſi ſupervenerit, ſed & aliæ eliquationes valde proſunt, quæ ad inferos locos repunt: qui verò juvenes ſunt, & circa articulos callos nondum habent concretos, & accuratè vivunt, & laboris amantes ſunt, alvum bonam habent ad obediendum, pro ſtudiorum ratione; hi ſanè, Medicum intelligentem nacti, per curam *Lactis* benè ordinatam ſanari poterunt. Gal. *6. aph. 49. Arthritis utplurimùm curatu difficilis eſt*; cùm in omni arthritide lædantur partes frigidæ, ſiccæ, atq; duræ; quarum hæc eſt natura, ut materiam redundantem diutiſſimè retineant. Unde Hippoc. *6. comment. c. 30. Articulorum durities malum*: &, *6. aph. ult. Si ſuperveniat luxatio coarticulationis, ob ligamenta madefacta & laxata; tum articulus quidem facilè reponitur, ſed morbus ſanari, niſi loca urantur, nõ poteſt*. Arthritis *hæreditaria* potiſſimùm cenſetur incurabilis. Omnes enim morbi connutriti & congeniti ægrè, & plerunque nullam, admittunt curationem, *ſecundo Prorrethicorum*. Hinc *deplorati non ſunt attingendi, ne ars temerè infametur*.

Facto prognoſtico, ſupereſt, ut indicationibus ſatisfiat, vel *in paroxyſmo*, vel *extra paroxyſmum*. *In paroxyſmo*, cùm, ratione doloris, indicetur alterum leniens, alterum repellens; primum eſſe poterit talis, præmiſſo, ſi opus eſt, Clyſtere, *Julepus*:

Curatio, in Paroxyſmo.

℞. *Aq anodinæ Minſichti* ℥j.
papav. alb. ℥ij.
ſyrup. de nymph.
de papavere, an. ℥ß. M.F. Julepus, pro doſi: Vel

Julepus anodinus.

℞. *Philonii Romani* ʒj. Cum *ſaccharo* fiat Bolus: vel

Bolus.

℞. *Opii ad modum ſcammonii præpar.* gr. iij. Fiat Pil. num. I. pro doſi: vel

Pilula.

℞. *Maſſ. pilul. de cynogloſ. Ben. Favent.* ℈ß. F. Pil. n. v. pro doſi, quæ dentur horâ ſomni. Extrinſecum eſſe poterit *cremor lactis*, calidè applicatus; vel *cataplaſma* ex *pulv. nidi hirundinum*, cum *lacte* factum; vel ℞. *Mica panis ſecalini*, in *poſcâ*, vel *lacte recens mulcto* macerati, quantum ſatis: Fiat Catapl. quod calidè applicetur: vel

Epithemate.

℞. *Opii Thebaici* ʒß.
lactis recens mulcti ℥ß.
ol. aneth. ℥ß. *ceræ* parum. M.F. Linim. vel *empl. Minſichti ad arthritidem*, ex *minio*, *ſem. hyoſcyami*, *oleo*, & *cera*, applicari

Cataplaſma. Liniment.

plicari poterit. Leniens repercutiens tale poterit eſſe:

℞. *Roſ. rub.* ℥ij. Decoq. in *vini rub.* ℔iij, adde *ſalis* pug. 1. Intingantur linteola, & ſupra dolorem calida applicentur: eſt medicamentum Generalis de Hundelſtein, ipſi à Principe Gallico quodam communicatum; quod multis auxilio fuit. *Defenſivum* quoque paulò ſupra locum affectum applicandum eſt: v. g.

Defenſivum.

pulv. myrtill. contuſ. gland. quercûs, boli Armen. &c. *aceto & albumine ovi* exceptus vel *Cataplaſma* ex fructibus acerbis, ut *cotoneis, prunis ſylveſtribus, ſorbis, pyris*, &c. Ne autem ſtupefacientia frigida noceant nervis, *aqua arthritica*, & *de ſpermate ranarum*, tepidè linteolis applicari poterunt; item *unguentum nervinum, anodynum, emplaſtrum de ſpermate ranarum, balſamum Saturni, catelli vivi*; deinde moderatè reſolventia; ut:

Cataplaſma.

℞. *Vitriol. albi* & *viridis*, ana ℥j.
camphor. ʒij.
aquæ vitæ,
vini albi, ana ℔ij.

Miſceantur, &, intinctis linteolis, foveantur partes affectæ: vel etiam applicari poteſt *empl. diapalm.* cum *camphora, balſamum ſulphureum, vinacea*, &c. remittente tamē dolore ex uſu eſſe poterunt. *Extra paroxyſmum* expurgari poterit corpus, binis diebus ante novilunium, his, vel ſimilibus *Pilulis*:

Extra Paroxyſmum.

℞. *Extr. cochiar.*
turbith.
hermodactylor.
colocynthidos,
helleb. nigri Styr. prap.
ligni aloës, ana ℈j.
pulv. Syrii ʒß.
olei aniſi,
fœniculi, caſtor. ana. gr. vj.

Purgatio. Pilulæ.

Malaxentur cum ſ. q. *aq. arthrit.* Fiat Maſſa; de qua robuſtis exhiberi poterit ℈j. Vel etiam exhiberi poterit *electuarium caryocoſtinum* Bayri, cujus ʒiiiß. poterunt diſſolvi in ℥iiij. *infuſi purgantis*, cum ʒij. *hermodact.* facti. *Vomitus* etiam commodè irritatur, Lunâ exiſtente in Tauro, vel Capricorno, vel, à cœna largiori, per digiti intruſionem, vel per medicamenta; qualia ſunt *decoct. rad. geniſtæ*, & *aſari*, cum *ſyrup. Emetico Angeli Salæ*: v. g.

Vomitus.

℞. *Rad. aſari*, [illegible]
flor. geniſtæ, ana ʒiij. Fiat decoctio ad ℥iiij. In colatura diſſolve
ſyrupi Emetici ℥ß. M. F. Potio: vel etiam *Gillæ Theophraſti* ℈j. ſufficientem vomitum poteſt excitare. Per ejuſmodi Vomitoria, ſi Patiens lati ſit pectoris, viſcerum robuſtorum, capitis firmi, materia arthritidis antecedens è ſtomacho evellitur; præcipuè ſi ſingulis menſibus celebretur. Phlebotomia, in præſervatione ab arthritide, cauſam tollit antecedentem: dum enim ſangvis copiâ peccat, regi à naturâ non poteſt, adeoque vel magis refrigeratur, vel, ob copiam, vaſa diſtendit, vel, dum magis incaluit, plus exhalat in partes ſubcutaneas, vel in ſpatia articulorum vacua; qui, cum tempore fermentatus, vel ex putricis objectum factus, in ſpatiorum parietes impingit; hinc continui facit ſolutionem & dolorem. Poterit quoque diminui ſanguis, ſi per *menſtruorum retentionem* abundet: ea nempe provocanda hoc, vel ſimili *Nodulo*:

Potiones Emeticæ.

Phlebotomia.

℞. *Rad. aſari,*
agarici albi, ana ʒiij.
rhabarb. el. ʒiß.
herb. ſabin. Mß.
croci ℈j.
macis ℈ß.

Nodulus menſes provocans.

Infundantur per noct. in *vini* ℔ij. Doſis ℥vj. quæ tamē *ſaccharo* dulcorari poſſunt; Ægra calidè ſeſe in lecto contineat, & infallibiliter, ſi extra capacitatem non ſit, fluxum recipiet; vel, ſi à vino abhorreat, idem Nodulus in *juſculo* infundi poterit. Verùm ſi redundantia ſangvinis ſit ob *intermiſſionē* fluxus *hæmorrhoidum* ordinarii, applicentur *hirudines*: & ſi, poſt paroxyſmum, tumor durus remanſerit, primò emolliendus, ſecūndò diſcutiendus; abſtinendū autem ab iis, quæ vehementer calefaciunt & ſiccant.

Hirudines.

℞. *Rad. althææ* optimè contritar. vel ad putrilaginē, in *aquâ malvæ* coctar. & per cribrū traject. *adipis anſer. gallin.* ana ℥iij. M. F. Catapl. Vel, ad eundem ſcopum, *Empl. diachylon ſimpl.* vel etiam *cum Gummis*, applicari poteſt. Galenus commendat *decoctum* ex *caſeo veteri*, & *perna ſuilla*: quo facto, ad diaphoretica, & diſcutientia redeundum. Tandem, ad *partium corroborationem*, profunt frictiones ex *oleo*, in quo *ſal* diſſolutum ſit; hiſce enim tumor diſcuti-

Cataplaſma.

Corroborantia articulorum.

tur, & pars affecta nimis laxa coarctatur, partiſque calor unitur & concentratur: poſſunt, loco *ſalis*, ſi pars nimiſum ſicca ſit, coqui in *oleo myrtin. fol. roriſmarini, ſalviæ, lauri, betonicæ, roſæ, balauſtia*, &c. *Balnea* etiam naturalia, & artificialia ex uſu ſunt: poſſunt etiam eadem ſimplicia in balneis incoqui, in iiſque tepidis, jejuno ſtomacho, ſedere arthriticus: idque tribus vel quatuor diebus continuis; particulariter autem lavari poterunt membra *aquâ chalybeatâ*, & *vino ſtyptico*, adjectis *alumine, ſulphure*, & *nitro*.

Balnea.

Lotiones.

Diæta denique conveniens, ſecundum res non naturales, tum *in paroxyſmo*, tum *extra paroxyſmum*, inſtituenda eſt. *In paroxyſmo Abſtinentia* tutiſſimum eſt remedium: qui enim ex copiâ laborant, inanitione curantur. Galen. *de introduct. c. 13. Plerique autem arthritici plus appetunt, quàm digerunt, ob ventriculi frigiditatem.* Cibus verò præſcribendus tenuior, in ipſis exacerbationibus: & ii, quibus hepar eſt calidius, cibo egent frequentiori, non tamen largiori. Cibi itaq; erunt evchymi, facilis digeſtionis, & pauci excrementi; uti ſunt *gallina, columba, aves montanæ*: abſtineatur à *piſcibus, caſeo, leguminibus fructibus*; *vinum* in paroxyſmo prohibeatur; potus ſit *decoctum aniſi, fœniculi, cinamomi*, vel *aq.* ex *granis juniperi, berberibus, fructibus cynosbati, paſſulis*, & *tartaro*, facta: vel *decoctum ſaſſafras, rad. acetoſæ pratenſis*, & *paſſularum*, vel *liquirit.* vel, ut vult D. Hartmannus, *vinum meliſſ.* cum *rad. caryophyllatæ* infuſum, aut *vinum Paracelſi antipodagricum*: cum *ſale menſali* miſceantur *oſſa humana præparata*. *Extra paroxyſmum* fugiatur omnis crapula, & ſi vinum, ob conſvetudinem, viriúmq; debilitatem, concedendum, ſit illud tenue, & moderatè dilutum: ſomnus ſit moderatus, non meridian., exercitium tempeſtivum, decubitus ſupinus fugiendus, quies ab initio paroxyſmi imperanda, ſub finem verò motus, ad humorum diſcuſſionem; evacuationes fovendæ, ſupreſſæ revocandæ: verbo: diæta optima unica eſt arthritidis curandæ via: nec quid aliud eſſe videtur celebris illa *Lactis cura*, quàm bona diæta, præparato tamē corpore, & à prudēti Medico ordinata; uti ex ſequentibus patebit. Accipiatur *Lac vaccæ* juvenis valentis, boni temperamenti, & pulchræ formæ; in paſcuis, ſuo tempore, vel in ſtabulo, quantum poſſibile eſt, nutriatur herbis viridibus, vel, in earum defectu, fœno optimo, hordeo, ſiligine, furfuribus, cum aquâ alterata; varientur alimenta ſecundum affectûs & neceſſitates Patientis. Si nimiùm butyroſum ſit lac, refrigeretur animal; ſi nimis ſeroſum, ſiccis paſcatur, ut fœno, ſtramine &c. &, ſi hi defectûs non poſſint corrigi, mutetur vacca: atque ita accommodari poteſt omni tempori, ætati, temperamento. Patiens non abhorreat naturâ lac, nec foveat obſtructiones in hypochondriis, inflammationes, vel defectûs internos, humores peccantes plurimos, dolores graves podagræ: quibus omnibus debet vacare, quando incipit lac bibere; adeóque ita præparari debet: per 15 dies evacuari leviter, & ſangvinem mittere: dein periculum faciat, utrum ſtomachus ferat lac, bibendo 15. vel 20. uncias manè, jejuno ſtomacho, calidè, ex ubere, quatuor vel quinque horis ante prandium: ſi ſentiat pondus in ſtomacho, eò, quòd coaguletur, vel mutetur in malum humorem; ſignum eſt, hominem non ſatis eſſe purgatum: itaque magis expurgetur: dein iterum pergat tam diu, donec impunè ſumat: hinc continuet quatuor vel quinque diebus, ſitque contentus prandio moderato, in qualitate, quantitate, & facilis digeſtionis, v. g. ovis, pullis, carne vitulinâ, in parva quantitate: id eſt, quarta pars ordinarii prandii ſumatur; niſi tamen robur ſtomachi pauló plus requirat. Vinum ſit bene aquatum: item eodem modo fiat veſperi; parciùs tamen, quàm manè. Transactis 5. diebus, aliis 5 diebus pro cœnâ ſumat etiam 20 uncias lactis, omni die augendo doſin, usq; ad eam doſin, quam ſtomachus tolerare poterit, nō obſtante debilitate. Interim ſemper attendendū eſt, utrum poſſit durare Patiens; & tunc liberè abſtineat à vino, & aliis cibis, etiā in prandio (præterquam pane) accipiendo, pro totali alimento, lac calidum, vel frigidum, in quantitate tolerabili ſtomacho, & guſtui: &, ſi lac Patienti non ſufficeret, poſſet accipere vitellum ovi, vel panem coctum in lacte:

Victus ratio, in Paroxyſmo Abſtinentia.

Cura per lac.

Primis

Digitized by Google

Primis tamen duobus vel tribus menſibus ſemper melius eſt, uti puro lacte: his elapſis, poteſt cum lacte edi panis, ova, butyrum recens cum ſaccharo, oryza; ex qua varii cibi poſſunt concinnari: v.g. panis Martius &c. Qui ſtomachum habet debilem, ſit contentus puro lacte: id poteſt continuari per aliquot menſes: etiam per annum. Si interim accidat calor febrilis, vel aliquid aliud, purgari poteſt, vel ſanguinem mittere Patiens, etiam in anno, ſecundum conſuetudinem: ſi requiratur ob defectûs alios, poſſunt aliæ etiam medicinæ, tum internæ, tum externæ, ordinari. Factâ totali curâ, redeat Æger ad communem diætam; ſed in anno ſolum lac duobus menſibus bibat, vel etiam toto alio tempore, omni manè, bibat unum ſcyphum; abſtineatq; ab omnibus cibis glutinoſis, & fructibus, ſobrieq; vivat. Hic lactis uſus debet eſſe continuus, non interruptus, usque ad finem mali; niſi cogatur à gravibus podagræ doloribus, vel à febre; quâ finita, redeat ad curam per lac: ob accidentia, à lacte cauſata, non deſiſtat, niſi vomitus & dolor capitis eveniant: tunc uno die abſtineat, & aliis juſculis, vel ovis, vel carne viculinâ, moderatè utatur, locoq; lactis bibat aq hordei. Ad vitanda accidentia, miſceatur ſaccharum cum lacte; ſi coaguletur lac, vel aceſcat in ſtomacho, quod patet ex inappetentiâ & dolore; tunc lac bibatur cum ſaccharo: ſi os relinquat malum & amarum, miſceatur cum una parte aq. communis; ſi cauſet dolorem in ſtomacho, vel in capite, temperetur lac cum quarta parte aq. hordei; ſi eſſet nauſea, vel vomitus, corpore pigro; accipiantur 15. vel 18. gr. rhabarb. pulv. vel 10. gr. extr. ejus, cum aq; cichorei, antequam accipiat lac mane: idem etiam veſperi, ante ſumptionem lactis, fieri poteſt, quandiu erit neceſſe. Si poſtea corpus eſſet nimis lubricum, cum deperditione virium, lac coquatur leviter, & pauco ſale condiatur; quod etiam facit ad flatûs diſcutiendos: ſi interdiu adveniat ſitis, qui habet fortem ſtomachum, bibat aquam quamlibet, ſed non acetoſam: ſi ſtomachus eſt debilis, bibat purum lac, vel mixtum cum aqua hordei.

Objectio. I. Objic. 1. Hæc cura videtur Antiquis fuiſſe incognita: ergo non eſt adhibenda. Reſp. Neg. Imo eſt Hipp. *l. de internis affect.* ubi lactis uſum ad viginti dies, & ultra, extendit; alio loco ad 45. continuat: & aliorum plurimorum, quos brevitatis cauſa tacitè prætereo.

Objic. 2. Plurimi aſſerunt, in principio morbi articularis eſſe repercutiendum: quod hîc non practicatur. ℞. cum Avicen. *cap. de Cur.* repercuſſiva, & fortiter ſtyptica, eſſe in hoc caſu multum ſuſpecta, quia materiam profundè infigunt; unde difficilis ejus reſolutio: hinc tam multi membrorum impotentiam incurrunt. 2.

Obj. 3. Inflammationes, quæ à principio non reſolvuntur, debent ſuppurari: ſed in hac cura nulla fit mentio ſuppurantium: ergo malè. ℞. cum *Rhaze, in diviſ.* hoc eſſe morbis articularibus proprium, quòd per ſaniem non terminentur. 3.

Quær. 1. Utrum ſanguinis miſſio ex pede, à principio ſtatim facta, curet arthrit. Reſp. cum Avic. *loc. cit.* fieri non debere ſanguinis miſſionem in pede, niſi priùs facta fuerit in brachio: quòd autem multi, applicatis ventoſis, & celebratis ſcarificationibus, in primo paroxyſmo ſeſe liberatos fuiſſe exiſtimant, falluntur: nam vel vera podagra non fuit; vel redeunt paroxyſmi fortiores. *Quæſtiones:* I.

Quær. 2. Cur podagrici maximè in hyeme, & circa æquinoctia, torquentur. ℞. ad primum: quòd omne frigus ſit inimicum nervis, & maximè hyemale: podagra autem eſt affectus nervorum, qui aliàs debilitate faciliùs, quàm reliquæ partes, afficiuntur: ad ſecundum: in æquinoctio, cùm Sol libram ingreditur, plerunque magnæ fiunt mutationes, corporibus maximè debilibus noxiæ: hinc bene monet Hartmannus, tum temporis, vel paulò antè, expurganda eſſe corpora *extr. rad. aſari, eſſentiâ helleb. nigri, elect. caryoſtino Bauderonii*, vel *pilulis noſtris antipoparicis, antè* traditis. II.

Quær. 3. Cùm Podagrici complures moriantur ex eo, quòd natura materiam podagricam ad partes externas expellere non poſſit, quemadmodum Excellentiſſimus Princeps de Gonzaga, & plurimi alii, è medio ſublati ſunt; quonam remedio maximè utendum ſit? ℞. Si Æger maximas circa pectus III.

 oppreſ-

oppreſſiones habeat, ſi cordis palpitationes, vel puncturas, cum calore ſentiat; ſignum eſt, materiam podagricam expelli non poſſe: adeoque, præmiſſo Clyſtere, phlebotomia celebretur; deinde propinentur *ſpecierum diamargariti frig.* ℈ij. vel ʒj. in *decocto*, vel *tinct. polypodii*, vel in *aq. beton. ſtillatitiâ*. Hunc pulverem mira facere, multoties, non tantùm in propriâ uxore, ſed etiam in aliis plurimis, ſæpiſſime expertus ſum. Loco ejus propinari poteſt *magiſterium perlarum Riverii*, vel *magiſt. oſſium humanorum*:

Vel.

℞. *Salis verbaſci*,
verbenæ,
ebuli,
beton.
cornu hircini, ana ℈ß. M. F. Pulv.

pro una doſi, cum eodem vehiculo: aliqui exhibent *tinct. croci*, vel *Theriaces*, vel *ſpiritum Theriacalem*, vel *tinct. Solis*, *Aurum fulminans*, & *antimonium diaphoreticum*.

17. Quær. 4. Quid faciendum, ſi, ob ingentes dolores & vigilias, gravioris mali periculum immineat? Reſp. Occurrit Nobis quidam, apud Viennenſes, Secretarius, cui collum jam obſidebat arthritis decem integris diebus, ita, ut non, niſi per feſtucam, modicum juſculi attrahere poſſet: in tanta rerum anguſtiâ, ſummiſque doloribus, quatuor grana laudani Cæſarei, in juſculo bene diſſoluta, propinavimus, &, recuperatis per ſomnum viribus, altero die podagram in pede ſolùm habuit. Ex his apparet, aliquando licere anodinis uti, ſed non, niſi in ſumma neceſſitate; nervis enim ſunt inimica.

CAPUT LXV.

De Lumbricis.

Vermes in variis corporis noſtri partibus generantur.

QUamvis in pleriſque corporis noſtri partibus, teſte Sennerto, *Vermes* generentur, &, ſecundum Duretum, *in Hollerium*, *in capite*; ſecundum Alzaharavium, *in dentibus*; Fernelium, *in auribus*; Avenzoar, *in aſpera arteria*; Aloyſium Mundellam, & Benivenium, *in pulmonibus*; *Mercurialem*, *in renibus*; *Dodonæum*, *in veſica*; *Gabuccinum*, *in hepate*; Aetium, *in viſceribus*; Rondeletium & Braſſavolam, *in ventriculo* (poſtremum tamen negantibus Gabbuccino & Hippolito Grillo) ſecundum Nicolum, *in umbilico* inventi ſint: hîc tamen de his præcipuè, qui in inteſtinis generantur, acturi ſumus.

Differentia Vermium.

Horumq; 3 præcipuè ſunt differentiæ. Alii enim ſunt *oblongi* & *teretes*, qui in gracilibus inteſtinis ferè generantur, alvique fluorem, tormina, & inflammationem movent, nauſeam, cardiogmum, ſingultum, inappetentiam, tuſſim ſiccam, quandoque lipothymiam etiam cauſant, dum nempe ad ſtomachum allidunt, illumque evertunt & vellicant: quandoq; etiam, ob putredinem, calorem febrilem, cum rigore, ſopore, & dentium ſtridore, invehunt; teſte Hipp. *4. de morbis*. Alii ſunt *lati* & *breves*, cucurbitæ ſemen referentes; qui ſæpius mirâ ſerie in coli cellulis hærent, &, raptâ eſcâ, famem caninam & atrophiam; corruptis verò humoribus, diarrhœam acceſſunt. Alii ſunt quales *in caſeo* conſpiciuntur, & tales jumenta, cum malè cibum concoquunt, excernere videntur. *Breviores* & *minuti* alii, pruritum excitantes, qui *Aſcarides* nominantur.

Cauſa.

Ex tribus hiſce vermium communioribus ſpeciebus, *Teretes*, & *Aſcarides*, ſæpius in *pueris* & *puberibus* generantur, à dulcis pituitæ copia, & plurimo calore, materiam putridam animante, ob eſum lactis, fructuum, ciborum pinguium, piſcium inſulſorum, cruditates multas, per otium ſomnumque collectas, &c.

Prognoſis.

Lati teretibus ſunt deteriores; teſte Celſo, *lib. 4. cap. 17.* majores minoribus; multi paucis; albis rubri; mortuiſque viventes ſunt pejores. Quando Avic. ait: mortuos vermes excerni, pejus eſſe, quàm vivos, eò, quod indices ſint cachexiæ; intelligendus eſt, quando vermes in ſtatu morbi excernuntur: nam in declinatione virium robur ſignificant: in principio autem morbi vermes excreti magnam ſignificant adeſſe putredinem. Si vermes diu hæreant in corpore, inteſtina corrodunt, dyſenteriam cauſant,

atro-

atrophiam, convulſiones, & quandoque mortem invehunt.

Cura.

Cùm itaque vermes ſint corpora toto genere p. n. quantociùs è corpore noſtro ſunt eliminandi, priùs tamen necandi; vivi enim difficiliùs, eò, quòd inteſtinis adhæreant, quàm mortui, expelluntur: &, licet amaris, acribus, &c. commodiſſimè necentur; hæc tamen per clyſteres minimè injici debent, ne ad ſuperiora pellantur, & graviſſima ſubſequantur ſymptomata: talia itaque per ſuperiora potiùs exhiberi, vel extrinſecè applicari debent. Adulti purgentur *Pilulis ex aloë*, vel *ſyrupo flor. Perſicorum*: deinde exhibeantur illa, quæ *vi ſpecificâ vermes enecant*;

Appropriata.

inter quæ jure primum obtinet locum *Mercurius*; qui, in partibus ſeptentrionalibus, vivus in *aq. fontana* infunditur,

Aqua Mercurialis.

hæcque, inſtar *Aqua benedicta*, in domibus uſui ſervatur, puerisque bibenda exhibetur. Nos, hujus loco, exhibemus ℈j. *Mercur. dul.* qui non tantùm vermes enecat, ſed etiam educit. Alii diu propinant *pul. C. C.* tanquam ſpecificum ad vermes; ſed videtur id potiùs efficere C. C. putredinem corrigendo. Circumforanei *Morſellos* & *Pul.* ex *calcinatis lumbricis* conficiunt; nec malè: nam vermes potenter enecant; ſed ſeminarium poſt ſe relinquere perhibentur. Nos *ſemen*, & *herbam*, *corallinam pulveriz.* optimo cum ſucceſſu porrigimus; vel, ejus loco, propinamus *ſem. ſantonici*; & *rad. primulæ veris*, in *aqua abſinthii*: unde Circumforaneorum Germanorum Pulvis conficitur.

Pulvis circumforaneor.

Nos item *ſolâ cretâ Colonienſi*, quæ inſipida eſt, vermes plurimos dejecimus, propinando ſimul *decoct. rad. graminis*, vel *ſyrupum de cichorio*, in *aqua portul.* diſſolutum, vel *lac*, in quo *allium* bullierit. Si provectioris ætatis fuerint, detur *infuſum rhabarb.* in *aq. cichor.* factum; vel *pilulæ ex hierâ picra*, vel *extractum diacarthami*, item *extractum turbith*, *eſſentia* vel *ſyrup. flor. Perſic. oleum ſulphuris per campanam factum*: item *ſal. ſulph.* ad gr. iv. vel v. cum *aq. portulacæ*, item *aqua acidula*, quæ in confectione *flor. antimonii* exigua progreditur, ad ʒij. vel iij in *decoct. rad. graminis* ſemel vel bis dari poteſt. Extrinſecè applicamus:

Epithema.

℞. *Comar. abſinthii*,
tanaceti,
centau. min. ana mj.

Inciſis minutim adde *myrrhæ electæ pulveriz.* ʒij. Contunde in mortario, madefaciendo parum *ſucco abſinthii*: ligetur ſupra umbilicum:

Vel

Linimentum.

℞. *Ol. abſinth.*
anagall.
cydon. ana ʒiij. In his diſſolv.
myrrhæ ʒß.
pulv. C. C. ℈j. *ceræ* q. ſ. M. F. Linim. ibidem applicandum.

Clyſteres.

Clyſteres injici poſſunt ex dulcibus, quorum ductum facilè ſequuntur vermes, & educuntur; præcipuè ſi per ſuperiora amara prius exhibita fuerint.

Signa vermium præſentium in pueris.

Signa, pueros vermibus infeſtari, plerumque ſunt, quando nares perſæpe fricant (quamvis & fallat quandoque hoc ſignum) Sennertus, *Pract. lib. 3. fol. 984.* in morbis puerorum incognitis, *fundulum piſcem* umbilico per noctem apponit; qui, ſi corrodatur, ſignum ſit latitantis in pueri umbilico vermiculi, unde occultè torquetur: ad quem enecandum, putamen nucis juglandis dimidium, pulvere vitri Veneti repletum, & infantis umbilico per noctem applicatum, ſufficere arbitramur; nec abs re foret, cum abſinthio & myrrha contuſis applicari. Nos obſervavimus, pueros verminoſos, derepentè clamantes, expergefieri ex ſomno, ob morſus vermium.

Diæta.

Diætam quod attinet, in vermium curâ Patientes, quantum fieri poteſt, à dulcibus, ſaccharatis, lacte, fructibus horariis, &c. abſtineant.

Objectio, 1.

Objicies 1. Gabuccinus, *Tract. de lumbricis*, *cap. 7.* ait: lumbricos alios eſſe nigros; alios bilioſos; cùm tamen utraque bilis, ob ſiccitatem, vermium generationi ſit inepta. *Reſp.* Licet talis ſit à prædominio utraque bilis: humiditatis tamen & caliditatis naturalis particeps eſt, & ob id à calore p. n. illius calidum & humidum naturale in putredine ſeparari poteſt, adeoque vermes generari.

2.

Objic. 2. Hipp. *lib. de morbis*, Paulus, & Aëtius, videntur aſſerere, latos lumbricos, ob miram eorum longitudinem & craſſitiem, fieri ex mutatione

internæ inteſtinorum membranæ in animalis corpus; quod turpe videtur, & fere impoſſibile. Reſp. Nos potiùs ex plurima & mucoſa pituitâ, inteſtina introrſum ambiente, & ex calore p. n. non autem ex frigiditate denſatâ, fieri exiſtimamus: ſi tamen per internam inteſtinorum membranam viſcoſitates fixas in ſuperficie ipſorum, quas comprehendit panniculus mucoſus, intelligunt Authores; à verò aberraſſe minimè videntur: nam ex æquali earum putredine poteſt vermis longus & craſſus generari.

Quæſtio. I. Quæres 1. Cur pueri lumbricis obnoxii nares fricent? Reſp. Ob vapores acres, aſcendentes ex verminali putredine.

II. Quær. 2. Cur vermes corpus jam emoriens deſerant & fugiant? Reſp. Ob horrorem, quam habet omne vivens erga cadaver.

CAPUT. LXVI.

De Diarrhœa.

QUemadmodum excrementa, quæ per alvum dejiciuntur, ſunt varia: ita quoq; varia eſt dejectionis cauſa: variæ quoque ſpecies. Nam ſi alimenta incocta, & fere immutata, dejiciuntur, vocatur *Lienteria*: ſi ſangvis, *Dyſenteria*: ſi alius quicunque humor, *Diarrhœa* nuncupatur; quæ nihil aliud eſt, quàm liquida & frequens alvi dejectio, qua bilis alterutra, vel pituita, vel melancholia, vel ſerum, vel alia quævis excrementa, vel ſingulatim, vel mixtim, excernuntur: unde, pro humore exſuperante, vel bilioſa, vel melancholica, vel pituitoſa, vel ſeroſa dicitur. Alia item diarrhœa eſt critica, & quæ motu naturæ proprio, cum euphoria; alia ſymptomatica, & quæ vi morbi oborta eſt.

Varia dejectionum species à varia cauſa. — *Diarrhœa.* — *Ejus* — *Differentia.*

Cauſa. *Cauſa* diarrhœæ ſunt, defectus diſtributionis, & confluxus humorum, ex *com. 13. & 14. lib. 2. Prognoſt.* Diſtributio chyli prohibetur vitio vel facultatis, vel viæ, vel materiæ: quæ vel ob viſcerum internorum debilitatem non attrahitur; vel prohibent obſtructiones; vel retentrix inteſtinorum, ob ſuperfluam humiditatem, vel reſolutionem facultatis, excrementa retinere nequit; vel ob materiæ acrimoniam expultrix inteſtinorum ſtimulata rejicit. Obſtructiones autem venarum lactearum, & meſenterii, fiunt ab humoribus aqueis & viſcidis, vel à compreſſione, vel ab inflammatione. Fiunt etiam obſtructiones ab intemperie frigidâ meſenterii, chylum tranſeuntem incraſſante, vel etiam ab intemperie calida jecoris, mediante corde ante tempus humores ante digeſtionem attrahente: &, cùm vitium primæ concoctionis non corrigatur in ſecunda; humores tandem craſſi à facultate jecoris ſecretivâ rejiciuntur ad ramos venæ portæ, qui, per meſenterium diſperſi, dum turgent, tenuiſſima venarum lactearum filamenta comprimunt; unde obſtructiones, quibus præſentibus chylus è ventriculo attrahi ampliùs non poteſt: retentus itaque inteſtina lubricat & dilatat, corruptúsq; ad excretioem ſtimulat; hinc diarrhœa. Hujus quoque cauſa eſt humorum confluxus, ab aliquâ, vel aliquibus partibus mandantibus ad inteſtina derivatus, v. g. à capite, ventriculo, meſenterio, hepate, utero &c. vel robore proprio, vel ob ſtimulum humores per alvum eliminante. Fit quoque diarrhœa vitio partis recipientis, utpote inteſtinorum, vel ob dolorem, vel ob intemperiem humidam, id eſt, laxitatem: ex quibus communibus cauſis dejectiones in conſiſtentia, colore, & copiâ mutantur, nec ſolito tempore excernuntur.

Signa. *Signa* diarrhœæ per ſe patent: nempe frequens & liquida alvi dejectio, pervigilium, dolor, aliquando febris, virium dejectio, ſitis &c. à qua autem parte proveniat, maximè ex ejusdem debilitate conjecturandum eſt: v. g. ſi à ventriculo fit, læſa concoctio evidens eſt: ſi ab hepate, dejectiones ſunt bilioſæ: ſi à liene, nigræ: ſi ab utero, adeſt menſtruorum ſuppreſſio: ſi à capite, præceſſit capitis gravitas, ſomnolentia, dolor, &c.

Prognoſis. *Prognoſtica* ſigna deſumuntur ex *1. aph. 2. In ſpontaneis vomitibus, & dejectionibus*, &c. Deinde, ſi liquida eſt dejectio, expedit, ne fiat cum ſtridore, ſeu flatu, nec crebrò, nec cumula-

tim, ne vires dejiciantur. Item, in alvi dejectionibus, excrementorum non in deteriora facta mutatio ſignificat, corpus exactiùs repurgari: *2. aph. 14.* quantò verò colores vitioſi plures fuerint, eò deteriores: *4. aph. 21.* Sic dejectiones variegatæ, pravis ſcilicet coloribus tinctæ, peſſimæ; quoniam, ſi vires fortes ſunt, morbi longitudinem, & affectuum diverſitatem: cum imbecillitate verò mortem portendunt. Eſt autem pernicioſa, in acutis, omnis aquoſa dejectio, quæ cruditatem denotat: alba, quæ bilem aliò delatam; viridis aut rufa, quæ bilis croceæ aut æruginoſæ admixtionem; & ſquamoſa vel cinericea, quæ caloris exceſſum, aut flatuum permixtionem indicat. Longè deterior eſt pingvis, colliquationis index; fœtida, putredinis; æruginoſa, aſſationis; livida, mortificationis; nigra, bilis atræ nuncia: hinc, excrementa alvi nigra, ſponte exeuntia, ſive cum, ſive ſine febri, peſſima; quia, maximam in humoribus aduſtionem eſſe, ſignificant: *4. aph. 21.* Morbis quibusvis incipientibus, ſi *bilis atra* ſupra vel infra exierit, pernicioſum: *4. aph. 22.* Mulieri alvo gerenti ſi alvus multum fluxerit, malum: quia abortûs eſt periculum: *5. aph. 34.* Item: in morbo diuturno ſinceræ evacuationes, malum: quia exuſtam & conſumptam humiditatem nativam à febrili calore, vel expreſſam à frigore, ſignificant. Cæterùm pueris frequens eſt diarrhœa, ob *ἀδδηφαγίαν*, ſeu ingluviem, bilem, & retentricis debilitatem: item ſenibus, ob cruditatem & obſtructionem: balbis etiam humidioribus, ob deſtillationes, quæ fiunt à capite in ventriculum: *6. aph. 32.* Quibus verò in juventute alvus humecta eſt, iis ſeneſcentibus exſiccatur: & contrà, mutato in contrarium temperamento. Aëris reſpectum quod attinet, frequentiùs in Auſtrinis tempeſtatibus, & imbribus aſſiduis, ob humiditatem, diarrhœa contingit: in æſtate non rarò, ob bilis copiam, & humorum acrimoniam, vel fuſionem à calore factam, oritur.

Cur. Diarrhœam *curaturus* diligentiſſimè attendat: an ſit hæc à morbo; an à natura: ut nempe illi reſiſtat; hanc promoveat, &, quouſque opus erit, adjuvet. Nam ſæpius naturæ beneficium non eſt contemnendum, ut alvus unâ aut alterâ die fluat, modò febris abſit, & non diu duret, aut vires dejiciat: ſiquidem per hanc corpus expurgatur, & illud, quod læſurum erat, utilius effunditur; teſte Celſo, *lib. 4. cap. 19.* Nec minùs naturalis eſt & utilis ille naturæ motus, qui per febres criticus eſt, die ſcilicet critico, cum virium tolerantia, quique materiam educit morbificam; adeoque ſinendus eſt, nec ullo artis machinamento retardandus; ne intempeſtivâ humoris vitioſi ſuppreſſione cephalalgia, phrenitis, lethargus, aut parotides pernicioſæ ſequantur; quinimò natura, dum ſegniter agit, moderatè potiùs juvanda eſt, ut citiùs, citra virium dejectionem, fluxus deſinat. Si verò per aliquod corporis vitium diarrhœa modum exceſſerit, cauſam abſcindentibus, & fluxum cohibentibus reſtrìnetur. Itaque ſi diarrhœæ cauſa ſit viſcerum intemperies; hæc per contraria corrigatur: ſi catarrhus, à cerebro ad inteſtina decidens, cauſa ſit, fons mali exhauriatur: ſi obſtructio adſit, tollatur, & impuritas *catharticis modicè adſtringentibus* eliminetur: ut:

℞. *Rhab. elect.* ʒij. Infund. per noctem in *aquis endiviæ & cichor.* ana ℥ij. Manè in colatura, forti expreſſione factâ, diſſolv. *ſyr. de cichor. quadruplicato rhab.* ℥j. *pulv. rhab.* ʒß. *crem. tart.* ℈j. M. F. Potio, quæ materiam peccantem evacuat, & modicam poſt ſe relinquit adſtrictionem. — *Adſtringentia.*

Quidam *Vomitoria* exhibent, ut nempe materia ad alvum fluens revellatur; ex Hipp. *6. aph. 15.* quorum Sylvam *in Præcedentibus* invenies. — *Vomitoria.*

Item *Diuretica* plurimum hîc proſunt, ſeroſam nempe materiam divertendo, & ad renes derivando: conſtat enim, quod mictus plurimus dejectiones minuat; & contrà, qui multum dejiciunt, parum mingunt. — *Diuretica.*

Sangvinis miſſio fluente alvo (niſi magis urgens adſit indicans) minimè convenit; quia vires diſſolvit: ſi tamen magna adſit febris, aut hepatis æſtus, aut plethora; parcior ſangvinis miſſio admitti poteſt. Notandum: in diarrhœâ ad *adſtringentia*, remanente ma- — *Venæſectio.*

teriâ

teriâ peccante, minimè deveniendum; ne lupus in ſtabulo occludatur: ſic enim materia retenta graviſſimos cauſat affectûs; ut dyſenteriam; dum per diuturnam moram exaſperatur, vel febrim, vel lipothymiam, elevatis ad cor putridis vaporibus. Corpore itaq; bene evacuato, ſi diarrhœa vires diſſolvens perſeveret, ſiſtenda eſt diætâ, &

Diæta. Cibus. pharmaciâ. *Cibi* itaque ſint adſtringentes & incraſſantes: utpote carnes volatiles, aſſæ, ova indurata, oryzæ, fabæ, lentes in aceto coctæ, lac coctum & chalybeatum, pyra, cydonia, & fructûs auſteri.

Potus. Potus ſit parcior, ex vino rubello & ſtyptico, aquâ chalybeatâ diluto: *vel tinct. roſarum rub.* devitentur humida & pingvia omnia: an melior ſemper eſt abſtinentia à potu & cibo, quàm ingurgitatio, ut natura, genio defraudata, humores, quos habet, firmiùs retineat: vitetur item multa deambulatio & motus: frictiones tamen revehunt à centro ad peripheriam: ſomnus item ad alvum occludendam plurimum facit, eò, quòd per illum omnes actiones animales ferientur, nec ita ſtimulus ſentiatur.

Pharmacia. Ex *pharmaciâ*, adſtringunt *diacydonium ſimplex, pulpa meſpilorum, rob cornorum, ſorborum, trochiſci de carabe, de terra ſigill. tabulæ diarrhod. Abbatis, diatrion ſantalon, corallia præparata, ſpod. C. C. terra ſigill. bol. Arm. nux moſchata, cortex citri, crocus Martis, ſem. plantag. Theriaca, terra Lemnia* &c. à calidis autem ſemper abſtinendum eſt.

Cum Febr: Si *febris* adſit:

Electuar. ℞. *Conſerv. roſ. rub.*
cydon. condit.
rob. meſpilorum,
ſorbor. ana ℥j.
trochiſc. de carabe,
terræ ſigill.
boli Arm. pulveriſ.
ſang. drac. pulveriſ. ana ʒß. Cum ſ. q. *ſyr. de roſ. ſiccis,* & de *ſucco menthæ.* F. Mixtura mollis: de qua ſæpius ad magnitudinem caſtaneæ ſumat Æger.

A fluxu chyloſo. Si *fluxus* ſit *chyloſus*, ab obſtructione venarum meſenterii:

Decoctum. ℞. *Sem. apii,*
fœnigr.
petroſel. in aceto maceratorum, ana ʒij.
fol. agrimon.
abſynthii,
menthæ,
polytrichi, ana mj.
myrobal. chebularum ʒß.
agar. rec. trochiſc. ʒj.
rhei electi ʒiß.
ſquinanthi ℈j. Coq. in ſ. q. *aq. pluvialis.* Decoct. hujus
℞. ℥iiij.
ſyr. biſantini ℥j.
M. pro doſi: repetatur binis vicibus. In hoc caſu *Acidulæ* diarrhœas curarunt Acidulæ. deſperatas. Sæpius quoque *Tinctura* ſequens propinari poteſt:

Tinctura. ℞. *Flor. roſ. rub.*
malvæ arboreæ,
papav. errat. ana ʒiij.
rad. ſymphyti majoris ℥j.
ſant. rub. inciſi ʒß.
His omnibus, *ſpiritu vitrioli* parum irroratis, ſuperaffunde
vini albi bullientis ℔vj.
aq. cinam. ℔j. Extrah. l. a. Tinctura, quæ *ſacch. roſ. tabulato* dulcorari poteſt: & de hac j. aut ij. cochl. propinari. Si diarrhœa ſit ex defluxu humorum à capite, primò ſequentes *Pilulæ* exhibeantur: Pilulæ.

℞. *Maſſæ pil. de ſuccino Cratonis,*
aloëphanginar. ana ℈ß.
extract. rhab. gr. v. Cum ſ. q. *ſyr. de abſinth.* F. Pil. num. viiij. Invol. *pulv. liquir.* Caput deinde confortetur *Cucuphis,* ex *herbis* & *ſpec. cephalicis* confectis; vel *Pulv. ex Cypro, rad. ireos, flor. anthos, majoranâ, ſalvia,* &c. confecto. Item *ſuffiatur* caput ſequenti *Suffitu*: Cucuphæ. Pulv. ſternut. Suffitus.

℞. *Thuris,*
maſtich,
ſtorac. calamit.
ladani, ana ʒj.
ſandaracæ ʒß.
flor. anthos pug. j. Incid. & leviter contund. F. Suffitus. Factis hiſce, ad alvum adſtringentia *ſuperiùs* recenſita confugiendum eſt.

A bile. Si diarrhœa ſit *bilioſa*:

℞. *Succi endiv.*
acetoſæ, ana ℥ij.
cydon. ℥vj.
plantag. ℥v.
Cum ſ. q. *ſacch. albi* coq. ad conſiſt. Syrup. de quo ſæpius cochlearia duo, vel

tria,

in virium lapſu. tria propinentur. *Confectio alkermes* in debilitate virium plurimum facit.

Externa. Nota: externa adſtringentia, bene evacuatâ prius materiâ, eſſe adhibenda: ut:

Linimenta. ℞. *Ol. cydon.*
maſtich.
myrtini, ana ℥ij.
boli Arm.
acatiæ,
lap. hæmatit.
mumiæ, ana ʒſs. M. ad ignem, & cum ſ. q. *ceræ albæ* F. Linim. molle, quo tota abdominis regio inungatur. Ad

Fotus. id quoque facit *ung. Comitiſſæ*; item *Fotus* ex *aquâ fabrorum*, cum *aceto*, ſpon-

Sacculi. giis calidè factus: vel conficiantur *Sacculi* ex *herbis adſtringentibus*, &, poſtquam bullierint in *vino ſtyptico*, applicentur ventriculo & inteſtinis. Si flu-

Narcotica. xus vires plurimùm dejiciat, ad *Narcotica* deveniendum eſt: ut:

℞. *Laudani opiati*, vel potiùs *Cæſar.* gr. iiij. F. pil. num. ij. pro una doſi. Idem efficit ʒj. *Philonii Romani*, vel *requiei Nicolai*, *Theriacæ recentis*, & ſimilia. Hæc etiam poſſunt in hypercatharſi exhiberi: nam hiſce plerumque cedit al-

à defectu urinæ. vi fluxus. Si diarrhœa fiat *à defectu*

Diuretica. *urinarum*, propinentur *Diuretica*: ut eſt *ſemin. urticæ* ʒj. *decoctum granorum junip. rad. graminis, ſpir. ſalis, ſal ſtipitum fabar. magiſt. oculor. cancri, cryſtalli mont. borrax Veneta* &c. Hîc minimè negligenda ſunt medicamenta partibus, à quibus maximè oritur fluxus, appropriata.

Objectiones. Objicies 1. Hip. *4. aph. 12.* ait: Quo-

1. rum alvi inteſtinorum levitate laborant, hyberno tempore ſuprà purgare, malum: cùm tamen alibi dicat, alvi profluvium vomitu curari, nullâ penitus exceptione. Avic. *fen. 13. tract. 5. cap. 3.* omni ſeptimanâ præſcribit vomitum. Reſp. Licet per vomitum fiat revulſio humoris tendentis ad inteſtina; nihilominus, ſi fiat in hyeme, debet eſſe ob ſummam naturæ irritationem, & materiæ copiam; adeoque à magno receſſu à ſtatu naturali: itaque malum. Avicennas autem intelligendus eſt, ubi materia eſt in ſtomacho, & æſtivo tempore.

2. Objic. 2. Hipp. *ſect. 6. aph. 1.* ait: in *diuturnis levitatibus inteſtinorum, ſi ructus acidus fiat, qui priùs non erat, bonum*: cùm tamen, teſte Gal. *comm. in eundem aphoriſmum*, acidi ructûs ſignificent pituitam ventriculum refrigerantem, quæ majorem demonſtrat cruditatem: ergo malum. Reſp. Licet verum ſit, acidos ructûs ſignificare refrigerium ſtomachi; nihilominus non, quatenus frigiditatem ſignificant, bonum ſignum præbent; ſed quatenus inchoatam digeſtionem demonſtrant: flatûs enim, & ructûs, ſigna ſunt naturæ agentis, & inchoatæ concoctionis.

Objic. 3. Hipp. ait, quòd omnis 3.
fluxus ventris, poſt ægritudinem ſubitò, ſit malus, ſignificans mortem propinquam: ergo nulla dabitur bona criſis per alvum. Reſp. Hipp. non intelligere omnis generis morbos, ſed tantùm phthiſin & hecticam; in quibus veriſſimum eſt: deinde poſſet intelligi Hippocrates de fluxu lienterico, qui poſt quemvis morbum peſſimus eſt: fit enim ex debilitate facultatis retentricis; unde Æger perducitur ad tympanitem.

Quæres: Cur ſingultus ſit malus alvi *Quæſtio.*
fluxum habentibus? Reſp. Quia per hunc ſignificatur alvi ſiccitas, quæ perducit ad areſactionem, ſeu tabem.

Objic. 4. Humores non ſunt tra- 4.
hendi ad partem affectam; ergo in diarrhœa purgandum non eſt: imò per purgationes ſæpius conciliatur diarrhœa. Reſp. 1. nos non præſcribere medicamenta à longè trahentia: deinde cum Avic. *fen. 16. tract. 2. cap. 2.* ſolventibus commiſcemus ſtyptica.

Caput LXVII.

De Dyſenteria, Teneſmo, & Fluxu Hepatico.

DIximus, *in ſuperiori capite*, quòd, ſi ſangvis per alvum excernatur, *Dyſenteria* nominetur: quæ du- *Dyſenteria. Ejus*
plex eſt: notha, ſeu illegitima; & ve- *Diviſio.*
ra, ſeu legitima. *Notha* eſt triplex: *Notha:*
prima αἱματηρὰ, id eſt, cruenta, muti- *triplex.*
lis, plethoricis, & otioſis familiaris; interdum etiam critica, in febribus ſynochis: 2. ἡπατικὴ, quâ ſangvis loturæ carnium ſimilis excernitur, propter

hepatis

hepatis debilitatem. 3. eſt dyſenteria hepatica, in qua excernitur ſangvis non aquoſus, ſed craſſus & niger, cum bile permixtus flavâ, vel atrâ; cujus acrimoniâ venæ apetiuntur: eáque melancholica dici poteſt. *Vera* autem & *legitima* dyſenteria eſt cruenta alvi dejectio, cum dolore & torminibus; vel, ſecundum Gal. *lib. 3 de ſymptom. cauſis*, eſt exulceratio inteſtinorum, cruentam & dolorificam inducens dejectionem.

Legitima Definitio.

Pars affecta. *Partes affectæ* ſunt vel tenuia, vel craſſa inteſtina, quæ ex doloris ſitu, excretis, & permixtionis ratione dijudicantur. Si malum ſit à gracilibus inteſtinis, dejectiones ſunt magis chyloſæ, &, niſi multò poſt excitatum dolorem ſubſequuntur, ramenta prodeunt tenuiora, & ſangvis excrementis eſt magis permixtus: ſi verò craſſa inteſtina patiantur, adeps cum ramentis craſſioribus deraditur, dejectio proximè, & ſtatim poſt dolorem ſequitur, adeſtque frequens egerendi neceſſitas; teſte Gal. *libr. 2. de locis. aff. cap. 2.*

Quot modis ſangvis excernatur. Sangvis autem vel *excernitur* per διαπήδησιν, ſeu rarefactionem; vel ἀναστόμωσιν, id eſt, venarum dilatationem; vel per διαίρεσιν, ſeu ruptionem; vel per διάβρωσιν, ſeu corroſionem: peccátque vel quantitate, vel qualitate: ſi quantitate tantùm peccat, excernitur ſine moleſtia; contrà, ſi qualitate.

Differentia. *Differt* autem dyſenteria à fluxu hæmorrhoidali eo, quòd in hoc adſit venarum ſedalium tenſio & inflatio: quam non habet dyſenteria.

Cauſa interna. *Cauſa* dyſenteriæ ſunt omnia illa, quæ humores acres & corroſivos generant, & quæ in iis malignam, aut quaſi eſulatam, vel colocynthiatam generant qualitatem; ſiquidem dyſenteria eſt contagioſa. Acres autem humores ſunt bilis atra, flava, porracea, æruginoſa; vel etiam pituita ſalſa, tum à capite ad inteſtina delata, tum ab aliqua alia parte communicata, tum in iis per aduſtionem generata; quæ, ob lentorem, inteſtinis adhærens, ea tandem exulcerat, &, accedente occultâ quadam & contagioſâ qualitate, dyſenteriam generat. Neque bilis tam citò, etiam cum lentore permixta, dyſenteriam generaret, niſi adeſſet occulta illa qualitas, inteſtinis peculiariter adverſa.

Quòd autem tam multa mucoſa in dyſenteria excernuntur, inde provenit, quòd inteſtina proprium alimentum ob intemperiem digerere non poſſunt, ſed tantùm in ejusmodi materiam transmutant; ut ex pulmonibus, oculis, aliisque partibus malè affectis conſtat, quæ inuſitata & plurima rejiciunt excrementa.

Cauſæ *externæ* ſunt cibi acres, facilè putreſcentes, vel putridi, fructûs immaturi, humidi: ut ſunt pruna, nuces, &c. aquæ impuræ, crudæ, vel minerales, aeris anomalia, & peſtifera qualitas; unde epidemica graſſatur dyſenteria, contagium ab affectorum excretis communicatum, medicamenta acria & venenata: ſi hyems frigida ſit & ſicca exceſſivè, ver pluvioſum & auſtrinum; æſtate dyſenteriæ contingunt: *3. aph. 11.* Item ſi hyems admodum auſtrina fuerit, & pluvioſa, ver autem ſiccum & aquilonium; dyſenteriæ generandæ aptiſſimum eſt: *3. Aph. 12.* *Externæ.*

Cognoſcitur dyſenteria ex frequenti rejectione materiæ bilioſæ, variæ, mucoſæ, pingvis, ramentoſæ, cruentæ, purulentæ, ex dolore rejectionem præcedente, vigiliis, febriculis, anxietatibus, jactationibus, ſiti, vomitu, dyſuriâ, ventris tenſione, rugitu & torminibus: ex præcedenti *Signa.*

Teneſmo: qui nihil aliud eſt, quàm *frequens & inanis deſidendi conatus, quo nihil fere, præter mucoſum quiddam & ſubcruentum egeritur, ob tenſum, vel ſtimulatum, ab humorum acrium tranſitu, rectum inteſtinum*: teſte Paulo, *cap. 41. lib. 3.* *Teneſmus quid.* *Ejus Cauſa.*

Quanquam dyſenteriam ſæpe comitetur teneſmus: interdum tamen ſine eâ contingit; cùm acer humor recto tantùm inteſtino impactus eſt, vel ulcus, aut tumor, eam partem infeſtat: ex Aëtio, *cap. 43. lib 9.* *Signa.*

Teneſmus eſt affectus minoris conſiderationis, quàm dyſenteria; nec inter acutos, nec chronicos morbos referendus; cùm & facilè curetur, & rariſſimè per ſe juguletur; teſte Celſo, *lib. 4. cap. 18.* Gravidis tamen abortum cauſat, teſte Hipp. *7. aph. 27.* *Prognoſis.*

Dyſenteria verò gravis & periculoſus eſt affectus, ratione gravium, quæ ſecum fert, ſymptomatum; ut ſunt dolor, hæ- *Dyſenteria prognoſis.*

lor, hæmorrhagia, ulcus depaſcens. Omni ætati pernicioſa eſt dyſenteria; maximè tamē pueris, ob mollitiē facilemq; virium exſolutionem: deinde ſenibus, ob caloris nativi debilitatem, curando & reuniendo ulceri imparem & inhabilem. Mulieres quoque periculoſius laborant, quàm viri, ob pituitæ lentorem; ex Aëtio. Autumno juvenes magis invadit dyſenteria, ob relictos ab æſtate humores adustos & acres. Si ulcus tenuia occupet inteſtina, longè gravius eſt, quàm ſi craſſa; quæ magis membranoſa. Inteſtinum jejunum autem fere citra omnem curationis ſpem laborat & ulceratur, ob jecoris viciniam, vaſorum copiam, bilis in eam partem continuam effuſionem &c. Si ab atra bile dyſenteria fiat, lethalis eſt; quia partium, unde emanat, maximam arguit intemperiem, & humorum adustionem: tum etiam ratione partis affectæ; cùm nihil ab ulcerato cancro, vel parum, differat; ex Hipp. *4. aph. 24.* Æquè exitioſa eſt, quæ provenit à ſincera dejectione, ob caloris exceſſum, & ſummam humoris acrimoniam: *7. aph. 23.* Ubi enim humor, v. g. atrabilarius, ſincerus eſt, ibi maximum adeſſe incendium neceſſe eſt: & quantò magis inteſtina exulcerantur, tantò ſemper dyſenteria eſt major & gravior. Sic ulcere incipiente primò pingvia, dein ramenta, poſtea carunculæ, excernuntur: tumque mortifera eſt; *4. aph. 26.* Nam tanto ulceri, in loco tam abdito, cicatrix induci ampliùs non poteſt: vel, uti Benivenius, *cap. 95. de abditis* habet, licet dolores remittant, eroſis villis, ſeu fibris, facultatis retentricis inſtrumentis, fæces retineri nunquam ampliùs poſſunt. *In dyſenteria longâ cibi faſtidium, malum;* eò, quòd malum ulteriùs ſerpat, & ventriculus in conſenſum trahatur. Vomitus bilioſus ſub initium malus eſt: nam materiæ copiam ſignificat; unde ſequitur magna debilitas, & ſucci alibilis penuria. Hip. *Coacar. 10.* Excedentes vigiliæ, dejectiones ſinceræ, nigræ, fœtidæ, & cadaveroſæ, à reſolutione mixti ortæ, ſangvinis excretio copioſa, ſuperveniens lienteria, ſingultus, jecoris & præcordiorum dolor, item raucedo, & vocis deperditio, febris, ſitis intenſior &c. pernicioſam utplurimùm portendunt dyſenteriam. *Podagricis, & lienoſis, superveniens dyſenteria, bonum: 6. aph. 48.* Si tamen graviora non urgeant ſymptomata, & alba ſolùm excrementa rejiciantur; dirrhæa potiùs dicenda eſt. *In alvi profluviis excrementorum mutationes juvant, niſi in prava mutentur: 2. aph. 14.*

Dyſenteriæ *curam* quod attinet, ſi Æger ſit plethoricus, juvenis, boni temperamenti, vireſque ſufficiant, *vena brachii ſecanda* eſt, cum Alexandro, & Aëtio. In *diarrhœa* cautè agendum eſt: nam ſangvis eſt valde ſeroſus; qui diureticis potiùs depurgandus: præterea largam venæſectionem prohibet hepatis refrigeratio, & cachexia, quæ hunc affectum plerunque comitatur. In *dyſenteria* magis licet ſangvinem evacuare, ſi conditiones ſuperiùs allatæ concurrant. In *diarrhœa* quoque convenit venæſectio; præcipuè ſi adſit inflammatio. Sicuti mittendi ſanguinis variat ſcopus; ita etiam pharmaciæ: nam in *diarrhœa* diureticis eſt agendum, & calidioribus, ob hepatis frigiditatem: itaq;

Cura. *Venæſectio.*

℞. *Rhabarb. elect.* ʒij.
fol. ſenæ. ſ. ſt. ʒiij.
Infunde per noctem in
aquæ cichorii deſtill. ℥iv.
Manè, levi ebullitione factâ, in colat. diſſolv.
ſyr. roſ. ſolut. ℥j.
crem. tartari ℈j. M. F. Potio:
Vel, ejus loco,

Purgantia. Potio.

℞. *Decoct. hord.* ℥xij.
mellis roſ. colati ℥iv. M. F. Clyſter abſtergens. Deinde ſubſequatur magis adſtringens; ut:

Clyſter abſtergens.

℞. *Decoct. capitis vervecis*, cum ℥ß. *rad. tormentillæ*, & mj.
fl. hypericonis facti, ℥viij.
In quibus diſſolv.
mellis menthæ,
roſar. ana ℥iß. M. F. Clyſter.
Nota: ubi adſtringendum eſt, clyſteres debere eſſe in parva quantitate, & omnis acrimoniæ expertes; vel

Adſtringens.

℞. *Vini auſteri*, in quo
fol. verbaſci bull. ℥viij. In quo diſſolv.
pulv. nuc. cupreſſi,
boli Armen. ā ʒj.
F. Clyſter, qui diu retineatur. Simili proceſſu multos dyſentericos curavimus: primò ſcilicet ſingulis diebus & noctibus applicando clyſt. abſtergentem; deinde ſubjungendo adſtringentem, ad modum, quo ulcera in partibus externis curantur: non tamen intermittebantur interea alexipharmaca, & adſtringentia, per os exhibita. Hepatis frigiditati occurratur *trochiſcis de abſinthio*, *de eupatorio*, *Theriacâ*, *decocto ligni ſaſſafras*; & extrinſecè admotis fomentis calidioribus. In ἀναστομώσει, ſeu immodicâ venarum apertione, conveniunt, quæ ſangvinis caliditatem reſpiciunt, & motum: primò itaque ſumatur ʒj. *rhabarb.* in *ſero lactis*. Nam Fernelius, *in meth. medendi*, ideò purgationes inſtitui, ait, in dyſenteria, ut, quod ſenſim & languidè, per anfractus parum idoneos, elabitur, affatim, per ductûs convenientiores, derivetur ac defluat. Nocet enim intempeſtivus adſtringentium uſus: ut Gal. tradit, contra Herodotum: & Hollerius, convulſiones inde oriri, aſſerit: vel ejus loco injiciatur primò clyſter abſtergens & contemperans: ſecundò adſtringens; ut ſunt:

in Anaſtomoſi.

Abſtergens. ℞. *Fol. verbaſci*,
parietariæ, ana m.j.
roſ. rub. p.ij.
hordei integri,
furfuris, ana m.j.
Coq. in ſ. q. *aq.* ad ℔j.
In colat. diſſolv.
mellis roſ. col. ℥ij. M. F. Clyſter.
Deinde, hoc ejecto, ſubſequatur ſtatim alter adſtringens: ut eſt:

Adſtringens. ℞. *Succi plantag.*
anſerinæ, ana ℥iv.
vini auſteri ℥iß.
pulv. boli Armen. ʒj. M. F. Clyſter.
Nota: quòd, ſi adſtricta fuerit alvus, & oriantur tormina, dolor capitis, aut alia ſymptomata, ſignum eſt, materiam adhuc in inteſtinis hærere, vel regurgitare: itaque clyſteres abſtergentes repetendi ſunt, alvúsque lubricanda; dein iterum adſtringenda: idque aliquando, ad vitanda graviora mala, multoties agendum; ita, ut clyſteres ad magnum ſæpe numerum aſcendere opus ſit. In δυσεντερίᾳ medicamenta ſuccum mordacem, & dolorem, reſpicere debent: ſi bilis abundet, hæc evacuanda eſt *rhabarbaro* & *myrobalanis citrinis*, cum *ſero lactis chalybeati* exhibitis: ſi atra bilis fuerit, *myrobal. Inde*: ſi pituita, *chebula* adjungantur. Ulcus incurabile eſt, ſi cancroſum fuerit. Si materia mordax ſit ſanies, *mel roſ. ſolutivum*, item *mel violatum*, cum *ſero lactis* exhibeatur: deinde ad mundificantia, implentia, agglutinantia, & adſtringentia paulatim properetur. Si verò dolor admodum urgeat, adſtringentibus narcotica ſunt admiſcenda, ut eſt *diaſcordium Fracaſtorii*; quod non tantùm eſt narcoticum, ſed etiam malignitati dyſentericæ adverſatur: exhibetur autem ſæpius ad ʒij. vel iij. vel, loco hujus, *laudanum Cæſar.* vel *opiatum*, ad gr. iiij. ſæpius & dolorem, & dyſenteriam tollunt. Hæc tamé aliquando etiam clyſteribus admiſcentur: præcipuè *Philonium Romanum*, & *requies Nicolai*, cum *ſevo caprino*, *cervino*, vel *hircino*: ita tamen, ut inteſtina vino calido, ſed auſtero, ad corrigendam intemperiem, ab opio inteſtinis illatam, poſtea abluantur. Inſeſsûs ad dolorem leniendum fiunt in *aqua* vel *jure extremitatum vervecis* decoctarum; quibus addi poſſunt *ſolanum*, *cucurbita*, & *melonis ramenta*. Celebratis univerſalibus, abſente inflammatione, utiliter exhibuimus:

Dyſent.

Narcotica.

℞. *Aq. Theriacal.* ℥j.
nuc moſc. ℥iv.
zedoar. ℥iß.
ſyr. de ſucc. menth.
abſinth.
ſcord. ana ℥j. M. detur ſæpius unum aut alterum cochlear. Aliàs in dyſenteria fiunt *Placenta* ex *herba recenti anſerina* piſtâ, & cum *ovis* ac *ol. cydon.* confectæ manducantur: item ejusdem herbæ *ſuccus* cum *ſacch. roſ.* vel *diacydonio*, dulcoratus, ad ℥iv. propinatur: idem efficit *ſuccus plantag.* Alii exhibere ſolent ʒj. *ſemin. plantag.* alii *panatellam* conficiunt ex *vitellis ovorum duris*, & *nuce moſcata pulverizata*, cum *aq. roſ.* Doctor Stapedius

Placenta.

dius curabat dyſenteriam *placentulâ*, ad prædictum modum factâ, ex *foliis herbæ nummulariæ*, & *fl. rubr. lyſimachiæ*. Probatum item eſt remedium hoc: ℞. *Farinæ ſecalinæ* q. vis, cum ſ. q. *ſucci baccar. ſambuci maturarum* fiant Panes, qui ad duritiem biſcocti in clibano piniſantur; deinde redigantur in pulv. & iterum eodem ſucco in panes efformentur; hunc laborem ter repetendo: tandem fiat Pulv. de quo ℞. ʒiß. *pulv. nuc. moſc.* ʒj. M. & exhib. cum *ovo ſorbili*. Obſervavimus, quoſdam ſolo uſu, ſed frequentiſſimo, *nucis moſchatæ* à dyſenteria fuiſſe liberatos. Nos ſolâ *Tincturâ roſar.* loco potûs ordinarii copioſè exhibitâ, multos curavimus; item ſequentia faciunt ad curam dyſenteriæ: *tinctura ſmaragdi Hartmanni*, *eſſentia croci Martis Crollii*, *tinctura*, *magiſter. ſal*, *ſolutio*, & *ſyr. coralliorum*; item *pulv. cachecticus Quercetani*, *crocus Martis*, *tinctura nucis moſcata*, *eſſent. rad. tormentillæ*, *tinctura lapidis hæmatitæ*, *eſſent. cort. citri*, *tinctura Theriaca*, *cinamomi*, *magiſter. cancrorum*, cum *vino ſtyptico*, *myrtillorum*, *ſyr. myrtinus*; *magiſterium coral.* ad ʒj. exhibitum, mirè operatur &c. *Electuarium* ſequens exhibeatur ſingulis horis:

℞. *Conſ. roſ. veteris*,
ſymphyti,
diacydonii ſimp.
diaſcord. Fracaſtorii, ana ℥j.
cort. citri condit. ʒij.
oſſium dactylorum ʒß.
ſmaragdi Orientalis præp. ℈j.
diarrhod. Abbatis ʒj.

Cum ſ. q. *miva cidon.* F. Electuarium molle. Vel

℞. *Corall. rub. præp.*
boli Armen. præp.
ſangv. draconis,
lap. hæmatit. præp.
nucis moſc.
thuris,
maſtich.
ſem. plantag. ana ʒiß.
terræ ſigill. ʒj.
rad. ſymph. majoris condita ℥j.
rob ſorbor.
meſpil. ana ℥iß.

Cum ſ. q. *ſyr. myrtini* F. Electuar. molle: doſis ſit magnitudo caſtaneæ, ſingulis horis. Si electuarium abhorreat Æger, ex his fieri poſſunt *Pulvis*, *Pilulæ*, *Morſelli*, *Rotulæ* &c. *Externa* interim confortantia, & modicè adſtringentia, non ſunt negligenda: ut ſunt *Fomenta*, *Unguenta*, *Emplaſtra*, *Linimenta*, *Inſeſſus*, &c. *Fomenta* erunt vel *anodina*, ex anodinis; vel *adſtringentia*, ex adſtringentibus, in *aqua fabrorum*, & *vino auſtero*, addito *aceto* (quod ſolum, teſte Fernelio, *cap. 8. de ſaporib.* dyſenteriam curat) decoctis.

℞. *Unguenti Comitiſſæ* ℥iij.
ol. cydon.
myrt. ana ℥j.
maſſæ empl. de bolo ℥ß. M. ad ignem:

F. Linim. quo tota abdominis regio inungatur. Robertus, Angliæ Princeps, conficit certum Ung. ex *herba lunaria* & *ol. momordicæ*; quo ſi ſpina dorſi inungatur, momentaneo dyſenteriæ eſt auxilio.

In *Teneſmo* ſolemus, præter fomenta ordinaria, *Suffitum* ex *terebinthina* & *pulv. verbaſci*, ſupra laminam ferream candentem projectis, facere; vel etiam ex *pulv. myrtillorum*, *nucum cupreſſi*, *maſtiche*, *roſ. rub. thuris*, *maſtich*: vel, ad leniendum dolorem, paramus *Suppoſitoria ex ſevo cervino*, & applicamus: quæ ſemper plurimùm profuiſſe experti ſumus: vel, loco eorū, fiant *Noduli ex mucilagine ſem. pſyl.* & *cydon.* cum *ovi luteo*, & *unguento populeo*. Quòd ſi ulcus adſit, *Unguentum* fit ex *lithar. græc.*, *plumbo uſto*, *thuris cortice*, cum *ſucco plantag. mucilag. gummi Arabici*, & *vitellis ovorum*; quo penicillum imbutum in anum immittatur; non omiſſis clyſteribus detergentib. & epiceraſticis, parciori quantitate, ut diutius retineantur, exhibendis.

Fluxus hepaticus plerunq; cachexiam præcedit: dum namq; hepatis facultas retentrix, propter atoniam, adeò debilitata eſt, ut ſanguinem retinere ampliùs non poſſit; tum & excrementa ab eo ſecernere potens non eſt; quæ, in ipſo ſanguine remanentia, pravum totius corporis generant colorem & cachexiam; quin & magna illa, quæ per fluxum hepaticum fit, evacuatio ſanguinis facultatem naturalem, & nutritivam, per ſpirituum jacturam adeò dejicit, ut neceſſariò cacotrophia & hydrops ſubſequatur. Illa hepatis atonia poteſt ab omni intem-

perie fieri, quæ tanta eſt, ut poſſit exſolvere & conſumere humidum primigenium.

Cauſa. Et hinc fluxus hepaticus plerunque poſt febres ardentes, & ſynochas, quæ profundam hepati intemperiem impingunt, & oleoſam ſubſtantiam colliquare faciunt, accidit: item fieri poteſt fluxus hepaticus à largo frigidæ potu, olerum frigidorum & crudorũ uſu immoderato, à venenis aſſumptis, & medicamentis fortioribus.

Diagnoſis. Fluxus hepatici *diagnoſticum*, ſeu verus characteriſmus, eſt, quòd ſangvis per alvum excernitur loturæ carnium ſimilis, citra ventris tormina, & ramentorum rejectionem, uti in dyſenteria; & plerunque pondus aliquod, ſeu gravitas, & dolor in dextro hypochondrio ſentitur: fluxus hepaticus

eſt Duplex: eſt *duplex*: *legitimus*, in quo ſangvis nunquam bene depuratur ab hepate, ob inſignem ejus defectum: & *illegitimus*, qui in ſimplici hepatis intemperie contingit, citra facultatis læſionem, aut humidi primigenii deperditionem; rejicitur tamen ſangvis ille à natura eò, quòd ſit permixtus bili, aut alteri cuivis humori peccanti, unde ſanguis jam niger (dum nempe lien ſuo non fungitur officio) jam flavus, jam variegatus, excernitur.

Signa Cauſarum. Signa cauſarum ſunt bene inveſtiganda: nam ſi fluxus hepaticus proveniat à calida hepatis intemperie, præceſſit febris ardens, vomitus æruginoſus, corporis ſqualor, & inappetentia, ſuntque dejectiones magis fœtidæ: ſecùs, ſi ſit à frigida. Vide ſigna intemperierum jecoris calidi, frigidi, humidi, & ſicci, in *Arte parva Galeni*, vel etiam in *ante dictis noſtris*: ſpurius hepatis fluxus plurima cum dyſenteria habet communia, præter ventris tormina & inteſtinorum ramenta, aut caruncula, quæ in fluxu hepatico non excernuntur.

Prognoſis legitimi. *Prognoſin* quod attinet, hepaticus fluxus *legitimus* eſt affectus non parvipendendus; cùm proveniat à debilitate humidi radicalis, cujus penuria homini maximè pernicioſa eſt; nam facile colliquationes ſubſequuntur, maximè ſi poſt febres contingat: ſi verò fiat à frigida hepatis intemperie, licet tantum non adſit periculum, quantum, ſi proveniat à calida; tamen etiam plerunque terminatur in cachexiam, & hydropem.

Spurii. Fluxus hepaticus *ſpurius* minus habet periculi, quàm legitimus, & *curam* faciliùs admittit.

Curatio à cauſa Calida. Eam quod attinet, ſi proveniat à *calida*, vel frigida hepatis intemperie: vide, quæ in *affectibus Hepatis* tradidimus. Plerique non ſecus, ac in dyſenteria, *rhabarbarum* exhibitum commendant, idque per multos dies, ad ℈j. cum *conſerva roſ.* porrigunt, omneſque nervos intendunt, ut hepar corroborent

Hepatica interna. *tinctura roſ. ſyr. myrtino, cydon. rob cynosbati, aquâ plantag. tabellis triaſantalis duplicato rheo, aq. cichorii*, vel *decocto radicis ejuſdem, paſſulis minoribus*, vel *rob ribium, corallis rub. jecore lupi præparato, ſucco & ſyrupo urticæ*, hordeatis, amygdalatis, & oryzatis præſcriptis.

Externa Epithemata. *Exteriùs* etiam applicentur *Epithemata* hepati: ut:

℞. *Aq. cichorii,*
endiviæ,
abſinthii, ana ℥iv.
aceti roſ. ℥ij.
pulv. ſantali rub.
roſ. rub.
ſpodii, ana ʒß. M. F. Epithema, regioni hepatis applicandum.

à Frigida. Si verò proveniat ab hepatis *frigiditate*, cura ab hydropis cura non differt: & cùm, maximè ob frequentiam excretionum, tonus inteſtinorum ſolvatur, applicantor ea, quæ dyſenteriæ tribuimus: quin etiam, cùm fluxus vires nimium debilitat, maximè ſi cauſa eſt calida, ad *Narcotica* confugiendum eſt.

Objectio. 1. Objic. primò: ſecundum hanc dyſenteriæ deſcriptionem ipſa non videtur poſſe curari: ergo malè deſcribitur, vel fruſtra ejus cura traditur: probatur: deſcribitur enim tantùm per fluxum ſanguinolentũ, cum dolore & ulcere inteſtinorum: ſed quamvis appropriata fluxui & ulceribus applicentur, dyſenteria non curabitur; quia hiſce malignitas, quæ hunc morbum comitatur, non tollitur. Reſp. Authores in deſcriptione dyſenteriæ occultæ & contagioſæ qualitatis non facere mentionem, explicitè quidem, concedo: implicitè tamẽ, & in ſuis remediis, ſatis innuunt, adeſſe venenoſam qualitatem,

quando

quando præſcribunt ad ejus curam bolum Armenam, terram ſigillatam, rad. tormentillæ, biſtortæ, ſcordium, Theriacam, &c. quæ omnia ſunt vera alexipharmaca: deinde Authores ſæpius per effectum deſcribunt, non per cauſam: quod hîc fieri videtur.

2. Objic. 2. Videtur hîc nimis citò cohiberi fluxus ille, cùm tamen quandoq; poſſit eſſe criticus; quem Avic. *14.c.151.* minimè cohibendum eſſe ait: quinimò materia peccans, & variegata, primò educi debet, ne per adſtrictionem includatur lupus in ſtabulo. ℞. negando ſuppoſitum, quòd nos nimis citò adſtringamus; imò contrarium ſemper obſervamus, purgantia præmittendo; nec inficias imus, naturæ motûs accuratè diſtinguendos eſſe; an ſint critici, ſeu boni; an ſymptomatici, ſeu mali: utpote qui cum diſpendio naturæ fiunt.

3. Objic. 3. Hippocr. *4. aph. 24.* ait, ſi difficultas inteſtinorum incipiat ab atra bile, lethalem eſſe; cùm tamen, *6. aph. 48.* lienoſos dyſenteria curet: ergo alterutrum falſum eſt. Reſp. Aliud eſt, lienoſos curari per dyſenteriam; aliud, dyſenteriam eſſe ab atra bile: multi enim ſunt lienoſi, qui non ſunt atrabilarii. Nam atra bilis, quæ provenit ab aduſta bile, eſt tam acris, ut ulcus cancroſum efficiat: deinde ſi atra bilis aliunde provenerit, nec fixam habeat cauſam in inteſtino, dyſenteria poteſt eſſe ſalubris. Vide Avicen. *3. canon. de ſolut. ventris omnium modorum*: & ſic talis dyſenteria non ſemper eſt lethalis.

4. Objic. 4. Avicen. *16. tert.* dixit, fluxum fluxu curari: ergo dyſenteria per dyſenteriam curabitur: quod videtur abſurdum. Reſp. Fluxus curatur fluxu ejuſdem generis ſemper; nego: ejuſdem, vel diverſi generis interdum; concedo: ſatis eſt, ſi dyſenteria curetur fluxu diverſi generis; utpote evacuatione humorum peccantium.

5. Objic. 5. Avicen. & HaliAbbas, *in ſua Praxi*, dicunt, dyſenteriam, quæ fit per aduſtionem bilis amaræ, deteriorem eſſe illâ, quæ fit ab atra bile: ergo falſum eſt Hippocratis aſſertum, quòd magis lethalis ſit dyſenteria, quæ fit ab atra bile. Reſpond. Dyſenteria, quæ fit à bile aduſta, eſt pejor illâ, quæ fit ab atra bile: diſtinguo: ratione quidem ſubitæ impreſſionis, concedo: ratione eradicationis, nego. Vide Conciliatorem, *diff. 101.*

Quær. 1. An dyſenteria tantùm fiat affectis inteſtinis? Reſp. Quamvis Hollerius, *de morbis internis*, dyſenterico cuidam diſſecto ſtomachum ſolum exulceratum fuiſſe dicat: attamen videtur, ſaltem notham fuiſſe illam dyſenteriam: ſimile narrat Schenckius, *in Obſervationibus*. *Quæſtiones:* I.

Quær. 2. Quis *Teneſmus* ſit verè legitimus: quis mendoſus: & unde uterque fiat? Reſp. Teneſmus *verus* eſt, qui cauſam ſuam in inteſtino recto, ſeu longanone habet: & tunc vel eſt inflammatio, vel ulcus corrodens, vel fiſtula, vel occultæ hæmorrhoides, vel rhagades, vel abſceſſus durus &c. Teneſmus *mendoſus* verò eſt, cujus cauſa aliunde proficiſcitur; utpote humor ſeroſus, pungens, ac ſtimulans; vel pituitoſus, ſalſus, bilioſus, aut atrabilaris aduſtus; aut erunt cibi acuti, viſcoſi, ſalſi; vel pharmacum acutum, mordax, aut ſuppoſitorium acre, aut mala intemperies frigida &c. II.

Objic. 6. Non niſi una ſpecies hepatici fluxûs hîc enumerata eſſe videtur; cùm tamen ab aliis novem recenſeantur: utpote chyloſus, pituitoſus, bilioſus, atrabilarius, ſanguineus, lotivus, fœtidus, virulentus, denique quando hepatis parenchyma, & caro nigra ac craſſa expellitur: quæ omnes excretiones dicuntur hepaticæ; quia hepatis vitio contingunt. Reſp. Nos non negare haſce fluxûs hepatici ſpecies: eaſque ſub fluxu noſtro ſanguineo-lotivo (qui vel eſt pituitoſus, vel bilioſus, vel atrabilarius, vel cum deperditione ſubſtantiæ hepatis) intelleximus. 6.

Objic. 7. Authores dicunt, aliquando rejici materiam nigram, non facilè diviſibilem; quæ eſt ſubſtantia hepatis, per putrefactionem vel aduſtionem ſeparata; cùm tamen vias aſſignare non liceat, per quas ab hepate ad inteſtina ferri poſſit. Reſp. Si ſit pro ſanguine via; ergo & pro hac jecoris ſubſtantiâ, quæ, quandiu in corpore exiſtit, ab humoribus diluitur, & per anguſtas vias facilè transvehitur: deinde 7.

viæ ſat patulæ ſunt; utpote à cavâ hepatis,per ductum cholidochum,vel per ramum ſplenicum, lienem, & vas breve: denique nobis viventibus infiniti ſunt meatus, qui, accedente mortis frigore condenſante, diſparent.

II. Objic. 8. Datur adhuc una ſpecies fluxûs hepatici: v. g. in febribus ardentibus; quando excrementa ſunt fæcibus vini, vel cineribus diſſolutis conſimilia; quæ tamen non videtur fuiſſe recenſita. Reſpond. licet hæc ex parte cauſetur ab ipſo hepate; tamen non ab eo ſolo, ſed etiam à ſumma inflammatione & colliquatione hepatis, necnon aliorum viſcerum provenire.

III. Quær. 3. Sitne verum, quòd aſſerunt quidam Authores, in omni fluxu hepatico convenire ſtyptica? ℞. cum Avicen. *16.3.* intempeſtivè id practicatum ad errorem maximum perducere.

IV. Quær. 4. Cur dicat Avicennas: in aſſumptione aſellationis hepaticæ plurimum eſt, ut non accedat panis; quia hepar non recipit ipſum: imò rectius eſt, ut ſit contentus aquâ bis in die? Reſp. per hæc ab Avicenna innui, hîc victum craſſum cane pejus & angue eſſe fugiendum, ob ingentem debilitatem hepatis, alimentorum copiam tolerare non valentis.

V. Quær. 5. Cur Hali Abbas, *9. Pract.* à fluxu hepatico perpaucos liberari asſerat? Reſp. Idem videtur aſſerere Galenus, *5. de loc. affect.* ob magnitudinem morbi, à parte nobili, quam morbus occupat, deductam.

CAPUT. LXVIII.

De Hæmorrhoidibus: Ani Procidentia: & Rhagadibus.

Hæmorrhoides. Quotuplices. VEnæ, quæ ad anum feruntur, dum ſanguinem fundunt, *Hæmorrhoides* appellantur: ſuntque *duplices: internæ* ſcilicet, à ramo ſplenico; & *externæ*, ab hypogaſtrico exortæ. Hæmorrhoides item dividuntur in *apertas*, & *cæcas*: *illæ* vocantur, quæ per intervalla ſanguinem fundunt, & viſui patent; *cæcæ* econtrà, quæ ſanguinem non mittunt, neque conſpicuæ ſunt; quia intus latent. *Signa.* *Externæ* dum turgent, facilè cognoſcuntur, ob ingentem dolorem & tumorem: *internæ* verò ex difficili egeſtione, ſeu egerendi difficultate, & pondere circa ſedem deprehenduntur. *Differentia ab aliis.* A ficis & criſtis *differunt*, quòd hæ ſint carneæ excreſcentiæ; illæ membranoſæ, utpote venæ dilatatæ. *à ſeipſis.* *Differunt* inter ſe *numero*, *magnitudine*, *calore*, ac *levitate*: nam ſunt quædam uvis ſimiles, ideóque vocantur *uvæ*; aliæ ſunt rugoſæ & aſperæ; quæ *morales*, à moris, dicuntur. Differunt iterum, quòd aliæ ſint *mites*; aliæ *malignæ*: aliæ ſumo *cum dolore, tenſione, rubore, febri* &c. Licet plerunq; fluentes hæmorrhoides internæ craſſiorem ſanguinem fundant, quàm externæ; nihilominus etiam ex hæmorrhoidibus externis craſſiſſimus fluit ſanguis; is nempe, qui, ob pondus, ad venas illas fuit præcipitatus: quinimo vidimus, ex hæmorrhoidibus externis, per ſanguiſugas, duas ferè menſuras materiæ cujusdam, inſtar ſpermatis ranarum, fluxiſſe, & Patientem à longiſſimis malis, flatibus ſcilicet, continuis doloribus, aliisq; ſymptomatibus liberatum fuiſſe. In iis quoque hæmorrhoidibus materiam latere, unde plurimi vapores ad caput eleventur, & ad faciem, patet ex hoc, quòd ii, qui guttâ roſaceâ laborant, apertis hæmorrhoidibus ſæpiſſime convaleſcunt. *Prognoſtica.* Quemadmodum ſummum emolumentum eſt, ut per intervalla fluant (ſic enim non tantùm à plethora & cacochymia liberantur Ægroti, ſed etiā à plevritide, peripnevmonia, lepra, furunculis, tuberculis, nigris faciei maculis, vertigine, mania, aurium tinnitu &c.) ita non leve incurrunt periculum, qui earum fluxu ordinario privantur, inclinatâ in præcordia ac viſcera materiâ ſubitanea: econtra: ſanguis niger, ſi infernè dejiciatur, bonum: *4. aph. 25.* item: melancholicis, ac nephriticis, hæmorrhoides ſupervenientes, bonum: *6. aph. 11.* Omnes conſuetæ evacuationes ſuppreſſæ malæ ſunt: ſic enim Ægroti fiunt ſiticuloſi, difficiles, & exſoluti, ſi non profuderint; tandemq; epileptici moriun-

moriuntur, *1. Prorrhetic. 5.* Item Hipp. *6. aph. 12.* A diuturnis curato hæmorrhoidibus, niſi una ſervetur, periculum hydropis, vel tabis imminet. Natura tamen non eſt temerè ad hæmorrhoidum vias trahenda; utpote quarum exceſſus vel in diminutione, vel in quantitate nimia, ſemper eſt periculoſus: ita enim & fædus color, & cachexia, & hydrops inducitur. Nimiâ enim ſangvinis evacuatione ſimul etiam calor nativus imminuitur & exſtinguitur, vel fiſtulæ incurabiles excitantur ab exulceratione, vel tantus eſt interdum dolor, ut gangrænæ, vel convulſionis, immineat periculum.

Cura. *Curam* quod attinet, ea conſiſtit in doloris mitigatione, & inflammationis ſublatione, ipſarum hæmorrhoidum, ſi præter conſuetudinem occluſæ ſint, apertione, &, ſi excedant, earundem reſtrictione. Si itaque magna adſit inflammatio, injecto clyſtere, vel ſumpto lenitivo, ex *manna*, *caſſia*, *Venæſectio.* vel *tamarindis*, *venæ* brachii dextri *ſecetur*, ut ſangvis retrahatur à parte af- *Purgatio.* fecta, & dolor calorque remittat. *Purgationes* item conveniunt, quando humores acres & feroſi malum cauſant. Ad mitigandum dolorem

Cataplaſma probatiſſ. ℞. *Porrorum cum toto* m iv.

mica panis ℔ß.

Coq. in *lacte capr.* ad putrilag. contund. in mort. addendo ſub finem *croci Auſtriaci* ʒß. vel q. ſ. ad intenſam flavedinem. M. F. Catapl. quod miraculi inſtar, uti ſæpiſſime probavimus, dolores omnes tollit. Plurimi ejus loco u- *Unguenta.* tuntur *Unguento de linaria*, ut Horſtius, vel *populeo*, *butyro Majali*, *oleo violarum*, *mucum*, in quo *millepedes* bullierint, *pulpâ caſſia*, *pulpâ pomorum*, *mucilagine ſem. pſyllii*, *lini*, *althaa*, extracta cum *decocto* vel *aqua lactuca*: vel, ubi ſummus adeſt dolor, *capita papaveris*, & *hyoſcyamum*, in *lacte* cocta, vel *folia ſambuci viridis*, cum *aqua* ad putrilaginem cocta & contuſa, vel *portulacam contuſam*, appli- *Semicupium.* cant; vel ex herbis anodinis *Semicupium* præparant.

Sublato tandem dolore, & factis revulſionibus, ut ſangvis ille, qui ad partem affectam fluxit, evacuetur, hæ- *Apertio.* morrhoides vel medicamentis, vel hirudinibus *aperienda* ſunt: earum enim apertio plurimos affectûs, eosque graviſſimos, uti dictum eſt, præcavet. Anaſtomotica cenſentur eſſe *aloë*, *aga- Interna:* ricus, *colocynthis*, &c. quæ *intrò* ſumuntur: vel injiciantur enemata ex abſtergentibus, *melle* ſcilicet, *hiera*, *felle bovis*, *ſucco capa*, *radice cyclaminis*, cum *decocto hordei* mixtis: vel *extrinſecè* ad- *Externa.* moventur ano fomenta ex *radice bryonia*, *cyclaminis*, *enula*, *ireos*, *althaa*, *cucum. agreſtis*, *fol. caulium*, *ficuum*, *abrotani*, *ruta*, *perſicaria*, *millefolii*, *mercurialis*, *tanaceti*, *centaurei min. malva*, *atriplicis*, *parietaria* &c. in *vino* & *aqua* coctis. In aperiendis hæmorrhoidibus magis conveniunt unctuoſa, quàm ad leniendum dolorem: hæc ſcilicet, partem dilatando, replent; & conſequenter malum augetur: dum verò eas reſerare eſt animus, *aloë*, *cucumis aſin. agaricus*, vel *colocynthis*, bulliant in *oleo hyperic. amygd. amar.* vel *axungia ſuillâ*, deinde addatur *ſuccus capa*, *porri*, vel *cyclam.* Horum loco, ad aperiendas hæmorrhoides, partes infernæ fricantur, applicantur cucurbitulæ natibus & coxis, ſecantur venæ malleoli &c. Denique, ſi hæc parum juvare videantur, applicentur ſangviſugæ, cum cautelis, à Nobis, *in principio Chirurgia*, ubi pluribus *de Hamorrhoidibus* agitur, dictatis.

Si verò *nimius* adſit hæmorrhoidum *Cura fluxûs nimii.* *fluxus*, ſiſtendus eſt *revellentibus*, ut venæſectione jecorariæ in cubito, cu- *Revellentia.* curbitulis utrique hypochondrio admotis, frictionibus & ligaturis partium externarum, deinde per ea, quæ ſangvinis vitium corrigunt: v. g. ſi ſangvis ſit acris, ſumatur infuſio *rhei* in *aqua cichorii*, vel *endivia* facta: ſi calidus ſit & tenuis, incraſſetur & refrigeretur: ſi aqueus, deſiccetur; ſi copioſus, minuatur tenui diætâ. Tertiò ſiſtatur fluxus per *adſtringentia* ſumpta & applicata: *Adſtringentia interna.* propinari itaque poteſt ſequens *Julapium*: *Julepus.*

℞. *Syr. de ſymph.*
myrtini,
cydon.
granat. ana ℥j.
aqua plantag.
roſar.
rub. Idai, ana ℥iv.

vini granator.
cydon. ana ℥ij. M. F. Julapium: de quo ſumatur ſingulis diebus manè: vel ſæpe magnitudo caſtaneæ de ſequenti *Mixtura* porrigatur.

Electuar. ℞. *Pul. trochiſc. de carabe:*
terra ſigill. ana ʒij.
ſang. drac. ʒj.
corall. rubr.
oculor. cancri prapar. ana ʒj.
conſ. roſ. rub.
ſymphyti, ana ℥j.
ſem. plantag. ʒß.

Cum ſ. q. *ſyr. myrt.* F. Elect. molle. Si magnus adſit *dolor*, propinentur *Diaſcordii Fracaſtorii* ʒij. in *aq. plantaginis* diſſoluti: vel etiam licet confugere ad *opiata*, ubi nimia fit evacuatio: videndum tamen, nec hiſce pertinax alvi conſtipatio concilietur: quod ſi factum fuerit, alvus quandoque clyſteribus emollientibus ſollicitetur, qui tamen aliquod poſt ſe robur inteſtinis relinquant: ut eſt: *(Anodina.)*

Clyſter ſpecialis. ℞. *Decocti capitis vervecis*, cum pij. *flor. hyperic.* & mij. *flor. roſ.* facti, ℥x. In quo diſſolv. *mellis roſ. colati* ℥iv. F. Clyſter, qui citra hæmorrhoidum irritationem injici poterit.

Topica *externa* ſunt: *unguentum Comitiſſæ*, cum *pulv. balauſtiorum* & *roſarum* mixtum: vel etiam *emplaſtrum ad rupturam*, *ceratum ſantalinum*, vel remedium, *in Cap. de hæmorrhagia narium* traditum, ex *oxycrato* & *lapide prunella*: vel ſpongia, ſequenti decocto imbuta, ſæp us applicetur: *(Externa. Unguent. Emplaſtr.)*

Fomant. ℞. *Herb. plantag.*
verbaſci,
burſa paſtoris,
herniaria,
perfoliata,
bugula, ana mj.
rad. ſymph. major.
biſtorta, ana ℥j.
balauſt.
gallarum,
ſalis nitri praparati, ana ʒij.
nuc. cupreſſi ʒiij.

Decoq. in ſ. q. *vini rub.* quo *fomentetur* pars affecta. Emplaſtrum de *bolo* poteſt applicari ſupra os ſacrum, ut venæ conſtringantur. Ad ſiccandas hæmorrhoides, *pulvis cochlearum uſtarum* goſſypio exceptus, & applicatus, ſummè conducit. Si inteſtinum rectum exulceratum fuerit, ſequens *Pulvis*, *mucilagine tragacanthi* exceptus, applicetur: *(Pulv.)*

℞. *Gummi Arabici*,
boli Armen.
maſtich.
hypociſtidis,
litharg. ana ʒj. F. Pulv. ſubtilis.

In fluxu contumaciſſimo vaſa aliquando liganda ſunt, vel areſacienda *cauterio* actuali, vel potentiali: quale eſt ſequens *Linimentum*: *(Cauteria.)*

Liniment. ℞. *Mellis* ℥iß.
aceti ℥j. Coq. ſimul; deinde add.
plumbi uſti,
litharg. ana ʒß.
vitrioli,
tart. uſti,
oſſis ſepia, ana gr. xv. M.F. inſtar Linimenti, quo venæ apertæ inungantur. *Nota*: periculoſum eſſe, antiquas hæmorrhoides conſtringere, niſi aliæ ordinariæ per purgationem, venæſectionem, & diætam, inſtituantur evacuationes: ideóque ſatius eſt, unam relinquere apertam: ſi verò recentes ſint, & nimium fluant, ex toto conſtringi poſſunt. Potus ſit decoctum *millefolii*. Cauterium in crure ab hæmorrhoidibus præſervat. *Pulvis verbaſci*, cum *lacte* ſumptus, eas conſumit. *(Nota. Potus.)*

Quandoque *anus procidit*, ob nimiam humiditatem, qua ſphincter, unà cum nervis & membranis, ab oſſe ſacro in ſedis muſculos diſtributis, reſolvitur, & geminus ille ſupra rotundum muſculus ſitus laxatur: vel etiam quando inteſtinum aliquo tumore, ſeu inflammatione laborat: illa partium iſtarum elongatio, & reſolutio, ſæpius fit à frigore & humiditate; ut in balneo aquæ frigidæ, vel ſedendo ſuper lapidem frigidum; vel in magno conatu, dum fæces excernuntur; & in teneſmo, ubi muſculi, per continuum laborem fatigati, laxantur. *(Ani procidentia.)*

Affectûs hujus *Cura* perficitur cauſæ remotione: nam ſi tumor adſit, revellentibus, derivantibus, & evacuantibus diſcutiendus eſt: nec pars affecta acribus facilè eſt irritanda; utpote quæ valde ſenſibilis eſt. Topica medicamenta in initio debent eſſe repellentia; deinde *(Cura.)*

deinde digerentia, & anodina. Si adſit ani paralyſis, propinentur phlegmagoga, & applicentur ſiccantia; ut eſt *fotus ex radicibus cyperi*, *galangæ*, *ſale abſinthii*, *nucibus cupreſſi*, *foliis lauri*, in *vino auſtero* coctis: *inungatur* os ſacrum *oleo caſtorei*: vel applicetur *emplaſtrum oxycroceum*; fiatque *ſuffitus ex thure*, *ladano*, *nucibus cupreſſi*, & *terebinthina*, cum *vino rubro* in *Trochiſcos* redactis. Si valde magna ſit ani laxatio, injecto priùs clyſtere, primò foveatur *vino calido*, deinde inſpergatur *pulvis roſ. balauſt. maſtich.* vel *cochlearum uſtarum*, & tandem manibus, *oleo roſaceo* inunctis, reponatur: Æger elato podice ſituetur, &, ne alvus conſtipetur, pilulas quaſdam ante cibum ſumat, ut eò faciliùs egerat: nam fæces induratæ novam faciunt ani procidentiam: ſit ſiccans diæta cibus & potus, & motûs vitentur violenti.

Malum hæmorrhoidibus familiare ſunt *Rhagades*, ulcuſcula quædam oblonga, quibus ani ſphincter, ob ſciſſas hæmorrhoides, rupta condylomata, fæcum aſperitatem, vel acris humoris affluxum, afficitur.

Curantur abſterſione per *ſerum lactis*, vel *decoctum hordei*, & *mel roſatum*; deinde conſolidatione per *decoctum ex roſis*, *balauſtiis* & *gallis*, cum modico *aluminæ*, in *vino* & *aqua* factum; vel etiam per *unguentum album Rhazis*, *de tutia*, vel *triapharmacum*. Si prope rimas (ut ſæpe contingit) adſit calloſitas, hæc prius emollienda eſt *decocto malvæ*, *althææ*, vel *mucilagine ſeminis cydon.* Si adſit dolor, agitetur *vitellus ovi* cum *lacte*, ſtuppáque vel goſſipio applicetur; ſi inflammatio adſit, melius eſt *albumen ovi*, ſic agitatum. Si verò ulcus ſordidum ſit, ita, ut cancroſa diſpoſitio timeatur, *unguentum Saturni* ex uſu erit.

Diæta, præſente inflammatione, ſit refrigerans, &; ut in reliquis ulceribus, moderata: nam ſuperflua tendunt ad partem affectam.

Objicies 1. Malè intenditur hic evacuatio ſangvinis melancholici per ſangviſugas extrinſecè applicatas; cùm ſaltem venis externis, à cavâ ortis, applicentur. Reſp. Licet externis applicentur; hæ tamen habent cum internis anaſtomoſes: ut ſæpe innuimus.

Objic. 2. Tumefactæ hæmorrhoides medicamentis diſcuti, aut repercuti poſſunt: ergo non opus eſt hirudinibus ad earum apertionem: Probatur: cataplaſmate enim ex *porris*, *lacte*, & *croco*, diſcutiuntur. Reſp. Si hæmorrhoides tumefactæ ſint ex debilitate facultatis retentricis viſcerum, v. g. hepatis; tum apertura non prodeſt, imò potiùs deducit ad cachexiam: ſi verò à nimia ſangvinis craſſi copia fiat, ſi adſit conſvetudo, & materia illuc declinet; minimè repercutiendum eſt; ne à parte ignobili ad nobiliorem ſangvis transferatur; unde graviora ſœpiſſime oriuntur mala.

Quæres 1. Cur guttur dolentibus, & faciem rubram habentibus, adeò proſit hæmorrhoidum apertio? Reſp. 1. ob revulſionem, quæ fit: 2. eò. quòd ejuſmodi mala ſæpiſſime à ſangvine hæmorrhoidali proveniant, qui, poſtquam diutiſſimè ſtagnavit, & acris redditus fuit, per ductum venæ cavæ regurgitat, & ad communia emunctoria, amygdalas ſcilicet, vel faciem, quæ, ob laxitatem, eum facilè recipiunt, rejicitur; in quibus phlogoſin & inflammationem excitat; hinc, qui hæmorrhoides patiuntur, plerumque calidos vapores, circa dorſi & colli vertebras, ad occiput aſcendere ſentiunt: qui à ſangvine hæmorrhoidali fermentante proveniunt.

Quær. 2. Cur plerumque poſt magnas curas, aut melancholiam, hæmorrhoides incipiant turgere? Reſp. eò, quòd, durantibus iſtis medicationibus (quod patet ex totius atrophia) corpus nutritum non fuerit, adeoque magnus ſangvinis crudi & terreſtris cumulus remanſerit, qui poſtmodum, tamquam inutilis, à natura ad hæmorrhoides amandatur. Quòd autem in curis, & melancholia, non nutriatur corpus, & digeſtiones non perficiantur, fit ex eo, quòd ſpiritûs, qui concoctionibus incumbere debuiſſent, aliò diſtrahuntur, utpote ad cerebrum, in quo ſolis ſpeculationibus incumbunt: vel etiam poſt longas vigilias, curarum & melancholiæ ſatellites, diſcutiuntur.

Objic.

Objic. 3. Hippocrates, hæmorrhoidum mentionem faciens, videtur Tavtologiam commiſiſſe. Nam, *lib. de humor.* iisdem penitus verbis utilitatem hæmorrhoidum enumerat: Qui hæmorrhoides habent, neque plevritide, neque peripnevmonia &c. corripiuntur: &, *de morbis popul. ſect. 3.* eadem prorſus verba repetit. Reſp: Quamvis librum de Humor. Hippocratis genuinum eſſe aſſerat Galenus: multi tamen negant; quibus ego aſſentior: hic enim liber videtur collectus eſſe partim ex Hippocrate, partim ex aliis. Nam ſunt quædam in illo nimis brevia; quædam nimis longa: quæ ab Hippocratis ſtylo penitus aliena ſunt.

Quær. 3. Unde fiat, quòd quidam ſingulis fere menſibus hæmorrhoides patiuntur; alii verò minùs? Reſp. vel eos eſſe valde plethoricos; vel magnam aliquando ſangvinis jacturam feciſſe, unde vaſa contracta poſt evacuationem tantum ſangvinis continere non poſſunt, quantum generatur; vel quia natura, magnam ſemel ſangvinis copiam generare ſolita, perſeverat; vel quia viſcera ſangvinem generantia in magnitudine aut fœcunditate excedunt.

CAPUT LXIX.

De Herniis, ſeu Rupturis.

Hernia. HErnia, ſeu ramex, tumor eſt vel ingvinis, & *bubonocele*; vel ſcroti, & *oſcheocele* vocatur: qua carent mulieres. Hi tumores plures habent ſpecies, prout materia contenta varia eſt: nam ſi inteſtinum prolapſum tumorem hunc efformet, vocatur *enterocele*: ſi caro, *ſarcocele*: ſi omentum, *epiplocele*: ſi aqua, *hydrocele*: ſi flatûs, *pnevmatocele*: ſi varix, ſeu venæ dilatatæ, tumor *cirſocele* vocatur: ſi materia poſt abſceſſum indurata, *porocele* dicitur. Herniis hiſce non immeritò accedit ἐξόμφαλος, utrique ſexui communis, umbilici prominentia, ab inteſtinis, vel epiploo, vel à flatibus, umbilici cutem diſtendentibus, cauſata. Hernia *inteſtinalis* frequentiſſima eſt: nam ileum, rariùs colon, in ſcrotum delabitur; idque dupliciter: vel quando pertitonæum rumpitur; vel quando proceſſus ipſius dilatatur: rumpitur autem à quovis motu violento, ictu, caſu, contuſione, forti nervorum intenſione &c. laxatur ob nimiam humiditatem; & hinc pueris humidis, & à frequenti balneorum uſu facilè contingit.

Signa. *Cognoſcitur enterocele*, quòd ſit tumor mollis, & magis æqualis, quàm in *epiplocele*; in qua quidem adeſt mollities, ſed non æqualitas: fit ſubitò, nec pariter increſcit, aut perdurat: inteſtina, dum reſupino corpore molli digito retrotruduntur, murmur aliquod flatulentum excitant; omentum verò nullum, difficiliusque reponitur. Tam enterocele, quàm epiplocele, exacerbatur per graves geſtationes, clamorem, ſatietatem, & laborem; per frigus contrahitur; per humorem diffunditur, &, ſi prematur, recedit ad ingven. Celſus ait, delapſum inteſtinum quandoque ſtercore duro impleri, adeóque non exiguum ſcroto, ingvini & abdomini dolorem inferri, vomitum bilioſum, inflammationem, ileum, & mortem ſæpe cauſari.

Cura. Pro affectûs hujus *Cura* aſſequenda, duplici ſcopo collimandum eſt, utpote *repoſitione*, & *retentione*. Antequam *repoſitio* tentetur, injiciatur clyſter emolliens & carminativus; deinde foveatur *vino rubro* calido, vel *decocto carminativo* calido; deinde, ſupinato corpore, & elevato podice, digitis, *oleo lil. alb.* calido inunctis, blandè reponatur inteſtinum, & ſubligaculo convenienti *retineatur*; applicato tamen priùs emplaſtro contra rupturam. Æger in lecto quieſcat: nam quies quadraginta dierum in conſolidando peritonæo plus efficit ſæpe, quàm medicamenta; quæ tamen interea negligi minimè debent. Corpus itaque probè *expurgetur* phlegmagogis, v. g. *extractis pilularum cochiarum, de agarico, aſſajereth, aloëphangin. de ſuccino Cratonis*; præcipue ubi ſuperfluitas humiditatis malo præbuit occaſionem. Húc etiam *diaphoretica* & *diuretica* referri poterunt, ad humores exſiccandos.

Internè interea propinetur *decoctum ſigilli Salomonis, herniariæ, & oſmundæ Regiæ*, in *vino* factum. Poteſt item fieri

Repoſit. Retentio. Purgatio. Diaphoretica & diuretica. Interna. Decoct.

decoctum,

Syrup. dicellam, vel *ſyrupus*, ex *rad. pentaphylli*, *biſtorta*, *Sigill. ſalomonis*, *plantagine*, *herniaria*, *perfoliata*, *conſolida majori*, *media*, & *Serracenica*, *piloſella*, *jacea alba* & *nigra*, *florib*, *anthos*, *mentha criſpa*, *ſeminib*, *calidis* &c. quæ omnia decoquantur in *vino rubro* & *aqua* partibus æqualibus; deinde addatur *ſaccharum rub.* & coquantur ad conſiſtentiam Syrupi. Ambroſius Pareus propinat *Mart. preparati* ʒß. per unum menſem, & rupturæ applicat *emplaſtrum de Magnete*.

Externa. *Externa* adſtringentia tutiora quidem ſunt, quàm interna; quæ aliis interdum malis præbent occaſionem: fieri itaque poſſunt ex iisdem adſtringentibus *Fomenta*, *Emplaſtra*, *Gelatinæ*, *Olea*, *Unguenta*, &c. ut:

Fom.
℞. *Gallar.*
nucum cupreſſi, ana ℥ß.
balauſt. ʒij.
alumin. ʒj.
herb. alchimilla,
perfoliat.
herniaria,
hedera terreſt.
plantag.
galii, ana mij.
rad. conſol. maj. ℥ij.
ſigilli Salom. ℥ß.
malicorii ʒij.

Coq. in ſ. q. *vini auſteri*, pro Fomento, ſpongiis applicando. Quo facto, ſtatim ſuperponatur *emplaſtrum ad rupturam*; vel hoc:

Emplaſtr.
℞. *Rad. conſol. maj.*
ſigilli Salom.
ſanicula alba, ana ℥iiß. Coq. in *vino auſtero*; & contund. dein adde
maſtich.
ſarcocolla,
ſang. drac. ana ℥ß.
picis navalis ℥j.
boli Arm. pulverizat.
thuris,
gallar.
nuc. cupreſſi,
alum. ana ʒij.
terebinth. in *aceto* diſſolutæ q. ſ.

M. F. Emplaſtrum; quod parti admoveatur. Sequenti *Gelatinâ* non pauci priſtinæ ſanitati reſtituti ſunt:

Gelatin.
℞. *Conſol. media*, ſeu *bugula*,
fol. conſolida Sarracen. ana mij.
fabaria,
alchimill. per foliat.
ſem. ſanic. rub. cum *rad.* ana mij.

& cum *rad. conſol. maj. recenter inciſis* coq. tribus vel quatuor horis, addendo ſemel, aut bis, ſi opus fuerit, *aquam*: poſt refrigerationem, additâ *aquâ frigidâ*, percoletur ſat validè; cavendo tamen nimium. Poſſunt quoque addi *betonica*, *veronica*, *fol. lingvæ cervina*, *galii*; quod carnes in ollâ coagulare dicitur. Videndum tamen eſt, ne gelatina nimis fiat dura: hæc quadraginta diebus applicanda eſt, cum quiete, ſubligaculis, & bonâ victûs ratione. Pro experto etiam habetur ſequens *Oleum*, vel celebre illud Gonzagianum (uti mihi affirmatū eſt) vel ipſi ſaltem analogum: *Olea.*

℞. *Ol. ovor.*
ſeſamini, ana ℔ij.

In quibus eneca *lacertas* num. xviij. aut xx. deinde in vitro bene occluſo ponantur ad balneum, ita, ut vitro ſubſit corona ſtraminea: coq. ad ſufficientiam; dein ſ. expreſſio fortis: hoc oleo foveatur pars quadraginta diebus, cum quiete; dein emplaſtrum *ſuperius* deſcriptum applicetur, fiatque ligatura conveniens. Sequens potius *Oleum Gonzagianum* eſſe putarem: *Ol. Gonzagianum.*

℞. *Flor. ſulph.* ℥iij.
myrrha,
mumia, ana ℥j.
axung. ſerpent. ʒiß.

Inde vaſi vitreo, addendo *ol. terebinth.* ad duorum digitorum eminentiam, *ol. benzoini* ʒij. Vas optimè claudatur, omnia bulliant ad ignem cinereum: ſic intra duos vel tres dies omnia faceſſunt in balſamum rubicundiſſimum & fœtidum; cave autem empyrevma: linteum duplicatum intinctum ſuperponatur, vel illud inungatur. Si hiſce malum non cedat, *punčto aureo* (ut vocant) ſeu ſectione ad latus pubis factâ, productio peritonæi firmiter conſtringatur, teſtisque cum ſuis membranis abſcindatur, vel, acu in ingvine ductâ, filo ſericeo peritonæum, cum vaſis ſpermaticis, reſtringatur: at quæ operatio teſticuli tabem procurat: hanc ut vitent, nonnulli cauterium ſupra peritonæi productionem applicant, &, cadente eſcharâ, cicatricem inducunt, quâ viam lapſuro inteſtino præcludunt: ſi tamen non ſufficere poſſe videatur *Operatio, quâ Herniosi ſecantur.*

deatur cicatrix, decidente eſcharâ, ligari poteſt peritonæi proceſſus, ita tamen, ut vaſa ſpermatica non tangantur. Vide Paræum, *de Punctoaureo, lib. 7. cap. 16.*

Epiplocele. *Epiplocele*, mollis & lubrica, raro pubem excedens, iiſdem remediis cum priori curatur.

Hydrocele. *Hydrocele* eſt tumor aquoſus in ſcroto, ab imbecillitate viſcerum, vel uri- *Curatio.* næ obſtructione, proveniens. *Curatur* fomentis diſcutientibus, & aquam abſorbentibus: ut eſt:

℞. *Ung. Comitiſſæ,*
deſiccativ. rubr. Wecker. Antidot. ſpecial. libr. 2. ſect. 28. de Unguent. ana ℥ij.

M. ad uſum: vel phænigmo aqua educatur, confirmatis interim viſceribus internis. Vide *cap. de Hydrope*, & *Chirurgiam noſtram, de Tumor. aquos.* Si fiat ab urinæ obſtructione, hæc diureticis, vel cathetere in veſicam immiſſo, procuranda eſt.

Pneumatocele. *Pneumatocele*, quæ fit à flatu, levitate, perſpicuitate, tenſione, & ſonitu *Cura.* cognoſcitur: facilè diſcutitur ſuffumigio ex *maſtiche*, vel *cumino*, vel *ſemine anethi*; vel *ungvento carminativo Monſichi*. vel *oleo ac baccis lauri, chamomillæ, anethi*, &c. inunctis.

Sarcocele. *Sarcocele* tumor eſt durus & rotundus, ab hyperſarcoſi, ſeu ſupercreſcentia carnea, plerumque poſt ulcera & vulnera ortus, ſui ſemper ſimilis: quo etiam differt ab enterocele, & epiplo- *Cura.* cele: *Curatur* emollientibus & reſolventibus: quibus ſi non cedat, diviſo in partes ſcroto, totaliter eximitur, corpore priùs benè expurgato.

Cirſocele. Eadem methodo *curanda* eſt *Cirſocele*, ſeu ramex varicoſus: in quo vaſa ſpermatica, ſangvine turgentia, dilatantur.

Hernia humoralis. Præter omnes iſtas hernias, eſt aliqua, quam *Humoralem* vocant, ex plurium humorum confuſione, in ſcroto, vel inter teſtium ſubſtantiam, & tunicas, contentâ. Purgato corpore, ejus *Cura.* ab aliarum herniarum *cura* non differt.

Exomphalos. *Exomphalos*, umbilici ruptura, ſeu *Cura.* hernia, iiſdem præſidiis *curatur*, quibus enterocele: mutatis ſaltem ſubligaculis. Vide Paræum, *loco citato.*

Diæta. *Diæta* debet ad ſiccitatem inclinare; ita tamen, ut minime ſit flatuoſa: hinc caules hactenus maximè ſemper nocere reperti ſunt, item lentes, & alia legumina: hæc ſiquidem inteſtina flatibus replent, iisque magis elabendi præbent occaſionem: motus, clamor, & violenta animi pathemata vitanda ſunt.

Objic. 1. Ambroſius Paræus curam *Objectio 1.* ponit per *chalybem præparatum*, applicato *emplaſtro de Magnete*; quaſi vero emplaſtrum attraheret chalybem, qui peritonæi faceret reunionem; cùm chalybs, ex materiæ ineptitudine, non poſſit nobis uniri: deinde chalybs in ſtomacho exiſtens videtur eſſe extra ſphæram activitatis Magneticæ, tum propter interpoſita corpora plurima, tum propter diſtantiam. Reſp. chalybem procurare peritonæi reunionem, non ob ſubſtantiam, ſed ob qualitatem adſtringentem: deinde, licet inter ſtomachum, & locum affectum, corpora plurima interponantur, vis tamen chalybis non manet in ſtomacho, ſed communicatur maſſæ ſangvineæ, cum qua circulatur, & propius ad partem affectam accedit; & cùm videamus, magiſterium chryſtalli montani, & lapidis microcoſmici, ſubſtantialiter ferri ad renes, & veſicam, ibidemque vim expultricem ſtimulare: cur idem cum chalybe fieri non poterit?

Objic. 2. Si chalybs reunionem *2.* procurat, ob qualitatem adſtringentem: ergo meliùs extrinſecè applicabitur. Reſp. Nos extrinſecam illius applicationem minimè improbare: non obſtante, quòd adſtringentia, extrinſecè applicata, ſibiipſis vias præcludunt, quo minùs eorum virtus ad convexa partium internarum provenire queat.

Objic. 3. Adeò in profluvio uteri *3.* adſtringentia non juvarent; utpote quæ ſibi vias præcluderent: cùm tamen ab omnibus fomenta adſtringentia, ungventum Comitiſſæ &c. applicentur. Reſp. in profluvio uteri longè aliud eſſe: ſufficit enim, ſi partes externæ inungantur, per quas venæ hypogaſtricæ, ad uterum tendentes, tranſeunt: quibus adſtrictis, adſtringuntur ſuperflua menſium profluvia: deinde, quando ex-

do externa cutis corrugatur, partes quoque internæ anguſtiores redduntur.

Objic. 4. Plurimi ab herniis ſolâ quiete & ligaturis liberantur: ergo non opus eſt tot intrò ſumptis. *Reſp.* Non negamus, quietem & ligaturas plurimum facere; hæc tamen non ſufficere, patet in ulceribus crurum, & aliarum partium: applicata enim externa plurimùm conſpirant ad reunionem.

Caput LXX.

De Calculo Renum, & Veſicæ.

Serum à ſanguine ſequeſtrare & colare renes, nullum eſt apud Medicos dubium: cùm ob ſitum declivem; tum ob vim, quam habent, attractivam, etiam alios humores terreſtres & phlegmaticos, ac glutinoſos, è maſſa ſanguineâ ad ſe alliciunt; qui, mediante renum calore, præcipuè ſi illis vis quædam lapidifica inſit, facilè in *arenas*, & *calculos*, concreſcunt.

Calculus Renum: Cauſa. *Cauſa* coadjuvantes ſunt, renum denſitas, meatuum anguſtia, & expultricis debilitas, quæ humoribus diuturnam facit moram, item renum temperamentum calidum: alii addunt lapidificam quandam renum facultatem, vel hæreditariam, vel acquiſitam per alimenta viſcida, tartarea, ſalſa, dulcia, inter quæ lacticinia, ut caſeus, item fructûs crudi, vina fæculenta, aqua turbida, ingluvies, ſomnus diurnus, labor à cibo, vita ſedentaria, vina generoſa, nimius diureticorum uſus, quæ cruditates ad renes rapiunt, & materiam generando calculo aptam ad illos devehunt, febris, Venus, motus, violentum exercitium, ut eſt equitatio, frequens ſupra renes decubitus &c.

Quotuplex: Renum: Eſt autem calculus *duplex*: arenoſus, & ſaxoſus: uterque fit in ipſa *renum* ſubſtantia, tophi modo, vel in cavitate eorum, per humorum concretionem, *Veſica.* & diuturnam moram: in *veſica* verò ex minima quavis arenula ingens ſuccreſcit calculus, ubi materia magis eſt viſcida, quæ, paulatim accedens, laminatim ſeſe circumvolvit, & ſaxeus fit calculus.

Differentia. *Dolor nephriticus* differt à *colicâ* eo, quòd hæc ſit vel magis vaga, vel magis ad umbilicum accedens; ille verò fixus: hæc aſcendens; hic deſcendens verſus inguina: hæc totum ventrem occupet; hic lumbarem maximè regionem. Quòd autem omnis calculus, ſecundum Fernelium, à renibus rudimentum habere debeat, nec formaliter, nec materialiter veriſimile videtur: ſiquidem, ſi, teſte Sennerto, in pleriſque corporis partibus calculi poſſunt generari; quidni & in ipſa veſica?

Signa Calculi Renum. Calculi *renum ſigna* ſunt, dolor gravans in eâ parte, quam, junctis digitorum extremitatibus, cubitus ferè tangit; vel cui ſaltem opponitur: item adeſt difficilis ſpinæ flexio, dolor cum vomitu; qui gravis eſt in hoc affectu, & præſente alvi conſtrictione ingraveſcit. Si verò calculus in ureteres inciderit, fit acutiſſimus dolor, ob partis exquiſitiſſimum ſenſum, propter peritonæi, vel ſtomachi, mediante nervo, conſenſum. Quòd autem bilis cùm flavæ, tum æruginoſæ, quantitas maxima rejiciatur, cauſa eſt partium calor & inflammatio, à dolore cauſata; quæ humores adurit, & in bilem tranſmutat. Dum calculus in uretere detinetur, crus ejuſdem lateris ſtupeſcit, & cruris incurvatio prohibetur, ob muſculi pſoas compreſſionem, qui elevationi cruris dicatus eſt, & nervos à lumbis ortos, ad crurum ſenſum pertinentes, quos aliquouſque fulcit & comitatur, premit. Interrogandus itaque eſt Æger, an ordinaria rejectio arenularum aliquandiu ſubſtiterit: ſignum enim eſt hoc, calculum efformatum fuiſſe: deinde, an urinarum ſuppreſſio, vel ardor, vel tenuitas, ab obſtructione, vel craſſitie à craſſiorũ humorum copia, vel cruor, ob vas aliquod apertũ à calculi aſperitate, vel acutie, vel omnimoda obſtructio, quando nimirum renuterque à calculo oſtruitur, vel ureteres infarciuntur, ob ſervata ſint.

Signa calculi, in *veſica* exiſtentis, ſunt, urina alba, cum arenoſo & mucoſo ſedimento, matulæ fundo fortiter adhærente, genuinis veſicæ excrementis: item adeſt pubis gravitas, pruri-

pruritus in balano, dolor acris à mictione, dyſuria frequens, mingendi deſiderium, teneſmus, ſtranguria, & ſæpius urinæ ſuppreſſio; dum nempe calculus ſeſe in collum veſicæ inſinuat, crebraque ejus inter mingendum ſubſiſtentia: minor quoque eſt dolor aſſumpto potu, quàm ante: nam ſic natantis calculi pondus non ita ſentitur. Faciliùs tamen exploratur veſicæ calculus intruſo in anum digito, vel etiam immiſſo in veſicam cathetere: ita enim calculus tangi poteſt. Rariùs laborant calculo mulieres, quàm viri, ob meatûs brevitatem; pueri verò, & ſenes, frequentiùs: illi enim, ob ἀδδηφαγίαν, & urinas, ab excrementis multis craſſas; hi verò ob cruditates, vaſorúmque jam exſiccatorum & corrugatorum anguſtiam, calculos generant: teſte Hippocr. *6. epid. ſect. 3.* item *4. aphor. 79.* *Quibus in urinis arenoſa ſubſident, his veſica laborat calculo.* Qui tamen aphoriſmus non ſemper verificatur; quia arenæ rubeæ à renibus proveniunt: quinimò, uti dictum eſt, arenularum ſuppreſſio ſæpe calculum jam efformari denunciat.

Cura. *Cura* nephriticæ hujus paſſionis conſiſtit in hoc: primò, ut calculus excludatur: ſecundò, ut deinceps Æger ab eo præſervetur: tertiò, ut dolor ille intolerabilis, præcipuè quando calculus hæret in ureteribus, collo veſicæ, vel urethra, demulceatur. Primò itaque *Clyſter* ſequens injiciatur:

Clyſter. ℞. *Herb. parietariæ,*
malvæ,
verbaſci,
althææ,
mercurialis, ana m. j.
ſem. lini,
fœnigr. ana ℥ß.
furfuris pinguis m. j.
ſem. carminat. ana ʒj.
F. Decoct. in ſ. q. *aquæ*: in colat. ℔j. diſſolv.
elect. de caſſia,
lenitivi Florenzolæ, ana ʒv.
terebinth. vitello ovi ſubacta ℥ß.
ol. ſcorp. ℥j.
ſalis com. p. j. M. F. Clyſter.

Rejecto clyſtere, ſedere jubeatur Æger in *ſemicupio*, in quo *parietaria*, *herba violarum*, *verbaſcum*, *althæa*, *radix liliorum alborum*, *petroſelini*, & *raphanus* bullierint; vel ex iis, in *lacte* coctis, *fomenta* parentur, ubi deſunt inſtrumenta ad ſemicupium. Nota, quòd, ſi calculus eſt in via, quamprimùm pellendus ſit: ſi verò quietus manet in renibus, diureticis non temerè ſit movendus. Suppoſito itaque, quod ſit in ureteribus, præmiſſo clyſtere, antequam balneum, vel etiam ſemicupium ingreditur Æger, ſequens *Julapium* hauriat, cum *Pulvere* infra ordinando: *Balneum.* *Fotus.*

℞. *Aq. parietar.* *Julepus.*
ononidis,
petroſel. ana ℥ij.
ſyr. de alth. Fernelii ʒiß.
ſpir. ſalis q. ſ. ad gratam aciditatem.
Pulvis hic eſt:

℞. *Magiſt. cryſtalli montan.* *Pulvis.*
ſem. milii Solis,
lappæ majoris, ana ℈ß.
boracis Venetæ,
glaciei Mariæ,
pulv. priapi cervi, ana gr. v. M. F. Pulv.
pro una doſi, ſumendâ cum Julapio, paulò ante balneum, manente in balneo Ægro, quandiu poteſt: ab exitu autem è balneo ſequenti *Unguento* illinantur renes, & lumborum regio:

℞. *Ung. roſ. albi,* *Unguent. renale.*
dialth.
infrigid. Galeni, ana ʒß.
ol. ſcorp. ſimpl. ℥j.
ſucci citri ʒiß. M. F. Linimentum.

Si calculus fuerit in collo veſicæ, ibidemque omnimodam cauſetur urinæ obſtructionem, nec propter magnitudinem ſuam tranſire poſſit, immiſſo cathetere, vel ſaltem candelâ oleo ſcorpionum parum inunctâ, retrudendus eſt in veſicam. Ad revellendos à renibus humores, *lenientia* ſæpius exhibemus; veluti *caſſiam*, quæ dici ſolet *anima renum*, vel *tamarindor. pulp.* vel *aquam laxativam*, cum *ſpiritu ſalis*. In maximo ſæpe dolore, corpore exiſtente plethorico, *venam ſecamus* in brachio priùs, deinde in pede; ex Hippocrate, *6. epid. ſect. 1. part. 6.* ut, venis deple- *Lenitiva.* *Venæſectio.*

depletis, ubique in partibus inferioribus viæ reddantur ampliores: ad quod conſequendum exhibemus ℥ij. *olei amygdalarum dul.* in *decocto cicerum rub.* & *radicis eryngii.* In ſummo etiam dolore cogimur aliquando ad nar cotica confugere: quod tamen non, niſi ſummâ urgente neceſſitate, factitandum eſt. Ad *expellendum*, vel *minuendum*, in *renibus*, aut *veſica*, *calculum*, varia ab Authoribus proponuntur: v. g. *aqua ex urina hirci deſtillata*, quâ opilio quidam Chimaci, in patria meâ, omnes hydropicos curabat, *Mercurius dulcis*, *ſpecificum de luto D. Hartmanni*; item *ſpecificum lapidis aſtacorum*, item *eſſentia cryſtallorum*, *ſpiritus ſalis Hartmanni*, *eſſentia granorum juniper. extractum caryophyllorum*, *radicis helenii*, item *tinctura mellis*, *ſpiritus terebinth. ſpiritus calcis*, *balſamus ſulphuris terebinthinatus*, *ſal geniſtæ*, *magiſterium ocul. cancri*, *tinctura ſuccini*, vel *cinamomi*, vel *ligni nephritici*, *oleum granorum junip. ſal ſilicum, ſtipitum fabarum*, *reſta bovis*, *prunella*, *ſaxifragia*, *urina*, *ſpiritus* & *aqua pulveris tormentarii*, *eſſentia lapidis Judaici*, *lyncis*, &c. *ſyrupus de althæa Fernelii*, item *fructuum alkekengi eſſentia*, *electuarium Juſtini*, item *eſſentia lithontriba Nicolai*, *vinum alkekengi*, *aqua Ducis Lotharingiæ*, item *aqua nephritica noſtra deſcriptionis*, quæ hîc exſtat ad aureum Cervum, item *aqua raphani*, *juniperi*, *limonum*, *nitri*, *parietariæ*, *milii Solis*, *verrucariæ*, *pimpinellæ*, *ononidis*, *petroſelini* &c. Hîc varios ſpiritûs diureticos præſcribere poſſemus, ſed, cùm nimium calefaciant, eos tacito pede præterimus: nam calefacientia renum vim lapidificam augent, & humores ad generandos lapides diſponunt. Nos, pro materiâ à renibus divertenda, propinamus quotidie vitrum unum *aquæ noſtræ nephriticæ*, in vere & autumno; cujus deſcriptio talis eſt:

Narcotica. *Lithontriptica.* *Aqua nephritica Autoris.*

℞. *Pomor. arantior.*
limon. ſucculentorũ, ana n. xij.
caſſiæ rec. extract. ℔iß.

Incidantur limones unà cum *corticibus*, *ſeminibus*, & *pulpa*, contund. iiſque, cum caſſia mixtis, ſuperaff. *ſeri lactis capr.* ℔vj. Stent in infuſione xxiv. horis; deinde fiat deſtillatio ex organis vitreis: Deſtillatum dulcoretur pauco *ſaccharo.* Hæc eſt illa aqua pretioſiſſima, hactenus à me pro arcano habita, nunc verò ex charitatis liberalitate effuſſa, & proximi bono dicata, cui non eſt ſimilis: hæc ſiquidem temperatiſſima eſt, nec, uti reliquæ, renum intemperiem auget, aut alvum adſtringit, ſed eam tenet apertam, & paulatim omnem arenarum ſaburram everrit, vimq; lapidificam & omnem intem periem tollit. Loco ejus ſubſtitui poteſt, ſed longè inferiori gradu, *Aqua Ducis Lotharingiæ*, vel ſequens *Julapium*:

Encomium.

℞. *Decocti Foreſti* ℥iv.
ſyr. de althæa Fernelii ℥j.
ſpir. ſalis g. x.
M. pro doſi:

Julapium.

continuetur xiv. diebus: vel, ſi magis pellere ſit animus, addatur ſequentis *Pulveris* una doſis:

℞. *Pulv. ſem. urticæ*,
milii Solis,
bardanæ, ana ℈j.

Pulvis.

M. F. Pulv. Detur cum Julapio:

Vel

℞. *Succi raph.* ℥j.
aq. parietariæ ℥iv.
ſyr. de ſucco baccar. alkekengi ℥j.
ſpir. ſalis g. x.
M. pro doſi:

Liquor.

vel exhibeatur magnitudo caſtaneæ, omni manè, de ſequenti *Electuario*:

℞. *Sem. apii*,
urticæ,
milii Solis,
bardanæ, ana ʒß.
lap. Judaici præpar.
magiſt. ocul. cancri,
cryſtall. mont.
herb. herniariæ ſiccæ,
cinamom.
ſpicæ nardi, ana ℈j.
conſ. eryngii ʒiß.
caſſiæ ℥j.

Electuarium.

ex pulveriſatis pulveriſandis, cum ſ. q. *ſyr. de ſucco baccarum alkekengi*, vel *limonum*, F. Electuarium molle: detur ad fictile. Nota: Patientem remediorum copiâ minimè obruendum eſſe,

nec facilè ad alia transeundum (uti nequiter ſæpe, vel ignoranter, contingit) etſi ſtatim res ex voto non ſuccedat. Sequens medicamentum ab Anglo quodam centum aureis vendebatur:

Remedium Anglicum. ℞. *Salis urinæ microcoſmicæ* q. s. cui affund. *ſucc. limon.* ad eminentiam ij. digit. Stet infuſum, donec diſſolvatur, deinde coagul. idque ternis vicibus repet. doſis eſt, quantum cuſpide cultri teneri poteſt, cum duobus vel tribus vini cochlearibus, ſuperbibendo *vini albi generoſi* ℥vj. jaceat Æger quatuor horis in lecto ſupinus & quietiſſimus: hiſce elapſis, hauriat *juſculi caponum* ſcutellam mediam, & iterum per horam circiter quieſcat; dein prandium ſumat: &, ſi ſenſerit aliquam corroſionem, ſignum eſt, calculum diſſolvi: hoc repetat bis in ſeptimana; & liberabitur à calculo. Aliàs ſequens *Decoctum* pro calculo diminuendo eſt præſtantiſſimum:

Decoctum. ℞. *Rad. reſtæ bovis* ℥j.
fol. ſaxifragiæ,
virgæ paſtoris, ana m. j.
fruct. juniperi,
alkekengi, ana paria xx.
ſem. milii Solis ℥j.
bardanæ ʒiij.
cinamomi,
ſaxifrag.
aniſi, ana ʒij.
gran. hederæ arboreæ ʒß.
ſtipit. fabar. ſicc. ʒß.
aq. pariet.
vini albi, ana q. ſ.

F. Decoct. ad tertiæ partis conſumpt. de hoc ſumantur ℥iij. cum *ſyrupi de ſucco citri* ℥j. Ordinari quoque poſſunt ſequentia: *tartarus nitratus Minſychti, ſpiritus vitrioli coagulatus, magiſt. petroſel. tinctura proprietatis, ſal nephriticum, marmelada* &c. *Chymica.*

Vel

Lixivium. ℞. *Cinr. ſtipit. fabar.*
geniſtæ,
reſtæ bovis, ana ℥iß.
juniperi ℥j.
aq pariet.
beton. ana ℔j.

Coq. & F. Lixivium, quod transcol. & aromatiſetur cum ſ. q. *aq. cinamomi.* De hoc

℞. ℥iij.
ſucci citri ʒvj.
ſyr. de althæa ℥j. M. pro doſi.

In magnis urinarum obſtructionibus, & arenularum copiâ, *Therma* noſtræ *Badenſes* ſummè proſunt: nam ob ſpiritum calcis magnopere ſunt diureticæ: quibus commodè ſubſtitui poteſt *Balneum noſtrum artificiale*; quod mihi, dyſuria laboranti, Anno 1669. & verè periclitanti, opem attulit præſentiſſimam. Tanta eſt quandoque dolorum vehementia, ut ad *Narcotica* confugere opus habeamus: exhibemus ſcilicet gr. iiij. *opii cum ſulphure præparat.* vel totidem *laudani Cæſaret.* Quòd ſi calculus in via ſit, *Cucurbitulæ* applicatæ, & verſus inguina tractæ, quandoq; calculum movent, ſeu transferunt, & dolores leniunt. Si lapis ſit in veſica, qui, ob magnitudinem, diſſolvi non poteſt, *lithotomiâ* auferendus eſt: de qua operatione vide *Chirurgiam noſtram*, & in hac citatum Ambroſium Paræum. *Therma. Narcotica. Cucurbitula. Lithotomia.*

Diæta probè ſervata præſervat à calculo: abſtineat itaque Æger ab eſu caſei, carnium & piſcium infumatorum, caulium, aromatum, & nimis ſalſorum: utatur juſculis, ſucco limonum & acetoſæ alteratis; abſtineat item à motu violento, præcipuè equitationibus multis, vini potentis & horni, indefæcati, hauſtu, Venere immodicâ, & decubitu ſupino; qui renes maximè calefacit, eóſque premendo multis humoribus viſcoſis infarcit. *Diæta.*

Objic. 1. Galen. *comment. 26. in 3. aph.* ait: materiam craſſam, cui vehementia caliditatis accedit, eſſe cauſam generationis lapidum; cùm tamen à moderato calore poſſit generari; uti apparet in fluviis & fontibus. Reſp. calorem ſolito majorem ſufficere ad generationem calculi, qui & fluviis & fontibus negari non poteſt; fontes enim hyeme ſolito magis incaleſcere videmus. Reſponſionis hujus veritas eruitur ex Avic. dum ait: *Virtus verò augens eſt caliditatis, dum egreſſa eſt ab æqualitate.* *Objectiones.* 1.

Obj. 2. Ergo taliter aucto calore lapides generari poterunt artificialiter: quod tamen nunquam viſum eſt. Reſp. Si adſit materia, vi lapidificâ prægnata, concedo; ſin minùs, nego: 2.

quin

quàm & lapides artificiales ita noſtros quandoque fallunt oculos, ut pro veris accipiantur.

3. Objic. 3. Vis iſta lapidifica (ſi datur) eſt prævia quædam diſpoſitio ad formam lapidis, in materiam illam introducendam: ſed nulla forma poteſt aſſignari illius productiva: ergo non datur vis illa lapidifica. Probatur minor: quia ſubſtantiæ rerum non petunt ſui corruptionem: ſi verò forma partis viventis produceret diſpoſitionem lapidificam in materiam, id faceret intentione propriæ corruptionis: quod eſt abſurdum. Reſp. Poſita ſententiâ, quòd in generatione non fiat reſolutio uſque ad materiam primam, remanent multæ diſpoſitiones, & inclinationes, ad hanc potiùs, quàm aliam formam ſuſcipiendam; uti contingit in alimentis, quæ, in humores noſtros mutata, certas retinent diſpoſitiones ad hanc potiùs, quàm aliam formam ſuſcipiendam.

4. Objic. 4. Videtur partim aſſeri, dormire ſupra dorſum, calculoſis eſſe peſſimum; imò multos, hoc vitando, fuiſſe præſervatos: cùm tamen Avicen. *11. cap. 16.* ſequentibus obſtet: utpote dicens, dormire ſupra dorſum, eſt ex iis, quæ lapidi conferunt: nam ad reſolutionem materiæ conferunt: & ſic non ſemper nocet, ſed potiùs juvat decubitus ſupinus. Reſp. Dormire ſupra dorſum non prohibetur ratione calculi jam generati; immò potiùs ſuadetur: ſed magis ratione generandi: nam per ejuſmodi decubitum intemperies renum augetur; quod ad generationem calculi plurimum facit.

Quæſtio. 1. Quæres primò: An calculus renum excidi poſſit? Reſp. cum Avicenna, *loco citato*, dicente: Sunt quidam, qui laborant, extrahere ipſum calculum per inciſionem ilii, & dorſi: ſed eſt timor magnus in eo, qui rationem non habet; quia oportet penetrare per muſculos, per dorſum, per oſſa magna, per nervos, & arterias magnas: in quo caſu accidit ſyncope, & mors: atque adeò cura eſt potiùs impoſſibilis, quàm fieri poſſe putetur, niſi apoſtemate facto, ad extra tendente: quod patet ex partis mollitie &c.

Quæres ſecundò: Quomodo diuretica in calculo renum poſſint conferre; cùm obſtructiones augeant, magnam ſcilicet humorum ſaburram illuc devehendo? Reſp. cum Conciliatore, *diff. 205.* diuretica non conferre in corpore cacochymico, aut plethorico, niſi factâ evacuatione & digeſtione: item non conveniunt in ulcere recenti, nec ubi adeſt obſtructio: nam, veluti calida, reſolvunt & petrificant: præterea in ardore urinæ non ſunt admittenda, eò, quòd ad locum læſum materias deducant, & ad mingendum ſtimulent; unde dolor augetur. 14

Caput. LXXI.

De Inflammatione, & Ulcerib. Renum, & Veſicæ, Obſtructione, Urinæ Ardore, & Stranguriâ.

Poſt ingentes calculi dolores ſequitur frequenter *Inflammatio*, quæ aliquando etiam *fit* à ſangvine, in ſubſtantiam *renum*, ob plethoram, ictum, caſum, ſaltum, equitationem, attritum, compreſſionem, Venerem, motum violentum, pharmacorum acrimoniam, cantharides &c. effuſo. *Cognoſcitur* ex gravi lumborum dolore pulſatili, ex ardore ingenti, febre inæquali, cruris vicini ſtupore, urinæ ardore & dyſuriâ, ſeu difficili mictione, urinâ primò tenui, deinde craſſâ & ſaturatâ, ex alvi conſtipatione, ructu, cardiogmo, bilis vomitu, ſiti, cibi faſtidio, præcordiorum diſtenſione, magnâ reſpiratione, lingvæ oriſque ſiccitate &c. *Inflammatio Renum. Unde. Signa.*

Veſicæ inflammatio eaſdem ferè cauſas & ſigna habet, præterquàm quòd major ſit perinæi dolor, urinæ ſuppreſſio, ſtranguria, teneſmus, delirium &c. Quibus in urina adeſt ſuperficies quaſi adipalis, & conferta, his nephriticus & acutus morbus adeſſe, malúmque lethale ſignificatur. *Veſicæ. Prognoſtica.*

ficatur. Pueri ab anno ſeptimo, ad decimum quartum, maximè hac vexantur, ob ingluviem. Solvitur hoc malum urinæ cruentæ excretione, lævi & albo ſedimento præditæ. Si verò nullo modo urinæ procedant, neque veſica remolleſcat, febrisque perſeveret; primis morbi periodis interimit: accedit enim omnimoda urinæ interceptio, & tandem gangræna, cum morte.

Cura per Diætam: Venæſectio. In utraque inflammatione *victus* ſit refrigerans & humectans, præmiſſoq; clyſtere emolliente, primò *vena* brachii *ſecanda* eſt; dein ad malleolum. *Cucurbitul.* Renibus quoque inflammatis, *cucurbitulæ* humeris; veſicâ autem inflammatâ, oſſi ſacro, ad derivationem, affigantur. *Pharmaciam.* Leni quoque *pharmaco* expurgari poteſt Æger, veluti *caſſiâ*, *mannâ*, *tamarindis* &c.

Vel

Lene infuſum. ℞. *Fol. ſenæ ſ. ſt.* ʒiß.
flor. nitri ℈j.
Hiſce ſuperaffund.
aquæ bull. endiviæ, vel
fontanæ, ℥iv.

Stent per noctem: manè, forti expreſſione factâ, in colat. diſſolv. *ſacch. albi* q. ſ. ad gratum ſaporem, aromatiſ. paucâ *aq. cinamomi*, & propinetur. Vitatis violentis, quæ humores ad partes affectas trahunt, *Emulſio.* ſequens *Emulſio* exhibeatur:

℞. *Sem. melon.*
cucurbit. an. *excort.* ℥ß.
amygd. dul. excort. ℥j.
ſem. papav. albi,
portul.
lactuc, ana ʒj. Contund. in mortario, ſenſim affundendo
ſeri lactis capr. ℔ß. F. l. a. Emulſio; quæ dulcorari poteſt *ſyrupo violarum*, vel *endiviæ*. Loco hujus *juſcula* ex *la-* *Juſcula.* *ctuca*, *endivia*, *portulaca*, *telephio*, ſeu *fabaria*, *floribus nymphææ*; *roſ. viol.* & *ſem. frigidis* cocta propinari poſſunt: quibus addi poteſt parùm *ſucci limonum*, pro majori penetratione.

Externa. *Extrinſecè* repellentia ſunt adminiſtranda: v. g. *oxyrrhodinum*, *ung.* & *oleum roſ. ung. refrigerans Galeni*, *Comitiſſæ*, *ceratum ſantalinum*, cum *mucilagine ſeminis cydon.* & *pſyllii*: hoc fiat in principio: in augmento enim digerendum eſt *decocto althææ*, *malvæ*, *violarum*, *parietariæ*, *chamomillæ*, *meliloti*, *ſem. lini*, *fænigraci*, *rad. lil. alb. althææ*, &c. in *hydromelite* facto. *Enemata* frequenter ex ſimilibus injiciantur. *Maturantia.* Si inflammatio tendat ad *ſuppurationem*; quod patet ex febris augmento & rigoribus: prædictis addantur *paſſulæ*, *ficus*, *fermentum*, &c. Extrinſecè *fomentis* juvetur, & *empl. de mucilaginibus* applicetur. *Detergentia.* Rupto verò abſceſſu, ad *detergentia* deveniendum eſt: ut ſunt *emulſiones* ex *decocto hordei*; in quibus parum *terebinth.* in *aqua pariet.* lotæ diſſolutum ſit.

Ulcus Renum & Veſicæ. *Ulcus Renum*, & *Veſicæ*, fit ab acribus cibis, medicamentis, venenis, humoribus pravis, venâ ruptâ, abſceſſu, calculo &c. *Signa.* *Cognoſcitur* ex rejectione materiæ purulentæ, cum urina bene permixtæ, ramentorum etiam aliquando, & caruncularum innatantium. Si eſt ulcus *Renum*, adeſt lumborum dolor: ſi *Veſicæ*, pubis & perinæi: in hoc adeſt ſtranguria, & furfurum excretio, urinaque graveolet. *Prognoſis.* Renum vitia non tantùm in ſenibus, ſed etiam in aliis, difficulter ſanantur, ob continuum urinæ affluxum, & debilem calorem. Non tamen adeò periculoſa ſunt renum, quàm veſicæ ulcera; eò, quòd illi ſint carnoſi; hæc verò exſangvis & ſpermatica: quæ per medium homogeneum regenerari non poteſt.

Curatio. Purgatio. *Cura* perficitur leni *Purgatione*, ex ℥ij. *caſſiæ*, vel ex *infuſo* ʒiß. *fol. ſenæ*, in ℥vj. *ſeri lactis*, cùm ʒß. *florum nitri*, & pauco *ſaccharo*: dein *Venaſectione*, ſi corpus ſit plethoricum: *Venaſectio. Detergentia &c.* poſtea ulcus *detergentibus* & conſolidantibus tractandum eſt. *Terebinthina* potenter abſtergit, in *aqua parietariæ* ad albedinem lota, & ad ʒß. ſumpta; item *hydromel*, *priſana*, *ſerum lactis*, *lac aſinæ*, aut *capræ*, cum *ſaccharo*, aut *rotulis diatragacanthi frigidi*: Item *emulſiones*, ſuperiùs ordinatæ, præſcribi poterunt: item *enemata* adminiſtrentur: *Cataplaſma.* *Cataplaſma* exteriùs admoveatur ex *farina ſem. lini*, *fænigr. orobi*, *pulv. radicis ireos*, cum *lacte* coctum. *Conſolidantia. Trochiſci.* *Conſolidantia* ſunt *trochiſci de carabe*, vel de *thure*, *alkekengi*, de *ſpodio* &c. cum *conſerva roſ.* ſumpti: vel fiat

Emulſio. fiat *Emulſio ex ſemine portulacæ*; in qua diſſolv.

ſang. drac. ʒß.

ſyrupi de roſis ſiccis ℥j.

In conſolidatione ulcerum veſicæ & renum non parum faciunt enemata adſtringentia; qualia ordinavimus *in cap. de Dyſent.* ita tamen, ut abſtergentia alternatim injiciantur. *Diæta.* *Victus* ſit aliquo modo ſiccus: Æger abſtineat ab equitatione, Venere, & quovis motu graviori. Acria omnia, tum alimenta, tum medicamenta, nocent.

Urinæ ardor: Unde. *Urinæ ardor fit* vel partis, vel urinæ, vitio: ſi nimirum pars, per quam transit urina, ſit ulcerata, vel ſi urina valde acris & mordax fuerit, ita, ut partes exulceret. Fit autem acris urina ob ingeſta calida & acria, vel ob jecoris & renum intemperiem calidam, vel ob mixtionem bilis, ſalſæ pituitæ, vel puris: eò autem faciliùs meatus urinæ in cole exulceratur, quando oleosâ illâ, à paraſtatis proveniente ſubſtantiâ non ampliùs irrigatur iſte meatus: tunc enim contabeſcit, & multò acrior redditur ſenſus: hinc tantus ſentitur dolor.

Cura. In *Cura* hujus affectûs, ſi fiat partis vitio, hæc eſt corrigenda: ſi humoris, & hic eſt emendandus: ſi acris ſit, evacuandus per purgantia: qui dein remanet, contemperandus eſt. In magno urinæ ardore vena ſecanda eſt, & materiæ reliquum contemperandum refrigerantibus & humectantibus jusculis, julapiis, emulſionibus, jam *antè* commemoratis: item poſſunt fieri *injectiones* in virgam ex *lacte tepido*, vel *cremore hordei*: quæ etiam extrinſecus applicari poſſunt. Vide ea, quæ *de inflammatione renum & veſicæ* dicta ſunt.

Stranguria. *Iſchuria*, vel *Stranguria*, eſt vel totalis, vel partialis urinarum ſuppreſſio: nam vel actus mingendi, qui partim naturalis eſt, partim animalis, vel aboletur; & dicitur *Iſchuria* propriè; vel diminuitur, & eſt *Dyſuria*: vel depravatur, & eſt *Stranguria*.

Iſchuria: duplex: *Iſchuria* eſt *duplex*: *legitima*, & *ſpuria*: *legitima* eſt, quando veſica plena omnino obſtruitur: *ſpuria*, quando nihil eſt in veſica. *Legitima: Unde.* *Legitima* iſchuria primò fit à ſenſu veſicæ abolito, ob nervorum reſolutionem, vel ob ſpirituum vitium; uti in deliriis & ſoporoſis affectibus: ſecundò fit ab intemperie frigida: tertiò ab anguſtia colli veſicæ; ſeu à tumore ſphincteris, ſeu à caruncula, callo, inflammatione, ſcirrho, abſceſſu, humore lento & craſſo, calculo, ſangvinis grumo, pure, &c. proveniat. Poteſt etiam fieri à compreſſione meatûs urinarii, vel colli veſicæ, ob tumorem partium vicinarum; vel uteri geſtationem; vel ob fæces in inteſtino recto induratas; vel denique ob hæmorrhoides prætumidas. Fit etiam urinæ ſuppreſſio ob urinam copioſam, ipſam veſicam diſtendentem, ita, ut fibræ ſeſe contrahere non poſſint ad expellendam urinam; ob quam tenſionem meatus etiam contrahitur, & curtior redditur, urinæque tranſitus inhibetur.

Retinetur autem *urina* duobus modis: *Urina retentio:* vel ob urgentia negotia, in Concilio, itinere, equitatione, concionibus, conviviis &c. ſecundò dum urinæ ſtimulus non percipitur, ob ſenſum veſicæ obtuſum, nervis malè affectis; quod luxatâ ſpinâ, teſte Galeno, *6. de loc. aff. cap. 4.* facilè contingit.

Illegitima verò iſchuria fit, quando *Spuria: Unde.* veſica nullam in ſe continet urinam, eò, quòd ad eam nihil fluat, vel ob renum debilitatam facultatem attractricem, vel ob errorem externum. Facultas autem læditur vel ob magnam intemperiem frigidam; vel adeſt magna quædam obſtructio in renibus ipſis, vel in emulgentibus, à calculo, arenâ, vel infarctu humorum pituitoſorum & viſcidorum, vel puris, vel ſangvinis concreti, vel etiam ab inflammatione & tumore. Fit etiam quandoque, ut ſeroſa materia à magno febris æſtu conſumatur, vel aliò tendat; ut in hydrope: in frequentibus etiam alvi dejectionibus plerumq; adeſt paucitas urinæ. Obſtruuntur etiam aliquando ureteres à pituita, calculo, arenulis, ſangvinis grumo, inflammatione, tumoribus, & partium adjacentium compreſſione. Non tamen fit omnimoda urinarum ſuppreſſio, niſi in utroque rene, vel emulgentibus, vel ureteribus, adſit obſtructio. Nota, quòd, ſi tantùm partialis adeſt urinarum ſuppreſſio, non fit verè dyſuria; ſed ſtranguria, ab iiſdem cauſis, ſed *Partialis urinæ ſuppreſſio.*

A cerevisia fit ſtranguria, quam vocant die Falte Piß (oll Seig.) minoribus. Fit autem ſæpe à potu cerevisiæ recentis, & non defæcatæ; quæ ſuis fæcibus vel obſtructiones facit, vel nimis ſæpe facultatem excretricem, ob aliquam acrimoniam, ſtimulat, unde non quantitativè, ſed qualitativè noxia impellitur ad excretionem.

Signa diagnoſtica. Signa Iſchuriæ *legitimæ diagnoſtica* ſunt in propatulo: nam cognoſcitur ex tumore, tenſione, pondere, & dolore veſicæ.

Cauſa. *Cauſas* ex Ægroto ſciſcitari licet: ſi enim proveniat à copia urinæ, dicet, ſe eam coactè retinuiſſe: ſi ſit caruncula, præceſſit gonorrhæa: ſi calculus, nephritis: ſi à ſangvinis grumo, pituitæ portiunculæ catheteri adhærebunt. In *ſpuriâ* verò iſchuria nihil à renibus ad veſicam transmittitur: & hinc in partibus inferioribus nullus adeſt tumor, vel tenſio.

Prognoſis. *Prognoſtica* quod attinet, ſemper omnimoda urinæ ſuppreſſio periculoſa eſt: præcipuè ſi diem ſeptimum excedat: licet ad undecimum, & decimumquartum, perveniſſe aliquando notaverimus. Tandem tamen, niſi ſolvatur, urina retenta calorem nativum planè exſtingvit: hinc ſi ad pulmones feratur, anhelationem; ſi ad caput, coma; ſi ad capacitatem abdominis, hydropem cauſat. Quòd ſi iſchuria proveniat à luxatâ ſpinâ, eſt incurabilis. In urinæ retentione, ſi teneſmus, vel ſingultus, ſuperveniat, lethale eſt: item, ſi odor urinæ naribus & ore ægrotantis ſentiatur, malum: teneſmus item urinæ retentioni malus; ſingultus autem peſſimus.

Curatio illegitimæ, Iſchuria *curatur* cauſæ ablatione: ſi *illegitima* ſit, à renum obſtructione, inflammatione, calculo, ſangvinis grumo &c. obſtructiones diureticis, inflammatio venæſectione & epithematibus refrigerantibus, calculus remediis *antè* dictis; ſi à grumo ſangvinis, incidentibus &c. curabitur. Nos Iſchuriam illegitimam feliciſſimè curavimus *Balneo* ex *oleo lini*; deinde ventoſis, à regione renum ad pubem uſque ſat fortiter tractis, & ſæpius iteratis: hac enim methodo ultra quatuor aquæ menſuras intra breve tempus extraximus, & Æger, jam præ aquarum multitudine monſtroſus, ab Orci facibus *Cura D. L. Enfant Illuſtriſ. Comitis de Noſtitz quondam Præfecti.* ereptus fuit. Simili affectu expiravit Illuſtriſſimus Baro de Goldek: nemine ſcilicet hanc curam ſuggerente.

Legitima; à calculo Veſicæ & inflammatione. *Legitima* verò iſchuria ſi fiat à calculo veſicæ, vel inflammatione, collum ejus obſtruente, vide *cap. de Calculo* & *Inflamm. veſicæ*, præterquam quòd Æger cruribus in altum elatis collocari poſſit, & concuti: ſi verò calculus in urethrâ jam ſit; ipſius excluſio totalis procuranda eſt, digitis modeſtè impellendo, virgam humectando oleo repido, vel decocto herbarum emollientium, cùm applicato, tum injecto. Si verò neque hoc modo excluſio procurari poſſit, ligetur utrinque membrum, & ex parte ſuperiori, tamquam magis carnosâ, & minùs nervosâ, exſcindatur calculus, & vulnus more aliorum curetur. Si verò veſicæ obſtructio fiat à *caruncula*, hæc revulſionibus & conſumentibus eradicanda eſt. *Carnoelli.* Aliqui extremitati candelæ *pulv. Mercur. præcipit.* apponunt, & inductâ tandem eſcharam educunt, ſicque paulatim eam conſumunt. Nos præferimus *antimonium crudum*; quod, taliter immiſſum, carunculam paulatim exſiccat & conſumit. Si verò nullus urinæ tranſitus concedatur, immiſſo cathetere procuretur; qui aliquando per aliquot dies intus tenendus eſt, cùm ut foramen amplietur, tum ut urina ſecedat. Ita aliquando fratrem Conſulis Viennenſis curavimus, qui ab aliis pro colico curabatur; & dolores erant ab extenſa, inſtar tympani, veſica. Nota: urinæ difficultatem, uti & partûs, quandoque etiam à capitis debilitate provenire: uti vidimus in ſurda quadam Dominâ, quæ nullatenus ad partûs excluſionem juvare poterat. Ubi enim nervorum & motûs principium læſum, omnes excretiones quoque lædi neceſſe eſt. Si urinæ ſuppreſſio fiat *à craſſa & viſcida materia*, præmiſſo *phlegmagogo*, exhibeantur ℥ij. *terebinthinæ*, cum *aqua pariet. lota*, addito *pulvere liquiritiæ*, ad aliquot dies: interea, non omiſſis *Unguentis*, *Fomentis*, *Inſeſſubus*, *Balneis* &c. ſequens etiam *Julapium* ſæpius propinetur: *à craſſa & viſcida materia.* *Julapium.*

℞. *Succi pimpinellæ,*
althææ,
ononidis,

citri,

citri, ana ℥j.
aq. parietaria ℥v.
ſyr. de ſuc. raphani,
dialth. Fernelii, ana ℥j.
ſpir. vitrioli gvj. M. pro duabus doſibus matutinis, & ſæpius repetatur. Vide ea, quæ *de Calculo renum & veſica* dicta ſunt.

Diſuria. *Dyſuria* eadem fere, præterea, quæ *ſupra* dicta ſunt, conveniunt medicamenta.

Stranguria. *Stranguria*, cujus *cauſa duplex* eſt: acrimonia urinæ, ob intemperiem calidam, vel bilis admixtionem; & veſicæ propria affectio, inflammatio ſcilicet, ulcus, lithiaſis, & retentricis debilitas à quavis retentione, pro cauſæ varietate *curatur*. Si proveniat *à frigiditate*, ut à largo cereviſiæ recentis potu, curatur *vini* potione: ſi *à calore*, poſt equitationem, Venerem &c. venæſectione, & applicatis frigidis, ut aquâ frigidâ, vel ſolâ matulâ, cedit.

à Frigiditate. *Calore;*

Quæſtiones: I. Quæres 1. Quid nomine nephritidis intelligatur? Reſp. cum Galeno, *1. de comp. med. per loca*, nomine nephritidis intelligi *inflammationem renum, abſceſſûs, ulcera, calculos* &c.

II. Quær. 2. Quomodo diſtinguatur ulcus renum ab ulcere veſicæ? Reſp. cum Hippocrate, *4. aph. 76. Quibus in urina, craſſâ exiſtente, caruncula parva, aut veluti capilli, unà exeunt; his à renibus excernuntur.* Et *4. aph. 77. Quibus in urinâ craſſa furfuracea quadam ſimul eminguntur; iis veſica ſcabie laborat.* Lege Galenum, *6. de loc. aff. cap. 2.* Ubi renem affectû eſſe cognoſces, ſi dolores cum horrore per intervalla, varióque infeſtare videantur.

Objectio. Objicies: Gal. *3. aph. com. 16.* & *58.* dicit, ſtranguriam eſſe quoddam retentricis potentiæ ſymptoma, & tamen, *6. de ſympt. cauſ.* repoſuit eam inter facultatis expultricis ſymptomata. Reſp. hoc dubium ſolvit ipſe Galenus, *6. de loc. aff. cap. 1.* dicens, humores mordaces omnia inteſtina, & veſicam, ad excretionem ſtimulant; qui verò mordaces non ſunt, imbecillitatem inteſtinorum ſequi conſveverunt, quæ contenta exiguo quidem tempore retinere poteſt: ac ſi dicat, ſi à mordacitate humorum ſtranguria fiat, ad expultricem facultatem pertinebit; ſi verò ab imbecillitate, ad retentricem. Lege de his cauſis Aëtium, *ſerm. 11. cap. 19.* Æginetam &c.

Quær. 3. Cur Hipp. *7. aph. 48.* dicat, vini potionem, & venæ inferioris ſectionem, meiendi difficultatem ſolvere; cùm vinum, ob calorem & levitatem, videatur potiùs caput petere? Reſp. Experientia nos hactenus docuit, omnes illos, qui aliquâ urinarum difficultate laborant, aquæ, aut cereviſiæ potum tolerare minimè poſſe; à vino autem levamen experiri; quia illud non tam diu ſtagnat, ac aqua; quæ non tranſit, ſed potiùs ſibi vias præcludit: vinum autem, quod multò citiùs actuatur, utpote tenuium partium, citò tranſit. Quòd autem venarum inferiorum ſectio curet meiendi difficultatem, cauſa eſt, quòd depletis vaſis meatûs ubiq; reddantur patentiores. *III.*

Caput LXXII.

De Mictu Sangvinis, Diabete, & Urina Incontinentiâ.

NOn leviter ſæpe homines terret *Sangvinis Mictus*; qui, ſi multus ſit, cum perfecta mixtura, à renibus, utpote carnoſis, plerumque provenit; ſi verò paucus, à veſica, velut magis exangvi, proficiſcitur: quamvis ab ipſo veſicæ collo aliquando grumoſus ſangvis, ſed cum reliqua urina minùs permixtus, ob viarum brevitatem, excernatur: in quo caſu adeſt partis ipſius, pubis ſcilicet, pectinis, & perinæi dolor: aliquando etiam nullus adeſt dolor, quando à vaſis ſpermaticis, per immodicam Venerem laxatis, profluit. *Mictus ſangvinis. Unde.*

Cauſa mictûs cruenti, à renibus orti, eſt vel anaſtomoſis, vel diæreſis, vel diapedeſis &c. *Anaſtomoſis*, ſeu vaſorum dilatatio, fit vel à robore facultatis; ut ſæpe fit in criſibus: vel à copia ſangvinis, venas dilatantis; uti contingit in plethoricis, aliquo membro mutilatis, & conſvetâ aliquâ evacuatione carentibus: vel à calore, & motu vaſa reſerante. *Diæreſis* eſt corroſio ab acribus *Cauſa. Anaſtomoſis.*

cribus ſuccis; & ſuccedit non raro vulneribus vaſorum, fluxioni, ictui, calculi attritui &c. *Diapedeſis,* *Diapedeſis* eſt rarefactio, quæ accidit ob facultatis debilitatem, frigidam intemperiem, vaſorum laxitatem, ob mollitiem & humiditatem, item ob ſanguinis ſeroſi tenuitatem; uti patet in hydropicis: nam præterquam quòd talem ſanguinem nauſeat natura, ob tenuitatem, per minimos etiam meatûs ſeſe inſinuat; uti videre eſt in omnibus hæmorrhagiis, hydropem præcedentibus. *Signa cauſarum.* *Signa cauſarum* ſunt, quòd, ſi, in plethoricis, per intervalla copioſè fluat ſanguis, cum gravitate lumborum, abſque dolore, tum anaſtomoſin adeſſe conjiciendum eſt. Copioſiùs autem fluit ſanguis à rupto vaſe per caſum, ictum, item poſt calculi attritionem: ſi verò adſit eroſio, ſanguis fluit in pauca quantitate, tenuis, & cum dolore. Idem ferè accidit in vulneribus, præterquam quòd ſanies adjungatur.

Indicationes. *Indicationes* ſunt, ut ſangvis fluens revellatur, derivetur & ſiſtatur, per vaſorum occluſionem, & partis roborationem. Si ſangvis peccet qualitate, alterandus; ſi copiâ, minuendus: in plethoricis tamen, quibus aliquando, & per intervalla fluit, non eſt temerè ex toto ſiſtendus, ne ad partem nobiliorem refluat, indéque graviora oriantur ſymptomata; uti eſt vertigo, inſania, oculorum cæcitas, cachexia, vel hydrops: ut teſtatur Aëtius, *lib. 3 ſerm. 3.* attamen nimia virium debilitas exſpectanda non eſt: ſi quis copioſè, inopinanter, & nullo prægreſſo ſymptomate, ſanguinem mingat, in renibus venulam ruptam eſſe, ſignificat: *4. aph. 78.*

Cura. Indicationibus itaque ſatisfaciemus primò avertentibus & ſiſtentibus: *Avertentia.* *avertentia* ſunt ſangvinis miſſio, dum vires adhuc conſtant, ex brachio parti affectæ correſpondente, cucurbitularum applicatio, brachiorum cingula & frictiones: ſi cauſa ſit acris humor, venas *Alterantia.* erodens, is *alterandus* eſt per emulſiones, julapia, ſyrupos, lac ovillum chalybeatum; & expurgandus per cholagoga. Si ſanguis eſt valde aquoſus, exhibeantur medicamenta *hydrogoga*: ut:

Purgantia. Potio hydragoga.

℞. *Syr. hydragog. Minſichti*
ſucci rad. ireos noſt. ana ℥iß.
pulv. rad. gelappa,
crem tart. ana ℈j.
M. F. Potio.

Vide plura in *cap. de Hydrope.* Tandem ad *adſtringendum* intus propinetur ſeminis *plantag. pulveriſati* ʒj. cum *lacte chalybeato*: *Adſtringentia.*

Vel

℞. *Corall. rub. praparat.*
boli Arm. praparat.
cort. myrob. citr.
ſem. plantag. ana ʒj. M. F. Pulvis;

cujus doſis erit ʒj. in *aqua plantag.* vel propinetur ſequens *Julapium*: *Pulvis.*

Julapium.

℞. *Aq. portulac.*
plantag.
roſ. ana ℥iv.
ſyr. de roſ. ſic.
corall.
granor. kermes, ana ℥j.
M. F. Julapium.

Externa. Extrinſecè lumbis applicetur *emplaſt. de bolo*, malaxatum cum *ol. roſ.* vel ungantur *unguento Comitiſſa*, cum *oleo myrt. cydon. roſ.* &c. Si jecoris debilitas pateat ex humoris debilitate, eò, quòd non ſatis humores bonos à noxiis ſeparet, eidem emplaſtris, epithematiſque hepaticis ſuccurrendum eſt. *ex Veſicâ.* Si verò ſanguinis tantùm *ex veſicâ* fiat rejectio, fiant injectiones in eam ex *lacte chalybeato*, in quo aliquid *boli Armena*, *terra ſigillata*, & *ſucci plantaginis* diſſolvatur, eademque externa pubi & perinæo, quæ lumbis, applicentur. Fit quandoque, ut huic caſui accedant derepente animi deliquia, cordis palpitatio: & tunc ſignum eſt, *grumum ſangvinis* urinas remorari & obſtruere; *Grumos ſangvinis diſſolventia.* & *Theriaca vetus*, in *oxycrato* diſſoluta, propinanda eſt; vel *coagulum hædi*, aut *leporis*, diſſolvatur in *oxymelite*, & *decocto raphani*, cum pauca quantitate *trochiſcorum de carabe*, novum fluxum cohibentium. Eodem modo ſanguinis grumos *diſſolventia* injiciantur: quibus nihil juvantibus, catheter immittatur, vel alio quovis modo ſanguinis grumus excludatur.

Symptoma renum, humorem ſeroſum nimis attrahentium, &, propter imbecillitatem, non retinentium, eſt *Diabetes*; quem Gal. *6, de loc. aff. cap. 3.* *Diabetes.*

ſeſe

ſeſe tantùm bis vidiſſe fatetur: Rabbi Moſes, *part. 8. aphoriſmor.* dicit, in Ægypto, ob potum aquæ Nili, frequenter contingere. In hoc urina per renes, velut aqua per ſiphonem, percolatur: *eſtq́;* potus, nihil ferè mutati, per urinam, præcox & præmatura quædam excretio, cum ſiti.

Quid.

Ejus Cauſa. *Cauſa* ſunt calida & ſicca renum intemperies, proveniens à cibo & potu calidis, acribus, ſalſis, vermibus, venenis, cantharidibus &c.

Signa: Diagnoſtic. *Signa* ſunt, quando urina tenuis & aquoſa, potui concolor, excernitur, ac in majori quidem quantitate, quàm potus fuerit, ob ſalinam partium reſolutionem, vel potiùs colliquationem; magna adeſt ſitis, eò, quòd fundo dolii pertuſo, id eſt, renibus ita laxatis, tota ferè humiditas ex vaſe corporeo exhauriatur: & hinc viſcera incaleſcunt & contabeſcunt, abſente humiditate calorem diluente; ſique parum urinæ remorentur partes circa renes, intumeſcunt.

Prognoſtic. Si morbus hic ſit longinquus, lethalis eſt; & præcipuè ſi morbo alicui maligno ſucceſſerit.

Curatio: per Venaſection. *Curatur* hic affectus revellentibus, & modicè adſtringentibus. Ex fonte Chirurgico celebretur *Venaſectio*, ſi corpus ſit plethoricum &c. moderata tamen, pro revulſione: dein, ex fonte Pharmaceutico, corpus blandè per ſuperiora

Purgation. *expurgetur* leni quodam medicamento: ut;

Potio: ℞. *Syr. emet. Angeli Sala* ℥ß.
aqua nucum,
raphani, ana ℥iß.
infuſi purgantis ℥iij.
crem. tart. ʒß. M.F. Potio.

Adſtrictio. Tandem ad modicè *adſtringentia* paulatim deveniendum: ut:

Julepus. ℞. *Aq. plantag.*
roſar. ana ℔ß.
ſyr. de portul.
agreſta,
corall. ana ℥ß.
vini cydon.
granat. ana ℥j. M. F. Julap.
de quo ſæpius ℥iv. propinentur: vel, hujus loco,

Pulvis. ℞. *Sem. plantag.*
cumini toſti,
myrob. citr.
cort. thuris,
ſpica nardi,
corall. rub. praparat.
boli Arm. praparat.
ſang. drac. ana ʒß. Fiat omnium Pulvis; doſis erit ʒj. cum *vino rubro*, vel *aqua ſalvia*; vel poterit ſumi cum ſuperiori Julapio: vel, ubi magis adſtringendi erit animus, ex his, cum *ſyr. de roſ. ſic.* concinnari poterit *Electuarium.* *Electuar.*
Quidam exhibent *Theriaca rec.* ʒij. quæ, propter opium, omnes evacuationes impedit. *Evacua.*
Alii propinant *lac caprinum*, vel *aſininum*, *chalybeatum*: alii pro ſpecifico propinant *pulverem talpa* calcinatæ. Eraſtus conficit Syrupum ex *rad. ſymphyti majoris*, & *prunis ſylveſtribus*, feliciterque propinat. *Externa* ſunt, *Externa.*
ungventa *Comitiſſa*, *roſ. ſantal. empl. de bolo*; fomenta ex *plantagine*, *equiſeto*, *balauſtiis*, *roſis*, &c. in *aquâ fabrorum* & *aceto* coctis.

Urina incontinentia minus eſt malum, quàm diabetes; contingitque maximè pueris, qui urinam contra voluntatem, ſine dolore, dormientes rejiciunt. *Urina incontinentia.*
Cauſa ſunt, ſphincteris veſicæ reſolutio, ob pituitam, frigus, ictum, caſum, præpoſteram lithotomiam, ſeu ſectionem, vel etiam ob mollitiem & laxitatem, poſt balnea &c. item ob urinæ copiam, ut in ebriis, vel ob ejusdem acrimoniam. Cauſa itaque eſt ſphincteris laxitas, & ſuperflua humiditas; quæ exſiccante victûs ratione & purgantibus corrigitur. *Ejus Cauſa.*
Purgantia ſunt *pilula aſſajereth*, *cochia*, *extract. turbith*, *agaric.* &c. Aliquando etiam, ad partium illarum *exſiccationem*, propinandum eſt ſequens *decoctum* ſudoriferum, & ſimul laxativum: *Purgantia.* *Exſiccantia.* *Decoctum.*

℞. *Rad. aſari,*
ſalſaparilla, ana ℥ij.
lappa majoris ℥ß.
raſura ligni ſancti ℔ß.
ſaſſafras ℥iij.
paſſul. min. mundat.
fol. ſena ſ. ſt. ana ℥ij. Hiſce ſuperaffunde aquæ bull. ℔xvj. Stent in infuſione xxiv. horis, loco tepido; dein coq. in vaſe duplici, ad conſumptionem tertiæ partis: denique fiat expresſio, & colatura detur ad lagenam vitream. De hoc decocto exhibeantur ℥vj. calidè, & Æger per unam horam in le-

in lecto, vel balneo vaporoſo ſudet. Hûc etiam utiliter referri poteſt *Pulvis*, paulò antè ordinatus, cum *vino rubro* ſumendus veſperi. Perinæum, os ſacrum, & pecten *foveantur* oleis, unguentis & emplaſtris adſtringentibus: ut eſt *oleum myrtinum*, *olivarum immaturarum*, *cydon. de abſynthio*, *nardinum* &c. *unguentum Comitiſſa*, *emplaſtrum Ceroneum*, *balnea ſulphurea* & *aluminoſa*, quæ illas partes intensè exſiccant. Horum loco concinnari poterunt balnea ex herbis cephalicis & nervinis; quarum etiam decoctis partes prædictæ foveri poterunt.

Quæſtiones: I. Quæres 1. An, pro revulſione facienda, quovis diei & noctis tempore fieri poſſit phlebotomia? Reſp. cum Gal. *de curandi rat. per venæſectionem, c.12.* ubi ait: Quamobrem nec per noctem ſanguinem mittere verearis, ſiquidem ridiculum eſt, quod quidam à ſecundâ diei hora tantùm, usque ad quintam aut ſextam, ſanguinem mittunt; non alio quovis tempore.

Objectiones. 1. Objicies 1. Gal. *ad Glaucon. cap. 14.* & *4. de victûs rat. in acut. com. 19.* ait: *ſi abunde aër fuerit calidus & ſiccus, tunc à ſanguinis miſſione abſtinemus, etiamſi morbus magnus fuerit, & ætas florens*: ergo quovis tempore ſanguis non eſt mittendus. Reſp. hoc præceptum in Germania noſtrâ minimè obſervare licere, ob majores, quàm in Galeni patria, repletiones: immò, niſi mitteremus ſanguinem, omnes morerentur.

2. Objic. 2. Adſtringentia in mictu ſanguinis minimè videntur convenire; quia ſanguinem reddunt fluidiorem, utpote quæ ſimul & ſerum retinent, &, ſanguini mixtum, illum reddunt fluidiorem. Reſp. negando, adſtringentia tam fortia adhiberi, ut etiam emulgentes arteriæ adſtringi poſſint; ſed ea dûntaxat, quæ venas minores apertas, vel corroſas, conſtringunt; quo modo non impediuntur urinarum excretiones: deinde, etſi medicamenta quædam ſanguinem incraſſent: non tamen ſeri incraſſandi facultatem habent; ſed potiùs ſeparandi: ut patet in coagulatione; ubi ſanguis incraſſatur quidem, ſerum verò ſeparatur.

Objic. 3. Avicennas, *fen. 19. tract. 2. cap. 22.* vult, in mictu ſanguinis potiùs aperiri ſaphenam, quàm baſilicam: quod tamen hîc non practicamus. Reſp. Nos potiùs communiorem amplecti ſententiam. Sicut enim in fluxu menſtruorum immodico venas inferiores minimè ſecamus: ita & hîc abſtinendum ab iis eſſe judicamus.

Quær. 2. Quænam ſit vera differentia inter diabeten, & incontinentiam urinæ? Reſp. Primò: in diabete potum rejici, ſicuti hauſtus fuit: in urinæ incontinentia verò redditur mutatus. Secundò: diabetes eſt maximè renum affectus; teſte Gal. *de loc. aff. cap. 2.* accedente retentricis debilitate: urinæ autem incontinentia inter veſicæ accidentia numeratur. Tertiò: in diabete ingens adeſt ſitis; hinc etiam dipſacos, ſeu morbus ſitibundus dictus: in urinæ incontinentia verò non. *II.*

Quær. 3. Quònam referatur mictio nocturna, de qua Avicennas, *fen. 19. cap. 15*? Reſp. ad urinæ incontinentiam referri. *III.*

CAPUT LXXIII.

De Gonorrhæa, Priapiſmo, Inflammatione Teſtium, & Impotentia Virili.

QUamvis priora hæc, ſtrictiùs ſumpta, referri potuiſſent ad ſymptomata morbi Gallici: ordo tamen requirit, ut hîc de iis pauca tradamus. *Gonorrhæa* itaq; eſt invita & aſſidua ſeminis profuſio: eſtq; ſymptoma facultatis expultricis teſtium, & vaſorum ſpermaticorum; dum ſcilicet continuò ſtimulatur & cogitur ad expulſionem. *Duplex* eſt gonorrhæa: *ſimplex*, & *virulenta*: *ſimplex* oritur à ſeminis & ſanguinis copia, vel acredine; vel debilitate retentricis facultatis, poſt nimiam Venerem, balnea refrigerantia & humectantia; unde nec concoqui, nec retineri poteſt ſemen, ſed cum, vel ſine tentigine excernitur citra voluntatem: unde Galenus, *de ſympt. cauſ. cap. 4.* ait: ſi gonorrhæa fiat pene non erecto, fit ob retentricis debilitatem; ſi verò fiat cole extenſo, eſt inſtar convulſio-

Gonorrhæa quid: Quotuplex: Simplex:

Virulenta. vulſionis. Gonorrhœa *virulenta* ab impuro concubitu ſuam trahit originem, propter auram virulentam, ſeſe vaſis ſpermaticis communicantem. Sed de hac gonorrhœæ ſpecie plura dicemus in *Tractatu de Morbo Gallico*.

Curatio. Simplicis: *Simplex* gonorrhœa, ſi fiat à ſangvinis copia & acrimonia, ille eſt minuendus & alterandus: conveniet itaque *leniens* aliquod medicamentum: ut:

Lenitiva: ℞. *Caſſiæ rec. extractæ* ʒiß.
Bolus. *pul. magiſt. gialap. amygd. ſubacti* gr. vij.
Cum ſ. q. *ſyrupi de nymphæa fiat* Bolus, una vice ſumendus: deinde *ſanguis mittendus* eſt ex brachio dextro, in ſufficiẽti quantitate, prout ſanguinis copia requirit, & vires patiuntur. *Venæſectio:* Poteſt dein, ad *abſtergendos* meatûs, propinari *terebinthina* in *aq. parietariæ lota*, pondere ℥ß. vel ʒiij. *Abſtergentia.* item, ad *mundificandos* urinæ meatûs, propinentur *Emulſiones*: ut: *Mundificantia.*

Emulſio. ℞. *Sem. melon. excortic.* ℥j.
amygd. dulc. excort. ℥ij.
ſem. agnicaſti ʒij.
Contund. in mortario, ſenſim affund. *decocti hordei* ℔j. F. l. a. Emulſio, cum *ſaccharo* dulcoranda: doſis ℥vj. bis in die, jejuno ſtomacho: dein interdiu de ſequenti *Mixtura*, ad paulatim adſtringendum, ſæpius exhibeatur:

Mixtura. ℞. *Trochiſc. de carabe pulveriſat.*
ſem. agni caſti,
portul.
lactucæ,
plantag. ana ʒj.
rutæ ℈j.
corall. rub. prap. ʒj.
conſerv. fl. nymph.
menthæ, ana ℥j.
Cum ſ. q. *ſyr. de ſucco menthæ* F. Mixtura mollis: de qua ſæpius ſumat Æger ad magnitudinem caſtaneæ. *Externa* interim cùm refrigerantia, tum adſtringentia adminiſtrentur; quæ ex *ſuperioribus* repetere poteris: & cùm, teſte Aëtio, *ſerm. 21. ad cap. 33.* in fœminis ægrè tollatur malum, diu continuanda ſunt. *Externa.* Si gonorrhœa fiat à repletione ſanguinea, *victus* aliquo modo ſit tenuis: in humorum acrimonia motus violentus eſt ſummè noxius. *Diæta.*

Priapiſmus. *Priapiſmus*, ſeu Tentigo, eſt dolorifica, involuntaria, & continua penis erectio, nullâ præcedente voluptate. Huic ſi acciderit cordis palpitatio, & ad Venerem prurigo, *Satyriaſis* dicitur. *Satyriaſis.*

Cauſa. Affectus uterque *oritur* à flatulento ſpiritu, ex craſſis humoribus orto, qui nervum fiſtuloſum, erectorem penis, inflat & diſtendit: uti bene Galenus, *lib. 9. cap. 7. ſecundum loca* habet: fit etiam ob efferveſcentiam ſangvinis arterioſi, ſimulq; copiam, arteriarumque rarefactionem; unde copioſus ſpiritus in penem effunditur: uti Galenus, *lib. de tumor. cap. 15.* ſcribit. Ad hoc facit cibus evchymus, multus & acris; unde ſangvinis & ſeminis copia generatur; item ſupinus decubitus, abſtinentia à Venere: vel etiam fit à partium genitalium inflammatione, ulcere, dolore, &c. hinc materia illa flatulenta magnâ copiâ attrahitur, incurvatur & convellitur membrum, hominesque ad mortem præcipitantur: nam, teſte Aëtio, *ſerm. 2. cap. 32.* dolores ſunt, quales tetanici, & moriuntur, ventre inflato. *Prognoſis.*

Cura. Curam quod attinet, injecto clyſtere emolliente, & contemperante, *vena ſecetur*, extrahaturque ſanguis in bona quantitate, pluribus vicibus. *Venæſectio.* Aëtius, *loco citato*, inediâ per tres dies imperatâ curat. Nota: ſi Patientes inter venæſectionem facilè incidant in *animi deliquium*, malum illud præcaveri poſſe, ſi vena digito ſæpius occludatur, & uno impetu ſanguis non extrahatur: ſic enim tantum ſpirituum reficitur, quantum deperditur. *In animi deliquio quæ facienda.* Secari quoque poterit vena malleoli, ut ex ipſis partibus retrahatur fluxio, & ſanguis inflammationem cauſans evacuetur. Si corpus ſit cacochymicum, blandè *purgans* exhiberi poteſt: ut eſt *electuarium de tamarindis, bolus de caſſia*. *Purgatio.* Interdicenda ſunt diuretica fortiora, ne materiam ad partem trahant, & malum augeant. Conveniunt autem omnia illa, quæ *voluptatem extinguunt*: ut *emulſiones* ex *ſemine cannabino, agni caſti, melonum, lactucæ* &c. *Semen extinguentia.* mentis à rebus Venereis diſtractio, abſtinentia à nimio cibo & potu, item juſcula refrigerantia ex *lactucâ, portulacâ, endiviâ, acetoſâ, floribus nymphææ, ſemine papaveris albi* &c. quibus acida ſemper addi poſſunt. Inungantur renes ſequenti *Linimento*:

Linimentum.

℞. *Ol. nenuph.*
roſ. ana ʒvj.
ungv. refrig. Galeni,
populei, ana ℥ij.
camphor. ʒij.
aceti ſambucini ℥ß. M. F. Liniment.

Teſtes foveantur *oxycrato* frigido, *camphora* naribus admoveatur &c.

Teſtium: Scroti: Inflammatio: Unde,

Teſtium, & *Scroti*, *Inflammatio* fit à ſanguinis defluxu, poſt contuſionem, ictum, gonorrhœam, febrim &c. Huic itaque, priusquàm ſuppuretur, quantociùs eſt obviandum: nam abſceſſus in partibus adeò humidis eſt difficilis curationis, ob humiditatem & declivem partis ſitum. *Cura.* Præmiſſo itaq; clyſtere, phlebotomia in brachio celebranda eſt, deinde in pede; tertiò cucurbitulæ clunibus applicãdæ ſunt: materia fluens *Epithemata:* non, niſi in principio, repercutienda eſt linteis, in *oxycrato*, vel *aquâ plantaginis*, *fabrorum*, *ſolam*, vel in *aqua cultros acuentium*, cum *facibus* &c. vel in *oleo roſaceo*, *cydoniorum*, *myrtino*, vel *mucilagine ſem. cydon. pſyllii* &c. *aquâ roſ.* & *plantaginis extractâ* intinctis & impoſitis. *Cataplaſmata.* Malo verò progrediente, diſcutientibus utendum eſt: ut eſt *Cataplaſma ex floribus chamomillæ*, *meliloti*, *farinâ fœnigræci*, *ſeminis lini*, *fabarum*, *lupinorum*, additâ *axungiâ porci*, *gallinæ*, & *oleo anethino*. *Anodina.* Si dolor urgeat, intinge *micam panis* in *lacte tepido*, & applica; ſi verò tumor diſcuti non poſſit, maturantibus agendum eſt: ſi vergat in ſcirrhum, emollientia applicentur. Vide *cap. de Scirrho, in Chirurgia noſtra.*

Impotentia coëundi in Viris. Unde:

Impotentia coëundi virilis quibusdam accidit ob membrorum generationis debilitatem, quæ à malâ intemperie, vel à vitioſâ conformatione, dependet: & eſt actio vel impedita, vel depravata, vel ablata: nam ſi membra ſint frigida, hæc alimentum ſufficiens attrahere non poſſunt, & in ſemen convertere; vel ob penis brevitatem ſemen intromittere nequeunt. *Prognoſis.* Vitia, quæ à conformatione ſunt, ægrè curantur, potiſſimùm quæ ſunt in defectu, ob inſtrumenta vitiata, vel mutilata. Aliquando muſculi erectores ſuo munere non funguntur, & deeſt erectio; aliquando nervi ſunt obſtructi, unde ſpiritûs animales & naturales penetrare non poſſunt. *Cura.* Si impotentia proveniat ex defectu alimenti, imperanda ſunt, quæ multum nutriunt, & ſemen generant: *Semen augentia.* ut ſunt *ſuccus carnis*, *contuſa*, ſeu *conſummata*, *teſtes gallorum* & *arietum*, *limaces*, *bulloſa* pleraque, *oſtrea*, *nuclei pinearum*, *lac*, *amygdalata* &c. Tollantur animi pathemata: ut mœror & triſtitia, curæ & ſollicitudines. Si *partium frigiditas* in cauſa ſit, *à partium frigiditate,* quæ patet ex ignaviâ, & nullo, vel debili, Veneris appetu, ſeminis ſpontaneo lapſu, membri flacceſcẽtiâ & paralyſi, quæ, ſecundum Avicennam, cognoſcitur frigidæ affuſione, quâ ſi membrum ſeſe non contrahat, reſolutum eſt; præmiſſâ purgatione ſufficienti, plantæ pedum, renes, pubis & perinæi regio, ſequenti *Unguento* illinantur:

Unguentum.

℞. *Ol. caſtor.*
formic. ana ℥j.
nuciſtæ ℥ß.
euphorbii ℈ß.
moſchi ℈j.
alipta moſch. ʒiß.
cera parum, M. F. Linimentum.

De ſequenti *Mixturâ* ſæpius magnitudo caſtaneæ exhibeatur:

Mixtura.

℞. *Elect. diaſatyr.*
conſerv. rad. eryngii, ana ℥ij.
pulv. priapi cervi,
tauri, ana ʒij.
ſpec. diamoſchi dulcis,
diambræ, ana ℈j.

Cum ſ. q. *mellis anthoſ.* F. Mixtura mollis. Sequens Tragea ad impotentias & incantationes eſt mirabilis:

Tragea.

℞. *Caſtor.*
genitalis cervi,
piperis longi, ana ʒj.
ſatyr.
calami arom.
aaranis,
galangæ,
ſem. urticæ,
flor. borrag.
beton. ana ʒij.
ſacch. albi ʒvj. F. Tragea: doſis ʒj. cum *vino*.

Contra Philtrum: Specialia.

Si *Philtri* privativi adſit ſuſpicio,

℞. *Rutæ murariæ,*
hortenſis, ana mj.
ſecundinæ præp. ʒij.
Theriacæ ʒj.

Pulveriſata & mixta *cepa majori* excavatæ includ. torref. & exhibe: vel, ejus loco, propinetur ʒj. *fl. hyperic. pulveriſ.* cum *vino*, vel *aqua Magnanimitatis*, cujus

reme-

remedii, ex Caldera mutuati, unicâ exhibitione philtratum quendam liberavi: quo aſſumto vehementes per alvum, vomitum, & ſudores, Æger ille habuit evacuationes, & liberatus fuit.

Balnea. *Balnea* tam artificialia, quàm ſulphurea, inſtrumentis generationis refrigeratis, & paralyticis, plurimum conferunt. Ligaturæ, & impotentiæ naturalis, accurata examina vide in Gaſpari Calderæ ab Herediâ *Tribunali Medico-Magico-Politico.*

Quæſtio. I. Quær. 1. An poſſit fieri gonorrhœa abſque contactu Venereo? Reſp. affirmativè: aliquando enim fit ob intenſum Veneris deſiderium, quo renum adeps liqueſit; vel etiam ob retentricis debilitatem; vel ob reſolutionem.

II. Quær. 2. Quænam ſit diſtinctio inter gonorrhœam Gallicam, & non-Gallicam? Reſp. cum Proſpero Borgariccio, *lib. de morbo Gallico, c. 10. de Gonorrhœa.*

III. Quær. 3. Cur gonorhœâ affecti tanto Veneris appetitu ferantur? Reſp. 1. ob acrimoniam ſeminis: 2. quòd ſibi ſanitatem ex coitu futuram falsò imaginantur.

IV. Quær. 4. Quomodo diſtinguatur mulierum gonorrhœa à fluxu albo? ℞. Gonorrhœam Gallicam præceſſit coitus: fluxum verò album minimè; ſed tantùm color mulieris pallidus, temperamentum humidum, vel difficilis partus, vel nimius balnei humectantis uſus: deinde fluxus alb, etiã puellis quatuor vel quinque annorum contingit, ut in filiola Barbitonſoris Aulici, & quadam aliâ, eveniſſe notavimus; gonorrhœa verò non; quia in iis nondum generatur ſemen: humores autem impuri, fluxum album cauſantes, generari poſſunt. De ulteriori diſtinctione vide Paræum, *lib. 23. cap. 60.*

V. Quær. 5. Cur Aëtius, *ſerm. 11. cap 33.* dicat, gonorrhœam in fœminis ægriùs, quàm in viris tolli? Reſp. Ob majorem partium illarum humiditatem, adeoq; faciliorem receptionem: deinde ob ſanguinis humani alluvium; qui unà cum ſemine corrumpitur, & malum reddit pejus. Ita etiam *in Praxi noſtrâ* notavimus, fœminas difficiliùs, quàm viros, à morbo Gallico liberari.

VI. Quær. 6. Sitne gonorrhœa retentricis, an expultricis facultatis ſymptoma. ℞. cum Avicen. & Serapione, eſſe ſymptoma retentricis facultatis vaſorũ ſeminalium perſe; per accidens tamen expultricis, &, ſecundum apparentiam, ipſius pudendi: adeóque non eſt proprius expultricis, nec pudendi affectus; ſed per accidens.

Quær. 7. Præterea, quæ dicta ſunt, quid ſit Priapiſmus, & Satyriaſis: & quomodo inter ſe differant? Reſp. eſſe membri genitalis tentiginem, ſeu tenſionem in longũ & latum, citra Veneris appetentiam, ob arteriarum ora immodicè patentia, vel à vaporoſis ſpiritibus, in fiſtuloſo nervo ortis, vel ob rei Venereæ diuturnam carentiam. Satyriaſis tamen ſæpius diſtingvitur à Priapiſmo eo, quòd illa etiam contingat in gonorrhœa. VII.

Quær. 8. Cur mulieres, gonorrhœâ laborantes, non tam facilè in morbum Gallicum incidant, quàm viri? Immò publica novimus proſtibula, quæ plurimos Lenones accenderunt, & ſolâ tamen gonorrhœâ laborarunt, ſed virulentâ. Reſp. Ob vaſorum laxitatem, per quam tabum illud perpetuò effluit: ſunt enim velut equi mucoſi (noſtro idiomate: wir die rüſige Pferde.) VIII.

Caput LXXIV.

De Suppreſſione Menſium, & Chloroſi, ſeu Morbo Virgineo.

MEnſes, ſeu periodicæ mulierum ſanguinis per uterum evacuationes, à decimo-quarto circiter ætatis anno incipiunt; finiunt quadrageſimo; aliquando uſq; ad ſexageſimũ perdurant, ob ſanguinis abundantiam. Menſes mulierum In horum *Suppreſſione* multis, iiſq; fat gravibus ſymptomatibus tentantur fœminæ: calidæ & humidæ copioſè, citò, & diu; frigidæ verò & ſiccæ tardè, parum, nec diu habent menſtrua. Suppreſſ. Gal. *lib. de atra bile*, putat, ſanguinem menſtruum eſſe vitioſum, & inutilem, tam quantitate, quàm qualitate: ſed Ariſtoteles, & multi alii, huic opinioni ſunt contrarii. Nos putamus, Galenũ non loqui de ſanguine menſtruo, in ſuis vaſis adhuc concluſo (ſic enim poteſt eſſe omni ex parte innoxius, utpote fœtui alendo perutilis, & lacti generando perquam idoneus; ſiquidem lactantes menſtra non habent, hiſce in lac degenerantibus) ſed de extravaſato, qui ſtatim

corrumpitur, & pravas induit qualitates: *quin* &, ſi ſanguis menſtruus eſſet noxius, fœminæ læderentur ab eo, tempore lactationis & impregnationis: quod tamen falſum eſt.

Notandum. *Nota:* fœminas tabidas, & per hæmorrhagiam exhauſtas, aut cachecticas, poſt longas ægritudines, &c. fruſtra medicamentis hæmagogis torqueri; ſiquidem copia ſanguinis abeſt. Primo itaque, ſi adeſt cachexia, hæc tollenda, & viſcera ſunt corroboranda, ut copia ſanguinis boni procuretur: item, ſi fœmina ſit tabida, analepticis utendum eſt, ut, corpore refecto, & ſangvine regenerato, ordinariam menſtruis viam reſerare poſſimus.

Cauſa Interna. *Cauſa* retentionis menſium *internæ* ſunt conceptus (licet, teſte communi experiētiâ, multis gravidis fluant menſtrua ex venis, ad uteri collum tendentibus) ſanguinis craſſities & frigiditas, vaſorum uteri obſtructio; quam aliquando cauſat copia nimia, ita vaſa diſtendens, ut ſeſe contrahere non poſſint: obſtruuntur item menſes, ſanguine in alias partes tendente: ſic quædam per nares, ſingulis menſibus, expurgantur; quædam per aures; quædam per oculos; quædam per alvum, urinas, hæmorrhoides, pulmones &c. aliquando ab excedente calore abſumuntur; aliquando in adipem degenerant: aliquando etiam obſtructionis cauſa eſt coaleſcentia, vel compreſſio venarum uteri, à pinguedine & craſſitie: ſic poſt uteri exulcerationes concreſcunt orificia venarum, ut amplius aperiri non poſſint.

Externa. Cauſæ *externæ* ſunt frigus ambiens, balneum in aquâ frigidâ, cibi pauci, exercitia immodica, & vigiliæ nimiæ, ſomnus diuturnus, otium, quod cruditates plurimùm cumulat, alvi conſtipationes, vel etiam nimius ejuſdem fluxus, aliæque exceſſivæ evacuationes, ira, triſtitia, mœror, qui evenit ob privationem objecti deſiderati, zelotypia &c.

Diſcrimen à gravidis. Suppreſſio menſiū, quæ fit *in gravidis*, ab ea, quæ fit in non gravidis, probè diſtingvenda eſt. Nam in illâ ſymptomata evenientia, ut eſt vomitus matutinus, nauſea, dolor ſtomachi &c. ſucceſſu temporis ſolent magis magisq; deficere: in hac verò ſemper creſcunt. Quòd autem deficiunt in illa, ratio eſt, quia, quò fœtus grandior evadit, eò magis ſanguinem attrahit & conſumit, & hinc cruditates, ab eâ procreatæ, deſinunt: è contra extra graviditatem menſes ſuppreſſi magis ac magis ſemper premunt: unde præcordiorum, occipitis, & toti, corporis gravitas, tenſiva laſſitudo, horror inæqualis, jactatio corporis, fœditas coloris, color alienus, febricula, exanthemata, inflatio, pondus ſtomachi, nauſea, vomit., pica, malacia, cibi faſtidium, diſpnœa, vertigo, ſopor, mœſtitia, lipothymia, & cordis palpitatio, dyſuria, urinæ craſſæ, turbidæ, & nigricantes. Vide Hipp. *1. de morb. mul.* ſi mulier nullâ, ex ſuppreſſis menſibus, moleſtiâ, vel totius corporis, vel uteri, vel aliarum partium, afficiatur, hanc menſtruâ purgatione omninò carere, naturale eſt: teſte Aetio, *cap. 91.* & hæ mulieres plerunque ſunt ſteriles; è contra ſuppreſſis menſibus p. n. morbi fiunt, vel in utero, tanquam communi corporis ſentinâ, ad quam plurima excrementa deponuntur; vel ab utero, in reliquis corporis partibus: Hipp. *5. aph. 57.*

Deterior eſt lochiorum detentio; quia hæc etiam qualitate peccant. *Prognoſis.* Mulier ſterilis graviùs, & citiùs, ac ſæpius à menſibus ægrotat, quàm quæ jam peperit, eò, quòd in hac uterus, & corpus, intumeſcere conſveverunt: Hip. *1. de morb. c. 6.* ſi quæ, nec prægnans, nec puerpera, lac habet, huic menſtrua defecerunt: ex Avic. *21. tract. 3. c. 26.* Suppreſſis menſibus, illa, cui virtus ad exercendum potens eſt, aſſimilatur viris, multiplicantur & capilli, & barba creſcit. Quibus in mammas ſangvis colligitur, furorem ſignificat: aliàs, quæ menſtruis carent, malorum plerunq; ſunt morum. Quibus pellicula quædam circa uteri collum naſcitur, hæc menſtruas purgationes remoratur, talesq; curari non poſſunt, niſi ſecentur. Quòd ſi poſt ulcera cicatrix inducatur, incurabilis eſt.

Curatio. *Curam* quod attinet, diligenter attendendum eſt, an etiam moveri poſſint menſtrua: ſi enim nimis juvenis ſit fœmina, aut nimis gracilis, ſenex, vel gravida, vel nutrix; ſi obeſa, labore, inediâ, vel hecticâ, aliôve quovis morbo extenuata; ſi ſuſpecta eſt viſcerum magna diſcraſia; ſi vitium non eſt adſcititium, ſed innatum, adeóque perpetuum; ut Trincavellius, *lib. 10. c. 4.* ſi virgo ſit,

ſit, in hac per labores conſumuntur menſtrua: in quibus omnibus non ſunt menſtrua temerè procuranda: ſi verò horum nihil obſtet, & obſtructiones in causâ ſint; hæ attenuantibus & incidentibus ſunt referandæ, & humores peccantes phlegmagogis, primò mitioribus, deinde paulò vehementioribus, deturbandi: idque aliquot diebus ante ordinariam, ſeu menſtruam purgationem; niſi nondum adhuc purgata ſit fœmina, vel immemorabile ſit tempus, à quo purgata fuerit. Juveni in novilunio; ſeniori autem poſt plenilunium provocanda ſunt, ad naturæ imitationem, menſtrua: ſecundum tritum illud:

Luna vetus Veteres; Juvenes nova
Luna repurgat.

Pilula aperitiv.

Sequentes itaque *Pilulæ* per quatuor dies exhibeantur:

℞. *Maſſæ pil. tartar. Schrôderi* ℈j.
extr. myrrhæ,
croci,
caſtorei,
pulv. Syrii, ana gr.v.

Cum ſ. q. *olei ſabinæ* F. Pil. num.ix. pro una doſi, ſingulis, vel alternis diebus quater ſumendæ. Aliquando per integrum menſem eaſdem pilulas, omiſſo *diagrydio*, præcipuè in contumacibus obſtructionibus, feliciter exhibuimus: vel, loco harum pilularum, bibat *Vinum* ſequens:

Vinum medicat.

℞. *Summit. ſabinæ* mj.
pulegii m.ij.
rad. aſari ʒiij.
rhab. el.
agar. rec. trochiſc. ana ʒiß.
fol. ſenæ ℥ß.
croci,
macis, ana ℈j.

Infund. per noctem in *vini albi* ℔iiß. Manè de colaturâ, *ſaccharo* dulcorata, exhibeantur unciæ quinque, vel ſex, quatuor diebus continuis. Dein, ſi mulier ſit plethorica, *ſecanda* eſt *vena* in pede interna, ut ſanguis ad partes inferiores trahatur. Quo facto, ſi menſtrua adhuc non fluant,

Venæſectio.

Julepus probatiſſimus.

℞. *Succi limon.* ℔ß. Cum ſ. q. *ſacchari albi* F. inſtar Julapii, ad ignem; dein ſub finem adde *croc.* q.s. ad *ſaturatam flavedinem*: de hoc cochlearia tria præbeantur bis de die, jejuno ſtomacho, idq; tribus vel quatuor diebus continuetur. Eſt remedium verè Aulicum, & à nobis ſæpius probatum: vel, pro minùs delicatis,

Pulvis.

℞. *Baccarum lauri, maſſâ panis circumduct. & in clibano coctarum*, ℥ß.
ſummitat. cent. min.
myrrhæ rub.
croci, ana ℈j.
cinamomi,
ſabinæ,
ariſtolochiæ rot.
dict.amn. albi, ana gr.xxiv. M. F. Pulv.

Doſis à ʒß. ad ℈ij. in *jure cicerum rubeorum*. Nos mulieribus corruptis facimus *Peſſarium* ex *radice cyclaminis*: vel, ejus loco, conficimus aliud ex *melle cocto*, cum *pulpa colocynthidis*, *myrrhâ*, *hierâ picra*, *galbano*, *croco*, &c. cavendo tamen, ne diutius retineatur: imperamus quoque, ut ſæpius eſitetur *raphanus marinus*: vel exhibemus ʒj. *trochiſcorum de myrrha*, cum ʒß. *caſtorei*, in *aqua pulegii*, vel *artemiſiæ*: vel

Peſſarium.

Hauſtu.

Pulvis.

℞. *Cinamomi,*
caſſiæ ligneæ,
ſuccini, ana ℈j.
croci ℈ß. M. F. Pulvis:

detur in convenienti vehiculo aliquot matutinis. Nota: Quibuſdam per *Diuretica* menſes minimè moveri, ſed magis obſtrui; imò ſectâ in brachio venâ, & exhibitis vomitoriis, iis faciliùs moveri: cujus ratio eſſe videtur, quòd per diuretica obſtructiones reddantur magis pertinaces, translatâ ad partem affectam materiâ: adeòq; cum Schenckio, *in Obſervat.* antequam hæmagoga exhibeamus, obſtructiones ſunt expediendæ, & corpus bene purgandum, tandemque à levioribus diureticis incipiendum. Dum interna adminiſtrantur, *externa* quoque minimè negligenda ſunt: ut ſunt: fomenta, ſemicupia, balnea, ex *malva*, *mercuriali*, *parietariâ*, *althaâ*, *valerianâ*, *angelicâ*, *aſaro*, *petroſelino*, *ſummitatibus ſabinæ*, *pulegio*, *meliſſâ*, *ſalviâ*, *matricariâ*, *thymo*, *roremarino*, *floribus ſambuci*, *granis juniperi* &c. venter *inungatur* oleis emollientibus: ut eſt *oleum liliorum alborum*: eadem emollientia & abſtergentia injici poſſunt per metrenchytas, ſeu *Clyſteres uterinos*: ſed tantùm in nuptis & corruptis. *Lixivium* è *ſcoriis reguli antimonii*, ſuper ferrum, vel ſilices candêtes fuſum, & per ſellam perforatam ad vulvam exceptū, potentiſſimè menſes ciet; præcipuè ſi *antimonium*

de Diureticis.

Externa.

Fotus.

Inunctiones.

num diaphoreticum, ad ʒß. in *aq. ſabinæ* prius propinetur. Nos invenimus inſtrumentum, ſeu *Tubum capitatum*, cui ſpongia *ſpir. tartari* impregnata imponitur, & *Tubus* corruptarum naturalibus inditur: quamprimùm enim, admotâ tubi capiti manu, ſpongia incaleſcit, menſes feliciter cientur.

Chloroſis. *Chloroſis, morbus Virgineus, febris amatoria, pallidi virginum colores*, ſeu *icterus albus*, eſt vitioſus corporis habitus, ab obſtructionibus uteri præcipuè, lienis, hepatis, meſenterii, proveniés &c. cum gravitate membrorum, cordis palpitatione, difficultate reſpirationis, rerum abſurdarum, ut cretæ, corii, calcis, aromatum &c. appetitu. Evenit autem præcipuè circa tempus illud, quo menſes erumpere deberent, ſed impediuntur propter obſtructiones; unde regurgitant ad partes principes, & earum calorem, veluti lignum viride ignem, ſuffocant; hincq; vitioſa fit concoctio, cumulantur crudi humores, unde malus totius corporis habitus, ſeu cachexia, & quandoque hydrops, ſubſequitur. Cumulatis quoque excrementis in hypochondriis, fit ſcirrhus lienis & hepatis, quorum aucta magnitudo diaphragma comprimit: unde anhelatio, & difficilis reſpiratio. *Cordis palpitatio* fit ob crudorum humorum, in pericardio contentorum, copiam & fermentationem, quos natura ſummo impetu evincere & elidere conatur; ſed non niſi cordis aucto motu, quod noxia ſemper à ſe longiſſimè conatur amandare, geminato arteriarum pulſu. Adeſt quoque nauſea, & cibi faſtidium, adeſt rerum abſurdarum, ſive non alibilium, appetitus; quem cauſant pravi & ſimiles humores, ventriculi orificium occupantes: ita ſimile ſimili gaudet; uti videre eſt in tabidis & ficcis, panem ſiccũ appetentib.

Cauſa. *Cauſa* obſtructionis menſium ſunt cibus & potus, craſſæ vel pravæ ſubſtantiæ, & multi excrementi: unde conſimiles generantur humores, uteri venas diſtendentes. Vide *ſuperius* dicta.

Diagnoſtica. *Signa diagnoſtica* morbi Virginei ſunt faciei, & totius corporis, color pallidus, vel ictericus, vel lividus, greſſus lentus & piger, tumor faciei, palpebrarum, pedum & crurum, totius corporis mollities & laxitas, reſpirationis difficultas, pulſus frequens & quaſi febrilis; hinc etiam dicitur *Febris alba*: & talis pulſus fit ob debilitaté facultatis vitalis; quod enim majori diaſtole non poteſt, id efficit frequentiâ. Adeſt quoque capitis dolor, præcipuè occipitis, quod utero maximè compati ſolet: nam ſincipitis dolor potius à ſtomacho vel hypochondriis ſuam trahit originem. Denique, præter ingens cibi faſtidium, adeſt continua dormiendi inclinatio, eò, quòd caput pituitoſis refertum ſit humoribus.

Chloroſis non adeò periculoſa eſt, ſed plurimùm chronica & pertinax: ſi tamen negligatur, aut, ut Galen. habet, *6. de ſympt. cauſ. cap. 4.* ejusdem cauſa ſit uteri durities, ab origine contracta; tranſit in cachexiam & hydropem. Mulieres, quæ diu hac laborarunt, ſæpe ſunt ſteriles, vel proles portant debiles, vel perpetuo fluxu albo laborant, & quò plures adſunt viſcerum antipraxiæ, tumores, ſcirrhi, obſtructiones &c. concurrunt, eò ſemper pejor eſt chloroſis. Si verò à ſolis uteri obſtructionibus proveniat, & menſtrua ſuas ſervent periodos, *curationem* facilè recipit: Prognoſtica.

Quæ perficitur 1. deobſtruentibus: 2. humores peccantes evacuantibus: 3. partes debiles confortantibus. Nos ſequentibus hæc perficimus, præmiſſâ tali *purgatione*: Curatio.

℞. *Herb. puleg.* Purgantia: Potio.
artemiſ.
capill Veneris,
meliſſæ, ana m.j.
fol. Orient. ʒiiiß.
rhab. elect. ʒij.
manna elect. ℥ij.
tartari albi prap. ʒj.

His ſuperaff. *aquæ cichorii* bullientis ℥iv. Stent per noctem: manè in colaturâ diſſolv.

tartari vitriolati ʒß.
ſpir. ſalis g. viij.
macis g. vj.
olei ſabinæ g. ij. M. F. Potio.

Deinde, niſi nimium invaluerit malũ, ita, ut corpus jam ſit cachecticum, vel hydropicum, ſed potiùs adhuc ſit plethoricum, *ſecanda* eſt *vena* malleoli interna: dein altero die ſumatur doſis ſequentis *Pulveris*: Venæſectio.

℞. *Mart. cum ſulph. prap & reverber.* ʒvij. *caſſia lignea* ʒj. M. F. Pulvis ſubtiliſſimus, qui dividatur in xvj. partes æquales, ad Pulvis cachecticus.

toti-

totidem ſchedas. De his una quotidie ſumatur, deſuper unâ horâ, ad minimum (melius eſt duabus) obambulando; idque omni manè continuandum, & tertio quoque die, quatuor poſt paſtum horis, ad magnitudinem caſtaneæ de ſequenti *Electuario* ſumendum:

Electuarium. ℞. *Rob. ebuli,*
pulpa tamarindorum, ana ℥j. ʒij.
maſtich.
myrrha pulveriſ. ana ʒß.
pulv. Syrii ℈iiß. Cum ſ. q. *ſyr. viol. laxat.* F. Electuar. molle. Hoc electuarium conciliat chalybi tranſitum, uti fere etiam habetur *cap. de Melanch. hypochond.* *Frictiones.* Celebrentur quotidie *frictiones* linteis calidis, maximè in internâ crurum parte & femorum, hocque tantum deſcendendo, ut pori aperiantur, humores deorſum attrahantur: cura hæc, ſedecim diebus continuata, hunc plerumque tollit affectum. *Balnea.* *Balnea* ſulphurea, etiam pota, vel naturalia vel artificialia, plurimum hîc faciunt. Vide in *ſuprà dictis*. Viſcera interea corroborentur ſequenti *Pulvere* ſæpius exhibito:

Pulvis viſceralis. ℞. *Fecula ari,*
bryonia
ſalis artemiſia,
abſynthii, ana ʒj. M. Doſis ſit ʒß.

Specifica. Hujus loco *conſerva artemiſia* ad integrum menſem, cum *aqua ſabina* exhibeatur: eſt remedium Zacut. Luſitani, *lib. 2. obſer. 29.* & à Nobis in Aula feliciter exhibetur Aliqui præſcribunt *decoctum ligni Guaiaci* & *radicis China*, pro viſcerum corroboratione, & humorum pituitoſorũ attenuatione. Nos *Elixir proprietatis* cum ſucceſſu in hunc ſcopum dedimus: confortat enim, & aperit, coloremq; conciliat: hujus loco ſumi poſſunt guttæ aliquot *ſpir. terebinth.* vel *ſulphuris*, vel *ol. ſabina*, vel *eſſentia meliſſa*, vel *extr. ſplenis bovis*, ad ℈j. Nos *boracis Veneta*, cum *glaciei Maria*, & *priapi cervi pulverizat.* ana ℈ß. feliciter in *aq. ſabina* aliquoties exhibuimus. *Diæta.* Cibus ſit evchymus, & pauci excrementi, corpus multum commoveatur, ſomnus & triſtitia vitentur.

Objicies 1. Cur victus craſſus menſtrua dicatur obſtruere, cùm Ruſticæ, victu maximè craſſo utentes, hoc affectu rarò laborent? Reſp. Omnino victus craſſus menſtrua obſtruit: ſangvinem enim generat, qui difficulter exiguos virginum meatus tranſit, quique parvi eſt motûs; unde non ſecus, ac viride lignum exiguum ignem ſuffocat, ita illa ſangvinis craſſi copia calorem nativum adeo abruit, ut color pallidus in toto corpore, imò quandoq; cachexia, ſuboriatur: aliter ſe res habet in Ruſticis, quarum meatûs per violenta exercitia dilatantur plurimùm, humores attenuantur, & à ſuperfluitatibus plurimis liberantur: quibus exercitiis carent Domicellæ, præcipuè Aulicæ, & quæ vitam ducunt ſedentariam, aliaq; abdominis mancipia. *Objectio. 1.*

Objic. 2. Hipp. *5. aph. 33.* ait: Mulieri menſtruis deficientibus, ſangvis ex naribus fluens, bonum: ſed hoc non ſolvitur malum: ergo non eſt bonum. Reſp. Hipp. hîc intelligendum eſſe ſecundum quid; non abſolutè: taliter enim tantùm præſervarentur à majoribus malis, nempe rejectionibus ſangvinis per os ex pulmonibus, vel à febri; ut aſſerit Aëtius, *ſerm. 16. cap. 52.* 2.

Objic. 3. Idem Hippocrates, *ſect. eâd. aph. 57.* ait: Si menſtrua deficiant, ex utero morbi contingunt; cùm tamen multæ mulieres citra noxam menſtruis careant. Reſp. Si ſuperfluus non generetur ſangvis, concedo, eas poſſe menſtruis carere; adeóque malè provocat menſtrua Medicus in muliere tabida & exangvi, vel cui ob ætatem menſtrua amplius fluere non poſſunt. 3.

Objic. 4. Medicamenta menſes ducentia multis plus nocent, quàm proſunt: ergo non ſunt adhibenda. Reſp. Si intempeſtivè, & corpore minimè expurgato, adhibeantur, concedo: nam taliter craſſi humores præcipitantur, & obſtructiones cauſant majores; vel etiam ibi fiunt obſtructiones, ob vaſorum turgentiam: quò enim magis illûc feruntur, eò ſemper obſtructiones fiunt majores. 4.

Objic. 5. Quomodo medicamenta chalybeata poſſint venas uteri reſerare; cùm non videantur illûc pertingere? Reſp. primò; chalybeata ſemper 5.

 cum

cum vehiculo præſcribi; uti videre eſt in *Pulvere cachectico Quercetani*: deinde imperatur corporis motus; quo maximè humores attenuantur, & fluidi redduntur.

6. Objic. 6. Hippocrates rejectiones nigras, ſive per ſuperiora, ſive per inferiora, ſemper improbat; cùm tamen obſervemus, virgines chloroſi laborantes ſæpius innoxiè vomitum nigrum habuiſſe. Reſp. Si hæc nigredo fieret ab atra bile, utique eſſet mala; de qua loquitur Hippocrates; non verò de ſanguine menſtruo retento, qui ſæpius rejicitur per ſuperiora, cum levamine; uti paſſim obſervavimus.

Quæſtio. Quæres: Cur Domicellæ Aulicæ tam frequenter laborent chloroſi? Reſp. 1. ob vitam ſedentariam: 2. ob inordinatum victum, fructûs &c. quibus ſanguis craſſus generatur, & venæ uteri obſtruuntur.

Caput. LXXV.

De Fluxu Menſium immodico.

Menſium fluxus immodicus. Immodicus menſium fluxus eſt proprius uteri affectus; ſicut eorum retentio; de qua paulò antè egimus: quæ quidem affectiones cauſæ ſunt plurimorum ſimilium ſymptomatum: nam menſtruis nimium fluentibus ſumma accedit virium debilitas, appetitûs dejectio, coloris vividi deperditio, corporis refrigeratio, ſterilitas, ſenium immaturum, tabes, pedum tumor, cachexia, hydrops, & mors. Et ſicuti quantitas moderata eſt duarum Atticarum heminarum, paulò plus minúsve, teſte Hippocrate, *lib. de morb. mul.* quæ ſeſe ad quatuor vel quinque dies extendunt: ita, quando & hanc quantitatem, & hoc tempus excedunt, ſupradicta inconvenientia cauſant. Albis mollibuſque mulieribus, quòd in iis multus tenuiſque ſanguis generetur, diutius perdurant, & copioſiùs fluunt menſes: nigris verò, duris, ac gracilibus, evenit contrarium; teſte Galeno, *6. de morb. vulg.* Bifariam autem fluunt menſes: vel uno impetu; vel ſenſim: fluunt autem immodicè, vel circa ordinarium circuitum, factâ collatione ad ordinarios circuitûs; vel à partu; vel ab abortu: túncque maximè fluxus immodicus cenſendus eſt, dum vel quantitate ſolâ, vel quantitate & qualitate peccat, intempeſtivè, cum noxa, & virium proſtratione: aliquando enim à victu liberaliori menſes copioſè fluunt ſine noxâ. Pars malè affecta eſt uterus, aut per ſe, aut cum toto, aut cum aliquibus partibus. Affectus hic *eſt* ſymptoma in genere immodicè excretorum: alius eſt fluxus *creber*, alius *diuturnus*, alius *recens*, *ante periodum veniens*, vel *diutiùs durans*, & vires dejiciens. *Quid: & Quotuplex.* Alia eſt *differentia* ex parte *ſanguinis*, qui vel eſt *purus* & *laudabilis*, vel *niger* & *faculentus*, *fuſcus*, *albus*, vel *citrinus*: ex parte *ſubſtantiæ* vel eſt *craſſus*, *viſcoſus*, *ſubtilis*, *liquidus*, *mediocris*, aut *coagulatus*. *Differentia.*

Cauſa. *Cauſæ* ſunt eædem, quæ in mictu ſanguinis, & aliis profluviis, à nobis ſunt enarratæ: ut pote vel anaſtomoſis, cùm majora vaſa aperiuntur: vel diapedeſis, cùm minora: vel diæreſis, cùm ſolvitur continuum: ita Galenus: fluit ſanguis è venis ob earum corroſionem, vel propter oſculorum apertionem, aut reſudationem, quam diapedeſin vocant. Cauſa anaſtomoſeos eſt vis expultrix, proritata vel à quantitate, vel à qualitate humorum: qualitas eſt ſalſa, acris, nitroſa: uti habet idem Galenus, *lib. de atra bile*. Ita gracilibus, & bilioſis mulieribus tales fluxiones fieri obſervamus: & quamvis natura aliquandiu bene agat, expellendo tales humores; irritata tamen, ut ait Jacchinus, modum ſervare neſcit. Fit etiam aliquando anaſtomoſis à medicamento orificia vaſorum aperiente: ut ſunt *aloë*, *colocynthis*, *euphorbium* &c. Quomodo diapedeſis, & diæreſis fiant, vide *ſuperiùs*. Rumpuntur etiam ſæpius vaſa onere, aut copiâ ſanguinis, fœtu grandiore, partu difficili, aut abortu: item vulnerantur imperitâ manu Obſtetricis, aut Chirurgi, fœtum mortuum educentis: contunduntur non rarò percuſſione, aut caſu, aut ſaltu violento. Huc etiam refertur uſus diuturnus acrium ciborum, aromatum, vini, & omnium eorum, quæ ſanguinem fundunt & attenuant. Inter cauſas internas eſt calor excedens, plethora, facultatis expultricis robur, reten-

retentricis debilitas, uteri intemperies, fœtûs inconveniens exitus, uteri apoſtema, ulcus, morſus venenatus &c.

Curatio.

Curam quod attinet, ante omnia quantitas ſangvinis definiri debet ex natura, ætate, & conſtitutione mulieris; ut non temerè fluxus cohibeatur, niſi modum excedat, & vires jam languere incipiant: nam *omnis hæmorrhagia diuturna periculoſa eſt*, præcipuè ex utero; quæ & ſpeciei & individuo nocet. Rhexis, & anaſtomoſis, periculoſiores ſunt, quàm diapedeſis: & in ſeneſcente muliere diuturnus menſium fluxus plerunque lethalis eſt. Fluxus autem hic ſiſtitur revellentibus, & adſtringentibus: pro revulſione *vena* brachii anguſto foramine *aperienda* eſt, & partitis vicibus ſanguis extrahendus. Idem fieri poteſt ventoſis majoribus, infra mammas applicatis, & ſæpe reiteratis; ſic enim immediatè, per communes utero & mammis venas, ſanguis retrahitur: eædem ventoſæ hepatis regioni admoveri poſſunt: *frictiones* item celebrentur, & *ligaturæ*, manuum præcipuè & brachiorum: hiſce enim retrahitur ſanguis. Si fluxus cauſetur ab humoribus bilioſis & acribus, ſiſti ſæpius citra purgationem non poteſt. Ad humores *bilioſos*:

Venæſectio, &c.

Purgatio ab humore Bilioſo, Potio.

℞. *Cort. myrobal. citrin.* ʒij.
pulpa tamarind. ℥j.
fol. ſenæ ſ. ſt. ʒiij.
rhab. parum toſti ʒiß.
mannæ elect. ℥ij.
His ſuperaff.
aq. cichorii bull. ℥iv.
Stent per noctem: manè in colat. diſſolv.
ſyr. de tribus ſolut. ℥ß. M.F. Potio.

Seroſo.

Si verò humores *ſeroſi* & aquei abundent, his adde ʒiß. *rad. galappæ*, in infuſione. Hippocrates, *2. de morb. mul.* vomitum lenem approbat: hunc pete ex *ſuperioribus*. Humoribus ritè expurgatis (nam talis evacuatio ſæpius repetenda eſt) ſæpe ex toto remittit fluxus: uti in Praxi noſtra frequenter obſervavimus. Si ſola peccet *ſangvinis* quantitas, hiſce opus non eſt, ſed *revellentibus* & *adſtringentibus* contenti eſſe debemus: de *prioribus* dictum eſt: *poſteriora* ſunt vel *interna*, vel *externa*:

Sangvineo.

interna ſunt *eſſentia croci Martis*, *magiſterium corall. perlarum*, *ſal coralliorum*, *ſperniola Crollii*, *oſſa microcoſmi pulveriſata*, & cum *vino rubr.* ad ʒj. ad novem dies exhibita: eſt medicamentum Cornelii Roterodami infallibile: item *tinctura coralliorum*, *pulvis turturis* Foreſti, *Obſerv. & Curation. medic. lib. 28. Obſer. 50.* *cuticula pedum anſeris pulveriſata*, *cingulum ex foliis hellebori nigri*, alteri cingulo impoſitum, *flores chamæleonis pulveriſati*, ad ℈j. qui lac coagulare dicuntur, *coagulum hædi*, vel *leporis*, ad ℈ß. *aqua*, & *ſuccus*, ac *ſemen plantaginis*; *ſuccus* exhibetur ad ℥iij. vel iv. Solenander addit ʒj. *colophoniæ pulveriſatæ*, & mirè extollit; idem facit *ſuccus anſerinæ*, *millefolii*, *urticæ*: ex quibus etiam *Syrupi* fieri poſſunt. Non minùs ſpecifica eſſe cenſentur *flores tuſſilaginis*, *radix filipendulæ*, & *cortices radicum mori*, *flores lavendulæ*, quorum quodlibet ſeparatim exhiberi poteſt, ad ʒj. in *vino rubro*. Similia plura vid. ap. Phil. Müller. *Myſter. & Miracul. Med. Chymic. pag. 90. c. 4.* & alibi. Non tamen adſtringentibus nimis diu utendum eſt; ne hæc obſtructiones pariant in aliis viſceribus. Augenius commendat ſecuriùs *lac chalybeatum*, ad multos dies ſumptum. Fit nonnunquàm, ut ejuſmodi fluxus cauſetur ab obſtructione & intemperie viſcerum, vel ſangvinem non retinentium, vel non recipientium: quo in caſu *Acidulæ* utiliter propinantur. *Potus* ordinarius ſit *decoctum ligni lentiſcini*, *maſtiches*, & *cort. arantior.* quod Septalius, *lib. 7. animad. medic. art. 144.* ſummè extollit. Si fluxus contingat ab *uteri* intemperie humidâ, & debilitata retentrice, *balnea ſulphurea* ſuaderi poſſunt: hæc ſiquidem uterum ſiccant & roborant, præcipuè ſi per ſiphonem injiciantur in uterum.

Remedia ſpecialia.

ab Uteri malâ diſpoſitione.

Extrinſecè venter inungatur *unguento Comitiſſæ*, vel ſequenti:

Externa. Unguenta.

℞. *Fol. geranii*,
quercus,
millefolii,
plantag.
flor. roſ. rub. ana mj.
rad. fœniculi,
ſymphyti, ana ℥ß.
Inciſ. & contuſ. in mortar. bulliant cum

cum ſ. q. *butyri Majalis*, & pauco *vino*; exprimantur, venterque eo inungatur.

Fomenta. Ex ſimilibus etiam *Fomenta* parari poſſunt, additis *nucibus cupreſſi*, *balauſtiis*, *equiſeto*, *burſâ paſtoris*; in *aqua fabrorum*, & *vino auſtero* coctis: in his intingatur ſpongia, tepidéque ſæpius, non calidè, ventri applicetur: vel, adhibitâ eâdem cautione, fiat *ſemicupium*, addito *alumine*; quod inſigniter adſtringit: vel, horum loco, applicetur

Emplaſtr. *emplaſtrum de galbano*, *contra rupturam Vigonis*, de *maſtiche*: vel ſequens

Cataplaſm. *Cataplaſma*, ex Solenandro, applicetur:

℞. *Pulveris gypſi* ℥j.
gummi Arab. torrefacti ℥ſ.
album. ovor. num. iv.

M. & cum *placentulis goſſypii* umbilico, & partibus adjacentibus applica: Hoc, *inquit*, fluxum intra unum diem ſiſtit.

Suffitus. *Suffumigia* item fieri poſſunt ex *corticibus caſtanearum*, *nuce moſch. flor. acaciæ*, *malvæ arboreæ rubr.* &c. Ex herbis & floribus *antè dictis* fiunt decocta, quæ

Injectiones. per ſyringa in uterum injici poſſunt; vel eodem modo, ſi ulcera adſint, abſtergantur cum *cremore hordei*, & *melle roſato*: deinde *decoctum vulnerarium*, vel *ſuccus plantaginis*, aut *millefolii*, injiciatur. Eodem modo admi-

Peſſaria. niſtrari poſſunt *Peſſaria* adſtringentia; ut:

℞. *Herb. plantag. viridis*,
millefolii, ana mſ. Contund.

in mortario, addendo aliquid de *unguento Comitiſſæ*, involv. linteolo, & efformatum impletumque Peſſarium intrudatur. Vel

℞. *Succi plantag.*
millefolii, ana ℥iv.

Coq. ad multam evaporationem; dein addatur

ſucci acatiæ inſpiſſati pulveriſ.
trochiſc. de carabe,
ſangvinis ſymphyti, ana ʒß.

F. Maſſa, quæ excipiatur ſindone rubrâ, & F. Peſſarium, cum extractorio. Hæc non, niſi poſt ſufficientem revulſionem, adminiſtrentur: nam aliàs lupus poſſet includi in ſtabulo, tumoresque, inflammationes, & ſimilia, in utero excitari.

Diæta. *Cibus* ſit paucus, frigidus, incraſſans, glutinoſus, adſtringens: *Potus* ſit vinum ſtypticum: ſomnus ſit paulò longior: ira, & Venus, cane pejùs & angve vitentur.

Objectiones. 1. Objicies 1. In curâ menſium immodicorum Authores adhibent *acetoſam*; quæ tamen incidendo humores reddit magis fluidos. *Reſp.* non eſſe Authorum intentionem, per medicamenta ex *acetoſâ* adſtringere; ſed bilem, quæ in ſangvine continetur, frænare, quò minùs naturam ad excretionem ſtimulare poſſit.

2. Objic. 2. Hipp. 5. *aph.* 56. ait: In fluxu muliebri convulſio, & animi defectus, malum; cùm tamen permultæ convellantur, dum primâ vice purgantur, & citra noxam: animi autem defectus, etiam in leviſſimâ phlebotomia, ſine damno evenit; ergo idem fieri poterit in fluxu menſtruorum. *Reſp.* Hippocratem hîc non intelligere convulſiones, quæ fiunt à repletione, ſed eas tantùm, quæ ab inanitione; deinde hîc non intelligit animi defectum ſimpliciter, ſed unà cum maximâ evacuatione.

3. Objic. 3. Gal. 13. *meth. cap.* 9. cucurbitulas mammis applicare jubet: idem monet & Hippocrates, 5. *aph.* 50. ut menſtruus ſangvis retrahatur: ſed videntur potiùs regioni hepatis, ſecundum Antiquam; vel cordis, juxta Novam ſententiam applicandæ. *Reſp.* hîc ſangvinem ad contrarium retrahi per venas epigaſtricas, quæ anaſtomoſin habent cum mammariis: deinde non abs re huic regioni, & cordi & hepati proximæ, applicantur: ſic enim fit ſangvinis ad contrarium, & fontem, à quo generatur, retractio.

Quæſtiones. I. Quæres 1. Cur mulieres aliæ diutius menſtrua patiantur, quàm aliæ: nam aliæ duobus tantùm, aliæ tribus; quatuor aliæ; aliæ octo diebus menſtrua patiuntur? *Reſp.* Eæ, quibus menſtrua diutius fluunt, ſunt frigidiores; aliæ verò, quibus minus, calidiores ſunt: in illis enim plus menſtrui remanet, quia minus diſcutitur; deinde cita expulſio ſignum eſt majoris caloris.

II. Quær. 2. Cur fœmina tempore menſtrui eſt magis calida: & pelliculæ ſubter oculos tumentes, vel parum liveſcentes? *Reſp.* Quia tali tempore calor recedit à membris exterioribus, introque, ad juvandam naturam, in expellen-

pellendis menſtruis, regreditur, unde ſit pallor, utpote à caloris abſentiâ: ob eandem cauſam livent oculi: tumeſcunt autem, quia excrementa cerebri, ad illas partes delapſa, à calore abſente non diſcutiuntur.

III. Quær. 3. Cur menſtruatæ mulieres ſummos lumborum dolores patiantur? Reſp. Eò, quòd ſangvis menſtruus in ramis iliacis, vel etiam cavâ, ad lumbos deſcendente, reſervatus diſtenſiones faciat; unde dolor.

IV. Quær. 4. Cur menſtruata mulier cibos non appetat? Reſp. Quia natura plus laborat ad expulſionem menſtrui, quàm ad digeſtionem.

V. Quær. 5. Cur ſuperflua menſtrua patientes plerunq; cachecticæ, & tandem hydropicæ fiant? Reſp. id poſt vehementem hæmorrhagiam fieri: ergo neque hîc mirum eſt: nam deperduntur ſpiritûs, & ſic calor nativus, ſis exutus, hæmatoſin depravat: unde cachexia & hydrops.

Caput LXXVI.

De Fluore muliebri: item de Gonorrhœa muliebri.

Fluor muliebris. F*Luor muliebris* eſt uteri deſtillatio, vel univerſi corporis per uterum expurgatio: quamvis, etiam ab ipſo utero ſolo poſſe provenire, opiner. *Quid.* *Eſtq;* ſymptoma in genere excretorum immodicè, præſertim in qualitate; nam vitioſum eſt, quod excernitur; teſte Galeno, *lib. 3. de ſympt. cauſ.* Fluunt enim ex utero & aliæ humiditates à ſangvine, modò permixtæ, modò variegatæ, modò albæ, modò virides, modò flavæ, modò fuliginoſæ; modò pituita lenta, modò tenuis & aquoſa materia, vel acris & mordax, vel mitior; in quibusdam quotidie; in aliis poſt menſium purgationem; nonnullis inter duas purgationes evenit; aliquibus affectus hic, teſte Rondeletio, Sylvio, & aliis, à toto corpore evenit; aliis à ſolo utero malè affecto, v. g. refrigerato, poſt partum, aut abortum, debilitato, contuſo, eroſo, exulcerato, &c. tunc enim nutrimentum ſuum non digerit, ſed in humiditates multas convertit; quas natura foràs propellit. *Fit* *Unde.* autem hic affectus vel ex debilitate retentricis; vel ex irritatâ expultrice; vel ambabus ſimul læſis; vel quia totus ſangvis phlegmaticus, bilioſus, vel ſeroſus eſt redditus, ob fruſtratam ſangvificandi facultatem; vel eò, quòd, ob hepar malè affectum, humores ſeroſi & bilioſi à ſangvine non ſeparantur: poteſt tamen etiam fieri, ut, obſtructis renibus, vel meatu cholidocho, regurgitent humores, hujus mali cauſæ. Poteſt quoq; fieri cum totius corporis alleviatione interdum, modò non nimis diu duret: nam diu ſæpe fovetur à parte quadam mandante; ut à capite, ventriculo, hepate, liene, veſica, vel toto: ubi enim caput intemperie frigidâ laborat, plurimos humores pituitoſos & aqueos generat; quos tandem per nucham, & dorſi ſpinam, ad uterum amandat, & ita evacuat. Albus hic fluxus fit etiam vel ab imbecillitate ventriculi, vel totius, ex mœrore, vel uſu ciborum pituitoſarum. Sic Fernelius: cauſa verò, *inquit*, quæ humorem corruptum perpetuò gignit, aliàs in utero, aliàs in partibus principibus conſiſtit: hinc errare videntur, qui hoc malum ſoli utero adſcribunt: nam ſi mulier multis obſtructionibus, vel ſcirrho hepatis, aut lienis, laboraverit, ſit cachectica, à malis generatis humoribus, qui, dum in uterum procumbunt, ſimilem generant fluorem; ſic teſtatur idem Fernelius: mulieri hydropem ſingulis menſibus per uterum expurgari: ſic & ego vidi per crus plurimas aquas, per aliquot annos, evacuatum cum euphoria.

Diagnoſtica. *Signa diagnoſtica* ſunt, pallor faciei, cibi faſtidium, ſæpe reſpirandi difficultas, debilitas virium, oculorum tumor & inflatio, conqueruntur Ægræ de ardore vulvæ, dum urinas, quæ craſſæ ſunt, emittunt. Si fluxus ille à toto generatur, adeſt totius laſſitudo, color fœdus, pedum dolor & gravedo, dolor item membrorum & hebetudo, pruritus & mordacitas cutis. Si verò caput ſit pars mandans, aderunt catarrhi, ſuppreſſiones: & capitis gravitas eò magis urgebit, quò minùs alba fluent menſtrua; minùs verò, quò magis. Si alia pars hujus fluoris cauſa ſit, in hac ſeſe prodent

prodent ſymptomata; ſi verò in nullâ corporis totius parte aliquid mali reperiatur, conjiciendum eſt, fluxum hunc ab ipſo utero provenire; & fœmina tunc eſt melioris coloris, materia non eſt tam copioſa, præceſſit uteri læſio; v.g. ſi fœmina à partu nimis citò frigori ſeſe exponat, vel gravis fuerit abortus, caſus, confuſio, coitus immodicus, præcipuè in fœmina nimis juveni. Cujus autem naturæ ſit humor peccans, patet ex ipſa avtopſia: nam ſi materia ſit purulenta, adeſt ulcus, & mulier eſt coitûs impatiens; ſi flava, bilis; ſi alba, viſcida pituita. *Differentia inter gonorrhœam, & fluorem.* *Fluor* autem *muliebris* à *gonorrhœá* ſic diſtingvitur; in gonorrhœa materia fluit in minori copia, craſſitie majore, albedine ſplendidiore; nec ita frequenter, & rariùs fœtet.

Prognoſis. *Fluor muliebris* eſt affectus chronicus, & difficillimæ curationis; qui ſæpe ſterilitatem, uteri procidentiam, exulcerationem, pudendi ardorem, cachexiam, hydropem, & tabem inducit, ætate provectas plerumq; ad mortem usq; comitatur, eò, quòd in iis plurimi humores pituitoſi generentur & abundent, facultasque ſit valde debilis, & uterus, velut corporis ſentina, totius corporis humores facilè recipiat.

Curatio. *Cura* in hoc malo recenti ſtatim inchoanda eſt ab univerſali totius corporis *purgatione*; *Purgatio.* teſte Hippocrate, *5. aph. 36.* humori peccanti accomodatâ, cholagogâ ſcilicet, ſi bilis; phlegmagogâ, ſi pituita; melanagogâ, ſi melancholia; hydragogâ, ſi ſerum peccet: deinde, ſi corpus ſit plethoricum, *Venæſectio.* *vena cubiti ſecetur.* Aliqui, ad revulſionem, *Vomitus.* *Vomitivum* exhibent: deinde *Diuretica* *Diuretica.* propinant, ad humores ſeroſos per urinas pellendos. Nos præferimus *Sudores*, *Diaphoretica.* ſi corpus non ſit nimis tabidum, ex *decocto ligni Sancti*, *ſalſaparillæ*, *ligni ſaſſaffras*, & *radicis Chinæ*: nam per diuretica trahitur materia ad partem affectam. *Vinum medicat.* Nos ſequens *Vinum panchymagogum* frequenter cum ſucceſſu exhibuimus:

℞. *Thymi*,
epithymi,
pulegii,
capillor. Veneris,
menthæ, ana m.j.
ſem. carthami ʒß.
cortic. ebuli,
median. ſambuci, ana ʒj.
trochiſc. de eupator.
rhab. ana ʒij.
rad. gelappæ ʒß.
fol. ſenæ Alexandrinæ ℥ij.
flor. nymph. p.ij.
Mart. cum ſulph. præp.
tartari crudi Veneti, ana ʒß.
macis ℈j.
agar. rec. trochiſc. ʒij.
galangæ,
zinzib. ana ʒß.
paſſul. min. mundat. ℥ij.

Inciſa omnia, & contuſa, dentur ad Nodulum ligata, cui ſextariis vini quinque ſuperaffuſis ſtent in maceration. xxiv. horis: deinde omni manè, quadrante horæ, poſt aliquot cochlearia jusculi ſumpta, bibantur ℥iv. v. vel vj. & continuetur per viij. dies. Hiſce factis, ſi corpus non videatur ſufficienter expurgatum, adhuc ſequentes *Pilulæ* aliquando præſcribantur: *Pilulæ.*

℞. *Maſſæ pil. fœtid. major.* ℈j.
magiſt. gelappæ gr. viij.

Cum ſ. q. *ſyr. de ſucco artemiſ.* F. Pil. num. viij. pro una doſi, quæ tertio quovis die, usque ad ſufficientem purgationem, repeti poterunt. *Specificum Martis*, *tinctura ejusdem*, item *pulvis cachecticus Quercetani*, in hoc affectu plurimum faciunt. Nos ſæpe præſcripſimus ſequens *Suffumigium*, per ſellam perforatam excipiendum: *Suffumigium.*

℞. *Flor. urticæ mort.*
malvæ arbor.
nymph. ana p.iij.
nuc. moſchatæ,
ladani, ana ʒiij.
acatiæ ʒij.
galliæ moſch. (pro divitibus) ℈j.

Inciſa & contuſa dentur ad ſcatulam, pro Suffumigio. Alii exhibent *lactis chalybeati* ℥vj. per quadraginta dies, omni manè, manducando deſuper *amygdalar. dulc.* n. xij. Attendenda autem eſt hîc optimè pars mandans, ut hæc confortetur, ita, ut, ſi caput ſit mali cauſa, cephalica; ſi ſtomachus, ſtomachica; ſi uterus, hyſterica, cui ſemper competunt, adhibeantur.

Nota; non omnimodè adſtringendum fore, niſi priùs & parti mandanti proſpectum ſit, & materia probè evacuata?

Digitized by Google

cum: aliàs materia flagrans ad alvum, vel aliò, cum maximo Patientis detrimento, regurgitaret: cujus ſi nullum ampliùs adſit periculum, ſequentibus paulatim adſtringendum eſt; & partes ſunt roborandæ: inprimis *injici* poterit *lac chalybeatum*, cum *melle roſato*, deinde *ſolus cremor hordei*, vel *lac ipſum*, ſi magn. adſit ardor, in uterum injiciatur. Per os ſequens *Conſerva* exhibeatur:

Injectiones.

Conditum.

℞. *Conſerv. roſ.* [illegible]
fl. malva arbor. ana ℥j.
rad. acori vulg. conditi ʒij.
corall. rub. prap. ʒij.

Cum ſ. q. *ſyr. corall.* F. Mixt. mollis; de qua ſæpius ſumatur ad magnitudinem caſtaneæ. *Balnea* ſulphurea plurimum ſemper in hoc affectu profuerunt: his itaque, præmiſſis univerſalibus, diligenter utendum. *Externa* adſtringentia quod attinet, vide, quæ de iis dicta ſunt, *cap. de Profluv. menſium.*

Balnea.

Externa.

Diæta. *Diætam* quod attinet, hæc debet eſſe exſiccans, & temperata. *Potus* ſit *decoctum ligni ſaſſafras*, vel *radicis China*, vel *ligni lentiſcini*, vel *vinum rubrum.*

Gonorrhœa mulier. *Quid.* *Gonorrhœa mulierum* eſt affinis fluori, & idcircò huc eam referimus: eſtq; invita ſeminis, citra Venerem, profuſio: uti definit Paulus, *lib. 3. cap. 59.* ferè mulieribus, quàm viris, frequentior, eò, quòd illarum ſemen ſit magis dilutum. Partes affectæ ſunt vaſa ſpermatica: eſtq; affectus, qui cum tempore ad tabem perducit. *Differentia.* *Differt* à fluore albo, uti antè dictum eſt; nec, ut ille, ab utero, ſed à vaſis ſpermaticis profluit. Velut in viris, ita & in mulieribus, *duplex* eſt gonorrhœa: *ſimplex*, & *virulenta*: illa iterum eſt *duplex*: aſſidua, & nocturna: *aſſidua* duplicem habet cauſam: primò expultricis irritationem, ob copiam, vel acrimoniam, ſeminis, aut paraſtatarum inflammationem; ſecundò retentricis imbecillitatem; quæ aliquando immaturâ Venere contrahitur, unde ſemé nec ad debitam conſiſtentiam poteſt coqui, nec retineri: hinc ſine voluptate excernitur. *Prognoſis.* Si affectus his ſit diuturnus, vires enervat, corpus extenuat, colorem deturpat, corpori ſegnitiem, animo torporem infert, imò quasdam ad paralyſin diſponit, refrigerato ſcilicet, & magis effœminato corpore: nihil enim eſt, quod corpus noſtrum magis roborat, quàm ſemen; teſte Aetio, *lib. 11. cap. 33.* Fit nonnunquam citra coitum, in plethoricis, poſt vehemens aliquod exercitium, equitationem ſcilicet, vel potum cereviſiæ recentis: hiſce enim ſemen vel copioſum, vel acre redditur, unde facultas expultrix ſtimulatur. Hîc ſemen exit cum voluptate, in ſomno, non tamen citra aliquam virium dejectionem: & hæc eſt potiùs *Pollutio nocturna.* De *Gonorrhœa virulenta* agemus *cap. de Morbo Gallico.*

Cura Gonorrhœa. *Curam* ſimplicis gonorrhœæ quod attinet, quæ à copia ſeminis, aut paraſtatarũ inflammatione fit, reprimenda eſt victu tenui & refrigerante, aquæ potu, quiete, äere frigido, fugâ Veneris, & ejuſdem objectorũ, balneo frigido, abſtinẽtia ciborũ, qui copiam ſanguinis, & conſequenter ſeminis, generant: ut ſunt ova, carnes evelyſmæ, aromata, bulbi, *Semen generantia.* amygdalæ, pineæ, & flatulenta omnia, quæ Venerem ſtimulant. Corpus expurgetur per *caſſiam*, *terebinthinam*, *rhabarbarum*, &c. Vena cubiti ſecetur, ſanguisq; in bona quantitate extrahatur: deinde juſcula refrigerantia exhibeantur, ex *lactuca*, *portulaca*, *endivia*, *ſemine viticis*, & *ſeminibus frigidis*: ex quibus *Refrigerantia.* etiam fieri poſſunt *Emulſiones* cum *aqua hordei*, additâ *camphorâ*. Similibus etiam refrigerantibus, addito *aceto*, foveantur genitalia: fiant injectiones (exceptis tamen Virginibus) ex *cremore hordei*, cum *mucilagine ſeminis cydon.* extractâ cum *aquâ plantaginis*: deinde, ad magis adſtringendum,

Pulv. adſtring.

℞. *Sem. viticis*,
lactuca,
portulac.
carabes,
maſtich. ana ʒj.
ſacch. rub. ʒj. F. Pulv.

De quo exhibeatur ʒj. ante paſtum, cum *aq. plantaginis*: vel ex his fiat *Conſerva*, cum *ſyrupo de nymphæa*, vel de *mentha*, de qua ſumatur magnitudo caſtaneæ, eo tempore, quo antè. Si verò fiat à debilitate facultatis retentricis, utatur Ægra *Diæta.* victu exſiccante, aſſis potiùs, quàm elixis, vino rubro, aquâ chalybeatâ diluto: partes foveantur *vino rubro*, in quo *plantago*, *Fotûs.* *roſa rub. balauſtia*, & *folia quercûs* percocta fuerint: renes, inguina, & perinæum, *inungantur unguento Comitiſſæ*, cum *cerato ſantalino*, & *oleo cydonior.* aut *myr-* *Unguenta.* *tillor.* permixto *aq. ex ſpiritu aceto*, vel *decoctum*

cochlum pro *ſemicupio*, tum in fluore, muliebri, tum in gonorrhœa, mirabilia operatur. *Pollutio* nocturna præcavetur inediâ, refrigerantibus, & abſtinentiâ ab *objectis*, lectionibus & colloquiis Venereis, item à vino generoſo, aromaticibus, & ſalſis edoliis.

Pollutioni nocturna.

Objectio. 1. Objic. 1. Hippocrates, 2. *de morbis mulier.* ait: ſi lintea illa areſacta, utpote quæ priùs humore eodem fœdata fuerunt, ſimplici aquâ laventur, & in umbrâ ſiccetur, tunc manifeſtè referunt colorem humoris, in excrementis dominantis: cùm tamen in hoc affectu pituita, aut ſeroſi humores, dominentur, qui non tingunt, adeoque agnoſci nequeunt. Reſp. inprimis Hippocratem non ſolùm de hoc affectu loqui, ſed etiam de aliis: ſecundò, lintea, ſi exſiccata non tingantur in hoc affectu; ſignum eſt, humorem bilioſum aut melancholicum non redundare, ſed tantùm humorem ſeroſum, aut pituitam, in exceſſu eſſe.

2. Objic. 2. Chalybeata non videntur hîc opportunè adhiberi; magis enim aperiunt, unde partes nimium hiant, quæ in fluore muliebri aliàs ſunt patentiſſimæ. ℞. fluorem muliebrem non rarò fieri ab obſtructionibus, cùm ſcilicet propter easdem excrementa in hepate, liene, aut meſenterio, redundant, nec per ordinarias vias expurgantur, ſed in uterum deponuntur. Secundò chalybeata vehementer exſiccant & corroborant: adeoque in hoc affectu plurimùm conferunt.

3. Objic. 3. Gal. *de prænognit. ad Poſthum.* referente Schenckio, *in Obſerv.* mulierem, aliàs pituitoſam & prehumidam, deſperato uteri fluxu laborantem, hydragogis, diureticis, & frictionibus, feliciter liberavit: ſed quomodo melle corpus inungi potuerit, non video. Reſp. Quando Galenus, & Antiqui Medici aliquod ſiccum medicamentum parti alicui applicare volebant, melle priùs illam ungebant, deinde medicamentum ſubtiliſſimè pulveriſatum inſpergebant; quod & nos, in livore oculorum, cum *melle*, & *pulv. rad. bryoniæ*, ſæpius feliciter practicavimus.

Quæſtio 1. Quæres 1. Cur mulieres pallidæ ſæpiſſimè fluore uterino laborent? Reſp. Ob eam, quâ maximè abundant, humiditatem: hinc exſiccantibus, diaphoreticis, & diureticis, maximè juvantur; uti jam ex Galeno notatum eſt.

II. Quær. 2. Unde ergo tanta humorum illorum acrimonia, quæ mulieris pudenda adeò urit & exulcerat, ut vix ambulare queant: humiditas enim aquea non eſt tam acris? Reſp. vel id fieri ob humorum ſalſedinem; humores enim aquei dum aliquandiu in parte aliqua (ut patet in hydropicis) ſtagnant, ſalſi omnino evadunt: vel etiam ob adustionem.

Caput LXXVII.

De Furore Uterino.

Furor uterinus. **F**Uror *Uterinus*, mania, ſeu melancholia uterina, fit ab intenſo & effrænato coëundi deſiderio, mentem quaſi diſlocante; dum Ægrotæ turpia & impudica verba loquuntur, & viros paſſim ad Venerem invitant & provocant. *Unde.* Fit hic affectus à copia, calore, & acrimonia ſanguinis & ſeminis, in vaſis ſpermaticis, & venis proximis, accenſi, ac inflammationem cauſantis, unde maximus fit ad Venerem impulſus & ſtimulus: à loco hoc affecto vapores ſurſum aſcendunt ad caput, ſimiliter calidi & acres, qui mentem emovent: quandoque etiam homines delirant abſque vaporum aſcenſu; & tunc eſt alia ſpecies maniæ, uti fit in *Erotico amore*, in quo ſufficiunt animi paſſiones ad mentem diſlocandam. *Eroticus Amor.* Quò diutius ſemen retinetur in omnibus ſalacibus & calidioribus, eò magis ſemper accenditur & acre redditur: ideoque affectus hic non vetulas, ſed virgines & viduas, ac philtratorum, ſeu ligatorum, & impotentium, uxores plerunq; torquet. Malignitatem in hoc affectu non admittimus; poteſt enim ſufficere calor & acrimonia ſeminis, ad ſimilia ſymptomata producenda. Exſurgit autem illa acrimonia ab ætate juvenili, temperamento ſanguineo-bilioſo, ab humoribus aduſtis, cibis delicatioribus, & menſâ opiparâ, converſatione & objectis Venereis, libris impudicis, choreis, & aliis illecebris.

Diagnoſis Incipientis. *Cognoſcitur* hic affectus, quòd tales, dum hoc affectu laborare *incipiunt*, triſtes ſint & ſolitariæ, cum oculorum jactatione, levitate, facieiq; rubore; videnturq; omnino concuti, & pal-

pulsûs mutantur, teſte Galeno, dum rerum Venerearum aliqua fit mentio. In *progreſſu* verò mali hujus impatientes fiunt, rixantur, lachrymantur, aliquando effuſiſſimè rident, inordinatum ſermonem texunt; idq; una vice magis, quàm altera: nam ſuas habet affectus hîc exacerbationes, &, dum lucida ſunt intervalla, reſipiſcunt; ſed accedente iterum paroxyſmo, affectúque ad ſtatum tendente, turpia apertiſſimè loquuntur, viroſq; ad obſcœna invitant.

Progredientis.

Prognoſis.

Si affectus hic recens fuerit, curabilis eſt: ſi antiquus, in maniacam paſſionem mutatur: & quò ſæpius redeunt paroxyſmi, eò ſemper deterius eſt; quò autem tardiùs, eò melius. Deinde ſignum optatum eſt, quando corpus de die in diem magis reficitur, nec ad objecta, vel dicta Venerea, ampliùs turbantur Ægrotæ.

Indicationes.

Indicationes in hoc affectu deſumuntur ab intemperie calida tum uteri, tum ſanguinis & ſeminis, tum etiam totius, quę corrigenda eſt per refrigerantia: deinde ab humorum acrimonia, quæ alteranda eſt: dein ab eorum, tum & ſeminis, copiâ, quæ evacuanda. Injectis itaq; clyſteribus refrigerantibus ex *cremore hordei*, in quo *lactuca* bullierit, cum *melle mercuriali*, per frequentes phlebotomias ſanguis valde imminuendus eſt, ut corpus refrigeretur, & ſemini generando materia dematur; et, ſi abſit menſium fluxus, venæſectione in talo provocandus. Ad partes, vaſis ſpermaticis plurimùm vicinas, reſtigerandas apertio *hæmorrhoidum*, præcipuè ſi turgeant, plurimum facit. Hiſce factitatis, ſi bilis abundat, evacuetur ſequenti cholagogo:

Cura.

Venæſectiones.

Purgatio. Potio.

℞. *Cort. myrob. citr.*
rhabar. elect. an. ʒij.
fol. ſenæ ſ. ſt. ʒiij.
nitri præp. ʒj.
Infund. in *aq. portul.* ℥iv. ſpatio xxiv. horarum; deinde, factâ levi ebullitione, in colat. diſſolv.
mannæ el.
ſyr. roſ. ſol. ana ℥j.
crem. tart. ℈j. M. F. Potio.

Alterantia: Emulſio.

Peractâ purgatione, exhibeantur *Emulſiones*: ut:

℞. *Sem. agni caſti*,
portul. ana ʒij.
melon. excort. ℥j.
papav. albi ʒj.
Contund. in mortario, ſenſim affund. *decoct. hord.* ℔j. F. l. a. Emulſio: vel, ejus loco,

Julapium.

℞. *Aq. nymph.*
lactucæ,
portul.
endiviæ, ana ℥iij.
ſyr. de nymph. ℥ij.
ſp. vitrioli q. ſ. ad gratam aciditatem:
F. Julapium, pro tribus doſibus. Purgatio interea repeti poterit: dein ordinetur *Balneum* refrigerans, ex *decocto hordei crudi*, *lactuca*, *mentha*, *nymphæa*, *portul.* &c. quod tepidè ſaltem ingrediatur Ægra, & tam diu maneat, donec balneum valde refrigeretur, vixq; præ frigore illud tolerari poſſit; idq; per aliquot dies continuetur. Vel, loco hujus, *ſemicupium* parari poteſt: *unguenta* etiam refrigerantia, & *emplaſtra* defenſiva, vel *lamina plumbea*, renibus applicentur. Ex *umbilico Veneris*, *lactucâ*, *portulaca*, *ſem. viticis*, *floribus nymphææ*, *roſ. ſem. frig. major. lactucæ*, *papaveris* &c. recentibus contuſis, & *ſucco limonum* irroratis, additâ *camphorâ*, aquam deſtillare licet, de qua ℥iß. ſæpius in die propinari poteſt. Interea *clyſteres* refrigerantes reiterentur. Ad ejiciendũ ſemen corruptum, *emulſio*, facta ex *ſemine cannabino*, plurimum facit. Aliqui *cauteria* cruribus applicant; & non ſine fructu: cordi interea, & capiti quoque providendum eſt.

Balneum.

Unguenta & Emplaſtra.

Aqua deſtillata &c.

Diæta.

Diæta ſit tenuis, & minimè evchyma, ne copia ſanguinis & ſeminis generetur, & mulier, aut virgo, ſi abſq; conſcientiæ nævo fieri poterit, viro jungatur, & omnis illicitæ Veneris occaſio cane pejus & angue vitetur, temperanter etiam vivendo, ut igni fomes ſubtrahatur.

Quæſtio. 1

Quær. 1. Quænam ſit differentia inter hyſtericam paſſionem, & furorem uterinum; cùm uterque morbus proveniat à ſemine? ℞. Hyſterica paſſio fit à ſanguine corrupto, & malignâ quadam narcoſi; furor uterinus autem à ſemine copioſo, acri, & calido: adeoq; ſufficiens eſt utriusque affectûs differentia.

Quær. 2. An pulſus amatorius explorari poſſit? Reſp. affirmativè: nam ſi amanti pulſus tangatur, ſubitoque de perſona amatâ ſermo inſtituatur, pulſus ſenſibiliter mutabitur: ita Galenus.

Qu. 3. Quomodo Riverius, & alii, aſſerunt, furorem uterinũ mutari in maniam;

niam; cùm Gal. *com. ſect. 6. aph. 56.* dicat, maniæ cauſam eſſe melancholicum humorem? Quomodo feminis copia poterit degenerare in melancholicum humoré? ℞. id fieri per accidens, ob gravia animi pathemata, & ingentem calorem, humores in atram bilem vertentem; unde Galenus ait, maniam non tantùm fieri ab humore melancholico, ſed & à melancholia aduſta.

IV. Qu. 4. Unde fiat, quòd hoc affectu laborantes ſuos paroxyſmos & periodos habent? ℞. non habere quidem certas periodos, ſed tantùm incertas, ob inordinatum materiæ motum, qui cauſari facilè poteſt ex datâ Veneris occaſione, vel liberaliori victu.

V. Qu. 5. Cur ſimilis affectus viris non contingat; cùm in iis ſemé vel maximè ſit calidum, & æquè poſſit excedere in quantitate, aut retentione? ℞. Licet Satyriaſis affectus talis eſſe videatur; attamen ejusmodi furore non afficiuntur viri, ob fortiorem expultricé, ob quam ſemen non tam diu retinetur; deinde eò, quòd in viris ſemen extrà; fœminis intrà contineatur, plusque humiditatis habeant.

VI. Quæ. 6. Unde cognoſcuntur mulieres, eſſe ſalaces? ℞. Ex colore rubicundo, labiis ſiccis, & fiſſuras habentibus, quæ matricem ſiccam eſſe ſignificant; item ex levitate morum, &c.

CAPUT LXXVIII.

De Uteri Præfocatione, ſeu Hyſterico paſſione.

Paſſio hyſterica. INter innumera, quibus miſeræ mulieres afficiuntur, accidentia præcipuum ferè locum obtinet *Hyſterica* paſſio, ſeu *Uteri ſtrangulatio*, in qua jacens mulier, quaſi exanimis, videtur ſuffocari: hinc & *uteri ſtrangulatus* dicitur. Et, *Uteri ſtrangulatus.* cùm uterus, illud Ariſtotelis animal, cum præcipuis totius corporis partib9; per nervos, venas, & arterias, conſenſum habeat; hinc etiam, dum ille afficitur, ſimul capitis, colli, pectoriſq; dolores, convulſiones epilepticas, cordis palpitationes, arteriarum in hypochondriis & dorſo pulſationes, ventriculi, hepatis, & lienis affectûs, infinitáque alia, progenerat.

Galenus, *6. de loc. aff. cap. 5. cauſam* ejus *Cauſa.* *duplicem* aſſignat; utpote menſtrui ſanguinis ſuppreſſionem; & retenti ſeminis corruptioné; alii addunt cujusvis humoris, in utero corrupti, copiam; ut patet in vetulis hyſtericis, quæ nec ſanguine, nec ſemine abundant, ex quibus corruptis varii generis vapores variè partes feriunt. Alii enim ſunt acres, alii narcotici & maligni, alii craſſi & flatulenti, qui, diaphragma impetentes, diſpnœam cauſant; quamvis etiam narcotici eandem poſſint cauſare; dum ſcil. nervis movendi & ſentiendi via adimitur, ac ſpiritûs ipſi figuntur. Nec vaporibus tantùm impetuntur partes ſuperiores, ſed & ipſis humoribus regurgitantibus, ob venarum uteri obſtructionem. Hoc malum per paroxyſmos invadit, & mulieres adeò proſternit, pulſum ſimul ac ſenſum iis adimédo, ut pro mortuis habitæ aliquando, & ſepultæ fuerint; quod, uxori Conſulari Coloniæ evenisse, narrant Annales. Similia exempla refert Valer. Max. *lib. 1. c. 6.* item *Petrus Bayrus, Pract. lib. 2. cap. 28.*

Signa paroxyſmum præcedentia ſunt *Diagnoſis.* torpor mentis, pigrities, virium debilitas, pallor faciei, triſtis aſpectus, abdominis murmur, nauſea, ructus; quibus tandem ſuccedit ſenſuum impedimentum, vocis interceptio, pulsûs obſcuritas, reſpiratio inſenſibilis, cujus vicem gerit ſola per poros tranſpiratio, crurũ contractio, gravis ſopor, delirium cum ſtridore dentium, quandoque cum riſu vel lachrymis, motûs abolitione, vel etiam convulſionibus totius corporis; quæ tamen, juxta Hippocratem, periculo vacant; umbilicus, & venter, ſeſe introtrahunt omnino. Paroxyſmus auté plerunq; excitatur poſt exceptos odores gratos; vel etiam, uti ſæpe obſervavimus, poſt eſum rerum dulcium, quæ, non ſecùs ac odores, uterum movent & ad ſe alliciunt: ut teſtatur Hip. *lib. de nat. mul.* eò, quòd *uterus exſiccatus ad hepar, fontẽ gratioſi humoris, feratur*. Paroxyſmũ hunc quandoq; cauſant ira, terror, gravis quilibet animi motus, medicamenta &c. quæ materiam lentam & corruptam agitant ac fermentant; unde vapores maligni, teſte Galeno, *6. de loc. aff. cap. 5.* illis, & torpedinis veneno, phalangii morſui, & ſcorpionis ictui non abſimiles

miles excitantur. Quòd autem uterus aſcendat ad collum usq;, cùm ejus ligamenta quatuor tantú extendi non poſſint, incredibile videtur: reſtitutæ enim ſtatim prolapſum paterentur: Hippocrati tamen, *loco citato*, uteri adſcenſum usq; ad umbilicum aſtruenti, non contrariamur. imò Fernel. *l.6. Patholog. c.16.* hunc uteri adſcenſum ſe tactu frequenter deprehendiſſe aſſerit. Quomodo autem mulier ſolâ tranſpiratione, absque reſpiratione, vivat, non ita planum eſt. Nos putamus, ob eximiam veneni narcoſin, & refrigerationem, cordis caloré opprimi ita, ut non indigeat ventilatione; & hinc reſpirationem, ſoli cordis refrigerationi, & generandis ſpiritibus dicatam, ceſſare; vel etiam fieri poſſe, ut vapor ille malignus animales ſpiritûs ita figat, quò minùs ad organa poſſint influere, ſed alia graviora, circa facultatem vitalem, contingant ſymptomata: uti patet in apoplexia.

Differentia à Cauſa. Variant hujus affectûs *differentiæ*, prout *cauſa* eſt vel *gravis*, vel *levis*; *recens*, vel *antiqua*; *ſanguis*, vel *ſemen*: deinde venenum illud variorum venenorum naturam imitatur: hinc aliæ potú horrent, ut in hydrophobia; aliæ abſurda appetunt &c.

Nota. Nota: venenum hoc non ſemper partes ſuperiores petere, ſed aliquando tantùm inferiores: unde medicamenta graviter olentia non naribus, ſed utero, ſunt admovenda, vel femoribus alliganda.

ab aliis morbis: ut Syncope: Differt *à ſyncope* (niſi complicentur) quòd in hac reſpiratio & pulſus omnino amittantur; non autem in hyſterica paſſione: deinde quòd ſyncope ſtatim accidat, ſine prçviis ſignis: tertiò mulier ſuffocata meliùs eſt colorata, quàm ſyncope affecta: 4. ſyncope non tam diu durat, ac hyſterica paſſio: 5. in ſyncope frigidi ſudores urgent; non verò in hyſterica paſſione.

Apoplexiâ. Differt quoq; hic affectus ab *apoplexia* eo, quòd ſenſus & motus non ita abolitus, nec ita vires reſolutæ ſint: deinde non adeſt talis ſtertor, uti in apoplecticis; & mulieres poſt paroxyſmum meminerunt eorum, quæ, eo durante, facta ſunt.

à mortuis. A *mortuis* goſſypii, vel plumulæ, ad os appoſitione facile diſtinguuntur.

Convulſione. *Convulſio* autem, quæ fit ab utero, ab illa, quæ vera eſt, diſtinguitur, quòd pulsûs non ita mutati & convulſivi ſint, nó adſit ſpuma circa os, convulſiones non ſint ita univerſales; deinde, quando paroxyſmus tranſiit, recordantur eorum, quæ facta ſunt, & velut à ſomno expergeſiunt, exeunte interim magnâ, per uterum, aquæ copiâ, & ventre murmurante; quod non fit in *epilepſiâ* vera, in qua ſpuma ex ore promanat. *Epilepſiâ.*

Diſtinguendum hîc eſt, utrum *à ſemine corrupto*, an *à ſanguine*, an verò *à cacochymia* oriatur: ſi *à ſemine* corrupto eſt, illius magna retentio, & generatio, per ætatem juvenilem, otium, ingluvié &c. præceſſit; à *ſanguine*, ſi menſtrua fuerint retenta; à cacochymia, ſi mulier ſit vetula, ſi turpis adſit faciei color, & alia cacochymiæ ſigna ſe monſtrent.

Prognoſis. *Prognoſin* quod attinet, longè gravior eſt hyſterica paſſio, quæ fit a corrupto ſemine, quàm quç ab aliis humoribus; eò, quòd præſtantioris rei deterior ſit corruptio, teſte Gal. *lib.6. de loc. aff. cap.2.* eòq; ſemper majus eſt periculum, quò magis pulſus & reſpiratio, maxima duo vitæ ſubſidia, intercipiuntur; teſte Aëtio. Juvenes magis, quàm ſenes, affligit hic affectus. *Si mulieri hyſterica ſternutamentũ ſuperveniat, bonũ: 5. aph 35.* tum ut ſignú, quia, naturá ſegnem excitari, ſignificat; tum ut cauſa, quia, quæ utero ſunt impacta, per hoc vehementer diſcutiuntur. Affectus hic rarò lethalis eſt; eò pejor tamen, quò plures partes in conſenſum trahit; hinc gravidis, & puerperis, periculoſum eſt malum, cùm ob abortûs periculum, tum ob imbecillitatem à partu relictam.

Curâ. *Curam* quod attinet, hæc *duplex* eſt: *in* & *extra paroxyſmũ*: ab *illo* quamprimùm liberanda eſt mulier, ſitu ipſius ita ordinato, ut crura ſint valde declivia; deinde aliis præſidiis, quorum alia uterum adſcendentem ad inferiora propellunt: ut ſunt graveolentia naribus admota; v.g. *caſtoreum, galbanũ, ſulphur, ruta*, cum *aceto* trita, *aſa fœtida, oleum de gagate, corium*, & *pluma accenſa, capilli uſti, verrucæ equorum*; ſingulariter, ſi earum pulvis, aut ſuffitus, naribus excipiatur: quæ omnia vel uterum ſuo fœtore repellunt, vel cerebrum ad expulſionem materiæ morbificæ ſtimulant; quæ tamen epilepticis non conveniunt: ſternutatio procuranda, & vomitus eſt excitandus.

Alia retrahunt *uterum*, & vapores revellunt: dum nempe applicatur ventoſa magna regioni uteri, ille ſtatim ad locum ſuum redir: item applicandum eſt ibidem *emplaſtrum de galbano;* & ipſi umbilico ʒj *Balſami hyſterici Minſichti;* deinde celebrentur frictiones partium externarum, pudendorum, & partium infernarum, pilorum evulſiones, vincula dolorifica, pubis fomenta aperientia, clyſteres acres, cucurbitulæ femoribus admotæ, ſectio venæ malleoli, præcipuè ſi proveniat à retentis menſtruis, *odorata* pudendis admota: *Suffitus.* uti eſt *pomata* cum *ambra, moſcho,* & *Zibetta; ſuffitus* ex *ladano, trochiſcis de gallia moſchatâ, oleo Jeſemino, nardino,* &c. Alia tetros vapores discutiunt: ut *Theriaca* & *Mithridatium*, cum *aqua artemiſia, meliſſa, borraginis, cardui benedicti, hyſtericâ Quercetani*, vel Doctoris *Claus, Theriacalt* &c. *Fomenta* etiam ex *Fotus.* herbis matricalibus, *pulegio* ſcilicet, *calamintha, artemiſia, majorana, thymo, hyſſopo,* & carminativis, regioni pubis applicata, plurimum faciunt. Multum quoque prodeſt, hypochondria faſciis ſtrictiùs ligare, ſuperiùs ſcil. verſus inferiora progrediendo: cave tamen, ne in gravidis abortum procures. *Clyſteres.* Clyſteres quoque hîc parandi ſunt, ex *herbis matricalibus* cocti, additâ *camphorâ, oleo rutaceo,* & *carminativis*; quia plerunq; flatus adſunt plurimi; hinc mulieres per uterum ſæpius ſtrepitosè pedunt. *Mercurius dulcis*, uti luis Venereæ, ita & hujus affectûs eſt alexipharmacum, ob ſeminis corruptionem, in utroq; affectu præſentem. Nos in ſummo paroxyſmo gr. xiv. *moſchi odorati* *Specifica Autoris.* cum *vino* exhibuimus, & Patiens illa nunquam ampliùs hoc malo tentata eſt. Item *pulvis* ad ℈ij. vel *aqua ex ſcapulis nucis juglandis*, cum aliquot guttis *olei ſuccini*, certiſſimum eſt experimentum. *Cathartica propria.* Soluto paroxyſmo *propriis catharticis* tollenda eſt affectio: ut ſunt *pilulæ fœtidæ majores*, cum *fæcula bryoniæ* exhibitæ, quæ à Matthiolo ſingulariter commendantur; vel ℥j. *radicis bryoniæ* cum *vino* bulliat, & hauſtum unum cubitum itura ſemel in ſeptimana capiat; & infallibiliter curatur. Si adſint convulſiones, exhibeatur ʒj. *pulveris hepatis lupi*, cum *aqua pulegii*, vel alia *hyſterica*. Alii exhibent *magiſterium Jovis Anglici* & *vitriolum Martis*, quodlibet ad ℈ß. cum ℈j. *magiſterii matris perlarum*. Si magna adſit totiꝰ refrigeratio, *ungatur* ſpina dorſi *Inunctiones.* *oleo laurino, ſpicæ, caſtorei, caryophyllorũ* &c. fricentur partes externæ, & *foveantur* *Fomenta.* linteis calidis. Si magna adſit uteri intemperies, & cacochymia, coquantur *artemiſia, mentha, tanacetũ, folia lauri, ſalvia, majorana, lavendula, calamentum, meliſſa* &c. in *vino*, ac per ſellam perforatam calidè excipiatur *fumus*: eſt reme- *Suffitus.* dium obſtetricis Gallicæ. *Peſſaria* etiam *Peſſaria.* mulieribus, non virginibus, ex *caſtoreo, hiera picra, aſa fœtida* &c. cum *melle cocto* facta, ſupponi poſſunt, quæ magnã materiæ fœtidæ copiam nonnunquam educunt. Chalybeata etiam à plurimis commendantur. Vide, quæ in *Affectibus lienis & hypochond.* dicta ſunt. Si magna adſit plethora, ſanguis minuatur: ſi menſtrua nõ fluant, modò non ſint gravidæ Ægræ, provocentur. Virgines hyſtericæ viris, ſi fieri poteſt, per matrimonium jungantur, ex conſilio Hipp. *lib. de virginibus, ſub finem*: ſi enim, *ait*, conceperint, ſanantur: ſi verò, ob Deo devotam caſtitatem, fieri non poſſit, ſeminis copia per victum tenuem & deſiccantem, vigilias, labores, V.S. medicamenta purgantia frequentiora, & ſemen minuentia, ut ſunt emulſiones ex *ſemine agni caſti, cannabino, lactucæ, portulacæ* &c. prohibeatur.

Quær. 1. Unde fiat, quòd mulieres *Quæſtio.* I quandoq; ad ciborũ, vel juſculi carnis, præſentiam tali morbo laborare incipiant? ℞. uterum ad omnia grata, odorata, vel etiam dulcia, moveri; hinc, dum ad præſentiam tam grati hoſpitis ſinum quaſi pandit, & hiat, materia incluſa exhalat, parteſque diaphragmatis nervoſas & pectoris ferit, unde difficilis reſpiratio.

Qu. 2. An hyſterica paſſio etiam fieri II. poſſit ab aliis humoribus vitioſis, præterquã à ſanguine & ſemine? ℞. affirm. cùm in vetulis, etiam citra ſeminis præſentiam, perſæpe hyſterica paſſio generetur: credibile tamen non eſt, quin ſemper aliquid ſemini analogum admixtum ſit.

Quær. 3. Unde tanta partium ex- III. ternarum refrigeratio oriatur? Deinde, unde motus fiat abolitio? ℞. Ad primum: refrigeriũ maximè oriri ob prohibitum ſanguinis arterioſi ad partes appul-

appulſum; qui patet ex languidiſſimo, vel etiam plane inſenſibili cordis motu, quo vix quippiam ſangvinis & caloris in arterias premitur. Ad ſecundum Reſp. ob eandem fere cauſam ſpiritûs animales ad nervos non derivari aut pelli; unde motûs fit deperditio, & ſenſus diminutio: nam deficiente facultate vitali, neceſſe eſt, ut deficiat quoque animalis.

IV. Quær. 4. Cur ſuffocatæ adſtantes audiant, & tamen non moveantur? Reſp. Quià ad auditum tanta ſpirituum animalium copia non requiritur, quanta ad motum.

V. Quær. 5. Cur hyſtericæ convellantur, cùm tamen effectûs cauſa dicantur vapores hypnotici, qui potiùs convulſioni contrariantur; nam convulſiones plerunque fiunt ſenſu integro, vel ad minimum irritato; non adempto? Reſp. vapores illos quandoque tam acres eſſe, ut eorum acrimonia narcoſin ſuperet: deinde, cùm convulſio nihil aliud ſit, quam violenta quædam corporis extranei à nervis expulſio; etiam narcotica ſufficiunt ad convulſiones excitandas: cùm ſint objecta quædam toto genere p. n. Imò convulſiones referuntur inter morbos frigidos, à narcoticis illatos; ſiquidem febri adventante, uti teſtatur Hippocratis aphoriſmus, curantur.

VI. Quær. 6. Quomodo diſtinguantur convulſiones hyſtericæ ab aliis? Reſp. In convulſionibus hyſtericis plerunq; venter contrahitur, Patientes audiunt adſtantium diſcurſûs, præceſſerunt odorata vel Venerea, vel matricis morbi; quæ in aliis convulſionibus non contingunt: deinde convulſio hyſterica cognoſcitur à lædentibus & juvantibus: pellitur enim plerunque fœtidis; odoratis augetur: quod in vera convulſione non fit.

VII. Quær. 7. Unde fiat, quòd, Mercurium dulcê hyſtericis tantum prodeſſe, compertum ſit? Reſp. Sicuti Mercur. dulcis veriſſimum eſt morbi Gallici alexipharmacum; ita & hyſtericæ paſſioni plurimum confert: nam uti morbus Gallicus à corrupto ſemine utplurimùm oritur & communicatur; ita & hyſterica paſſio plerunque à retento ſemine impuro, corrupto, & putrido oritur: hinc idem eſt utriusque remedium.

Objicies. 1. Ergo hyſtericæ, nulla alia intercedente causâ, poterunt incidere in morbum Gallicum? Reſp. negando conſequentiam: intervenit enim malignitas quædam in morbo Gallico, ſpecie omnino diſtincta à malignitate hyſtericæ paſſionis: alia enim eſt malignitas morbi Gallici, quæ maximè hepati, & partibus ſolidis inimica eſt, eásque impedit: alia hyſtericæ paſſionis, quæ, ob vim quandam narcoticam, nervos aſſopit: unde partium læditur motus. *Objectio. 1.*

Quær. 8. Unde fiat, quòd quædam mulieres, hyſtericæ paſſioni obnoxiæ, odorata, utpote roſas, ambram, moſchum, &c. optimè poſſint tolerare; aliæ verò non? Reſp. Si matricis motus, ut ſæpe fit, ſit ad inferiora; vel partes inferiores tantùm, ut crura, femora, & pedes impetat: tunc odorata, per nares excepta, non tantùm non nocent, ſed etiam proſunt: & hoc perbellè obſervant mulieres, quæ inferioribus caſtoreum alligant, & naribus odorata intrudunt: uti *ſupra* dictum eſt. VIII.

Quær. 9. Quomodo *moſchus* ad XIV. vel XV. gr. introſumptus prodeſſe poſſit hyſtericis, uti teſtatur Riverius, & ipſimet obſervavimus, in muliere, quæ à graviſſima paſſione, nullis aliis juvantibus, per *moſchi* introſumptionem, à tanto malo totaliter fuit liberata? Reſp. per *moſchum* non tantùm putridos vapores fuiſſe diſſipatos; ſed etiam uterum, & nervoſas partes, ab amiciſſimo *moſcho* ita fuiſſe corroboratas, ut ab hac infirmitate fuerit omnino liberata Ægra. IX.

Caput LXXIX.

De Procidentia Uteri, & de ejus Clauſurâ.

Uterus *prolabitur*, vel quando cervix ejus pervolvitur; vel cùm fundus ejus ita evertitur, ut inſtar ovi anſerini forâs promineat: id autem accidit triplicem ob cauſam: vel quia ligamenta ejus laxantur ab humiditate, pondere, conatu vehemen- *Uteri prolapſus. Unde:*

 ti, ani-

ri, animi perturbatione, nimio coitu, vel coëundi deſiderio : tunc enim facilè dislocatur uterus, & propendet: ſecundò fit, ut rumpantur ejusdem ligamenta à partu, vel abortu difficiliori & violento, à caſu, indoctâ obſtetricis manu &c. Tertiò prominet uterus factâ corroſione, vel abſceſſu, vel ulcere, vel putredine; teſte Ægineta, *lib. 3. cap. 62.*

Signa diagnoſtica. *Signa diagnoſtica* ſunt, quòd, ſi foras pronuneat, oculis patet; ſi non promineat, adeſt pondus grave in pubis regione, difficilis inceſſus, mingendi & dejiciendi difficultas, lumborum & præcordiorum tenſio.

Prognoſtica. Malum hoc eſt chronicum aliquando, &, inductâ intemperie, uterus putreſcit, malum cerebro communicatur, & excitantur convulſiones; hinc, ſi mulieres ſint vetulæ, & malum inveteratum, cura non eſt ſperanda.

Curatio. Si verò ſit recens prolapſus, uterus *vino calido*, in quo *balauſtia*, *ſalviáque*, cum *roſis* bullierint, primò foveatur; deinde inſpergatur *pulvis roſarum rubearum*, & *balauſtiorum*, muliere elato podice ſituatâ, manu, *oleo myrtino* vel *roſaceo* parum inunctâ, intrudatur, vel cucurbitula magna umbilico applicetur; & ſubitò retrahetur uterus. Aliquando ſolis odoriferis naribus admotis, & fœtidis vulvæ ſuppoſitis, reſilit; alii ignem minantur; alii mures cruribus alligant, ut ita retrahatur. Si verò tantus adſit uteri tumor, vel à flatibus, vel à materiâ, foveatur *decocto carminativo* & *digerente*, cum *adſtringentibus* facto: ſi verò pars prolapſa putrida ſit; vel conſumatur, vel abſcindatur. Poſtquam uterus in loco ſuo repoſitus fuerit, in ſitu convenienti *emplaſtris*, & *fomentis adſtringentibus*, *faſciisq́* contineatur. Aliàs vetulæ, quæ ampliùs reſtitui non poſſunt, ſemper gerunt *globulum* quendam ex *ſubere*, *cerâ* obductum, cum *filo ſerico* propendente in utero, ut extrahi quandoque poſſit; quod hîc ſæpe practicavimus. Hîc quiete maximè opus eſt: ſi ob humorum copiam ligamenta mollia & laxa fuerint, corpus moderatè expurgandum, & partes illæ exſiccandæ victu tenui, & emplaſtris exſiccantibus.

Clauſura. Uteri *clauſurâ* laborantes virgines Atretæ dicuntur. Fit autem in tribus locis clauſura; vel in oſculo uteri interno; vel in ejusdem collo; vel in orificio anteriori, ſeu vulva.

Unde. Clauditur autem uterus vel ab infante, quando uteri orificium obtenditur aliquâ membranâ; vel pòſt, quando poſt vulnus, vel ulcus, labia coaluerunt; vel etiam fit quandoque à compreſſione, ſtricturâ, vel diſtorſione, quæ pudendi virilis, & feminis ingreſſum, menſesque impedire ſolent.

Signa diagnoſtica. Si clauſura eſt externa, oculis patet: ſi verò interna, adverti non poteſt, antequam viro jungatur Atreta, vel adſit tempus, ut menſtrua erumpant: tunc enim ſummos patitur dolores, & fluxum omnino nullum; ſed cum tempore venter & ubera intumeſcunt, ac ſi gravida eſſet. Si verò clauſura ſit in cervice uteri, advertitur in primo coitu; ſi verò uteri orificium ſit clauſum, difficulter cognoſcitur; niſi quòd ſemen viri injectum ſtatim rejiciatur.

Prognoſtica. Si clauſura ſit extrinſeca, faciliùs juvari poteſt, ſectione factâ: ſi verò interna, difficulter ſanantur: deinde difficiliùs adhuc curantur, ſi medio carnoſo, quàm ſi membranâ coaluerit: ſi verò internum uteri orificium ſit clauſum, malum eſt incurabile.

Cura. *Curam* quod attinet, ſi à nativitate clauſura exterior fuerit, ſimplici ſectione aperienda eſt: ſi autem ſpongioſa quædam caro poſt ulcus ſubcreverit, uti fieri ſolet in morbo Gallico; tunc caro illa abſumenda injectione *aquæ Mercurialis*, vel *unguento Ægyptiaco*; vel *lapide infernali corroſivo*, vel inſtrumento, quo polypi abſcinduntur, eſt reſecanda, & cicatrizatum vulnus curandum eſt ſiccantibus. Si fiat à compreſſione, v. g. à tumore, vel deſcenſu inteſtini recti, vel omenti, veſicæ calculo, femoris luxatione, tumore ipſius uteri; hæc curanda ſunt & auferenda. Si adſit durities, hæc emollienda eſt balneo, ſemicupiis, fomentis, linimentis, & peſſariis emollientibus.

Objectio, 1. Objicies 1. Non videtur fieri hîc differentia inter deſcenſum, & procidentiam; cùm tamen inter ſe differant; deſcenſus enim fit ita, ut non promineat uterus; in procidentia verò inſtar ovi anſerini exſtat, & oculis patet. Reſp. Cùm differant tantùm ſecundum

magis

magis & minus; nec in medendi ratione diſcrepant.

2. Objic. 2. Hîc non videtur fieri mentio hæmorrhoidum uteri; cùm tamen ſit affectus frequentiſſimus, qui mulieres variè torquet. Reſp. Nos etiam alios uteri tumores ad Chirurgiam remiſiſſe: attamen abs re non eſt, quòd plurimæ ex uteri hæmorrhoidibus graviſſimos dolores uteri, & totius ventris, colicam per aliquot annos mentientes (uti non ita pridem in quadam advertimus, malumque antè ignotum, & præpoſterè à variis tentatum, paucis adhibitis remediis, feliciter curavimus) patiantur. Super hæc vide Sennertum, *de Uteri affectibus*.

Caput. LXXX.

De Uteri Inflammatione, Scirrho, Inflatione, & Hydrope.

Uteri Inflammatio. *Unde.*

Quemadmodum cætera humani corporis membra; ſic & uterus *Inflammatione* tentatur; quæ *fit* ab uberioris ſanguinis in ejus ſubſtantiam infuſione; ubi accenditur & putreſcit.

Cauſæ ſunt frigus ambiens, motus vehemens, Venus frequens, compreſſio, menſium ſuppreſſio, abortus, & partus difficilis; teſte Paulo, *lib. 3. cap. 64.*

Signa. *Signa* ſunt, pubis, imi ventris, lumborumque ardor, tumor, diſtenſio, gravitas, febris. Si partem imam occupet inflammatio, cervix contrahitur, duraque & ardens digito, ab obſtetrice immiſſo, ſentitur: ſi anteriorem, pubes dolet & induratur, acceditque dyſuria: ſi poſteriorem, dolent lumbi, & alvus induratur: ſi latera, ingvina tumeſcunt, & crura gravantur: ſi fundum, uterus ſurſum retrahitur, reſpiratio difficilis redditur, dolor ad jugulũ uſq; tendit: morbo huic acuto adeſt vomitus, ſingultus, dentium ſtridor, capitis dolor, delirium, animi deliquium, exſudatio, partium externarum, & præcipuè genuum, refrigeratio, pedum torpor, frequentes horrores, præcipuè in ipſa ſuppuratione: & hæc omnia, pro morbi magnitudine, intenduntur & remittuntur.

Curatio. *Cura* hujus inflammationis perficitur communib. præſidiis: v. g. præmiſſo clyſtere aliquo modo refrigerante, celebretur *Venaſectio* ex brachio, in bona quantitate, idque, ſi malum non remiſerit, pluribus vicibus: deinde, factâ revulſione, fiat derivatio, applicatis cucurbitulis coxis, & femoribus, ſectâque malleoli venâ. *Venaſectio.* Poteſt etiam exhiberi blanda *purgatio*, ex *caſſia, manna, & tamarindis*. *Purgatio.* *Topica* repellentia pubi & lumbis admoveantur: *Topica.* ut *epithemata* ex *aquis, ſuccis*, & *decoctis ſolani, plantaginis, polygoni, ſempervivi, portulacæ, umbilici Veneris*, cum *aceto*, addito *bolo, ſantalis, balauſtiis* &c. Si magnus adſit dolor, *lac recens mulſum* injiciatur. Si Ægræ ſunt virgines, fiant *inſeſſus* ex *decocto malvæ, parietariæ, verbaſci, althææ, ſeminis lini* &c. in *lacte* facto: vel ſimili *decocto*, cum ſpongiâ, *foveatur* pars affecta. Si inflammatio tendat ad maturationem, ea quoque eſt digerentibus & ſuppurantibus promovenda, deinde ulcus factum abſtergendum *decocto hordei*, in quo parum *terebinthinæ*, & *mellis roſati* diſſolutum ſit. Si verò ulcus illud fiat ſordidum, & cuniculoſum, ita, ut vel inteſtinum rectum, vel veſicam penetret, ſpes ſalutis omnis fere exſpiravit. Poſt uteri inflammationem, ſi materia non diſcutiatur, vel nimiùm repellatur, & refrigerantibus induretur, tumor ſæpe deſinit in ſcirrhum; cujus cura non multum differt ab aliorum, lienis ſcilicet, & hepatis, ſcirrho: adeóque Lectorem *illuc* remittimus.

Tumor. *Unde.* Uterus ſæpe *intumeſcit*, vel flatu, vel humore aliquo in uteri cavitate incluſo, vel intra membranas contento: generatur autem vel ab imbecillo ejus calore, & crudo humore, aut ſanguine coagulato; vel extrinſecus advenit: ſi, v. g. mulier, poſt balneum, aut partum, repentè ſeſe aëri committat, aut à partu uterus non bene obvolvatur, ſæpe fit ſubita quædam uteri colica, & inflatio, cum vehementi dolore: ſed citò iterum diſcutitur, nec propriè *Uteri hydrops* dici poteſt. *Uteri hydrops.* Uteri *hydrops* duplex eſt: à *flatibus* unus; alter à *ſeroſo humore*. Nos etiam Uteri *anaſarcam*, *Anaſarca.* ab humore pituitoſo ortam, obſervavimus; quòd patebat ex plurimo tali humore rejecto. *Hydrops flatuoſus.* De *flatuoſo hydrope* non dubitant Authores; inter quos ſunt Sennertus, Valleſius, Dodonæus, & Nos multoties in Auſtria vidimus:

Aſcites. vidimus: idem tenendum eſt de *aſcite* uteri: nam ingentem aquarum copiam inde rejici, non raró annotavimus, quæ proculdubio vel ob uteri conſtrictionem, ſine peculiari ipſius vitio, recentæ fuerunt; vel etiam ab ipſius intemperie frigida, & caloris nativi debilitate generatæ ſunt. Idem fieri poteſt à multiplici balneo, potu aquæ frigidæ, itinere hyberno, partu difficili, abortu, menſium immodico fluxu, fluore albo, item à retentione menſium, & quibusvis uteri particularibus morbis. *Diſtinctio ab Aſcite.* *Diſtinguitur* ab univerſali totius corporis hydrope, eo quòd hic tumor magis ventris occupet fundum, nec tam turpis ſit totius corporis color; nec tuſſis, nec ſitis & extenuatio adeſt; deinde quòd tumor hic magis accedat ad lumbos, & flatûs ab utero erumpant. *Flatibus, & Humorib. ſeroſ. ac pituitoſ.* Ut diſtinguas, an ſit à *flatibus*, vel ab *humoribus ſeroſis* aut *pituitoſis*, vide *cap. de Hydrope.* *à Toto: Parte aliquâ.* Diſtinguendum item, an ſit *ab ipſo utero*, vel *à toto*, vel ab *aliquâ parte*: ſi à toto, v. g. poſt longum & gravem morbum, ut febres ardentes, hæmorrhagias &c. adſunt in toto corpore ſigna, & ab adſtantibus reſciri poteſt: ſi verò adſint indicia malè affecti *ventriculi*, *hepatis*, *lienis*, *capitis*, &c. facilè, malum inde foveri, pronunciabimus: ſi verò totum corpus ſat commodè ſeſe habuerit, ſignum eſt, ab ipſomet *utero* *Utero.* provenire, ſi præcipuè aliquis difficilis partus, vel abortus, vel refrigeratio præceſſerit: ſi materia in ipſa uteri capacitate ſit contenta, tumor multò amplior erit, quàm ſi ſit in ejus membranis. *aliis Tumoribus.* Ab *aliis tumoribus* ſic diſtingves hydropem: quòd in iis febris & dolor plerunque adſint: ſi verò mulier ſit gravida, tumor non eſt tam amplus & depreſſus, uti in hydrope, ſed parum acuminoſus: deinde mulier in cæteris ſeſe meliùs, nec ita anhelando gradûs adſcendere opus habet, & reliqua adſunt graviditatis ſigna. *Molâ.* A *molâ* ſic diſtingues: quòd in hac, dum ſeſe mulieres de latere in latus vertunt, hæc decidat inſtar ponderis cujusdam; quod non ſit in hydrope: deinde mammæ ſubinde creſcunt, & lac fundunt, in mola; quod item in hydrope minimè contingit.

Prognoſis. *Prognoſin* quod attinet, ſi recens ſit hic affectus, nec adeò magnus, ſine partium, aut totius, conſenſu, periculo vocat: ſi verò antiquus ſit, conſpirante toto, vel parte aliqua nobiliore, utero humoribus putridis ſcatente, non caret periculo; ſiquidem uterus maximam cum toto habet communionem, &, illo laborante, reliquo corpori vix bene eſſe poteſt: quin & uteri in muliere ſanitas ex faciei decore ſtatim colligitur.

Cura. *Cura* hujus affectûs convenit cum curâ hydropis, & cachexiæ virginalis, ſeu chloroſeos. Venæſectio hic non convenit, nî proveniat à retentione menſium, idque cum grano ſalis, & in pauca quantitate. Hîc pete purgantia, *in Chloroſi*, & *Hydrope*, propoſita. *à Flatibus.* In magno uteri dolore *à flatibus decoctum*, vel *aqua*, *camomillæ* præſentaneum eſt remedium. *à Ventriculo.* Si malum à *ventriculo* foveatur, *Vomitivum* ſemel in ſeptimana exhiberi poterit. Corpore item probè expurgato, exhibenda ſunt *Sudorifera.* *ſudorifera* ex *decocto ſalſaparillæ*, *ligni Indici*, *radicis Chinæ*, *aſari*, &c. *Semicupia* item ex herbis, *ruta*, *meliſſa*, *calamentho*, *majorana*, *origano*, *foliis ebuli*, *thymo*, *epithymo*, *pulegio*, *artemiſia*, *mentha*, *ſeminibus carminativis*, *floribus chamomillæ*, *roſmarini*, *baccis juniperi*, *lauri*, uſurpanda &c. Tali *decocto* etiam *foveri* poſſunt abdominis partes: linimenta item carminativa ordinentur; vel *emplaſtrum diaphanicum calidum*, *de meliloto*, *de baccis lauri* &c. Injectiones & peſſaria corruptis præſcribantur: aliàs *Tympanitis Uterina.* in tympanite Uterina plurimum faciunt, *ſuffitus* ex *nuce moſchata*, *cumino*, & *anetho*. Aliqui magnam cucurbitulam regioni uteri applicant, ad flatûs diſſipandos. Si tumor ſit ab humoribus, cauteria cruribus affixa plurimum proſunt. Plura vide in *locis citatis*.

Objectiones. 1. Objicies 1. Galenus, *lib. de Venaſ. 1.* poplitis & malleoli venam ſecare jubet, utero, renibus, vel veſica affectis; idem præcipit *13. meth.* Reſp. Galenum ſecare venas inferiores pro derivatione; &, poſtquam materia jam fluxit, concedo; in principio, quando materia eſt in fluxu, & pro revulſione, nego; nec huic ſententiæ contrariamur.

Quæſtiones: 1. Quæres 1. Quomodo differat *ſcirrhus uteri* ab ejusdem *callo*? Reſp. ex Moſchio-

Moſchione, referente Foreſto, in *ſchol. ad Obſer. 41. libr. 28. de morb. mul. Callus* in hoc à *ſcirrho* differt, quòd ille in totum nihil ſentiat: ſcirrhus verò, etſi ſit ſine dolore, non tamen eſt omnino ſine ſenſu: ita Gal. *14. de morb. cur.* & *2. ad Glauc.* item *callus* majorem, quàm ſcirrhus, habet duritien.

22. Quær. 2. An cum uteri hydrope poſſint menſes ſubſiſtere, aut effluere? Reſp. id referente Fernelio, in muliere, uteri hydrope laborante, quæ ſingulis menſibus ingentem primò aquarum copiam profundebat, deinde ſequebantur menſtrua omnino inculpata. Et ego mulierem novi, quæ, hydrope in ſiniſtro uteri cornu laborans, & intolerabiles inde paſſa dolores, adhibitis tandem optimis remediis, effusâ aquâ copioſiſſimâ & clariſſimâ, convaluit. De *Hydrope cornuum uteri* vide Tulpii *Obſervationes*.

Caput LXXXI.

De Uteri Cancro, Ulceribus & Rhagadibus: item de Mola.

Uteri Cancer. Uteri ſcirrhus nonnunquam deſinit in *Cancrum*, dum nempe materia ejus aduritur: diſtinguitur autẽ cancer *ulceratus* à *non ulcerato*, quòd etiam in illo fluat ſanies; in hoc verò non; ſed magnus adeſt dolor, & lucidus tumor. Uterque eſt incurabilis, teſte Æginetâ, *lib. 16. cap. 44.*

Curatio difficilis. Dum tamen adhuc in principio verſatur, impediri poteſt purgantibus melanagogis, venæ ſectione, hæmorrhoidum apertione, topicisque refrigerantibus & adſtringentibus; v. g. ex *ol. roſ. myrtino, olivarum immaturarum, ſucco ſolani, plantaginis, geranii*, cum *ceruſſa, lithargyrio* & *aceto*: Ex his etiam fieri poſſunt *Injectiones in uterum. Emplaſtrum de ceruſſa* ſingulariter cancri incrementum impedire dicitur. De *Uteri Ulceribus & Rhagadibus* vide *Chirurgia noſtra cap. 49.*

Mola. Quid. *Mola*, ſecundum Paulum, *lib. 3. cap. 69.* eſt induratus uteri tumor, qui modò in vulvæ oſtiolo, modò in tota ipſa prominet. Secundum Gordonium, eſt fruſtum carnis informis, quod in mulieribus utero geſtatur: ſecundùm Ariſtotelem, mola eſt inchoata fœtus formatio, ſed nunquam abſoluta; quæ aut brevi editur, aut toto vitæ tempore geſtatur, & maximè indureſcit. Quòd autem tam diu durat, cauſa eſt, quòd non eſt omnino p. n. nec omnino, ob inchoatam actionem, corruptibile quid. Quòd autem molæ non generantur in aliis animalibus, cauſa eſt, quòd mulier plus, quàm cætera animalia, menſtruis abundat, uterinâque patitur mala, à quibus impeditur coquendi actio; unde maſſa ſemicruda permanet. Galenus, *14. de uſu part.* ſimilia refert in agentis debilitatem; molæ autem generationem aſſimilat generationi ovi alicujus ſubterranei; in hoc uno diſcrepare, aſſerens, quòd illud ſine maris conſuetudine gignatur; at mola non, niſi in mulieribus maritos expertis. Amatus Luſitanus hiſtoriam narrat, *centur. 4. curatione 32.* de Monacha, cui molam eſſe putabant aliæ, quas ideò graviter, ob ſcandalum, reprehendit. Galenus exiſtimat, hic tantum ferè dimidium agentis concurrere, &, licet viri ſemen, teſte Fernelio, actionem inchoët, eam tamen non perficere, ſed exſtingvi. Si verò quæras, ſub qua ſpecie ſit mola: Reſp. velut imperfectum, ad genus perfecti referendum eſſe, & ad genus carnis humanæ, ſicut embryo ad genus hominis refertur.

Molæ *prognoſticum* eſt, quòd, dum intenditur hic affectus, degenerat in aquam intercutem. Prognoſticum. Hippocrates, *lib. de morb. mul.* de mola ſic ſcripſit: *Hanc igitur maximè quidem ne curato, aut certè cum prædictione.* Neoterici dicunt, molam ab initio ſtatim curandam, nec tempus partus exſpectandum eſſe. Sic enim ſæpius eſt incurabilis, aut à naturâ, onere gravatâ, propulſatur quidem, ſed interficit, aut dolores, exeundo, acerbiſſimos, & convulſiones invehit. Mulieres poſt molam rarò iterum imprægnantur, &, ſi conceperint, facilè abortum patiuntur, aut morboſum fœtum pariunt, ob uteri vehementem debilitatem à mola relictam. Si itaque veræ molæ ſigna affuerint, quæ colligitur ex eo, quòd mulier à conceptione

ſemper

Digitized by Google

ſemper pejùs & pejùs valeat, difficiliùs ambulet, menſtrua, licet diminutè, fluunt, pondus ab uno latere ad aliud concidat, ante tertium menſem motus ſentiatur, neque à natura circa id tempus rejiciatur; Medicum de cura ſollicitum eſſe oportet: quam tali methodo aggrediatur.

Curatio. Ægra decumbat in domuncula anguſtiore, manùs luci expoſitâ, modicè perflatâ, cubili immobili, ita, ut pedes habeat elatiores; aër temperatus in æſtivis, & modicè ad calidum & ſiccum vergens, eligatur, ſomnus ſit moderatus, alvus quotidie reſpondeat, concedatur moderata deambulatio, animi pathemata inordinata vitentur: dein, præmiſſo clyſtere, primò vena brachii ſecetur, poſtremò ea ad utrumque talum internum; eáque exhibeantur, quæ faciunt ad menſes movendos, utpote laxantia & aperientia; quæ etiam valent ad partum excludendum. Vide *caput de difficili Partu*, & *Menſ. Suppreſſ.* *Suffitus* fiant ex *decocto hyſſopi*, *rutæ*, *centaurei*, *ariſtolochiæ*, *thymi*, *hellebori albi*, *baccar. lauri*, &c. *Peſſaria* acriora immittantur ex *gummi ammoniaci* & *bdellii*, ana ℥ß. *opopanacis* ʒij. *ſtyracis calamitæ*, *ladani*, ana ʒß. *pul. rad. ariſtolochiæ*, *ſabinæ ſiccæ*, *hellebori albi*, *agarici electi*, *diacolocynthidis*, ana ʒß. Cum ſ. q. *ſucci rutæ* formentur Peſſaria: quæ tamen non nimis diu retinenda ſunt, ne vagina exulceretur, vel loco molæ falsò creditæ, abortus concilietur.

Quæſtiones. I. Quæres 1. Quomodo differat cancer uteri ab inflammatione? Reſp. cum Paulo Ægineta, eo, quòd cancer eſt diuturnus, nec febris ardens: inflammatio verò tam diu non durat, & febris magis urget.

II. Quær. 2. Quomodo ulcera Gallica ab aliis diſtinguantur? Reſp. Ulcera Gallica præceſſit vel gonorrhœa virulenta, vel fluor albus diuturnus malignus, vel ipſa lues Venerea etiamnum adeſt: ſimplicia verò ulcera horum nihil adjunctum habent, ſed poſſunt provenire vel à partu difficili, vel à diuturna ſecundinarum retentione, vel ab acrimonia humorum, caſu, ictu, &c.

III. Quær. 3. Quomodo mola diſtinguatur ab ipſo vero fœtu? Reſp. Eo, quòd illa tempus partûs excedit; ſecundò, quòd non habet ſimilem motum elevativum; ſed tantùm, inſtar alicujus maſſæ ponderoſæ, dum corpus vertitur, ab uno latere ad aliud cadit.

Quær. 4. Quomodo diſtinguatur ab uteri ſcirrho, cujus mentionem facit Paræus, *lib. 23. cap. 38.* dicens, humani capitis magnitudinem æquaſſe? IV.
Reſp. Eo, quòd ſcirrhus magis adhæret, & corpus magis apparet cachecticum, quàm in mola.

Caput LXXXII.

De Sterilitate utriuſque Sexus.

AD generationem duo præcipuè requiruntur: prolifici ſeminis ubertas, & partium genitalium bona temperies, ac debita conformatio: ſic, ſive *mulier*, ſive *vir*, efficitur *ſterilis*, vel materiæ, vel partium genitalium vitio. Sterilitas. Cùm autem materia duplex ſit, ſemen, & ſanguis; utraque peccat vel inopiâ, vel qualitate pravâ, ob totius corporis, vel partium principum, intemperiem, malamque diathesin. Uterus in *mulieribus* ad conceptionem tribus modis inutilis redditur; Mulierum. primò intemperie quavis immodica, vel ſolâ, vel cum materiâ, calidâ nimirùm, genituram diſſipante & exſiccante; ſiccâ, corrumpente, ob alimenti defectum; frigidâ, extinguente; humida, ſuffocante, & uterum lubricante; hanc menſes albi ſæpiſſimè ſequuntur: ſecundò pravâ conformatione, præſertim hiatu perpetuo, conſtipatione à tumore, callo, membranâ, adipe, obſtructione à craſſis lentisq; humoribus, item perverſione &c. tertiò ſolutione continui, præſertim ulcere.

Inter *cauſas externas* referuntur Venus frequens, varius concubitus, ætas immatura, vel ſenilis, ſatietas frigida, vitæ ratio, ſaltus, motus vehemens, mœſtitia, odium, tuſſis, gonorrhœa, filtrum & ſortilegium: verbo: omnia hæc generationem impediunt, quæ ſemen, aut ſanguinem menſtruum, in uterum recipi prohibent, aut receptum corrumpunt, vel mox remittunt. Causæ Externæ: Inter alimenta, *mentha*, *abſynthium*, *lactuca*, *naſturtium aquaticum*, *ſemen cannabinum*,

Rabinum, *acetum*, morbi item maligni, conceptionem impediunt, ut lues Venerea, elephantiaſis &c. item mulieres claudæ, cruribus diſtortis, vel depreſsâ coccyge, nimium pingves & obeſæ, uti Ariſtot. habet, *5. de hiſt. animal. cap. 12.* quibus uteri os ab omento comprimitur, ideoq́ue concipere non poſſunt, niſi extenuentur, teſte Hipp. *5. aph. 46.* Ex

Interna. cauſis *internis* ſunt denſus frigidúsque, præhumidus, æſtuoſus, aut ſiccior uterus, item calculus veſicæ, improportio utriusq; ſeminis; hinc fit, ut ob ætatis, & temperamenti, mutationem, aliquando poſt multos demum annos, incipiat mulier concipere.

Signa Mulieris. *Signa mulieris* ſterilis deſumuntur ex Hipp. *5. aph. 59.* Si mulier non conceperit, ſcire autem velis, an conceptura ſit, pannis circumtectam infernè ſuffias; &, ſi odor videatur ire per corpus ad os, & ad nares, ſcito, quòd ipſa ex ſe ſterilis non ſit. Idem Hippocrates etiam jubet allii caput deraſum in uterum ſubdi; &, ſi poſtridie odor ad os pervenerit, eam ad conceptionem aptam; ſin minùs, ineptam fore affirmat. Amatus recipit etiam *coaguli leporis* ʒj. quam diſſolutam in *aqua calida*, mulieri in balneo exiſtenti propinat: quòd ſi ſentiat dolores, & ventris tormina, fœcundam eſſe; ſin minùs, contrà aſſerit. Alii peſſarium imponunt ex *galbano*, capite bene fumigato & circumvoluto: ſi manè odor galbani ex vertice exierit, fœcunda erit mulier; ſin minùs, contrà. Alii mulieris urinam ſupra hordeum affundunt; quòd ſi illud intra decē dies germinaverit, fœcunda eſt; ſin minùs, contrà: idem de *Viri* urina aſſerunt. Alii furfures urinis madefaciunt, &, ſi in iis generentur vermiculi, tunc mulieres, aut viros infœcundos pronunciant. Avicennas experimentú ex Rhaze adducit, quod cæteris probabilius aſſerit Mercatus: ut ſupra aquam ſemina conjugis utriusque projiciantur; quod ſupernataverit, judicandum eſſe ſterile. Sed cùm hoc ſine crimine fieri non poſſit, præſtat, ut utriusq; urina ſupra lactucæ radices inſpergatur: quæ enim radicem exſiccaverit, illius eſt cenſenda ſterilitas.

Viri. Si verò ſterilitas à *Viro* procedat, cognoſcitur ex morbis partium ejus genitalium: ſi, v. g. erectionem non habeat; ſi adſit ſeminis, vel ejaculationis, defectus; ſi membrum nimis breve aut contortum, aut paralyticum ſit; ſi vir imberbis & effœminatus; ſi frigidū & nimis humidum ſemen habeat; coëundi deſit appetitus &c.

Prognoſis. *Prognoſin* quod attinet, ſi Veneris appetitus omnino ſit exſtinctus; ſi à mala membrorum à nativitate conformatione; ſi ab ætate provectâ; ſi à vera frigiditate proveniat: aut nunquam, aut difficulter, curatur.

Cura. *Curam* quod attinet, hæc ad cauſam accommodari debet: nam vitia conformationis, ab ortu contracta, vix curabilia ſunt; quæ verò ſuperveniunt, propriis remediis erunt curanda. In-

Alterantia: temperies verò à contrariis emendatur: calida victu refrigerante, ſomno longiore, quiete, balneo aquæ dulcis, cū hordeo: ſicca cibis evchymis & humectantibus: frigida & humida victu calefaciente, & ſemen augente, exercitio, Venere parciore, mutuo amore; partim medicamentis phlegmagogis & hydragogis corriguntur. Ad ſopitum calorem

Calefacientia: Interna: Pulvis: reſtaurandum, acria & aromata ſunt aſſumenda: ut:

℞. *Cinamomi*,
nuc. moſch.
raſur. eboris, ana ʒj.
ſeminis erucæ,
ſiler. mont. ana ʒj.
moſchi, *ambræ* (ſi ferre poſſint) ana ℈ß.
ſantali albi ʒiij. M. F. Pulv. Doſ. ʒj. ex *vino generoſo*, vel *ſyr. de cort. citri*: additâ *elect. diaſatyr.* & *cort. eryngii condit.* an. ʒj.

fieri poteſt *Opiata*: de qua ſæpius magnitudo caſtaneæ ſumatur. Aliqui exhibent ʒj. *ſecundinæ mulieris* exſiccatæ: alii dant, aliquot diebus, cochlear medium *lactis ſcrophæ nigræ*, vel etiam *pulverem ex hepate & teſticulis porcelli*, quem ſolum ſcropha edidit; alii ʒß. vel ʒj. *eſſentiæ ſatyrionis Crolliana*, in *vino Malvatico*. Albertus Magnus bene lavat *matricem leporis*, exſiccat, & *pulverem* ejus cum *juſculo* exhibet, ad fœcunditatem conciliandam. Vide plura in *Authoribus*.

Electuarium. *Externa* ſunt *Unguenta*, *Fomenta*, *Balnea*, ex hyſtericis & cephalicis calidis; ex quibus etiam *Inunctiones* fieri poſſunt: v. g.

Linimentum. ℞. *Ol. nuc. moſch. expreſſi*,
nardini,
cheirini, ana ʒß.
ungv. roſ. ℥iß.
pulv. trochiſc. de gallia moſch.

Digitized by Google

elect. diambra, ana ℈ß.
zibethi ℈j.
ſtyracis liquidæ ʒij. M. F. Liniment.

Refrigeratorum. quo regio pubis inungatur, & renes. In *refrigeratis thermæ* plurimum faciunt: partes etiam *ſuffiuntur ex pulvere nucis moſchatæ, ladano, tacamahacâ, ſtyrace* &c. Si mulier ſemen non retineat, applicetur regioni renum *emplaſtrũ ad rupturam, ad matricem, de bolo*: ſi verò malum proveniat à *Maleficio*, ad *preces* confugiendum eſt; nam hîc exiguus medicamentis eſt locus: in ſimili tamen caſu feliciter exhibuimus ʒj. *ſl. hyperiконis*: juſſimus; ut *priapus tauri* geſtetur ex collo, & *conſervam eryngii* ſumendam præſcripſimus: imperavimus etiam veſtium, ſtragulatum, cubiculi, & aliorum, in quibus ſæpe ejuſmodi faſcinationes abſconditæ latent, mutationem.

Suffitus.

Emplaſtr. à Maleficio.

Quæſtiones. I. Qu. 1. Cur illæ fœminæ, quæ nunquam habent menſtrua, non concipiant? ℞. ex Hippoc. *lib. de ſterilibus, pag. 2. ſub finem*, eò quòd venæ ſanguine plenæ genituram non recipiant; deinde ſanguis inveteratus, qui diu ibidem retentus fuit, genituram impedit.

II. Qu. 2. Cur Hippoc. *loco citato*, dicat: ſi quidem naturâ mulier multos menſes demittit, ſterilis fit? ℞. Quia, evacuato uteri ſanguine, genituram non concipiunt, ob debilitatem; deinde ſangvis copioſus affluens genituram ſuffocat.

III. Qu. 3. Qualis, ad vitandam ſterilitatem, debet eſſe proportio inter maritũ & fœminam? ℞. talem eſſe debere, qualem deſiderat Ariſt. *1. de generat. animal. & 2. de anima*, utpote, ne mulier ſit maximè phlegmatica, & vir cholericus; vel vir melancholicus, & mulier ſanguinea: taliter enim, ob nimiam improportionem, oritur ſterilitas: deinde vitanda eſt magna ætatum, & ſanitatis, disproportio: ſi enim vir ſit annoſus & cacheƈticus, abſque dubio generabit ſemen aquoſum, quod in utero non faciet moram, ſed brevi diffluet. Et hæc captivitatem matrimonialem ingredi deſideranti accuratè priùs penſitanda ſunt.

IV. Qu. 4. Cur mulieres pingues rariùs concipiant? ℞. Quia habent matricem lubricam, vel orificium matricis ſtriƈtum & compreſſum; unde ſemen, antequam intret, refrigeratur, vel ſaltem tardiùs intrat; & ſic nec utriuſque ſeminis mixtio ſimul & ſemel fit.

Quær. 5. Cur mulieres nimis calidæ rarò concipiant? Reſp. Quia ſemen receptum exploditur, vel corrumpitur, ac ſi pauca aqua in ignem conjiceretur: hinc mulieres plurimùm rubicundæ, ferventes, & libidinoſæ rarò concipiunt: hinc etiam fit, quòd meretrices rarò concipiunt; tum etiam ob diverſitatem ſeminum, à quibus natura ſit lubrica, & deſtruitur. V.

Quær. 6. Cur ſemen viri eſt album, mulieris verò rubeum? Reſp. Eò quòd ſemen viri ſit magis coƈtum; & quidem in partibus candidis: fœminæ verò crudum magis, & reſiduum ſecundæ concoƈtionis, ſeu ſanguinis. VI.

Caput LXXXIII.

De Morbis acutis Prægnantium & Abortu.

Prægnantium morbi Acuti. **P***Rægnantium morbi* ſunt *duplices*: *chronici*, & *acuti*. Aƈtum ageremus, ſi omnium hîc ideas & cauſas enumeraremus: de iis enim jam ſæpius egimus; nec ſemper febres à febribus, morbi à morbis, differunt, niſi ſubjeƈtivè, eò, quòd ſint in prægnantibus. *Gravidam mulierem morbo quopiam acuto corripi, lethale* inquit Hippocr. *5. aph. 31.* Magni enim morbi magna requirunt remedia; at quæ adhiberi hîc prohibentur, ob fœtus geſtationem: deinde in acutis morbis viƈtus tenuis requiritur, qui ejuſdem fœtûs ſuſtentationi minimè ſufficit. Mulieres in noſtris hiſce partibus faciliùs acutos ferunt morbos, quàm in patria Hippocratis: ſic in primis, & ultimis menſibus ſunt morbi acuti periculoſiores, ob ligamentorum debilitatem, & quòd ultimis menſibus fœtus grandior pluri egeat alimento. Noſtrarum mulierum morbi plerique ſunt à repletione, qui ſat magnam patiuntur depletionem; adeoque minùs ſunt periculoſi. Patiuntur etiam mulieres morbos *chronicos*, qui tantum in ſe periculi non habent; abortum tamen ſæpiſſimè cauſant, vel uſq; ad partum perdurant, & unà cum eo ſolvuntur. Chronici.

Cura. *Therapiam* quod attinet, hæc in prægnantibus multum differt ab ea, quæ fit in aliis malis (alia enim debet eſſe Diæta, alia Pharmacia, alia Chirurgia) *Viƈtus* paulò ſit plenior in gravidis, præſertim

Diæta.

ſertim fœtu grandiori, ne hic defraudedetur alimento: hîcque ſemper præſtat in victûs exceſſu, quàm defectu, peccare.

Chirurgia: *Chirurgiam* quod attinet, Hippocrates ait: *mulier utero gerens ſectâ venâ abortit*, præcipuè ſi fœtus ſit grandior. Hic aphoriſmus iterum in noſtris regionibus apertiſſimè claudicat: contrarium enim videmus indies, & vidimus in quadam muliere ſanguinea, quæ multos abortûs paſſa fuerat à ſangvine fœtum abigente; quam poſtea frequenti venæſectione toto gravidationis tempore ad felicem partum deduximus. Hîc itaque intelligendus eſt Hippocrates de ſangvinis miſſione copioſâ, & ad animi deliquium factâ: ubi enim Antiqui libras evacuabant, nos unciis contenti ſumus, nec tales in gravidis venæſectiones celebramus, quibus fœtus omnimodè ſuo privaretur alimento. Notandum: parvam venæſectionem in morbis acutis prægnantium æquivalere magnæ, in non prægnantibus celebratæ; quia fœtus evacuare juvat.

Pharmacia: *Purgationem* quod attinet, Galen. *com. in 4. aph. 1.* ait: *Mulieres in juniori & ſeniori fœtu cavere purgationem oportere:* & Hipp. *eodem loco*: *Utero gerentes ſunt medicandæ, ſi materia turget, quarto menſe, & usq; ad ſeptimum*: tunc temporis enim fœtus utero fortiùs adhæret, ſimilitudine à fructibus arborum ductâ, quibus, ob petiolorum debilitatem, & in principio, & ſub finem, cadere facillimum eſt. Hac verò noſtrâ ætate non tam religioſi ſumus, & toto ferè gravidationis tempore moderatè purgamus, exiſtente cacochymiâ in prima regione, turgente materiâ, vel etiam apparentibus concoctionis ſignis, nullâ ſcilicet prohibente malignitate, aut fœtûs debilitate; levi nempe pharmaco, quod fortiter movendi vires minimè obtinet: hinc ab aloë, propter acrimoniam & amaritudinem, cavendum eſt. *Sudorifera* gravidis tutiùs adminiſtrari poſſunt, quàm *diuretica*, quæ fœtum expellunt. *Clyſteres* fortes & frequentes prohibentur; nos autem in minori quantitate, & acrimoniâ, eos non negamus: ubi nempe ſumma leniendi & emolliendi adeſt neceſſitas. Et hæc *de Morbis acutis Prægnantium*. Jam pauca *de Abortu* quoque dicenda ſunt.

Si mulieri, poſtquàm concepit, nihil vel ab intra, vel ab extra, eveniat, fœtum ſuum usque ad præſcriptum pariendi tempus facilè geſtabit: ſi verò adverſi quippiam ipſi contigerit, *Abortum* facilè patietur. Abortus. Nota: primis geſtationis diebus non vocari abortum, ſed tantùm effluvium: ſi verò fœtus mortuus, vel vivus fuerit, Abortus propriè dicitur, modò immaturè excludatur. *Cauſæ* abortûs ſunt partim intrinſecæ, partim extrinſecæ. Cauſæ: Externæ. *Externa* ſunt: v. g. caſus, ictus, oneris geſtatio, ſaltus, balneum, equitatio; fragor, vectio, exercitium violentum, compreſſio, ira, timor, violenta purgatio, vomitus, dyſenteria, teneſmus, tuſſis, ſternutatio, fœtor, venena, pharmaca deleteria, frigus, &c. Internæ. *Interna* ſunt: plethora, cacochymia, uteri eriſypelas, febris acuta, magnus morbus, atrophia, ſanguinis defectus, uteri anguſtia &c. Si lac è mammis copioſè effluxerit, prognoſticari poteſt abortus: item ſi mammæ ſubitò concidant & extenuentur: ſi dolor in utero & lumbis ſentiatur: ſi adſit femorum gravitas, horror febrilis, lipothymia, aquoſæ & cruentæ per uterum evacuationes, copioſus menſtruorum fluxus &c.

Præcautio. Ad *præcavendum* abortum, fœminæ, antequam concipiat, corpus probè expurgetur; ſi peccet ſanguis, evacuetur; ſi viſcera, vel uterus, aliquâ intemperie laborent, attemperentur per decocta, balnea, peſſaria, injectiones, &c. ſi uterus fuerit anguſtior, fomenta, balnea, unguenta, & cætera emollientia ordinentur. Si autem mulier conceperit, & plerunque abortiat in nonâ, undecimâ, vel decimâ tertiâ ſeptimanâ, ſitq; ſuſpicio, provenire à ſanguinis copia, uteri lubricitatem, & fœtus ſuffocationē cauſante; nos ſingulis ſex ſeptimanis *venæſectionem* in mediocri quantitatē ordinavimus, usq; ad tempus partûs: & ita multas ad felicem partum deduximus. Venæſectio. Si verò non tanta urgeat plethora, aliqua tamen adſit, quæ poſſit eſſe abortûs cauſa; circa quartum ingravidationis menſem vena cubiti, vel ſalvatella, ſecari poteſt: ſi verò adſit cacochymia, exhibeatur *infuſum rhei* cum *ſyrupo roſarum*, vel *flor. Perſicor.* Purgatio. (ſiquidē multæ mulieres roſas, matricis turbatrices, ferre nequeunt) ſi uter, *nimis laxus* fuerit, primis menſib, exerceatur mulier; ultimis à nimiâ laxitate.

 verò

verò in lecto quieſcat. Si magna adſit extenuatio, victu evchymo eſt reficienda: ut amygdalatis, pineatis, &c. *Phylacteria*, ſeu fœtum conſervantia, tum ventri applicentur, tum etiam geſtentur: ut ſunt ea, quæ paſſim umbilico applicantur: v. g. *caro bubula* parum toſta, *pulvere aromatum* conſperſa, & *balſamo embryonum* irrigita; ſicque umbilico applicata: loco carnis uſurpari etiam poteſt *panis toſtus*: item *lapis aëtes*, & *jaſpis viridis*, *ſmaragdus* &c. brachio alligentur: *magnes*, & *corallia*, è collo pendentia geſtentur: matrici itē applicetur *emplaſtrum contra rupturam*, vel *matricale*; lumbis *emplaſtrum de bolo*; ventri *fomentum* ſequens applicetur: — *Φυλακτήρια.*

Sacculus.

℞. *Herb. plantaginis*,
polygoni,
millefolii,
ſalviæ,
meliſſæ,
foliorum lauri, ana m. j.
menthæ utriuſq;,
artemiſiæ, ana m. ij.
fl. roſ. rub.
balauſt. malvæ arb. ana p. ij.
nuc. moſch. num. vj.

Inciſa & contuſa *ſacculo* trium palmarum interpuncto includantur, qui bulliat in *aquæ fabror. vini*, & *aceti*, ana part. æqual. deinde expreſſus ventri moderatè calidè applicetur: hujus loco *Cataplaſma ex gypſo*, & *pulveribus adſtringentibus*, concinnari & applicari poteſt, ſæpius renovando. Si *menſium fluxus* cauſa abortûs futura videatur, tum, ad eum ſiſtendum, applicentur ventoſæ duæ infra mammas, & ſtatim ſanguis ſiſtetur; *frictiones* paſſim ab obſtetricibus fiant, ut ſanguis ad partes externas revellatur: *ſemen plantaginis ad* ʒj. bis in die exhibeatur. Si *dolores* fuerint cauſa abortûs, ij hypnoticis, balneis, & fomentis anodinis, *clyſteribus* ex *oleo* & *vino*, cum *Philonii Romani* ʒij. factis leniendi ſunt. Aliqui *Zonam* conficiunt ex *corio equi marini*, vel *lupi*. Mulieres noſtrates tria *ovorum germina*, cum decem *foliis auri* & ʒj. *ſpodii* exhibent in *vino rubro*, cataplaſmaque ex ipſo ſupponunt; vel illud Riverii: — *Cataplaſma.* — *à Menſium fluxu.* — *à Doloribus.*

Epithema.

℞. *Thuris maſculi* ʒj.
alb. ovor. n. v.

Agitentur ſimul ſuper prunas, addendoque *terebinthinam*, ſtuppis excipe, & ventri applica. *Diæta* quoque medicamentis correſpondeat oportet: cibus & potus ſint aliquo modo incraſſantes; corporis & animi quies imperanda eſt; coitus vitandus &c. — *Diæta.*

Quær. 1. Cur primis & ultimis geſtationis menſibus morbi prægnantium ſint periculoſiores? ℞. cum Galeno, eò, quòd primis menſibus vincula, quibus utero fœtus alligatur, ſint imbecilliora, unde faciliùs à materiæ copia, & cauſæ gravitate opprimuntur & rumpuntur: ultimis menſibus fœtus ſuo, quo ſat copioſo eget, alimento deſtituitur: adde, quòd ligamenta, utpote longiora & ſicciora reddita, faciliùs rumpuntur. — *Quæſtio. I.*

Quær. 2. Cur olim Medici, unà cum Hippocr. 5. *aph.* 31. tam religioſè venam ſecuerint; jam verò tam liberaliter phlebotomiam exerceant? ℞. Si talis V. S. inſtitui poſſit, unde fœtui alimentum non ſubtrahatur, minimè nocet; imò prodeſt: talis autem primis menſibus celebrari poteſt, dum fœtus tanto adhuc non eget alimento: deinde in corporibus plethoricis (qualia plurima, ob gulam, noſtris hiſce temporibus reperiuntur) liberaliùs venam aperire licet: in mediis tamen, & ultimis menſibus majori circumſpectione opus eſt; uti *ſupra antè* diximus. — II.

Qu. 3. Unde fiat, quòd quædam mulieres poſt geſtationem duorum vel trium menſium abortiant? ℞. ſæpius id fieri, ut *ſupra* dictum eſt, à ſanguine ſuffocante: quod præcaveri poteſt facta venæſectione, quoties dolores & abortûs prodromi recurrunt: quod nobis, ad exemplum Riverii, *c. 16. de morb. Mul.* aliquoties feliciſſimè ſucceſſit. — III.

Qu. 4. An iſti abortûs non æquè fiant à cacochymia, quæ purgatione ſit tollenda? ℞. etiam abortum à cacochymia fieri: hinc mulieres bilioſas, poſt validum iræ impetum, videmus abortire: adeoq; eæ ſunt paulatim medicamentis benignis expurgandæ. — IV.

Qu. 5. Quare ictu fulminis, vel etiam, uti Ariſtoteles meminit, multo gaudio, abortiant mulieres? ℞. Quia vapor ille aduſtivus, intrans per poros, fœtum perimit: præ nimio gaudio abortit fœmina, propter dilatationem omnium partium, quæ ſeſe in gaudio lætiſſimè, quaſi objectū charū recepturæ, — V.

ſtatim

ſtatim pandunt, & conſequenter etiam uterus: vel quia in gaudio diſſipatur calor: ſicuti in timore concentratur, & matricem deſerit; unde fit abortus.

Caput LXXXIV.

De Partûs Difficultate, & Fœtu Mortuo.

Partus difficilis. Quantumvis ex Numinis Divini decreto omnibus mulieribꝰ *Partus* ſit *Difficilis*: attamen quibusdam eit & *Difficilis*, & *periculoſus*: idq; accidit vel vitio ipſius Patientis, utpote junioris, vel ſenioris; vel ratione ſtaturæ brevioris; vel ratione imbecillitatis, *Unde.* timoris, & puſillanimitatis, impatientiæ, obeſitatis, vel anguſtiæ & compreſſionis à ſangvine, calculo, molâ, partium inflammatione, tumore, ſcirrho, duris inteſtinorum fecibus, ob morbum aliquem graviorem, eo quòd fœtus ſit immaturus, debilis, ægrotus, mortuus, grandior, monſtroſus, geminus, multiplex, inverſus; vel eò, quòd, ob craſſitiem, ſecundinæ avelli non posſint, vel quòd, ob mollitiem, citiùs quàm par eſt, diſrumpantur: unde effluit humiditas, ſive aqua partûs, quo facto, exſiccatur uterus, eique tollitur lubricitas, adeoque fœtus excludi non poteſt: item ad difficilem partum faciunt animi pathemata: ut timor & triſtitia, frigus quoque externum: & ventus aquilonaris, omnes meatûs condenſando, partum remoratur; item calor, vires reſolvendo, partum cauſat difficilem. Cauſæ hactenus enarratæ, quò ſunt graviores, eò quoque difficiliorem reddunt partum, & vel fœtum tantùm, vel ſimul fœtum & matrem perimunt: hæc ſiquidem poſt tot irritos conatûs tandem fatiſcit, vel ei convulſiones lethales superveniunt.

Signa Partûs præſentis. *Signa partûs præſentis* ſunt, quòd dolores per intervalla recurrunt, & ad dorſum potiùs, quàm ad pudenda vergunt.

Fœtûs mortui. Signa *fœtûs mortui* ſunt, quòd non movetur ampliùs, & planè ad inguina, & pubem, inſtar maſſæ cujusdam ponderoſæ, decumbit, & de latere ad lat., ſecundum corporis motum, fertur, majusque, quàm antea, pondus à puerpera ſentitur: deinde eo, quòd adeſt ventris inferioris frigiditas, labia puerperæ liveſcunt, oculi fiunt concavi, facies albeſcit, extrema frigent, ubera flacceſcunt: vel etiam, quando ante fœtum ſecundinæ excluduntur, certisſimum fœtûs mortui eſt ſignum; cordis ſuccedit anxietas, &, putreſcente fœtu, ſanies ſubnigra, cadaveroſa, & graveolens ex utero effluit, venter ob fermentationem putredinalem intumeſcit, & fœtor quidam cadaveroſus ex puerperæ ore, & toto corpore exhalat, graviſſimaque oriuntur ſymptomata; imò & mors ſæpiſſime ſuccedit: quamvis Authores, longo ſæpe tempore fœtum mortuum in mulieribus fuiſſe ſervatum, referant; uti Schenckius, &, ex eo, Sennertus.

Cura. *Curam* quod attinet partûs laborioſi, primò cauſa, unde fovetur, tollenda eſt: unde, ſi fiat à plenitudine ſanguineâ, præmiſſo clyſtere, *ſecetur vena* malleoli interni, &, ſi una non ſufficiat, *Venæſectio.* in utroque pede, cum Hippocrate, *lib. 1. de morb. mul.* deinde mulier reficiatur cibis evchymis, imò quandoque vinum Hiſpanicum, abſente calore, exhibuimus; tertiò exhibeantur *ol. amygd. dul.* ℥iij. vel iv. in juſculo: deinde, mediâ horâ pòſt, ſequens *Pulvis*, intrò ſumatur:

Pulveres ad Dyſtociam.

℞. *Priapi cervi,*
boràcis Venetæ,
glaciei Mariæ,
caſſiæ lign. ana gr. xv.
croci Auſtr. ℈ß. M. F. omnium Pulvis, qui propinetur cum *decocto cicer. rub.* vel *dictamni albi.* Si pulvis hic poſt duas horas effectum ſufficientem non habuerit, repetatur; idq; tamdiu, donec optatum habuerit effectum: nec dubito, quin fœtum ſit expulſurus, vel vivum, vel mortuum. Loco ejus exhiberi poteſt *Pulveris* ad *dyſtociam Auguſtani* ʒj. cum *vino albo*: vel

℞. *Ol. ſabinæ,*
ſuccini,
cinamom. ana g. vj.
M. detur cum juſculo: vel

℞. *Trochiſc. de myrrha* ʒj. F. Pulv. exhib. cum *vino* vel *juſculo*: vel

℞. *Extract. croci,*
myrrhæ ana gr. xv.
pulv. glaciei Mariæ,
priapi cervi, ana ℈ß.
Cum ſ.q. *ol. ſabinæ* F. Pil. num. vij. exhibeantur ſingulis bihoriis.

 Præ-

Externa. Provocetur quoque parturienti quandoq; *ſternutatio: injiciatur oleum liliorum alb.* tepidum in uterum; *eodemq́;* extrinſecè *inungatur*, præcipuè ſi aqua partûs exierit: vel fiant *fomenta ex decocto herbarum emollientium*, cum *parietaria*, in *lacte* facto; in quo etiam *pellis leporina* recens madeſieri poteſt, & ventri applicari. *Clyſteres* acriores ſæpius injiciantur: umbilicus *inungatur oleo ſuccini*, vel *felle gallina nigra*, ad irritationem procurandam; removeantur gemmæ ex digitis Parturientis, ne fortè fætus ab iis, ob proprietatem, retineatur. Non tantùm diligentiſſimè *reficienda* etiam eſt parturiens *confectione alkermes*, ſed etiam *vino Hiſpanico*; quo ſolo felicem partum vidimus eſſe procuratum: ſed *fætus* quoque externis applicatis *corroborari* debet: talia ſunt: fruſtum *carnis bubula*, media ex parte aſſatum, & *vino* calente, cum *aromatibus*, inſperſum, umbilicoque applicetum. Si verò fœtus præpoſterum attentet exitum, vel pede, vel brachio, priùs emiſſo, *Obſtetrix* manu, in *oleo* priùs intinctâ, eum moderatè invertere conetur, mulierem ita ſituando, ut poſteriora habeat elatiora: quin etiam quandoque pedes planè elevandi ſurſum, & caput deprimendum eſt, corpusq́; concutiendum: vulgò: **man muß die Gebern ſtürtzen** / ut ita ſeſe invertat fœtus: neque ulla ratione fætum malè diſpoſitum tentet extrahere Obſtetrix; ſin eum invertere nequeat, ac vitæ adſit periculum, illicò aquâ Baptiſmatis eum lavet.

Partum confortantia.

Obſtetricis officium

Partus Cæſareus. Hîc *Cæſaream ſectionem* aliqui tentant: quæ tamen eſt plena periculi, eamq́; ante matris mortem faciendam non ſuademus. Quòd ſi *mortuus* fuerit fœtus, accerſantur Chirurgi, & ille, membro propendente priùs reſecto, uncis & vinculis, ruptâ, ſi opus fuerit, ſpinâ dorſi, modeſtè extrahatur. Vide Æginetam, Carolum Stephanum, *cap. 6. lib. 1.* Bauhinum, Schenckium, Benivenium, *c. 29.* Valleriolam, *lib. 5. obſer. 2.* Hipp *cap. de fœtûs mort. extr.* ſed ſummâ puerperæ, ac matricis ejus, per confortantia habitâ ratione. Si verò fœtus ſimpliciter, & ſine præpoſtero ſitu, mortuus fuerit, tentetur ejus excluſio prædictis remediis; quæ ſi non ſufficiant, exaſperari poſſunt: applicentur *peſſaria* acriora, fiant

Partus mortuus.

ſuffitus ex ungula aſina, & *galbano*, per infundibulum: *balnea* emollientia, *fomenta, cataplaſmata, olea, unguenta* &c. extrinſecè applicentur. Aliqui, cû Angelo Sala, gr. iv. vel v. *Mecur. vita* exhibent, vel, ejus loco, fortes purgationes, quæ violenter naturam ſtimulent ad excretionē quod practicare hactenus non auſi ſumus.

Quæſtiones I. Quær. 1. Cur faciliùs in Hiſpania, ſæpiùsque menſe ſeptimo, pariant mulieres? ℞. 1. Ob aëris benignitatem; ſecundò eò, quòd, ſicuti omnia ibi citiùs matureſcunt, ita & fœtus in utero matris: hîc verò, ob corporis denſitatem, & ambientis frigiditatem, rariùs ſeptimo menſe pariunt mulieres.

II. Qu. 2. Cur ſurdæ difficulter pariant; uti nô ita pridem in Ill. quadam Dominâ vidimus? ℞. non eſſe quidem univerſaliter verum, ſurdas difficulter parere; ſed tantùm in ſurdis illis, quæ hunc affectum habent à debilitate nervorum quintæ & ſextæ conjugationis, qui vel maximè ſerviunt ad fœtûs excluſionem.

III. Qu. 3. Cur ſenes difficulter pariant? ℞. Ob partium ſolidationem: quæ diligenter ante partum emolliendæ ſunt, & lubricandæ.

IV. Qu. 4. An bene faciant Auſtriacæ mulieres, quòd quindecim diebus ante partum ſibi venam in brachio ſecari jubent, ad facilitandum illum? ℞. ſi mulieres ſint valde plethoricæ, phlebotomiam partum ſollicitare; ſin minùs, impedire: per eam enim fœtus redditur debilior, & ipſa mater vires amittit.

V. Qu. 5. Quid faciendum ſit, ſi fœtus brachio extruſo prodeat? ℞. primò tentandam eſſe fœtus inverſionem, matris pedes elevando & concutiendo, uti *ſupra* dictum eſt. Si verò non inverti, nec medicamentis excludi poſſit; ſi vivus eſt, baptizetur; ſi mortuus, extrahatur, abſciſſo priùs brachio; ſi minùs integer, ſaltem fruſtatim; uti ſæpius hîc practicatum eſt: & poſt fœtus ac ſecundinarum violentam extractionem, fiat injectio quædam *vini*, in quo *meliſſa, pulegium*, & *roſa rubea* bullierint, ad corroborandam matricem.

VI. Qu. 6. An mulier, quæ parere non poteſt, neceſſariò moritura ſit? ℞. varia exempla apud Marcellum Donatum, & alios, referri, quòd cum fœtu mortuo pluribus annis vixerint nonnullæ: imò novi etiamnum quandam, cui & fœtus,

℞. le-

& ſecundinæ, poſt diuturnam putrefa-ctionem, & febrim, virulenta, fœtida, & cadaveroſa excreta ſunt.

III. Quær. 7. An tormina ſemper ſint ad partum neceſſaria; uti putant mulierculæ? Reſp. negativè: nam contrarium in plurimis vidimus, quæ ſine ullo dolore pepererunt.

Caput LXXXV.

De Secundinis Retentis: Lochiorum Fluxu immodico, eorumq; Suppreſſione.

Secundina quid: Secundina ſunt involucra, quibus fœtus in utero involvitur; quæ in partu naturali, fœtu excluſo, excludi quoque debent, aliàs, putreſcentes, præſentiſſimum vitæ periculum invehunt: quamvis putridas fruſtatim, diu à partu, ſummo cum fœtore, muliere ſuperſtite, viderim excludi.

Retentæ: Cauſa: Interna. *Cauſa retentionis* ſecundinarum ſunt partim *interna*, partim *externa*: *interna* ſunt earundem intumeſcentia, ab humoribus affluentibus, vel craſſities, vel denſitas, quæ partibus uteri ſæpius adhærent & accreſcunt, item virium debilitas, poſt laborioſum partum; fatigata enim puerpera eniti ampliùs non poteſt; hinc incidit quandoque in ſomnum profundum, eumque periculoſum, adeóque cavendum: in ſimili exſpiravit Auguſtiſſima Imperatrix Leopoldina. Deinde uteri orificium interdum adeò poſt partum intumeſcit, ut omnino præcludatur, ſecundinisque exitus denegetur. Cauſæ verò

Externa. *externa* ſunt fere eædem, quæ partûs difficilis, v. g frigus, animi pathemata, terror ſubitus, & vaſorum umbilicalium, ab imperitâ obſtetrice, præ-

Signa retentarum. matura reſectio. Secundinas non eſſe excretas, ab obſtetrice reſciri facilè poteſt, præterquam quòd tormina per intervalla perſæpè moleſtent: ſi verò fruſtum tantùm remanſerit, tormina interpolata ſunt paulò minora. Si diutius remanſerint, poſt aliquot dies

Putreſcentium. teter ex utero ſecedet fœtor. *Signa putreſcentium* in utero ſecundinarum ſunt: febris acuta, cum horrore, lipothymiâ, diſpnœâ, ſudore frigido; ſuffocatio hyſterica, convulſio, &, cui ſæpe ſuccedit, mors.

Curatio. Hic omnia illa ſecundinas excludunt, quæ in difficili partu, & fœtu mortuo, ſunt propoſita. Aliqui, tanquam ſpecificum, exhibent *teſticulos equi* fruſtatim inciſos, & in clibano exſiccatos ac pulverizatos, ℥j. pondere. Petrus Foreſtus exhibet *ſuccum foliorum leviſtici*, cum *vino albo*, aſſeritque, Hebræi cujusdam certiſſimum fuiſſe experimentum. Noſtrates hauſtum unum *decocti ovorum* ad duritiem coctorum, in *aquâ* factum, exhibent: nos hiſce addimus ſternutamenta, ſuffitûs, fomenta, linimenta &c. *ſuperius* ordinata quæ ſi non juvent, jubeatur obſtetrix manum, *oleo liliorum alborum* intinctam, in uterum intrudere, ſecundinasque modeſtè extrahere: quod tamen minimè attentandum eſt, ſi magna adſit colli uteri, pudendi, & vaginæ, à laborioſo partu inflammatio. Si denique nullâ arte, ob firmam adhærentiam, educi poſſint, & putreſcere incipiant, injiciantur maturantia ex *decocto rad. althæa, lil. alb. ariſtolochia utriusq;, malvæ, biſmalvæ, violariæ, ſeminis lini, fœnigraci*, cum *terebinthinâ*, & *oleo*, concinnata.

Lochia Quid. *Lochia* ſunt ordinariæ illæ uteri expurgationes, quæ mulieribus usq; ad tertiam & quartam interdum ſeptimanam à partu durant, nec uni tam diu, quam alteri, fluunt; ſed prout fœmina multis ſcatet humoribus: quibusdam enim brevì ceſſant; quibusdam verò non: aliis quantitate ita peccant, ut ſummam virium dejectionem invehant.

Cauſa. *Cauſa* ſunt partus difficiles, à quo vaſa nimium aperiuntur, vel rumpuntur, vel ab humorum acrimoniâ corroduntur, vel natura ab eadem ad excretionem ſtimulatur.

Diagnoſis. *Cognoſcitur* ex virium debilitate: fit enim quandoque tanta ſanguinis & humorum excretio, ut convulſio ſæpe, & mors ſubſequatur: ut patet ex Hipp. 5. aph. 56. *Si muliebri profluvio convulſio & animi deliquium ſupervenıat, malum.*

Curatio fluxûs immodici. *Curatur fluxus* lochiorum *immodicus* medicamentis prohibentibus; ita tamen, ut ejus omnimoda vitetur ad interiora retractio, unde febris continua,

 lipothy-

lipothymia, & graviſſima quæque mala oriri poſſunt. Si itaque nimius ſit ſanguinis fluxus, is cohibendus eſt primò frictionibus partium ſuperiorum, & ligaturis aliquo modo dolorificis, victûque incraſſante & refrigerante; ut ſunt *lentes*, *pyra*, *cydonia* &c. *cocta* & *condita*, *gelatina* ex *animalium extremitatibus* factæ, *pulmenta* ex *amylo* &c. Potus ſit ferratus, & *Julapia* cum *ſyrupo cydon. portulaca, de agreſta, corall. roſ. ſic.* &c. Si hæc non ſufficiant, applicentur cucurbitulæ ſiccæ infra mammas, & circa jecur, brevi tamen amovendæ, nec diu relinquendæ. Nonnulli in ſumma neceſſitate venam brachii ſecant, ita tamen, ut ſanguis per vices in pauca quantitate educatur: applicentur interea ventri, & lumbis, fomenta adſtringentia, qualia tradidimus in *Cura immodici fluxûs menſium*; quæ huc revocati poterunt; præter quæ Riverius laudat *Cataplaſma* ex *fuligine camini*, cum *aceti* ſ. q. diſſoluta, renibus applicatum. Non minùs, quàm in ſecundinarum retentione, ſomnus hîc cavendus, quòd in eo inadvertenter aliquando exſpirent puerperæ. *Cataplaſma Riverii.*

Si verò facta fuerit per artem aliqua lochiorum *retentio*, ità, ut grumi ſanguinis colligi videantur in utero, quod patet ex pondere, calore, anxietate, &c. ii ſunt ita diſſolvendi per *injectiones* ex *oxymelite* & *decocto hordei*, ut novus ſanguinis fluxus minimè concitetur; adeòque ſtatim poſt eorum eductionem *decoctum moderatè adſtringens* injiciendum eſt; quod fieri poteſt ex *floribus balauſt. roſ. fol. plantag.* & *hordeo*, ut moderata etiam adſit abſterſio, nec fiat omnimoda lochiorum ſuppreſſio; quæ ſive procuretur, ſive à cauſis internis vel externis contingat, plurima, eáque graviſſima, ſolet inferre damna: ut ſunt difficultates reſpirationis, pleuritides, peripnevmoniæ, febres acutæ, maniæ, melancholiæ, uteri tumores, inflammationes, abſceſsûs, corruptiones, & gangrænæ. *Retentio.*

Obſtruuntur autem lochia vel ab aëre frigido, uteri acetabula conſtringente, aquæ frigidæ potu, repentino terrore, triſtitiâ, ſanguinis craſſitie, uteri inflammatione, aut tumore poſt partum laborioſum. *Cauſa.*

Signa diagnoſtica in propatulo ſunt: cauſæ tamen ab adſtantibus, vel ab ipſamet Ægrota, diligentiſſimè ſunt perveſtigandæ. *Signa diagnoſtica.*

Prognoſis ex ſuperioribus colligitur; quamvis hæc evacuatio ſalubriter ſæpius per hæmorrhagiam narium, ſudores, urinas fuliginoſas, graveolentes, & ſanguine corrupto aduſtóque perfuſas ſuppleatur. *Prognoſis.*

Suppreſſio lochiorum, niſi adſit febris, eadem requirit, quæ menſtruorum: ſi febris adſit, præmiſſo clyſtere, vena malleoli interni ſecari debet, vel, ſi major adſit neceſſitas, priùs vena brachii, deinde malleoli, tundatur, vel cucurbitulæ ſiccæ internæ ſemorum parti, deorſum trahendo, applicentur: ſi verò febris abſit, fortè ſufficiet partium infernarum frictio. Aliqui bene ſvadent venarum ſedalium apertionem: partes infernæ, vel potiùs os pubis, *foveantur* ſequenti *Decocto*: *Suppreſſionis Curatio.* *Sanguinis miſſio.*

℞. *Sem. lini*, *Fomentum.*
fœnigr. ana ʒvj.
rad. lil. alb.
bryoniæ,
althaæ, ana ℥j.
ariſtol. rot. ℥ß.
fol. malvæ,
biſmalv.
verbaſci,
parietar. ana mj.
flor. ſambuci,
meliloti,
camomillæ, ana pj.

F. Decoct. in ſ. q. *lactis*, pro Fomento: vel etiam ex iiſdem calidis excipiantur *Vapores* per ſellam perforatam, corpore probè tecto: *Peſſaria* item acriora, & *Suffumigia*, plurimum proſunt: hinc vide *ſupradicta, de Suppreſſ. menſ.* Purgatio levis octo vel novem à partu diebus exhiberi poteſt. *Victus* debet eſſe aperitivus, minimè adſtringens: & graviora animi pathemata, quæ humores concentrant, omni ſtudio ſunt vitanda. *Suffitus.* *Diæta.*

Quæres 1. Cur Imperatrix Leopoldina ob ſecundinarum retentionem tam citò mortua fuerit? Reſp. Eò, quòd ſtatim à partu, nimiâ adſtantium indulgentiâ, ſomnus conceſſus ſit, quo natura ab opere ſuo, utpote ab expulſione ſanguinis & ſecundinarum, *Quæſtiones. I.*

revoca-

revocata fuit: quin & ſanguis, per ſomnum affatim concentratus, cordis nativum calorem ſuffocavit: accedente deinde ſecundinarum putredine, in meris animi deliquiis mors ſecuta eſt.

II. Quær. 2. Cur tam neceſſaria ſit lochiorum purgatio? Reſp. Cùm ea ſint materia ſeroſa, magnâ quantitate, toto geſtationis tempore, tum à materiâ fœtûs urinali, tum aliunde, retenta, ſi non evacuentur, regurgitant, & perſæpe febres putridas accendunt.

Objectio, I. Objicies 1. Ergo purgatione potiùs, quàm venæſectione evacuanda erunt lochia; vel diureticis provocanda. Reſp. ſecari venam in pede, non tantùm, ut ipſa lochia provocentur; ſed ut ſanguis accenſus, febres generans, evacuetur: & tandem, ut viæ, ampliores redditæ, faciliùs lochia emittant: nec diuretica improbamus, modò poſt phlebotomiam exhibeantur.

II. Objic. 2. Vires à partu ſummè debilitatæ venæſectioni ſufficere non videntur; ergo malè celebratur. Reſp. non ſecari venam omnino dejectis & debilitatis, ſed plethoricis, & quibus vires adhuc conſtant, ad ſanguini contrarium motum conciliandum.

III. Quær. 3. An febris lactea non poſſit provenire à lochiorum ſuppreſſione? Reſp. Quamvis plerumque à lactis ſuppreſſione fiat; nihilominus aliquando etiam contingunt rigores à retentione lochiorum; ſed præterea adeſt ventris intumeſcentia, dolor, imum ventrem, lumbos, & inguina occupans, animi deliquia &c.

CAPUT LXXXVI.

De Morbis Acutis Puerperarum: & Torminibus à Partu.

Puerperarum Morbi acuti: Qui: **M**Orbi acuti puerperarum ſunt febres continuæ, ſynochæ, peripnevmoniæ, pleuritides, anginæ, hepatitides, phrenitides &c. item *febris* quædam in plerisque fœminis, quæ *Lactis* dicitur, Germanis Milchfieber / & nihil aliud eſt, quàm febris ab incenſo lacte, regurgitante ſcilicet ſanguine menſtruo, per ramos epigaſtricos, ad mammas, ibidemque repletionem, dolorem, calorem, & inflammationem, quæ, cordi communicata, febrim cauſat, excitante.

Generantur autem *Febres putridæ* in *Puerperis* vel à lochiorum ſuppreſſione, eâque vel totali, vel diminutâ; de qua *ſuperiùs*; vel ab humorum, tempore geſtationis, ob exceſſus, cumulatorum, & partu agitatorum, copiâ. *Cauſa Febrium putridarum in Puerperis.* In lochiorum ſuppreſſione collectus ſanguis menſtruus multis impuritatibus, tempore geſtationis reſervatis & cumulatis, commixtus retinetur, regurgitat, putreſcit, & reliquo ſanguini communicatur, in quo putredinem & febrim excitat; ſi ad pectus feratur, peripnevmoniam; ſi ad pleuram, pleuritidem; ſi caput impetat, phrenitidem inducit. Quòd ſi febres *Continuæ* puerperis eveniant, etiam nimium fluentibus lochiis, ſignum eſt magnæ latentis cacochymiæ, hanc febrim, vel morbum acutum, cauſantis: hæc autem cacochymia cauſari poteſt ab inordinata victûs ratione, ſecundum res non naturales, cibo nempe & potu, liberaliter ingeſtis, item ab aëre frigido, durante præcipuè lactis febri, per diaphoreſin reſolvi ſolitâ, qui, poros occludendo, ex ephemera cauſat *ſynocham putridam*. *Synocha putrida* Item, *ſi aliquid ex ſecundinis in utero*, vel hepate uterino adhærente *remanſerit*, illud putreſcens febrim inducit: *Signa, quòd aliquid ex ſecundinis in utero remanſerit.* colligitur autem hoc ex urinâ graveolente, vireſcente, & cadaveroſa, item anxietatibus cordis: ſi putredo hæc utero communicetur, fit abſceſſus, ulcus ſordidum, & aliquando gangræna. Aliquando poſt partum remanent ſanguinis grumi, vel aliæ excreſcentiæ, quæ in cavitate uteri putreſcunt: quod item noſcitur ex urinarum & lochiorum graveolentia; item quòd uteri cervix deinde hiet, quòd uterus à partu ſurſum minimè retrahatur: fit etiam, ut nimis citò claudatur uterus, unde ſanguis coagulatus retinetur & putreſcit, cum cervicis uteri inflammatione; unde graviſſima oriuntur ſymptomata, & non rarò puerperæ interitus: quo in caſu emollientes & abſtergentes injiciantur uterini clyſte-

res;

tes; quouſque aperiatur, & ſanguis ille educatur.

Prognoſis. *Prognoſin* quod attinet, puerperæ, morbis acutis laborantes, periculosè decumbunt, eò, quòd vires à præcedente partu dejectæ ſint, & magna adſit humorum, tempore geſtationis retentorum, copia. Cùm autem magni momenti ſit in Medicina, morborum initia obſervare; ſi partus fuerit naturalis, nullo præcedente ſymptomate, febriſque acuta tribus vel quatuor à partu diebus accedat; tum numerandum non eſt à die partûs, ſed à die invaſionis febris: ſi verò, contrà, partus fuerit p. n. & febris tribus vel quatuor pòſt diebus ſucceſſerit; tum ab ipſo partûs die numerandum eſt; nam tum prima facta eſt humorum perturbatio; uti videmus, in febri vulneraria computum plerunque fieri à die inflicti vulneris.

Cura: Venæſectio. In *cura* febris acutæ puerperarum diligenter advertendum eſt, an vena ſit ſecanda; vel non: ſi enim mulier ſatis ſuperque expurgetur, naturæ opus committendum eſt: ſin minùs, *ſecanda* eſt *vena* malleoli interni, aliquando utriusque, in bona quantitate: ſi verò mulier laboret febribus ardentibus vehementibus, pleuritide, phrenitide, vel peripnevmoniâ, ſitque fluxus in principio; ſufficiet revulſio, facta per apertionem venarum inferiorum: ſi autem magna jam ſanguinis quantitas effluxerit, aut magnum adſit periculum, venæ brachii in bona quantitate ſectio molienda eſt: ne verò per hoc impediatur lochiorum fluxus, deinde venæ malleoli interni tundendæ, vel, harum loco, ante phlebotomiam, in partibus ſuperioribus celebratam, fricanda crura, vel etiam iis, & femoribus, ipſo tempore venæſectionis, applicādæ ventoſæ ſiccæ, ne ſanguis ad partes ſuperiores retrahatur. Secatur autem vena in brachio, ut etiam in febribus ardentibus, ob maximè urgentem neceſſitatem; ut nempe partes cordiales, in quibus maxima adeſt ſanguinis copia & fermentatio, depleantur, & calor febrilis, ſublato fomite, exſtinguatur: & quò magis mulier diſtat à partu, eò ſecuriùs id practicari poteſt. Nota; id non tantùm in puerperis faciendum eſſe, ſed & in aliis mulieribus, in quibus actu fluunt menſtrua: quia ſcilicet ad magnum morbum magna requiritur evacuatio; quæ ex venis inferioribus vix fieri poteſt. *Purgationem* quod attinet, uti in aliis febribus continuis, materiâ in venis putreſcente majoribus, eam in principio morbi vix concedimus; ita & hîc in declinatione tantùm, & remotè ſatis à partu, apparentibus concoctionis ſignis; & humoribus qualitate peccantibus, levem purgationem concedimus: idque ad naturæ imitationem; quæ, materiâ concoctâ, perſæpe per diarrhœam liberat; crudâ verò interimit. *Purgatio.*

Contingit interdum, ut mulieres à partu graviſſimos patiantur dolores: cauſę ſunt lochiorum acrimonia, craſſities, & ſanguinis copia, vaſorúmque anguſtia, & flatus. Sunt autem dolores, qui per intervalla affligunt, dum nempe humores acres tranſeunt, vel natura ad eorum excretionem exſurgit, vel dum in eâ quantitate collecti ſunt, ut diſtenſionem faciant. Eodem modo ſanguinis grumi, in uteri capacitate collecti, dum incaleſcunt, rareſiunt, & dolorem ex diſtenſione faciunt: hic autem dolor ſua habet intervalla: ſi verò ſit à flatibus, eſt vagus dolor, & inferioris ventris plures partes pervagatur, ſequitúrque plerumque aliquam uteri refrigerationem; dum nempe puerperæ nimis maturè ſe frigido aëri exponunt. *Dolores poſt partum Cauſa.*

Tormina à partu ſunt magis moleſta, quàm periculoſa; adeoque demulcenda, & eorum cauſa eſt tollenda. Si itaque fiant à ſanguine retento, & vaſis obſtructis, ſanguis ille educendus eſt; reſeratis autem meatibus, *clyſteres* primò injiciantur, ex *lacte*, cum *ſaccharo*, vel *melle roſato*, & *vitellu ovorum*, vel *carminativis*; deinde, ut venter & uterus ſubſideant, faſciâ, *carminativis* priùs fumigatâ, parum ligetur; vel inungatur ſequenti *Linimento*: *Curatio.*

℞. *Ung. carminat.* ℥ij. *Unguentum.*
olei anethini,
camomelini,
rutacei, ana ℥ß.

M. F. Linimentum. Noſtrates *pellem arietinam, adhuc ex animali calentem*, ventri applicant, vel *carminati-*

vum in

vum in *lacte* coctum adhibent: intus etiam, abſente febri, exhiberi poteſt ſequens *Pulvis*:

Pulvis. ℞. *Seminis cumini,*
anethi,
dauci, ana ℈j. M.

F. Pulv. exhib. cum *vino albo*, vel exhibeantur gvj. *ſpir. macis*, cum ℈j. *olei nuc. moſchatæ*, in juſculo diſſoluti: item *decoctum fl. camomillæ*, cum *juſculo carnis* factum, propinari poteſt. Si magna adſit humorum acrimonia, exhibemus *olei amygd. dul. rec. expreſſi* ℥ij. Si uterus ad ingvina feratur, ibidemque conglobetur, uti ſæpe contingit, umbilico applicetur ℈j. *balſami hyſterici Minſichti*, ſuperpoſito *emplaſtro de galbano*, & ad locum ſuum naturalem retrahatur, ibique contineatur.

Diæta. *Diæta* in omnibus optima ſervetur, abſtineatúrque ab acidis & acribus omnibus: Potus ſit *decoctum carnis vitulinæ ex coxa*, quam Germani Kalberdiſtel vocant, ſi nempe coquatur bene, cum quatuor vel quinq; amphoris *aquæ fontanæ*, & decoctum refrigeratum, colatum, omniq́ue pingvedine mundatum, pro potu ordinariò exhibeatur; & omnia violentiora animi pathemata vitentur.

Et hæc *de Mulierum morbis*.

Quæſtiones: I. Quæres 1. An non febris lactea ſæpe tranſeat in putridam continuam? Reſp. affirmativè; præcipuè ubi non diſcutitur per ſudores, ad modum diaphoreſis, vel ubi corpus eſt cacochymicum.

II. Quær. 2. Quinam, & unde, ſint illi tumores, poſt puerperium in pluribus evenientes, vulgo Germanis Mutterfüß / Kindsfüß? Reſp. vel eſſe varices, vel alios tumores, ab impuritate matricis ad illas partes depoſitos, vel eò, quòd puerperis lochia ad ſufficientiam non fluxerint, vel illæ ſeſe aëri libero nimis citò expoſuerint.

Quær. 3. Cur puerperæ, morbis acutis laborantes, pueros ablactare illico teneantur? Reſp. Etſi fere matri melius ſit, ad humorum depletionem, ut infanti porrigat ubera: attamen ejuſmodi lac proli non parum nocet, adeóque melius eſt, ut hæc alteri nutrici committatur, & majores, per phlebotomiam, ipſi matri fiant evacuationes, fluxúsque lactis ad ubera aliò divertatur. III.

Quær. 4. Quid agendum ſit, ubi matri, poſt ablactationem, ſumma accedit mammarum inflammatio, durities, ac dolor? Reſp. à principio *cataplaſma* moderatè repercutiens eſſe ex *farina hordei*, cum *aqua Danubiana chalybeata*, conficiendum, & frigidiusculè applicandum: addi etiam poteſt modicum *croci*; illudque cataplaſma ter in die renovari debet. Mulierculæ dorſo *lapidem Galactiten* appendunt, qui à proprietate lactis derivationem procurare dicitur. Quòd ſi in duritiem primò, deinde in abſceſſum devenerit, idem cataplaſma continuatum optimè curat; uti hactenûs exemplis plurimis expertum habemus: attamen aqua chalybeari non debet, niſi in principio. IV.

Quæres denique: An ſudorifera mulieri, febri acutâ laboranti exhibita, non noceant; cûm lochiorum curſum videantur impedire? Reſp. ſudorifera hic exhiberi, ut putredo diſcutiatur; quod eſt ſummè urgens: deinde ſudorifera pleraque ſunt etiam diuretica; adeóque non nocent. V.

TRACT. I.
FINIS

TRA-

TRACTATUS SECUNDUS DE MORBO GALLICO, ET GONORRHOEA, RELIQUISQUE SYMPTOMATIBUS EI SUPERVENIENTIBUS.

§. I.

De Origine, & definitione morbi Gallici.

QUamvis multi Gallicum morbum Antiquis Europæis incognitum fuiſſe exiſtiment: probabile tamen eſt, etiam ante tempus *Tiberii & Claudii*, Imperatorum, teſte *Plinii Naturali hiſtoriâ*, lichenes, impetigines, & mentagras, fuiſſe notiſſimas, Impetigines *Hippocrati*, Aſiatico (utpote ex Inſula Coo) fuiſſe notas, teſtantur *libri de Morb. mul.* & *2. Prædict. ſub finem*: non tamen, uti nunc, ita notum fuiſſe hunc affectum, certum eſt; nam, ob majorem hominum temperantiam, non ita graſſabatur; & ſemper obſervatum fuit, quòd, ubi majora fuerunt delicta, majores quoque fuerint vindicis Numinis pœnæ. Si autem Modernorum incontinentia cum Antiquorum frugalitate comparetur, ſumma profectò reperietur improportio. Sed ad rem.

Morbi Gallici Etymologia. *Morbus Gallicus*, ita dictus, quòd primò ſub Rege Carolo VIII. circa annum 1498 in caſtris Gallicis, occaſione obſidionis Neapolitanæ, ob impura ſcorta, illuc ab Hiſpanis ex Indiis deducta, & in Gallorum caſtra propulſa furere cœperit; eſt Indorum *Paturſa*; quod interpretantur: *Paſſio turpis Saturnina*, quæ pleroſque deturpat: & dicitur *morbus Saturninus*, quòd à Saturno, propter ingreſſum ejus in arietem, aliisque cæli diſpoſitionibus coadiuvantibus, originem traxerit. Dicunt enim Aſtrologi, anno 1483 malignam conſtellationem Martis, Jovis, Solis, & Mercurii, Joviſque combuſtum; item eodem infelici anno factam eſſe cõjunctionem Veneris & Martis, duáſq; eclipſes; unam in Tauro, aliam in Scorpione; quod peſſimum. Fuit itaque diſpoſitio, à cæleſti influxu corporibus tunc impreſſa, humorum aduſtiva, ex parte Arietis, qui calidus eſt & ſiccus; frigidorum quoq; humorum productiva, ex parte Saturni, qui naturâ frigidus eſt: humores partim aduſti, partim crudi, ad varia corporis membra impulſi, varios quoque concitant dolores, puſtulas, eroſiones, decolorationes &c.

Definitio. *Definitur* autem morbus Gallicus, *quòd ſit diſpoſitio p. n. communis* (vel, ſi placet, epidemialis) *in membris corporis humani, & præcipuè in hepate, venis, & eorum humoribus exiſtens, ex qua, velati accidentia, ſequuntur dolores νυκτώ, præcipuè nocturni, & puſtulæ* (non tamen ſemper) *per univerſum corpus*. Tangitur *cauſa efficiens*, quando dicitur communis, non aqua, aut aër, ſed contactus & confrictio hominum: dici

quoque

quoque poteſt epidemialis, quia à cæleſti influxu procedit; licet non immediatè, ſed per communicationem, velut cauſam conſervantem. Cauſa innuitur, dum dicitur *diſpoſitio p. n.* materialis, dum dicitur: *in membris*: denique per hoc inſinuatur differentia, dum dicitur: *unde ſequuntur dolores oſtocópi, præcipuè nocturni*: cauſa finalis Medicè non adſtruitur; Theologicè tamen eſt *pœna peccati.*

§. 2.

De Cauſis Morbi Gallici.

Cauſa. Morbi Gallici duplices ſunt *cauſa*: aliæ *primitivæ*; aliæ *corporales*: *hæ* ſunt duplices: quædam *antecedens*; & quædam *conjuncta*; *primitiva* poteſt eſſe in hoc morbo duplex; *prima* quarum eſt ſola influentia, vel aëris corruptio: hâc causâ religioſiſſimis hominibus eveniſſe, piè credendum; id tamen rarò contigiſſe, certum eſt: *ſecunda* eſt converſatio, ut per oſcula, lactis aſſumptionem, aut per coitum, vel alium tactum immediatum, veſtes, comeſtiones, approximationes &c. nam morbus hic eſt contagioſus. Cauſæ verò *antecedentes* ſunt quadruplices; ſecundum quas quatuor humores ſunt in materiam hujus morbi tranſire parati, ob eorum præviam diſpoſitionem ad ſuſcipiendam hujus morbi impreſſionem. Cauſa verò *conjuncta* eſt duplex: *altera* ipſius morbi; & eſt humor, qui, primò infectus, aut alteratus à cauſis primitivis, inficit membra, & alios humores: unde diverbium: *Cauſa primitiva movent antecedentes*: *altera* cauſa conjuncta ſymptomatum eſt humor immediatè cauſans dolores, aut puſtulas. Partes aptæ primò ſunt pudenda, quæ requirunt, ut ſint molles; ſecundò ut per attritionem incaleſcant & rarefiant. Qui tardè ſemen emittunt, faciliùs; qui citò, difficiliùs inficiuntur: item qui glandem habent tectam, citiùs, quàm qui detectam, luem hanc concipiunt.

§. 3.

De Signis morbi Gallici cùm Diagnoſticis, tum Prognoſticis.

Signa diagnoſtica morbi Gallici ſunt, virgæ corroſio, bubones, gonorrhœa, gravitas capitis, colli & brachiorum dolor, qui præcipuè circa noctem augetur, meridie autem diminuitur; aliquando eſt in perioſtio, unde ὀστοκόπος dicitur; aliquando in muſculis; aliquando in nervis. Si dolor eſt acutus, puſtulæ parvæ & citrinæ, ulcerantes, & aſperitas in cute apparet, à cholera ſunt: ſi autem dolor eſt extrinſecus, paulatim eveniens, puſtulæ latæ & ad albedinem tendentes, à phlegmate proveniunt: & ſi ita apparent cum magno pruritu, & aliquali ardore, ſunt à phlegmate ſalſo: ſi verò ad nigredinem tendunt & parvæ ſunt, etiam cum pauco dolore, ſunt à melancholia: ſi denique puſtulæ ad rubedinem accedant, nec dolor ſit adeò urgens, oriuntur à ſanguine: cùm tamen non rara ſit humorũ corruptorum intermixtio: hinc etiã ſigna illa ſæpius confunduntur, uti teſtatur Galenus, *1. de vict. rat. in acut.* Videndum itaque, & diligenter explorandum eſt humoris dominium, ad quem ordinata collimare debent. Signa diagnoſtica.

Prognoſis eſt primò, quòd, teſte Brunone Seidelio, *in lib. de morbis incurab.* in principio fuerit incurabilis, ſine dubio, ob alexipharmaci ignorantiam: jam verò, eodem invento, & morbo ipſo per varias medicinas, tractu temporis, plurimùm debilitato, facilè curatur. Secundò, quòd ad hunc affectum ſint melancholici magis proclives, propter ſimilitudinem; juxta Ariſt. *2. de gener.* in habentibus ſymbolum facilior eſt tranſitus, & *Avic. 2. 1.* converſio in genere proportionali facilior eſt, quàm converſio in contrarium: & maximè illi, qui ſunt melancholici per aduſtionem, ex influentia ſcilicet Arietis & Saturni. Poſt melancholicos magis diſpoſiti ſunt bilioſi; deinde ſanguinei; minùs cæteris phlegmatici; & horum omnium magis præparati ſunt,

qui habent corpora rara; & adhuc omnium magis, qui malis humoribus ſunt repleti, cibisque melancholicis utuntur, v. g. leguminibus, carnibus aut piſcibus infumatis & ſalſis. Morbus Gallicus recens eſt facilis curationis; antiquus verò difficilis: & tantò magis, quantò antiquior eſt: item, habentes puſtulas eminentes multas, & dolores paucos, faciliùs curantur, quàm qui oppoſito modo ſe habent: item, qui nodos ſeu gummata habent, difficulter reſtituuntur: juvenes, cæteris paribus, reliquis faciliùs curantur: unde Galen. *2. prognoſt.* *Non eſt poſſibile, eos, qui in ætate plus præceſſerunt, magis ſalvari, quàm adoleſcentes.* Obſervavimus, eos, qui præpoſteras multas ſuſtinuerunt curas, humorum tamen præparativas, faciliùs reſtitui. Si morbus Gallicus tranſierit in elephantiaſin, aut difficulter, aut nunquam curatur.

§. 4.

De Cura morbi Gallici per Indicationes, Diætam, Digeſtiones, & Evacuationes.

Indicationes. INdicationes deſumuntur à morbo, cauſa morbi, vel ſymptomatibus, cauſæ rationem induentibus; quæ omnia *ſeptem intentionibus* compleri arbitramur: *primò* ventris ſolutione; *ſecundò* minorativâ evacuatione; *tertiò* materiæ digeſtione; *quartò* ipſius evacuatione; *quintò* membrorum alteratione per contraria, tum occultis, contagioſisque qualitatibus oppoſita; *ſextò* accidentium correctione; *ſeptimò* tandem confortatione. Sed quia plus nocet error in rebus ſex non-naturalibus, quàm ſit juvamentum medicamentorum, teſte Serap. *lib. 5. cap. 2.*
Diæta. Aër. optima *victûs ratio* inſtituenda eſt. *Aër* in curæ noſtræ principio debet inclinare ad calidum & ſiccum moderatè; in progreſſu verò, tempore ptyaliſmi, ad calidum moderatè &
Cibus. humidum. *Cibus* in principio curæ eodem modo in activis ſit calidus, in paſſivis ſiccus; dein, tempore ptyaliſmi, calidus & humidus, ut fluxus eò faciliùs ſuccedat, ac poſtea materia ſicca & aduſta, in remotiſſimis partibus exiſtens, colliqueſcat, fundatur & evacuetur. Durantibus itaque ſudoribus, aſſata potiùs, quàm elixa; deinde, tempore fluxûs oris, elixa potiùs, quàm aſſa præſcribantur. *Potus ſit decoctum ſalſaparillæ, ligni ſaſſafras, & rad. Chinæ, cum paſſulis* factum; quod toto curæ tempore continuari poterit: Potus. non ſit potus valde frigidus, dum bibitur; imò tempore ptyaliſmi debet eſſe fere tepidus; quia frigidus repercutit: ſomnus diurnus & longinquus pituitam, in hoc affectu, & cruditates ſummè augens, eſt vitandus: motus temperatus, ante cibum factus, apprimè convenit: graviora animi pathemata ſunt vitanda; ut ſunt ira, furor, triſtitia, timor, ſollicitudo: confert autem lætari, de ſua ſalute confidere, & cum dilectis converſari: venter ſit lubricus; & hoc vel naturâ, vel arte. Pro *ſecunda* intentione, quæ eſt materiæ morbificæ minoratio:

℞. *Decoct. fl. & fruct.* cum ʒiß. *fol. ſenæ,* Decoctum
  & ʒij. *epithymi*, in *aq. fumar.* facti, ℥iv. purgans.

In quibus diſſolv.

confect. hamech.
elect. Indi maj.
caſſ. rec. extract. ana ʒij.
crem. tartar.
ſalis fumariæ, ana ℈ß.
Mercur. dulc. oleo ſulph. corr. gr. xv.
pulv. Syrii gr. iv.

Cum *ſ. q. ſyr. de fumaria* F. Hauſtus, pro doſi unâ.

Factâ hac materiæ morbificæ minorativa evacuatione, pro *tertia* intentione, per tres vel quatuor dies, ſi tempus ſufficiat, fieri poteſt materiæ digeſtio (quamvis breviorem plerunque tramitem ſequuti fuerimus, hancque intentionem prætermiſerimus) quæ ita ſe habet:

℞. *Syr. de fumar.*
    bugloſſæ, ana ℥vj.
aq. cichor.
    endiviæ,
    lupuli, ana ℥j.

M. F. doſ.

una

quatuor diebus continuanda: dein repetatur purgatio *ſuperiùs* tradita, pro *quarta* intentione; quo facto, Antiqui redibant ad digeſtiva, & alternatim evacuabant, donec curam jam perfectam arbitrarentur. Sed hæc minimè ſufficiunt; taliter enim ad malignitatem per alexipharmaca nullus habetur reſpectus; qui tamen eſſe debet. Nos, factis ſufficientibus purgationibus, vetiam ſecamus in bona & ſufficienti quantitate, prout vires ferunt, & morbus poſtulat.

§. 5.

De Cura morbi Gallici per Sudores ad membra, & qualitatem malignam oppugnandam.

Quinta. PRo *quinta* intentione, factis iis, quæ *antè* dicta ſunt, præparetur *Stuffa*, vel *Laconicum* optimè tectum balneum, in quo ſellula perforata coaptetur, & lamina ferrea, vel frixorium majuſculum, ad pedes ponatur, ut in eo ſilices igniti ponantur: ſupra quos *decoctum Guajaci* ſuperaffuſum vapores emittit toti corpori proficuos, unde Laconicum illud caleſit. Aliqui ſuperaffundunt *ſpiritum vini*: ſed præſtat *decoctum Guajaci*, quod etiam, per poros ſeſe inſinuans, à proprietate huic affectui contrariatur. Antequam Patiens balneum ingrediatur, hauſtum calidum, ad ℥vj. vel viij. ſequentis *Decocti* hauriat; & uno quadrante horæ pòſt, id eſt, poſt medicamenti actuationem, balneum ingrediatur; & ita ſæpius *Guajaci decoctum* in ſilices candentes, alternatim renovatos, manipulatim ſuperaffundendo, per integram horam, vel diutius, ſi poteſt, balnei calorem & ſudores ſuſtineat; dein abſterſo corpore Æger ſeſe ad lectum prius calefactum recipiat; ibidemque ad minimum ad dimidiam iterú horæ partem (quod poris à balneo hiantibus facillimè obtinetur) ſudet: quo iterú facto, mutatis linteaminibus & induſio, reficiatur Æger aliquo jentaculo, ex aſſatis potiùs, quàm elixis, & potu ſuo, *antè* dicto, minimè parco, ut malignitatis fiat vehiculum; ſicque continuet per dies quatuor, bis in die; caveat aërem frigidiorem à balneo, ne pororum conſtipatio, & ab extremo ad extremum mutatio, graviſſima inferat mala. Quidam, ut viderentur Novatores, vel potiùs rerum novarum inventores, ex Antiquis, utpote *Almenare Hiſpano*, aliam curam in uſum revocarunt, in qua non in ſicco, ſed humido, aquæ dulcis nempe balneo, poſt aſſumptum decoctum, ſudant: e. g. conficiunt balneum, in quo bullierint *malva, althæa, melilotum, camomilla, roſæ, lapathum acutum, fumus terræ* &c. quod antequam ingrediatur Patiens, propinant illi ſequens *Deſtillatum*: Balnea.

Aq. deſtillata.

℞. *Rad. alth.*
lap. acut.
enulæ,
herb. fumariæ, ana ℔ß.

Incid. minutim, & infund. in ℔iv. *vini Malvat.* ad emollit. per diem unum; dein add. *Theriacæ*, ætatis decem aut quindecim annorum, ℥iß. ponantur omnia in alembico, & deſtilletur Aqua; de qua propinant ℥iij. cum ℥ij. *aq. bugloſſæ*: vel, loco hujus *aquæ*, *decocti noſtri* ℥vj. vel viij. calidè exhauriatur:

Decoctum, ſeu Aqua Sudorifera Autor:

℞. *Rad. aſari* ℥ß.
lapath. acut.
lappæ maj. ana ℥iij.
ſalſæ parillæ,
Chinæ, ana ℥ivß.
ligni ſaſſafr. ℥iij.
Guaiaci ℔ß.
cort. ejuſdem ℥iij.
paſſul. mund. ℥ij.

His omnibus ſuperaff. *aq. com. bull.* ℔xvj. Stent infuſa in loco tepido, non tamen ad ignem, xxiv. horis: dein F. decoct. ad decidentiam ℔iv: colatura, forti expreſſione facta, ſervetur pro ſudore ordinario. Et hæc eſt *Aqua noſtra ſudorifera, ſuperiùs* promiſſa; quæ & in hac cura adminiſtrari poſſet. Aliqui in lue recenti tantùm exhibent *Mercur. dulc.* ℈j. per aliquot dies, cum *conſerv. roſarum*: ſed eſt tantùm *Infantium* cura: Nota: ultimâ curâ utendum non eſſe, niſi in hecticis, & ſummè extenuatis, morbo Gallico affectis, præcipuè in Germania, ubi humores phlegmatici, ob ἀδδηφαγίαν, & ambiens frigus, plurimùm abundant.

 Elici-

Elicitis ad ſufficientiam ſudoribus, & malignâ qualitate ſatis debellatâ, repeti poteſt purgatio *ſuperiùs* ordinata, vel in liquido, vel in ſolido, Pilulis ſcilicet. Chymici pro ſudoribus exhibent *ſpiritum Guajaci*, *mixturam ſimplicem*, *aquam Theriacalē*, *arcanum perſicariæ* &c. Vide Platerum, *de habitus Corpor. dolor.* item Medicinam deſtillat. *de ſyrup. & ſpirit.*

§. 6.

De Continuatione curæ per Mercurii aſſumptionem, & Ptyaliſmum, ſeu Salivationem.

Cura per Mercurium. POſtquam hactenus ſufficienter animadverſum eſt, morbum Gallicum radicatum ſolis purgationibus & ſudoribus non expugnari poſſe; tandem hujus luis verum alexipharmacum adinventum eſt, Mercurius ſcilicet ritè præparatus; qui in hoc affectu unicus dici poteſt. Corpore itaque, ut *ſuprà* dictum, præparato, tandem ad exhibitionem Mercurii deveniendum eſt.

[illegible] ℞. *Mercur. noſtri ritè praeparat.* gr. iv. vel v. prout fortis vel debilis eſt natura Patientis,
ſpec. diamoſchi dulc. ℈ß.
ſacch. albi pulv. ʒß. M. pro doſ. quæ matut. tempore, vel cum *conſerva roſ.* vel cum *Theriacâ* in *Pilulas* formata exhiberi poteſt; unâ ab exhibitione horâ lavativum, ſeu juſculum gallinaceum pinguiuſculum exhibeatur, & expectetur operatio eodem die. ſequenti verò die doſis eſt gr. j. augenda, item tertio die; & ſic conſequenter, donec collum dolere, gingivæ tumefieri & ſordere incipiant, hincq; ſalivatio ſubſequatur; quod plerunque poſt quartam vel quintam doſin (quamvis diutius aliquando protrahatur) evenire ſolet. Nec tamen ſemper ſalivationem conſequi neceſſe eſt; quia quibusdam Mercurius per urinas; aliis per alvum; aliis per ſudores, ſuas exſerit operationes; & minori quidem moleſtiâ cura perficitur, quàm per ſalivationem. Cur autem evacuantia per purgationes, venæſectionem, ſudores &c. ſalivationem præcedere debeant, ratio eſt, ne humores, affatim per Mercurium, ſecundum ejus naturam, ad fauces moti Ægrotos ſuffocent; paulatim itaque procedendum eſt; juxta illud: *ſat citò, ſi ſat benè.*

Nota 1. Salivantes tres vel quatuor dies acerbos tolerare debere, ob gingivarum & colli ingentem inflammationem & dolorem, unde & quandoque febris ſuboritur; ſed ad hoc leniendum Patiens *lac tepidum*, vel *aquam coctam*, *ſuprà* ordinatam, calidiuſculam toto ſalivationis tempore gargarizet. Nota 1.

Nota 2. Procedente ſalivatione aërem, vel etiam potum frigidum, ſummè vitandum; aliàs materia, ad fauces cumulatim ruens, ad pectus repercuteretur; unde homines ſuffocarentur; quod ſi caſu evenire videatur, decoctum calidiuſculum haurire, & gargarizare jubeatur Æger; vel per ſyringa fiat injectio. 2.

Nota 3. Si ſalivationem diu conſervare velis, abſtine ab alvum ducentibus, quæ eam ad oculum diminuunt, materiam ſcilicet auferendo: hinc eſt, quòd frequentes purgationes ſalivationem impediant, vel ex toto demant: adeóque nos, ne eam impediamus, quarto quoque die clyſterem levem, ſumma cum religione, injicimus. Si tamen tempore ſalivationis, ob gingivarum ab acrimonia Merc. corroſionem magna ſuccedat hæmorrhagia, hanc quidem non ſtatim ſiſtimus; quia per eam non tantùm magna humorum pituitoſorum copia rejicitur; ſed ſanguis etiam corruptus evacuatur, unde & morbi, & inflammationis magnum inde ſuccedit adminiculum: ſi tamen quantitatis debitæ terminos exceſſerit, ſiſtenda eſt vel *ſyrupo de roſis ſiccis*, vel *granat. acidor.* vel *decocto balauſt. roſ. ſumach:* ita tamen, ut decoctum hoc, vel ſyrupus, fauces non attingat; aliàs ſalivationem repercuteret: ſi verò fluxus hiſce non cedat, locus, unde effluit, inſpergendus eſt *chalcantho* & *vitriolo* pulveriſatis, vel etiam cauterio actuali inurendus. [illegible]

Nota 4. Periculoſam eſſe cordialium exhibitionem; quæ plerunque aliquam adſtringendi virtutem habent; adeóque utpluſimùm ea omittimus. 4. Exhibitio cordialium in hac cura.

Nota

5. Nota 5. Sicuti tempore ſudorum victus fuit exſiccans; ita tempore ſalivationis debet eſſe humidus: omniaque potiùs debent eſſe elixa, quàm aſſata: adeoque juſcula, contuſa, & conſummata, loco cordialium in uſu eſſe poterunt.

6. Nota 6. Salivationem noſtram vix ultra quindecim dies perdurare: &, ſi diutius perduret, illam purgantibus vel frictionibus avertimus & ſiſtimus.

7. Nota 7. Nos, ſalivatione peractâ, ad Mercurium, in parvâ tamen quantitate, pergere, omnesq; veſtes & ſtragulas, ne aliàs infectæ novum communicent venenum, immutare: in hocq; errant plurimi, veſtes non mutando.

8. Nota 8. *Flores ſulphuris*, cum *foliis Solis* ſumptos, *Mercurium* expellere: idem poteſt *auri* in ore frequens geſtatio; item unctiones ex *oleo ſulphuris*, *balnea ſulphurea*, *frictiones*, *cucurbitulæ*, &c.

9. *Quid faciendum, ſi ſalivatio ad libitum non procedit?* Nota 9. Si ſalivatio non procedat ad libitum, fiant *trochiſci* cum *mica panis*, & *Mercurio*, qui ſub lingva geſtentur & maſticentur: ſicq; promovebitur ſalivatio.

10. Nota 10. Dentes ſalivationis tempore unctuoſis minimè illinendos, aliàs à Mercurio denigrantur; difficulter verò imposterum, aut nunquam, rurſus dealbari poterunt.

§. 7.

De Salivatione procuranda per Inunctiones, Suffumigia, Emplaſtra, &c.

Salivatio per Unguenta. COmmune eſt apud Medicaſtros, *Salivationem* procurare per *Unguenta*: ut:

℞. *Axungiæ porci non ſalitæ nec liquefactæ* (hæc enim eſt baſis) ablatis fibris & membranis, ℔j.
ol. camomil.
irini, ana ℥iij.
terebinthinæ,
reſinæ, ana ℨij.
ceræ parum,
argenti vivi, in ſucc. limon. exſtinct. ℥iij.

M. F. Ung. illinantur fortiter partes extremæ, circa juncturas, emunctoria, & ſpinam, ſenſimque provocetur ſudor, cooperiendo corpus, ne impediatur tranſpiratio, aut *Mercurii* ad intra ingreſſus: inunctio repetatur de die bis, donec medicamentum ad partes penetraverit internas, & oris fluxus ſubſequutus fuerit: vel aliud ſimile:

Aliud. ℞. *Ung. Martiati*,
aregonis, ana ℥iij.
axung. porci non ſalitæ nec liquefactæ ℔j.
ol. camomil.
aneth.
laurini, ana ℥iß.
terebinthinæ,
argen. vivi, ana ℥ij.

M. tamdiu in mortario, donec Mercur. mortificetur. F. Ung. quod illinatur, ut *ſupra*. Si ulcera ſint putrida, ad ℥iij. *unguenti præſcripti* addatur ℥j. *ungent. Apoſt.* & illinatur, continueturq; usq; ad mundificationem ulcerum; licet tum demũ addatur plus *reſinæ*, aliquid *thuris*, *maſtiches*, *aloës*, *ſarcocollæ*, *ceruſſæ*, vel *minii* iſta ſemper augendo, & *Mercurii* quantitatem minuendo.

Nota 1. A principio ulceribus vehementer ſiccantia non eſſe applicanda: quia illa ſudores impediunt, & morbi curationem remorantur, ejusque vim altiùs impingunt. *Nota. 1.*

Nota 2. Quòd intolerabilis ille fœtor oris, in ſalivatione, pituitæ, & partium oris putredinem deſignet. 2.

Per *Suffumigia ex cinnabari* utiq; provocantur ſudores & ſalivatio, uti hactenus factum eſt hîc Viennæ, ad *S. Marcum*: verùm ſuffumigia admodum nocent oculis, & ulcera cauſant dyſepulota, quæ difficulter, aut nunquam, curantur; adeoque ſuffumigia pro cura univerſali non admittimus, ſed tantùm quando facienda eſt *luis Venereæ* cura particularis; utpote dum particulariter vel crus, vel brachium, tophis aut ulceribus malignis divexatum, laborat: tunc enim ſuffumigia, membro affecto ſoli applicata, præparato priùs corpore, juvant. Vide plura in *Bernardino Comitano, lib. 2. cap. 12.* Solis etiam *Emplaſtris Mercurialibus*, ut *emplaſtro Vigonis* cum *Mercurio* &c. ſalivatio vel procurari, vel promoveri poteſt; ſi ſcilicet applicentur juncturis, volis manuum, & plantis pedum: iis etiam promovemus ſalivationem, quando aſſumpto Mercurio non ſatis procedit. *Suffumigia.* *Procuratio ſalivationis per ſola emplaſtra. Emplaſtra.*

§. 8.

De Accidentium Correctione.

Accidentia. AD ſextam intentionem conſequendam *Accidentia*, huic morbo *ſupervenientia*, vel eum *concomitantia*, diligenter ſunt corrigenda: & *Dolor oſtocopus.* imprimis *Dolor oſtocopus* tam enormis interdum eſt, ut homines ferè ad deſperationem adigat: itaque, ad eum mitigandum:

Unguentum.

℞. *Rad. lil. alb.*
ſem. hyoſcyami, ana ʒiij.
ceruſſa ℥j.
medulla cervi,
vituli, ana ℥ij.
ol. antiqui, & *cera* q. ſ. F. Ung. quo doleus locus inungatur. Aliqui *opium* addunt: ſed id non, niſi in ſumma neceſſitate, faciendum; ut ait Avic. *18. 3.* *Fotus.* *In narcoticis eſt timor*: loco ejus pars *foveri* poteſt *decocto anodino*, in *lacte* facto, ex *meliloto*, *althaa*, *rad. lil. alb. vitello ovi*, *croco*, &c. Nos in doloribus ſummis *oleo ſpir. vini* feliciter uſi ſumus, & applicuimus *emplaſtrum Vigonis cum Mercurio*.

Nota: Nota: tertiâ, vel ad ſummum quartâ, exhibitionis Mercurii noſtri die omnes dolores, quantumvis maximos, evaneſcere; ac licet ex parte, ob fluxus acerbitatem, ad gingivas transferantur; in membris tamen totaliter evaneſcunt. Nos dolores, & varia luis Venereæ accidentia, ſequenti, eáque particulari, vel palliativâ, curâ feliciter ſuſtulimus: imò ad tollendam luem recentem ſufficit:

Decoctum ſudoriſerum Autoris.

℞. *Rad. bardana in taleolas ſciſſa* ℥viij.
aſari ʒiij.
vini albi,
aquæ font. ana ℔ij.
bull. ad medietat. conſumpt. addendo ſub finem
fol. ſena mund. ℥iß. De colatur capiat Æger ℥vj. deſuper ſudores provocando, cum ſilicibus calidis, linteis obvolutis; quorum unus admoveatur plantis pedum, duo tibiis, duo cruribus, juxta medium parti exteriori, & duo juxta humeros: Ægrum probè tegendo ſudores excitentur per horam & dimidiam: aliquot deinde horis pòſt alvus ſolvatur.

Nota: hoc remedio utendum eſſe, præmiſſis univerſalibus præſidiis. Nos ſequens efficacius eſſe comperimus:

Decoctum Magiſtrale Autoris.

℞. *Aq. font.* ℔xvj.
bull. in fictili, dein add.
rad. ſalſaparilla ℥iij.
China ℥ij.
aſari ʒß.
ligni ſaſſafras,
Guajaci, ana ℥iiiß.
rad. lappa mai. ʒiij.
paſſul. min. mund. ℥ij. repon. in dicta aqua loco tepido (non tamen ad ignem) xxiv. horis, dein bull. ad tertiæ part. conſumpt. vaſe probè cooperto, ſub finem addendo
fol. ſena ℥iß.
cinam elect. ʒij. factis iterum aliquot ebullitionibus, decoctum reponatur ad refrig. dein expreſſum & colatum ſervetur ad uſum: doſ. ℥vj. ad ſudorem, qui vel modo prædicto, vel in Laconico, procuretur, per octo dies: hoc ſolo decocto multos curavimus, & ab execrandâ lue liberavimus.

Nota: ad luem valde radicatam hiſce tantùm præparationum dignitatem attribui poſſe: nam *Mercurius* eſt *verum eradicativum luis* hujus inveteratæ remedium; quamvis miras naturæ cooperantis vires, in curandis morbis, dummodo parum ſentiat adminiculi, negare non poſſimus: nam quoſdam infectiſſimos pauciſſimis remediis curatos fuiſſe notavimus: idque ad Naturæ robur eſſe referendum exiſtimamus. *Mercurius verum Luis Vener. antidotum.*

§. 9.

De Cura Gonorrhææ, & Teſtium Tumore.

POſt coitum, factâ infectione, primò ardor mediocris, deinde eximius, præputii, eroſio, inflammatio, excreti ſeminis aduſtio (quæ patet ex viriditate, flavedine, & aliis) tentigo, & ſummus in erectione penis dolor, ſeminis fluxus, ſeu *Gonorrhæa* contingit. Scopus *Curationis* eſt, refrigerare, lenire dolorem, abſtergere vaſa ſeminalia, vitatis ſemper ab initio adſtringentibus; quæ malum maximè exaſperant, & ulcera quandoque *Gonorrhææ Cura.*

inter

Evacuationes, inter anum & teſtes cauſant incurabilia. Nos, in tali caſu, *bolo ex caſſia*, vel *pilulis* ſæpius ordinatis, vel ſola *terebinthinâ*, purgamus, humores minimè agitando: deinde, ſi magna adſit plethora, venam in pede, malleoli ſcilicet interni, ſecamus: dein ſequentes emulſiones bis, ter, vel quater, in die, ad ℥iv. vel v. propinamus:

Emulſiones. ℞. *Seminis viticis*,
melon. excort. ana ʒj.
portul. ʒij.
amygd. dul. excort. ʒiß.
Contund. in mortario, ſenſim affund.
aq. nymphaea,
portulac.,
lactuca, ana ℔ß. F. ſ. a.
Emulſio, quæ dulcorari poteſt ℥ij. *ſyrupi de alth. Fernelii*: qui tamen ob eam, quâ pollet, dilatandi vim intermitti poteſt: vel, ſi Æger non nauſeet, addimus emulſioni *terebinthinæ Cypr.* ʒj. Si viæ ſeminales bene fuerint abſterſæ, ſi magna videatur malignitas, *decoctum* ſæpius ordinatum, additis refrigerantibus, *foencho, roſis, ſantalo, hordeo* &c. pro ſudoribus aliquando adhiberi poteſt; deinde paulatim ad adſtringentia deveniendum; ut:

Electuarium. ℞. *Conſerva roſ. rub.*
fl. nymphaea, ana ℥iß.
trochiſc. de carabe ʒij.
ſem. agni caſti pulv. ʒj. Cum ſ. q.
ſyr. de ſucco menthæ F. Elect. molle; cui etiam addi poteſt *pulvis menthæ ſicca*, ad intentionem *Hollerii*, vel *pulvis corall. rub.* Multi, antequam adſtringant, propinant ſequens:

Liquor. ℞. *Sp. camphora*,
terebinth. ana gxv.
ſucci limon. ʒj. M. pro doſi.
Pro majori adſtrictione, nos ſequentem *Pulverem* ordinamus:

Pulvis adſtrictorius. ℞. *Glandium in furno exſiccat.* ʒvj.
ſacch. roſ. tabulati ʒj.
maſtich.
thuris, ana ʒj.
ſem. coriand. prapar. ʒiß.
ſuccini ʒß.
ocul. cancri ʒj.
ſem. viticis,
fol. mentha, ana ℈j.
M. F. Pulvis: doſis ſit ʒj. in *aqua*, vel *decocto, mentha*. Vel

℞. *Offis ſepia*, vel *magiſterii ejusdem pulveriſ.* ℈j.
conſer. roſ. ʒij.
M. pro doſi.
Alii exhibent *Mercurium viridem*; alii *antimon. fixum*, cum *aqua plantaginis*; alii *tincturam corallorum*. Ad eundem ſcopum inunguntur teſtes ſequenti:

Externa, Unguentum. ℞. *Ung. Comitiſſæ* ℥ß.
ceroti ſantalin. ʒß.
camph. ʒß.
ſem. viticis,
ſacch. Saturni, ana ʒj.
ol. myrt. q. ſ. M. F. Linim. quo poſſunt inungi teſtes, renes, & inguina. Ad renes confortandos, & eorum laxitatem tollendam, *emplaſtrum* de *bolo* utrique applicamus. *Emplaſt.* Vitentur intereà objecta Venerea.

Præputii exulceratio. Si *Præputium* fuerit *exulceratum*, glans immergatur *lixivio* ex *calce viva*: Si *ulcus* adſit *ſordidum*, prodeſt *aqua*, in qua *Mercur. pracip.* bullierit: deinde, ſublatâ malignitate, tractetur ad modum aliorum ulcerum: de quibus vide in *Chirurg. noſtrâ*.

Inflammatio teſtium. Cataplaſmata. Si *Inflammentur Teſtes*, cum maximo tumore, uti ſæpe fit, præſentiſſimum eſt remedium *Cataplaſma* ex *foliis rubi* & *ebuli*, cum *aceto* coctis applicatum; vel *fex aqua cultros acuentium*, cum *fimo bubulo*, ſi in formam cataplaſmatis redigatur.

§. 10.

De Bubonibus Venereis.

Differentia Bubonum Venereorum à Peſtilentialibus. Bubones *Gallici* ſunt paſſiones partium glanduloſarum: *differuntq; à peſtilentibus*, quòd illi ſint ad ſitum vaſorum ſpermaticorum, ovalis figuræ, nec ita ardeant, nec tot nec tam gravibus ſymptomatis juncti. A *Scrophulis*: *Scrophulis* diſtinguuntur, quòd hæ rarò circa inguina enaſcantur, & ſint molliores. A *Bubonibus* à labore ortis, per præcedentes cauſas: bubones *Bubonibus Communibus.* verò Gallicos plerunque præceſſit gonorrhœa contagioſa, & coitus. Alii bubones ſunt *in glandulis*; alii *extra glandulas*: hique faciliùs ſuppurantur, quàm illi: præterea ſi eſt *materia frigida*, *Signa: à materiâ frigidâ.* ſiet ſine dolore tanto, aut rubore, facilior ad-

Calidâ. lior adeſt inceſſus: ſi materia eſt *calida*, omnia ſymptomata ſunt vehementiora, & tumores citiùs matureſcunt.

Curatio. In *Curatione* bubonum Gallicorum *Scopus duplex.* *duplex* eſt *ſcopus*: *primus*, ut non impe- 1. dimus materiam fluentem, ſed potiùs attrahamus: ſi enim repercutiatur, infallibiliter malum tranſit in morbum Gallicum, &, ſi ſatis evacuetur materia, poſt ſuppurationem Ægri ab eo 2. liberantur. *Secundus* ſcopus eſt dolo- *Epithemata.* ris mitigatio, ſi adeſt; quod ut fiat, imponitur *oleum amygd.* & *camomillæ*, cum *lana ſuccida* vel *ſpongiola*, tepidè, ut & dolor mitigetur, & pars aliquo modo laxetur; quia omnia repercutientia nocent: imò, ut partem magis laxemus, & humores ad illam præcipitemus, imperamus curſum, ſaltum, pilæ luſum, vel digladiationem; vel etiam loco affecto cucurbitam ſiccam affigi- *Venæſectio.* mus. Aliqui omnem *venæſectionem* & *purgationem* vetant, ne retrahantur humores illùc fluentes: ad *primum* quod attinet, venam in pede ſæpius cum fructu ſecuimus: purgationes etiam, ut- *Purgatio.* pote *Pilulas* noſtras ſuperiùs ordinatas, vel *confectionem hamech*, cum *terebinthina*, aut *caſſia*, utiliter præſcripſimus; quæ humores potiùs præcipitant, quàm ab ipſis partibus inferioribus retrahunt; *Vomitoria.* ita tamen, ut à *vomitoriis* abſtineatur. Nota: purgantia tutiùs in decremento, vel conſiſtentiâ, quàm in principio, dari poſſe; ſic enim citiùs ad maturationem pervenitur. Reſolutio, & diſcuſſio bubonis in principio quidem eſt laudabilis; maturatio tamen, & ſuppuratio laudabilior: ſic enim, materiâ craſſiori evacuatâ, Æger à lue Venereâ tutior evadit: ex *maturantibus* eſt:

Cataplaſma maturativ. ℞. *Rad. alth.* ℔j.
farinæ hord. ℥ij.
caricar. in aq. coct. ℥iß.
far. ſem. lini ℥j.
pingued. gallin.
porci vet. ana ℥ij.

Cum ſ. q. *decoct. rad. alth.* F. Catapl. *Emplaſtra.* *Secundum* eſt, quod fit ex *fermento*, *rad. lil. alb. althææ*, & *melle crudo*, ex quibus fit *empl.* Sed quia maturatio ad duos menſes aliquando procraſtinatur; ut citiùs promoveatur, applicamus *empl. diachylon cum gummis*. Cùm bubo matura- *Apertio.* tus fuerit, *aperiendus* eſt in parte declivi-ori; neque id tentandum ante maturationem, teſte Hippoc. *2. de offic. Med.* Fit autem apertio vel *ferro ſecante*, vel *cauſtico*; quod ultimum melius eſt eò, quòd majus excitet foramen. Fieri autem debet *ſectio* per du- *Sectio.* ctum inguinis, non per rectum corporis, ſed per transverſum: poſt hanc imponantur linamenta, ut orificium dilatetur, ne ſuccedant fiſtulæ: nec apertura differenda eſt, donec à materiæ acrimonia fiat; quia & parva fit, & multiplex; unde cuniculi fiunt, & fiſtulæ. Trinis ab apertura diebus imponatur, præter linamenta, *digeſtivum* ex *terebin-* *Digeſtivum.* *thina* & *vitellis ovorum*, vel *oleum abjetinum*, ſuperponendo extrinſecùs *emplaſtrum maturativum*. Mitigato dolore, *mundificetur* ulcus, & apertum te- *Mundificantia.* neatur usque ad quadrageſimum diem; extrà apponatur *diapalma*, ad impediendam fluxionem & putrefactionem. Si caro ſpongioſa ſuccreſcat, *Mercur. præcip.* conſumatur: idem fieri poteſt cum glandulis prominentibus: deinde ſarcoticis impleatur ulcus. Si verò ulcus difficulter ſiccetur, adminiſtrentur ſudores, *præcedenti* §. deſcripti. Si caſu facta fuerit fiſtula, labia ejus calloſa conſumantur, & curetur, ut *in Chirurgia noſtra* dictum eſt.

§. 11.

De Carie Gallica.

IN adoleſcentium cole, aut ſinu mu- *Caries Gallica quid.* lierum, ſupervenire ſolent puſtulæ, deinde ulcera, ad ſimilitudinem cariei, quæ ligna depaſcit.

Ejus Cauſa. Fit duplici ex *Cauſa*: vel ex turpitudine alba, aut nigra, inter glandem & præputium collectâ, quam *Sordem* appelant, quæ ejusmodi cariem facit. Ac- quiritur etiam per contactum: ſicuti enim manus ſcabioſa manum afficit, ita infecta pudenda ſe invicem afficiunt; quia communicatur ſanies vaporque malignus ab infecto pudendo, qui ſolet oriri per exeſam cuticulam; quia in ipſo coitu excrementa per attritionem incaleſcunt, & ſic putreſcendo inficiunt pudendum: nec ſemper eſt opus, ut viri vel mulieris pudenda ſint ulcerata; ſed ſufficit, ut ſordes in iis retinean-

ſtineantur, quarum maligna vis, ab attritione calefacta, communicatur; unde *caries Gallica* generatur; præcipuè ſi excrementũ ſit tenue; nam craſſum bubones generat: hinc etiam mirum non eſt, quòd aliquando poſt equitationem, vel motum violentum, caries Gallica generetur; quia ſordes retentæ actuantur. Fiunt quandoque excoriationes à motu, calore, humorum acrimonia &c. citra malignitatem, quæ facilè curantur.

Signa benigna. *Signa* cariei *benignæ* ſunt puſtulæ quædam parvæ & candidæ, inſtar grani Punici, quibus ruptis manet ulcuſculum rotundum, in medio habens punctum candidum penetrans: aliquando tota glandis corona inficitur ejuſmodi ulceribus. *Secunda* ſpecies ſævior eſt, utpote ulcus rotundum; ſed in medio non adeſt punctum album; ulcus eſt lividum, labra leviter attolluntur, purpureo colore infecta. *Tertia* ſpecies eſt peſſima, diverſæ figuræ, ulcus malignum, variegatum, lividum, purpureum, calloſa habens labra, ſerpit ſæviſſimè, & putreſcit. Maligna.

Curatio benigna. Si caries *non* ſit *maligna*, ſed tantùm per calefactionem, facillimè ſanatur, *aquâ* nempe *plantag.* & *roſ.* cum linteolo applicatâ, vel *ſucco anſerina*, vel *unguento albo Rhazis*, aut *diapompholygos*: in carie vero Gallicâ, & *malignâ* abſtinendum eſt à repercutientibus, ſed tantùm exſiccantibus utendum: aliqui tamen manè & veſperi abluunt *decocto Guaiaci* in *vino* facto; deinde ſequentem *Pulverem* inſpergunt: Maligna.

Pulv. inſperſorius.

℞. *Pulv. cicerum*,
ſem. anethi,
ſquamma æris prap. ana ʒj.

Inſpergantur linteolo, eodem *decocto*, vel *aquâ roſ.* madefacto; huic pulveri addi poteſt *aloë*, aut *myrrha*. Alii utuntur ungvento *Ægyptiaco*, vel *Mercur. præcip.* mixto cum *ungvento roſ. Meſue*, ſcilicet ʒj. ad *ungventi* ℥j. vel ipſum *Mercur. præcipit.* ſolum imponunt ſemel atque iterum. Caries aliquando tam ſæva eſt, ut medium pudendum exedat: ad quam Gallus quidam utebatur ſequenti *Aquâ* feliciter: Ungvent.

Aqua.

℞. *Alum.* ʒj.
tart. albi ℈ij.
æruginis ℈j.

M. cum *vini albi* & *aq. roſ.* p. æ. & cum petiolis applicetur, abſterſo priùs membro *aquâ roſaceâ*. Si caries eſt in ſinu muliebri, abluatur primò abſtergentibus, ut *decocto hordei*, *lupinorum*, cum *terebinthina*; dein imponatur *Peſſarium*, cum ſequenti medicamento; Peſſarium.

℞. *Terebinth. aq. ſcab. lota* ℥j.
mellis roſ. ℥j.
pulv. ſcabioſa,
tormentilla, ana ʒj.
boli Orient.
eboris combuſti,
C. C. uſti,
aloës, ana ʒß.
farina lolii ℈ij.

M. Et imbue peſſarium: eſt quoque aptum ad ſanandam colem virilem. Dum ſupercreſcentia carnea, vel ulcerum baſis ſpongioſa apparet, *aurà eſſis*(?) tollenda eſt, ut *Ægyptiaco*, *Mercur. præcipit.*, *aquâ aluminis Magiſtrali*, vel *aqua arſenici*. Hiſce medicamentis ſi ulcus non cedat, *perurendum* eſt, & refrigerantia applicanda, ut *aqua ſolani*, *plantaginis*, &c. ſi eſchara deciderit, ad *mundificativum de apio* deveniendum eſt. De præſervatione à carie Gallica, vide Fallop. *de Morbo Gall.* Uſtio.

§. 12.

De Oſſium Corruptione.

FRequentiſſimè in hac lue *corrumpuntur Oſſa*, ut cranii, palati, narium, tibiæ &c. veluti Pariſiis videtur cujuſdam ſceletum, cujus oſſa omnia perforata & carioſa ſunt, eò quòd in vitâ lue Gallica fortiter laboraverit homo. *Fit* autẽ talis oſſium caries ab acrimonia humorum, oſſa ſingulariter impetente. Oſſium corruptio. Cauſa.

Curam quod attinet, pars oſſis corrupta tolli, integra conſervari debet. *Tollitur* os dupliciter, vel *manu*, vel *medicamento*, quo proritatur Natura ad putridi oſſis ſeparationem: quamdiu enim illud, quod eſt corruptum, demptum non fuerit, tam diu impoſſibile eſt; ulcus ſanari, & ſolidam carnem ſupercreſcere: *auffertur* autem *os* vel *ſcalpro exſciſorio*, cum malleolo, ut ſolent Statuarii, vel *perforatur* os terebris fabrili, in tribus aut quatuor partibus, Cura.

ſcalpro

ſcalpro percurrendo cum malleolo à foramine ad foramen: poſſumus etiam ſcalpris raſoriis agere. Inprimis *Signa ablati totius corrupti oſſis.* *totum* illud *corruptum ablatum* eſſe, ſignum eſt, quando cruor ſuccedit: & tum ab opere ceſſandum eſt, & *ariſtolochia rot. radix*, cum *myrrha pulveriſata*, inſpergenda. Aliquando etiam os *Aduſtio.* *aduritur*, ut, quod corruptum eſt, omni alimento & humiditate privetur: ablatâ enim ſuſtentatione, natura faciliùs ſeparat ſeparanda; ut in foliis & fructibus videre eſt, quæ exſiccatis petiolis cadunt: idem faciunt medicamenta ſiccisſima & frigidisſima; quale eſt, quod fit ex *foliis* & *ſemine hyoſcyami*, cum *vitriolo uſto contuſis*, item *radix ireos*, *peucedani*, *ariſtolochia rotunda*, *ſquamma æris*, *ærugo*, *oleum ſulphuris* & *vitrioli*: *aqua aluminis Magiſtralis*, quâ ſæpiùs os madeſcat, curat abſque dolore. *Euphorbium* tenet inter cætera principatum: ſed ut ita adhibeatur, ne aliàs vicinas partes ſimul corrumpat, miſceri poteſt cum *paſta ex radice ireos*, & ita ſoli oſſi corrupto applicari: *ferro* *Quæ partes carie infectæ, ferro candente aduri poſſint; & quæ non.* quoque *candente* os *aduri* poteſt, præterquam in capite, in vertebris dorſi, & pectore; in reliquis fieri poteſt, partibus nervoſis & carnoſis adjacentibus fibulis ferreis, vel ligamentis priùs bene munitis; repetique poteſt uſtio usque dum perficiatur opus. *Factâ uſtione*, os *Quid uſtione peractâ agendum.* ab inflammatione vendicandum eſt *aquâ roſ.* cum *oleo roſ.* vel *violar.* & *albumine ovi*, ſtuppâ exceptis & applicatis; deinde, mitigato dolore, procedendum eſt ad oſſis ſeparationem: denique ſarcoticis ulc. curandum. Si verò *in ca-* *Si in capite os fuerit corruptum, quid faciendum.* *pite os* fuerit *corruptum*, ſecanda eſt cutis, & os detectum abradendum & ſequeſtrandum, illud priùs bene exſiccando *oleo chalcanti* & *vitrioli*. Si *os* *Si os palati.* *palati* corruptum ſit, attingatur *oleo ſulphuris*, vel *vitrioli*, vel *aquâ aluminis Magiſtrali*, & goſſypium illis intinctum applicetur. Si *os palati* deciderit, quod ſæpe obſervavimus, unde loquela impeditur, & potus ad nares regurgitat, ſi magnum eſt foramen, non eſt ſpes reconvaleſcentiæ: tum procuretur cicatrix in labiis foraminis, per *aquam plantaginis*, & *decocta adſtringentia*; deinde impleatur foramen aliquo, quod non decidit, per ceram, aut inſtrumentum [illegible]

plumbeum, vel argenteum. Si foraminis magnitudo parva, ſperanda eſt repletio per carnem, ſed ulcus cicatrizandum non eſt: itaque quarto quovis die attingatur ulcus goſſypio, in *oleo vitrioli* intincto; deinde applicetur medicamentum valde ſarcoticum: v. g. diſſolvatur *myrrha* & *thus* in *decocto Guajaci*, quo frequenter colluat palatum Æger: deinde conficiatur *paſta*, quâ palatum impleatur:

Paſta farctoria.

℞. *Gummi elemi*,
carabe, ana ℥ß.
reſinæ pini ℥j.
ceræ albæ ℥j.
maſtiches,
thuris, ana ʒiß.
olei comm. q. ſ.

M. F. Paſta mollis, ex qua formetur clavus ad foraminis magnitudinem, & imponatur, ſemper *oleo vitrioli* quarto quovis die cicatricem impediendo.

§. 13.

De Tumore, & Callo, Præputii.

IN *Tumore Præputii* accidit, ut intumeſcat ita, ut non poſſit detegi glans, vel planè cum ſummo dolore. Si *Præputii Tumor, Cura.* itaque apex præputii ſit anguſtatus, dilatetur fiſtulâ plumbeâ, deinde fiat injectio inter glandem & præputium, ut ſequitur:

Injectio.

℞. *Decoct. ligni ſancti*, cum
ſcabioſæ,
agrimon.
beton.
roſar.
tormentil.
plantag. ana mj. *facti*, ℔ij.
tutiæ præpar.
ſquamæ æris præpar.
aloës hepaticæ,
boli Arm. præpar. ana ʒj. Bull. parum, colata ſerventur pro Injectione: *un-* *Unguentum.* *guentum* erit *roſ. Meſue* cum *Mercurio præcipit.* circumcirca inungatur pars *unguento diapompholygos*. Si præputium ſit *Calloſum*, ita, ut glans am- *Callus.* pliùs detegi non poſſit, aliquando ſecandum eſt præputium, ut videatur coles, velut equus præſectis naribus: verùm ſi-

rum ſi cannula plumbea imponatur, primo die minor, ſecundo paulò major, & ſic continuando, ita, ut per eam mingere poſſit, inungendo ſemper *oleo amygdal. dulcium*, ita dilatatur paulatim, & emollitur tumor ille durus, ut ex toto remittat.

§. 14.

De Verrucis, ſeu Poris.

Pori genus quotuplex:

EX carie, loco cicatricis, ſuccreſcere ſolet quædam *Verruca*, velut caruncula, ſeu *Porum*. Duplex eſt *Pori* genus: aliud *Gallicum*, aliud *non Gallicum*: paucæ ſunt meretrices, quæ ejusmodi carunculas non habeant; unde plerumque adoleſcentes inficiunt.

Cura per Uſtionem:

Sive ſint Gallicæ verrucæ, ſive non, eadem fere topica requirunt: Aëtius cauſtico vel candenti ferro *exurebat*: ſed eſt remedium valde durum:

Ligationem: Quid poſt ligationem pororum filo, ne renaſcantur, agendum.

alii *ligant* filo circa radicem: videndum tamen, ne renaſcantur, adeóque ita ſunt ligandæ, ut nigræ altero die decidant: ne autem radices maneant, tangendæ ſunt *aqua aluminosâ Magiſtrali*, cujus hæc eſt deſcriptio:

Aqua aluminoſa Magiſtralis.

℞. *Aq. plantag.*
roſar. ana ℥j.
aluminis rocha,
argenti ſubl. ana ʒij. *ſublimat.* & *alum.* terantur, & aquæ imponantur, vaſe, quo aqua coquitur ſuper craticulam ferream, bulliantq; ad mediet. conſumpt. poſtea reponantur per quinque dies ad ſubſidentiam; & aqua limpidiſſima extrahetur: quæ reponatur ad uſum ſæpius edoctum.

Sectionem.

Alia eſt curandi ratio per *Sectionem*; quæ fieri facilè poteſt: in iis enim non viget ſenſus ita exquiſitus:

Sanguinem ſiſtentia.

ad *ſiſtendum ſanguinem* imponatur *ſquama æris pulveriſata*, vel *chalcanthum pulverizatum*. Noſtri Chirurgi imponunt *aquam aluminis*, vel *ſpir. ſulphur.* vel *vitriol.*

Applicatio pulveris arſen. cryſt. & auripigmenti.

alii imponunt Pulverem ex *arſenico cryſtallino* & *auripigmento*, quem, velut divinum, multi deprædicant. Applicatur autem ſequenti modo: ſpecilli apex ſalivâ madefit, & in pulverem intingitur, tangiturque eo verruca, & *goſſypium ſiccum* imponitur: medicamentum hoc feliciter exedit.

Preparatio Arſenici:

Preparatio Arſenici eſt hæc: teritur ſupra marmor, dein catino *aceti* imponitur, ita, ut *acetum* ſupernatet, exponitur Soli æſtivo, ad exſiccationem *aceti*, idque tribus vicibus repetitur, poſtea tribus vel quatuor vicibus maceratur *aquâ purâ*.

Auripigmenti.

Eodem modo præparatur *Auripigmentum*, ſed in pauciſſima quantitate imponendum eſt hoc medicamentum, ne, ut Juveni cuidam apud Fallopium obtigit, media virga exedatur.

§. 15.

De Gummatibus, ſeu Nodis Gallicis: item de Rhagadibus.

Gumma quid.

POſt dolores, vel etiam cum *doloribus*, tumores infeſtant partes circa articulos, internodia, vel etiam in media fibula, in medio cubito, imò iis ſæpe coronatur caput, velut nobilibus morbi Gallici inſignibus. Dicuntur *Gummata*, quia gummoſam & craſſam in ſe continent materiam.

Quotuplex:

Tumores hi ſunt *duplices*: alii *tophacei*, alii *non*: *tophacei* ſunt ex materia lapidoſa, & quaſi oſſea: *ſecunda* tumorum ſpecies eſt, quando materia eſt mollis: quæ *tripliciter* apparet: aut velut *lardum*, aut *minùs craſſa*, eſtque inſtar *polenta*, & eſt *Atheroma Gallicum*; tertia ſpecies eſt ſicut *mel*, unde *Meliceris Gallica* dicitur.

Atheroma Gallicum, Meliceris Gallica.

Hi ultimi tumores plerunque in capite reperiuntur; tophacei verò circa pedes & crura, in ligamentis ſcilicet articulorum, oſſibus, perioſtiis, in quibus fiunt doloroſiſſimi tumores; aliquando in oſſis ſuperficie:

Eorum Materia.

materia eſt tenax, pituitoſa, melancholica, bilioſa; unde meliceris: vel pituita eſt minùs craſſa; unde atheroma: aliquando craſſa & melancholica; fitque tophus, vel ſteatoma. Ut hi tumores ſint Gallici, debent etiam reliqua adeſſe ſigna; ut dolor circa noctem, &c.

Prognoſis.

Nota: tumores aliquando eſſe ſimplices; aliquando adeſſe oſſium corruptionem: utpote, dum tumor atheromaticus non ſat maturè aperitur, materia corrumpit oſſa: itaque maturanda eſt apertio; quæ in tophaceo & lardaceo neceſſaria non eſt: & hi ſunt, quàm illi, curæ difficilioris, imò aliquando impoſſibilis: digerendi tamen ſunt ejus-

modi

Curatio.

modi tumores, niſi per curam diſpareant. Sunt, qui macerant *radices althææ in ſpiritu vini*, & tumores inungunt: alii *oleo ſulphuris* attingunt, ſed priùs madefaciunt, ne exulceret. Nos applicamus *emplaſtrum diachylon cum gummis & Mercurio*, cui addi poteſt *galbanum & ſagapenum*, cum *ammoniaco*, vel *Vigonis cum Mercurio*, vel inungimus *oleo amygdalarum dul.* cum *ol. ſcorpionum* mixto. Tentari poteſt folliculi putrefactio emplaſtris hiſce, deinde cauſtico aperiri, niſi ſit in facie, vel in fronte, ubi majores præcaveri debent cicatrices: aliàs ferro ſecari poteſt. Factâ aperturâ, ſi quid de folliculo reſtet, conſummetur *Mercur. præcipit.* vel in pulvere appoſito, vel cum petiolis, *unguento baſilico minori* priùs imbutis: conſumpto tandem folliculo, carne locus per ſarcotica impleatur. Si oſſa fuerint corrupta, vide *ſupradicta*.

Rhagades.

Rhagades, ſeu fiſſuræ, in manibus & pedibus, habent ſigna *antè* aſſignata: ſi hiſce infecti cæpas, aut allium, comederint, tertiâ die duplicatæ erunt fiſſuræ, quia hiſce ſummè exaſperantur.

Cauſa.

Cauſa ſunt materia phlegmatica, ſalſa, aduſta & melancholica. Rhagades per *Curam* ſæpe evaneſcunt. Topica ſunt:

Cura per Topica.

℞. *Rad. alth.* ℥ij.
fol. malvæ,
violariæ,
rad. lapath. acuti, ana mij.
caput. vervecis nj. adde *aq.* q. ſ.
F. decoctum ad capit. puttilag. In hoc decocto macerentur Ægri pedes & manûs manè ac veſperi: deinde:

Decoctum macerator.

Unguent.

℞. *Ol. amygd. dul.*
roſar.
axung. porc. ana ℥j.
ceruſſæ,
hydrargyri exſtincti, ana ℥ß.
ceræ albæ ℥j.
M. &, liquatis liquandis,
F. Ung. in mortario: quo rimæ inungantur. Si calli adſint, emolliantur præcedenti decocto, deinde novaculâ reſecentur, vel fricentur pannis aſperioribus, & *aquâ aluminis* tangantur; ut ita conſumantur. Si callus ferro reſectus fuerit, plaga *ſiccetur trochiſcis andronis*, in *vino granatorum* dilutis. Ut verò Patientes interea temporis ambulare poſſint, ex ſequenti *Emplaſtro* fiat *Solea* pedibus adaptanda:

Emplaſt.

℞. *Ammon. præpr.*
galban. ana ℨj.
thuris,
maſtichis,
aloës,
ceruſſ. ana ℨß.
pingued. urſi,
taxi,
ſuill. ana ℥j.
terebinthinæ,
reſinæ pini, ana ℥ß.
ol. roſ. completi ℥ij.
auripigmenti,
vitrioli,
alum. rochæ, ana ℨiiß.
argenti vivi exſtincti ℨj. *ceræ* q. ſ.
M. F. Cerat. ſeu emplaſtrum ſolidum, quod, extenſum ſupra linteum, faciat Soleam. Si rhagades ſint valde *rebelles*, macerentur *lixivio*, deinde fiat *ſuffumigium*, poſtea inungantur *ſapone nigro*, fricando callos; hòc enim diſſipantur. *Suffumigium* eſt tale:

Rhagades rebelles. Suffitus.

℞. *Cinnabaris,*
auripigm.
ſandaracæ, ana ℥j.
Mercur. præcipit. ℨß.
ligni aloës,
gummi juniperi,
ſtyrac. ſiccæ,
benzoës,
myrrhæ,
thuris, ana ℨij.
Terantur groſſo modo, & miſta projiciantur ſupra carbones, fumuſque excipiatur.

§. 16.

De Præſervatione à Lue Gallicâ.

Qui affectum hunc evitare cupiunt, à delictis caveant, & maximè à peccato luxuriæ. Nam dicitur *Job. 31. Luxuria ignis eſt, uſq; ad conſumptionem devorans.* Aſſerunt Theologi, diverſas ægritudines ob diverſa peccata evenire: ut febris quotidiana ob peccatum ſuperbiæ; podagra ob pigritiem; lepra propter luxuriam &c. Cùm autem lues hæc lepræ aſſimiletur, luxuriæ debet attribui. Caveat itaque homo à converſatione cum infectis; præcipuè coitu; eſt enim hic morbus contagio-

tagioſus: unde Avic. *2. 1.* ait, de ægritudinibus quædam eſt, quæ tranſit ab uno ad aliud; ſicut lepra, ſcabies, variolæ, febres peſtilentes, & apoſtemata putrida. Cùm ergo lues hæc aut lepræ, aut ſcabiei aſſimiletur, contagioſam eſſe neceſſe eſt. Item cavendum ab his, quæ cacochymiam generant, & præcipuè quæ multiplicant humorem melancholicum. Quòd ſi aliquis ſeſe cum impurâ commiſcuiſſe animadvertat,
Ablutio. caveat ab *ablutione* per aquam frigidam, quæ malignitatem impingit; ſed potiùs urinâ propriâ calidâ, vel vino albo calido, in quo *roſmarinus, ſalvia, camomilla* &c. bullierint, malum eluat. Poſt ablutionem ſequens *Pulvis* inſpergatur:

Pulv. adſperſorius. ℞. *Lithar. auri,*
ceruſſæ,
rad. ireos,
tutiæ,
nuc. cupreſſi, ana ʒj.

F. omnium Pulvis ſubtiliſſimus, qui ſcortatoribus in promptu habeatur. Vide ulteriùs apud Fallop. *de Præſ. à carie Gall.* ubi plurima ſuis diſcipulis, tanquam certiſſima, dictat, aſſeritque, illos remediorum certitudinem experturos, ac ſi omnes ejus farinæ numerares Auditores.

§. ult.

In quo Controverſiæ, quæ moveri poſſunt circa ea, quæ de hoc Affectu dictavimus, proponuntur.

Objectiones. 1. OBjic. 1. Lues Venerea non videtur eſſe morbus communis: ergo falsò affirmatur. Prob. quia non provenit à cauſa communi, terrâ ſcilicet, aquâ, aëre &c. ℞. Nego, quòd, mediante aëre, ab influxu cœleſti communicatus non fuerit: adeoque cauſa communis eſſe potuit.

Inſtantia. I. Inſtabis: 1. Si factus fuiſſet à conſtellatione mala, uti fuit anno 1483. ejus anni influentia deberet adhuc hodie perdurare: quod tamen eſt falſum, apparetque in morbis epidemicis, qui, ceſſante causâ communi, ceſſant & ipſi. ℞. non eſſe opus, ut influxus ille perduret: ſufficit ſeminarium, & impreſſio corporibus facta.

II. Inſt. 2. Sed novem annis poſt demum dominari incepit affectus ille; ergo ab illo anno non potuit provenire. ℞. Neg. conſeq. & ipſemet notavi, illam impreſſionem diutius, quàm novem annis, ſine noxa in corporibus fuiſſe, & tandem actuatam vires fortiſſimas edidiſſe.

Inſtab. 3. Dictum eſt autem, malum proveniſſe à ſcortis ex India deductis: *III.* ergo non fuit opus conſtellatione. Reſp. Quamvis multorum ſit hæc opinio; tamen alii negant: & licet id fuerit, non tamen neganda eſt influentia: hinc etiam bella ſæviſſima ex aſtris prædicuntur, licet belligeri & Martiales, diſcordesque in terra ſint animi; etſi fuerint ſcorta impura; non tamen negandus fuit influxus: item eodem tempore plura loca fuerunt infecta; ergo non tantùm ubi erant ſcorta.

Obj. 2. Morbus hic eſt Saturninus, ut *2.* dictum: ergo frigidus & ſiccus: ergo lue Venereâ affecti homines laborabunt intemperie frigida & ſicca; quod eſt falſiſſimum. Videmus enim, eos pituitâ, & humoribus crudis, eſſe pleniſſimos. ℞. Homines quidem crudo phlegmate abundare, fateor; morbum tamen phlegmaticum eſſe nego: fit enim per accidens, ob cruditatum copiam.

Obj. 3. Qualis effectus, talis cauſa: ſed *3.* effectus eſt frigidius & humidus: ergo & cauſa erit talis. ℞. Qualis effectus, talis eſt cauſa immediata & univoca; concedo: mediata & æquivoca; nego. Quòd enim magna humorum pituitoſorum quantitas generatur, ratio eſt, quia in tali corpore plurimę cruditates cumulantur, eò, quòd hepar, ſecretionis humorũ officina nobilis, cumprimis lædatur; quia affectus hic nec animalis, nec vitalis, ſed naturalis facultatis eſt paſſio: hinc etiam facultas hæc, & ej. miniſtræ, plurimum patiuntur: quòd autem Saturninus ſit, patet ex hoc, quia eſt chronicus; quòd homines contabeſcant; quòd ſint ulcera ab aduſtis humoribus provenientia, &, ob ſalem terreſtrem & fixũ, etiam ipſa oſſa corrodentia.

Obj. 4. Dicitur *ſub finem definitionis*, ſe- *4.* qui puſtulas per totum corpus; cùm tamen multi laborent morbo Gallico, qui nec minimam quidem in corpore puſtulam habent, ſed tantùm capitis, vel crurum, vel ſcapularum & brachiorum dolorem veſpertinum ſentiunt. ℞. ulcera hic non facere differentiam eſſen-

tialem; ſed tantùm eſſe conſequentia, quæ poſt dolores plerunq; adveniunt.

5\. Objic. 5. Dicitur *in §. 2. circa finem*, quòd cauſa ſymptomatum conjuncta ſit humor immediatè cauſans dolores, puſtulas, &c. ergo hîc erit morbus; cùm tamen debeat eſſe in parte vivente. ℞. Erit morbus pro materiali; concedo: pro formali; nego: ſecundò, humor iſte in hepate, venis, & membris exiſtens, malignâ qualitate infectus, poteſt eſſe morbi ſubjectum inhæſionis; concedo: denominationis, quod ſoli parti convenit; nego: ergo non poteſt eſſe ſubjectū morbi: nego conſequentiam.

Quæſtiones. I. Qu. 1. Cur dolores maximè circa noctem torqueant? ℞. Ob naturam Saturninam, & humorem melancholicū, qui maximè illo tempore dominatur: ſecundò, quia humores tunc concentrantur ob frigus, & augentur ob humiditatem nocturnam: tertiò, quia fermentantur: quartò, quia de die magis diſcutiuntur humores, & natura, aliis ſenſibilibus intenta, dolores minùs percipit.

II. Quæ. 2. An, ſi febris ſalivanti accidat, refrigerandum ſit? ℞. cum *Fallopio*, refrigerari poſſe, mediante V.S. cucurbitulis &c. non verò per introſumpta, quę fluxum repercuterent, & in ſummum vitæ periculum inducerent.

III. Quæ. 3. Cur hic morbus plerunque à pudendis incipiat? An fortaſſis, ut putant multi, quia ibidem abundant humores corruptioni obnoxii? ℞. Neg. aliàs omnès fere ægritudines ſuam inde traherent originem: ſed eſt, quia inter membra illa, & morbum hunc, peculiaris eſt cōformitas: non enim quodlibet agit in quodlibet, ſed in determinatum: quin & per os, ut in lactatis puerulis, & per oſcula, amplexûs, &c. etiam aliis partibus communicari poteſt. De hoc vide Fallop. *cap. 10. de morbo Gallico.*

IV. Quæ. 4. Cur morbus hic terminetur ad os? ℞. id fieri à Merc. vi ſuâ & proprietate illuc tendente; vel quia actuatus, &, ſecundum *Paulum Æginetam*, calidus redditus, ſuâ caliditate humores ſubtiliat & calefacit; unde ſuperiora petunt.

V. Qu. 5. Cur Avicennas Mercuriū ponat frigidum? ℞. intelligendū eſſe actu, non potentiâ; hinc in Merc. ſummum calorem, & ſummum frigus, invenire eſt; hoc actu, illum potentiâ.

VI. Qu. 6. Cur in ſalivatione os adeò fœteat? ℞. cum Avic. *can. 2* quòd à Merc. proveniat dolor capitis, & in ore nocumentum, ut ex natura ejus colligitur: item quòd ad hoc accedat humor, qui eſt aduſtus, putridus & malus. nec tantùm ab humoribus putridis fœtorem hunc provenire exiſtimam; ſed etiam à cadaveroſa partium oris putredine.

VII. Qu. 7. Cur multi cum impuris coeuntes non inficiantur? ℞. eorum corpora eſſe denſa, & conſequenter infectionem difficulter recipere: deinde, ſi tardiores ſunt in emittendo ſemine, magis incaleſcunt, & faciliùs venenum recipiunt; è contra, ſi celeriores.

VIII. Qu. 8. Cur remedia quædam à principio juvare videntur, quæ tamē poſtea nihil ampliùs efficiunt? ℞. id fieri dupliciter: partim ex parte morbi; partim ex parte naturæ: ex parte morbi, cui in principio contrariantur medicamenta, in proceſſu autem ceſſat contrarietas: nam, ut ait *Avicennas*, ab ipſo, quod conſuetum eſt; non fit paſſio: idem putandum eſt ex parte naturæ.

6\. Ob: 6. Si morbus hic eſt Saturninus; ergo illi nō competit V.S. ℞. à principio, & in corpore plethorico, nego: in medio curæ, & in corpore exangui, concedo.

IX. Qu. 9. Cur ſecundo aut tertio unctionis die augeantur dolores: & cur quarto fere exhibitionis Mercurii die ceſſent? ℞. ad primū: quòd, cùm humores moveantur, & ſubtilientur, uti habetur in *aphoriſmo, dum pus fit; febris & dolor.* ℞. ad ſecundum: quòd tunc ceſſatio doloris deſignet humorum metaſtaſin à membris ad os; unde ſequitur ſalivatio, quam quicunque prudenter avertere voluerit, purgantia exhibeat, humoréſque ad alvum retrahat; & ſalivationem impediet.

7\. Obj. 7. Mercurius cauſat ægritudines frigidas, ut epileſiam, paralyſin, &c. uti Avicen. *can. 2.* ergo erit frigidus, & non calidus potentiâ, & conſequenter non ſubtiliabit humores. ℞. Mercurius cauſat ægritudines frigidas per ſe; nego: per accidens; concedo, debilitando ſcilicet, cùm ſit contrarius cerebro & nervis, ratione temperamenti.

8\. Obj. 8. Mercurius eſt inimicus nervis: ſed morbus Gallicus eſt affectus nervorum: ergo non eſt adhibendus. ℞. Licet multæ medicinę ſint noſtro corpori inimicæ, non ſunt tamen ideò rejiciendæ: ſufficit enim, ſi morbo ſint

contra-

contrariæ : majus quippe eſt bonum, quod ex iis provenit in ablatione morbi, quàm malum, quod inde poteſt reſultare : idem inſinuare videtur Galen. *de ſanit. tuen.* ubi ait : difficillimum eſt, invenire aliquod auxilium, quod nihil nocens conferat.

x. Quær. 10. Cur dolores majores ſint in juncturis, quàm aliis locis ; cùm ex motu magis deberent reſolvi ? Reſp. Quia magis facit vacuitas ad aggregandum, quàm motus ad reſolvendum : unde Avicen. *fen. 2. can. 1.* amplitudo quidem apud juncturam eſt apta, ut ad eam materia deſcendat.

9. Obj. 9. Morbus Gallicus curari poteſt per Mercurium, abſq; ſalivatione, quæ eſt valde periculoſa ; ergo hæc non eſt admittenda. Reſp. Si divertatur, concedo : imo prudenter id fieri poteſt, cùm tamen inedia illa, quam coguntur Ægri tolerare durante ſalivatione, ad curam plurimum faciat : adeóque immoderatis popularibus noſtris neceſſaria eſt ſalivatio.

xi. Quær. 11. Cùm in morbo Gallico cutis ſit exulcerata, doleat caput, cadant capilli, os cerebri corrumpatur, pudenda reddantur carioſa, quodnam ſit hujus morbi verum ſubjectum ? ℞. illas partes non ſemper laborare in hoc morbo : ergo proprium ejus ſubjectum dici non poſſunt : cùm autem actionem naturalem ſemper in hoc affectu læſam videamus, qua alimentum attrahitur, retinetur, concoquitur, aſſimilatur, &, quidquid excrementitieſt, excernitur ; itaque ibi omnium maximè vigere debebit, ubi viget naturalis facultas, ſanguinem ſcilicet fovendo & depurando, utpote in hepate ; cujus ſententiæ fuit *Antonius Muſa Braſſavolus, Montanus, Antonius Gallus, Nicolaus Maſſa Venetus*, &c.

xii. Quær. 12. Cur hic affectus non amplius ſit tam ſævus, quàm fuit in principio ? ℞. Eò, quòd ipſius venenum per multa adhibita pharmaca, & diætas, plurimùm fuerit hactenus debilitatum.

Quær. 13. An per frequentem coitum, citra aliud contagium, generari queat hæc lues ? ℞. Affirmativam tenet ſententiam Nicolaus Maſſa, *cap. 2. de morbo Gall.* Valleſius, *3. in 3. epidem. comm. 22.* Zacutus, *lib. de princip. Med. hiſt. ſect. 36.* Rationes ſunt, quòd quidam ex ſola apprehenſione & imaginatione in rabiem & morbos venenatiſſimos inciderint : ergo etiam in luem Veneream incidere poſſunt. Mercurialis, *lib. de morbo Gall. cap. 2.* & plurimi alii, negant. Nos parti affirmanti adhæremus: imò Ariſt. *3. de hiſt. anim. cap. 11.* & *ſect. 4. probl. 19.* ait, pilorum profluvium ex immodico coitu provenire ; quod eſt certiſſimum luis Venereæ ſignum & præcipuè, cùm hic affectus ex peculiari aliqua putredine reſultare poſſit, ob humorum excrementitiorum ingluviem, quæ in Venere ad obſcœnas partes confluit, & ad hunc morbum ſufficientes occaſiones præſtare poteſt. xiii.

Quær. 14. An morbus Gallicus communicetur in diſtans ? ℞. non obſtante Zacuti *hiſtoriâ*, de miniſtro ophthalmiâ Gallicâ affecto, non communicari in diſtans, quia, cùm hujus morbi ſubjectum ſint potiſſimum ſpiritus naturales, qui ſunt craſſioris conſiſtentiæ ; per aërem in aliud corpus contagium transferre non poſſunt : vel potius, quia non, ſicut aliæ peſtilentes & malignæ febres, in materia tenui implantatur, ſed in craſſiori & frigidâ humorum parte ſtabulatur ; quo fit, ut non tam facilè diſſeminetur & diſpergatur. xiv.

Quær. ult. Quot ſint ſpecies, ſeu modi, morbi Gallici ? ℞. Si *Braſſavolæ* credimus, *tract. 1. de morbo Gall.* ducentæ triginta quatuor numerari poſſunt ſpecies. Et hæc etiam de *morbo Gallico.* xv.

TRACT. II.

FINIS.

TRACTATUS TERTIUS:

DE FEBRIBUS,

CUM APPENDICE *de* PESTILENTIA, & VENENIS.

Caput I.

De Eſſentia & Subjecto Febris.

Cùm nullus ſit frequentior & univerſalior affectus in corpore humano, quàm *Febris*, omni ſexui, ætati, anni tempori, communis; operepretium eſt, ut ejus Eſſentiam & Cauſam disquiramus.

Febris variæ acceptiones.

Trincavellius eam ponit in calido innato in igneũ mutato: Sancta Cruz ſub privatione: Vega ſub relatione: Helmontius dicit, eam eſſe ſubſtantiam, à quâ deturpatur Archeus. Thomas Willis, *de Febribus, cap. 1.* quòd ſit tantùm fermentatio, ſeu efferveſcentia immodica, ſanguini & humoribus inducta: quod ſi verum; ubi autem eſt febris Hectica? Sic etiam poſt quemvis motum violentiorem ſemper febricitaremus: adeóq; commentitiam illam Novatoris hujus definitionem corruere neceſſe eſt.

Definitio vera.

Febris itaque, à fervendo, vel feritate dicta, ſecundũ Avicen. *fen. 1. lib. 4. c. 1. eſt calor extraneus, in corde accenſus, & ab ipſo per arterias, cum ſpiritu & ſanguine, in corpus univerſum diffuſus, actiones lædens.* Calor in corpus diffuſus, tactu perceptibilis, ſymptoma febris eſt, & qualitas patibilis: calor iſte, id eſt intemperies calida, comitem habet ſiccitatem: hæc enim eſt *lima caloris*, humiditatem conſumentis: hinc febris eſt *intemperies calida* actu & eſſentialiter,

eſt intemperies calida & ſicca.

ſicca verò potentiâ: quia cum tempore humiditas abſumitur: extraneus calor dicitur, non quòd extrinſecè debeat communicari; ſed quòd moderati & naturalis caloris limites tranſgrediatur. Nam qui erat antè animanti familiaris actionum omnium opifex, ab illa demum *εὐκρασίᾳ* recedens, earum fit deſtructivus, dum, loco coctionis, diſſipat, adurit, reſolvit, corrumpit, & elementorum harmoniam peſſundat. Unde Hipp. & Galen. *comm. ad aph. 14. lib. 1.* ait; *febrem fieri converſione nativi caloris in igneum*: adeóq; quò calor nativus copioſior eſt, eò ſemper majus fit incendium. Unde Hipp. *1. aph. 14.* ait: ſenes febrib. acutis eſſe minùs oportunos, ob inſiti caloris inopiam: in quo communicante influenti fit augmentum illud, ſeu transmutatio, calor influens per anni tempora, & diætam, facilè minuitur, aut augetur; quod inſito non tam facilè contingit: hic enim, ubi in igneum converſus eſt, permanentem habet intemperiem: nec inde ſequitur, omnem febrim eſſe hècticam; cum calor inſitus ſit in ſolidis partibus, non enim ſemper eſt talis inhærendi modus: nam poteſt diſpoſitivè, vel habitualiter inhærere: in omnibus aliis febribus diſpoſitivè inhæret; in hectica verò habitualiter. Nec febris in humoribus *ſubjectari* poteſt, ſed in ipſis partibus viventibus:

Subjectum Cor.

aliàs nõ eſſet morbus: & licet ſpiritûs ſint accenſi & humores, nondũ tamen febris adeſt, ſed tantùm cauſa ejus proxima: adeóque neceſſe eſt, ut in febre *Cor*, ejus proximum *ſubjectum*, primò afficia-

tur

tur : 2. caloris fluentis & radiantis interventu, totum corpus, ut ſecundariũ ſubjectum: & licet, quod ſæpe evenit, focus ipſius febris aliunde ſuos cordi vapores communicet ; ibi tamen collocandum febris ſubjectum primarium non eſt. Neceſſe enim eſt, ut ejus caloris per ſanguinẽ, aut ſpiritus, fiat communicatio ipſi cordi, quod primam & ultimam febri ſpecificam tribuit modificationem, & calorem per totum corpus, tanquam è circuli centro ad totam corporis circumferentiã, vel plurimas ſaltem partes, amandat: & ſi re ipſa non transfundatur calor per univerſum corpus, ut in rigore & febre lipyria; id accidit tantũ ex accidenti, vel ab obſtructione valida, vel ab incendio, vel ab imbecillitate, vel ab oppreſſione ; unde calor excentrari non poteſt ob impedimentum. Primaria definitio febris fuit, prout pro materiali dicitur: pro formali verò dicimus, eſſe præternaturalem diſpoſitionem, ortam ex calore præternaturali in corpore humano, ſive intenſione, ſive modificatione fiat talis. Definitio hæc deducitur ex Gal. *lib. de differentiis morborum*, & ex Ariſtot. *7. phyſ. cap. 3.* Quando verò calor dicitur eſſe ratio generica & eſſentialis febris, intelligendum eſt de febre pro materiali ſumpta; & calor ille febrilis fit extraneus, non ſolùm acquiſitâ intenſione ſecundum gradûs; ſed etiam ratione modificationis, quâ actiones lædit : & id quidem probatur hoc, vel ſimili ratiocinio : Calor redditur febrilis, dum redditur præternaturalis & læſivus operationum : ſed talis redditur non ſolùm novâ acquiſitâ intenſione, ſed etiam novâ acquiſitâ modificatione : ergo ſine novâ intenſione, ſed ſolùm modificatione, fiet febrilis : probatur minor : tot modis redditur febrilis, quot modis amittit naturalitatem : ſed hoc fit quia vel intenſione recedit à proportione debitâ ; vel quia modificatione recedit à ratione inſtrumenti viventis, coaptati pro ſuis operationibus : ergo ſolâ modificatione acquiſitâ fit febrilis & læſiv. operationum : ut fit in febre caſtrenſi, peſtilenti, aut malignâ, ubi ſolâ modificatione deleteriæ qualitatis, ſine ullis putredinis aut caloris ſignis, vel pulsûs urinarúmq; mutatione, fit febris, quam Hipp. vocat pravam & malignam, & Galenus, *3. de præſagiis ex pulſibus cap. 5.* Sanè videtur quibusdam perplexa & incognita via, ſi quando nec differentia ulla pulſuum à naturali deficiat, & ipſe Ægrotus febrem ſe non percipere dicat : nec ex urinâ quidem petere, in hujusmodi affectibus, firmam notitiam ſemper licet ; ſed ferè eſt anceps, calore & compage ſimilis naturali, &c.

Objic. 1. Calor non videtur eſſe intrinſecus febri : ergo malè aſſignatur: *Objectio 1.* prob. febres caſtrenſes, ſeu peſtilentes, ſunt ſæpe ſine calore : ergo calor non eſt febri intrinſecus. ℞. Licet calor in iſtis febribus non ſit p. n. ratione intenſionis ; eſt tamen ratione modificationis : quando recedit à ratione inſtrumenti viventis, coaptati pro ſuis operationibus, & fit læſivus operationum.

Obj. 2. Non videtur eſſe opus, ut in 2. corde accendatur calor febrilis, uti Galen. docet *1. acutor. comment 18.* ubi dicit, febrim eſſe converſionem naturalis caliditatis in igneam: ſed hæc in omnibus partibus poteſt fieri incenſio, & non tantùm in corde : prob. 2. calor febrilis, cordi ab aliquâ parte communicatus, & is, qui partià corde reciprocè communicatur, ſunt ejusdem rationis, eodem modo lædunt operationes : ergo non erit ratio, cur primò debeat cordi communicari: prob. 3. morbus non conſtituitur in ratione morbi ratione ſubjecti, cui inhæret, ſed ex modo afficiendi : ſed eundem afficiendi modum habet calor in parte, quem in corde : ergo nulla eſt ratio. ℞. Si febrim aliquam particularem admittere velis, non inficias ibo ; ut verò ſit univerſalis, debet fieri in corde accenſio.

Objic. 3. Calor febrilis non videtur 3. medio ſpiritu & ſanguine communicari : ergo falsò adſtruitur : v. g. in hecticâ non communicatur medio ſanguine & ſpiritu : ergo non eſt intrinſecus febri : prob. calor hecticus eſt habitualis, pullulans ab animâ, ut determinatâ per temperamentum ſubſtantificum perverſum verſus igneitatem : ſed iſte calor medio ſanguine & ſpiritu non communicatur : ergo in hectica ſaltem non communicatur. ℞. Licet calor hecticus non dependeat, vel producatur medio ſpir. & ſanguine; dependet tamen in

conſervari: calor enim coadjuvans perpetuò debet communicari, ne impediatur caloris hectici pullulatio ab aëre ambiente &c.

4. Objic. 4. Siccitas etiam eſt de conceptu febris: ergo debuiſſet poni in definitione. Reſp. Nego: quia eſt febris, v. g. hectica ante, ſiccitatem illam enim calor primò debet inducere.

Quæſtiones: I. Quæres 1. Cur calor ab ira, labore, motu, &c. non ſit febris? Reſp. Licet entitatem febrilem habeat Phyſicè; non tamen habet Medicè: id eſt, non habet cauſam permanentem, per cujus ablationem cupiat aufferri.

5. Objic. 5. Videtur eſſe triplex febris ſubjectum: pro diariâ ſpiritûs; pro humorali humores; pro hecticâ ſubſtantia noſtri corporis: ergo falſum eſt, eſſe tantùm partes viventes. Reſp. Si calor abſtahatur ab hoc, quòd ſit febrilis, poteſt dici habere triplex ſubjectum: ſic autem tantùm dicitur cauſaliter, aut originaliter: nam quatenus febrilis eſt, eatenus debet ſubjectari in partibus viventibus, & pro inhæſionis modo dicitur vel facilè, vel difficulter mobilis.

II. Quær. 2. Utrum febris conſiſtat in ſolo addito calore, ſive in iſto gradu ſolo, vel etiam in præexiſtenti naturali calore? Reſp. ſolum calorem additum cenſendum eſſe febrilem: ſic tenet Gentilis, quem ſequitur Garcia, metamoros *lib. 1. de febribus, diſp. 11.* & prob. ex Gal. *1. ad Glauc. cap. 1.* quantum unumquodque à naturali ſtatu recedit, ad tantam morbus magnitudinem pervenit; & prob. tantùm cenſendus eſt ille febrilis calor, qui petit contrariis remediis curari, quibus ſolus excedens petit uti. 2. ſolus excedens gradus eſt p.n. 3. ab eo ſolo provenit læſio coctionis: ergo ſolus excedens gradus caloris eſt febrilis cenſendus.

6. Objic. 6. Calor præexiſtens & additus eſt unum numero agens, & unam numero efficiens actionem læſam; cùm ſimul concurrant ad eam eliciendam: ſed actio fit læſa à calore febrili: ergo totus ille calor eſt febrilis. Reſp. quòd calor præexiſtens, & calor febrilis, licet in eſſe caloris ſint idem; in eſſe fundamenti ſanitatis aut morbi, ſeu præternaturalis diſpoſitionis, differunt ſpecie: quia à calore moderato fit ſanitas; ab immoderato fit morbus: iſte autem ſolus immoderationis grad, nocet.

Obj. 7. Si calor additus ſol, eſſet febrilis; calor præexiſtens deberet eſſe ſanitas: ſed ſanitas & morbus non poſſunt eſſe in eodem ſubjecto: ergo non ſolus calor additus eſt febrilis; ſed etiam præexiſtens. Reſp. ſanitatem & morbum dupliciter poſſe conſiderari; uno modo in gradibus remiſſis, ſecundum quos non valent denominare corpora ægra aut ſana; ut tepidum nec à calore, nec à frigore: alio modo in gradibus intenſis; ſecundum quos denominant ſubjectum ſanum, aut ægrum. Galenus non negat, corpora neutra non habere ſanitatem & morbum ſimul, ſed citra denominationem, nempe in gradibus remiſſis: eodom modo hîc non poteſt ab utraque qualitate, ſed tantùm ab intensâ, denominari ſubjectum: hinc ſemper eſt conſideranda ſanitatis latitudo. Cùm autem bonum ſit ex integrâ causâ; malum ex quovis defectu: corpus ſanum intenſivè denominari non poterit, in quo calor febrilis univerſaliter dominatur. 7.

Quær. 3. Quomodo calor febrilis immediatè ante mortem videatur eſſe remiſſior? Reſp. eſſe remiſſiorem ratione intenſionis, concedo: non verò ratione modificationis. III.

Objic. 8. Contra definitionem: non videtur opus eſſe, ut calor ſit per totum corpus diffuſus: ergo malè aſſeritur: prob. in lipyria febre partes externæ frigent; *2. de diffr. febrium*, & *6. epidem. comment. 29.* eſſentia earum eſt calor præter naturam, maximè in totum animal diffuſus; ſin minùs, at in plurimis partibus, vel nobiliſſimis, conſiſtens. Reſp. id tantùm ineſſe febri per accidens, quòd non feratur per totum corpus, nempe in lipyria febre, in quâ concentratus calor trahit, tanquam eucurbitula, ſpiritûs partium externarum ad ſe; eodem modo in principiis paroxyſmorum; dum calor diffundi non poteſt ob vehementes obſtructiones. 8.

Quær. 4. Quomodo poteſt illa Galeni, *1. de diffr. febrium*, ſubſiſtere diviſio, nempe in Diariam, Putridam, & Hecticam; ſi febris tantùm ſubjectetur in partibus viventibus? Reſp. diviſionem IV.

viſionem

viſionem illam non eſſe per ſubjecta febris, ſed partim per cauſas internas, partim per ſubjecta. Hinc Galenus hîc de toto calore loquitur, qui in Ægrotante ſentitur, tangentis ſenſui occurrens: atqui hunc conſtat per hecticas febres in ipsâ ſubſtantiâ ſolidorum recipi, atque propterea ſalſuginoſum quid & aridum tensúmque ſenſui repræſentare: in putridâ verò in ſuccis; & propterea modum quendam ipſius humoris tactu ſentiri: nam ſentitur humidius quiddam, & tactu ſvavius, in redundantia ſanguinis: acrius quiddam & mordacius in bile: in pituita veluti per cribrum occurrens calor; quoniam hic ſuccus difformiter & inæqualiter ſuſcipit calorem.

Quær. 5. Utrùm febris lædat omnes operationes naturales; cùm calor influens, qui eſt inſtrumentum omnium actionum, lædatur? Reſp. negativè: eſt enim latitudo in temperie debita cuiq; facultati pro ſuis operationibus; ſed aliæ habent majorem latitudinem, intra quam facultas naturaliter operatur, quàm aliæ: ergo poteſt in eodem ſubjecto poni calida intemperies; quæ pro aliis actionibus ſit proportionata, pro aliis improportionata: ideo bilioſi & melancholici faciliùs delirant, quàm pituitoſi: ergo eſt latitudo, intra quam poteſt magis aut minùs lædere febris.

Objic. 9. Si calor mediis ſpiritibus communicatur partibus: ergo omnis febris erit ephemera: 2. in hectica calor producitur ab animæ perverſo temperamento ſubſtantifico: ergo non communicatur à ſpiritibus: 3. per continui alterationem poteſt fieri communicatio. Reſp. negando 1. quia non in omnibus febribus calor febrilis oritur à ſpiritibus accenſis, ſed tantùm defertur: ad 2. in hectico debet communicari calor coadiuvans mediis ſpiritibus, ut non impediatur caloris hectici pullulatio; 3. abſolutè negatur.

Caput II.
De Differentiis Febrium.

Quandoquidem febris pro materiali eſſentiam poſuimus in calore p. n. ita juſtum & æquum
Differentiæ eſt, ut ab hoc *Differentias* ſumamus; quas omnes breviter attingit Galenus, *Earum.*
6. epid. particula 29. ſectione 1. nempe cùm in calore tria ſpectentur: qualitas, *Fontes.*
vel intenſio, motus, & cauſa, ſeu materia ea, quâ febrilis calor fovetur: ab intenſione & qualitate caloris febris dicitur mitis, vehemens, remiſſa, mordax, maligna per modificationem: à motu lenta, acuta, diurna, nocturna; à materiâ, quæ eſt magis conſiderabilis, diviſio eſt triplex, teſte Galeno, *comment.* *à materia diviſio triplex.*
ad 3. epidem. ſect. 1. Diaria, ſeu *Ephemera*, *Humoralis*, & *Hectica*. Cùm enim ex Hipp. ſint tria, quæ corpus noſtrum conſtituunt; utpote *continentia*, *contenta*, & *impetum facientia*, ſeu partes, humores, & ſpiritûs: in eorum aliquo priùs febris accendatur neceſſe eſt; licet in omni febre partes ſolidæ incaleſcant, earúmq; operationes lædantur vel γενεσιῶς, dum febris adhuc in generatione eſt; vel ἑκτικῶς, dum in habitu eſt: nec etiam ſublatâ causâ facilè tollitur, quia ex modo, quo inhæret, firmiter ſubjectatur. Quare *Diaria* dicitur, in qua *Diaria.*
ſpiritûs tantùm ſunt accenſi: ſi diutius perſeveret, & calor humoribus imprimatur, fit *Humoralis*: deniq; ſi partibus *Humoralis.*
magis imprimatur, in *Hecticam* degenerat. *Hectica.*
Hæc tria febrium genera ſunt præcipua, à quibus indicatio curativa deſumitur, & in ſuas quodlibet ſpecies dividitur. Nam *Diaria*, pro duplici ſpiritu, in *duplicem* dividitur, quia duplex eſt *Diaria duplex.*
ſpiritus, qui uſtionem ferre poteſt, vitalis nempe, & animalis. *Humoralis* vel *Humoralis* eſt *imputris*, ex ſanguinis fervore nata, *Synochus.*
quæ *Synochos* dicitur; vel *putrida*: eáque vel eſt *ſimplex*; vel *compoſita*. *Simplex* unius tantùm humoris typum ſervat; quæ, pro ejusdem quantitate, aut ſitu, *intermittit*, aut *eſt continua*: *illa*, pro triplicis humoris vel extra vaſa, vel in parva quantitate putreſcentis, varietate triplex conſtituitur: *Quotidiana*, pituitæ ſoboles: *Tertiana*, bilis: *Quartana*, ſucci melancholici. *Continua* eſt duplex: *Primaria*, ex humore in majoribus vaſis contento & putreſcente genita; & *Symptomatica*, quæ morbus quidem eſt, ſed rationem obtinet ſymptomatis; quoniam viſceris aut partis alicujus inflammationem conſequitur: &, ſi ſanguis ſit bilioſus, *typhodes*, aut *phlegmonodes* dicitur. *Primaria* rurſus *du-*

plex eſt: una, in quâ omnes humores æqualiter putreſcunt, quæ eſt *ſynochos putrida*: *altera*, in quâ unus ſupra reliquos, συνεχὴς dicta: quæ *triplex* eſt: *bilioſa*, & *ardens*, ſeu *cauſus verus*, quæ tertio quoque die exacerbationem habet: *pituitoſa*, quæ omni die repetit: *melancholica*, quæ quarto quoque die reduplicatur. Ad *continentiam* genus refertur. *Peſtilens*, quæ, præter malignitatem, ſimul etiam habet putredinem, ex *comment. ad ſenten. 20. lib. 6. epidem.* *Compoſita*, vel *complicata* febres ex diverſis humoribus, vel ſimul permixtis, vel loco incluſis, oriuntur; unde febres ejuſdem, vel diverſi generis invicem complicantur. *Hectica*, pro variis gradibus, *triplex* eſt: in primo, ſecundo, & tertio gradu: in quo μαρασμώδης dicitur.

Synochos putrida. Συνεχὴς. *Febris Peſtilens ad quod genus refeatur.* *Hectica:*

Quæſtiones. 1. Quær. 1. Utrùm ſint aliquæ febris eſſentiales differentiæ? ℞. nullas dari febris eſſentiales differentias: prob. diximus, à calore deſumendas eſſe differentias: ſed ab illo non dantur eſſentiales differentiæ: ergo. Prob. Omnis calor eſt unus ſecundum ſpeciem: ergo omnis febris eſt una ſecundum ſpeciem; eſt Averrhois, Valleſii, Vegæ: prob. ulteriùs: calor, v. g. Solis eſt diſpoſitio ad ignem; ut apparet in ſpeculo, reflexionem ad ſtupas communicante, ad cujus intenſionem ſequitur forma ignis, quæ non, niſi ab elementali calore, vel ab alio ejuſdem ſpeciei, poteſt produci: tertiò quia calor viventis provenit à formâ ejus mixtâ, ut virtualiter eminenter continet ignem, ideoq; ejuſdem ſpeciei debet eſſe cum ignis calore: 4. cùm uni unum ſit contrarium, ex Ariſtotele, ſi differrent ſpecie, non poſſet eſſe frigus contrarium elementali calori & viventis; quod eſt falſum. Ergo omnis calor eſt unus ſecundum ſpeciem; & conſequenter non dantur eſſentiales febris diviſiones, ab iſto calore deſumptæ; ſed dantur potiùs accidentales, tantùm per aliqua accidentia diviſæ. Nec obſtat, quòd eſſentiam febris pro materiali poſuimus in calore, debere proinde ab eo eſſentiales differentias deſumi: ſufficit enim, ſi accidentales, vel modales, ob rationes allatas, deſumantur.

Objectio. 1. Objic. 1. Quando febris dividitur in habitum & diſpoſitionem, eſſentialiter dividitur: ergo adhuc datur eſſentialis diviſio: prob. hoc enim videtur eſſe febri eſſentiale, quòd febris alia ſit hectica, quæ eſt habitus; alia humoralis vel ephemera, quæ ſunt diſpoſitiones: ergo. Reſp. hanc diviſionem eſſe tantùm modalẽ: prob. Ephemera quidẽ, & humoralis febris ſecundum rem ſunt diſpoſitiones, nempe à ſubjecto facilè mobiles: Hectica verò eſt tantùm habitus ſecundum modum, quo inhæret, non autem ſecundum rem: quia in re omnis calor eſt à ſubjecto facilè mobilis: ergo hæc diviſio eſt tantùm modalis; non verò eſſentialis.

Objic. 2. Videntur nihilominus dari caloris differentiæ, quia, v. g. calor febrilis contrariatur naturali, dum hunc deſtruit: ergo non poteſt eſſe ejuſdem ſpeciei. 2. morbus & ſanitas ſpecie differunt; & conſequenter debent differre calor naturalis, in quo conſiſtit ſanitas, & calor p. n. in quo conſiſtit morbus: ergo adhuc ſub calore erunt plures differentiæ. Denique effectûs utriusque caloris differunt ſpecie: ergo & ii calores different ſpecie. Reſpondeo, calorem nativum non corrumpi à calore p. n. in eſſe caloris, immo potiùs intenditur; ſed ſolùm variatur modificatio, ratione cujus mutatur operatio: hinc differunt in eſſe caloris; nego: modaliter; concedo. Et licet morbus & ſanitas ſint modi ſpecie diſtincti, & calor modificetur per illos ad operandum naturaliter, aut præternaturaliter; non ſequitur tamen, calorem eſſe ſpecie diverſum; quia differunt tantùm modaliter, non eſſentialiter. 2.

Objic. 3. Nulla febris ſymptoma aut eſſe aut dici poteſt: ergo nec ſymptomatica; uti aſſertum eſt: prob. Si febris eſſet ſymptoma, vel eſſet in exeunte mutato, vel in qualitatibus mutatis, vel in actione læſâ: ſed horum nihil dici poteſt; inprimis non eſt exiens mutatum: ſecundò nec actio læſa; cùm nec conſiſtat in ſubſtantiâ, nec in actione: nec eſt qualitas mutata; cùm qualitas mutata non lædat operationes, ſicuti omnis febris. Reſp. eſſe qualitatem mutatam; & qui- 3.

dem

dem non lædere actiones febrim ſymptomaticam, ut eſt qualitas mutata, ſed ut ulteriùs obtinet rationem morbi potentis lædere actiones. Nec obſtat, affectum aliquem eſſe morbum & ſymptoma ſimul, ſed diverſo reſpectu: ſic febris ſymptomatica eſt morbus ratione actionum, quas lædit, eſt verò ſymptoma ratione præcedentis morbi, v. g. inflammationis, à quâ ſuam traxit originem: taliter longè ſæpius ſunt morborum & ſymptomatum ſeries.

II. Quær. 2. Quid ſit febris fiens; & quid facta? Quid ſimplex; quid compoſita? Reſp. cum Hipp. *5. epidem. parte 2. textu 29.* febris fiens eſt, quæ ſecundum modum, quo inhæret in viventibus partibus, eſt diſpoſitio, ut apparet in febre diariâ, & humorali: febris facta eſt, quæ, licet ſit diſpoſitio ſecundum eſſe, ſecundum modum tamen eſt habitus; & ideo dicitur febris habitualis; cujusmodi eſt Hectica, quæ eſt calor per modum habitûs inhærens viventi, à cujus formâ oritur. Inſtabis; ergo omnes febres, præter hecticam, erunt imperfectæ. Reſp. erunt imperfectæ in fieri; nego: in facto eſſe, concedo. Ergo erunt imperfectæ abſolutè: nego conſequent.

4. Objic. 4. Sunt multæ febres, quæ non poſſunt reduci ad noſtram illam diviſionem: v. g. quæ fit à bubone, non poteſt dici diaria: quia non fit ab accenſis ſpiritibus: nec hectica; quia non eſt in habitu: nec humoralis; quia nulla illius apparent ſigna. 2. ex Gal. *lib. 8. meth. cap. 4.* febris poteſt oriri à chylo putrefacto; cùm chylus non referatur inter illos humores quatuor maſſæ ſanguineæ. 3. ſunt febres à feroſis humoribus; v. g. in podagra, rhevmatiſmo, chloroſi, quas vidimus integris annis durare; quarum tamen hîc non fit mentio. Reſp. febrim à bubone, licet à Galeno dicatur ephemera, non tamen eſſe veram ephemeram; ſed tantùm eſſe talem ratione durationis; cùm tamen ſit humoralis; utpote quæ dependet ab humore putreſcente in inguine. 2. chylus, cùm ſit in ordine ad generandos humores, etiam refertur ad eos; reliquæ febres reducuntur ad pituitoſas.

5. Objic. 5. Calor in ſpiritibus aut humoribus non eſt febris entitativè, ſed tantùm cauſaliter: ergo non eſt vera diviſio in febrem humoralem & diariam. Reſp. quòd, licet calor, qui inhæret humoribus, prout inhæret illis, ſit ſolùm cauſaliter febris: tamen prout ab illis fuit communicatus partibus viventibus, eſt entitativè humoralis.

Objic. 6. Febris diaria, humoralis, & hectica, ſunt una febris, à quâ unum indicatur remedium refrigerans: ergo diviſio illa non eſt generis in ſpecies, ſicut diviſio per ordinem ad continentia, & impetum facientia. Reſp. febrim diariam, humoralem, & hecticam, eſſe unam tantùm febrim eſſentialiter, differre tamen inter ſe diviſione accidentali, penes reſpectum ad diverſas cauſas, quarum ablationem intendimus in curatione. 6.

Quær. 3. Utrum humores non alterati poſſint febrim accendere? cùm Fernelius, *lib. 4. de febribus, cap. 4.* de bile fateatur, quòd in ſtatu naturali poſſit febrim accendere: 2. bilis ab aliis humoribus frigidis caliditas attemperatur: ergo cauſare poterit febrim. Reſp. Fernelium ibi putare, bilem in ſtatu naturali, quoad quantitatem, ſed quoad qualitatem, in præternaturali, poſſe accendere febrim, id eſt: licet quantitate non exſuperet bilis; ſufficere tamen, ut qualitate ſtatú naturalem excedat: 2. non negamus, bilem ab aliis humoribus plurimùm dilui; negamus tamen, non alteratam poſſe accendere febrim: prob. quia ſpiritûs ſunt bile calidiores, qui tamen non poſſunt accendere febrim, niſi alterati; ergo & bilis debebit alterari. III.

Quær. 4. Utrum ſpiritûs poſſint putreſcere; cùm ſint ſubſtantiæ tenuis? IV.
2. cùm continuò moveantur, & nunquam acquirant quietem requiſitam, ut poſſint putreſcere? 3. cùm non habeant excrementitiam humiditatem? 4. ſi poſſent putreſcere, aliæ differentiæ diariæ debuiſſent aſſignari; nempe alia à putredine ſpirituum, alia ab uſtione. Reſp. cum Ariſtotele, *4. meteor.* omnia putreſcere, præter ignem; &, cùm coctio & putredo ſint paſſiones mixtorum, & ſpiritus vitales ſint mixta perfecta, utpote ex ſangvine & aëre, poſſunt putrefieri: deinde nutriunt animal, quod eſt perfectè mixtum: ergo

ſpiritus

ſpiritûs ſunt perfecta mixta; & etiam ſubſtantiâ tenues poſſunt putreſcere, ſi nempe eorum motus impeditur à corpore obſtruente: deinde diaria nihilominus dicitur talis genericè: quòd verò differentia illa à nobis non ponatur, eſt, quòd indicatio curativa non variet.

CAPUT III.

De Cauſis Febrium.

Febrium Cauſæ Efficientes: 5.

GAlenus, *lib. 1. de differentiis febrium, cap. 4.* & *lib. de cauſis morbor. cap. 2.* *Cauſas Febrium efficientes* reducit ad *quinq.* genera: nimirum ad *viciniam rei calidæ*; ad *putredinem*; ad *obſtructionem*, ſeu *adſtrictionem*; ad *alimentum calidum*; & ad *motum*, hiſce præcipuè verbis: *apparet autem & in aliis corporibus omnibus, quæ plus ſatis incaleſcunt, vel ex motu quodam augeri caliditatem, vel ex putredine, vel ex vicinia alterius corporis calidioris, vel ex anguſtatione, vel ex alimento ad calefaciendum apto*: & prob. tot enim debent annumerari cauſæ febris, quot ſunt cauſæ diverſæ, calorem producere valentes; ex quarum quâlibet diverſa indicatio curativa poteſt deſumi pro morbi ablatione: ſed ex quâlibet harum poteſt diverſa indicatio ſumi: ergo quinque cauſæ ſunt admittendæ: quæ in tantum differunt, in quantum in modo producendi calorem ſunt diverſæ; &

Calor Quot modis generetur:

1\. *Motus.* 1. quidem *Motum* producere calorem, apparet ex confrictione oſſium leonis, quâ producitur ignis: item ex motu locali plumbum liqueſcit; item, teſte Plinio, *lib. de hiſtor. natural. cap. 13.* ex mutuâ confrictione lauri & hederæ ignem produci obſervatum eſt.

2\. *Putredo:* *Putredo* autem eſt cauſa febris, quatenus partes igneæ & aëreæ, ſeparatæ & deunitæ per putredinem, à frigidis determinatam formam rei putreſcentis ad ejus productionem ſolvunt: & licet putredo proveniat à causâ externâ frigidâ, ut conſtipatione cutis; tamen ab ipsâ immediatè non producitur, ſed potiùs ab humoris putreſcentis formâ.

3\. *Vicina rei calida.* *Viciniam rei calidæ* febrilis caloris productricem eſſe, probat *Gal. 1. de diff. febrium, cap. 3.* ubi probat, omnia agentia calida, ſive formaliter talia, ut ignis, ſive virtualiter, ut lux, ſive potentialiter, ut piper, poſſe approximata calorem producere: quia à cauſæ calidæ vicinia deſumitur indicatio curativa pro morbo calido: ergo rectè annumeratur inter cauſas febris.

4\. *Alimentum calidum.* *Alimentum calidum* tum alteratione, tum converſione ſui in calidos humores, tum quatenus fit pars calida nutriti, cauſare morbos calidos, probat Galenus, *lib. de cauſis morbor.* & omnes ipſius Commentatores. Reſpectu ultimæ partis major difficultas probatur: ex alimento calido, repoſitis per nutritionem partibus calidis in majori numero, neceſſariò fit temperamentum ſubſtantificum intemperatum verſus illas: ſed à temperamento ſubſtantifico improportionato verſus partes calidas neceſſariò debet pullulare excedens ac morboſus calor: E. calidum alimentum eſt cauſa morbi calidi, ſeu febris.

5\. *Adſtrictio.* *Anguſtationem*, ſeu *adſtrictionem*, febrim producere, eſt Galeni, *lib. de cauſis morb. cap. 2.* quia ratione illius ſpiritûs vitales retinentur, & quia impedit tranſpirationem aëris, qui cõtinuò per poros, à facultate pulſificâ, ut ab illo attemperetur calor ſpirituum vitalium, qui ſunt corde & reliquis partibus calidiores, attrahi debet, diaſtole, & ſyſtole fuligines excludi; quæ retentæ circulationis beneficio in partibus internis ſeſe cumulant, & putreſcunt. Quinque hæ febrium cauſæ etiam dicuntur efficientes.

Non habent cauſam Materialem, nec Finalem. Febres pro materiali cauſam non habent *materialem*, quia nullum accidens habet cauſam materialem, ſed potiùs ſubjectum. *Finalem* cauſam non agnoſcit febris pro formali ſumpta, ſiquidem ut ſic eſt præternaturalis diſpoſitio, quæ reſultat ex poſitione caloris præternaturalis, qui eſt terminus ſecundarius: cauſa finalis autem cujuslibet actionis eſt terminus illius primarius & ſpecificativus.

Cauſa febris alia. Cauſa febris item alia eſt *externa*; alia *interna*, *conjuncta* ſive *antecedens*: alia *per ſe*; alia *per accidens*. Quæ tamen cauſæ omes, teſte Valleſio, *lib. 4. controverſ. cap. 5.* ad illa quinque genera *ſuperiùs*, in frontiſpicio hujus Capitis aſſignata, reduci poſſunt.

Objectio. 1. Objic. 1. Unius rei una debet eſſe cauſa: ſed febris eſt una: ergo tantùm

una ej

una ei debebit aſſignari cauſa. Reſp. Una entitas poteſt produci à pluribus cauſis, ſed diverſo modo tendentibus ad ejus productionem.

Objices 2. Nulla ex annumeratis cauſis valet calorem producere: ergo nec febrim; quia motus, v. g. nec formaliter nec virtualiter continet calorem: ergo nec valet illum producere; deinde vicinia rei calidæ, cùm dicat tantùm approximationem, erit tantùm conditio ſine quâ non, & non cauſa: putredo eſt extinctio caloris nativi; ergo non erit productio. Omne alimentum debet à corpore neceſſariò calefieri; ergo illud non calefaciet: obſtructio conſiſtit tantùm in pororum occluſione; ergo non valet cauſare calorem: denique febris caſtrenſis, quæ ſolâ caloris modificatione fit, non habet cauſam inter quinque enumeratas; ergo iſte numerus quinarius non ſufficit. Reſp. motum eſſe caloris cauſam per accidens, quatenus ſpiritûs per eum moti & agitati copioſiùs deferuntur ad partes, quibus communicant excedentem calorem; eodem modo in paſſionibus animi: item putredo eſt caloris cauſa occaſionalis, quatenus dejungtur partes rei, quæ putreſcit, & in partibus igneis & aëreis, ſeparatis ab aqueis & aëreis, & terrenis impedientibus pullulationem caloris in illis poſt ſeparationem, fit pullulatio caloris febrilis: & ſic de reliquis. Quod attinet ad cauſam febris peſtilentialis, hîc Galenus tradere eam non intendit; hinc de ea agemus *proprio capite de Peſte*.

Quæſtio. Quæres: Utrum corpora denſiora rarioribus ſint febribus magis obnoxia? Reſp. Si febris inducenda ſit à cauſis internis, magis reſiſtunt corpora rara: ſi ab externis, corpora dura, denſa, & craſſa: & in promptu cauſa eſt: nam corpora rara citiùs ab externis offenduntur eò, quod omnibus injuriis ſint pervia: denſa verò contrà, licet externis occludant vias; & eorum infringant activitatem; intrinſecè tamen faciliùs læduntur, ob expulſionis difficultatem. 2. ob caloris minorem vigorem, qui minùs expellit, & difficiliùs digerit.

Caput IV.

De Febre Diaria, ſive Ephemera.

Febrium omnium ſimpliciſſima eſt *Ephemera*; quæ ſicuti citò fit, ita citò perit, ob ſpirituum tenuitatem, qui citò diſcutiuntur. Eſt autem *Ephemera* febris viventi communicata à ſpiritibus uſtis, aut putrefactis; ut in ſtipulâ non eſt diuturnum incendium; ita nec in ſpiritibus: hinc ephemera non eſt diuturna. Febris habet rationem generis; viventi communicata excludit à ratione diariæ calorem, prout in ſpiritibus: qui licet ſit febrilis cauſaliter; non tamen eſt diaria entitativè, donec ſit communicatus partibus viventibus. Ultima definitionis pars denotat, calorem ſpirituum debere eſſe præternaturalem. *Ephemera.* *Febris Ephemera definitio.*

Diaria *duplex* eſt, ratione duplicis ſpiritûs, vitalis nempe, & animalis; quia tam ſpiritus vitalis, quàm animalis, aptus eſt pati uſtionem tanquam mixtum, cujus proprietates ſunt uſtio & potredo, ex Ariſtotele, *lib. 4. meteor.* Si eſſet aliqua ratio in contrarium, eſſet illa, quòd, v. g. animalis ſpiritus accendi non poſſit, niſi accenſo vitali, & contrà: ſed hoc non impedit, quia aliàs idem dicendum eſſet de humorib., quòd nempe hi non poſſint accendi, niſi accenſis ſpiritibus; aut quòd ſpiritûs non poſſint accendi, niſi accenſis humoribus: quod tamen eſt falſum. Diaria dividitur item in *legitimam*, & *illegitimam*: quæ tamen diviſio eſt analoga, non univoca; quia alterum membrum participat inæqualiter rationem diviſi: illegitima enim veram diariæ eſſentiam & naturam non conſequitur, ut eſt ſynochus, ſive putrida febris, orta ex bubone, vel inflammatione, ex nauſeativâ ſatietate: hinc etiam non participant æqualiter rationem diviſi; cùm non oriantur à ſpiritibus uſtis aut putrefactis; quod eſt natura Diariæ: ſed tantùm dicantur tales, quia in aliquibus ſignis illi aſſimilantur. Deinde diaria illegitima durat per plures, quàm per 24 horas; quod non competit legitimæ, ortæ à ſpiritibus, ob tenuitatem citò diſſipabilibus. Dividitur item ratione *Diviſio.*

Digitized by Google

tione *cauſarum* Diaria, quòd alia fit à cauſis intra corpus; alia à cauſis extra illud: ſicuti omnis cauſa morbi eſt vel externa, vel interna. Ephemeræ cauſa communiter eſt *procatarctica*, ſeu *evidens*, ſive ſit *externa*, ſive *interna*. Cauſæ procatarcticæ *internæ*, valentes diariam producere, aliæ ſunt inter *animales actiones ſenſitivas*; aliæ inter *loco motivas*; aliæ inter *ſubſtantias in corpore redundantes*. Quæ ad *primam* claſſem referuntur, ſunt anguſtia, triſtitia, cogitatio vehemens, ira, vigiliæ, ſomnus, timor, gaudium: ad *ſecundam* claſſem refertur motus nimius, labor, evacuatio, dolor, fames, ſitis, inſolatio: ad *tertiam* claſſem reducitur obſtructio, nauſeativa ſatietas, apoſtema, ſeu bubo, aſperitas, ſiccitas cutis: ex quibus omnibus poſſe febrim diariam produci, apertiſſimum eſt, & patet ex Avicennâ, *fen. 1. d. 4. tractat. 1. cap. 10.*

Cauſæ. *Cauſæ* Ephemerar. procatarcticæ ſunt aliæ *calidæ*; aliæ *frigidæ*; aliæ *ſiccæ*, ex eodem Avicennâ, *cap. citato*, hiſce verbis: comparata autem ad res, quæ accidunt de foris, ſunt ſicut illa, quæ fit ex aduſtione Solis, & ſicut quæ fit ex condenſatione cutis, factâ ex frigore, & factâ ex ablutione cum aquis frigidis.

Signa. *Signa* Ephemerarum deſcribuntur à Galeno, *lib. 1. de differ. febrium, cap 7.* nimirum quòd ab aliquâ procatarcticâ causâ ex enumeratis fiat; quòd pulſus ſit frequens, creber, magnus, vehemens, æqualis, & abſolutâ febri citò ad naturalem ſtatum redeat; quòd reſpiratio frequens, magnus capitis dolor, inappetentia, frigus, horror, laſſitudo ſpontanea abſint, aut calor ſit tactu blandus, lotium ſimile naturali, niſi ab obſtructione vel cruditate immutetur. Diaria terminatur ſpatio 24 horarum; ſi diutius perduret, in ſynochum ſimplicem, vel putridam, vel in hecticam tranſit. His ſignis facilè cognoſcitur diaria: licet Galenus, *lib. de arte curand. ad Glauconem*, ſtatuerit diariam facilè curabilem, & difficulter cognoſcibilem: quod tantùm verum eſt de ſignis diviſivè, non collectivè ſumptis, quia pleraque eorum, ſi ſeorſim ſumantur, etiam in aliis febribus reperiuntur; ſi verò collectivè, ſoli ephemeræ conveniunt.

Indicationes. *Indicationes* in exactè exquiſitâ ephemerâ à causâ deſumi non poſſunt; quia causâ internâ caret: ergo à febre ipsâ, & à viribus, ſunt deſumendæ. Hinc ratione febris indicantur refrigerantia & humectantia actu, vel potentiâ; per ſe, vel per accidens; ratione virtutis ſimilia corroborantia: magnam tamen plerunque non habet indicatio hæc neceſſitatem, viribus ſcilicet adhuc integris. Ephemera eſt febris debilis, virtus robuſta, ſymptomata exigua: ergo facilè tollitur. *Balneo* curabatur olim: ſed hóc, utpote humido & tepido, facilè conciliatur putredo, plethora fermentat, & ſangvis in venis accenditur, vel etiam fluxiones in corporibus excitantur: adeoque ſatiùs victu refrigerante & humectante, *crem.* ſcil. *hordei*, *juſculis refrigerantibus*, cum *cichorio*, *portulacâ*, *endiviâ*, *ſcariolâ*; *aquâ fontanâ* cum *ſpiritu vitrioli*, vel *ſucco limonum* permixtâ &c. curatur, variatâ ſaltem curâ pro varietate cauſarum. Si enim eſt à frigore poros condenſante; provocatis ſudoribus in fine paroxyſmi ſolvetur: ſi ab æſtu Solis, vel nimio exercitio; victu refrigerante, quiete, aëris in contrarium commutatione: ſi à cutis denſitate, & pororum conſtipatione; frictionibus: ſi à vigiliis; ſomno: è contra: ſi à crapulâ; inediâ: ſi à triſtitiâ; gaudio: ſi ab irâ; animi tanquillitate: ſi ab obſtructione, in cacochymiâ; purgatione; in plethorâ, venæſectione curabitur: aut in alias febres facilè degenerabit ephemera.

Cura per Balneum rejicitur.

Objectio. Objicies: Diaria ex obſtructione non oritur à causâ procatarcticâ: ergo falſum eſt, diariam oriri à causâ procatarcticâ: 2. ex Galeno, *4. aph. 55.* diaria oritur à catarrho, inediâ, vigiliis, aut dolore; ſed iſtæ ſunt cauſæ internæ: ergo. 3. diaria ab iiſdem cauſis poteſt produci, à quibus humoralis: ſed hæc poteſt produci ab omnibus cauſis: ergo & diaria. Reſp. Nos dixiſſe, diariam utplurimùm oriri à causâ procatarcticâ; non ſemper: 2. etſi catarrhus ſit cauſa interna; tamen poteſt eſſe procatarctica, modò ſit evidens: vel dicam, hîc eſſe complicantiam: & ita non obſtat, quò minùs ex parte oriatur à causâ

internâ:

internâ: 3. nego, ephemeram poſſe oriri ab omnibus cauſis, à quibus oritur humoralis: quia hæc oritur ab omnibus cauſis internis; à quibus non oritur ephemera exquiſita, quæ nullam admittit complicationem.

Quæſtio, I. Quær. 1. Utrum diaria poſſit cognoſci ex pulſu; quia pulſus, qualis reperitur in diariâ, talis eſt in quocunque uſu adaucto, ſive ratione exercitii, inſolationis, aut febris cujusvis alterius: ergo non videtur cognoſci poſſe ex pulſu: 2. ex Galeno, *lib. de differ. febrium*, in omni febre apparet in pulſu inæqualitas febrilis: ergo in pulſu non erit æqualitas in diariâ: 3. in febre intermittente poſt paroxyſmum non redit pulſus ad ſtatum naturalem: ergo malè dictum eſt, hoc ſoli ephemeræ competere. ℞. adauctas pulſuum differentias deberi diariæ; quia eſt uſus auctus, ratione cujus debetur magnitudo, celeritas & crebritas, non eſt cauſa ſat violenta in uſu adaucto à motu, ira &c. quæ valeat facultatem gravare, aut qualitate vires diſſolvere: nec opus eſt, ut appareat inæqualitas: etenim non datur fuliginum copia, nec eſt usus variatio, ratione cujus fiat pulſuum variatio & inæqualitas: nihil remanet febris, aut fuliginum à paroxyſmo, impediens reditum ad ſtatum naturalem. Nec in quocunq; uſu adaucto tales ſunt pulsus differentiæ: nam in diariâ multò magis ſunt auctæ: in aliis febribus non omnes ſimul conveniunt, ſicut in diariâ: 2. in omni febre humorali eſt inæqualitas febrilis; concedo: in diariâ; nego: 3. in febrib. intermittentibus humoralibus ſemper remanent aliquæ fuligines, & ſtatus neuter, ratione quorum dicitur non pervenire ad totalem inſebricitationem.

II. Quær. 2. Cur diaria ſudore dicatur ſolvi; cùm ſit in ſpiritibus, in quibus nulla eſt aquea humiditas? 2. Cur magis ſit in fine paroxyſmi; cùm calor in medio ipſius ſit fortior? ℞. ſudores fieri ex materiâ internarum partium aquoſiori: non autem ſit in augmento, vel ſtatu, quia tum ab uſtione reſolvuntur per inſenſibilem tranſpirationem à calore minùs proportionato: in declinatione paroxyſmi verò, dum humores ab intenſo calore non ampliùs ita attenuantur, & ſiunt magis proportionati, in formâ ſudoris excluduntur.

Quær. 3. Quibus ſignis poſſit cognoſci, diariam mutari in humoralem? Reſp. cum Avicen. *fen. 1. cap. 8.* Quòd, ſi diaria permutetur in aliam febrim, in declinatione non fiat ſudor: deinde non pervenit ad inſebricitationem; nec pulſus reducitur ad ſtatum naturalem, perdurat capitis dolor, & paulatim ſeſe ſubſequentis febris ſigna produnt. III.

Caput. V.
De Febre Hectica.

Quemadmodum calor febris Ephemeræ p.n. oritur à ſpiritibus: ita *Hectica* calor à partibus corporis viventibus; unde habitualis dicitur: tum quia eſt in corporis habitu; tum quia eſt qualitas difficulter mobilis, non per ſe, ſed propter modum inhærendi. Hinc febris *Hectica* eſt *calor præternaturalis, inhærens partibus viventibus, & in illis pullulans, ab animâ determinata* (ut forma mixta eſt) *per ſubſtantificum temperamentum, per exceſſum partium calidorum elementorum perverſum*: vel, paucis mutatis: Eſt *calor præternaturalis, habitualis, æqualis, pullulans ab animâ, ut determinata per ſubſtantificum temperamentum perverſum per exceſſum partium calidorum elementorum. Calor præternaturalis* eſt ratio generica, pro omni febre materialiter ſumptâ: *Habitualis* eſt ratio differentialis, quâ ab omnibus aliis differt: *Æqualis* denotat proportionem in hecticâ repertam, inter calorem febrilem & temperamentum ſubſtantificum, à quo pullulat: in aliis autem febribus ſemper calor eſt inæqualis, & improportionatur temperamento ſubſtantifico: *pullulans ab animâ* dicit propriiſſimam hecticæ differentiam: nam ipſa ab animâ pullulat, ſicut diaria à ſpiritibus, humoralis ab humoribus communicatur: *ut determinata* &c. per hæc verba definitionis ultima diſtingvitur ratio cauſalitatis hujus febris: cogitur enim anima, prout eſt forma mixta ad producendum non ſolùm calorem ſibi debitum & conſervativum,

Hectica.

Definitio prima.

Altera.

Definitionis explicatio.

tivum,

tivum, ſed etiam calorem febrilem & præternaturalem, potiùs debitum conſervationi formarum calidorum elementorum, per quorum ſigillatas materias cogitur ad productionem propriæ conſervationi utilem, & animanti deſtructivam.

Differentia. *Hectica* ex modo invaſionis alia eſt *primaria*, quæ ſcilicet primo inſultu talis evadit; alia *ſecundaria*, quæ aliis morbis ſuccedit. Secundò hectica alia eſt *ſimplex*; alia *complicata* cum aliùs generis febre. Tertiò alia eſt à *cauſa per accidens* & *per ſe ſimul*; alia à *ſolâ cauſâ per ſe*: hæc ſemper eſt cauſa mixta, ut determinata per ſubſtantificum temperamentum præternaturale: cauſa *per accidens* conſervationis eſt, v. g. cauſa externa, ut aër Auſtriacus. Quartò dividitur per differentias accidentales, penes diverſos modos, aut gradûs ſiccitatis, ſeu temporum. Prima differentia eſt initium hecticæ, in quo imperceptibilis eſt externa corporis conſumptio; rorida tamen corporis humiditas exſiccatur: 2. differentia, ſeu gradus hecticæ eſt augmentum, in quo eſt evidens conſumptio ipſius corporis ſecundum partes carnoſas: 3. gradus ſeu differentia eſt conſumptio ſolidarum partium, id eſt fibroſarum & membranoſarum. Hic gradus plerunque incurabilis eſt: eousque enim igneum alimentum reliqua exſuperat, ut impoſſibile ſit, ea ad æqualitatem reponere, ut actionibus edendis ſint apta.

Cauſa. *Cauſæ* hecticæ duplices ſunt: aliæ *per ſe*; aliæ *per accidens*: *per ſe* eſt ſubſtantia vivens, forma ſcilicet & ſubſtantificum temperamentum, per materias calidorum elementorum perverſum: *Cauſa per accidens* ſunt, quæ valent coadjuvare, ut ſubſtantificum temperamentum pervertatur, & permaneat cum exceſſu partium materialium calidorum elementorum; ſive reſolvendo partes frigidas, quod facto partes calidæ remanent in majori copiâ & numero; ſive coadjuvando, ut per nutritionem hujusmodi partes materiales calidæ reponantur in majori numero: & tales *Cauſæ* iterum ſunt *duplices*: *Calor ſcilicet*, & *nutritiva facultas*; quæ duo valent pervertere ſubſtantificum temperamentum, & facere, ut redundent in illa partes materiales calidorum elementorum: quod faciunt, dum in mixto reſolvunt partes frigidas & aqueas, quarum defectu redundant partes calidæ; ita ex uſu calidorum alimentorum in majori numero reponuntur partes calidæ elementorum calidorum, quod fit per nutritionem: unde patet, calorem & nutritivam facultatem eſſe cauſas perverſionis temperamenti ſubſtantifici, per exceſſum partium calidorum elementorum: Cauſæ *remotiores* coadjuvantes productionem hecticæ ſunt evacuationes inſignes, quib, corpus humiditate ſuâ, calorem aliàs diluente, privatur: item animi pathemata, inedia, exercitium, vigiliæ, curæ, regio æſtuoſa, tempus æſtivum, febres ardentes & acutæ, inflammatio ventriculi, ſeu alterius viſceris, aut pleuræ, &c. *Remota.*

Signa febris hecticæ proponuntur à Galeno, *3. de præſagiis ex pulſibus, cap. 3.* nempe ſi calor ſine augmento, aut declinatione, ſemper ſit æqualis; 2. ſi Ægrotus calorem febrilem non ſentiat: nempe eſt continua febris, ſine acceſſione, ſemper ſibi ſimilis, ſine augmento aut declinatione, niſi unâ aut duabus horis à paſtu, quo tempore incaleſcit calor in hypochondriis, primo tactu mitis, poſtea acer, mordax, aridus, Ægri ſunt languidi & deſides ad motum, arteriæ ſunt calidiores reliquis partibus, lotium naturale, in progreſſu oleaginoſum, ſedimentum furfuraceum: hoc autem modo procedit, ut primo die fit inſtar diariæ; ſecundo permaneat calor, incipiat ariditas æqualis, & permaneat etiam ſequentibus diebus; & à cibo ſentitur calor: dum pervenit ad ſecundum gradum, Æger eam non percipit, omnia tamen fiunt vehementiora & manifeſtiora, pulſus fit minor & celerior, cum duritiâ perceptibili; in tertio denique gradu fiunt oculi concavi, ſordes in illis conſpicuæ, ſqualor augetur, oſſium apparent prominentiæ, cutis arida, præcordia contracta, pulſus ubique conſpicuus. *Prognoſin* facit Galenus, *lib. 10.* nempe quod duo primi gradûs curationem, licet difficulter, admittant; tertius verò, utpote maraſmus, nunquam: quod idem aſſerit, *primo de different. febrium, cap. 8.* & *lib. de maraſmo c. 6.* *Signa.* *Prognoſis.*

Duplex

Indicatio.

Duplex præciſè in hac febre celebratur *Indicatio* curativa; *una* deſumitur à temperamento ſubſtantifico perverſo; à quâ indicatur repoſitio ſubſtantiæ ex alimentis oppoſitis qualitatibus gaudentibus: *altera* indicatio deſumitur ab ipſo febris calore, ut cum ſiccitate conjuncto; à quâ indicatur refrigerans & humectans, contrarium nempe: indicatio, quæ deſumitur à viribus conſervandis, eſt vitalis, fitq; per ſimilia. Circa remediorum materiam delirat Helmontius, dum hîc unico diaphoretico omnes febres ſeſe jactat curare; at quo hecticam magis adauget, conſumendo ſcilicet humiditates aqueas, quarum aliàs penuria repoſitionem expoſcit, quâ ad naturalem partium elementalium proportionem reducatur temperamentum ſubſtantificum. Indicationibus ſatisfacies cùm extrinſecè adhibitis, ut aëre in contrarium alterato, balneis, inunctionibus; tum intus aſſumptis, ut lacte, juſculis ex herbis frigidis & humidis alteratis. *Aër*, pro hecticæ curatione, prædominium frigiditatis & humiditatis habeat oportet: talis autem eſt vel naturâ, vel arte. Naturâ talis eſt hyemalis: arte verò talis evadit aquæ frigidæ perfuſione; *fol. ſalicis, vitis, herbarum portulacæ, ſempervivi, lactucæ, endiviæ*, &c. inſtratione. *Balnea*, rejectis thermis, quæ à mineralibus alterationem recipiunt, & ſunt ſalſa, nitroſa, aluminoſa, ſulphurea, ærea, aurea, ferrea, gypſea, quia nimium exſiccant, pro hecticâ debent eſſe ex aquâ dulci, quæ potenter totum corporis habitum refrigerant & humectant. Gradûs faciebant Antiqui per triplex balneum, ita, ut primum eſſet calidum; ſecundum tepidum; tertium frigidum: ſed præſtat, balneum eſſe moderatè calidum; quod ingrediatur Æger manè, excrementis à ventre depoſitis, duabus aut tribus horis ab aſſumpto lacte, & juſculis alteratis, tam diu in eo remorando, donec aqua fiat tepida, & aliqualiter frigeſcat. Quòd ſi vires ſint moræ impatientes, acceleranda eſt aquæ attemperatio per frigidæ affuſionem; poterit etiam aqua balnei alterari per herbas refrigerantes: quales ſunt *olera, malva, ſcariola, vitis, lactuca, althæa, hordeum, amygdalæ* &c. aliqui aquæ & lactis æquales approbant partes, pro conficiendo balneo: aliqui ſolo utuntur lacte; quod nec nos improbamus. Statim à balneo linteis tepidis molliter detergatur Patiens, & ad ſpinam dorſi inungatur *oleo violaceo, roſaceo, de nymphæâ, liliorum alborum, amygd. dulc. butyro recent. aquâ refrigerante loto*, vel *unguento refrig. Galeni, reſumptivo Fernelii*, additâ modicâ *nitri* quantitate; vel tale poterit concinnari *Linimentum*:

Remediorum materia: Opinio Helmontii.

Curatio.

Aër.

Balneum aq. dulcis.

Inunctio.

Linimentum.

℞. *Ol. violar.*
nenupharis,
roſarum,
papaveris, ana ℥j.
mucilaginis ſem. pſyllii,
cydon.
althææ, ana *aq. endiv. extract.* ʒjß.
axungiæ gallinæ,
medull. crurum vituli, ana ʒij.
pulv. diamargarit. frig. ʒiß.
ceræ parum: M. F. Linimentum.

Cùm verò alimentum aridas corporis partes ad nutritionem penetrare non poſſit; totus corporis habitus ſequenti *Linimento* emolliendus & pervius reddendus eſt:

℞. *Pulpæ caſſiæ* ℥vj.
butyri recent. inſulſi ℥iij.
axungiæ gallinæ,
medullæ crurum vituli, ana ℥x.
ung. reſumptivi,
filii Zachariæ, ana ℥iiij.
olei nenupharis,
roſar.
violar. ana ℥iij.
mucilag. ſem. pſyllii,
cydon.
althææ, a. *aq. roſ. extr.* ʒiij.
juris pinguis capitis caſtrati ℥vj.
lactis mulieris ℥v.
ſucci ſemper vivi ʒij.
aquæ albuminum ovorum bene agitator. ℥iiij.
farinæ hordei ℥ij. M. omnia, & cum ſ. q. *ſeri lactis caprini*, & *aquæ hordei*, Fiat Linitentum; quo manè & veſperi, tribus horis à paſtu, fiat inunctio. Et cùm dixerimus, elementum aqueum plurimùm defeciſſe; juſcula & julapia humectantia in hunc modum ordinanda erunt:

Humectantia. Julepus.

℞. *Aquar. endiviæ,*
lactucæ,
acetoſæ,
ſcorzoneræ, ana ℥iij.

rantes & humectantes, juſcula pulli, gallinæ, capi, vituli, vervecis, cum *lactucâ*, *endiviâ*, *ſcariolâ*, *portulacâ*, *acetoſâ*, *ſem. frigidis*, hordeata, panatella, amygdalata; elixa omnia aſſatis præferuntur, poma cocta frigidum generant ſanguinem, pyra, paſſulæ: extremitates animalium, ob glutinoſitatem, plurimum conferunt, item carnes limacum, cancrorum, teſtudinum, ranarum; quæ tamen magis ab initio hecticę conferunt, dum facultas concoctrix adhuc viget, quàm ſeriùs. Horum loco parari poſſunt gelatinæ, conſummata, deſtillata, juſcula, paſtæ Regiæ inſtaurantes &c. Somnus ſit moderatus; nam longior calorem concentrat & auget; brevior verò corpus conſumit & exſiccat. Excrementa alvi quotidie vel naturæ, vel artis beneficio procurentur. Animus ſit tranquillus: vitetur ira, triſtitia, & omnes vehementes animi paſſiones. Motus vehementior vires diſſolvit, & auget calorem.

Quæſtio 1. Quær. 1. Quodnam ſit ſubjectum febris hecticæ? ℞. ſubjectum emanationis hecticæ eſſe ſubſtantificum temperamentum, per exceſſum partium materialium calidorum elementorum.

Objectio 1. Objic. 1. Si ſolus ille calor hecticus, ſeu per modum habitus, eſſet in parte media, temperamento ſubſtantifico perverſo, ſequeretur, quòd ſolus ille eſſet febris hectica: ergo qui inhæret in reliquis partibꝰ, erit alterius generis: ergo nunquam dabitur febris hectica ſimplex. ℞. Calor febrilis, qui communicatur à partibus, habentibꝰ temperamentum ſubſtantificum perverſum, per exceſſum calidorum elementorum, in reliquis dicitur hecticus, etſi in his ſit per modum diſpoſitionis: quia communicatur ab illis, in quibus eſt per modũ habitûs, ſemper eſt difficilè mobilis, quia conſervatur & fovetur à calore partium habituali.

II Quær. 2. Utrum febris hectica ſit calor præternaturalis? Quia, primò, cùm oriatur ab anima, videtur eſſe naturalis; prob. ſecundò, quidquid pullulat ab aliquâ formâ, eſt illi debitum in inſtanti generationis, & producitur per generationem, tanquam terminus ſecundarię: ſed quod fit per generationem, fit à generante, tanquam quid debitum genito, in primo aut ſecundo modo perſeitatis: ergo quicquid pullulat ab aliquâ formâ, eſt illi naturale: tertiò eadem eſt actio, quâ pullulat à formâ mixtâ calor hecticus, & calor naturalis: ſed hæc ratio, prout producit calorẽ moderatũ, eſt naturalis: ergo. ℞. ad 1. nihilominus eſſe calorem p.n. cùm ſit febrilis: cùm calor naturalis perficiat operationes; hic verò deſtruat, & mortem inducat, licet ab animâ oriatur, non tamen ut determinatâ per temperamentum naturale, ſed coactâ per illud præternaturale: hinc prima illa ſolvitur objectio. Ad 2. ℞. quicquid pullulat ab aliquâ formâ, eſt illi naturale: diſt. ſi coadjuvans ad pullulationem eſt naturale, concedo; ſi p.n. nego. Ad 3. ℞. Eadem eſt actio, quâ pullulat calor naturalis & hecticus ab animâ: diſtingvo: eadem eſt actio entitativè, concedo; formaliter nego: id eſt, utraq; affectio tendit quidem ad caloris entitatem, ſed alia tendit ad calorẽ proportionatũ, alia ad improportionatum; unde formaliter ſunt termini diverſi.

Obj. 2. Febris hectica non videtur eſſe habitus: ergo falſum eſt quod adſtruitur: prob. Quicquid convenit alicui rei per ſe, ejus oppoſitum nec per ſe, nec per accidens ipſi poteſt convenire: ſed calori convenit per ſe, quòd ſit diſpoſitio, quia illi convenit tanquã ratio generica, ex Ariſt. *in præd. cap. de qual.* Ergo: ℞. Licet calori per ſe conveniat, ut ſit diſpoſitio; ex modo tamen, quo inhæret calor hecticus, dicitur habitualis. 2.

Obj. 3. Sanitas & morbus opponuntur: ergo debent habere rationes oppoſitas, per quas determinentur ſub eodem genere: ſed ſanitas eſt difficilè mobilis: ergo hectica, quæ eſt morbus, debet eſſe facilè mobilis. ℞. differentiam non eſſe deſumendã à facilè aut difficilè mobili, ſed potiùs ab oppoſitis rationibus: nempe quatenus ſanitas eſt diſpoſitio, perficiens operationes; morbus verò lædens: diſpoſitio autem eſt ratio generica, quâ morbus & ſanitas conveniunt genericè. 3.

Obj. 4. Si calor hecticæ eſſet habitualis, ex naturâ ſuâ eſſet difficilè mobilis; ſed omnis calor ex naturâ ſuâ eſt facilè mobilis; ergo nullus morbus ex naturâ eſt habitualis. ℞. calorem hecticæ ex naturâ ſuâ non eſſe difficilè mobilem, ſed tantùm ex modo inhærendi. 4.

5. Obj. 5. In curatione hecticæ videtur intermiſſa eſſe præſervativa indicatio, quæ ab ipſa cauſâ deſumitur: ergo malè. ℞. Nos non admittere cauſam febris hecticæ conſervantem extrinſecam.

6. Obj. 6. Cùm febris hectica ſit calor violentus viventi, ſi non haberet cauſam conſervantem, homo reduceretur ad priſtinam naturalem temperiem: ſicut reducitur aqua ad ſuam naturalem frigiditatem. ℞. Etſi febris hectica à cauſâ externâ conſervativâ nõ dependeat, habet tamen internè partes viventes, quæ non poſſunt tolli, ut ipſa febris tollatur; aliàs totus homo tolleretur.

7. Obj. 7. Si calor hecticus eſſet independens, superveniente alio calore dependente, qui identificaretur ei, eſſet dependens & independens: quod eſt abſurdum. ℞. hîc eſſe complicationem, & non unum eſſe calorem, ſed diverſum: v.g. unum hecticũ; alterũ humoralem.

8. Obj. 8. Calor hecticus eſt inſenſibilis, non ab intrinſeco; quia non habet, à quo intendatur, niſi à ſe ipſo: quod abſurdum: ergo ab extrinſeco: ergo habebit adhuc cauſam extrinſecã. ℞. febrim hecticam produci & conſervari à principio intrinſeco, & ab eodm etiam intendi poſſe; ſi nempe ad temperamentum ſubſtantificum perverſum plures partes igneæ accedant, quæ determinant ipſam formam ad producendum intenſiorem calorem.

iii. Quær. 3. Utrum febris hectica ſit intenſior ardente; cùm ex ardente fiat hectica per majorem radicationem? ℞. remiſſiorem eſſe hecticæ calorẽ, quàm ardentis; quia multò intenſiora habet hæc ſymptomata, & calor ad tactum eſt major & intenſior; nec febris hectica ex ardente fit per novam & majorem radicationem, ſed eo, quòd febris ardens reſolvat partes humidas & aqueas viventis, unde partes igneæ elementorum non exſuperant; unde hectica. quæ ſi foveretur à cauſâ extrinſecâ, paſſo non conferente vim, faciliùs tolleretur: ſed hîc paſſum ipſum vim confert, calorem fovendo & conſervando: ſecus fit in aquâ calidâ, quæ eo, quòd non conferat vim, facilè calorem amittit.

iv. Quær. 4. Utrum ſiccitas ſit de conceptu febris hecticæ? Reſp. Neg. Dum concipimus calorem p. n. ortum à forma viventis, concipimus hecticam; ſicuti, dum concipimus calorem ortum ab humoribus putridis, concipimus febrim humoralem. Deinde ſiccitas in hecticis ab ipſo calore febrili, conſumente partes humidas, primùm fit: ergo prius eſt hectica, quàm ſiccitas

Quær. 5. Quomodo hoc intelligendum, quòd Gal. *2. de criſibus, cap. ult.* ait, v.
nullam febrim hecticam fieri à principio, id eſt, ſine alia febre præcedente: ergo, cùm ſpiritûs & humores facilè incendantur, priùs ſemper fiet alia febris: cùmq; calor ephemeræ & humoralis ſit in fieri, hecticæ in facto eſſe; hæc neceſſariò ab aliis febribus dependebit, & conſequenter non fiet à cauſa procatarctica; ut aſſertum eſt? ℞. negando ultimam hanc conſequentiam: quia ſufficit, ſi temperamentum ſubſtantificum ſit magis diſpoſitum, quàm humores, & ſpiritûs: poteſt autem eſſe per cauſam procatarcticam, ut cibum & potum, regionem, anni tempus &c. hinc Gal. dicit, non fieri à principio, id eſt: perverſio illa temperamenti debet paulatim fieri, nec omnis calor febrilis eſt in fieri ad hecticam: nam hectica differt à reliquis: immò febris ephemera eſt æquè in facto eſſe, ac hectica, licet non tam ſit radicatus calor.

Quær. 6. Cur major ſit calor à cibo? Reſp. Quia ſunt plures calidæ partes, quæ determinant animã ad caloris productionem: nam unâ aut alterâ horâ à cibo partes tenuiſſimæ & calidiſſimæ alimentorum à partibus ſitientibus ſtatim attrahuntur; unde major ſit calor: hinc illa Galeni ſimilitudo, de calce aquâ perfuſâ, claudicat. vi.

Quær. 7. Cur Gal. hecticos mittit ad Thebas montes, qui ſicci ſunt? Hic enim non videtur humectare, adeóque præſcriptam à nobis non ordinat diætam. Reſp. ſiccitatem illam præſcribi à Gal. vel ratione ulcerum pulmonis exſiccandorum, in iis, qui ſimul ſunt phthiſci; vel ad poros conſtringendos, ut habitûs reſolutio prohibeatur: hinc ſaltem ſiccitas ex accidenti juvat. vii.

Cap.

Caput VI.

De Febre Humorali in genere.

Febris humoralis. Unde.

ABſolutâ, de duabus primis ſebrium generibus, tractatione, ſuper eſt, ut ad tertium deveniamus: nempe ad *Febrem Humoralem*; quam alii *Putridam* vocant: quæ *fit* ab aduſtis vel putrefactis humoribus: quod ſic prob. Omnis febris debet foveri à calore, in continentibus, contentis, & impetum facientibus reperto: ſed humoralis febris non ſovetur à ſpiritibus, nec à formâ viventis oritur: ergo ab humoribus uſtione aut putredine affectis. Quòd autem humores poſſint putrefieri, contra Helmontii phantaſmata, ſic prob. Coctio & putredo ſunt contraria: ſed, humores à naturali calore coqui, certum eſt: ergo à præternaturali calore poterunt corrumpi: quia contraria ſunt circa idem objectum: prob. eſſe contraria eo, quòd putredo eſt motus localis, quo deunitur humidum à ſicco: coctio verò eſt actio unitiva ſicci cum humido: deinde humores ſunt mixta, quorum paſſio eſt putredo, ex communi Medicorum rationalium conſenſu: 3. ex rebus extra putridis fit calor: ergo & in venis fieri poterit: 4. apparet id ex tumore externo, ad tactum ſummè calente, ubi humores in ipſo putreſcunt: nec impedit, quòd ſangvis ſit theſaurus animæ; quia & ipſæ partes viventes putreſcunt, ut apparet in gangrænâ: multò magis ſanguis, in quo eſt minor reſiſtentia ratione formæ.

Differentia uſtionis à putredine.

Nota: Uſtionem & putredinem differre ſpecie Phyſicâ: quia ſunt motûs locales, tendentes ad diverſas ſubſtantias movendas ſecundum ubicationes ſpecie phyſicâ diverſas: ergo differunt: prob. quia putredo eſt determinatus motus, quo humidum, quod in mixtis eſt, terreo commixtum movetur à centro ad peripheriam, manens ſub eâdem formâ: uſtio eſt motus, quo partes quæcunque corporis, aptæ in vaporem verti, reſolvuntur, ſurſùmque naturali motu feruntur: ergo differunt: prob. 2. putredo eſt contraria coctioni; cùm putredo ſit motus localis, quo deunitur humidum à ſicco, manente eâdem formâ: coctio verò eſt actio, quâ humidum unitur cum ſicco. Per uſtionem pars quæcunque evaporabilis à corpore ſeparatur, non remanente formâ: in putredine tantùm quædam remanente formâ; quæ ſi pereat, dicitur corruptio. 3. differentia putredinis ab uſtione patet ex affectibus: quia à putredine provenit fœtor; non ab uſtione: ex putredine generantur animalia; non ex uſtione: in putredine partes externæ redduntur humidiores; contrà in uſtione: ergo ſecundum diverſos motûs differunt. Nec obſtat, quòd putredo & uſtio fiant ab eodem calore febrili; quia paſſi diſpoſitio ſæpe variat effectûs: uti patet, varios affectûs à calore Solis produci. Immò ex definitionibus patet, uſtionem & putredinem differre. Nam *putredo* eſt corruptio mixti per deunionem humidi à ſicco, proveniens à præternaturali calore ſub eâdem formâ: *uſtionis* verò eſt diſſolutio mixti ſecundum quaſcunque partes evaporabiles, proveniens à calore violento.

Definitio Putredinis.

Differentia ratione cauſæ.

Febris humoralis ratione cauſæ eſt *quadruplex*: prob. Tot ſunt differentiæ febris humoralis, ſeu putridæ, quot ſunt humores: ſed quatuor ſunt humores; ut probavimus *in Inſtitutionibus noſtris*: ergo quadruplex erit febris differentia. A caloris duratione alia eſt *continua*; alia *intermittens*. Si enim continuò duret putredo, erit continua putrida: ut ſynochus putrida ex putreſcente ſangvine; ex bile cauſus, ſeu ardens; ex pituitâ quotidiana continua: ex melancholiâ quartana continua. Si autem humor particularis per intervalla tantùm putreſcat, fit intermittens putrida, ſeu humoralis: ut quotidiana ex pituita; tertiana ex bile &c. Ratione modi alterationis alia eſt, quæ fit ab *aduſtione*, alia à *putredine*. Ratione variorum accidentium, variæ ſunt febrium differentiæ. Nam alia dicitur *colliquativa*; quæ, propter ingentem calorem, pingvedinem &c. colliquat: alia eſt *horrifica*; quæ tumores excitat: alia eſt ἀσώδης; in quâ Ægri jactantur, & frequenti inquietudine anguntur, nauſeas habent frequentes, & vomitûs: Alia eſt ἱδρώδης; ob continuos ſudores: alia eſt *ſyncopalis*; ob ſyncopes ſymptoma: alia *epiala*; quando per univerſum

Differentia à variis accidentibus deſumpta.

corpus frigus & calor ſentitur: alia eſt *lipyria*; in quâ externa algent, interna uruntur: alia eſt *lenta*, aliis *latica* dicta; quæ oritur ex latente & contumaci putredine, ab obſtructione ortâ, in quâ viſcus aliquod labefactatur aut putreſcit. Dicitur etiam *ſymptomatica*; quæ non eſt per eſſentiam, ſed ab aliqua parte oritur: ſi tantùm ſit ab obſtructione, levior eſt; ſi autem à corruptione, pejor: Lipyria, quæ eſt à ventriculi: Typhodes, ab hepatis: Crymodes, à pulmonis eriſypelate: Plevritis à pleuræ: Phrenitis à meningum: Angina à faucium inflammatione, ſunt febres ſymptomaticæ: quæ tamen facilè & brevî tranſeunt in eſſentiales. Iterum febris alia eſt *notha*; alia *legitima*: hæc eſt, quæ ab unico & ſincero humore, ut bile, pituitâ, &c. fit: illa verò, quæ à permixtis fit humoribus. Denique febres humorales aliæ ſunt *ſimplices*; aliæ *compoſitæ*, ſeu complicatæ cum aliquo alio morbo, aut cum aliquâ febre; ut tertiana cum quotidianâ, in hemitritæo.

Signa differentiarum. *Signa* febris putridæ alia continuam ab intermittente; alia putridam à non putrida; alia putridas inter ſe diſtinguunt. Continua differt ab intermittente eo, quòd hæc quasdam habeat periodos & recurſus; illa verò nunquam perveniat ad ἀπυρεξίαν, ſeu infebricitationem, ſed continuò affligat. Febris humoralis. ſeu putrida, diſtingvitur ab aliis febrium generibus eo, quòd calorem habeat acrem & mordacem, pulſum magnum, frequentem, inæqualem, ſyſtolem diaſtole velociorem, urinam crudam, quòd cum rigore incipiat, & certis periodis habeat exacerbationes, quibus ſuperveniunt nauſea, vomitus, cardialgia, corporis gravitas, dolor capitis, vertigo, delirium, ſingultus, jactatio, anxietas, ſitis, cum lingvæ nigredine & aſperitate, tenſio hypochondriorum, vigiliæ, reſpiratio difficilis, excrementa fœtida, crebra pandiculatio & oſcitatio.

Quæſtio. Quæres: Utrum febris continua fiat in vaſis ab humore putreſcente; intermittens verò extra vaſa: uti cenſent quidam Patavini, & communis Dogmaticorum eſt ſententia? Reſp. Negativè: immò poſſe humoralem febrem excitari ab humore putreſcente in quacunque corporis parte: quia febris oritur ex inflammatione plevræ, ex eryſipelate, ubi extravaſata eſt bilis, ex bubone, ex putredine alicujus partis, ex ſangvine putreſcente in ſtomacho: ex Riverio, *cap. de feb. putrid.* fiunt febres continuæ, & tamen humores ſunt extravaſati: ergo etiam fit continua ab humore extravaſato. Non tamen nego, ſæpiſſime fieri continuam ab humore in vaſis: unde excuſandi Galenus, & Avicennas: & quòd altera ſit continua, altera intermittens, potiùs dependet ab hoc, quòd portio humoris fermentati, à quâ dependet febris, diu cum putridâ, aut parum, ſubſiſtere poſſit: ſi ſemper perdurat, eſt continua; ſi parum, intermittens.

Caput. VII.

De Synocho non Putrida, & Putrida.

Synochus imputris eſt, quæ oritur à ſangvinis uſtione & effervescentiâ, citra putredinem: eſt continua, quia nunquam devenit ad ἀπυρεξίαν: eſt continens, quia unâ clauditur acceſſione, à principio ad finem: eſt *acuta*, quia cum vehementiâ accidentium citò terminatur; differt à quacunque aliâ non ſangvineâ continuâ eo, quòd fiat à ſangvine effervescente: à ſynocho putridâ, quòd nullam habeat adjunctam putredinem, ſed tantùm uſtionem. Synochus non putrida.

Dividitur in *epacmaſticam*; quæ ſemper creſcit: *paracmaſticam*; quæ ſemper decreſcit: in *acmaſticam*, ſeu homotonam; quæ eundem ſemper tenorem & typum ſervat. [illegible]

Cauſæ præcedentes ſunt pororum cutis obturatio, & habitûs denſatio ſeu obſtructio, victus plenus, evacuatio ſangvinis ſolita prohibita; unde ſucci non eventilati inflammantur & fervent. Cauſæ.

Febris hæc non diuturna eſt, nec adeò mala; ſed benigna & mitis; quarto plerumque die terminatur; adoleſcentibus εὐσάρκοις, ſangvineis, rubicundis & carnoſis familiaris. Prognoſis.

Galenus, *lib. 9. meth. cap. 4.* & 5. hanc febrim *curat* bonâ victûs ratione, & tri- Cura.

& tribus hiſce adminiculis: nempe aquæ frigidæ ad ſatietatem potu, balneo aquæ dulcis, & venæſectione uſque ad animi deliquium; quæ totum corpus unicè refrigerat.

Putrida. Synochus *putrida* eſt febris, orta ex ſangvine putreſcente, nullis exacerbationibus aut paroxyſmis diſtincta, ſua tempora veluti unâ acceſſione percurrens.

Differentia. Hujus, ſicuti alterius, triplices ſunt differentiæ: quarum prima eſt, quæ à principio ad finem æqualis perdurat, & acmaſtica, ſeu homotonos, breve habet principium & augmentum; longum verò ſtatum: ſecunda, quæ paulatim creſcit, epacmaſtica dicta, longum habet augmentum: tertia paracmaſtica, ſeu decreſcens, cùm minus putreſcit, quàm diſſipatur: hæc declinationem longam habet, reliqua verò tempora citiſſimè percurrit & tranſit.

Cauſa. *Cauſa* eædem, quæ ſynocho non putridæ generandæ attributæ fuerunt, ad hanc febrim generandam faciunt: ex iis nempe accedit ſangvinis putrefactio, ratione cujus præternaturalis calor pullulat.

Signa. *Signa* ſunt laſſitudo tenſiva, faciei rubor, tenſio & tumefactio venarum, temperamentum calidum & humidum, ætas juvenilis, vernum tempus, victus liberalis, calor magnus, vaporoſus, parum acris & moleſtus, pulſus vehemens ac magnus, celer ac frequens, inæqualior quàm in ſynocho non putridâ, ob putredinem, lotium craſſum, ſubrubrum; omnia ſunt graviora, utpote capitis dolor, inquietudo, vigiliæ, nauſea, inappetentia, ſitis &c. quàm in illa.

Indicationes. *Indicationes* quod attinet, ſangvis putridus evacuandus; qui eſt in viâ ad putredinem, corrigendus; calidus alterandus & refrigerandus; vires ſunt conſervandæ &c.

Prognoſticum. Sicuti præcedens febris tam periculoſa non eſt: ita hæc eſt multò periculoſior, ob vehementiora omnia, & majorem à ſtatu naturali receſſum. Synochus creſcens, ſeu epacmaſtica, minùs tuta eſt, quàm homotonos, quámque decreſcens, ſeu paracmaſtica. Terminatur ſeptimo, undecimo, aut decimo quarto die: ſi decimoquarto die, ſeptimo apparent ſigna concoctionis; lotium rubrum ſecurius eſt, quàm album: hoc enim mortem denuntiat: & tunc vita, quandiu fieri poteſt, prorogetur, & ſaltem εὐθανασία procuretur. Si facies tumida fit, longitudo morbi denunciatur. Jam indicationibus ſatisfaciendum.

Curatio: Venæſectio: &c. Ex *fonte Chirurgico* petenda eſt *Venæſectio*, & quidem copioſa ſimul, ſi vires ferant; partitis vicibus, ſi non patiantur. Hoc modo ſangvis eventilatur, & particulæ calidæ nimis agglomeratæ diſſipantur ab invicem, veluti cùm fœnum, exardeſcere aptum, ſi aperto aëri exponatur, ejus accenſio præcavetur: cucurbitulæ ſcarificatæ, hirudines, leves frictiones, & alia ſangvinem emendantia celebrari poſſunt. Ex fonte *Pharmaceutico Enemata* adhibeantur; ut: *Enema.*

℞. *Fol. lactuca,*
endiviæ,
malvæ,
atriplicis,
lupulorum,
cucumeris viridis incif. an: mj.
ſempervivi maj. num. ij.
ſem. lini ℥ß.
aniſi ʒij.
cumin. ʒj.
F. Decoctio, in quâ diſſolve
mellis roſat. colat. ℥iij.
ol. lilior. albor. ℥ß.
ſacchari Thomæ ʒvj.
M. F. Enema.

Si materia turgeat, etiam ab initio leniens exhiberi poterit ex *caſſia*, *tamarindis*: quin & idem fieri poteſt, ſi vitioſos excrementitióſque humores in prima regione eſſe animadvertamus; quod patet ex nauſeâ, oris amaritudine, ſiti, dolore ſtomachi, alvi fluxu, in quo exhiberi poterit ʒj. *rhabarb.* infuſi per noctem in *aquâ endiv.* vel *ſero lactis caprini*: juſcula alterantia & refrigerantia etiam exhiberi poterunt, facta ex *endiviâ*, *acetoſâ*, *portulacâ*, *ſcariolâ*, *ſem. 4. frigidis majoribus*, *minor.* in *ſero lactis*, cum quo ſemper *ſuccus endiviæ*, *pomorum redolentium*, vel *granatorum ſubacidorum* miſceri poteſt. *Lenientia.* *Alterantia.*

Diæta. *Diæta* erit refrigerans & tenuis, qualis eſt morborum acutorum: *Julapium* ſequens ex ſuccis erit gratiſſimum:

℞. Suc-

Julepi. ℞. *Succi pomor. redolent.* vel *granator. acid. per reſidentiā depurat.* ℥iiij.
limon. ℥iij.
aq. roſar. ℥ij.
ſacchari albiſſimi ℥iiij. M. F. Julepus:

Vel

℞. *Aqua lactuca,*
endivia,
acetoſa,
portulaca,
papaveris rhaados,
nymphaa,
roſar. ana ℥ij.
ſyr. violacei,
de nymphaâ
endiviâ, ana ℥j.
ſpirit. vitrioli q. ſ. ad gratam aciditat.

Decoct. M. F. Julapium: vel etiam in *Decoctis*:

℞. *Rad. ſcorzon.* ℥ß.
fol. endivia,
portulaca,
ſempervivi,
lactuca,
agrimon.
pimpinella,
hepatica,
capillorum Veneris, ana mj.

F. Decoctio in *ſero lactis,* ad ℔ij. ſub finem addendo
flor. roſar. ʒij.
borag. ʒj. In colat diſſolv.
ſyr. byzantini,
de ſucco citri,
oxyſacchari ſimplicis, ana ℥j.
ſpirit. vitrioli q. ſ. ad gratam acidit:

F. quatuor doſes matutinæ: poterit ſingulis doſibus addi *acidi tartari, fecula acetoſella,* ana gr. xv. Ex iiſdem decoctis *Juſcula* fieri poterunt, iiſque addi, quæ putredini reſiſtunt: uti eſt *magiſterium oculorum cancri, ſpecies de gemmis frigidis, corallia, perla, pulvis febrifugus Crollii, nitrum præparatum, myrrha, flor. ſulphuris, cornu cervi præparatum, raſura eboris*: unde tale concinnari poterit *Electuarium*: *Juſcula medicata.*

Electuarium. ℞. *Conſerv. cichor.*
acetoſella,
bugloſſa,
roſar. ana ℥j.
confect. alkermes ʒiß.
pulv. diamargarit. frigid.
raſura eboris,
corall. rub. præparati, ana ℈j.
pulv. ſantali citrini ℈ß.

Cum ſ. q. *ſyr. de ſucco citri* & *granat.* F. Mixtura, additâ ſ. q. *ſpiritûs vitrioli,* ad gratam aciditatem. *Epithemata* cordis regioni, & pulſibus applicari poterunt: *Epithemata.*

℞. *Aq. bugloſſa,*
roſar.
nymphaa,
acetoſa, ana ℥iij.
oxyrrhodini ℥j.
pulv. triaſantal.
pro epithem. cordis, ana ʒß.
croci, camphora, ana ℈ß.

M. F. Epithema; quod calidè ſæpius in die applicetur. Hepati quoque, & teſtibus, epithemata refrigerantia applicari poterunt: ut:

℞. *Aq. endivia,*
ſempervivi,
cichor.
roſar. ana ℥ij.
pulv. ſantali rubei ʒj.
camphora ℈j.
ſpodij ʒß.

M. F. Epithem. dictis locis applicandum. Hepar quoque hóc, vel ſimili *Unguento* poterit inungi: *Unguentum.*

℞. *Succi endivia,*
cichorei, ana ℥j.
cerat. ſantalin.
ung. roſac. albi,
refrigerantis Galeni, ana ℥j.

Coquantur ad ſuccorum conſumptionem; ſub finem addendo *aceti roſacei,* ad majorem penetrationem, parum. Apparentibus concoctionis ſignis, & materiâ jam concoctâ, ſi natura operetur per criſin, quieſcat Medicus, & tandem, aliquot poſt criſin diebus, ad medicamenta purgantia accedat, ut, quod reſiduum eſt, tollere poſſit, ad præcavendam recidivam: ſi autem natura nihi moliatur, medicamento peccanti humori accommodato blandè, & per vices, evacuandum eſt, ne per medicamentum vehementius novum empyrevma corpori inferatur: quin & humores jam præparati, & à maſsâ ſangvineâ ſecreti, benignioris cathartici ductum facilè ſequentur: ut:

℞. *Decoct. flor. & fructuum* q. ſ. In quo infunde per noctem *Laxativa: Potio.*
rhabarb. electi ʒiß.
fol. ſena ſine ſtipitibus ʒiiß.

mecho-

mechoacann. albiſſ. ʒj.
ſem. aniſi ʒj.
ſpica ℈ß.

Manè, factâ levi ebullit. in colat. disſolve

mannæ elect. ℥iß.
ſalis tart. cryſtalliſat. ℈j.

M. F Potio: detur in aurorâ: vel, loco hujus, poterit exhiberi *elect. de tamarindis* ℥iß. cum pauco *ſacchar*o: *caſſia* etiam nonnimis fortiter agit, exhiberique poteſt ad ℥ij. ſublatis tamen ejus flatulentiis, ℈ß. *pulv. macis*, vel *ſem. aniſi*: omnimodâ jam præſente *ἀπυρεξία*, non illicò ad craſſiorem diætam redeundum eſt, ſed paulatim, & nunquam ad ſatietatem, edendum eſt, ne plus ingeratur, quàm natura, vi morbi debilis, poſſit concoquere: unde ſæpius cachexia, cum tumore pedum & totius corporis accidit: carnium verò eſus tandiu inhibendus eſt, donec urina fuerit ſanorum ſimilis.

Quandiu à carnibus abſtinendum ſit.

Quæſtio. 1. Quæres 1. Quomodo aqua frigida febricitantibus ante concoctionem exhiberi poteſt: cùm exinde crudi reddantur humores, obturentur pori, debilitetur calor concoquens, intendantur obſtructiones; immò ait Hipp. *3. acutor.* frigida ſitim non placare, alvum non movere, urinam non ciere, facilè bileſcere, hypochondriis adverſari, lienem & jecur maximè lædere, ſupernatare &c? Reſp. Galenum, *9. meth. cap. 5.* conſulere, pro ſynocho curandâ, potum aquæ frigidæ ad ſatietatem · immò Avicennas, *fen. 1. d. 4. tractatu 2. cap. 7.* in his febribus potum aquæ frigidæ conſulit, usque dum Æger appareat viridis, permutetur color, & tremat; idem tenent Paulus, Aëtius, Averrhoës, *lib. 7. colliget 1.* quia, ſi ſemper eſſet exſpectanda concoctio, priùs Æger periret.: 2. id probat experientia: 3. aqua bileſcit, in parvâ quantitate exhibita; in magnâ verò non: incommoda quidem illa in curâ regulari ſemper debent præcaveri; non verò in curâ coactâ, ob ſummam neceſſitatem.

Objectio. 1. Objicies 1. Febris ſynocha dicta eſt, non habere exacerbationes; cùm tamen una dicta ſit creſcens, &, quod creſcit, videatur habere exacerbationes. Reſp. Synochus dicitur creſcens, non quòd ſemper creſcat, ſed quòd tempus incrementi habeat longius: alia verò tempora ſunt inconſpicua, ſeu inſenſibilia; quæ tamen reverà exiſtunt: nam quicquid ab aliquo gradu recedit, &, poſtquam intenditur, iterum redit ad illum, debet habere principium, in quo incipit intendi: augmentum, per quod aſcendit ad totam, quam acquiſivit, intenſionem, & declinationem, per quam iterum redit ad gradum, à quo incepit intendi.

Objic. 2. Sangvis non videtur poſſe ſub propriâ formâ putreſcere: ergo non dabitur ſynochus putrida à ſangvine, uti dictum eſt; quia in principio putredinis non poteſt dici ſangvis amittere ſuam formam; quia hoc non fit, niſi in termino putredinis: ſed tunc pars tenuis abit in bilem; craſſa in melancholiam: ergo à ſangvine non fiet febris ſynochus. 2. febres ex bile, pituitâ, & melancholiâ, non reducuntur ad aliud genus: ergo nec febris à ſanguine debet ad aliud genus reduci. 3. ſi ſangvis putreſceret, inde fieret pus, quod tamẽ eſſe non apparet. ℞. duplicem eſſe febrim ſynochum; putridam unam, quæ oritur ex ſangvine manente ſub propriâ formâ; & dicitur propriè ſynochus in viâ: alteram impropriè, quæ oritur à ſangvine in termino putredinis, dum abit in bilem, &c. nec poteſt ampliùs ad ſtatum naturalem reduci: hæc ſynochus, licet impropriè, dicitur, ut diſtingvatur ab alia febre bilioſa, quæ non provenit à corrupto ſangvine, ſed à ſincerâ bile. 2

Objici. 3. Tales febres poſſunt oriri ab aliis humoribus: ergo non tantùm à ſangvine: v. g. febris ardens eſt continens, &, teſte Hipp. *lib de morbis, textu 79.* nec noctu nec diu intermittit, ſed eundem ſemper tenorem ſervat: item febris, quæ fit ex ſalsâ pituitâ &c. Reſp. nullam febrim eundem tenorem ſervare, præter ſynochum: quia febris ex bile tertio quoque die habet exacerbationem; ex pituitâ ſingulis diebus; ex melancholiâ tertio quoque die: ſynochus verò ſola, teſte Galeno, eundem ſervat tenorem. 3.

Quær. 2. Cur ex ſangvine non poſſit oriri febris intermittens, æque ac ex bile, melancholiâ &c. quia ſangvis putreſcens poteſt irritare ad ſui expulſionem, & expulſus extra venam facere periodum? Reſp. ob familiaritatem 2

ſangvi-

ſangvinis cum naturâ eum non fieri objectum expultricis, etſi ſit in viâ ad corruptionem, quia adhuc ex parte eſt utilis: & ideo non fit objectum expultricis facultatis, quamdiu manet quaſi forma & complementum maſſæ ſangvineæ, quæ eſt neceſſaria pro nutritione.

CAPUT VIII.

De Febre Ardente, & Continua Tertiana.

Febris Ardens quid. FEbris ardens, ſeu cauſus, & ignis, teſte Hipp. à ſummo ardore & ſiti inextingvibili talis dicitur: nam duobus hiſce ſymptomatibus ſtipata ſemper eſt.

Differentia. Alia eſt *exquiſita*; quæ fit à ſincerâ bile, ſeu ichoribus, aut melancholiâ cum pituitâ mixtâ: iterum alia eſt, quæ fit bile putreſcente in majoribus venis, & cordi proximis; de quâ Gal. *2. de criſibus, cap. 6.* alia quæ fit ex ichoribus attractis à venis reſiccatis, tempore æſtivo acres & bilioſos humores ad ſe attrahentibus; teſte Hipp. *4. acutor. textu 1.* *Tertiana continua* fit à bile putreſcente in vaſis à corde remotis.

Cauſa. *Cauſa interna* ſunt ichores, ſeu bilis putreſcens in vaſis vel ipſius cordis, vel cordi proximis: ut ſunt vaſa pulmonis, ventriculi (& tum propriè eſt *λοιμώδης*) aut jecoris: *externa* ſunt cibus & potûs calidi & dulces, aër æſtivus, labor immodicus, vigiliæ ſuperfluæ, immoderatum exercitium, ira, & omnia, quæ bilem vel augere, vel accendere valent: ad quod non parum contribuunt hepatis calida diſpoſitio, meatûs cholidochi obſtructio, temperamentum totius bilioſum. Priùs dicta duo ſymptomata, ſitis inexplebilis, & ardor ingens, ſunt *Signa pathognomonica*; teſte Hippocrate, *4. acutor. Signa concomitantia* ſunt ſiccitas 1. dein nigrities lingvæ & aſperitas, oris amaritudo, ingens capitis dolor, & ventriculi à bile vellicatio & eroſio, vomitus bilioſus, vigiliæ, delirium, pulſus celerrimus & aliquo modo durus, mordax, lotium flavum, totius corporis immodica jactatio, temperamentum bilioſum, anni tempus, & victus, calida, exercitia talia præceſſerunt, &c. Tertiana continua in hoc à cauſonide, ſeu febre ardente differt, quòd illa habeat exacerbationes; hæc verò non: ſervat enim eundem ſemper tenorem, exceptis temporum mutationibus.

Signa.

Indicationes deſumuntur primò à viribus, quæ ſui conſervationem requirunt per ſimilia, ex parte diæteticâ deſumpta: 2. à causâ morbi, quæ ſui indicat ablationem: 3. à febre, quæ ſui indicat attemperationem per contraria: 4. à ſymptomatibus, ſi ſint urgentia, & induant rationem cauſæ; ſi levia ſint, ſublato morbo deſinent. Hiſce indicationibus difficile eſt ſatisfacere: nam *acutorum morborum incertæ ſunt prædictiones ſalutis & mortis*: & præcipuè ſi lingva ſit nigra, aſpera, Æger ſitiat, & ſitim non ſentiat, ſi febris incipiat cum rigore, claviculis ſuperveniat particularis ſudor, extrema algeant, acceſſiones magis veniant diebus paribus, pulſus ſit celerrimus, lotium maxime bilioſum, agitatio frequens, delirium, vigiliæ &c. ſpes in anguſto eſt. Si tamen appareant ſigna concoctionis in urinâ, ſi ſudor, aut hæmorrhagia, cum evphoriâ, ſeu tolerantia, ſi corpus non multum angatur, Æger facilè toleret morbum, reſpiratio ſit facilis, parum faſtidiat, ſomnus laborem non faciat, Æger ſeſe bene habeat ad ea quæ offeruntur, calor corpus æqualiter afficiat; bene ſperandum eſt. *Indicationes.*

Facto prognoſtico, *curatio* inchoanda eſt ab *Enemate* emolliente & refrigerante: ut: *Cura.*

℞. *Herbar. lactucæ,* *Clyſter.*
endiviæ,
malvæ,
atriplicis,
portulacæ, ana mj.
ſem. lini,
fœnigræci, ana ℥ß.
aniſi ʒj.
furfurum macror. mj.
F. Decoct. *in aquâ communi ad* ℔j.
In colat. diſſolv.
caſſiæ pro clyſterib.
ſacchari Thomæ, ana ℥j.
mellis mercurialis ℥iiß.
ſalis gemmæ ʒj.
M.F. Clyſter: ab ejus rejectione horâ unâ in-

Venæſectio, &c. unâ inſtituatur *venæſectio* ſat copioſa, ſi vires ferant, ex quacunque brachii venâ: ſi vires ſint debiliores, partitis vicibus celebretur: poſſunt etiam applicari cucurbitulæ ſcarif. hirudines retrò aures, præcipuè ubi capitis dolor urget. Si materia turgeat, etiam ab initio poteſt *Leniens catharticum* exhiberi, ex *mannâ*, *Lenitiva.* *caſſiâ*, *tamarindis*, &c. idem fieri poteſt, ſi magna ſit bilis abundantia in ſtomacho, inteſtinis, meſenterio, quæ malum ſeu febrim fovere poteſt; adeóque ab eâ, tanquam à causâ, deſumi poteſt purgandi indicatio: quod fieri tutius poteſt, abſentibus malignitatis ſignis, quę diaphoretica præ cęteris poſtulant. *Vomitoria.* Si bilis turgeat in ſtomacho, *Vomitoria* benigna exhiberi poterunt, ex decocto *ſem. atriplicis*, cum *oxymelite*, & *oleo com-* *Refrigerantia.* *muni. Refrigerantia* ſunt partim *interna*; partim *externa*. *Externa* ſunt aër, qui talis ſit vel naturâ, vel arte: inunctio jecoris & cordis ex *unguento roſaceo*, additis pulver. *diarrhod. Abbatis*, & aliqua *nitri* quantitate. *Interna* ſunt potus aquæ frigidæ, *Julapia* refrigerantia: ut;

Julapia. ℞. *Aq. portulacæ*,
cichor.
endiv.
ſcorzoneræ, ana ℥iij.
ſyr. de ſucco endiviæ,
acetoſæ,
limonum, ana ℥j.
ſpiritûs vitrioli q. ſ. ad gratam aciditat.
F. Julapium gratum, pro tribus doſibus:
Pulvis. cùm non exhiberi poterit,
℞. *Pulv. diamargar. frig.* ℈j.
flor. nitri,
feculæ acetoſell. ana ℈ß.

ad Linguæ fœdinem. Si (quod utplurimùm accidit) lingva plurimùm exſiccetur, *Gargariſmus* talis *Gargariſmus.* concinnari poterit:
℞. *Fol. plantag.*
acetoſæ,
endiviæ, ana m. j.
ſem. cydon. ℥ß.
Coque in ſ. q. *aq.* ad ℔j. In colaturâ diſſol.
nitri præpar. ʒij.
mellis roſat. colat. ℥iij. M. F. Gargariſm.
vel hac *Mucilag.* lingva ſæpius humectari poterit: *Mucilag.*
℞. *Mucilag. ſem. cydon. aq. roſar. extr.* ℥iij.
ſyr. violac. ℥j. *lap. prunell.* ʒij.
M. ad fictile: vel etiam lingua fricari poteſt frequenter *taleolâ lardi*, *pulv. nitri præp.* aſperſa. Clyſteres refrigerantes reiterari poterunt: item epithemata refrig. cordi, teſtibus, hepati &c. applicari tepidè, ex *aq. nymphææ*, *portulacæ*, *endiviæ*, *lactucæ*, *acetoſæ* &c. Si *vigiliæ* urgeant, manûs & pedes huic *Deco-* *Vigiliæ:* *cto* refrigeranti & attemperanti immergi poterunt:

Decoctum pro manib. & pedib. ℞. *Fol. portulacæ*,
violariæ,
ſempervivi,
lactucæ, ana m. iiij.
cap. papav. num. xx.
aceti albi ℥j.
aq. q. ſ. F. Decoct.

quo pedes & brachia bis in die foveri blandè poterunt. Continuentur interea julapia, vel, loco eorum, juſcula refrigerantia, cum pulv. cordialibus, etiam refrigerantibus. Balneum totius, cum Gal. *11. m. m. cap. 9.* præſcribere non auſim, ne putredo ob humiditatem augeatur, niſi febris diuturna evaderet, & hecticam minaretur. Toto morbi decurſu diſpiciat Medicus, quònam natura vergat, ut eam adjuvet: ſin criſis aliqua vel per hæmorrhagiam, vel per alvum, vel urinas, facta eſſet, tum ad præcavendâ recidivam purgatio inſtituenda, ut præcordia etiamnû ſordida, & alimenta corrumpentia, depurentur. Si continua ſit tertiana, tum febris tutiùs expugnatur pharmacis purgantibus: quæ tamen paroxyſmi tempori minimè ſunt accommodanda: reliqua cum ardente febre conveniunt.

Diæta. *Diæta* debet eſſe in omnibus refrigerans & humectans, ut & aër, cibus & potus; uti *antè* dictum eſt: vitanda eſt ira, & vehementes animi paſſiones, excreta promoveantur per clyſteres emollientes & refrigerantes.

Objectio 1. Objic. 1. cum Fernelio, *lib. 2. meth. cap. 8.* Non videtur poſſe febris bilioſa per narium hæmorrhagiam terminari: ergo falsò aſſertum eſt: prob. 1. nihil enim evacuatur de causâ morbificâ, quæ eſt bilis: nam evacuatur ſanguis optimus nutrimentalis: 2. Gal. *lib. de ſang. miſſione, cap. 14.* docet, ſanguinis miſſionem ex venis particularibus non conferre pro febrium humoralium curatione: ergo nec hæmorrhagia, nec menſtrua, ſupervenientia febribus, aut hæmorrhoides, ex methodo ordinariâ nos cogunt ad venæſectionem intermittendam: ergo ſignum eſt, particu-

lares has evacuationes non ſufficere. ℞. 1. etiam bilem per nariū hæmorrhagiam evacuari: 2. ad Galenum dico, ſanguinis miſſionem ex venis particularibus nō curare febres humorales, ſi exigua ſit, concedo; ſi copioſa, qualis eſt in criſi bonâ, nego: idem puta de fluxu menſtruo & hæmorrhoidali.

Quæſtio. Quæres: Utrum ova ſorbilia poſſint concedi in febribus continuis, cùm ſint morbi acuti, qui requirunt tenuem victum, qualem non præbent ova, utpote multi nutrimenti, & quæ facilè bileſcunt? ℞. ſumptâ indicatione à febri, ova recentia & tremula ſemper convenire, quia ſunt frigida & humida, aut ſaltem temperata, teſte Gal. *lib. de cibis boni & mali ſucci, cap. 2.* & *4.* Item indicatione deſumptâ à viribus, quia optimè & citiſſimè nutriunt: ſi verò indicationem deſumas à causâ morbi, non ſemper conveniunt hæc: nam ſæpius eſt plenitudo, quæ ova prohibet.

2. Obj. 2. Cauſus videtur etiam poſſe fieri à bile putreſcente in vaſis remotis: ergo in hoc non diſtinguitur à tertianâ continuâ: prob. ab eodem humore eadem ſpecie fit febris: ſed hîc idem eſt humor: ergo: ℞. Ab eodem humore eadem fit ſpecie febris: diſt. In rigore Phyſico concedo; in Medico nego; quia ob locum humoris locati variantur curationes.

3. Obj. 3. Sæpe reperiuntur febres, in quibus nulla fere adeſt ſitis: ergo falſum eſt, ſitim inextinguibilem, & calorem ingentem, eſſe ſignum pathognomonicum febris ardentis: eſt Hipp. *4. aph. 54.* ſi cauſo ſuperveniat tuſſis, ſitis obtunditur. ℞. Hippocratem intelligendum eſſe de febribus ardentibus ſpuriis, quæ ſalſam pituitam ſibi habent admixtam; & non de legitimis.

CAPUT IX.

De Tertiana Intermittente Exquiſita, & Notha.

Tertiana exquiſita: TErtiana exquiſita eſt febris, quæ alternis diebus ſuas habet exacerbationes; à bile ſincerâ, ſine alterius humoris commixtione, ſuam trahens originem.

Quotuplex. Alia eſt *ſimplex*, quæ tertio quoq; die redit; alia *duplex*, quæ ſingulis diebus, alia *triplex*: alia *quadruplex*, quæ ſæpius intra diem & noctem revertitur.

Cauſa proxima eſt pura bilis, uſtione aut putredine alterata: *remota* ſunt omnia, quæcunque poſſunt corpus noſtrum calefacere, &, mediante calore, bilem producere: ut ſunt temperamentum bilioſum, jecoris caliditas, tempus æſtivum, regio calida, cibi & potûs calidiores, labor, inedia, vigiliæ, cura, ira, natura ſqualida, fructûs dulces, item ambiens frigus, poros occludens, effluviumque bilioſum prohibens &c. *Cauſa.*

Signa ſunt, quòd gravi cum rigore apprehendat, quòd brevî ſubſequatur calor mordax & magnus; pulſus in initio parvus & debilis, in paroxyſmi deinde augmento fit frequens, celer & magnus, & aliquantulum inæqualis; urina in initio tincta igneo & flavo colore, ſed tenuis, abſque contento; vomitus etiam ſæpius in principio paroxyſmi, vel etiam bilioſa per alvum dejectio accidit; reſpiratio eſt magna & frequens, & difficilis, inquietudo & corporis jactatio, ſitis inextinguibilis, aſperitas lingvæ, & amaritudo, inappetentia, nox inſomnis, temporum pulſatio, & capitis ingens dolor; paroxyſmus durat plerunque 12 horis, deinde febris ad *ἀπυρεξίαν*, ſeu infebricitationem venit, ideóque intermittens à Galeno, *2. de diff. febrium c. 1.* dicitur, eò, quòd perveniat ad ſenſibilem infebricitationem: & Hipp. *4. aph. 63.* ait: *Quibus in febribus quotidie rigores repetunt, iis quotidie febres ſolvuntur.* Denique febris intermittens ex modo, quo pendet à causâ, non petit ut illa vel tota, vel continuò, ſed per partes, & intervalla, putrefiat: hinc non petit ad omnimodam infebricitationem pervenire. *Signa.*

Indicationes latè proſequitur Galen. *9. de arte curand. ad Glauc. lib. 2. c. 9.* & duplicē conſtituit: unam ab intemperie calidâ & ſiccâ, quæ refrigerantia petit & humectantia; alteram ab illius causâ, quæ ſui indicat ſublationem, ſeu evacuationem per vomitum, alvum, urinas &c. Nec unquam vitali indicationi ſatisfacere ſuperſedeat Medicus, præcipuè ſi, quod ſæpe evenit, teſte Hollerio, *lib. propriar. obſerv. 25.* pernicioſa evadat: de quâ doctiſſimè Sennertus, *Tract. de Febr.* *Indicationes.*

Prognoſis eſt, quòd tertiana exquiſita vacet periculo, & ſeptem paroxyſmis plerun-

plerunque terminetur; ſi præcipuè ætati, temperamento, & anni tempori (unde, tantum à ſtatu naturali receſſum eſſe, ſuſpicio non eſt) conveniat: ſi tamen hæc non concurranr, & graviora ſint in paroxyſmo ſymptomata, ſi ſit pernicioſa, cum pulſu intermittente, vel deniq; in ardentem ex diætæ errore tranſeat, unde delirium, pervigilium, lethargus &c. periculo non vacat, teſte Hipp. *7. epidem.* dicente: *febres intermittentes quandoq; malignæ fiunt, & ad acutos morbos perveniunt.* Deinde tertiana exquiſita, licet ratione paroxyſmi univerſalis non ſit acutà; eſt tamen ratione particularis acceſſionis: quo in ſenſu intelligendus eſt Galenus, *comment. in 3. aph. 6.* & Hipp. *3. prognoſt. 32.* Quin & *febris, quocunq; modo intermiſerit*, periculum abeſſe ſignificat: ex Hipp. *4. aph. 43.*

Curatio. Indicationibus ſatisfaciemus ex triplici fonte: nimirum Chirurgico, Pharmaceutico, & Diætetico. Ex Chirurgia, præmiſſo enemate, quale *in capite præcedenti* ordinatum eſt, inſtituatur *venaſectio* ex brachii dextri medianâ, tantúmq; detrahatur ſangvinis, quantum vires ferunt, & morbus requirit: ſangvinis miſſio enim totum corpus refrigerat, & cauſæ morbificæ, utpote bilis, partem demit, immo naturam levat ab onere, ita, ut faciliùs reliquam partem ſubigere & domare poſſit: nec ſemel celebrata ſufficit, ſed iteratis etiam vicibus prodeſt, ad majorem ſangvineæ maſſæ contemperationem. Deinde, ſi materia bilioſa in ventriculo turgeat, leve aliquod, *cap. præcedenti* traditum *Vomitorium* exhiberi poterit: vel

Venaſectio.

Vomitoriâ.

℞. *Gillæ Theophraſti*, ſeu *vitrioli albi vomit.* gr. xxiiij. Dentur cum juſculo: vel, ſi vires patiuntur,

℞. *Syr. emetic. Angeli Sala* ʒvj.
aq. nucum,
raphani, ana ℥ß.
M. pro Vomitivo. Vel

℞. *Fol. aſari virid. pariter contuſor.* n. vij. Infunde in *aq. endiv.* vel *raphani* ℥iiij. per noctem. Expreſſio manè exhibeatur. Et, ſi appareant in urinâ ſigna concoctionis, ſit nempe ſedimentum æquale, morbi cauſam referens; tale cholidochum, ſeu bilem educens pharmacum exhiberi poterit:

Purgatio: ℞. *Tamarind.* ℥j.
flor. borrag.
violar. ana p. j.
fol. ſenæ ſ. ſt. ʒiij.
rhabarb. elect. ʒij.
ſantali rubei ʒj. Infunde per noctem in ſ. q. *aq. endiviæ*, vel *ſeri lactis*. Manè, factâ levi ebullit. in colat. diſſolv.
mannæ elect. ℥iß.
ſyr. de cichor. cum rhabarb. ʒiij.
acidi tartari ℈j. M. F. Potio.

Toto morbi decurſu continuari poterunt Juſcula refrigerantia ex *acetoſâ*, *endiviâ*, *ſcariolâ*, *portulacâ*, *ſcorzonerâ*, *cichoreo pratenſi*, *lactucâ*. *ſem. frigidis majoribus*. Ex horum aquis deſtillatis item parari poterunt *Julapia* refrig. cum *ſyr. de aciditate citri*, *de endiviâ*, *de granatis*, *agreſtâ*, *acetoſellâ*, *portulacâ*, admixtis *pulv. ſpecier. de gemmis frig. feculâ acetoſella* &c. vel, horum loco, propinari poterit *Aqua ex nitro deſtillata*, ſeu *Regis Ferdinandi*, quæ potenter temperat bilem, & totum corpus refrigerat, eſtque ſaporis pergrati: item *Emulſiones*: ut:

Refrigerantia.

Julapia.

Aq. ex Nitro:

Emulſiones:

℞. *Sem. quatuor frig. maj.*
min. ana ʒiij.
papav. albi ʒj.
amygd. dulc. excort. & in aquâ frigidâ infuſar. ℥j.

Contunde in mortario, ſenſim affundendo *decocti CC.* in *aquâ communi*, vel *hordei facti* ℔j. F. l. a. Emulſio: cui addi poterit *manûs Chriſti perlata* ℥j. *oculor. cancr. præp. CC. uſti præp.* ana ʒj. vel, ſi plus refrigerare intendatur, F. cum *aq. nitri antè* dictâ, vel addatur ʒj. *flor. nitr.* *Digeſtivum* antifebrile tale in uſu eſſe poterit:

Pulvis digeſtiv. ℞. *Salis centaurii min.*
cardui benedict.
cichor. ana ℈j.
flor. nitri,
ſalis ammon. an. ℈ß. F. omniũ Pulvis.

Dividatur in 4. partes, quarum unaquæque ſumi debet mediâ horâ ante paroxyſmum, cum *aq. centauri min.* ℥j.

Diæta. *Diæta* in omnibus ſit refrigerans & humectans: ut *ptiſana*, ſeu *cremor hordei*, *lactuca cocta*, *atriplex*, *blitum*, *jura ex carnibus vitulinis*, *gallinæ*; quibus ſemper incoqui poterunt herbæ refrigerantes præſcriptæ: aër itẽ ſit refrigerans; vinũ omnino vitandum eſt: reliqua ad diætam ex rebus ſex non-naturalibus accommodari debent.

Nota. Tertiana *notha*, ſeu illegitima, dicitur eò, quòd à bile cum alterius humo-

ris commixtione fiat. Bilis eſt vitellina, cui ſi pituita commiſceatur, majoris; ſi melancholia, minoris famæ dicitur. Duas obtinet tertiana notha præcipuè ***Differentia.*** *Differentias*. Si enim tertio quovis die redeat, eſt *ſimplex:* ſi ſingulis diebus, eſt *duplex:* ***Signa.*** ordinem non ſervat: rigor non eſt tantus, quantus in tertianâ exquiſitâ; ſed diutius durat; calor minùs acris & minùs vehemens; pulſus tardior & inæqualior; lotium craſſius, citrinum; paroxyſmus pauco ſudore ſolvitur, & diutius durat, quàm 24. horis: diuturna eſt; ſiquidem ad aliquot menſes ſeſe nonnunquam extendit: accedit ſæpe gravitas corporis, crurum tumor, ventriculi inflatio, hypochondriorum diſtenſio, faciei pallidus tumor, & quaſi totius cachexia.

Indicationes. *Indicationes*, uti in tertianâ exquiſitâ, deſumendæ ſunt ab ipſo febris calore, & à cauſâ ejus: calor per refrigerantia attemperandus eſt; cauſa, utpote rebellior bilis, aliis commixta humoribus, præparanda, & tandem evacuantibus tollenda. ***Prognoſtica.*** Tertianam notham longiſſimam eſſe, teſtatur Schenckius, *lib. 5.* ubi ait: matronam in aula Brunovicenſi 30 annis tertianâ nothâ laboraſſe; periculum tamen non minatur, niſi (quod facilè accidit) cum aliis complicetur; unde redditur lethalis: nam ſuperadditis crudis humoribus vires opprimuntur, fit ſebris continua; & tabes, vel cachexia, & mors ſubſequuntur: ſi tamen ætas ſit juvenilis, nulli committantur errores, & debita adhibeantur remedia, bene ſperandum eſt.

Curatio. *Cura* inchoanda eſt à primæ regionis ***Evacuatio.*** *evacuatione;* quod fieri poterit leni aliquo pharmaco: ut:

℞. *Aq. laxat. recſ. præpar. & filtrat.* ℥iiij.
ſyr. de cichor. cum rhabarb. ℥ß.
diaſereos ʒvj.
magiſt. tartar. laxat. ℈j.

M. F. Potio: vel, loco ejus, ſubrogari poterit clyſter. Deinde ***Sanguinis miſſio.*** *ſanguinis miſſio* ex medianâ brachii dextri, ſi in Vere; ſiniſtri, ſi in Autumno ſit, in ea quantitate, quam morbus requirit, & vires ferunt, celebranda eſt. Tertiò humor diſponendus eſt & præparandus ſyrupis attemperantibus, pro bile; ſcindentibus, pro commixtis craſſis humoribꝰ.

Purgantia. ℞. *Syr. de byzantiis,*
de quinq. radicib.
oxyſacchari ſimplicis, ana ℥j.
aq. cichor.
fumar. ana ℔ß.
M. pro iiij. doſibus matutinis.

Quòd ſi dein ſigna concoctionis appareant, pharmacum *electivum* propinandum eſt:

Purgantia. ℞. *Fol. ſenæ ſ. ſ.* ʒiij.
agar. recent. trochiſcati,
rhabarb. elect. ana ʒij.
ſpicæ ℈j. M.

F. Infuſio in ſ. q. *aq. cichor.* per noctem. Manè, factâ leni ebullitione, in colaturâ diſſolve

mannæ elect. depurat. ℥j.
electuar. diacatholici ʒij.
acidi tartari ℈j. M. F. Potio.

Quod ſi, factâ hac evacuatione, febris nondum ceſſet, redeundum ad præparantia: deinde iterum electione purgãdum; quod etiam fieri poterit per *Pilulas*, obeſis potiùs, quàm macilentis convenientes:

Pilulæ. ℞. *Maſſæ pilular. tartarear. Schröderi* ℈ij.
extr. cent. min.
gentianæ, ana ℈j.
pulv. Syrii gr. xxiv.
reſinæ Guajaci gr. xij.

Malaxa cum ſ. q. *ſyr. aperit. Mindereri:* F. Pil. num. xxviij. inaurentur: de quibus ſeptem omni manè ſumi poterunt: ſunt potentes ad obſtructiones reſerandas: nos ſolo harum pilular. uſu innumeros à febre tertiana, immo & quartana feliciter liberavimus. Veſperi, ad corroboratioñe viſcerum, quæ plerunque in hiſce febribus ſunt valdè debilia, exhiberi poterit ʒß. ***Confortantia.*** *tabell. diarrhod. Abbatis*, vel *aromat. roſat.* vel *diatrion ſantal.* cum *aquâ abſynth.* vel *decocto abſynt.* & *camomill.* non negligendo ventriculi & hypochondriorum inunctiones, emplaſtra, fotûs; ſi præcipuè aliqua appareat durities aut renitentia. ***Specifica.*** Empirici ad hujus febris curationem multa jactant *Specifica*: uti eſt *pulv. antifebrilis Crollii* ʒj. inſtante paroxyſmo, cum *ſpir. card. bened.* exhibita: item Bovius prima die exhibet ʒj. *pulv. granatiolæ*, cum *ſaccharo* & *cinamomo*, in jure pulli, continuando id quotidie, usque ad quartum diem: Hadrianus à Minſicht ſequens medicamẽtum, duobus linteolis comprehenſum, pulſibus utriusque manûs, duabus horis ante paroxyſmum imponit;

℞. *Pul-*

Cataplaſmata. ℞. *Pulv. pyrii,*
ſalis communis fuſi, ana ℥j.
tela aranearum,
nucis moſchata,
olibani elect. ana ʒij.
herb. abſynth.
burſa paſtoris,
urtica min.
ruta, ana m.j.
tereb. alba q. ſ. M. F. Cataplaſma: quod relinqui poterit aliquandiu, priusquàm deponatur. Alii *auriculam muris, contuſam* cum *ſale & aceto*; alii *ſempervivum minimum*, vel *burſam paſtoris*, carpis ante paroxyſmum applicant: ego magis probatum ſequens habui:

℞. *Ungulas allii* num. iij. Contunde piſtillo, deinde adde
ſalis communis ʒß.
croci pulverſat. ℈j.
aceti parum. M.

F. Cataplaſma, alligetur parvo digito ſiniſtræ manûs, & relinquatur novem diebus, eademque horâ, quâ poſuiſti, depone: vel

℞. *Pulv. cort. med. arbor. nuc. rec.* ʒj. vel ʒij. pro viribus Ægroti, & macerentur per noctem in ℥iij. *vini albi oligophori*: ſumatur unâ horâ ante acceſſionem, vel etiam in ipsâ acceſſione, & bis repetatur. Ruſticis exhiberi poteſt:

Pulvis. ℞. *Aluminis crudi,*
nucis moſchat. ana ʒß. M.

F. Pulvis ſubtiliſſimus, detur horâ unâ ante paroxyſmum, cum aquâ coctâ, Patienti: idque remedium ter repeti poterit. Quòd ſi hæc non juvent, repeti poterunt catapotia purgantia, & alternis diebus attemperantia & præparantia continuari, donec omnino remittat febris: vel, his non juvantibus, corpore optimè præparato & expurgato, detur ʒj. *pulv. cort. China China*; quo feliciter perſæpe, bis vel ter exhibendo, uſi ſumus; quicquid dicat Schiffletius Bruxellenſis, in *ſuo, contra medicamentum hoc, libello*. In tertianâ Nothâ

Diæta. *Diæta* ſit modicè refrigerans & humectans; cui aliquod attenuans, gratiâ pituitæ, admiſceri poterit: hinc vinum aſſuetis non totaliter denegatur: ſed tamen modicè omnino ſumendum eſt, idque longè à paroxyſmo.

Quæſtio. 1. Quær. 1. Utrùm tertiana exquiſita ſit morbus acutus? Hoc enim videtur ſenſiſſe Galenus, *3. aph. 6.* ubi tertianam ponit inter morbos acutos: & Hippocr. *2. aph. 23.* ait, morbum acutum judicari quatuordecim diebus; quod idem tertianæ legitimæ contingit, cum eâdem ſymptomatum vehementia, ut ſunt cardialgia, anxietudo, delirium, vomitus &c. Reſp. ſtrictè loquendo tertianam exquiſitam non eſſe morbum acutum: quia hic, ex Galeno, *1. de diebus decretoriis*, debet eſſe periculoſus; tertiana autem exquiſita non eſt periculoſa, ſiquidem intermittens: febris enim, quocunque modo intermiſerit, periculo vacat, ex Hipp. *4. aph. 43.* Unde vocatur tertiana exquiſita morbus acutus ratione terminationis; non ratione conſtitutionis propriæ, ſi non maligna aut pernitioſa evadat.

Objectio. 1. Objic. 1. Vitellina bilis, ſeu majoris famæ, non videtur poſſe fieri ex bile & pituitâ; quia intenſior eſt flavedo in bile vitellinâ, quàm quæ poteſt reſultare ex commixtione bilis cum pituitâ, quæ aquea & alba eſt. Reſp. Licet bilis vitellina non ſit tam flava, ut aſſimiletur vitello ovi antiqui; aſſimilatur tamen vitello ovi recentis, utpote magis albi. Quin & hoc prob. ex Hippoc. *7. epidem. con. 6. in hiſtor. filii Zidis*, cui excrementum prodiit ſubtilioſum, viſcoſum, &, veluti ex ovo conquaſſato, ſubpallidum.

Objic. 2. Neque poteſt fieri tertiana notha ex bile, cum melancholia permixtâ: quia bilis trahitur ad veſicam felleam; melancholia ad lienem: ergo non poſſunt commiſceri. Deinde putredo melancholiæ, utpote tardior, non videtur poſſe coincidere cum putredine bilis. Tertiò tertiana notha habet longiſſimam acceſſionem; quod fit ob pituitæ lentorem: ergo ſi melancholiæ eſſet commixtio, id fieri non poſſet. ℞. humorem bilioſum & melancholicum ſæpius intra venas reperiri, deficiente receptaculorum attractione, vel etiam propter obſtructionem: hinc facilis eſt utriusque commixtio. 2. ℞. melancholiam, bili unitam, ejus forum, id eſt acceſſiones, non minùs, quàm pituitam, ſequî. Ad 3. dico, acceſſionem fieri proportionatam utriq; humori mixto, nempe & pituitæ & melancholiæ. 2.

Quær. 2. Quomodo differt tertianâ notha duplex ab hemitræo? ℞. In hemi-

II. mitritæo bilis & pituita ſunt ſangvini commixta, & hunc conſtituunt : in tertiana notha autem ſunt inter ſe mixta bilis & pituita, unámque quaſi naturam acquiſiverunt, ita tamen, ut pituita à bile ſuperetur : hinc ejus naturam, & tertio quoque die motionem, tanquam debilior, ſequitur ; tamen ſine corruptione formarum. Nam in principio tertianæ nothæ, vomitu accedente, videre eſt bilem & pituitam : quod non eſſet, ſi perfecta mixtio facta fuiſſet.

3. Objic. 3. In tertianâ nothâ videtur craſſior diæta concedi, quàm in tertianâ exquiſitâ : cùm tamen in illâ plus ſit ſanguinis, & plures redundent cruditates, quæ cibationem prohibent. Reſp. cum Galeno, *1. epidem. ſect. 3.* & *1. aph. comm. 7.* ubi victûs formam docet eſſe præſcribendam penes ordinem ad ſtatum : ſed ſtatus tertianæ nothæ longior eſt, quàm exquiſitæ : ergo etiam victus debet eſſe craſſior.

CAPUT X.
De Febre Quotidiana.

Quotidiana. ETſi *Quotidiana* febris tam rara ſit, ut multi, ſe eam vidiſſe, omninò negent ; poſſibilem tamen eſſe, teſtantur Galen. *1. ad Glauc.* Avicennas, & reliqui Dogmatici. Deinde prob. quia pituita eſt humor aptus putreſieri, utpote mixtum ; cujus paſſio eſt putredo : ergo aptus eſt generare febrim. Quòd autem putreſieri poſſit, probatum eſt in *præcedenti capite.* Febris

Quid. itaq; *Quotidiana*, amphemerina dicta, eſt, quæ redit quotidie, à putreſcente pituita dulci : quæ, ſi in tantâ copiâ putreſcat, ut continuum generet calorem, eſt continua : ſi minùs, intermittens : ſi ſola pituita putreſcat, dicitur Exquiſita : ſi mixta cum aliis humoribus, Notha nuncupatur.

Cauſa. *Cauſæ* ſunt intemperies frigida & humida corporis, ingluvies puerorum, & cruditates helluonû, ſenum debilis calor, vita otioſa, tempus hyemale, alimẽta frigida & humida, ſomnus longus, & pomeridianus, natatio in frigidâ, longa navigatio : verbo : omnia quæ pituitam in corpore poſſunt cumulare.

Signa diagnoſtica. *Signa diagnoſtica* ſunt, calor febrilis, humiditati conjunctus & inæqualis, lotium aqueum, album, tenue & crudum in principio ; morbo autẽ procedente fit craſſum, turbidum, & tandem rubrum : pulſus fit parvus, rarus, corporis moles plerunq; eſt ampla, mollis & obeſa, color albus, ſubpallidus, ſenſus hebetes, ſomnus profundus, inſomnia aquarum ; deinde noctu utplurimùm affligit hæc febris, exiguus eſt rigor, ſeu horror, quem excipit calor inæqualis, cum frigore per vices, paroxyſmus ſeſe utplurimùm ad 12. 18. & 24. horas extendit, tardè tamen remittit : nam hæc febris eſt ſimilis igni in viridibus lignis accenſo, qui tardè accẽditur, multumq; fumi relinquit. Si febris eſt à pituitâ ſalsâ, ſiticuloſi ſunt Ægri : ſi ab acidâ, famelici : à dulci, ſomnolenti : ab inſipidâ inappetentes fiunt ; ſicut etiam, quæ ab acidâ aut vitreâ pituitâ, cum rigore invadunt.

Indicationes, uti in tertianâ nothâ, deſumuntur ab ipsâ febre, quæ refrigerantia ; & à cauſa ipſius, quæ evacuantia requirit, vitali indicatione nequaquam intermiſsâ : cùmq; ſtomachus præcipuè patiatur, requiruntur ſtomachica. *Indicationes.*

Prognoſtica. Febris hæc longiſſima eſſe ſolet ; imò ſæpius ſeſe ad 40 dies extendit ; imò diutiùs durat ex naturâ intermiſſionis, periculo vacat, niſi in cachexiam, hydropem, lethargum, & alios affectûs deſinat : diuturnior ſemper eſt, quò pauciora concoctionis ſigna apparent, & pauciores per ſudores, urinas, aut alvû, natura molitur evacuationes. Diurnâ itẽ nocturna perículoſior eſt ; teſte Hipp. *3. epidem. ſect. 5.* ratio eſt, quia nox ſuperveniens ſuo frigore difficilem facit ſolutionem ; unde vapores putridi intus manent, ob pororum denſitatem exire prohibiti ; unde paroxyſmus eſt longior ; cibatio deniq; ad noctem, contra naturæ conſuetudinem, differri opus habet.

Curatio. Indicationes nõ *curat* Paracelſus, ſed utitur tantùm ſuo *Febrifugo*, & ſal, ſulphur, & Mercuriũ, è ſtomacho præcipuè per vomitũ expellit. Helmontius ait, hanc febrem, ſicut & reliquas, conſiſtere in Archei depravatione, &, ſolo febrifugo curari poſſe, mordicus defendit. Nos, cum Dogmaticis, ut in tertianâ nothâ, præparantia humores, & obſtructiones reſerantia atq; evacuantia proponimus. Itaq; præmiſsâ leni evacuatione, ſi corpus eſt plethoricum, ſanguinem, in parva tamen quantitate, mittimus ; idq; ſi pitui-

pituita ſit cum ſanguine commixta: & cùm plerunq; pituita in ventriculo ſtagnet, ex ſæpius propoſitis *Vomitivis* unũ præſcribendum eſſe, non inficiamur: Apparentibus tandem ſignis concoctionis, tale *Cholagogum* imperamus:

Potio cholagoga. ℞. *Agar. rec. trochiſcat.*
myrob. chebular. ana ʒij.
fol. ſenæ ſ. ſt. ʒiiß.
turbith. elect. ʒiß.
ligni ebeni,
rad. Chinæ,
cinnamomi, ana ʒß.

Infunde per noctem in ſ. q. *aquæ*: manè, factâ levi ebullit. in colat. diſſolv.

elect. de pſyllio,
ſucco roſar. ana ℥iß.
tartari vitriolat. ℈j.
ſpiritûs macis ℈ß.

M. F. Potio brevis; quæ ſumatur in aurorâ: poſtridie ſtomachus *corroboretur* ſequenti *Julapio*:

Confortantia ventriculum: Julepus. ℞. *Flor. camomill.* piij.
comar. abſynth Pontici pij.

Coque in *aquæ fontis* ℔iiß. ad mediæ partis conſumptionem: in colat. diſſol. *ſacchari albiſſimi* ℥iiij. Clarific. & aromatizetur pauco *cinamomo*. De hoc decocto ſumi poterunt omni manè ℥iiij. vel v.

Externa: Sacculi. *Extrinſecè* applicari poterit *Sacculus* ex *abſynth. & menthâ*: vel etiam ſequenti *Linimento* inungi poterit;

Linimentum. ℞. *Ol. abſynth. maſtiches, ſpicæ*, ana ℥ß.
nuciſtæ ʒij.
ungvent. ſtomachici ℥iß.
balſami de Peru ʒj.

M. F. Linimentum: &, ſi febris ſeſe extendat ad quadrageſimum diem, corpuſque ſit cachecticum & valde pituitoſum, cum Zacuto, *3. Praxis admirabilis, obſerv. 3.* ſequens *Decoctum* propinandum eſſe exiſtimamus:

Decoctum Zacuti. ℞. *Rad. Chinæ,*
ſmilacis aſperæ,
ebeni, ana ℥iiij.

Infunde in *aquæ communis* ℔ij. Stent per 24 horas, vaſe benè clauſo: dein bulliant ad 3. partis conſumptionem: colatura *ſacchari albi* ſ. q. edulcorari poterit, & propinari, jejuno ſtomacho, menſura ℥vj. Uno horæ quadrante pòſt corpus probè tegatur, & ſudor aliquis exſpectetur: hoc enim remedio, omnes intentiones habente, mucoſa pituita attenuabitur, & per poros & urinas evacuabitur, & ſtomachi in hac febre ſemper debiles vires reſtaurabuntur, flatûs diſcutientur, obſtructiones aperientur, & viſcera roborabuntur. Quòd ſi calor timeatur, decocti hujus vires refringi poterunt herbis & radicibus aliquomodo refrigerantibus.

Diæta reſpondebit tertianæ nothæ; ſed paulò magis incidens erit & attenuans. *Diæta.*

Quæſtiones I. Quæres 1. Utrum latica febris ſit quotidiana? Reſp. cum Avicennâ, *fen. 1. doctrinâ 4. tract. 2. cap. 46.* ubi proponit ſigna phlegmaticæ febris continuæ, ſeu, ut ait; laticæ: ergo non eſt intermittens quotidiana.

II. Quær. 2. Quænam ſit rigoris cauſa in febribus? Reſp. rigorem fieri efficienter à loco-motiva facultate ſenſitivi gradûs, & fieri quidem intenſiorem à craſſiori, quàm à tenui materiâ: eſt Avicennæ, *fen. 1. doct. 4. tract. 2. cap. 6. 5.* &, de cauſis vehementis rigoris, eſt vehementia virtutis expulſivæ: &, præter illud, quantò eſt cauſa rigoris viſcoſior, tantò rigor eſt vehementior; quia agens denſius vehementiùs agit etiam cum remiſſiore qualitate, quàm tenuius cum intenſiore: ut patet in ſpiritu vini, & ferro.

Objectio, I. Objicies 1. Quò materia eſt tenuior & calidior, eò magis irritat, & velociùs movetur per partes ſentientes; ſed concuſſio membrorum eſt major, quò magis natura irritatur: ergo. Reſp. Licet ſit remiſſior irritatio à craſſiore humore; quia tamen gravat & impedit motum, cognoſcitiva facultas diſcernit neceſſitatem majoris conatûs ad ejus expulſionem, ideóque majori inſurgit conatu; ſicut magis conatur grave onus à ſe propellere, quam leve.

III. Quær. 3. Quænam ſit cauſa circuitûs, ſeu paroxyſmi febrium? Reſp. Ex triplici causâ, mandante nimirum parte, recipiente, & peccante humore: pars mandans mittit, dum robuſta eſt, & ab humoribus irritatur: pars recipiens, quia debilis eſt, recipit humorem peccantem: humor irritat, quia quantitate aut qualitate moleſtus eſt, & transmiſſus in partem debilem, à quâ rejici non poteſt, paroxyſmi cauſa evadit. Hinc vanum putamus Paracelſi deliramentum, qui in microcoſmo paroxyſmum ab incenſione *ſulphuris & nitri* excitari, adeoque in pa-

roxyſmi initio tremorem terræ motum eſſe aſſerit; quam flatuum cauſam multoties adſtruximus. Helmontius, rei conſpicatus difficultatem, eam pede tacito ferme præterit; pauca tamen obtrudit, dein ſolvenda: probatur concluſio, ſeu reſponſio, quia ſimiles cauſæ ſimiles valent acceſſiones facere: ſed quoties altera ejuſdem humoris pars ſimilis acquirit irritantes qualitates, remanent eædem cauſæ ad efficiendum novum paroxyſmum, ſimilem ei, qui ceſſit; pars ſcilicet robuſta mandans, & pars debilis recipiens: ergo ab iis proveniet acceſſionis ſimilis reditus.

2. Objic. 2. Argenterius ait: robur virtutis eſt ſecundum naturam; ergo non poteſt poni inter cauſas acceſſionis. Reſp. Licet facultas naturaliter agat reſpectu partis, in quâ ſubjectatur, à quâ humorem peccantem expellit: poteſt tamen eundem humorem in aliam partem pellere, in quâ humor præternaturalem producat effectum: ſiſtit enim naturalitas actiones in termino primario, & ab hoc ſpecificatur, non ab iis, quæ ſequuntur; uti patet in locomotivâ facultate, lapidem projiciente.

3. Objic. 3. Debet fieri acceſſio ab iis, à quibus fiunt tumores: ſed hi etiam fiunt à flatibus, qui non ſunt ab adductis cauſis: ergo. Reſp. etiam flatûs referri ad eaſdem cauſas.

4. Objic. 4. Epilepſia periodica, & colicus dolor, repetunt ſine motione humoris de parte in partem; quia fit per congeſtionem paulatinam: ergo non ſtat doctrina. Reſp. Si humores aggregentur paulatinâ congeſtione, febres fiunt erraticæ: deinde non opus eſt, ut omnes tres cauſæ concurrant ad generandum eiusmodi affectum: ſufficit enim una, id eſt, ſtimulatio humoris per congeſtionem aggregati. Idem intelligendum eſt de febre à parte inflammatâ ortâ.

5. Objic. 5. Si putrefiat bilis in venis pro efficiendo circuitu; ergo etiam ſanguis putreſcet: nec eſt ratio, cur in dies non fiat circuitus. Reſp. Nego: quia poteſt eſſe, ut in ſolâ bile ſit putredinis diſpoſitio; non verò in ſanguine, nec in partibus.

6. Objic. 6. .. bilis, à quâ oritur febris circuitus, etiam eſt in venis; ergo continuò efficiet continuam febrim; quia etiam ad majora vaſa deferetur: item totam maſſam ſangvineam coinquinabit propter circulationem. Reſpond. etſi bilis ſit in majoribus vaſis, non tamen ideò continuam febrim efficiet, præcipuè ſi non continuò, ſed tantùm interpolatè putreſcat. 2. Non eſt opus, ut humoris peccantis fiat circulatio, quæ eſt quidam motus trahentis naturæ ſuum ſimile propter potiri: humor autem bilioſus putridus eſt potiùs objectum expultricis, quàm attractricis.

Quær. 4. Unde proveniat determinata circuituum in febribus repetitio? 11. Reſp. determinatam periodorum in febribus recurſum fieri à naturali vi expultrice, irritatâ à putredinali humorum qualitate & quantitate, periodicè ſuperveniente illis ratione mixtionis uniuscujusque propriæ: probatur: effectûs determinato tempore provenientes petunt aliquid, quod in illo tempore determinet cauſam efficientem ad operandum: ſed cauſa movens humores periodicè in determinato tempore operatur: ergo debet habere per quod determinetur: ſed id, per quod determinatur, debet habere ſe ex parte objecti tanquam quid ſuperveniens in illo, eo tempore, quo movet illud: ergo ſuperveniens putredinalis qualitas, quæ irritat, eſt cauſa ex parte objecti, periodicè determinans motionem: ergo nec Lunæ humiditati, cum Aſtrologis; nec occultis qualitatibus, & aſtrorum viribus, attribuenda eſt periodicatio: eſt Galeni, *2. de diff. febrium*, patetque ex eo, quòd menſtruæ purgationes ſingulis menſibus fœminis abſque occultis proprietatibus accidunt; quia non tantùm ſangvinea, ſed etiam bilioſa, melancholica, ſanioſa, & pituitoſa evacuantur: ſed tum effunduntur, quando natura incipit graviori multitudine urgere; quinet in bina alvi dejectione diurnâ recurrendum foret ad occultas proprietates, & non ad onus moleſtum.

Dices 1. Unde ergo illa perpetuitas ordinis & conſtantia? Reſp. à levi quovis exceſſu etiam paroxyſmum antepo- *Inſtantia.* 1. nere duodecim horarum ſpatio; adeóq; non

non eſſe perpetuitatem, ſed ſecundum quantitatem & qualitaté, non ſecundú proprietatem; quæ ſemper eodem modo ſeſe habet: adde: neceſſarium foret, ut tot eſſent humores, quot febres: ſunt autem quintanæ, ſextanæ, & nonanæ: ergo etiam tot eſſent humores ſuis proprietatibus celebres.

2. Dices 2. Avicennas ait: quintanas, ſextanas &c. fieri à quantitate & qualitate minori humoris melancholici: ergo idem fieri poterit in aliis: ſi minus pituitæ congregatur, ex eâ non fiet quotidiana, ſed tertiana vel quartana: item ex bile in minori copiâ fiet quartana. Reſp. diſparem eſſe rationem: nam ſi tam parum pituitæ ſit, facilè in ſangvinem aut bilem mutabitur, vel etiam diſcutietur à membris calidis; bilis ſi diutius hæreat, mutabitur in atram bilem & melancholiam: hæc verò non poteſt in bilem vel pituitam mutari, ob nimiam aſymboliſationem.

5. Quær. 5. Cum Valleſio: nunquid, ut poteſt febris ultra conſvetum terminum, propter humoris paucitatem, prorogari; ita propter redundantiam poſſit antevertere? Reſp. Negativè: quia non tantùm quantitas, ſed etiam qualitas, ſeu acrimonia, requiritur: hæc autem fit per moram, quâ permanet in membro aliquo.

3. Dices 3. Ergo non dabitur quartana triplex; tertiana duplex &c. Reſp. negando hoc illatum: in hiſce enim non antevertit febris, ſed ſæpius accedit: materia enim in pluribus locis putreſcit; non in uno: quod ad anteverſionem non requiritur.

CAPUT. XI.

De Febre Quartana.

Quartana: Quemadmodum ex bile Tertiana; ex pituitâ Quotidiana: ita ex melancholiâ *Quartana* oritur: quam methodici ſub morbis in adſtrictione: Paracelſus inter morbos tartareos; Helmontius inter affectûs imaginationem deturpantes numerat.

Quid. Nos autem Dogmatici *Qartanam* dicimus eſſe febrim humoralem, ortam à melancholiâ putreſcente, de quarto in quartum repetentem.

Quartana febris eſt *duplex*: alia ex naturali melancholiâ putreſcente genita; quæ dicitur *legitima*: alia ex atrâ bile, vel à melancholiâ cum bile conjunctâ; quæ *illegitima* vocatur. Utraque vel eſt *continua*, vel *intermittens*; *ſimplex*, *duplex*, vel *triplex*, *quintana*, *ſextana* &c. **Quotuplex.**

Cauſæ ſunt omnia, quæ melancholiam producere valent, ut ſunt alimenta craſſioris & terreſtris ſubſtantiæ, frigidæ ſcilicet & ſiccæ, frigidum & ſiccum temperamentum, imbecillis lienis conſtitutio: item ab adurente humore fit illegitima quartana, ſeu illa, quæ fit ab atrâ bile. **Cauſæ.**

Signa diagnoſtica ſunt, quòd quartana fiat cum oſcitatione, & pandiculatione, corporis gravitate, frigore & horrore, rigóreve diuturno: dolor eſt oſtocopus, calor paulatim intenditur; quia eſt materia frigida; lotium, in principio album, tenue, & aquoſum, poſt aliquod temporis intervallum fit craſſius; pulſus eſt tardior, ac rarior, quàm in aliis febribus: in quartanâ notha, ſeu illegitima, omnia ſunt vehementiora; & plerumque ſuccedit febribus ardentibus; quod non evenit febri quartanæ legitimæ **Signa diagnoſtica.**

Signa *differentiarum* patent ex paroxyſmis, ſeu periodis: ſi enim eſt triplex, omni die; ſi duplex, duobus conſequenter accidit diebus; ſi ſimplex, quarto quoque die: quartana rariſſimè incipit à triplici, ſed à ſimplici & duplici factis erroribus in eam degenerat: idem intellige de duplici; quæ plerunque incipit à ſimplici. **Differentiarum.**

Indicationes deſumuntur à morbo, causâ morbi, & viribus: à morbo, ſeu febre, quatenus eſt intemperies calida & ſicca, indicantur refrigerantia & humectantia; à causâ morbi, quatenus eſt humor frigidus, indicantur moderatè calefacientia: quatenus eſt craſſus, attenuantia, & cruditatem ejus emendantia: quâ ſiccus eſt, humectantia: vires indicant ſui conſervationem per ſimilia: qualia ſunt cordialia: cùmque ſplen utplurimùm in hac febre laboret, indicantur ſplenetica. **Indicationes.**

Prognoſis eſt ex Hipp. *5. aph. 70.* quòd, ſi epilepſiæ quartana ſuperveniat, eam ſolvat: ſi diurna fiat, mala: item ſi ab inter- **Prognoſtica.**

intermittente in continuam degeneret: fit enim mutatio febris illius, quæ foràs movetur, in eam, quæ intrò: quod in hyeme, & per fortiorum medicamentorum purgantium uſum intempeſtivum fit: inde ex ſimplici & duplici triplex evadit; quæ ſtatim venæ brachii ſectione ſiſtenda eſt. Legitima longior ſolet eſſe ſpuriâ; ſed tutior; modò notabilis non ſit viſceris alicujus imbecillitas. *Quartana, quæ in autumno incipit, eſt longior, quàm quæ alio tempore*: illa namque utplurimùm totâ hyeme, vel anno integro, aut pluribus, perdurat. *Senes utplurimùm à quartanâ moriuntur*; quoniam calor eorum debilis materiæ contumaciam evincere non poteſt. *Quartana epilepſiæ ſuperveniens eam ſolvit*: deinde *quartanarii non facilè convelluntur*; ſiquidem iis humores pravi circa hypochondria colliguntur à toto corpore, ibique concoquuntur. *Dyſenteria* item *ſuperveniens quartanæ, eam ſolvit, niſi in diuturnitatem abeat*: quæ etiam non caret periculo; ſiquidem levcophlegmatiam, ſeu hydropem generat. Hipp. *5. aph. 70.* Pro malo item ſigno habetur in quartanâ frequens *narium hæmorrhagia*, tanquam evacuatio quædam ſymptomatica, hydropis prodromus, quæ illicò ſiſtenda per phlebotomiam in brachio: ex hoc enim, ob venæ amplitudinem, putris ſangvis exſtillabit; non verò ex capillaribus narium venulis, è quibus non niſi tenuior & laudabilior fluit ſangvis. Jam videndum, utrum his Indicationibus poſſit ſatisfieri.

Curatio. Empirici ſtatim à principio validis eam medicamentis eradicare fruſtra laborant, vel conantur: & primò quidem *Vomitoria* exhibent: v. g. *flores antimonii*, vel *eorundem*, ſeu *vitri antimonii*, infuſum; purgant multoties *electuario polychreſto*. Minſicht porrigit *tincturas* & *proprietates florum hyperici*, utiturque *pilulis aloëphanginis*, *rotulis diacymini*, *ſale ſplenetico*, *pulv. antifebrili*, *rad. caryophyllatæ*, quam ſæpius ad ʒj. exhibet. Nova-Villanus eodem modo exhibet *rad. thapſi barbati*: Hollerius *decoctum ranarum viridium*; alii *balneum* ante acceſſionem conſulunt: Paracelſus ad ſuum *Mercurium*, & *febrifuga*, ſine methodo confugit: ejuſdem veſtigiis inhæret Helmontius: Dogmatici verò, præ omnibus iſtis cauti & circumſpecti, quartanam à legitimâ bene diſtingunt; & pro legitimâ, cum Galeno, *1. ad Glauc. cap. 11.* benignioribus utuntur medicinis, ne à fortiorum uſu ex ſimplici triplex, aut tandem continua evadat. Et hiſce nos omnino adſtipulamur, præmiſſo tali *Clyſtere*:

Vomitoria: *Empirica. Specifica:*

℞. *Herbar. mercurial.* *Clyſter:*
betæ,
fumariæ,
malvæ,
atriplicis, ana mj.
prunor. dulc. num. viij.
epithymi ʒvj.
ſem. aniſi ʒj.
rad. bugloſſ. ℥j. Decoque in ſ. q. *aq.* ad ℔j. In colat. diſſolve
ſacchari Thomæi ℥ij.
ol. violac. ℥ß.
camomill. ʒiij.
mellis mercurialis ℥iij.
ſalis gemmæ p. j. M. F. Clyſter:

quo rejecto, etiamſi quartana non ſucceſſerit aliis morbis longis, cùm plerunque ſit plethora, vel ad vaſa, vel ad vires, *vena ſecetur* in brachio ſiniſtro in moderatâ quantitate, ne corpus nimium refrigeretur: animadverti enim ſæpius, empiricos toties quartanariis venas ſecuiſſe, ut pervenerint ad cachexiam: Gal. *1. ad Glauc.* ſi niger ſit ſangvis & impurus, liberaliùs fluat; ſi pulcher, ceſſandum: idque die intermiſſionis. *Salvatella* etiam manûs ſiniſtræ ſecari ſolet; ſæpius tamen in morbi declinatione. Zacutus in plenilunio venam ſecat, & ſtatim liberat à quartanâ: quòd tum temporis humor ſit fluxilior, & faciliùs educatur. *Hæmorrhoides* item ſunt aperiendæ, ſi tument; cùm ſint rami venæ portæ, facilè melancholicum è liene ſangvinem educturæ. Cardanus, *lib. artis parvæ*, *ſalvatellam* manûs ſiniſtræ in ipſo Lunæ coitu ſecat, & tam diu relinquit apertam, donec ex ſe ſiſtatur. Factâ itaq; primâ venæſectione, ad *Evacuationem* lenem transeundum eſt; ut: *Venæſectio.* *Evacuantia.* *Potio.*

℞. *Thymi,*
epithymi, ana ʒij.
fol. ſen. ſ. ſt. ʒiij.
ſem. aniſi,
myrob. Indar. ana ʒj.

flor.

flor. borrag.
bugloſſ.
violar. ana p.j.
rad. liquirit. raſ. ʒij. Decoque in ſ.
q. *ſeri lactis caprini.*
In Colat. diſſolv.
mannæ elect. ℥iß.
ſyr. de pomis cum fol. ſen. ℥j.
tartari vitriolati ℈j. M. F. Potio.

Digerentia. Factis hiſce, humorum concoctioni & præparationi ſollicitè incumbendum eſt: ut:

Julepus. ℞. *Flor. borag.*
bugloſſ.
violar. ana p.j.
rad. polypodii quercini,
aſparagi,
bruſci,
bugloſſi, in *vino* macerat. ana ℥j.
fol. meliſſæ,
fumar.
cuſcutæ,
chamædryos,
adianthi nigri, ana mj.
Coque in ſ. q. *aq.* ad ℥xvj.
In Colat. diſſolv.
ſyr. ſplenet. Verbezii,
byzantini,
capillor. Veneris, ana ℥iß.
ſpiritûs ſalis armoniac. ℈j.

M. F. Julepus, pro iiij. doſibus matutinis. Ex his etiam, loco julapii, *Juſcula* fieri poterunt. Hiſce factis, vel etiam diebus intermediis, reiterari poterit purgatio: quæ primò ſit lenis; deinde paulò fortior fiat: quia natura paulatim medicamenti vires eludit, & aſſvefacta non movetur. Continuis tamen medicamentis natura oneranda non eſt; ſed quieſcendum nonnunquam per duas, tres, aut quatuor ſeptimanas, ut natura ſeſe recolligat, & faciliùs humorum concoctioni incumbat: interea tamen *clyſteres* alternis diebus injici poterunt, iique partim erunt abſtergentes, partim emollientes, ut inteſtina abſtergant, meſaraicarum, ſeu lactearum orificia deoppilando, & partem materiæ peccantis è meſenterio & ramis ſplenicis attrahendo: poſtea verò ad præparantia, ſicut antè; deinde ad purgantia redeundum eſt. Quòd ſi verò natura tum per medicamentum, tum per vehementiam paroxyſmorum, plurimum fatigata fuerit, tolli poterit paroxyſmus, ſi exhibeantur ʒij. vel ʒj. *pulv. Chinæ Chinæ* in *vino Baſtardo*, vel *alio*, per noctem infuſæ; vel etiam in forma *Electuarii Baſtardo per noctem infuſa* tribus horis ante paroxyſmum: hâc tamen cautione, ut corpus optimè ſit antè præparatum: totâ illâ die nec comedatur, nec bibatur, maneat Æger in lecto, ut medicamenti vis diaphoretica per poros, & diuretica per urinas, meliùs operetur: eſt medicamentum ſalutare, quicquid oggänniat Chiffletius, Medicus Bruxellenſis, *in ſuo libello de Chinâ Chinæ*: tollit enim paroxyſmum infallibiliter, &, ſi febris poſt decem vel quindecim dies revertatur, tantas ampliùs vires non habet in corpore per inducias refecto. Quòd ſi febrilis paroxyſmus redeat, paulatim iterum corpus præparetur, &, præterlapſis ſeptimanis circiter tribus, iterum propinetur ad minimum *corticis ejuſdem pulveriſat.* ʒj. Aliqui eodem modo ʒij. *pulv. radicis gentianæ* in *vino Hiſpanico* infundunt, & *Tincturam* decantatam accipiunt: alii recipiunt *rad. Imperatoriæ* ℥ij. contundunt, & affundunt ei menſuram *vini albi*, relinquunt per noctem, & manè exhibent ℥vj. quinquies id continuando: alii ℈ß. *croci* cum *vino*, ante paroxyſmum, ad minuendum illum, propinant: Ego ſequenti *Linimento* ſpinam dorſi ungi diligenter impero: Specifica Rationalia.

℞. *Ol. rutacei* ℥vj. Linimentum.
caſtorei ʒj.
caryophyllor ℈j.
camomill.
amygdal. amarar.
laurini, ana ʒij.

M. hæc Mixtura longos tollit rigores. Alii, inter quos ſunt Gentilis, Arculanus, Amatus Luſitanus, Aëtius, *ſermone 3.* ad cohibendum paroxyſmum, horâ unâ ante paroxyſmum, lene aliquod catharticum exhibent: *Lienis* interim *cura* eſt diligentiſſimè habenda, per *Linimenta, Emplaſtra, Fomenta*: v. g.

Linimentum. ℞. *Ol. capparum* ℥ij.
In quibus infunde per noctem
rhabarb. elect. ʒij.
In manè factâ forti expreſſione diſſolve
mucilag. ſem. pſyllii, aquâ cuſcutæ extracta, ℥j.

aquâ

maſſa emplaſt. de cicutâ ℥ß.
unguent. ſplenet ℥iß.
aceti ſambucini ʒij.

M. F. Linimentum bonæ conſiſtentiæ: vel, in formâ *Emplaſtri*, *Ceratum* Emplaſtra. *de cicutâ* cum *ammoniaco* ſolum applicari poterit. Helmontius ſine experientiâ *emplaſtrum* ſuum *de peto* pro curandâ quartanâ jactitat. Foveri po- Fotus. teſt lien *lanâ nigrâ illotâ*, *ol. lini*, vel *capparum*, *tepido intincta*: medicamenta Chalybeata. *chalybeata* non reprobamus hîc: ut ſunt: *Syrupus chalybeatus*, *tinctura Martis*, *electuar. ex chalybe*, &c. *pilula chalybeata*, quibus *ammoniacum*, *ſagapenum*, *helleborus niger*, cum ſtimulis quibusdam, addi poterunt. Rondeletius carpis manuum admovet *Cataplaſma*:

Cataplaſma pro Pulſib. ℞. *Fol. ſambuci*,
ſalvia,
pedis columbini,
ruta, ana mß.
caltha p. j.
ſalis p. j.
vini parum:

contundantur & applicentur. Crato apponit *radices urtic. contuſas*, & cum *aceto maceratas*, brachiorum & pedum venis: idem, ſe multos uſu *decocti raparum*, cum *butyro* & *ſaccharo* facti curaſſe gloriatur. Schenckius ait, in medullâ cardui fullonum oriri vermiculum, qui ſit quartanæ remedium ſingulare: Kentmann, *ſalem de oſſibus humanis* exhibet: Piſo, *lib. de quartanâ*, *cor leporis*, *panno byſſino* involutú, & collo appenſum, judicat removere acceſſionem: Wolfius *aranearum telis* quartanam ſeſe curare aſſerit: Benedictus Victorius, *in ſuâ Empiricâ*, *cap. 11. Vini granatorum*, vel *ſucci*, ℥ij. propinat; deinde ſequentem *Mixturam* pulſibus applicat:

Mixtura pro Pulſibus. ℞. *Ung. populeonis* ℥j.
tela aranear. ʒij.

M. F. placentulæ, ſingulæ ad quantitatem dimidii Capitati, ſingulis pulſibus alligandæ. Fit etiam *ol. laurinum*, in quo bullierint *20 aranea*, & illo ungitur ſpina dorſi. Fernelius *araneum* in loculo ligatum, & geſtatum, laudat: Hieronymus Montuus ex *urtica*, *angelica*, *ſempervivi*, & *ſolatri*, ana mj. *tela aranea alba*, *farina hordei*, ana ʒj. cum *ſale* & *aceto* compoſitum perficit, pulſibus applicandum. *Vomitum* approbat Galenus, *1. de arte curandi ad Glauc. cap. de quartanâ*, quo evacuentur humores crudi in primâ regione, tum etiam ex liene, per vas breve, ad confirmationem eorum, quæ *ſupra* diximus: & ad majorem dilucidationem iterum dicimus, jam in uſu eſſe *Chinam China*, vel *corticē ejuſdem*, cujus pulv. à. ʒj. ad ʒij. tribus horis ante paroxyſmum, in *vino Hiſpanico*, vel potiùs *Baſtardo* datur: quem quidem variè taxat & diſſvadet præfatus Chiffletius, Med. Bruxellenſis, *in ſuo tractatu, anno 1653. Bruxellis impreſſo*. Verùm ſi, præparató priùs bene corpore, viis reſeratis, eliminatâ cacochymia, exhibeatur, nec ſemel tantùm, ſed bis, ter, etiam quater, abſtinendo eodem die à cibo & potu, paroxyſmum tollit, &, licet redeat, vim tamen tantam ampliùs non habet febris, ac habuit antè, eò, quòd per illud temporis intervallum, quo emanſit paroxyſmus, factis induciis natura vires reſumpſerit. Nec obſtat, primò, quòd ait Joannes Jacobus Chiffletius, eos falli, qui ſe viciſſe putant in causâ, cùm diſtulerunt vadimonium: putátque, valde malum eſſe, partem cauſæ morbi in corpore remanere; eſſe proinde velut ignem, qui ad tempus extinguitur, & rurſum accenditur. Nam pars illa materiæ morbificæ remanens poteſt à naturâ, jam per inducias reſtitutâ, vinci & concoqui. Nec obſtat, ſecundò, quòd dicit Chiffletius, nullam eſſe ejus pulveris neceſſitatem in Europâ, eò, quòd febris illa quartana periculo vacet, quòd aliis remediis curari poſſit, ut timore, labore, exercitio, demerſione in fluvium, confectione de viperis Galeni, caſtoreo, myrrhâ, gentiana, clinopodio, calendulâ &c. teſtibus Cælio Rhodigino, Plinio, Celſo, Thuano, *lib. 3. hiſtor.* Sennerto, Horatio Augenio, Lazaro Riverio, Mizaldo, Cratone, Matthiolo. Nam, quòd periculo vacet, ſempee verum non eſt, utpote quæ in ſenibus in hydropem, in juvenibus in febrem continuam facilè permutatur. Secundò allata remedia certum ſemper effectum conſecuta non fuiſſe, teſtantur mecum omnes Auctores, & quotidiana nos hactenus docuit experientia.

Quod ad *Diætam* attinet, hæc tenuis Diæta.
eſſe

eſſe non debet, quia Quartana eſt morbus chronicus, ſeu diuturnus; abſtineatur tamen à *Cibis* tenacibus & exceſſivè craſſis, qui melancholię materiam ſuggerunt: ut ſunt carnes ſalſæ infumatæ, ſuillæ, cervinæ, leporinæ, & avium paluſtrium; item legumina, braſſica, panis azymus, caſeus, nuces, caſtaneæ, olera condita, acetum, omphacium: quæ humorem melancholicum fermentare dicuntur. Contrà ex uſu erunt poma & pruna cocta, paſſulæ majores & minores, amygdalæ, ficus, dactyli, nuclei pinei: condiri etiam poterunt cibi nuce moſchatâ, croco &c. [illegible]

Cibi.

Potus. *Potus* in aſſuetis, diebus à paroxyſmo liberis, ſit vinũ album, tenue, oligophorum, à fecibus optimè depuratum, vel etiam paucâ aquâ temperatum: ſin vino aſſueti non fuerint Patientes, dari poterit *decoctum agrimoniæ*, & *radicis caryophyllatæ*, cum pauco *cinnamomo* concinnatum; vel etiam *decoctum hordei*, cum exiguo *cinnamomo*, in quo chalybs ignitus aliquoties extinctus fuerit: ſic enim *ſal Martis volatilis aquæ* communicatur, qui plurimùm facit ad conſtringendum & roborandum lienem, venasq; meſaraicas, & obſtructiones reſerandas. Quantitas cibi ſit moderata; ne per copiam cruditates generentur, & inauctâ causâ febris in diuturnitatem abeat. Advertendum etiam, Ægrum die paroxyſmi quatuor ad minimũ horis ante paroxyſmum eſſe cibandum: aliqui toto illo die abſtinent à cibo, ut paroxyſmus minuatur: quod à ratione alienum non eſt. *Somnus* ſit moderatus; *exercitia* ante cibum, die intermiſſionis, quoq; non inutilia erunt: horum loco, membrorum ſæpius repetitæ frictiones poros aperiunt, & calorem nativum excitant: alvus quotidie ſoluta ſit vel naturâ, vel arte: vitetur ſolitudo, triſtitia, ſeu animi mœror; & mens omni modo exhilaretur, & à curis liberetur. Et hæc de *Febribus Humoralibus*.

Objectio 1. Obj. 1. cum Helmontio, & ejus complice, Grembſio: venæſectio ſuffuratur ſpiritum influum, unde vires valde debilitantur. 2. ſi venæſectio in febribus admitteretur ob eventilationem, hæc maximè in febrium ſtatu eſſet admittenda; quæ tamen tum maximè prohibetur: 3. dicit, materiam febrilem non ſtagnare in vaſis, ſed eſſe in ipsâ vaſorũ ſubſtantiâ: ergo neque admittenda erit venæſectio ratione revulſionis: 4. venæſectio in brachio nihil trahit ex liene; ſiquidem omnes rami veniunt ex jugularibus, hi ex venâ cavâ: ergo non poteſt tollere melancholicam materiam ex liene. ℞. Si Helmontius intelligat per ſpiritum influum naturalem, negamus ſuppoſitum; quia non datur: ſi intelligat vitalem, idem negamus; quia hic ſtabulatur in arteriis, & per has fertur: non tamen negamus, aliquid ex eorum pabulo, nimirum ex tenuiore ſanguinis parte tolli; ſed inter duo mala minus eſt eligendum. 2. Non tantùm ob eventilationem admittitur venæſectio; ſed ut vires, altero onere liberatæ, faciliùs reliquum vincant. 3. hic contradicit ſibi Impoſtor: nam paulò ante negavit humores; jam in ipsâ vaſorum ſubſtantiâ concedit: atque adeò, objectio experientiæ omnino contraria non meretur reſponſionem. 4. probavimus ſatis, quatuor humores vel in corde, vel in jecore fieri: ergo & melancholia ibi generabitur; ergo ſufficiet, ſi ea vel à jecore, vel à corde evacuetur; quin & nos etiam ordinavimus venæſectionem in partibus inferioribus, ut in pede, & in hæmorrhoidalibus venis, ut à venis ſpleneticis traheretur ſanguis.

Obj. 2. cum eodem, ſi quartana oriretur à melancholiâ, foveretur q; à liene ejus præſentia; indorato illo non poſſet quartana auferri: cujus contrarium tamen monſtrat experientia: 2. ad indurationem lienis ſemper eſſet febris; quod tamen falſum eſt; 3. quartana faciliùs curaretur initio, dum materia eſt adhuc fluxilis, quàm poſt longam tempus; quia tum temporis eſt magis indurata: 4. quia Methodici non eam curant, ſed natura: ergo fruſtra tot ordinantur medicamenta. ℞. ad primum: ut auferatur quartana, ſatis eſt, ut melancholia deſinat putreſieri, etſi remaneat, quia febris eſt à putredine: ad ſecundum: non ſemper putreſcit melancholia, etiam indurato liene: ergo neceſſe non eſt, ſemper eſſe febrim adjunctam: ad tertium: materia quartanæ non eſt ab initio maximè fluxilis, quin eſt maximè cruda: ergo eſt falſum ſuppoſitum: ad quartum: hic iterum propriâ ſcutieâ vapulat Adverſarius: ſi natura curat, ergo hoc ſemper facit: ergo etſi

ſuum febrifugum ipſe propinet, tamen natura curat: ergo nec ipſe eam ſcit curare: & quis unquam negavit, naturam eſſe morborum medicatricem?

3. Obj. 3. Quomodo febris quartana non poteſt fieri ex melancholia, à bile adustâ ortâ, quæ tamen ulteriori calore alterari non poteſt: ergo nec putreſcere, nec febré cauſare, cùm à remiſſiori alio calore alterari non poſſit? ℞. quòd, poſtquam melancholia uſtione fit ex aliis humoribus, remanet cum temperie illi debitâ juxta ſuam naturam, & poſtea intra alterationem poteſt pati à putredine: unde febris quartana oritur.

4. Obj. 4. Galenus, *lib. de arte curat. cap. de quartanâ*, ait: abſtinendum eſſe ab omnibus eduliis, quæ refrigerant & humectant. ℞. Galenum intelligendum eſſe de indicatione deſumptâ à cauſâ; non vero à morbo: 2. eum loqui de febribus, quæ usq; ad hyemem extenduntur, indicatione à tempore deſumptâ.

Quæſtio. Quæres: Utrùm alia non poſſit dari ratio, cur paroxyſmus quarto die redeat? Reſp. cum Cardano, *l. 21. de Deo & Universo*, id referendum eſſe ad rerum ſeriem, quæ triplici ordine perficitur: initio, medio, & fine. Hi gradûs cùm in omnibus, tum bonis tum malis rebus ſint, ſi tranſierint, & recurrat ordo; tum fiet quartus ſimillimus primo, quintus ſecundo, ſextus tertio, atque rurſus ſeptimo, & ſic deinceps; unde conſpicuus fiet quartanæ paroxyſmus. Talis ordo eſt in *caryophyllis*, quorum vis 1. anno eſt debilis, 2. fortior, 3. optima, 4. iterum debilis & effœta. Sic *Thermæ* anno biſſextili dicuntur noxiæ.

Caput XII.

De Peſtis Eſſentia.

Peſtis Eſſentia. Peſtis, à depaſcendo dicta, quòd, ceu fera quædam venenata, integras interdum regiones depaſcatur, à Ripâ, Jure-Conſulto, *de Peſte, part. 1. num. 5.* morbus atrociſſimus: à Langio, *lib. 1. epiſt. 28.* majorum morborum maximus appellatur. Hermetici ajunt,

Quid. quòd peſtis ſit morbus aſtralis, igneus, contagioſus, qui venenato, ſeu ſpiritu mercuriali, arſenicali, aut napellino, corporis meatûs ſubintrans, citiſſimè omnium ſpirituum principalia ſubjecta, cor ſcilicet, & cerebrum, occupet, eáq; malignitate & acuitate ſuâ inficiat, corrumpat ac diſſolvat; ac tandem, ſulphuris accenſi adminiculo, ſal ſub auribus, aliis, & inguinibus coagulando, varia apoſtematum genera, ut ſunt bubones, anthraces, ac carbunculos producat ac protrudat: cujus definitionis videtur eſſe Autor Paracelſus. Helmontius ait: quòd in peſte, dum Archeus, propter contagium, partem ſui à toto ſegregat, tum primò fiat morbus, &, ne totum pereat, anxietur, graviſſimáque fiant ſymptomata. Sed hæc definiti naturam non ad amuſſim explicant; quod requirit Ariſtoteles; *4. Phyſic. cap. 4. textu 31.* Alii peſtem dicunt eſſe febrim peracutam, malignam, contagioſam, omnium periculoſiſſimam, quæ populariter graſſetur, multis communis, & venenatâ ſuâ qualitate facultatem vitalem oppugnans. Nos, aliorum Dogmaticorum veſtigiis inſiſtentes, *Peſtem ſic definimus*: Definit.
quòd ſit morbus epidemius, contagioſus ac venenatus, occultâ veneni ſui qualitate è diametro vitæ humanæ contrarius, cor affligens, ejusq; *ἔμφυτον θερμὸν* ſpiritúsq; diſſipans ſeu depaſcens, ac poſtremò omnis generis lethalia ſymptomata ſæpe inducens. Hæc definitio Explicat.
peſtis differentiam ſpecificam, cauſam ejus, ſeu modum generationis, ſubjectum, in quo hæret, plúraque alia accuratiſſimè exprimit. Peſtem eſſe morbum, nemo eſt qui ambigat; ſed utrum ad aliquod ex tribus morborum generibus referendum ſit, multi dubitant, negantq; non pauci, referúntque inter morbos totius ſubſtantiæ, cum Argenterio, *lib. 1. de differ. morb. c. 4.* & cum Fernelio, *lib. 1. Pathol. c. 9.* & *lib. 2. de abditis rerum cauſis.* Nos, miſſis aliorum altercationibus, dicimus, peſtem debere reduci ad aliquod ex tribus morborum generibus: prob. quia, teſte ipſo Fernelio, corrumpit naturam & ſubſtantiam partis ſimilaris: ſed partis ſimilaris ſubſtantia non poteſt corrumpi, niſi per ſolutionem continui, vel intemperiē: ergo debet conſtitui ſub uno ex iſtis generibus: prob. min. ſubſtantia partis ſimilaris ex Galeno tantùm exigit debitam unionem & temperiem ſibi connaturalem: ergo tantùm poteſt corrumpi per ſolutionem continui, ſeu per intemperiem, quam vocare poſſumus

occul-

occultam. Confirmatur: Debitâ ſanitate exiſtente, nō poteſt ſubſtantia corrumpi: ſed cum debitâ unitate, temperie & compoſitione ſtat perfecta ſanitas, teſte ipſo Galeno; ergo nullus poteſt ſupperaddi morbus: ergo peſtis ad iſta genera debet referri: prob. 2. Si peſtis ad aliud genus referri deberet, eſſet ideò, quia, ſecundum mentem Fernelii, vel ſpiritus, vel calidum innatum corrumpuntur: ſed hoc non obſtat; quia vel per calidi innati, ſeu ſpirituum corruptionem intelligit Fernelius actionem alterativam caloris deunientis; & hæc eſt morbus in intemperie; vel intelligit partium ſeparationem; & hæc eſt morbus in ſolutâ unitate; vel, cum Helmontio, intelligit ſeparationem totalem partium, quæ corrumpuntur; & tunc pars, quæ remanet, morbum patitur in malâ compoſitione; ergo corruptio calidi innati, quâ viventis ſubſtantia corrumpitur, ſub aliquo ex morbis à Galeno aſſignatis debet contineri: ergo idem de peſte aſſerendum eſt: prob. 3. quia, ſi aër, v.g. peſtilens à totâ ſubſtantiâ noſtrum corpus corrumperet, neceſſariò daretur ſubſtantia una alteri contraria; cùm tamē ex communi Philoſophorum ſententiâ ſubſtantiæ nihil ſit contrarium. Peſtem morbum epidemium eſſe diximus, quia nempe uno eodemq; tempore plures ſimul adoritur homines, nec uni tantùm alicui loco (quo ab endemio differt) eſt affixus, ſed longè latèq; ſeſe diffundit ac propagat. Peſtem morbum acutiſſimū & pernicioſum eſſe, ex hoc evidens fit, quòd celeriter, & cum vehemētia, ſuam abſvolvit hiſtoriam, & ſua percurrit univerſalia tempora: 2. quòd ſit pernicioſus, eſt Galeni, *lib. 1. acut. or. text. 9.* quia nempe ſummam corpori infert perniciem, velociſſimè cor occupans, ſpiritûs vitales oppugnans, & diſſipans; calorem nativum, primigenio humido inhærentem, corrumpit, proſternit, ac penitus extinguit, agmen denique graviſſimorum ſymptomatum inducit; ut ſunt delirium, vigiliæ, capitis dolores, febres ardentiſſimæ, ſyncope, vomitus, diarrhœa &c. Contagioſam eſſe peſtem, nemo dubitat, & confirmat Baſilius, *in homilia ſuper pſalmum 1. Davidis*, ubi ait: hoc peſti ſingulariter eſſe tributum, ut ſit contagioſa, ac uno infecto polluatur & alter: eſt enim ſumma utplurimùm putredo; eſt vapor calidus, qui è vivo corpore tum per exſpirationem, tum per tranſpirationem exit, & alteri communicatur: & quidem celerrimè, ob acrimoniam, tenuitatem, malignitatem, virulentiam, propria vitæ domicilia impetit, & medullas penetrat.

Contagium quid.

Hinc *Contagium*, à contactu dictum, nihil aliud eſt, quàm infectio, aut maligna qualitas, de uno ſubjecto in aliud tranſiens: vel ſic: Contagio eſt corporis, ſeu compoſiti, maligna quædam corruptio, ei ſimilis, à quo primùm manavit, quæ, infectione in particulis communicatâ, ex uno in aliud tranſit; uti videre eſt, fieri ſimilem in eo, qui inficitur, corruptionem, atque in eo, qui corruptionem intulit: quòd idem in utroq; ſeminarium ſit, eandem corrumpendi facultatem habens.

Requiſita ad Contagium 4.

Ad contagium *quatuor* præcipuè *conditiones* requiruntur: 1. *Aſtralis impreſſio*, ſeu aëris corruptio ac vitiatio, vel à ſolo qualitatum exceſſu, vel à commixtione putridorum & venenatorum vaporum, qui ita cum eo commiſcentur, ut, ſicuti in reſpiratione nullatenus ſeparari queunt, ſic univerſum reſpirantium genus labe ſuâ neceſſariò conſpurcent atq; inficiant. 2. Ad contagionem requiritur *Putrefactio* in aliquo humore, vèl materia: unde contagium vocatur materiale. 3. requiritur *Lentor fomitis*: lenta enim omnia, & viſcida, ſeu glutinoſa, hærent, perq; moram imprimuntur. 4. requiritur, ut materia putrefacta conſiſtat in tali *Loco*, unde evaporare poſſit, ſitque communicabilis.

Differentia. 1. Per contactum.

Differentia contagii in tres partes plerunq; diſtribuuntur: primum fit *per* ſolum *contactum*: hoc eſt, appropinquando propiùs ad eos, qui peſte laborant, ita, ut communicatio mali neceſſariò inde ſequatur, intercedente nimirum mutuo contactu: ſicuti pyra & poma putrida & marcida, dum integra alia contingunt, ea inficiunt: Nam, uti ait Juvenalis, Uva livorem ducit ab uvâ.

2. per Fomitem.

Secundum fit per *fomitem*, qui dicitur, quicquid ſeminaria contagionis in ſe ipſum excipere, exceptaq; diu retinere aptum eſt: ut ſunt lana, linum, goſſipium, ligna, ſtragulæ, integumenta, & quæcunq; veſtes, aut res raræ & foraminoſæ, quæ virus per unum, duos, &

plures annos conſervant; ut Fracaſtori, *lib. 1. de contag. cap. 10.* ſcribit: 3. contagii genus eſt, quod ita ſubtile eſt, ut ad ſui actualem communicationem contactum non requirat, ſed per ſpatium ſatis *diſtans* poſſit communicari: uti accidit in vaſtâ illâ peſtilentiâ, quæ, ex Aſiâ in Europam tranſlata, multa hominum millia inhumavit: hujusmodi ſunt lippitudines quædam, quibus qui laborant, alios inficere ſolent; ut Ovidius canit:

3. *ad diſtans.*

Dum ſpectant oculi læſos, læduntur & ipſi: multaq; corporibus tranſitione nocent.

Differentiarum modi. Ex his tribus contagiorum generibus *primum*, quod ſolo contactu communicatur, omnium langui diſſimum eſt: 2. quod per fomitem incipit, gravius: 3. quod ad diſtans corripit, pernicioſiſſimum eſt; quippe in tenui & vaporosâ ſubſtantiâ conſiſtens: in iis autem, ubi tribus hiſce modis conſiſtit ſimul, maximum eſt periculum. Apparet itaque, totam contagii rationem non niſi in morbi per ſeminaria communicatione conſiſtere.

Subjectum. *Cor* maximè affligi à peſte, dictum eſt in definitione; adeoq; ipſius proprium eſſe *ſubjectum:* prob. quia cor, ſecundum Avicennam, eſt fons calidi innati, & vitæ, quibus ſicut omne venenum, ita peſtis, præ reliquis, erit ſummè contraria.

Qualitas occulta. Quòd, uti aſſeruimus, peſtis *qualitas* ſit *occulta*, patet ex hoc, quòd reliqua venena occultâ agant qualitate: ergo & peſtis: 2. ſi peſtis eſſet à manifeſtâ qualitate, utique curari deberet per manifeſtas qualitates, ſeu per medicamenta manifeſtis qualitatibus contraria; quod tamen nequaquam fieri, certiſſimum eſt; ſiquidem alexipharmaca ſemper ordinantur: & quamvis multa venena manifeſtas habeant, easq; intenſas qualitates, ut evphorbium, opium, cicuta, ſublimatum; eorũ tamen actio occultis potiùs qualitatibus, à formâ ſpecificâ, quâ tali, promanantib9, quàm à manifeſtis, provenit: quin & ſempervivum in quarto gradu frigidum; piper, allium, pyrethrum, lepidiũ, calida ſunt, nec tamen, ut patet, venena ſunt: ergo ad manifeſtas omnia deducere qualitates, ſumma eſt impudentia; ut ait Scaliger, *ſect. 8. exerc. 218.* hæ autem qualitates ita diverſas habent ab elementorum qualitatibus proprietates, ut omnino lateant animos temperatos; illudant curioſis: unde Doctiſſimus Quercetan9, *in ſuo Alexicaco*, peculiarem illam vim & proprietatem, quâ venenum peſtilens corpori noſtro adverſatur, & calori nativo reſiſtit, deſcribens, illi non manifeſtarum qualitatum, ſed ſpirituum quorundam arſenicalium, ſeu napellinorũ, naturam aſſignat; quorum adminiculo potens admodum redditur hoc venenum, &, quemadmodum iis, qui arſenicum aut napellũ ſumpſerunt, frons ſudore gelido marceſcit, totiusq; corporis habitus quaſi glacialis evadit, intus æſtu viſcera cremantur, morſus in ventriculo ſentitur, vomitus & alvus movetur, color intra paucas horas fit auriginoſus & maculoſus, lingva fit nigra, arida, arteriarum pulſus intercipitur, cor opprimitur, omnes interni & externi ſenſûs turbantur, accedunt lipothymiæ, ſyncopes, ac cordis palpitationes; eodem prorſus modo ſeſe lues gerit peſtifera: adeòque non incongruè à Minderero, *Tractat. de Peſtil. c. 3.* ſtatuitur, veneni peſtilentis magnam eſſe varietatem; & aliud dypſadis, aliud viperæ, aliud cicutę, aliud napelli, aliud alterius adhibiti toxici naturam (quod in curâ bene attendendum eſt) æmulari.

Obj. 1. Cor peſtis ſubjectum eſſe, verificari non videtur; cùm multa venena aliis partibus præciſè ſint infeſta; ut lepus marinus pulmoni, torpedo nervis, cantharides veſicæ, opium & hyoſcyamus cerebro &c. cùm autem peſtis, uti dictum eſt, horum, & ſimiliũ, naturam æmuletur; cor infeſtare, in eoq; ſubjectari ſemper non videtur. ℞. omnia venena peculiariter cordi eſſe inimica: quòd autem poſt cordis læſionem alia etiam membra impetant, nó negamus. *Objectio 1.*

Obj. 2. Saltem ratio dari non poteſt, cur alias partes, per quas tranſeunt venena, prius, quàm cor, nõ lædant. ℞. eas partes maximè lædere, ubi plurimum calidi innati ſtabuliatur: cùm autem id maximè ſit in corde, id quoque maximè patitur; reliquis tamen partibus minimè illæſis manentibus. 2.

Objic. 3. Sanitas unius corporis per contactum, aut halitum, alteri non eſt communicabilis: ergo nec infectus poterit alium inficere. ℞. non media extremis, ſed extrema extremis opponi: nec mediocritas exceſſum, ſed exceſſus vincit mediocritatem: morbum 3.

autem

autem exceſſum eſſe; ſanitatem verò in mediocritate conſiſtere, extra dubium eſt: hinc morbidæ exſpirationes, habentes in ſe excedentem qualitatem, mediocritatem poſſunt corrumpere; ſalubres verò, quorum potentia eſt remiſſior, morbos tollere, aut ſeſe alteri corpori communicare non valent. Deinde falſum eſt, ſanitatem unius alteri non eſſe communicabilem: hinc David Rex, ſenio jam confectus, puellam ſanam pectori ſuo admoveri juſſit: quod & Galenus imperat, &c.

4. Obj. 4. Peſtis non videtur eſſe contagioſa; quia non ſemper eos, qui cum peſtiferis converſantur, utpote veſpillones, chirurgos, ſacrificulos, corripit. ℞. id vel eſſe ob imbecillitatem agentis, vel indiſpoſitionem paſſi, vel introſumpta præſervativa, vel ob imperterritum animum, vel ob defectum moræ, vel veneni hauſti conſvetudinem: ſicuti Mithridates impunè venenum hauriebat, &c.

5. Obj. 5. Procopius, *lib. 2. de bello Perſico*, dicit, Conſtantinopoli fuiſſe peſtē abſq; contagio: ergo non omnis peſtis eſt contagioſa. ℞. Procopio, ut Hiſtorico, & naturæ contagii imperito, hic fidem non eſſe adhibendam.

6. Obj. 6. Si ſemper in peſte primò cor afficeretur, ſequeretur neceſſariò, decubitum materiæ noxiæ ſemper fore ad axillas, quæ glandulæ ſunt, expurgando cordi dicatæ; cùm tamen parotides cernantur in hac lue, & inguinum tumores: ergo hæc indicant, & cerebrum, & hepar primariò in hac febre laborare &c. ℞. Nos non negare, in Peſte & hepar & caput interdum lædi; ſed ſecundariò tantùm: quia cor ſemper primariò læditur: quòd autem quandoq; ad inguina, quandoq; retro aures protruditur materia, fit ob earum partium majorem, quàm axillarum, debilitatē.

7. Obj. 7. Galenus, *comment. 3. in 3. epidem. partic. 57.* ait: dari peſtilentes febres ſine peſte: ergo dabitur peſtis ſine peſte: quod eſt abſurdiſſimum. ℞. dari peſtilentem febrem, quæ à causâ communi non oritur: hinc non eſt propriè dicta Peſtis.

Quæſtio. Quæres: Utrum febris ſit peſtis individua comes? ℞. licet negativa validas pro ſe habeat rationes, nos tamen affirmativam tenere: prob. ad omnem excellentem putredinem, in vaſis præſertim majoribus, & juxta cor conſiſtentem, neceſſariò ſequitur febris: at in peſte adeſt excellens talis putredo: ergo & febris: probatur ſequela majoris; quia calor præternaturalis ſemper per putredinem inducitur: quòd autem putredo adſit, probatur, quòd, ubicunq; eſt contagium, ibi eſt putredo, in quâ conſiſtit, ceu proprio ſubjecto, & per quam fit communicabile; uti explicat Galen. *lib. de diff. febrium*, per exempla ſcabiei, lepræ, lippitudinis, &c. at Peſtis per excellentiam, uti probatum, eſt contagium: quòd autem in peſte ſit ſumma putredo, apparet in defunctis, in quibus pars à parte per putredinem & corruptionem dehiſcit: deinde in peſte correptis evidentiſſima ſunt putredinis indicia; utpote ſudoris fœtidiſſimi expulſio, cordis palpitatio, deliquium, à putridis vaporibus proveniens, pullulatio macularum putridarum, exanthematum, bubonum, anthracum, excretiones putridæ per alvum & vomitum &c. hinc mirum non eſt, ſi agens illud putridum, è corpore infecto erumpens, aliud ingreſſum celerrimè inficiat: nam omne agens idcirco agit in paſſum, ut ſuam formam introducat. Quin &, febrim peſti individuam eſſe comitem, probatur authoritate Horatii Augenii, *thom. 1. Epiſt. 1.* dicentis: ſupponere oportere, peſtilentes febres omnes putredinem continere; imò hâc aliquid majus, corruptionem nimirū ſubſtantiæ, quam alii excellentem putredinis gradum vocandum eſſe dixerunt. Antonius Portus, Firmanus, *lib. de Peſte*, putredinem, ex quâ peſtis oritur, largam, profundam, ſordidam, concluſam, ad minima elaboratam, & in lentore quodam conſtitutam eſſe ſtatuit: item ait: peſtilentem morbum non ſolùm abſq; febre non dari, ſed ipſam febrim communem eſſe; cùm excellentiorem putredinem poſſideat: idem aſſerit Marcellus Capra. Secundò affectûs omnes caloris febrilis ſeſe in peſte produnt: ergo aderit febris: prob. quia adeſt primò horror, dein æſtus ingens, viſcera quaſi omnia torrens, adeſt ſitis inexplebilis, vigiliæ, capitis dolor acutus & gravis, paraphrenitis, linguę ariditas, &c. Quòd ſi ab initio ſtatim febris non appareat, fit ob caloris concentrationem, qui per

totum corpus nondum diſſipatus eſt, ſucceſſu temporis viribus ubertim manifeſtandus. Crato, *in Epiſt. medicinal. 13.* putat, nullos in peſte abſq; febre mori: item Felix Platerus, *in lib. de febribus*, peſtilens, ait, venenum, cujuscunq; ſit generis, corpus ſubiens, febrem accendit peſtilentem.

Objectio 1. Obj. 1. Hippocr. *3. epidem. 3.* in ſtatu peſtilenti multa cum, multa ſine febribus accidiſſe, narrat: item Galen. *3. epid. ſect. 3. comm. 158.* inquit: cùm mortales vel cum, vel citra febrim peſtis corripit: idem, *9 ſimplic. in explic. 6 epidem.* bolum Armenam cum vino lymphato, peſte correpto cum febre; contrà verò, ſi abſit febris, cum meraco propinat. ℞. ad Hip. quòd ibi non locutus fuerit de morbis verè peſtilentibus; ſed in univerſum mentionem fecerit omnium morborũ, qui in eâ peſte contingebant; quorum aliqui erant cum; alii ſine febre. Ad Galenum dico, tempore peſtis multos morbos degenerare in peſtem, id eſt, & febres, & alios morbos: hinc Galenus ait: multos vel febricitantes, vel non febricitantes, peſte corripi. Ad eundem modum ratione boli intelligendus eſt Galenus, quòd cum vino eum porrigat pro præſervatione; pro curâ verò cum meraco.

2. Obj. 2. Pulsûs & urinæ in peſte ſunt aliquando naturalis ſimiles: ergo non ſemper adeſt putredo. ℞. in principio morbi concedo: in progreſſu nego.

3. Obj. 3. Si venenum peſtiferum ſemper in nobis febrim generaret: ergo etiam alia id efficerent venena, intra corpus ſumpta: ſed conſequens eſt falſum; ergo & antecedens. ℞. etſi peſtis, & cætera venena, in eo convenientiam habeant, quòd occultâ quâdam proprietate corpetant, calorem ejus nativum jugulẽt, ſpiritúsq; vitales diſſipent: non tamen à corruptione aërea, vel corporea quâvis oriuntur, ſicuti peſtis, quæ ob id ſimilem corruptionis & putredinis effectum in corpore noſtro producit. Quis enim dicit, napellum, ſandaracham, arſenicum, ex tali putredine oriri, ſicuti peſtis: quæ, teſte Minderero, *lib. de Peſte, cap. 5.* nunquam agit ſine putredine, quæque putrefaciendo & corrumpendo necat?

4. Obj. 4. Si febris comes individua foret peſtis, ſequeretur, nullam peſtem quaſi in momento hominem è medio tollere: quod experientiæ contrarium eſt. ℞. nego ſuppoſitum, quòd ſi homo, quamprimùm corripitur, moriatur. Neceſſe enim eſt, ut venenum peſtiferũ aliquandiu in corpore delituerit, antequam hominem jugulet: hinc abſq; dubio inſignes potuit cauſare corruptiones & putredines: quin & multi, ſanitate omnino potiti viſi, derepente mortui ſunt; in quibus apertis viſcera inventa ſunt corrupta: cujusmodi exemplum habet Poterius, *in Centuriis ſuis*. Hinc qui tam citò extinguuntur, dicendi ſunt mortui peſtilenti ephemerâ: talis erat peſtis, de quâ Jacobus de Partibus, *in lib. 4. fen. 1. Avicenn. capit. de febr. peſtil.* quòd, inſtar baſiliſci infernalis, dimidiam hominum partem demeſſuerit.

Obj. 5. Foreſtus, *lib. 6. obſerv. 10.* ait: ſe multos vidiſſe, qui citò extingvebantur, cùm ab initio nequaquam febrire, aut malè habere viderentur; item Alexander Maſſaria, *lib. 2. de Peſte*, in hac, ait, noſtrâ Peſte plerIq; ſine febre interierunt. ℞. ad Foreſtum, & dico: licet ab initio febris non fuerit evidens; poſtea tamen eſſe potuit. Ad Maſſariam diſt. ſine febre peſtilente ephemera, quando ſcilicet venenum ſingularem ad ſpiritûs habet analogiam; nego: ſine alia chronicâ; concedo: ergo mortui ſunt ſine febre: nego conſequentiam. 5.

Caput XIII.

De Differentiis Peſtis, ſeu Febrium Peſtilentium.

Explicatâ Peſtis eſſentiâ, ſequuntur *Differentiæ*, 1. à *ſubjecto*: 2. à *morbo ipſo*: 3. à *cauſis*: 4. à variis *ſymptomatibus* & *morbis conjunctis*: 5. ab *objectis*: 6. à *ſpacio quod occupat*: 7. à *duratione*. A *Subjecto*, ſeu corde, peſtis differentiæ triplices, ſecundum triplicem ejus ſubſtantiam, ſpirituoſam ſcilicet, humidam, & ſolidam, ſumuntur differentiæ: dum ſpiritûs, in cordis ventriculis exiſtentes, per inſpirationem, vel tranſpirationem inficiuntur, ſit peſtis diaria, in hoc à diariâ non peſtilenti diſtincta, quòd in illâ non tantùm ſpiritûs incendantur, ſed etiam ſimul corrumpantur, unde, niſi à forti cordis robore citò propellatur venenũ, vel alexipharmaco *Peſtis Differentiæ.* 1. à Subjecto.

elimi-

eliminetur, maximum imminet vitæ periculum: talis peſtis fuit *Sudor Anglicus*, An. 1529. Secunda differentia, à ſubjecto deſumpta, eſt, quando humores in ventriculo, & ipſo corde degentes coinquinantur, & malignâ qualitate inficiuntur: tunc enim generatur febris peſtilens putrida continua; quæ eſt frequentiſſima: nec ulla febris peſtilens, contra Petrum Salium Diverſum, *lib. de Peſte, cap. 10.* datur intermittens. Tertia differentia eſt, quando ipſa cordis ſubſtantia corrumpitur, & calor ejus nativus extinguitur, & influentis generatio omnino impeditur: tunc generatur febris hectica peſtilens, & licet, tales repertos fuiſſe, quibus ſubſtantia ipſa cordis, unà cum pericardio, corrupta fuerat, teſtentur Fabricius, *lib. 2. obſerv. Chirurg. 27.* & Franciſcus Rota, *de curat. vulnerum ſclopet.* non tamen, eos peſte hecticâ laboraſſe, dicendum; quia nec fuit maligna illa adjuncta qualitas. Diſtinguitur autem peſtis hectica ab alia ſimplici hecticâ, primò quòd in hac ſolida & carnoſa cordis ſubſtantia non putreſcat, ſed tantùm plus juſto incaleſcat, & citra putredinem conſummatur: ſecundò quòd febris hectica peſtilens individuam habeat putredinem: tertiò quòd ſimplex hectica diu perduret; peſtilens verò citiſſimè jugulet.

2. *Morbo.* A *morbo* differentiæ ſunt, quòd peſtilens conſtitutio alia ſit vehementior; alia minùs vehemens: alia magis; alia minùs maligna & pernicioſa; cum majori, vel minori putredine.

3. *Cauſis.* A *Cauſis* ſunt differentiæ, quòd alia ab externâ; alia ab interna cauſâ oriatur: Hermetici differentias ponunt, 1. quòd fiat ab ente Deali: 2. ab ente Aſtrali: 3. ab ente Pagoico, ſeu Magico: 4. ab ente veneni: 5. ab ente naturæ: per hanc ultimam differentiam intelligunt internam humorum in corpore corruptionem: alii peſtem aliam pyroticam, ſeu igneam; aliam chaoticam, ſeu aëream; aliam undoſam, ſeu aqueam; aliam ſtatuunt terream.

4. *Symptomatibus.* A *Symptomatibus & morbi conjunctis* differentiæ deſumuntur; ut: v. g. à ſudore ſudor Anglicus; à ſyncope ſyncopatica; à petechiis petechialis, &c. dicitur; à lethargo lethargica; ab epilepſiâ epileptica; ab anginâ anginoſa; à pleuritide pleuritica, &c.

5. *Objectis.* Ab *Objectis* alia peſtis eſt, quæ homines ſolùm; alia, quæ bruta ſolùm; alia quæ utraque adoritur; alia eſt quæ ſolùm boves; alia quæ ſues duntaxat, uti teſtatur Fernelius, corripit: fitque id ob occultam quandam rerum ſympathiam & antipathiam: alia peſtis interdum mares tantùm; alia fœminas aggreditur: alia adultis, alia adoleſcentibus, alia pueris magis nocet: ita Dionyſius Halicarnaſſæus, *libro. 4. hiſt. Romana* prodidit, Romæ peſtem fuiſſe, quæ ſolas virgines & gravidas peremerit: Fulginas refert, ſuo tempore peſtem viris tantùm pernicioſam fuiſſe. Alia item peſtis eſt, quæ ſangvineos; alia quæ melancholicos; alia quæ bilioſos magis corripit; alia quæ unam tantùm nationem peſſundat: ut teſtatur Cardanus, *8. de rerum varietate*, ubi ait, peſtem ſolis Helvetis, non Gallis, aut Italis, etiam ibi degentibus, fuiſſe pernicioſam.

6. *Spatio.* A *Spatio* ſunt peſtis differentiæ, quòd alia ſit univerſalis; alia particularis.

7. *Duratione.* A *Duratione* peſtis alia eſt, quæ non diu perdurat; alia quæ diu ſuam exercet rabiem: qualis meminit Felix Platerus, *lib. 2. obſerv* quæ Baſileæ tribus annis perduraverit. Baronius, *tom. 2.* ait, peſtem quandam 10 annis continuaſſe.

Objectio. 1. Objicies 1. Ephemera peſtilens dari poſſe non videtur: quia in ſpiritibus non datur morbus; quia hi non ſunt partes corporis: ergo nec in iis dabitur morbus. *Reſp.* dum morbus dicitur ineſſe ſpiritibus, non intelligendum eſſe de ſpiritibus influentibus, ſed de inſitis: qui ſunt partes corporis noſtri magis vaporoſæ.

2. Objicies 2. Ariſtoteles, *de generatione & corruptione*, ait, finem putredinis eſſe terram & cinerem; ſed ſpiritûs non poſſunt in terram & cinerem redigi: ergo non poſſunt putrefieri. *Reſp.* Ariſtotelem non loqui ibi univerſaliter; ſed tantùm de putredine rerum craſſarum; non de putredine ſpirituum.

3. Objicies 3. Quæ moventur, non putreſcunt; ſed ſpiritûs ſemper moventur: ergo non putreſcunt. *Reſp.* per motum non negari putredinem, ſed tantùm difficultatem argui majorem.

4. Objic. 4. Ariſtoteles ait, omnia putrefieri, præter ignem: ſed ſpiritûs ſunt ignei: ergo non putreſcunt. Reſp. nego conſequentiam: plus enim in minori, quàm in majori includitur: & à particulari ad univerſale vitioſa eſt argumentatio: deinde etſi ſpiritûs eſſent ignei; non tamen inferretur, eſſe imputreſcibiles; quia multa ignea perfectè mixta putreſcunt: ſiquidem putredo eſt paſſio mixtorum.

CAPUT XIV.

De Cauſis Peſtis in Genere, & in Specie.

Cauſa: in Genere. CAuſæ peſtis *duplices* ſunt: *Divina*, ſeu *ſupernaturales* ſcilicet, & *naturales*: *DEUS* ſcilicet vel mediatè, vel immediatè, id eſt absque, vel cum concurſu cauſæ ſecundæ peſtem immittit: *naturales* ſunt *duplices*: *interna*, & *externa*.

Interna: Remota: Internæ iterum ſunt vel *remota*, vel *propinqua*: *remota* ſunt *triplices*: *plethora*, *cacochymia*, & *obſtructio*: *plethora* vel eſt *ad vires*, vel *ad vaſa*; *cacochymia*, & *obſtructio* oritur vel *à cauſis internis*; vel *Propinqua:* ab *externis*: cauſæ internæ *propinqua* ſunt inſingis in corpore corruptio & putredo, quæ oritur vel ab eſculentis, vel à potulentis corruptis.

Externa: Aër: Cauſæ *externa* ſunt item *triplices*: *aër* ſcilicet, *contagium*, *veneficium*: *aër* alteratur *dupliciter*: 1. in *qualitatibus manifeſtis*: idque *tripliciter*: primò quia vel unum duntaxat anni tempus aliquod conſimili ejusmodi qualitate excedit: ſecundò vel quia plura anni tempora unam eandémque talem præternaturalem conſtitutionem ſervant: tertiò vel quia ex variâ diversáque plurium temporum, frequenter ſe ſubſequentium, mutatione alterationes erebras ſumit. *Aër* alteratur 2. in *ipsâ ſubſtantiâ*; quæ induit corruptionem, per ſuſceptionem viroſarum exhalationum ac in-*Contagium:* quinamentorum, quæ excitantur: *Contagium* vel eſt *mediatum*, vel *immedia-Veneficium.* *tum* &c. *Veneficium* fit vel ex *cauſis naturalibus*, vel *non-naturalibus*, ſeu arte Magicâ. Cauſæ peſtis *naturales* ſunt vel ab *aſtris*: ut ſunt infauſti ſiderum aſpectûs, ac malignæ conſtellationes, eclipſes, varii cometæ, chaſmata, aliáque phœnomena: vel à *ſublunaribus*, *elementis* ſcilicet, aut *mixtis*. Inter elementa ſunt *terra*; quæ vel peccat ratione *ſitûs*; vel ratione *contentorum*, ut metallorum, cloacarum, ſepulchrorum, fimi &c. *Aqua* peccat vel ob motum deficientem; vel ob cadavera, & plantas graveolentes, in eam conjectas, vel piſces in eâ putreſcentes ſeu mortuos. *Mixta* ſunt vel *rationalia*; vel *irrationalia*; nebulæ fœtidæ, venti auſtrini, pluviæ continuæ &c. Et hæc *in genere*, *de Cauſis*.

In *ſpecie* autem *Theologi* cauſam peſtis *DEUM* ipſum conſtituunt: quia dicit Propheta Amos, *cap. 3. verſ. 6.* *Numquid erit malum in civitate, quod DEUS non fecerit?* & 1. *Paralipomenon*, *cap. 22. verſu 14.* Et *immiſit DEUS peſtilentiam in iſrael de manè uſq; ad conſtitutum tempus, & ceciderunt 70000 virorum*: &, *Deuteron. 28. verſ. 21.* *Si audire nolueris vocem Domini, ille tibi adjunget peſtem, donec de terrâ te conſumat* &c. *Species DEUS:*

Aſtrologi peſtilentiæ cauſam *aſtrorum* motui, lumini & influentiis adſcribunt: ſcilicet, pro diverſitate poſitûs aſpectûs, ſeu conjunctionis eorum ſiniſtræ; ob ingentes eclipſes, item propter cometas, à quorum extinctorum fœdo halitu aer inquinatur & inficitur. *Nos* *aërem*, *contagium*, *veneficium*, *plethoram*, *cacochymiam*, & *internorum humorum corporis putredinem*, peſtis cauſas eſſe obſervavimus. *Aſtra: Præternaturalia.*

Et primò, quod ad *Aërem* attinet, quamdiu is purus eſt & incorruptus, tamdiu reſpirationi naturali, & ſpiritibus vitalibus generandis, aptus permanet: contrà verò, dum contaminatur, vel *in ſubſtantiâ*, vel in *qualitate*, inſignem alterationem mutationémq; patitur ab aliquo, dum inſpiratione attrahitur, aut etiam inſenſibiliter per poros actiones ſenſibiliter lædit & labefactat. *Alteratur* autem aër primo *à locis* & *regionibus*: *loca* autem ſunt vel *humida*, ut paludoſa, marina &c. vel *ſicca*, ut ſulphurea, nitroſa, gypſea: vel *calida*, ut ſunt meridiana &c. 2. à *temporibus anni*, quòd nimirum illa propriam temperiem & conſtitutionem non ſervant; ut quando toto fere anno pluviæ, nebulæ, & auſtrinæ, calidæ ſcilicet & *humida*, *Aër: Qualitate.*

vigent

vigent conſtitutiones. Uti & Hipp. *3. epidem.* poſt diuturnam pluviam ingentem ſubortam fuiſſe peſtem teſtatur; item Gal. *1. de temp. cap. 4.* ait, annum plus juſto humidum peſtis eſſe prænuncium. Hinc Ariſtoteles, *4. meteororum*, nimiam *humiditatem putredinis matrem* appellat &c. Sanctus Eparchius, *in vitâ Caroli Magni*, meminit contagii peſtilentis, ob prægreſſam hyemis mollitiem exorti: hyems enim *anni pater* dicitur: idem aſſerit Syſangius, *in Chronicâ ſuâ*, de hyeme humidâ, molli, & florigerâ: ſiccitas quidem per ſe non generat peſtem; ſed per accidens, generando nempe obſtructiones, ſanguinem excalefaciendo, ſterilitatem & famem inducendo; unde peſtis exoritur. Aer in *ſubſtantiâ corrumpitur*, quando putreſcit ſecundum partem, & varias ac perniciosas exhalationes, aliunde elevatas, ſuſcipit: vel quando diu fuit concluſus: uti Albertus Magnus ſcribit, de diu concluſo Paduæ puteo, qui, apertus, aurâ ſuâ peſtilenti plurimos interfecerit. De ſimili narrat Vidus Vidius: quod Florentiæ contigit. Aëris ſubſtantia *pervertitur* à variis inquinamentis, malignis & venenatis putridisque exhalationibus, aliunde eidem communicatis: hinc aër non ſimplex ampliùs elementum, ſed quodammodo imperfectè mixtum efficitur; unde putredini obnoxius evadit: cui accedit ſingularis, venenata, totoque genere deleteria qualitas: communicatur autem aëri ab aliis elementis & elementatis, ſeu mixtis, à terrâ ſcilicet, & aquâ, & mixtis variis. *Terra* aëri tetros communicat *vapores* vel ratione *ſitûs*; vel ratione *contentorum*: ratione *ſitûs*, peſſimus eſt in vallibus, propter antiperiſtaſin à montibus; ibi enim aër à ventis radiisque Solaribus probè expurgari diſſlarique non poteſt. Terræ *contenta* ſunt metalla venenata, ſepulchra, cloacæ, fimus, ſordes, hiatûs, foveæ, ſpecûs ſubterranei diu concluſi & putridi, per terræ motûs mephitim & venenoſitatem ſpirantes; unde aër corrumpitur & inficitur: uti factum an. Chriſti 217. Romæ, poſt terræ motum, quem ingens peſtis ſubſequuta eſt: eodem modo in Germania, anno 1360. poſtquam arces multæ ad Rhenum horrendo terræ motu conquaſſatæ eſſent, peſtis ſummam incolis cladem intulit. *Aqua* quoque graveolentes aëri communicant *vapores*, qui illius ſubſtantiam tandem omnino corrumpunt; quando ſcilicet aqua vel non ſatis movetur, & ſic putreſcit: unde Ovidius;

Sicca.

in ſubſtantiâ.

Terrâ:

Aquâ:

& *vitium capiunt, ni moveantur, aquæ:*

idem ait Avenzoar, de aquis mortuis. 2. aqua putreſcit propter *ingeſta*: ut ſunt fructûs, cortices arborum, cannabis, cotula fœtida, braſſica, ſambucus, locuſtæ, ſerpentes &c. *Mixta* quoque varia aërem poſſunt corrumpere: ut ſunt nebulæ craſſæ, venti auſtrini, chaſmata, tam aquatilium, quàm terreſtrium animalium cadavera inhumata, in tabum degenerantia: v. g. poſt ingentes clades, ut teſtatur Cuſpinianus, ingentes ſubortæ ſunt peſtes: unde Ovidius, *7. metamorphoſeon,*

Mixtis.

Corpora fœda jacent: vitiantur odoribus auræ.

Quamvis aër, dum peſtis epidemica eſt: plerunque inficiatur; à *Contagio* tamen ſæpe primariò incipit; quando aliunde delatum uni primò, dein alteri, & ſic deinceps ſerpendo, communicatur, & morbus epidemius evadit. Ad contagium enim non ſufficit, ut ſeſe mutuò contingant res, ſed ut in eodem morbo ſymbolizent: hinc viperæ venenum non eſt contagioſum, quia vipera cum morſo, v. g. homine in affectu non ſymbolizat; ſecus fit in cane rabido, vel rabioſo, qui, dum alium inficit, contagio inficit; quia uterque eundem affectum patitur: &, cùm contagium (uti *ſuperiùs* dictum) aliud ſit immediatum, aliud mediatum; illud eſt, quando unum corpus aliud, ſine alterius corporis interpoſitione, immediatè contingit: mediatum eſt, quod mediante fomite propagatur: de fomite dictum eſt, à quo monetas omnino excludimus, præcipuè ab omni ſorditie liberas: nam contagii ſeminaria debent eſſe corpora laxa, mollia, poroſa, ſpongioſa, levia, habere aptitudinem ſicuti lana, linum, goſſipium, pelles, lectuli, ſtragulæ, &c. feles, cuniculi, canes.

Contagium:

Tertia peſtis cauſa eſt *Veneficium*; quo flagitioſorum hominum arte plus quàm

Veneficium.

quàm infernali, vel per potiunculas, unguenta, linimenta, portarum cornicibus & vectibus peſtis infertur. Teſtatur Hercules Saxonia, *in lib. de Plica, cap. 12.* & Fallopius, *lib. de Bubone peſtilenti; cap. 13.* peſtem illam, quæ anno 1555. viguit, non aliunde ortam fuiſſe, quàm ex fomite quodam contagioſo ac peſtifero, quem malefici homines ex cadaveribus peſte extinctis atque elixatis concinnarint, eúmque oſtiorum peſſulis ac repagulis, manubriis, poſtibus, ac liminibus, inunxerint; veneficis liberis manentibus eſu cordium puerorum baptiſmate carentium, ex uteris maternis exciſorum: alii puteos purulentâ, ex bubonibus expreſſa, & injectâ materiâ inficiebant: alii ejusmodi venenum ſaponi odorato commiſcebant. Incantatores etiam, ope Dæmonum, ſimile conficiunt veneficium, teſte Saxonia, *lib. de Plica, cap. 11.*

Cauſa interna: *Cauſa* peſtis *interna* ſunt vel *proxima*; vel *remota*: *hæ* ſunt plethora, cacochymia, & obſtructio:

Proxima: *proxima* ſunt viſceris, vel cujuscunque partis alterius inſignis *labes*, quâ id, quod ei apponitur, non aſſimilatur, ſed corrumpitur, & in alienam naturam convertitur, ſive ſit hæreditaria, ſive adſcititia:

Remota. *remota* verò cauſæ, ut plethora, cacochymia &c. ſiunt ab immoderato rerum ſex nonnaturalium uſu: vel, etiamſi quandoq; immoderatus non adſit uſus ſufficit, ſi eæ à ſe ipſis peccent: nam per eas corrupti in corpore humores generantur, unde venenum oritur peſtilentiale: panis, v. g. ex frumento, ſideratione ac rubigine, vel corroſione à teredinibus, aut marcore, vel putredine, vitiato confectus; legumina ſemiputrida, mucida, verminoſa, ac loco udo miniméque perflato diu aſſervata; carnes putridæ, fœtidæ, ac in tabum defluentes, ſeu à morbidis animalibus deſumptæ; eodem modo olera, piſcesque corrupti & putridi, aquæ ſtagnantes, paluſtres, cadaveribus horridæ, &c. ex quorum uſu pravum ſangvinem generari neceſſe eſt; qui, niſi fortiſſima obſtet natura, indies magis magiſque depravatur, donec malignam & venenatam penitus nanciſcatur naturam; unde febris peſtilentialis oritur: confirmante id Gal. *1. de diff. febr. cap. 4.*

Quæſt. I. Quæres 1. Quid ergo de Aſtrologorum ſententiâ ſentiendum ſit: cùm impium eſſe videatur, maleficium, teſte Mirand. *lib. 4. adverſus Aſtrologos;* benignis ſideribus, & omnia conſervantibus, aſſerente Ariſtotele, *1. de cœlo, cap. 42.* adſcribere, figurisque & ſchematibus actiones attribuere &c? Reſp. cum Roderico à Caſtro, cœleſtes aſpectûs non poſitivè, ſed privativè peſtem inducere; vel dicendum eſt, ſidera dupliciter conſiderari: vel per ſe, & quoad propriam ſuam ſubſtantiam; vel per accidens, ſeu reſpectu noſtri: priori modo conſiderata ſidera, ſeu ſtellæ, malefica nequaquam dici poſſunt; cùm nihil mali ſit in æthereis; poſteriori verò modo, reſpectu noſtri ſcilicet, malefica ex accidenti poſſunt dici: ideò enim canicula dicitur mala, propter approximationem, quæ nobis vicina ſit & noxia; non ex ſe, & ex natura ſuâ.

II. Quær. 2. Quomodo peſtis ſeminarium, ſeu fomes, aliquando tam diu conſervetur? Reſp. Niſi res optimè perflentur & mundentur, poteſt diu adhærere malignus ille fomes. Sicuti enim fuligo, vel nigra à fumo parieti communicata tinctura, ob viſciditatem, quam habet, diu adhæret: ita etiam malignus fomes.

III. Quær. 3. An à cadaveribus peſte extinctorum; an à vivis corporibus, majus immineat contagii periculum? Reſpon. à vivis corporibus majus periculum imminere, quàm à cadaveribus recentibus; quia tum per os, tum per nares, plurimum exſpirat, tum etiam per poros, à calore febrili hiantes, plurimum reſolvitur & exhalat: quæ omnia cadaveribus deſunt; niſi accedat putredo, quæ venenum eructat: quod in molli, raro, pinguique corpore, æquè ac in aliis ſeminariis, latere poteſt.

Objectio. 1. Objicies 1. Si humores venenati, ac venena, in noſtro corpore poſſent generari; id fieret vel à calore naturali, vel præternaturali: ſed neutrum dici poteſt: ergo. Non à naturali; quia is eſt vitæ & ſanitatis auctor: nec à præternaturali; quia hoc ipſius facultatem & potentiam omnino excedit. Reſp. negando, omnia fieri à ſolo calore naturali, vel præternaturali: ſed dico, multa fieri à potentiis eſſentialibus ſeu

conſub-

contuoſtantialibus, ſpiritibus, mineralibus &c. uti apparet in generatione calculi; qui non à ſolo calore (aliàs eo maximè laborarent febricitantes) ſed à ſpiritibus ſalinis, in corpore noſtro contentis, generatur: quin & ſæpius in abſceſſibus ligna, capilli, carbones, ungulæ, flocci, teſte Valentino Henner, *in propriis Obſervationibus*, reperti ſunt, quorum generatio non poteſt ſoli calori attribui, ſed potiùs certarum ſeminalium tincturarum, nec non ſpirituum vel ſalinorum, vel vitriolatorum, vel aluminoſorum, ſalis, ſulphuris, aut mercurii, naturæ & facultati adſcribenda videntur. Quis velit ſoli calori aut frigori hyſtericam paſſionem attribuere: quæ multa ſymptomata venenorum ſimilia habet? Idem puta de gangrænâ, quæ miras facit commotiones. Deinde ſi poteſt in aliorum animalium, v. g. canum corporibus generari venenum: quidni etiam in homine? Denique poteſt fieri & generari venenum in macrocoſmo: ergo etiam in microcoſmo: quia, teſte Crollio, *lib. Signaturarum*, nihil eſt in mundo, cujus proprietas etiam in homine non reperiatur. Gregorius Nazianzenus ait: *Compendium rerum omnium eſſe hominem.*

IV. Quær. 4. Utrum per imaginationem ſolam peſtis generari poſſit? Reſp. Imaginationem per ſe, & immediate, nullum peſtiferum affectum generare poſſe; ſed tantùm per accidens, quatenus nimirum ingens timor, aliunde incuſſus, humores corruptos, in corpore exiſtentes & quieſcentes, movere, agitare, & in cor deferre poteſt: unde ſpiritûs vitales inficiuntur: imaginatio enim nec motu locali, nec alterationis, humores movere poteſt. Si enim motu locali humores movere poſſet, in rubore, vel pallore faciei poſſet pro lubitu eos vel concentrare, vel à centro ad peripheriam deferre: quod tamen apertè falſum eſt: ſi humores alterare poſſet, jam frigus, jam calorem, ſolâ imaginatione ſibi poſſet homo, etiam tempore brumali, vel æſtivo, producere: quod à ratione penitus eſt alienum.

Objic. 2. Per imaginationem ſolam affectûs melancholici generantur; utpote melancholia hypochondriaca, ſtultitia, hydrops &c. quin imò ſæpius obſervatum eſt, peſtem ſolâ imaginatione fuiſſe generatam. Reſp. Quicquid factum eſt, id totum ex accidenti factum eſt, nempe mediante pravâ corporis diſpoſitione: quin &, ſi ſola imaginatio & metus ſufficeret ad producendam peſtem, omnes timentes eâ afficerentur tempore peſtis: quod tamen falſum; quia etiam inſigni metu perculſi ſæpius permanent immunes; cùm nempe corpus reperitur indiſpoſitum.

Caput XV.

De Signis Peſtis, & hujus Curâ.

Signa peſtis in *duplici differentiâ* præciſè reperiuntur: ſunt nempe ea, quæ *futuram*; & ea, quæ *præſentem* demonſtrant peſtilentiam: ſigna, quæ *præſentem* demonſtrant peſtem, ſunt vel *Metaphyſica*, vel *Phyſica*: *generalia*, vel *particularia*. Signa *Metaphyſica* ſunt hominum delicta, quæ ex naturâ ſuâ manum & vindictam provocant Divinam: *Phyſica* petuntur ex elementis, & elementatis. Ex *Aëre* ſunt anni tempora, naturalem excedentia temperiem, & præcipuè auſtrina aëris conſtitutio; uti Galenus teſtatur, quando annum auſtrinum peſtilentem nominat: 2. pluviæ prodigioſæ lactis, ſangvinis, ranarum, murium, lumbricorum: 3. nebularum craſſarum & fœtidarum frequentia: ex *Aquis* fœtor, putredo, diluvium magnum, excrementa ſpumoſa, puſtularum inſtar aquis innatantia, fontium limpidorum in cœnoſos metamorphoſis & inſolita turbatio, repentinus piſcium in ſtagnis, piſcinis & fluminibus interitus, rubetarum & ranarum copioſus proventus, & præceps corruptio, cancrorum è fluviis fuga: ex *Terra* ſigna ſunt, excedens ſterilitas, vegetabilium plerorunque ſubitus marcor & corruptio, boletorum & fungorum magnus proventus, terræ motus, talparum & murium è latebris ſuis eruptio & fuga, roſarum & florum, tempore autumni, nova progerminatio & efflore-

Signa.

ex Aëre.

Aquis:

Terra:

efflorеſcentia, bubonum nocturnus ululatus: de quibus Ovidius, *8. Metamorphoſeon*,

Ignavus bubo, dirum mortalibus omen.

Particularia. Signa *particularia* deſumuntur partim à *cauſis*; partim ab *effectu* aëris corrupti; quædam ab *ipſis morbis*: à *cauſis*, v.g. à contagio vicino, à ſtrage, à cometâ, fame &c. *effecta* aëris corrupti ſunt ranarum, bufonum, muſcarum, locuſtarum, erucarum, ſcarabæorum, & ſimilium inſectorum, ex putredine ortorum, plantas & flores corrodentium, multitudo, item araneæ plurimæ, è domibus tamen non omnino eliminandæ, eò, quòd venenum peſtiferum pro alimento colligant, obſoniorum corruptio, panis recentis, aëri expoſiti, ſubita corruptio: à *morbis* graſſantibus ſigna futuræ peſtis deſumimus, v.g. à variolis & morbillis frequentibus & pernicioſis, à petechiis, abortibus, frequentibus prodigiis &c. *Peſtis præſentis.* Signa, quæ peſtem indicant *præſentem*, ſunt, quòd ſit febris continua, ſine typo, vel humoralis, vel hectica, vel ephemera, ſpontanea laſſitudo, & virium repentina proſtratio, capitis dolor, vigiliæ, delirium, carus, ſyncope, pulſus obſcuritas, cardialgia, vomitus, diarrhœa à ſummâ humorum malignitate proveniens, ſitis, urinæ variæ, maculæ purpureæ, bubones & anthraces, glandulæ retro aures, ſub axillis. Notandum hîc, non ex urinis tantùm, ſed ex ſignorum plurium ſyndrome eſſe judicandum: ſi nempe plures eodem tempore moriantur, & prædicta accedant ſigna; de peſtis præſentiâ conjecturandum eſt.

Indicationes. *Indicationes*, uti in aliis morbis, deſumuntur ex tribus capitibus; nempe à morbo, cauſâ morbi, & viribus: morbus petit contraria: cùmque ſit occulta quædam & maligna qualitas; utiq; occulta quædam & oppoſita, ſub eodem genere exiſtens, qualitas requiretur: cauſa præſens ſui ablationem repoſcit, vires conſervari per ſimilia deſiderant; ſymptomata, quæ rationem cauſæ induunt, ſui indicant mitigationem.

Prognoſtica. Signa *prognoſtica* ſunt *duplicia*: alia *proclivitatem* hominis ad peſtem ſuſcipiendam; alia ſalutem & mortem demonſtrant: ad primum quod attinet, corpora ſanguinea citiùs peſtem ſuſcipiunt, quàm phlegmatica vel melancholica; eò, quòd ſanguis faciliùs putreſcat: bilioſo temperamento præditi etiam ſunt faciles ad ſuſcipiendam peſtem, eò, quòd, ob calorem cordis, multum de aëre attrahant, & conſequenter multum de corruptione: ſecundò poros habent magis patentes, ideòq; etiam plus veneni inſenſibiliter hauriunt. Hiſce *temperamentis* ſimiles correſpondent *ætates*: otioſi magis, quàm moderatè exercitati; gravidæ, quàm non gravidæ; virgines & mulieres, quàm viri; pauperes, quàm divites, eò, quòd impuriore nutriantur alimento; triſtes & meticuloſi, quàm intrepidi & fortes; ulceribus & fonticulis ſcatentes, item podagrici, & ſemel peſte tentati, minùs quàm alii; qui in novilunio aut plenilunio nati ſunt, faciliùs peſtem recipiunt. Heurnius, *cap. 8. de Peſte* ait: cave tibi in malis menſibus, quibus peſtis ſævit, cùm Luna venit ad eum locum, in quo erunt Saturnus & Mars tempore nativitatis tuæ.

Prognoſtica, quæ *ſalutem* & *mortem* in peſte correptis indicant, deſumuntur ex Hippocrate, dicente: *acutorum morborum incertæ ſunt prædictiones* &c. unde Palmarius, *de febre peſtilent. cap. 7.* de ſingulis, qui peſte fuerunt correpti, ſic ſentio: non modò difficile eſſe, imò fieri non poſſe, ut quis de eorum vitâ & interitu certò pronuntiet: nam omnia omni ferè momento, inſtar Protei cujuſdam, variant. Primò itaque ab *actionibus læſis* deſumendum eſt prognoſticum: ſi peſte correptus ſcintillantes habeat oculos, rubeos, nictabundos, vel caliginoſos, vel non videat, audiat, aures habeat tinnientes, torpore gravi & ſtupore vexetur, ſit ſummè laſſus; periculoſiſſimum eſt: ſi mente capiatur ac deliret, omnium obliviſcatur, vigilet continuò, vel ſoporoſus fiat, ſi judicium amittat, familiares non agnoſcat, & intellectu privetur, ſi doleat, & dolores non ſentiat, ſi frigidum per nares & os exſpiret, difficulter ſpiret, dentibus ſtrideat, partes ejus tremulæ evadant, convellantur, continuâ jactatione & loci mutatione afficiatur, ſi crebra animi deliquia & ſyncopes accedant, ſi pulſus ſit languidus, tremulus,

formi-

fornicans, ſi appetitus omnino ſit proſtratus, ingeſtorum vomitus, interna ſine ſiti urantur, adſit continuus ſingultus, ſi in initio magna ſit hæmorrhagia, aſſumptis alexipharmacis Æger planè non ſudet, vel ſecundum paucas tantùm partes, vel vehementi corripiatur diarrhœâ bilioſâ, vel atrabilariâ, vel ſangineâ, ſi urinæ ſint fœtidæ, lividæ, plumbeæ, crudæ, ſi lingua ſit arida, anhelitus fœtens, ſi in corpore ſint maculæ lividæ & paucæ, ſi facies ſit Hipocratica & cadaveroſa; tunc Ægrum ad ultimum ſui fati perveniſſe pronunciandum eſt; Econtra ſi ad oblata ſeſe benè habeat, facilè ſudet ad exhibitionem alexiteriorum, facultates omnes utcunque ſibi conſtantes obtineat, natura à protruſione liberali bubonum, anthracum, macularum copioſarum levata videatur, urinæ & excreta ſint laudabilia, &c. bene ſperandum eſt.

Jam ſupereſt, ut indicationibus ſatisfaciamus; *curativa* ſcilicet, & præcipuè *vitali*: de *prophylaxi*, & *præſervativâ*, deinceps agemus. Ad *primum* quod attinet, Medico cumprimis ſatagendum, ut venenata & occulta qualitas ex corpore radicitus, per antidota contraria, tollatur, Ægroto ſimul ad veram in Deum, ſanitatis & vitæ auctorem, confidentiam commonefacto. Quòd ſi alvus ſit conſtipata, levi clyſmate lenienda erit; contrà *purgationem electivam* hîc, tanquam noxiam & periculoſam, rejicimus: quia peſtis conſiſtit in venenatâ & occulta qualitate, quæ ſui amotionem per alterantia bezoardica indicat: 2. quia adeſt febris continua, cui non competunt purgantia: 3. quia vires ſunt maximè dejectæ: 4. ad præcavendum alvi fluxum, omnibus peſtiferis maximè noxium: unde Hipp. *3. epidem cap. 3.* ait, pharmaca purgantia ſuâ ætate peſtiferis non profuiſſe, ſed eos propè omnes interiiſſe: idem teſtatur Joubertus, *cap. 17. de Peſte*: Palmarius, *cap. 23. de febre peſtilentiali*: Ambroſius Paræus, *de Peſte, cap. 24.* Foreſtus &c. Vallerioia, *cap. 2. in Append. locor. communium*: Alex. Maſſaria, *lib. 2. de Peſte*: Cardanus, *lib. 2* &c. Si tamen, cum Quercetano, ſolum *rhabarb.* in *aquâ Bezoard.* infuſum, propinare velis, non tantoperè contrariabimur; ſed cavendum eſſe à fortioribus, omnino ſvademus. *Venæſectionem* quod attinet, ſimpliciter aſſerimus, eam eſſe valde periculoſam, primò quia nō eſt alexipharmacum, ideoque non tollit venenum: 2. nullum aliud venenum per phlebotomiam curatur: ergo nec peſtis: 3. eò quòd ſit impoſſibile, totum veneni ſubjectum tollere per venæ ſectionem, ſiquidem ob ſuam penetrabilitatem corporis intima citiſſimè penetrat: 4. eò quòd ſanguinis miſſio plurimùm vires dejiciat, quibus tamen ſummè egemus ad profligandum tantum hoſtem: 5. eò quòd per venæſectionem alii ſalutares naturæ motús, & excretiones per ſudores, bubones, & anthraces, impediantur: 6. eò quòd, ſi ſumma fuiſſet in phlebotomia ſalus, illi maximè periiſſet, quibus adminiſtrari nō potuit; ut ſunt pueri, ſenes, gravidæ, &c. quod tamen experientiæ minimè favet. 7. quòd in locum evacuati ſanguinis, & ſpirituum vitalium, ſeſe ſtatim ingerat venenum peſtilens: 8. quòd experientia docuerit ſæpiſſimè, eos, quibus ſecta fuit vena, omnes periiſſe; reliquos verò ſervatos eſſe: uti teſtatur Ambroſius Paræus, *Oper. Chirurg. lib. 21. de Peſte, c. 24.* Fallopi., Geſner., Palmari., Salius Diverſus: & P. Foreſtus refert, in peſte Delphenſi, quæ an. 1557. graſſata eſt, eos omnes, quibus poſt horas 12. ſecta fuerit vena, mortuos eſſe; vel admodum paucos ex iis evaſiſſe. Itaq; vitanda omnino eſt venæſectio, niſi fiat pro præſervatione, ante invaſionem, vel primis ſtatim invaſionis horis, & in maximè plethoricis. Confugiendum itaq; potiùs ad *Bezoardica*, *Alexiteria*, ſeu *Alexipharmaca*: ut:

℞. *Aq. ſcordii* ℥iiiß.
elixiris peſtil. Crollii ℈ij.
elect. diaſcordii Fracaſtorii,
Theriaca optima, ana ʒij.
aceti Theriacal. ℥ß. M. F. Potio:

detur calidè: quâ aſſumptâ Æger optimè ſudet, in lecto, per horas duas ad ſummum: dein, ſudoribus ſine magnâ eventilatione abſterſis, hæc *cordialis Emulſio* refrig. & alexipharm. propinetur ad ℥vj.

℞. *Sem. napi*,
citri,
cardui bened.
angelica, ana ʒiij.

Contunde in mortario, ſenſim affunde *aq. ſcorzoneræ* ℔j. F. l. a. Emulſio: cui

Margin notes: *Venæſectio.* — *Curatio.* — *Purgatio electiva.* — *Bezoardica.* — *Potio. Sudorifera.* — *Emulſio refriger.*

cui adde

lap. Bezoard. Oriental. pulv. ℈j.
manûs Chriſti perlat. ℥ß.
magiſt. C. Cervi ʒj.

M. propinetur, ut dictum eſt. Elapſis deinde 5. vel 6. horis ad ſummum, vel eadem *Potio ſudorifera* repetatur, vel ſequens concinnetur:

Hauſt. ſudoriferus. ℞. *Aq. card. bened.*
è typhis cornuum cervulor. ana ℥iß.
ſalis C C. volatilis ʒß.
elect. diaſcordii,
de ovo, ana ʒij.
ſpiritûs Theriacalis camphorati ʒj.

M. F. Potio ſudorifera: quâ aſſumptâ, poſt conſvetum ſudorum elicium, repetatur Emulſio. *Externa* interim minimè ſunt negligenda: v. g. talis *Sacculus cordialis* ordinari poterit:

Externa.

Sacculus cordialis. ℞. *Rad. Zedoar. angel. oſtrutii,* ana ʒiß.
fol. leviſtici,
ocymi, ana mj.
flor. anthos,
roſar.
bugloſſ. ana p. j.
cort. citri ʒij.
ſantali citrini ℈iß.
macis, croci, ana ℈ß.

Inciſa & contuſa includantur ſacculo; qui, vino generoſo infuſus & expreſſus, tepidè regioni cordis ſæpe applicetur: vel, loco ejus, applicari poterunt *crocus, & camphora,* cum *pul. fol. ſcordii,* in *vino Malvat.* diſſolut. Poteſt etiam calidè applicari pulſibus *Epithema* cum *aceto, Theriacâ, camphora, croco* &c. Horis quinque elapſis iterum ad ſudores redeundum eſt, vel per eadem alexipharmaca, vel per variata; videndumq; eſt, ne aſſumpto alexipharmaco dormiat Æger: quòd ſi illud vomitu rejiceret, aliquoties propinandum eſt, & *acetum roſat.* calidè ſtomacho applicandum quadruplicato linteo, vel *Sacculus* talis:

Epithema.

Sacculus ſtomachic. ℞. *Rad. cyperi,*
galangæ,
torment.
zedoar. ana ℥ß.
herbar. menthæ, abſynth.
flor. roſar. rub. ana mj.
nucis moſchat. ʒj.
caryophyll. arom. ℈ij.

Ex inciſis F. Sacculus, *aceto calido* imponendus: quòd ſi ſudare non poſſet Æger, duplicanda eſt alexipharmaci doſis, celebretur unctio Aërii, fricentur externa membra, lateres calefacti, vel lagenæ aquâ calidâ repletæ, vel *panis calens* per medium ſectus, & *vino Malvat.* vel *aquâ vitæ, & ſucco rutæ,* in quibus *Theriaca* parum diſſolutum ſit, aſperſus lateribus & emunctoriis applicentur, & Æger tectus ſudet: cui, ſi, durante ſudore, infirmaretur per deliquia, de ſequenti *Mixturâ* ſæpius unum cochlear exhibendum eſſe:

Mixtura ſalina. ℞. *Aq. cinnamomi* ℥ß.
flor. citri,
borag. ana ℥ij.
ſucci citri recenter expreſſi ʒij.
confect. alker. ℈ij.
ſyr. de ſucco citri,
gemmati, ana ℥j.

M. F. Julapium. vel, loco ejus, veræ *corallorum tinctura* guttæ vj. cum *aq. cinnamomi* exhiberi poſſunt, item *eſſentia perlarum* gt. vij. vel cochlear unum atq; alterum *aquæ caponis* deſtillatæ. Nota; quòd ſi per ſudores nullo modo, vel imperfectè tantùm, educerentur humores; veſicatoria, emunctoriis applicata, ſummè prodeſſent: quin &, ſi bubones ſint profundi, & natura in expellendo debilis, à principio ſtatim applicanda ſunt, ut veneno concilietur exitus: horum loco ſubrogari poſſunt cucurbitulæ ſiccæ, ignis actualis: interea ſæpius de ſequenti *Electuar.* magnitudo caſtaneæ exhiberi poterit:

Electuarium. ℞. *Myrrhæ elect. croci,*
oſſis de CC. ana ℈ij.
diptam. Cret. ʒij.
camphoræ ʒj.
zedoar. ℈viij.
rad. torment. pulv.
ſcordii pulv. ana ʒj.
Theriaca, Mithrid. ana ℥iij.

Cum ſ. q. *ſyr. de ſcordio* F. Elect. molle, ſæpius exhibendum; vel ſequens, gratius futurum:

Aliud. ℞. *Rob. ribium inſpiſſ.* ℔ß.
antidoti Matthioli ℥ij.
boli Armen. Oriental. aq. Theriacali præparat.
C. C. uſti, ſucco ſcordii præpar. ana ʒj.
ol. ſulph. acidi q. ſ. ad notabilem acid.

M. F. Elect. Faſciculum *Alexipharmacorum* vide apud Sennert. *ſub fin. lib. 4. Tract. de Febr.* annexum. Et hiſce tum curativæ, tũ vitali indicationi ſatisfactum erit: jam ad ſymptomata, quæ Medici oculos in ſe convertunt, accedamus.

Bubo,

Bubo. *Bubo*, ſeu tumor cum inflammatione conjunctus, ruber, dolens, tenſus, & tangenti renitens, acutus, aliquando pulſans, ſub axillis; vel ingvinibus, circa aures, collum, mammas, repertus requirit laxantia & emollientia: ut:

Fotus. ℞. *Herb. malvæ*
ſcabioſæ,
violariæ, ana m.j.
rutæ,
abſynth. ana mß.
rad. liliorum albor.
althææ, ana ℥j.
ſem. lini,
fœnigræci, ana ʒvj.

Inciſa & contuſa coque in ſ. q. *aquæ communis*, vel *lactis*: cui decocto linteum quadruplicatum, vel ſpongia intincta, & parum expreſſa, ad bubonem applicetur tepidè: repetendo hunc fotum cutis laxabitur, & dolor mitigabitur: *Inunctiones.* loco hujus *unguentum dialthææ*, *pinguedo anſeris*, *gallinæ*, cum *mucilag. ſem. althææ*, *lini* &c. illini poterit. Quòd ſi bubo non ſatis protuberet, attrahentia ſunt applicanda: ut eſt *cataplaſma* ex *cepis* & *Theriacâ*; *Cataplaſmata.* dum nempe *cepæ* excavantur, & *Theriacâ* implentur, iterúmque clauduntur, &, ſub cineribus coctæ, teruntur in mortario, & applicantur. Nos imponimus *emplaſtrum de fuligine*: alii *Epithemata.* *gallinas vivas* per medium ſectas applicant, ad provocandum ad extra venenum: alii *cucurbitulas* applicant; alii *veſicatoria*; alii *cauteria actualia*; alii *cultro* infectam carnem à non infectâ circulariter ſeparant, ſuppurantibus maturant, & ſuppuratum bubonem abſtergunt, & ſarcoticis replent &c. *Anthrax. Carbunculus.* *Anthrax*, ſeu *Carbunculus*, *Pruna*, ſeu *ignis Perſicus*, tumor maximè adurens, nigram cruſtam, vel ulcus cruſtaceum, nigricans, pruriginoſum & exedens, circumcirca livens, habens citò diſrumpendus eſt, & tardè conſolidandus: de quo vide Ambroſium Paræum. *Symptomata. Dolor capitis.* Ingens *capitis dolor Emulſione* mitigatur: ut:

℞. *Flor. ſambuci*,
amygd. amarar. ana ʒß.
ſem. papav. albi ʒiij.
citri,
acetoſæ, ana ʒß.

Contunde in mortario, ſenſim affund. *aquæ verbenæ* ℥vj. F. l. a. Emulſio; cui adde *aceti roſac.* ℥ij.
lap. prunell. ʒj.

In hac Emulſione tepidâ lintea intincta, leviter expreſſa, fronti applicari poterunt. Reliqua vide *in cap. de Dolore Capitis*: quæ etiam convenire poſſunt in *Delirio*; *Delirium.* in quo animalia per dimidium ſecta, & capiti applicata, plurimum proſunt. *Vigiliis* in *capite de Febre ardente* *Vigiliæ.* proſpectum eſt. *Hæmorrhagia narium* *Hæmorrhagia narium.* ſedabitur per *ligaturas* partium externarum, præcipuè *digiti auricularis*: deinde diſſolvatur *ſal prunellæ* in *aquâ* & *aceto*, & in petiolis naribus imponatur; vel tale *Frontale* fiat:

Frontale. ℞. *Croci Martis adſtringentis* ʒj.
boli Armen.
lap. hæmat. ana ʒiß.
prunell. ʒij.
aq. burſæ paſtoris,
plantag. ana ℥iß.
acet. roſacei ℥j.

M. & cum linteis applicetur fronti. Alii jubent *bufonem*, linteis involutum, usq; ad incaleſcentiam manibus tenere; & hinc ſanguinem incantamenti inſtar ſiſti affirmant. *Alia.* *Siti*, *lethargo*, *vomitui*, *ſyncopi*, *alvi profluvio*, partim ex *antea traditis*, partim ex *tradendis* occurrere poteris.

Diæta. Aër. *Diæta* conveniens inſtituatur, & *aëris* accurata habeatur ratio: aquiloni potiùs exponatur Æger, quàm auſtro: aërẽ enim frigidiuſculũ eſſe convenit, ut cor æſtuans refocilletur: ita tamen, ut corpus probè tegatur, ne frigiditate ambientis pori occludantur, & maligni vaporis tranſpiratio impediatur; pavimẽtum aſpergi poterit *aceto roſaceo*, vel *camphora*, & ſterni *foliis vitis*, *meliſſæ*, *roris marini*, *ſalicis* &c. conclave ſæpius de die perſumetur igne ex *ligno juniperi*, *roris marini* &c. *Cibi.* *Cibi* erunt citò reficientes: ut ſunt juſcula pullorum, caponum, gallinarum, *ſucco citri* acida, *lac amygdalarũ dulc.* cum *ſem. melonũ*, in quo *magiſt. CC. perlarum*, *corall.* diſſolvi poterunt, *Gelatina.* *gelatina caponis* ex *raſur. CC.* facta; ut, v.g. ℞. *Caponem deplumatum*, & *à pingued. liberum*, num. j. *vino albo* parum lotus, capite, collo, & pedibus truncatus, minutiſſimè incidatur (poteris etiam addere *perdicem*, ſi placet, eodem modo inciſam) deinde addatur *raſ. CC. crudi* ℥j. (aliqui addunt *magaritas præp.*) ponãtur omnia ad lagenã ſtanneã benè occluſã deinde in balneo Mariæ bulliant octo vel novem horis; poſtea liquor primus

decantetur ad ſcutellam, reliquus per lintea in torculari exprimatur, & in ſcutellis ſervetur; in loco frigido concreſcet in gelatinam; de quâ unum aut alterum cochlear ſemper cum juſculis *antè* dictis diſſolvi, vel per ſe ſupra carbones diſſolutum exhiberi debet: idq; ſingulis tribus aut quatuor horis. Vitanda hîc ſunt omnia calida, condita, acria, infumata &c. fructûs, utpote limones, mala citria, arantia, cydon. ceraſa acida, berberes &c. concedi poterunt. *Potus* ſit hic:

Potus. ℞. *CC. pr. ep. ſubtiliſſimè pulv.* ℥vj.

Bulliant cum ℔viij. *aq. fontis* ad conſumpt. ℔ij. Dein ponantur, ut refrigereſcant: tandem ponantur ad lagenam vitream, ut bene ſemper agitari poſſit liquor, antequam bibatur; & de hoc detur quantum lubet: huic decocto addi poteſt *ſuccus limonum*, vel *ribium*, ad gratam aciditatem; vel, loco hujus potûs, poteſt fieri ſequens *Julapium*:

℞. *Decocti CC.* vel *rad. ſcorzon. pentaphyll.* aut *acetoſ.* ℔iiij.
ſyr. acetoſitat. citri ℥iiij.
ſpirit. vitrioli q. ſ. M. F. Julapium.

Somnus. In hoc morbo *Somnus* minimè conciliandus eſt, quia, dum in ſomno calor concentratur, venenum ad cor fertur; quin &, ſi nimia ſit ad ſomnum inclinatio, manuum pedúmque frictiones aut ligaturæ adhibendæ ſunt: *Clyſteres*, aut *Glandes* acriores, ano intrudi debent: acria item naribus *Odoramenta* ſunt applicanda; ut eſt *ruta viridis*, & cum *ſale* & *aceto* trita: ad hunc quoque uſum eſſe poterunt *Sternutatoria*, vel ſequens *Fotus*:

Fomentum. ℞. *Rad. angel.*
Zedoar.
Imperatoriæ, ana ℥j.
baccar. lauri,
juniperi, ana ʒx.
herb. roris marini,
ſalviæ,
beton. ana m. j.
rutæ,
ſaturejæ,
flor. lavendulæ, ana mß.

Bulliant in ſ. q. *aceti vini*: deinde ſpongia, vel linteum, huic decocto immerſum, capiti raſo ſæpius calidè applicetur: deinde oleis cephalicis *inungatur*.

Inunctio. Omnis fugiatur *repletio*; *alvus* ſollicitetur glande, vel enemate mitiori; *ani-*

Excretiones. *mi pathemata* in omnibus moderentur: *Affectibus animi.* denique, dum & calor, & ſymptomata omnia remiſerint, *expurgari* utcò poterit Æger, ut materia, ab æſtu febrili cremata, tollatur. *Purgatio.* *Theologica prohylaxis* à verâ delictorum expiatione, & ſincerâ vitæ emendatione, deſumitur. *Prophylaxis Theologica.* *Civilis* autem præſervatio eſt, ut ædes à ſordibus repurgentur, plateæ mundentur, peregrini homines, ex locis ſuſpectis venientes, arceantur, publici conventûs interdicantur, ædes infectæ occludantur, infecti à ſanis ſeparentur, aer accenſis ignibus & ſuffumigiis corrigatur, contagium ſerpens per locorum & perſonarum declinationem vitetur, ſecundum verſiculos hoſce: *Civilis.*

Sunt tria, quæ tollunt, verba atq; adverbia, peſtem:
mox, longè, tardè, cede, recede, redi;

corpora à pravis humoribus per evacuationes liberentur; facultas vitalis per alexipharmaca, amuleta &c. muniatur: diæta optima ſervetur &c. His omnibus per remedia in Sennerto, *loco ſuprà citato*, cóſcripta occurrere poteris.

Objectio 1. Obj. 1. Non datur ſpecificum peſtis alexipharmacum: ergo fruſtra eam curare admitimur: prob. ex Cratonis *Conſilio* 266. ſcribentis: veram peſtis antidoton ſoli Deo notam, non eſt dubium: & *Epiſt.* 151. Antidotus vera peſtilentis veneni in Divina manu eſt, neq; Medicis explorata. Idem aſſerit Palmarius, *de Febr. Peſtilent. cap.* 17. dicens: dari quidem in natura peſtilentis veneni remedium: ſed alexiterium illud adhuc in naturæ ſinu delitescere, & proprium ac peculiare peſtilentis veneni alexipharmacum nos ignorare. Hinc ad communia venenorum alexiteria, & cardiaca confugiendum eſt. Idem aſſerit Gocklenius, *in Loimographiâ.* R. cum Deus ter Opt. Max. ſingulari clementiâ ſuum cuivis morbo peculiare remedium oppoſuerit; etiam peſti ſuum oppoſuiſſe, dicendum eſt: quòd autem illud magis ſit reconditum; inde eſt, quòd peſtis natura ſit reconditiſſima, idq; ex ſummi Numinis decreto: ſicuti parens bonus virgam feneſtræ affixam à filio diſrumpi ſemper non patitur. Quod ad Auctores attinet, explicari ſic poſſunt; quòd putent, nullum remedium ita ſoli peſti eſſe ſpecificum, ut nulli alii veneno conveniat.

Quær.

Digitized by Google

Quæſtio 4. Quær. 1. Quid de ſerpentum pulvere ſit ſentiendum? 2. Utrum amuleta ex Mercurio, arſenico, & bufonibus, à peſte præſervent? ℞. ad primũ: licet pulveres ſerpentum vim quandam exſiccandi ſingularem habeant, ob naturam ſalinam, quâ naturaliter abundant, quámque ex ampliſſimo terræ ſinu exſugunt ſerpentes, tempore terræ maximè balſamico, nec omnem vim alexipharmacam craſſioribus venenis, ut eſt arſenicum &c. reſiſtendi negemus; ſubtiliori tamen, & aſtrali peſtis veneno planè contrariari, minimè putamus: ſiquidem plurimis edocti ſumus experientiis, eos, qui illum pulverem ſumpſerunt, reliquis citiùs infectos & extinctos fuiſſe. ℞. ad 2. cum Augenio, Hercule Saxonia, Hennemanno, Eraſto, Maſſaria, Cratone &c. amuleta nihil per ſe corpori noſtro prodeſſe, &, ſi quid aliquando effeciſſe videntur, id tantùm ob imaginationem accidiſſe. Variæ autem exſtant experientiæ, quòd ſuâ malignâ & venenatâ qualitate arſenicum calefactum portantibus nocuerit, eosq; extinxerit; teſte Franciſco Alphano, de juvene aliquo, qui, poſtquam in ſphæriſterio incaluiſſet, arſenici veneno protinus extinctus ſit.

Obj. 2. Scorpiò plagæ à ſe inflictæ impoſitus medetur: idem puta de paſtinacâ marina, pilis canis rabidi morſui admotis, crabronibus, veſpis & apibus, quæ ſuis impoſitæ contrariantur puncturis: quin & bufones bubonibus peſtiferis impoſiti præſentaneo ſunt auxilio: ergo idem dicendum erit de arſenico, Mercurio &c. ℞. negando paritatem: nam nec in mortuis apibus, nec in bufonibus exſiccatis, nec in ſcorpione mortuo, nec in pilis rabidi canis, ſicut in arſenico, eſt actuale venenum: nec id efficiunt per venenum actuale, ſed per qualitatem occultam alexipharmacam in illis exiſtentem, & emanantem à formâ ſpecificâ: ergo ſucceſſit priori veneni productrici; ſicut enim res optimæ peſſimam induunt naturam; ita res peſſimæ optimam. Deinde ſi arſenicũ, ſupra cor geſtatum, peſtis venenum arceret; deberet id vel per ſimilitudinem, vel per diverſitatem efficere: ſed neutro modo fieri poteſt; quia duo diverſa venena non ſeſe mutuò fugabunt, ſed potiùs junctis viribus calorem nativum opprimerent. Si per ſimilitudinem fieret, potiùs intrò traheretur arſenicum, ob vehementiam & ſubtilitatem veneni peſtilentialis; & ſic major fieret caloris nativi oppreſſio: vel poſito, quòd utrumq; venenum haberet parem activitatem, junctis iterum viribus miſerum oppugnarent.

Obj. 3. Toties decantatum CC. non videtur convenire in peſte, quod eſt frigidum & ſiccum; ideoq; minimè cordiale. ℞. negando CC. eſſe frigidi temperamenti; quia tantum habet in ſe ſulphuris nativi, quantum ſalis, teſte Rulando & Anatomiâ Spagyrica. Quod autem ex utroque conflatum eſt, frigidum nec dici, nec eſſe poteſt. I.

Quær. 2. Utrum etiam ex antimonio Medicina antipeſtilentialis fieri poſſit? ℞. Licet antimonium, ſicuti multa alia, per Spagyriam omnem ſuam venenatam qualitatem exuere ad tempus poſſit; quâ benignitate ſulphur auratum, antimonium diaphoreticum, pulv. angelicum, tinct. antimonii præſtare aſſerunt: infallibile tamen eſſe alexipharmacum, uti clamitant non pauci, cum experientiâ deficiente penitus dubito. II.

Caput. XVI.

De Febre Hungarica, & Petechiali.

Morbus Hungaricus, qui in Hungariâ tantùm tempore Maximiliani Imperatoris graſſabatur, jam per totam ferme Europam divagatur: Viennæ autem tam familiaris eſt, ut quovis anni tempore graſſetur, & quidem ita fraudulenter, ut Doctiſſimis etiam Medicis imponat: nimirum dum optima concoctionis exhibet ſigna, & pulſum laudabilem, Ægros è medio tollit: econtra, lethiferis quandoq; ſtipatus ſignis, naturam, licet proſtratiſſimam, relinquit victricem. Rulandus, *de luc. Ungaric.* eum deſcribit, quòd ſit *morbus Epidemius,* περιφιγγώδης τῇ θερμασίᾳ *deleterius. Epidemius* dicitur eò, quòd & plures, diverſo temperamento præditos, eodem tempore aggrediatur, & communem habeat cauſam. *Morbus Hungaricus.* *Quid.*

Differentia eſt à modo caloris & ebullitionis, qui per τὴν θερμασίαν denotatur, & per puſtularũ, bullarũ, vel tactui moleſtarũ ſcintillarũ efflorescentiá, & ſanguinis ebullitioné; quod τὸ περιφιγγώδης, *Differentia.*

teſte Hip. *6. epidem.* ſignificat: *Deleterius* dicitur ob inſignem, quam habet, malignitatem, quâ plurimos Medicâ ope deſtitutos è medio tollit. Hanc autem malignitatem denotant ſymptomata vehementia, quæ à ſimplici putredine provenire impoſſibile eſt. Adeſt enim ingens capitis dolor: unde vulgo *Morbus capitalis* dicitur; adeſt coma, paraphrenitis, ſæpe ſpaſmus, pectoris gravitas, & tuſſicula, cardialgia, exacerbationes jam veſpertinæ, jam nocturnæ, jam diuturnæ, jam quotidianæ, jam alternis diebus recurrentes; prout ab hoc vel illo humore prævalet cacochymia, adeſt linguæ & faucium nigrities & ſiccitas &c.

Cauſa. *Cauſa* hujus mali communis ſæpe eſt aër, ab auſtrinâ & pluviali intemperie alteratus & corruptus; item communis victus pravus: unde variæ cruditates & cacochymiæ generantur, è quibus ſanguis putreſcit, & tandem malignitatem concipit. Totam hîc, cum Rulando, cauſam in pituitam referre non poſſumus: ſiquidem ſummus ille ardor à ſolâ pituitæ putredine exoriri non poteſt; deinde pituitoſi morbi tam celerem nõ habent motum, uti Hungarica lues, quę terminum acutorum nunquam tranſcendit.

Signa diagnoſtica. *Signa diagnoſtica* ſunt ingens & intolerabilis dolor capitis & ventriculi, ſumma totiꝰ corporis laſſitudo, pectoris anguſtia, & reſpiratio difficilis, cum tuſſiculâ, cordis palpitatio & tremor, venarum inflatio, & perturbatio, inquietudoq; ſumma, maculæ pulicum morſibus ſimiles, ſed quæ preſſæ diſparent, calor ſub initium in externis mitior, circa præcordia, & intus, planè urens, facultates omnes læduntur, ita tamen, ut pulſus in principio naturali ſimilis videatur; cui, præſente graviorum ſymptomatum ſyndrome, minimè fidendum: nam, teſte Hipp. *his, quæ ex ratione non levant, non oportet fidere, neque multum formidare mala, quæ præter rationem accidunt*: delirant, vel etiam phrenetici ſiunt Ægroti, oculi ſcintillantes & inflammati apparent, aures tinniunt, phlegma dentibus, inſtar viſci, adhæret, lingva excavatur, fauces fuliginibus tectæ apparẽt, vigiliæ continuæ, aliquando etiam affectus ſoporoſi urgent, manûs & pedes tremunt, adeſt ingens ciborum nauſea, aliquando fames, interdum ſitis inexplebilis, aliquando etiam nulla; dum ſcilicet malignitas major occupat cor, quod ſolâ inſpiratione refrigerari poteſt, quòdq; ventriculus mexis pituitoſis humorib, obſeſſus ſit. ſunt hæmorrhagiæ, ſudores particulares, frigidi, & fœtidi, cum dejectione virium, excrementa alvi fœtidiſſima ſunt, urinæ à principio ſunt laudabiles, malignitate ſcilicet à centro incipiente, & humoribus nondum corruptis; hinc eſt, quòd iis minimè ſit fidendum: ſin valde crudæ ſint & aquoſæ, magnam virium proſtrationem denotant, & humorum bilioſorum in viſceribus nobilioribus ſignificant retentionem. Licet petechiales maculæ pleraſq; pro ſigno pathognomonico luis Hungaricæ habeantur, eò, quòd vel implicitè, vel explicitè, eam ſequuntur: plurimis tamen etiam aliis morbis hæ contingunt, accedente ſcilicet tantâ materiæ copiâ, ut, nullâ omnino factâ coctione, vel ſeparatione puri ab impuro, natura cogatur partẽ ad cutim expellere; unde maculæ petechiales oriuntur. Signum itaq; hujus luis pathognomonicum non ex uno tantùm apparente, ſed ex plurium concurſu deſumendum eſt.

Quatuor plerunq; ad *curandam* hanc luem occurrunt ſcopi: primò enim malignitatis fons exhauriendus: 2. maligna qualitas per contrarium oppugnanda: 3. facultas vitalis roboranda: 4. ſymptomata, quæ rationem cauſæ induunt, tollenda ſunt. Hiſce indicationibus, præſente tanto hoſte, difficile quidem erit ſatisfacere, qui, dum blanditur, nocet; dum nocet, decipit. Quò tamen vires erunt fortiores, & ſymptomata mitiora, eò ſemper melior morbi futurus eſt eventus. Et hæc quidem prognoſtica ſecuriſſimè deſumuntur ab excretis & retentis; ſi, v. g. alvi profluvium non tantùm in initio, vel declinatione, quod ſæpius cum Ægri commodo accidit, ſed toto morbi tempore perduret; malum. Idem puta de ſudore, qui, ſi copioſus ſit, ab initio morbi, & cum tolerantia; bonus eſt: ſi verò paucus, in ſtatu, frigidus; malus: item ſi urinæ ſint paucæ, & cum difficultate, ſi crudæ, lividæ, vel *Cura.*

nigræ;

nigræ, malæ: item petechiæ, quocunq; morbi tempore apparentes, hoſtile prædominium prænunciant; nigræ autem, & lividæ, ſunt peſſimæ: colorem item faciei aſpectu terribilem, liveſcentem, Hipp. *in Coacis prænotionibus*, funeſtum judicat: ſi à principio icterus ſtatim accedat, lethale eſt: tremor lingvæ, convulſio, ſtridor dentium, abolitio ſenſificæ facultatis, mortem præſagiunt: ſin delirio, aut phrenitidi, ſurditas ſuccedat, bonum eſt: ſomnus & vigiliæ, ſi omnino excedant, mala ſunt: pulſus tremulus, intermittens, formicans, miurus, recurrens, mortem præſagit: reſpiratio difficilis, vel frigida, mala; libera verò ſemper eſt bona: hypochondria dura, doloroſa ex contactu, mala ſunt: ſignum enim eſt, diaphragma inflammatum eſſe, quod illa retrahit: ſi Æger ſemiclauſis dormituriat oculis, ſi manûs & pedes continuò detegat, ſi locum mutare contendat, ſi floccos legat; mortem in propinquô eſſe dicendum eſt; & eò quidem magis, quò plura ejuſmodi lethalia ſigna apparent.

Purgatio. Factâ prognoſi, indicationibus ſatisfaciendum eſt. *Purgationem* multi, inter quos fuit Mindererus doctiſſimus, & multi Viennenſes Practici, maximè improbant: & bene quidem; præcipuè ſi malignitatis fomes non ſit in ventriculo, ob præcedentem cruditatem, eamque craſſiorem: cúmque hîc, in Auſtriâ, talem morbum ſæpe incurrant à potu vini, qui corporis intima citiſſimè penetrat & aſcendit; minimè tutum eſt, agitatiſſimum, & anguſtiis omnibus ſubjectiſſimum corpus moveſe: ſi tamen prava & craſſa præceſſerit diæta, qualis eſt in caſtris; ſi Æger aquæ, vel cereviſiæ plurimum ingeſſerit, puncturas, vel gravitatem, cum nauſeâ vel vomitu, in ſtomacho ſentiat, ſi fomes iſte, ob morbi augmentum, corporis intima nondum penetraverit; illa vitioſorum humorum in primis viis colluvies *Vomitivo* aliquo, vel purgatione levi, tollenda erit: ut:

℞. *Aq. vomitiva Plateri*,
ſyr. emet. Angeli Salæ, ana ʒvj.

M. F. Vomitivum: vel exhiberi poterit ʒj. *confect. diaſtibii*, præcipuè fortioribus: vel alia, ex *præcedentibus*, vomitoria concinnari poterunt: vel talis *Purgatio* exhiberi: *Purgatoria.*

℞. *Agar. rec. trochiſcati* ʒij.
fol. ſen. ſ. ſt. ʒiiiß.
His ſuperaffunde
aquæ ſcorzoneræ ℥iiij.

Stent infuſa per noctem; manè in colat. diſſolve

mannæ elect. ℥iß.
crem. tartari ℈j.
ol. citri gutt. j. M. F. Potio;

Vel

Bolus.

℞. *Elect. de tamarindis* ℥iß.
crem. tartari,
agar. pulv. ana ℈ß.

M. Cum *ſyr. roſar. ſolut.* F. Bolus. Si verò, quod bene notandum, hiſce opus non fuerit, ſufficiet, applicato enemate illico *Venæſectionem* celebrare, nec exſpectandum eſt, donec tota ſangvinis maſſa infecta fuerit; ſed, non obſtantibus etiam petechiis, motu ſcilicet noxio & ſymptomatico, detrahendus eſt ſangvis in eâ quantitate, quæ naturæ tolerabilis eſt; at quæ in morbi progreſſu, cum virium defectu, cane pejus & angve fugienda eſt: idem cavendum eſt, ſi vomitus violentus, vel alvi fluxus adfuerit: in junioribus, ſeu pueris, cucurbitularum, vel etiam hirudinum applicatio venæſectioni ſubrogari poterit: quin & cucurbitulæ ſiccæ modò, & ſcarificatæ, lumbis & femoribus applicari commodiſſimè poterunt, ut hiſce malignitas & ichores diſſipari, ac à centro ad peripheriam trahi poſſint. *Venæſectio.* Hiſce ex fonte Chirurgico celebratis, confugiendum eſt ad *Alexipharmaca*, quæ malignitatem oppugnant: ut ſunt: *Pulvis Pannonicus rubeus*, *C. C. præparatum*, *ſpecies liberantis*, *pulvis Ducis*, *bezoar*, *unicornu*, *&c.* ut: *Alexipharmaca.*

Aqua.

℞. *Aq. galegæ*,
ſcorzoneræ,
card. bened. ana ℥ij.

M. ad vitrum: in quibus ſequens *Pulvis* bis de die ſumi poterit: *Pulvis.*

℞. *Pulv. Pannon. rubr.* ʒj.
lap. bezoar. Orientalis,
raſ. unicornu, ana ℈ß.

M. F. Pulvis: dividatur in 2 partes æquales: detur una manè, horâ 6. altera veſperi: excitetur ſudor, diebus maximè criticis, dum natura vel nihil, vel imperfectè tantùm agit: ſi ſudores ſuc-

cedere

cedere nollent, oporteret præmittere *unctionem* illam *Aëtii, ſuperiùs* traditam; vel *lateres aceto* extinctos, vel *panes recentes*, per medium ſectos, *aceto* conſperſos, tepidè femoribus & axillis admovere: alii *lagenas, aq. calidâ* plenas, vel *veſicas bubulas* admovent: ſudet itaque duabus horis in lecto Æger, & poſt ſudorem corpus non ſtatim aëri libero exponat, ne ſubitanea accedat mutatio, ſemper corpori noxia; ſed calefactis pannis ſudor abſtergatur: dein cibus aliquis porrigatur, vel medicamentum corroborans: ut:

Confortantia.
℞. *Aq. borag.* ℥viij.
ſyr. de rubo Idæo ℥ij.
confect. alkermes ʒiij.
de hyacintho ʒj.
magiſt. perlar. ℈j.

Liquor. M. ad vitrum: de quibus bene agitatis detur cochlear unum & alterum ſæpius. Quòd ſi Æger non ſudet per ordinaria iſta diaphoretica, malignitasque multis partibus ipſum calorem febrilem exſuperet; in adultis confugere poterimus ad *Theriacam*, vel etiam ad *elect. de Zedoariâ*, quæ diſſolvi poterunt in *aquâ nucum*, *ſcabioſæ*, *petaſitidis*, cum *aceti optimi* momento: pro pauperibus ſola ipſa *radix Zedoariæ*, in prædictis *aquis* exhibita, ſufficit: Vel

Pulveres.
℞. *Flor. nitri,*
ſulphuris, ana ℈ß.
myrrhæ elect. ℈j.
camphoræ gr. xij.

M. F. Pulvis pro una doſi: hic pulvis valde uſitatus eſt in Noſocomio Viennenſi, eſtque magnarum virium: Witichius ſequentem *Pulverem* miris effert laudibus:

℞. *Flor. ſulphuris* ℈j.
ſuccini albi præparati,
C. C. uſti præparati, ana ℈ß.
terræ Cæſareæ Strigenſis (præſtat *ſigillata Rudolphi*) *ex Sileſiâ allata*, ℈ij.

F. Pulvis ſubtiliſſ. qui propinetur cum prædictis *aquis*, ad ſudoris copioſi elicitum. Ruſtici utuntur *vino aduſto*; in quo *albumen ovi*, & *crocum*, diſſolvunt, dicuntque, albumen ovi impensè refrigerare; crocum eſſe cordialem; ſpiritum vini autem exſiccare, & ſimul cordialem eſſe. Ego, loco ejus, potiùs acciperem aliquam aquam bezoardicam, ut eſt *Theriacalis alexiph.* vel *analeptica alexiph.* dum ſudandi adeſt difficultas, danda ſunt ſudorifera in formâ liquidâ, quæ faciliùs penetrat: ut:

℞. *Aquæ analepticæ alexipharm.* ℥ß. *Sudorifera Potio.*
petaſitidis,
galegæ, ana ℥j.
elect. diaſcordii Fracaſtorii ʒij.
ſalis C. C. volatilis ℈j.
eſſentiæ margarit. gutt. x.
aceti optimi ʒij.
ſyr. de ſcordio ℥ß.
M. F. Potio ſudorifera.

Hîc, ſi placet, poſt ſudores abſterſos, ſequens *Emulſio perlata* propinari poterit: *Emulſio perlata.*

℞. *Sem. citri,*
napi, ana ʒj.
melonum excort. ʒvj.
amygd. dulc. excort. ℥iß.

Contunde in mortario, ſenſim affund.
decocti C. C. ℔j.
F. l. a. Emulſio: cui adde
cinamôm Chryſti perlatæ ℥j.
C. C. præparati ʒj.

M. & agitata ad ℥iiij. pro doſi exhibeantur: Interea juſcula alterantia & *diuretica* exhiberi continuò debent; quia *Diuretica.* hiſce ſangvinis corruptio æquè, ac per diaphoretica, tollitur: ne tamen corpore valde impuro exhibeantur *diuretica*, ne ex primis viis ingentem cacochymiam ad venas rapiant: talia autem erunt: *decoctum raſuræ C. C. radicis graminis, cichorei, aſparagi, pimpinellæ, pentaphylli, ſcorzoneræ, cort. & ſem. citri, ſerum lactis, acidulæ, julapia,* cum *ſyr. de acetoſitate citri, de limonibus: emulſiones ex ſem. frigidis* &c. Interim, dum hæc uſurpantur, diligens ſit ad dies indices attentio: v. g. ad quartum: utrum ſint in urinis ſigna quædam concoctionis, nec ne: ſic enim futura eſt in ſeptimo morbi ſolutio: ſi in undecimo; decimo quarto. *Epithemata* etiam cordi, & pulſibus applicentur: ut:

℞. *Pulv. ſpecierum pro epithem. cordis* ʒiß. *Epithemata.*
croci,
camphoræ, ana ℈j.
aquæ borag.
pimpinellæ,
rubi Idæi, ana ℥iiß.
aceti roſac. ℥ß. M. F. Epithema: Vel

℞. *Theriac.*
ſpec. cordial. temperat.
diatrionſantalon,
liberant. an. ℈j.
aceti roſac. q. ſ.

F. in-

P. inſtar Linimenti, additâ ſ. q. *ung. roſati Meſue*, vel *baccæ juniperi* cum *aceto* contuſæ applicentur, item *ruta* &c.

Oris, Linguæ exaſperatio: Quòd ſi *lingva* plurimùm *exaſperetur*, fiatque rimoſa, ſæpius *oxycratum* gargarizetur, in quo *nitri* parum diſſolutum ſit; vel taleolâ *lardi crudi*, *pulvere nitri* conſperſâ, abſtergatur: vel fiat *mucilago ſem. cydonior.* cum *aquâ roſarum* extracta; cui addatur parum *nitri*; & plumâ perdiceâ frequenter illinatur lingva. Si hæc non juvent, apertio venarum ſublingvalium lingvæ & faucium empyrevma ſimul & ſitim non parum diminuit.

Delirii: *Delirium*, quod fit à vaporibus calidis, ad caput aſcendentibus, & rationis arcem turbantibus, plerumque tollitur per *veſicatoria* utrinque in partibus colli, ſupra venas jugulares, applicata, cavendo colli vertebras; in iis enim applicata veſicatoria ſtranguriam excitant, & veſicæ inflammationem, ob eam, quam habent cantharides cum veſicâ, antiparhiam: *Emulſiones* etiam ad delirium ſedandum non parum faciunt, vapores nempe acres mitigando & attemperando: iiſdem emulſionibus

Vigiliar. nimiar. *Vigilias nimias*, præcipuè ſi tantillū *ſem. papav.* addatur, tollere poteris: nec minùs accidentibus,

Ventriculi morbi. Stomachicæ: *ſtomacho* in hac lue evenientibus, ſuccurrendum eſt: ut ſunt *cardialgia*, *nauſea*, *vomitus*: ſi itaque in

Interna. vigore morbi hæc perſeverent ſymptomata, demulcenda ſunt tum externis, tum internis: *Interna* ſunt *ſuccus agreſta*, *acetoſa*, *ſyr.* & *ſuccus granator. acidor. citri*, cum *aq. mentha*, *portulaca*, *ſcorzonera*, &c. dilutus & propinatus: vel *mica panis*, *vino granatorum* intincta & comeſta, ad cardialgiam faciet plurimum: *Externa* ſunt *fomenta*, *unguenta*, *cataplaſmata*; quæ variè concinnantur: ut:

Fotus, ℞. *Roſar. rubear.* mß.
mentha mj.
abſinth. Pont. p. j.
flor. chamomilla p. j.

Coque in *aquâ*, & *aceto*, & lintea quadruplicata intincta ſtomacho calida ſæpius applicentur: hoc dolori & nauſeæ plurimum conducit: ſi tamen major adeſſe videatur inflammatio, *emplaſtrum ſantalinum*, quod & ad hepar usq; pertingere poterit, plurimum conferet: *cucurbitula*, orificio ventriculi applicata, cardialgiam & ſingultum ex tempore ſiſtit, extrahendo nimirum malignos vapores. Horum ſymptomatum cauſas, pro vomitu ſiſtendo, vide *Tractatum de Peſte*: ſiſtitur etiam Vomitum ſiſtentia.

ſingultus *conſervâ roſarum vitriolatâ*, *ſyrupo* & *vino granatorum* dilutâ; item *caſtoreum*, tum intus, ad gr. v. ſumptum, tum ejus *oleum* ſtomacho applicatum, reliqua omnia exſuperat. *Diarrhœa*, Diarrhœa.

& *Dyſenteria*, plurimum in hac lue faciunt negotii, fiuntque ab humorum ferociâ & malignitate, excretricem inteſtinorum ſtimulante: ad haſce compeſcendas *Clyſteres* abſtergentes primò Clyſter.

injiciendi ſunt: ut:

℞. *Hord. mundat.* mj.
flor. roſar. rubear. mj.
Decoque cum *capite vervecis*, ad ℥x.
In colatura diſſolve
mellis roſati colati ℥iij.
ſacchari rubri ℥j. M. F. Clyſter. Interna,

Nota; hic non ſtatim ab initio adſtringendum eſſe, ſed paulatim, ne lupus includatur in ſtabulo: itaque poſt abſtergentia ad magis adſtringentia perveniendum eſt: ut

℞. *Decocti capitis vervecis*, cum ℥ß.
rad. tormentilla, & mj.
roſar. rubear. facti & chalybeati, ℥x.
in quibus diſſolve
mellis roſati ℥ij.
boli Armena pulv. ʒj. M. F. Clyſter:

per os exhiberi poterit *tinctura roſarum rubearum*, in magnâ quantitate; etiam pro potu ordinario: vel, ad magis adſtringendum, de ſequenti *Mixtura* avellanæ magnitudo ſingulis horis porrigatur:

℞. *Pulv. ſantali rubei*,
rad. tormentilla,
Pannon. rubei, ana ʒß.
corall. rub. præparat. ʒj.
elect. diaſcord. Fracaſtorii,
rob. cornor.
meſpillor.
mirva cydon.
conſerv. roſar rubear. ana ʒvi.

Cum ſ. q. *ſyrupi de roſis ſiccis* F. Mixtura mollis. Hîc *Opiata* omnia ſunt ſuſpecta; ſiquidem malignitatem & putredinem figunt, ejusque evaporationem prohibent: interea, dum adſtringendi urget neceſſitas; omnia alimenta eò de Opiatis.

vergant,

vergant, ut ſint aliquo modo adſtringentia: cibi omnes coquantur in *aquâ chalybeata*: in potu extinguatur vel *chalybs*, vel *aurum*.

Sitis: Intolerabile hanc luem ſtipans ſymptoma *Sitis* eſt, cui Hipp. *6. epid. ſect. 3.* his occurrit verbis: nempe ut Æger os compeſcat, ventum cum potu frigidum admittat; ad quod præſtandum arcenda eſt hominum frequentia, quæ non tantùm aërem calefacit, ſed etiam ad loquendum inſtigat: contra itaque morem Ægros duriter tractantium, concedimus, cum Hippocrate, potum frigidum, *ſpiritu vitrioli* acidum, vel etiam cum *ſyrupo de ſucco citri*, *de rubo idæo*, vel *de granatis*, commixtum; aliqui taleolas ex *angariis*, *cucurbitis* aut *cucumeribus*, *aquæ frigidæ* immerſas, & *ſale nitri* conſperſas, ad lingvam ſæpius fricandam, porrigunt: alii *oxycrato* os colluendum eſſe ſvadent.

Parotidum. Quòd ſi *Parotides*, tumores ſcilicet retrò aures (quod ſæpe fit) appareant, negligendæ non ſunt; cavendùmque maximè à repercutientibus; ſed, ſi tardiùs erumpant, attrahendæ ſunt tum per cucurbitulas dorſo applicatas, tum per medicamenta moderatè attrahentia: quòd ſi ingens dolor adſit, anodinis demulcendus eſt, ut ſequenti *Cataplaſmate*:

Cataplaſmus. ℞ *Micæ panis albi* ℔ß.
Farinæ ſeminis lini ℥iiij.
florum camomillæ p. j. Cum ſ. q. *lact.* coq. ad Cataplaſma molle, applicandum, & ſæpius renovandum. Quòd ſi ſuffocationem minentur, quod fit, dum ita excreſcunt, ut fauces comprimant; etiam ante maturitatem incidendæ & aperiendæ ſunt vel actuali, vel potentiali cauterio, ut materiæ malignæ exitus concilietur. Si quæ alia occurrant ſymptomata; eorum remedia ex *præcedenti capite* deſumantur.

Diæta. *Diæta* ita inſtituatur, ut vires præſentes conſerventur; & amiſſæ recuperentur. Aër: *Aër* ſit frigidus; corpore tamen bene tecto; Cibus: *cibus* ſit paucus, & boni ſucci, humidus & frigidus: ut ſunt *juſcula caponum*, *pullorum gallinarum*, cum *ſucco citri*, *aceto roſaceo*, *acetoſa*, *berberibus* &c. cocta; quibus ſæpius *perla*, & *corallia*, *lapis Bezoar* &c. præparata & pulveriſata inſperguntur: *cremor hordei*, cum *ſucco limonum*, & cum uno cochleari *gelatinæ ſupra traditæ* ſæpius dari ſolet Ægrotis. Potus. De *Potu ſupra*, *de Siti*, dictum eſt: inter alia tamen potum cum *pulv. C. C.* maximè approbamus; cum quo *radices ſcorzoneræ*, *pentaphylli* &c. coquere pro libitu poteris. Tempus Ægrum cibandi eſt, dum ille minùs torquetur: habent enim morbi iſti jam matutinam, jam meridianam exacerbationem: *Vigiliæ* plus hìc proſunt, Vigiliæ & Somnus. quàm *Somnus*; quia per hunc malignitas unà cum ſpiritibus & calore concentratur. Reliquæ *res non-naturales* Res non-naturales. ita moderentur, ut minimè excedant. Quòd ſi tandem morbus ſit profligatus, & Æger quaſi exanimis ſuperſtes maneat, victu analeptico refocillandus eſt, & cum tempore per vices repurgandus, ne ea, quæ remanſerunt, recidivam faciant. Viſcera, æſtu febris plurimùm inflammata, contemperanda per juſcula; cum quibus porrigere poteris *pulverem analept. frig. Mindereri* ad aliquot dies.

Objicies 1. In ſignis non fit mentio Objectio, 1. pulsûs intermittentis; cùm tamen in febribus iſtis malignis ſit frequentiſſimus. Reſp. Ideo ejus non meminimus, quia citra malignitatem ſæpe intermittit, ob quandam cordis ἰδιοσυγκρασίαν, quâ, fermento ejus non bene conſtituto, ſangvis effervescens non ſtatim æqualiter accenditur, & totus exilit, ſed pars cruoris influentis primò exigua, dein major, in cordis ventriculis remanens, pulſum inæqualem & intermittentem producit.

Objic. 2. Malignitas prohibet ve- 2. næſectionem: ergo non deberet in hoc affectu concedi. Reſp. Si malignitas cum virium debilitate conjuncta fuerit, concedo: ſi minùs, nego: vel in principio, & dum vires conſtant, nego: in progreſſu, & debilitate virium, concedo.

Objic. 3. Vires æquè poſſunt eſſe 3. debiles in principio: ergo æquè in principio V. S. prohibenda erit. Reſp. vires ab oppreſſione debiles, uti ſunt in principio morbi, non prohibere venæſectionem; ſed tantùm ubi ſunt debiles à reſolutione: quod maximè fit in progreſſu morbi.

Objic.

Digitized by Google

Objic. 4. Præſentibus petechiis peſſimè hîc conceditur venæſectio: quia natura, quæ à centro ad circumferentiam expellit, turbatur in ſuo opere. Reſp. iſtam expulſionem eſſe ſymptomaticam, adeoque ejus retardationem non eſſe noxiam: deinde in corpore ſummè plethorico, & humoribus repleto, non tantùm non nocet venæſectio; ſed etiam ſummè prodeſt: ita, ut natura, illo onere levata, morbum evincere faciliùs poſſit.

Objic. 5. Plurimi ſalvantur in morbo Hungarico à principio, qui tamen curantur; uti etiam practicat Rulandus, & alii. Reſp. Id naturæ robori attribuendum eſt. Rulandum quod attinet ille magis Empiricè, quàm Dogmaticè practicavit; hinc ſuam etiam Praxin Empiricâ titulatam typis mandavit, & poſteritati reliquit.

Quæritur: Cur non tantùm in Peſtis, ſed etiam in morbi Hungarici curâ tam frequenter ordinetur *ſal cornu cervi volatile?* Reſp. eò, quòd ſingulare ſit malignitati alexipharmacum, quo, à Nobis per ratiocinium invento, plurimos tempore peſtis, An. 1654. & 55. Viennæ, in Noſocomio Civico, & extra illud, priſtinæ ſanitati reſtituimus. *Ratiocinium.* Ratiocinium autem hoc fuit: Si contraria, quæ contrariis opponuntur, debent eſſe ſub eodem genere; peſtis autem eſt venenum animale: conſequenter animali alexipharmaco, quale eſt ſal C. C. volatile, ſummè diureticum & diaphoreticum, quod totum corpus citiſſimè penetrat, curari debebit.

Caput XVII.

De Variolis, & Morbillis.

Morbilli & Variola. Omnes cutis efflorēſcentiæ, quibus corpus noſtrum afficitur, communi nomine *Exanthemata* ab Ariſtotele, *3. de hiſtoria animalium, cap. 11.* nominantur: frequèntiora autem, & magis certa, non ſunt, quàm *Morbilli*, & *Variolæ*, quæ maximum hominum, non brutorum, partem ex quodam veluti naturæ præſcripto afficiunt: quin & eos, qui hiſce non afficiuntur, leproſos faciliimè evadere compertum eſt; hinc videtur eſſe morbus hæreditarius, & pleroſque illo affici eò, quòd eorum parentes illo laboraverint, primitiis autem intercipitur à vitio aëris: unde à Rhaze *Peſtis* vocatur.

Definitio. *Definiuntur* Variolæ, quòd ſint exanthemata, ſeu tubercula, in toto corpore, omnium hominum, præcipuè puerorum, ſponte efflorēſcentia, cum febre, dolore, pruritu, & ichore purulento. A *Morbillis* differunt variolæ, quòd morbilli ſunt efflorēſcentiæ, ſine tuberculis viſui patentibus, & vix palpabiles: 2. quòd morbilli, ſicut variolæ, oculos non petunt: 3. licet eadem ferè ſit materia; variolarum tamen, quàm morbillorum, multò craſſior eſt: 4. variolæ ſuppurantur, & in abſceſſum abeunt; non morbilli: qui diſcutiuntur citra exulcerationem: 5. morbilli quarto, quinto, aut ſexto die terminantur: variolæ autem undecimum, decimum quartum, & ultrà, attingunt. Conveniunt tamen in hoc, quòd fiant in toto corpore, à materiâ communi cum febre &c. In variolis tria morborum genera reperiuntur; in magnitudine, quatenus eſt exuberantia; in intemperie, quatenus calor, ſeu febris adeſt; in ſolutâ unitate propter abſceſſum, dolorem &c.

Subjectum. *Subjectum* variolarum eſt totum corpus, non cutis tantùm; quæ ſola, utpote uſum tantùm habens, & nullam actionem, morbi alicujus ſubjectum dici nequaquam poteſt: quatenus tamen cum ſubjectis partibus, nervis, muſculis, venis, arteriis, conjungitur; morbi, & conſequenter variolarum, ſubjectum dici cum ratione poteſt.

Differentia ab aliis. A variolarum differentiis excludimus varia *exanthemata*, pueris contingere ſolita: ut ſunt *cryſtalli* Vidi Vidii; quas hîc *Variolas petreas* vocant, ſuntq; quaſi veſiculæ quædam, aquâ plenæ, inſtar cryſtalli ſplendentes, quibus cutis variis in locis diſtinguitur & afficitur. Hæc tubercula non omnibus hominibus contingunt, neque etiam tam graviter, nec tam diu, aut cum tanto periculo affligunt. Veræ *variolarum differentiæ* ſunt, quòd aliæ ſint magis, vel minùs pituitoſæ, ſangvineæ, bilioſæ, melancholicæ; majores, minores; plures, pauciores; profundæ, ſuperficiales; rubicundæ, flavæ, lividæ, nigræ, albican-

albicantes, citò, vel tardè erumpentes; facilè, vel difficulter ſuppurantes; totum, vel partem, collum ſcilicet magis, oculos, faciem, inteſtina, lienem &c. occupantes; cum, vel ſine malignitate; cum, vel ſine petechiis &c.

Cauſæ. *Cauſa* variolarum ſunt vel *interna*, vel *externa*: *Interna* ſunt vel *immediata*, ſeu *conjuncta*, vel *mediata*, ſeu *antecedentes*: *interna immediata* vel ſunt *materiales*, vel *efficientes*: quas Avicennas, & Arabes omnes, dicunt, eſſe ex reliquiis excrementiis ſangvinis menſtrui, quo nutritur fœtus in utero: cauſas verò *efficientes* eſſe naturam, vel calorem naturalem, qui, inquinamento hoc menſtruali ſtimulatus, univerſum ſangvinem exagitat; quo agitationis motu calor p. n. excitatur, & in ſangvine fit fermentatio, & ebullitio; unde ſordes iſtæ menſtruales à ſangvine, tanquam noxium à bono, ſeparantur, & in cutem expelluntur; in quâ, ſi materia ſit craſſior & humidior, tubercula majora, ſeu variolæ; ſi tenuior & humidior, morbilli excitantur. Illa autem ebullitio fit non ſecus, ac in muſto, in quo, præviâ agitatione & fermentatione, excitatur calor, qui homogenea congregat, & heterogenea disgregat, dum partem craſſiorem ad fundum, pro tartaro, præcipitat; tenuiorem verò ſurſum in vapores & ſpumam reſolvit: alii ab impuritate ſangvinis menſtrui, quo fœtus in utero nutritur, materialiter oriri: alii, inter quos eſt Avenzoar, putant, cum Hipp. *lib. de natura pueri*, fœtum quidem puriſſimo & dulciſſimo ſangvine nutriri; ſed tabem illam ab utero impuro, non ſecus ac vinum in dolio fœtenti ſolet, contrahere, eamque, ubi ex utero excluſus, & robuſtior factus eſt fœtus, per ingentem naturæ conatum; unde deliria, febres, &c. excutere: qualiter fit butyrum ab agitato lacte; quod primâ vice ſeparatum à lacte ſeroſo ſeparari ampliùs minimè poteſt; quia ex ejus potentiâ educi ulteriùs non valet: unde eſt, quòd ſemel tantùm homines in vitâ variolis perfectè laborant; cùm nempe tota deferbuit ſangvinis maſſa, nihilque remanſit ex fomite hæreditario: aliàs bis terve laborant homines, contra Averrhoëm, *colliget.* 4. Verùm infantem puriſſimo ſangvine primis ingravidationis diebus nutriri, non inficior: dum tamen fit grandior fœtus, impurum etiam ſangvinem attrahere, certiſſimum eſt; nec tamen ab hac ſangvinis impuritate tantùm variolas fieri exiſtimo; ſed etiam ab aeris vitiati qualitate, hæreditate paternâ, ſangvine & ichoribus bullientibus, ob calorem, in corporibus excitatum: nam cùm & impuritas in ſangvine exſtiterit, ab initio mundi etiam variolæ fuiſſent: quod tamen ex antiquis Auctoribus minimè probatur; qui reliquorum morborum minutiſſimorum curas fideliter tranſcripſerunt, & variolarum non meminerunt. Deinde omnia bruta animantia, ut ſcribit Ariſtoteles, *6. de hiſtoria animalium*, *18.* omnia bruta ſangvinea menſtruas habere purgationes: ergo etiam hæc variolis laborare deberent; quod tamen minimè fieri, apertiſſimum eſt; licet omnes, quibus homo tentatur, experiantur bruta infirmitates. Nec obſtat hîc, quòd mulier copioſiſſima, inter omnia animalia, habeat menſtrua: nam ſi cætera animalia pauciora habent menſtrua; etiam pauciores habebunt variolas, ſed non omnino iis carebunt. Variolas fieri hæreditario modo, ſat evidens, & *antè* dictú eſt: abundare ichores, ipſa probat avtopſia: quin & Galenus, *3. de ſympt. cauſis*, *cap. 2.* ait: fieri proventum exanthematum, cùm abundant ichores, à quibus ſynocha febris, variolis conjuncta, oritur: ideóque, cùm ichores ſuppurationis non ſint capaces; pus non fit: ſed in morbillis citiſſimè diſcutiuntur; in variolis verò diutius perdurant, & diſcuſſi ſuum tuberculum cutaneum & exſiccatum relinquunt; quod per ſe decidit, illæſâ plerunque ſubjectâ cute; niſi ex redundantiâ acrium humorum fiat cutis aliqua corroſio, quæ purulentam exhibet materiam: unde cutis remanet inæqualitas, cum foveis. Variolas & morbillos fieri per ebullitionem humorum, atteſtantur ſymptomata concomitantia: utpote febris intenſa, color extenſivè ruber, ſitis, capitis dolor, delirium &c. Ex cauſis internis ad hanc ebullitionem plurimum facit complexio calida & humida, habitus corporis tener, ætas puerilis, dein juvenilis: ad

cauſas

cauſas externas refertur aër calidus & humidus, qualis, ſecundum Arabes, ad peſtilentiam facit: &, licet in autumno perſæpe graſſentur; id tamen non fit ex nativâ autumni ſiccitate; ſed duntaxat propter auſtrinam ejus conſtitutionem, ad relictos ab æſtate calidos humores accedentem: unde eſt, quòd in vere, ob naturalem aëris conſtitutionem, variolæ non ſint tam periculoſæ. Omnes enim morbi autumnales, ob mixtam melancholicam diſpoſitionē, majorem habent pertinaciam, & fixi magis eſſe conſveverunt. Exercitia immodica, cum motu, calore, variolarum fermentum facillimè in actum deducunt; idem faciunt potus vini generoſioris, cibi calidi, pingves, dulces, corrupti, lac ſeroſum. Hinc ruſticorum pueri, lacte veſcentes, citiùs & faciliùs variolis laborant. Unde plurimi in corpore generantur ichores, variolis vehicula promoventia.

Signa futurorum: *Signa futurorum* variolarum ſunt raucedo, quæ fit ex ebullitione circa partes ſpirituales, unde muſculi laryngis exſiccantur, capitis dolor, oculorum, dorſi, faciei inflammatio, lachrymæ involuntariæ, ſternutatio frequens, ſubitus tremor, ventris tormina, converſatio cum infectis, ſeu contagium.

Præſentium. Signa variolarum *præſentium* deſumuntur ex tribus capitibus: 1 nempe ab *actionibus læſis*: 2. ab *excrementis mutatis*: 3. *ab affectibus* p. n. Ex *actionibus læſis* primum eſt delirium, quod in variolarum eruptione plerunque adeſt, inſomnia terrifica, pavores in ſomno, dolor gutturis, dorſi, pectoris, lumborum, difficultas anhelitûs, tremor pedum & manuum: ab *excrementis mutatis* ſunt lacrymarum ſpontaneus fluxus, urina alba & pura, ſanorum ſimilis, ſumma fecum alvinarum retentio, ex defectu humiditatis, ad corporis ſuperficiem tendentis: ab *affectibus* p. n. nempe eſt febris ſynocha ſemper conjuncta ſaltem ante eruptionem; quæ vel cum, vel ſine putredine exiſtit; dein adeſt faciei rubedo, & aſperitas totius corporis, pruritus narium & oculorum, tubercula perexigua, acuum capitibus ſimillima; quæ indies augentur, donec albeſcant, exulcerentur, exſiccentur, decidant.

Indicationes. *Indicationes*, uti in aliis, deſumuntur à tribus, *morbo* ſcilicet, *causâ morbi*, & *viribus*: à morbo *curativa*; à causâ morbi *præſervativa*; à viribus *vitales*. Ratione *cauſæ morbi* indicantur evacuantia, tum per venæ ſectionem, tum per diaphoretica: ratione *morbi*, qui eſt triplex; in *auctâ magnitudine*, in *intemperie*, & *ſolutâ unitate*: ratione *intemperiei* indicantur moderatè temperantia, non abſolutè refrigerantia; ne materia intus detineatur: ſed, ſi materia nimiùm fervens & tenuis ſit, ut ſit periculum, ne ad partes nobiles ruat; indicantur moderatè incraſſantia: ratione *magnitudinis auctæ* imminuentia per diſcutientia: ratione *ſolutæ unitatis* reunientia. Partes tum internæ, tum externæ, ita muniendæ ſunt, ut detrimentum patiantur nullum. Hiſce omnibus, ſi abſit malignitas, facilius erit ſatisfacere; ſiquidem variolæ & morbilli plerunque ſunt naturæ motûs critici, qui ad ſalutem terminantur; quamvis interdum terminentur ad mortem, adjunctâ ſcilicet malignitate, quæ, veluti peſtis, homines depaſcitur.

Prognoſis. Morbus eſt *acutus*: hinc periculo non vacat. Nam *morborum acutorum incerta eſt prædictio ſalutis, aut mortis*. Acutus eſt, quia duos morbi acuti characteres obtinet: nam vehementi & periculoſo motu fertur; nec obſtat, quòd dictum eſt, eſſe motum criticum; quia alius eſt motus criticus bonus; alius malus: id eſt, alius ad ſalutem; alius ad mortem. Si variolæ albæ ſint, & paucæ; vel ſi multæ, & cum facili reſpiratione, febris remiſſione; indubitatum ſalutis argumentum præbent: econtra ſi variolæ ſint nigræ, violaceæ; paucæ, vel multæ, cum incremento ſymptomatum, anhelitu & difficultate, inquietudine, ſi variolæ per alui fluxum recedant; ſi angina vel catarrhus ſuffocativus accedant; ſi febris maligna cum petechiis concomitetur: infallibile exitii ſignum eſt. Quando Avicennas, *fen. 1. doct. 4 tract. 2. cap. 98.* ait: contingere, Ægros in declinatione variolarum mori, intelligendum eſt de ſymptomatum declinatione: nam dum variolæ intrò, ad partes principes, feruntur, tumor totius corporis externus ſubſidet, deliria aliquando remittunt, vel dormituriunt

 Ægri,

Google

Ægri, pulſu exiſtente miuro & ſuffocato, eſt mors proxima. Fieri etiam poteſt, ut materia tota non fuerit ad cutim protruſa; parsque in viſceribus remaneat: quæ inſignem excitat inflammationem, vel dyſenteriam incurabilem, puſtulis in cute ſiccatis, & ad ſanitatem tendere viſis: hinc eſt, quòd in declinatione videantur mori.

Cura variolarum. Factâ prognoſi, ad *materiam remediorum* accedendum eſt, & videndum, an pueri ſint *lactantes*, an *non*; *minores*, an *majores* ætate. Si *lactent*, per nutricem curandi ſunt: ſiquidem vis medicamentoſa communicatur & ſanguini & lacti: ut ait Hipp. *6. epidem. ſect. 3. text. 34.* & Galenus, *pluribus in locis.* Si *duodecimum*, vel *decimum quartum excedant annum*, ſtatim; antè eruptionem magna variolarum & morbillorum ſuſpicio, injecto levi aliquo *Enemate*, *ſecanda* eſt *vena*: *Venæſectio &c.* minoribus applicandæ ſunt hirudines ad medianam brachii venam; vel etiam cucurbitulæ; quæ valenter attrahunt ad habitum corporis. Quòd ſi *octodecim*, *viginti*, vel *plurium* ſint annorum, ubi prævidetur, ſummum fore periculum ex intermiſſâ venæſectione; etiam variolis jam erumpentibus ſecare venam licet; idemque ſalubriter moderno Galliarum Regi factum eſt, hicque in plurimis feliciter practicatum: ſed illicò poſt venæſectionem ad triplicatam diaphoretici doſin accedendum, ſudorq; provocandus, ut motus ad peripheriam materiæ, per phlebotomiam retractæ, concilietur: dein totum corpus bene tegendum, & calido loco cuſtodiendum; partes externæ diligenter ſunt muniendæ: ut ſunt oculi, aures, nares, fauces: idem eſto judicium de internis: pulmone ſcilicet, jecore, inteſtinis. *Morbillorum.* *Morbilli*, licet interna omnia cum variolis eadem requirant; externis tamen non indigent medicamentis.

Symptomata: Oculorum. Variolæ ſunt *Oculis* maximè noxiæ, eò, quòd ſint partes ſpongioſæ, humorum ichoroſorum faciliimè receptivæ: applicanda itaque ſunt defenſiva, id eſt moderatè refrigerantia & adſtringentia; ut:

Collyrium. ℞. *Aq. plantag.*
roſar. ana ℥iij.
ſem. ſumach. ℥iij.

Macerentur per noctem: additóque *croco*, & paucâ quantitate *albuminis ovi*, fiat mixtura: hoc liquore ſæpiuſcule madefiant oculi, cum goſſipio intincto, vel ſolo *lacte chalybeato*: ſi urgeat dolor, eodem, in quo parum *myrrhæ* diſſolutum ſit, id efficere poterimus: optimum eſt *lac muliebre*, in ipſum oculum è mammâ emulctum: cavendum eſt, ne pruriginoſi oculi ſcalpantur, ne fluxio, apertis frictione poris, conciliato dolore, excitetur major.

Accidit ſæpe, ut *Aures* doleant, pruriant, fluant. *Aurium.* Si fluunt, ſinendæ ſunt: ſi pruriunt, non tangendæ. ſi dolent, *ſpongia*, *aquâ tepidâ*, & *oleo roſaceo* immaecrata applicetur, & ſæpe admoveatur.

Naribus malè affectis, attrahatur *Narium.* *poſca*; vel adhibeantur *odoramenta* ex *roſis*, *myrto*, *plantagine*; quæ bullire poterunt in *aquâ*, & *fumus* tepidus per nares attrahi.

Ad *Fauces* dolentes urſurpandus erit *Faucium.* *Gargariſmus*: ut:

Gargariſm. ℞. *Fol. plantag.*
flor. roſarum rub. ana m.j.
ſem. plantag.
ſumach. ana ℥ß.

Decoque in ſ. q. *aq. hordei*, ad colaturæ ℔j. in quâ diſſolve:

ſucci granator. dulc. ℥ij.
mellis roſat. colat.
diamori, ana ℥j. M. F. Gargariſmus:

ſyrupus è ſucco granatorum optimus eſt; *aq. plantaginis*, cū *lacte caprino*, eſt inſtar omnium: vel maſticentur ſæpius *grana pomorum granatorum*, pro faucibus tum curandis, tum præſervandis. Ad *Partes* *Partium internarum.* *internas*, cor ſcilicet, jecúrque, præſcribimus ordinariè, extrinſecè, ad collùm, *ſcutum*, ex *croco* factum, & *lacte muliebri* conſperſum; intrinſecè verò *Pulverem rubeum Pannonicum*; &, ſi adſit ſupicio malignitatis, cum *lapide Bezoardico*: ut:

Pulvis. ℞. *Pulv. Pannon. rubei* ℈j.
lap. Bezoar Oriental. gr. iiij.

M. pro unâ doſi; quæ repetatur bis de die, jejuno ſemper ſtomacho, ſumenda cum *aqua fumariæ*, *ſcabioſæ*, *cardui bened. aquilegia* &c. illud erit diaphoreticum medicamentum, quod à centro ad circumferentiam pellit ichores. Si, unà cum malignitate, adſit convulſio:

Pulvis. ℞. *Pulv. ſpecierum de hyacintho,*
Pannon. rubei,
Marchionis epilept. ana ℈j.
CC. præparati,
lap. bezoar, ana ℈ß.
ſalis viperar. veri gr. viij.
M. F. Pulvis: dividatur in iiij. partes æquales; exhiberiq; poterit cum ſequenti *Emulſione:*
Emulſio. ℞. *Sem. napi*,
aquilegiæ,
urticæ, ana ʒiij.
melon. excort. ʒij.
Contunde in mortario, ſenſim affund.
aquæ fumariæ,
flor. tiliæ,
cardui bened. ana ℥iij.
F. l. a. Emulſio: cui adde
ſyr. granator. ℥ij.
Cum hac emulſione exhiberi poterunt pulv. aliqui. Ad iſtos pulveres addunt *rad. contrajerva, lap. porcin. ex apro*: &c, ſi vehementer expellendum eſt, ut fit in variolarum retrogreſſu, hoc ſequens exhibere poteris:
Potio ſudorifera. ℞. *Theriacæ veteris* ʒij.
ſalis CC. volatilis ℈ß.
pulv. lap. bezoar Orient. gr. iiij.
aq. cardui bened. ℥ij.
ſyrup. de ſcordio ʒß. M. F. Potio ſudorifera; quæ, applicatis, ſi tanta eſt neceſſitas, ad latera ampullis, vel veſicis, aquâ calidâ plenis, vel panibus calidis, per medium ſectis, propinetur. Dum natura bene operatur, huſce minimè opus eſt: quin & fruſtra expellimus, ubi ſuo natura probè fungitur officio. Nam totum variolarum tempus una criſis eſt, adeóque nihil temere movendum. Quòd ſi Æger pulverem renuat, loco ejus *Julapium* ſequens ſubrogari poterit:
Liquor pretioſus. ℞. *Aq. borrag.*
ſcabioſæ,
card. bened. ana ℥iij.
ſyr. granor. kermes,
granator. dulc.
gemmat. Minſicht. ana ℥j.
lap. Bezoar Orient.
pulv. unicornu veri, ana ℈j.
corall. rubr. præparat. ℈iß.
confect. alkermes ʒß. M.
F. Mixtura præſtantiſſima: de quâ ſæpe unum cochlear ſumatur. Nota tamen, lapidem bezoar ſemper debere eſſe ſuſpectum, eò, quòd, ob vim quandam mercurialem, humores ſurſum potenter pellat ad fauces & caput; unde tumor & apoplexia oriri ſolet. Itaq;, ſi humores poteoter ſurſum ferri videantur, ſi caput ſit debile, & oculi periclitentur; à lapide bezoardico penitus abſtinendum eſt, qui & pernicioſè funeſtéq; in magnâ quantitate Ferdinando IV. Rom. Regi, exhibitus fuit. Quòd ſi *alvus laxior* fuerit, ſemper adſtringentia admiſceri poterunt: utpote *corallia præp. bolus Armena, pannus ſcarlatus* t *ſtus* &c. &c, ſi vehementer urgeat *fluxus alvi*, in hoc morbo funeſtus, ad *clyſteres* 1. abſtergentes, 2. omnino adſtringentes, confugiendum eſt: *Clyſter abſtergens* erit: *Clyſteres.*
℞. *Decocti hordei* ℥x.
mellis roſati colati ℥ij.
M. F. Clyſter: huic rejecto ſtatim ſuccedat alius adſtringens:
℞. *Hordei* in frixorio ſupra ignem *torrefacti* m. ij.
rad. tormentill.
biſtortæ, ana ʒß.
roſar. rubear. p. ij.
Decoque in *aquâ fabrorum* ad ℥vij.
In colaturâ diſſolve
ſyrupi de roſis ſiccis ℥iß.
terræ Lemniæ,
ſang. draconis,
boli Armenæ, ana ʒiß. M. F. Clyſter.
Notandum: Clyſteres adſtringentes ſemper debere eſſe in minori quantitate; ne pondus ſtimulet ad excretionem: quò enim diutius retinentur, eò ſemper eſt melius: per os, pro majori adſtrictione, exhiberi poteſt ſequens *Pulvis*:
Pulvis. ℞. *Panni ſcarlati toſti*,
boli Armenæ,
rad. tormentillæ, ana ℈ß.
lap. bezoar Orient. pulv. gr. iiij.
corallor. rubror. præp. gr. xvj.
M. F. Pulvis pro duabus doſibus: propinentur cum *aquâ plantag.* vel *roſar. rub.* ſingulis ſex horis repetendo. Adſtringentia ventri quoq;, ſed calidè, applicari poterunt: ut ſunt *unguentum Comitiſſæ*, vel *fomentum ex decocto fol plantag.* cum *vino rubro* factum, calidéq; applicatum. Vehementerque inſiſtendum diaphoreticis, ut motus iſte ab aluo in poros derivetur: Advertendum etiam diligenter, annon accedat febris continua; quæ patet ex ariditate linguæ circa decimum, vel undecimum morbi diem apparente, ex jactatione totius *Externa.*

corporis, calore & ſiti ingentibus. Hoc in caſu, plerunque deſperato, etſi omnes variolæ exiſtent, contra vulgi opinionem, ſi corpus ſit plethoricum, ob indicans febrile, ſeu calorem p. n. ingentem, phlebotomia, vel vicaria ſcarificatio, in parvulis celebrari jure merito poteſt; ita tamen, ut immediatè poſt diaphoretica vehementiora porrigantur; uti ſupra dictum eſt. Quin & interdum modicè refrigerantia, habito ad febrim reſpectu, exhiberi poſſunt. *Sanguinis miſſio.*

Anodina. Morbo jam in ſtatu exiſtente, dolor ingens in plantis pedum, & volis manuum, Ægrotos torquet; quem & pruritus intolerabilis excipit. Hiſce occurres ſequentibus *Fomentis* emollientibus & anodinis:

Fomenta. ℞. *Fol. malvæ,*
parietariæ, ana mß.
flor. camomill.
meliloti, ana p.j.
Decoque in *aquâ ſcabioſæ*, ad ℔j.
colaturæ adde
aquæ caprifolii ℥iij.

Hac colaturâ calidâ foveantur variolæ, ſpongiâ vel goſſipio intinctis. Hujus quoque decocti *vaporem*, pro maturandis in facie variolis, excipere poterit Æger: quamvis aliqui ipſi etiam faciei, non ſecus ac pedibus, ipſum, ob eaſdem rationes, applicent decoctum; cavendo ſemper, ne humiditas illa, parti applicata, refrigeretur; unde aliqua poſſet cauſari repercuſſio. Nos, loco ejus, *oleo amygdalar. dulc. rec.* contenti ſumus. Sequens *Linimentum* pro præcavendis foveis in facie, proq; maturandis variolis, eſt inſtar omnium: ℞. *Lardi* q. v. id liquefac, & cola: colatum *aquâ roſarum* bene, ſeu ad albedinem, lava; dein adde *oleum amygdal. dulc. recenter expreſſum*, & *amyli* parum: Fiat Linimentum molle: quo inungi poteſt ipſa facies, usq; ad decidentiam variolarum, immò etiam poſt eam. Quòd ſi ulcera exedentia ſint orta, unde ingens faciei deturpatio eventura eſſet, ungenda illa *unguento albo Rhaſis camphorato, oleo ovorum, ſevo vervecino* liquefacto, vel *pingued. infantis* rec. editi, circa ejus dorſum repertâ Sed in his ſæpe fruſtra deſudatum eſt: cùm cutis, utpote pars ſpermatica, ſi profundè exeſa & conſumpta ſit, nullâ arte per medium homogeneum regenerari poſſit; ſed per medium heterogeneum, ſeu turpes cicatrices. Deniq;, hiſce non obſtantibus, pro colore recuperando naturali, tollendâq; rubedine, quæ diu ſolet perdurare, utimur *ol. tart.* cũ *ſuc. lim.* *Vapor.* *Liniment-um.*

Diæta. *Diæta* ſecundum ſex res non-naturales ita inſtituenda eſt, ut *Aër* ſit calidus: quia ſic meliùs patent pori, & variolarũ eruptio promovetur: arceantur itaque venti, januâ feneſtrisq; bene clauſis: videndum tamen, ut extrema vitentur, neq; Æger ſuffocetur, vel per nimium calorem, nimiaq; integumenta, febris accendatur: quod ſæpiſſime contigit; ut ita non tam variolis, quàm febre, pereunt Ægroti. Integumenta itaq; ſint rubra, & pondere mediocria. *Potus* ſit *decoctum lentium*, cum pauca *myrrhâ*: vel *decoctum CC. raſ. eboris*, vel *rad. acetoſæ*: præcipuè dum febris eſt vehemens, uti in principio. Alii *decoctum hordei*, & *ficuum*, porrigunt. *Cibus* paucus ſit, & facilis concoctionis; ſomnus moderatus: longus enim ſomnus eruptionem impedit, ſicuti etiam omnem aliam quamcunque evacuationem: vitentur omnia *animi pathemata*, ut ira, triſtitia &c. *Excrementa alvi* negligentiùs ſollicitãda ſunt, quàm in aliis morbis: nihilominus tamen, ne febris accendatur, etiam ſervanda eſt alvus aperta; ſed minimè acribus; ne diarrhœa, variolis ſemper noxia, proritetur. *Aër.* *Potus.* *Cibus.* *Affectus animi.* *Excreta.*

Quæſtio. I. Quær. 1. Utrum infantes etiam in utero matris variolis corripiantur, ita, ut impoſterum toto vitæ tempore immunes ab iis eſſe poſſint? ℞. Nicolus refert, ſe vidiſſe puellam, cui primo ſui ortûs die variolæ ſupervenerũt: teſtaturq; idẽ Auctor, infantes in utero hoc morbo laborare: cujus opinionis repugnantiã nullam omnino videmus: cauſæ enim, quæ in genitis variolas producunt, eædem ipſæ in non genitis mediatè ſaltem eaſdem cauſare poſſunt: dixit enim Avenzoar, *c. ult. ſua Medicina*, miraculũ eſſe, ſi aliquis homo vivens evadat ab hoc morbo: adeoque, quòd plures videntur eſſe immunes, id inde accidit, quòd in utero matris iiſdem laboraverint. Pro opinione hac militat, quòd infantes, quò juniores ſunt, eò faciliùs variolas tolerant, paucioresq; habent: immo eſt Fernelii, *2. de abdit. rerum cauſis, c. 12.*

II. Quær. 2. Quænam ſit differentia inter variolas, & puſtulas illas, quarum mentionem facit Celſus, *l. 5. c. 28.* item

inter

inter alias puſtulas, grandines, cryſtallos, & ſimiles, vulgò Schaf-oder Stein-blattern dictas? Reſp. variolas ſponte erumpere; illas autem non; uti præcitatus Auctor ſcribit; ſed à cauſis procatarcticis, igne, frigore, medicamentis, &c. oriri deinde tantus non adeſt calor.

III. Quær. 3. Utrum variolæ contingant quandoque abſque febre? Reſp. Licet hæc quorundam fuerit opinio: docet nos tamen Avenzoar, febrim, & quidem impetuoſam, variolas ſemper comitari.

IV. Quær. 4. Utrum Alexandri Petronii, *Med. Romani, in lib. ipſius de morbo Gallico*, opinio ſubſiſtat, utpote, quòd eadem ſit morbi Gallici, variolarum, & elephantiaſis, origo, nimirum ab alimento fœtûs putri in utero? ℞. eſſe contra Gal. *1. de ſympt. cauſis, 7.* ubi ait: quò plus eſt alimenti in utero, quando fœtus in utero eſt, eò magis ipſum nutiri ſanguine puro. Deinde multi morbo Gallico corripiuntur, qui ſanguine puriſſimo in utero matris ſaniſſimæ nutriti fuerant; ergo falſa & erronea eſt hæc opinio.

V. Quær. 5. Quomodo intelligendus ſit Gal. *3. de ſymptomatum cauſis, 2.* tunc fieri proventum exanthematum, cùm abundant ichores: ergo maximè hydropici variolis & exanthematibus laborabunt? Reſp. Licet Hieronymus Mercurialis, *de morbis Puerorum, l. 1.* id ad variolas applicet: ego tamen non exiſtimo, hanc eſſe Galeni mentem; ſed per exanthemata illum intelligere rubicunda illa tubercula, quæ in facie, & toto corpore, dum urinæ non ſatis fluunt, pullulant. Deinde verum quidem eſt, dum adſunt variolæ, multos adeſſe ſimul humores ſeroſos; ſed è converſo dici non poteſt.

VI. Quær. 6. Cur aliqui plerunque ſemel tantùm, rarò bis, rariſſimè ter variolis laborent? Reſp. Dum ichores illi, cum hæreditariâ proprietate ſuâ, in primâ illa ebullitione totaliter conſumuntur; non redeunt: quoties verò aliquid de ſeminario hoc remanſerit, toties redeunt variolæ, donec illud omnino ſit conſumptum.

VII. Quær. 7. Cur maximè facies, manus, & pedes, in variolis afficiantur? Reſp. cum Ariſt. *1. de hiſt. animal.* ubi dicit, ſanguinem, & partes ſanguineas, citiſſime putreſcere: idem *3. de hiſt. animal. 11.* ait: ubi cutis oſſibus immediatè adhæret, ſine carne, vel ubi eſt per ſe, ſine carne, aut cum paucâ; in iis partibus vulnera difficulter coaleſcunt. Exiſtimarem ego, illuc variolas faciliùs pelli, ob cutis raritatem, & naturæ robur; quæ quò fortior eſt, eò ad diſtantiora humores amandat membra; qualia ſunt manus & pedes.

VIII. Quær. 8. Cur omnes fere hoc morbo laborent? Reſp. Quia eſt morbus hæreditarius.

IX. Quær. 9. Utrum illa proprietas nobis ſit promiſcua & naturalis? Reſp. Licet id ab initio non fuiſſe videatur: attamen poſt primam cœli influentiam, quâ omnes tentati ſunt, facta eſt connaturalis & hæreditaria proprietas, quæ in omnes derivatur. Ad exemplum Hipp. *l. de aëre, aquis, & locis*, ſicuti Indiæ Macrocephali primò tales artificioſis compreſſionibus & ligaturis facti ſunt, ac tandem filios macrocephalos generarunt: ita & generant in hunc usq; diem; factâ nempe proprietate communicativâ.

X. Qu. 10. Cur nonnulli paucis varioliis tententur, quidam plurimis? ℞. quò plus eſt de ſeminario illo hæreditario, natura exiſtente forti, eò etiam plures variolas generari; & è cōtra; quò minus.

XI. Qu. 11. Cur quidam adeo turpes habeant cicatrices; alii nō ita? ℞. cum Ariſtot. *9. Problem. 5.* Nigras & turpes cicatrices ex ulceribus habent, ob ſanguinem morbidum: ſic ſplenetici nigras habent cicatrices.

XII. Qu. 12. Cur oculi, qui, ſecundum Ariſt. *31. Problem. 22.* ſoli non rigent, neque gelu tentantur, tam graviter à variolis afficiantur? ℞. differentiam eſſe, quòd illud ſit extrinſecum agens, à quo ſeſe perpetuo motu & ſepimētis tuentur oculi: hoc verò internum, domeſticum, & craſſum. Sicuti bella domeſtica ſunt multò graviora, quàm externa: ita & hîc.

XIII. Q. 13. Cur mulierculæ ſuos variolantes ſubuculis & ſtragulis rubeis tegunt? ℞. id fieri vel ad promovendam ſanguinis ebullitionem, mediante imaginatione; vel ad turpes cicatrices, quæ ex alio colore imaginativè provenire poſſent; vel ob vim quandam habitum corporis corroborandi; quam ſcarlatino panno ineſſe exiſtimant. Et hæc *de Variolis, & Morbillis.*

APPENDIX.

De Venenis, & eorum Differentiis, Signis in genere, & Curatione in particulari.

OB eam, quam habent Venena, cum Peſte, & Morbis Malignis, affinitatem, ad eorum majorem dilucidationem, è re noſtrâ, de iis pluribus diſquirere, viſum eſt. Galen. *lib 3. de temperamentis, cap 4.* definit *Venenum:* quòd ſit id, quod totam hominis ſubſtantiam immutat, & corrumpit, neque ab ea mutatur. Nam ſicut alimentum familiaritate ſuâ in ſubſtantiam aliti convertitur: ita venenum ſuâ antipathiâ, & validâ energiâ, ſubſtantiam noſtram corrumpit, ſibiq; aſſimilat. Idq; venena ſingulare habent, ut cor, vitæ principium, impetant: & licet, teſte Galeno, *1. de antidotis*, quædam venena *nonnullis partibus ſingulariter inſidientur*, ut cantharides veſicæ, lepus marinus pulmoni, cicuta cerebro &c. vix tamen jugulant, antequam cor ipſum ſubierint, illudq; affecerint. Tres plerunque ſunt venenorum *differentiæ:* vel enim ſunt *vegetabilia*, vel *animalia*, vel *mineralia. Vegetabilia* ſunt: hyoſcyamus, mandragora, ſolanum furioſum, dorycnium, cicuta, napellus, pſyllium, fungi, colchicum, oleander &c. *Animalia* venenata ſunt; rubeta, ſcorpio, vipera &c. *Metallica:* auripigmentum, ſublimatum, arſenicum &c. quæ non modo *intus ſumpta*, ſed etiam *exteriùs admota*, perimunt: quædam in *cibis & pharmacis propinantur;* quædam *à mortiferis animalibus inferuntur*, quæ hominem non tantùm *morſu* enecant, ſed *viſu* & *ſibilo;* ut baſiliſcus, & catoblepa; quorum meminit Plinius, *lib. 8. c. 21.* vel *contactu*, ut torpedo marina; quæ piſcatoris manum torpere facit. Eorum, quæ *ore ſumuntur*, alia *manifeſtâ*, ſed *violentâ* & *elevatâ qualitate* interimunt: *Elevatâ*, inquam, id eſt ab occultâ qualitate adjutâ: alia *totius ſubſtantiæ diſſidio;* illa ſunt varia, pro varietate qualitatum: nam quædam *calore* nimium exurunt & corrodunt; ut arſenicum, evphorbium: alia ingenti *frigore* ſpiritûs & humores quaſi congelant; ut ſolanum furioſum, opium; fungi &c. alia *ſiccitate* ſuâ humidum conſumunt; ut calx viva: quædam humiditate exſuperante putrefaciunt; ut certi quidam ſerpentes, hydrargyrum &c. *Humidum*, utpote qualitas paſſiva, licet imbecilliùs agat, vixq; ſecundum gradum excedat, vi tamen deleteriâ elevatum lethiferum evadit. Quæ *vi occultâ* interimunt, non ratione, ſed ſolâ experientiâ dignoſcuntur; quæ etiam in minimo pondere adeò ſunt maleſica & atrocia, ut brevi tempore totum corpus inficiant, pravæ ſcil. qualitatis per totum diffuſione. Ut tamen venena à naturâ noſtrâ non vincantur, certam quandam qualitatem attingere debent: nam, v. g. cantharides non nocent in paucâ quantitate ſumptæ; immò ſalubriter ad urinas movendas ſumuntur: opium ſimiliter ad ſomnum conciliandum in paucâ quantitate perquàm utile eſt: hæc ſolâ qualitate exitioſa ſunt; illa totâ ſubſtantiâ.

Definitio Veneni. — *Singulares partes impetunt venena.* — *Differentiæ.*

Signa aſſumpti in potu, cibo, medicamentis, *veneni* ſunt: ſi robuſto, & rectâ victûs ratione utenti, repentè ab aſſumpto cibo, præter ſolitum, accidat ſtomachi oppreſſio, anguſtia, nauſea, corroſio ſtomachi & inteſtinorũ, vomitus materiæ abominandæ, cum ſapore & odore gravi, inflatio, ſingultus, dyſpnœa, extremorum refrigeratio, vertigo, tremor, pulſus debilis, animi deliquium, &c. quæ ab Aetio, *lib. 13. c. 47.* traduntur. Ad hæc nonnunquam veniunt ſanguinis vomitus, dyſenteria, rugitus ventris, urinæ ardor & retentio, ſitis intolerabilis, linguæ ſiccitas & inflatio, æſtus ingens, vigiliæ, inquietudo, ſudores perpetui, frigidi, convulſiones, aliquando ſomnus profundus, temulentia, delirium, omnium ſenſuum ſtupor, corporis, præcipuè ungvium, lividitas & torpedo; cordis palpitatio: quæ omnia ſi diutius perſeverent, nec medicamentis cedant, ſalutis ſpem adimunt; præcipuè ſi frequens ſyncope, cum pulſus defectu, accedat, lingua exeratur, oculi contorqueantur, & extrema refrigerentur. *Signa veneni aſſumpti.*

Signa *extincti per venenum* ſunt: ſi derepentè homo, aliàs benè valens, extinctus fuerit, ejus cadaver liveſcat, nigris ſimul maculis varium & graveolens, ſi ungues nigricantes faciiè avellantur, capilli defluant: ſique cadaver [illegible] aperiat; *Veneno extincti.*

aperiatur, veneni patebunt veſtigia in ventriculo, inteſtinis, corde &c.

Veneni aſſumpti cura.

Aſſumpto autem veneno generaliter *triplici præſidiorum genere* occurrendum eſt: nempe *expellentibus*, *avertentibus*, & *alexipharmacis*.

per Expellentia.

Expellentia ſunt vel *vomitoria*, vel *purgantia per alvum*. Ad *vomitum* proritandum plurimum faciunt ea, quæ ventriculum laxant, & venenum hebetant: ut pingvia, *butyrum*, & *oleum*, *jura pingvia*; item *lac*, cum *ſyrupo acetoſo*, vel cum *oxymelite*, ex *decocto malvæ*, *ſem. lini*, *atriplicis*, *urticæ*, *florum geniſtæ*, *vel ʒj. pulv. aſari*, vel *diaſtibii*, ſi fortiora requirantur. Si venenum ad inteſtina deſcenderit, *clyſteribus* expellendum eſt, vel etiam per *purgantia ex hierâ*, *catholico*, &c. cum *Theriacâ* mixtis.

Avertentia. Attrahentia ad cutem.

Avertentia ſunt, quæ, venenum ad partes externas *attrahendo*, prohibent, ne cor petant: ejusmodi ſunt frictiones aſperæ, & ligaturæ arctiores manuum & pedum, cucurbitulæ natibus, ſuris & femoribus applicatæ, pedilavia ex forti lixivio, balnea item Laconica, ad cutim trahentia, veſicatoria, ſinapiſmi &c.

Alexipharmaca.

Alexipharmaca ſunt, quæ venenis tribus modis contrariantur: qualitate contrariâ, antipathiâ, & ſympathiâ, ſive ſimilitudine ſubſtantiæ, quæ venenum attrahunt, & è corpore eliminant; ideóque media inter naturam veneni, & humanam, eſſe perhibentur: talia ſunt *Theriaca*, & *Mithridatium*, *rad. zedoar. gentianæ*, *tormentillæ*, *angelicæ*, *ariſtolochiæ utriusq.*, *dictamni Cretici*, *eryngii*, *enulæ campanæ*, *pimpinellæ*, *pentaphylli*, *carlinæ*, ſive *chamæleonis albi*; *galangæ*, *ireos*, &c. *ſcordium*, *ruta*, *centaur. minus*, *abrotan. hypericon*, *polium*, *calamenthum*, *verbena*, *betonica*, *baccæ lauri*, *juniperi*, *grana paradiſi*, *ſem. citri*, *paſtinacæ*, *rutæ ſylv. ſeſeleos*, *nardus Celtica*, *lignum aloës*, *ſpodium*, *CC. unicornu verum*, *bolus Armena*, *terra Lemnia*, *terra ſigillata*, *fragmenta lapidum ſ. pretioſorum*: in frigidis venenis calidiora maximè faciunt; licet etiam calidis per accidens, ea nempe reſolvendo & corroborando, proſint: ut *aqua*, ſeu *ſpiritus Theriacalis*, & *electuaria calida*.

Diæta.

Diæta quoque venenifuga ſit, oportet, ex jusculis pingvioribus, butyro, medullis, cerebris &c. In jusculis quoque coquantur *pimpinella*, *ſerpillum*, *apium*, *bugloſſum*, &c. Lapides geſtentur alexiterii: ut ſunt *adamas Orientalis*, *ſapphirus*, *ſmaragdus*, *hyacinthus*, *achates*, *topazius*, *draconites*: quorum quidam magis proderunt, ſi pulveriſati, & cum *mucilagine ſem. citri trochiſcati*, in ore continuo detineantur. Jam ad particularem *Venenorum animalium* curam deveniamus.

Cura particulares venenorum ex Animalibus.

Quæcunque venena ab *Animalibus* ſumuntur, aut ab iis *totis* depromuntur, ut viperis, colubris &c. quæ potiùs morſu nobis moleſta ſunt: aut ab eorum *partibus*, vel *excrementis* obſunt.

Cura Cantharidas.

Inter ea, quæ *toto corpore* nocent, ſunt *Cantharides*, quæ inſigni calore, & vi acerrimâ, inteſtina corrodunt, jecur inflammant, & veſicæ ſingulariter officiunt: unde ſtranguria, urinæ ardor, mictus ſangvinis, &c. excitatur: dein vi ſuâ deleteriâ ſpiritûs vitales ita reſolvunt, ut lipothymiam, & necem tandem inferant. Eas itaque quantocyus è corpore eliminare oportet, deinde pingvibus & refrigerantibus obtundere: ad hoc facit *lac humanum*, *caprinum*, *vaccinum*, in quo *ſemen fœniculi* bullierit; quod earum dicitur alexipharmacum, *oleum amygdalar. dulc. mucilago ſem. althææ*, *cydon. lini*, *aquâ violarum* extracta, emulſiones ex *ſem. frig. papaveris* &c. *Clyſteres anodyni* proderunt, item *lactis per catheterem injectio in veſicam*; regio pubis *inungi* poterit *oleo violato* & *nenupharino*: fieri denique poterit *Inſeſſus* ex *decocto malvæ*, *althææ*, *verbaſci*, *ſem. lini* &c. nec interim omittenda ſunt alexipharmaca: ut *Theriaca* recens, *lap. Bezoar*, *unicornu* &c. quæ in moderatâ quantitate cum *aquâ cordiali* propinari debent.

Lepus marinus.

Lepus marinus comeſtus gravat ſtomachum, bilis & ſangvinis vomitum excitat, alvum excruciat, icterum invehit, fœtidum ſudorem exprimit, urinam reprimit, vel violaceam & cruentam propellit, vi peculiari pulmonem erodit; unde tuſſis & hæmoptoiſis, ſpirandique difficultas & tabes ſubſequitur: hiſce ſymptomatibus occurritur *lacte humano*, *caprino*, *aſinino recèns mulcto*, item *jure cancrorum fluviatilium*, *carne vulpinâ aſſatâ*, *ſangvine humano*, *anſerino*, *gallinaceo*, & *Theriaca Rubeta*

Bufones, & aranei:

Bufones, & *aranei*, faucium & gutturis inflammationem & tumorem pariunt, vomitum, faſtidium, dyſenteriam, gonorrhœam, icterum, vertiginem, tremorem, delirium, fœtidum anhelitum & ſyncopen excitant, citóque interimunt: ejusmodi quoq; ſymptomata inferunt herbæ & fructus, eorundem ſalivâ infecti. His itaque aſſumptis vomendum eſt: hinc liquor ſumendus ex *Theriacâ*, & *Mithridatio*, in *vino*, vel *aquâ cardui bened.* ſolutis, addito *cumini* & *dialacca pulvere*: corpus item *ungatur oleo ſcorpionum*.

Viperæ morſus:

Viperâ demorſo vires ſtatim exſolvuntur, corpus livet, brevîque interit. Ad hunc morſum exhibeatur *Theriaca*, cum *vino*, in bonâ quantitate, vel, ejus loco, *trochiſci viperini*.

Venenum caudæ cervinæ.

In *caudâ Cervi* reperitur bilioſus quidam humor, qui, ſi devoretur, infallibile eſt venenum: nam illico anguſtiam, lipothymiam, aliáque infert ſymptomata: quibus ſuccurritur *vomitu*, *butyro recenti*, *Theriacâ*, *ſmaragdi pulvere*, *piſtaciis*, & *nucibus Ponticis*.

Hirudines:

Hirudines aſſumptæ cruentum ſputum, cum graviſſimis ſymptomatibus excitant: excluduntur ſumptâ *aloë*, cum *muria*, *aceto*, & *ſinapi*; vel *lixivio*, cum *ſale*, & *aceto*; ſi faucibus hærent, frigida ore contineantur, & Æger in calidum balneum immergatur: ſic calidum fugientes, & frigidum petentes, fauces deſerent.

Cerebrum felis:

Felis cerebrum comeſtum vertiginem, ſtoliditatem, & amentiam inducit: itaque quantocyus *vomendum*, & *terra Lemnia*, cum *diamoſcho dulci*, vel ipſo *moſcho*, ſumenda eſt.

Fel viperæ:

Fel viperæ pernicioſiſſimum eſt, niſi illico *vomitu*, *butyróq; liquato* excludatur, ſumptóque *Mithridatio*, *Theriacâ*, & *ſpeciebus diambræ*, corrigatur.

Pardi:

Fel pardi flaveſcente corpore & ore amareſcente intra tres horas enecat: itaque præcedentibus oppugnandum eſt.

Canis piſcis:

Fel canis piſcis lethiferum eſt: ſed corrigitur *butyro*, *cinamomo*, *leporis coagulo*, & *radice gentianæ*, ſimul permixtis, & *litu ex oleis odoratis*.

Sangvis taurinus.

Sangvis taurinus, adhuc calens, ſi largiùs ſumatur, quia, ob fibras, in ventriculo concreſcit, & meatibus obſtructis, nativum calorem ſuffocat, exitio eſt: at quod prævertitur *alvum ſubducentibus clyſteribus*, *diſſolventibus*, & *oxymelite*, *ſucco apii*, cum *melle*, *coagulo quovis*, *ſem. braſſicæ*, *bdellio*, *agarico*, *bietâ*, & *Theriacâ*.

Lac coagulatum.

Lac verò *coagulatum* ſumptum rigores, ſudores frigidos, animi deliquia, & ſuffocationem invehit: niſi ſtatim diſſolvatur *melicrato*, cum pauco *aceto*, *ſyrupo acetoſo*, *coagulo*, *ſucco menthæ*, *calamenti*, *decocto hyſſopi*, *thymi*, *ſerpillo*, cum *oxymelite* &c.

Spuma ſalamandræ. Scorpionis ictus.

Spumæ ſalamandræ baliacabi ſemen opponitur. *Scorpionis ictui ſcorpius* impoſitus, & *oleum ſcorpionum*, item *abrotanum* curæ eſt.

Tarantulæ morſus.

Tarantulæ morſui melanthium, & *Muſica* medetur.

Menſtruus ſangvis. Canis rabidi morſus.

Menſtruo ſangvini Theriaca, & *viperarum caro*, item *margarita* ſunt remedio. *Morſui canis rabidi cynorrhodi radix*, *gentiana*, *meliſſa*, *betonica*, *ariſtolochia*, *pimpinella* contrariantur.

Crabronum ictus.

Crabronum ictibus ferrum frigidum impoſitum, & *Theriaca*, medetur. Et hæc de *Venenis* ex *Animalibus*.

Venena foſſilia.

Foſſilium omnium, & mineralium, pernicioſiſſima ſunt, auripigmentum, ſandaracha, arſenicum, & riſigallum, utpote inſigniter calida: quæ, hauſta, non modò alvum & inteſtina vehementi eroſione excruciant; ſed etiam ſitim inexplebilem, faucium aſperitatem, tuſſim, diſpnœam, urinæ ſuppreſſionem, dyſenteriam, convulſionem, tandémque necem inferunt.

Cura.

Hiſce occurrendum eſt *vomitu* & pingvibus, acrimoniam obtundentibus, & lenientibus, cum alexipharmacis *anteà* dictis.

Argentum vivum.

Argentum vivum purum magnos cruciatus excitat, ſtomachum gravat, ſangvinem coagulat, & paralyſin inducit: non autê interficit, niſi copioſiùs bibatur, eò, quòd per inferiora citò tranſeat; ſi modò, qui illud hauſerunt, moveantur, ſaltitent, & per clyſteres juventur.

Mercurius ſublimatus & præcipitatus.

Sublimatum verò, & *præcipitatum*, lingvam & fauces exaſperant, ventriculum erodunt, anguſtiam & difficilem anhelitum inducunt, &, niſi confeſtim præſidium afferatur *pingvibus*, *lacte*, *vomitu*, *auri pulvere* &c. miſerè excruciando interimunt.

Calx viva: *Calx viva* mordicat, inflammat, adurit: hinc oris ſiccitas, dolor ſtomachi, dyſuria, & cruenta dejectio. Hiſce occurrendum eſt *mucilaginoſis*, *pinguibus*, & *enematis*.

Sulphur. *Sulphur* quoque totum corpus inflammat, niſi ignea ejus vis refrigerantibus exſtingvatur.

Aqua fortis. *Aqua forti* tantò difficiliùs occurritur, quantò citiùs agit, & in totum corpus diffunditur.

Ærugo. *Ærugo* propter eroſionem, & cruciatum, ſpirandi meatûs occludit & ſuffocat: ejus noxa corrigitur *lacte aſinino*, *terrâ Lemniâ*, & *corallis*, ex *vino rubro* potis; deinde *inſeſſu* in *oleo tepido*.

Ferrugo. *Ferrugo* cum punctione corpus tabefacit, niſi jusculis carniun evchymarum mitigetur.

Antimonium. *Antimonium* non modò hypercatharſi interficit, ſed etiam ventriculum & inteſtina adhæſu contumaci exulcerat & perfodit, &, poſt innumeras dejectiones, cum frequenti animi deliquio enecat, niſi *lacte* ſumpto, *aquâ vita*, cæteriſque lenientibus, malum arceatur.

Lithargyrium. *Lithargyrium* ſtomachi gravitatem, cum torminibus, invehit, alvum & urinam ſupprimit, impedit anhelitum, & ſuffocat, niſi *vomitu*, *clyſmate* ex *hydromelite*, ſumptis *caricis*, *melle*, *pipere*, *columbarum agreſtrium ſtercoribus*, *ſem. petroſelini*, *ol. dulci*, & thoracis *inunctione* ex *butyro recenti*, ſubveneris.

Plumbum uſtum. Idem puta de *Plumbo uſto*.

Squamma ferri. *Ferrum*, ejusque *ſquamma*, *& recrementum*, licet ad fluorem ſiſtendum, & enterocelen, uſurpentur: ſi tamen præter modum aſſumantur, oris ſcabritiem, tormina, & maraſmum inducunt, niſi *pinguibus* mitigentur.

Æris ſquamma. *Æris ſquamma* ventrem ſolvit, ſupta modum vomitum, cum ingenti cruciatu, provocat; niſi *vomitu*, *balneis*, *ſucco mentha*, *pulvere acori*, & *ſucco* &c. compeſcatur.

Ceruſſa. *Ceruſſa* licet ad vulnera externa utiliter adhibeatur: ſi tamen intus ſumatur, venefica eſt, fauces exaſperans, tuſſim & ſingultum excitans, alvum compungens, tendens hypochondria, impediens anhelitum, & vires dejiciens: hinc *vomitu* ex *hydromelite*, & *oleo ſambuci*, item *clyſtere* ex *decocto braſſica* & *oleo*, *Theriaca*, & *Mithridatio*, vel *ſcammonio*, ex *mulsâ* poto, uti affectus vult, excludenda eſt.

Gypſum. *Gypſum* ſtrangulat, pulmonum bronchia obſtruendo: itaque *vomitu*, *clyſteribus*, *jure pingvi*, & *Mithridatio*, cum *vino*, oppugnandum eſt.

Magnes. *Magnes* per os ſumptus veneficus eſt; quia inducit melancholiam: ſed ejus malitia non modò *clyſteribus* ex *lacte*, & potu *olei dulcis*, ſed *auri* & *ſmaragdi pulvere*, ex *vino* ſumpto, corrigitur.

Minium. Cinnabaris. Lapis Herculeus. *Minii* & *Cinnabaris* incommodis medetur *ſpodium ex ebore*. *Lapidi Herculeo pulvis ſmaragdi* medetur.

Vegetabilia: Papaver nigr. Succus. Opium. Ex *Vegetabilibus papaver nigrum* veneficè refrigerat: minori energiâ *ſuccus ex foliis expreſſus*; majori verò illud, quod ex *capitibus inciſis* exſudat, vocaturque *Opium*: quod ad mortem usque ſtuporem inducit, cum intensâ prurigine, fœdo odore per totum corpus exhalante, pallore, extremorum refrigerio, parvâ & frigidâ reſpiratione, pulſu langvido. Hiſce accidentibus occurrendum *vino*, *ſale*, *hierâ*, *Mithridatio*, *aquâ vita*, *ſpiritu Theriacali*, *caſtoreo*, *pipere*, *acribus enematis*, *frictionibus*, *inunctionibus* ex *oleo calido*.

Hyoſcyamus. *Hyoſcyamus* uterque, ſed maximè niger, proditur articulorum laxitate, ſpumâ ex ore manante, oculorum caligine, rubore, vertigine, temulentiâ, amentiâ, convulſione, dyſpnœâ, corporis refrigerio, ſtupore, &c. Hæc accidentia corrigunt acres *clyſteres* & *vomitus*, *ruta*, *caſtoreum*, *cardamomum*, *balſamum*, *bacca lauri*, *piper*, *Theriaca*, & *Mihtridatium*.

Mandragora. *Mandragora* narcoſin, vertiginem, delirium, carum, faciei tumorem, ſegnitiem, triſtitiam, exolutionem, & amentiam invehit: quibus niſi citò occurratur, pereunt Ægri convulſionibus. Ad hæc *cathartica* ſortiora, & *enemata* acriora, cum *ſternutatoriis*, calidis *frictionibus*, *Theriacâ*, in *vino* diſſolutâ, ex uſu erunt.

Solanum furioſum. *Solanum furioſum* vomitum, alvi fluxum, ſingultum, ſoporem, anginam, fatuitatem, & inſaniam invehit: remedia ſunt *melicratum*, cum *oleo*, ad *vomitum* proritandum, *clyſter* acris, *lac amygdalar. amarar.* *vinum dulce*, *Theriaca*.

Doryçni-

Dorycnium. *Dorycnium* ſaporem habet lactis, & ſoporiferum eſt, mortémque, ſi in quantitate ſumatur, infert; niſi præſidium ex *mulsâ*, *lacte*, *vino*, *conchyliis*, & *gammaris*, citò afferatur.

Cicuta. *Cicuta* vertiginem cauſat, viſum ſuffundit, ſingultum excitat, extrema refrigerat, mentem perturbat, ſtupefacit & ſtrangulat: ſumpta itaque *vomitu*, vel *ſeceſſu*, rejicienda eſt; tamen *calefacienta* ſunt exhibenda, ut *piper*, *ſem. opii*, *urtica*, *amomi*, *cardamomi*, *fol. lauri*, *radix gentianæ*, *caſtoreum*, *ruta*, *Therioco*, ex *vino generoſo*.

Pſyllium. *Pſyllium* largiter ſumptum vim habet deleteriam; quia alvi tumorem, dyſpnœam, totius corporis ſtuporem, exolutionem & frigus, cordis anguſtiam, ſudorem frigidum, & mortem invehit.

Coriandrum recens. *Coriandrum recens* uſu nimio inebriat, ſoporem, vertiginem, & raucedinem inducit: utrique conſulitur *decocto abſynthii*, in *muſto*, *jure ſalſo*, & *piperoto*, ex *gallinâ*, *ovis ſorbilibus*, cum *pipere*, *vino meroco*, *diamoſcho*, & *Theriaca*.

Nux Metella. *Nux Metella* narcotica eſt: hinc rejicienda eſt *vomitu* ex *hydrelao*; item oppugnanda *pipere*, *baccis lauri*, & *coſtoreo*, cum *vino* epotis.

Fungi. *Fungi* pernicioſi ſunt, naturâ frigidi & humidi, ſuâ quantitate ſtomachum inflant, choleram excitant, calorem ſuffocant, & interimunt: eorum perniciei occurritur *allio*, *aromatis*, *Mithridatio*, *ſucco raphani*, *foliis rutæ*, cum *melle*; ſed priùs *vomitu* rejiciendi ſunt.

Aconitum. *Aconitum* calore deleterio cardiogmū, caliginem, tremorem, convulſionem, lipothymiam invehit, & intumeſcente corpore jugulat: hinc citò *vomitu* excludendum eſt, & oppugnandum *radice gentianæ*, *ariſtolochia longa*, *origano*, *abſynthio*, *ruta*, ex *vino*, *coagulo hadi*, cum *aceto*, *lacte*, *juſculis pinguibus*, *Theriocâ*, & *terrâ Lemniâ*.

Napellus. Inter venena *Napello ſævius* non eſt: ab eo enim labia inflammantur, lingva intumeſcit, oculi prominent, vertigines & lipothymiæ accidunt, crura titubant, corpus totum liveſcit & intumeſcit, & mors in propinquo eſt. Mihi aliquando, Napellum manu geſtanti, annulus, cum lapide Turcico, in plurimas partes diſruptus fuit: hic quantocyus *vomitu* rejiciendus eſt, & *radice capparum*, *terrâ Lemniâ*, ex *vino potâ*, *pulv. ſmaragdi*, *diambræ*, *lapidis Bezoar*, *lacte vaccino*, & *butyro* enervandus: locum hîc nullum habere *Mithridatium*, experientia probavit.

Colchicum. *Colchicum*, quod alii *Pſeudohermodactylum* vocant, totius corporis pruritum excitat, & internam corroſionem ſtomachi, æſtum ingentem, gravitatem, ſangvineas egeſtiones cauſat: hinc ſumptum *vomitu* rejiciendum, & vis ejus comburens *lacte humano*, vel *vaccino*, *terrâ Lemniâ*, &c. mitiganda.

Taxus. *Taxus* foliis, & fructu, tam homines, quàm bruta, enecat, niſi ei citò, uti cicutæ, occurratur.

Nerium, ſeu Oleander. *Oleander*, ſeu *Nerium*, corpus inflammat, in tumorem agit & exulcerat: cui occurritur *ficubus*, & *melle* ſumptis, *dactylis*, *baccis juniperi*, *decocto viticis* & *fœnigraci*, *craſſis* & *pinguibus eduliis*, cum *Theriacâ*.

Ranunculus Sardonius. *Ranunculus*, herba notiſſima, ſpeciem habet, quæ *Sardonia* dicitur: veſcentibus mentem adimit, & quâdam nervorū diſtenſione labia in riſum contrahit; unde *riſus Sardonius*, cum exulceratione & acrimoniâ interficit: curatur *vomitu*, exhibitione *lactis*, & *mulſa*, *corporis irrigationibus*, *inunctionibus*, ex *oleo lumbricorum*, *de lateribus*, *caſtorei*, *ungventi nervini*, *anodini* &c.

Veratrum, ſeu Helleborus. *Veratrum* utrumque, præcipuè *nigrum*, alvi fluxûs, colicas intolerabiles, & cruciatûs, anguſtiam, convulſiones, palpitationes, & animi deliquia excitat. Hiſce ſymptomatis obviandum eſt *lacte*, *mulsâ*, *jure pingui*, *decocto abſynthii*, & *florum nymphææ*, & fomentis: cumque oborto ſingultu Ægri plerumque intereant; exhibendum eſt *extractum caſtorei*, vel diſſolutum in *aqua antepileptico*, v. g. *picarum*, *hirundinum*, *florum tiliæ*, *ceraſorum nigrorum*, *Theriacali* &c. vel in *pilulis*.

Eſula: &c. *Tithymoli*, ſeu *Eſulo*, ſpecies omnes, *Cataputia*, *Thimelæa*, *Chamelæa*, & *Laureola*, omnes ingenti calore & acrimoniâ corrodunt & exulcerant, vomitum, alui fluxum, immodicos cruciatûs, ſitim ingentem, anguſtiam, ſingultum, & convulſionem excitant: his omnibus opitulantur *refrigerantia*, *lenientia*, & deinde *adſtringentia*, quæ fluxum impediunt:

diunt: qualia ſunt *emulſiones*, *mucilagines*; deinde *vinum cydoniorum*, *electuarium diaſcordium Fracaſtorii*, *Theriaca recens*, & *mumia*.

Anacardia. *Anacardiorum*, fauces & ventriculum urentium, & corpus ita calefacientium, ut inde febris oriatur, fervori extingvendo conveniunt refrigerantia, & quæ acrimoniam retundunt.

Euphorbium. *Euphorbium* exulcerat, inflammat, & hypercatharſin inducit: ejus noxa *ſyrupo violato*, *granatorum*, *decocto hordei*, vel *lacte acetoſo* corrigitur.

Elaterium. Iisdem *Elaterii*, ſeu *ſucci cucumeris agreſtis* noxa corrigitur.

Scammonium. *Scammonium* ex immodicâ purgatione dyſenteriam, febrem, & ſyncopen inducit: niſi ejus vis effrænis *lacte*, *hordeatis*, *malis cydoniis*, *ſucco granatorum* & *berberum*, ſeu *ribium*, infringatur.

Colocynthis. *Colocynthis* pro ſua antidoto *lac* habet, *pulverem ſmaragdi*, & *terram Lemniam*.

Agaricus. *Agaricus niger* non modò vomitu & alvi fluxu exuberante moleſtus eſt, ſed ſyncopen etiam, & convulſionem infert: niſi *lenientium* & *adſtringentium* uſu prohibeatur.

Neque tantùm ſtudendum eſt, ut medicamentorum maligna vis propriis antidotis retundatur & ſuperetur; ſed eorum maximè ſymptomatis attendendum eſt, & ſuccurrendum.

Omni venenatæ exhalationi opponitur *ſuffitus ex junipero*, item ex *urinâ cervi*.

Exulceratio cutis à venenis. Si ex tractatione venenatorum aliqua *in cute exulceratio* facta fuerit; ea *ſucco rutæ*, *endiviæ*, *vincetoxici*, & *juniperi*, demulcenda eſt.

Purgantia omnia. Denique cùm *omnes Purgantia* vi quâdam veneficâ aliquam facilè hypercatharſin exeitent, dum nempe natura vi medicamenti catharticâ ita ſtimulatur, & humores, teſte Aſclepiade, aliquando corrumpit, ut plurimæ dejectiones & vomitûs excitentur; Medici induſtria eò ſemper collimare debet, ut ejus vis infringatur, & ſuperpurgatio impediatur. *Hypercatharſis ut occurrendum.* Hinc Hypercatharſis non ſtatim & inconſultò ſiſtenda eſt, ne lupus in ſtabulo includatur: ſed demulcenda, & humores noxii, inteſtinis adhærentes, abſtergendi ſunt *infuſione rhabarbari*, vel ejuſdem *pulvere*, aut *clyſteribus abſtergentibus* ex *decocto hordei*, & *melle roſato*; deinde ad *adſtringentia* deveniendum; quæ etiam clyſteribus miſcenda ſunt; uti eſt *decoctum radicis tormentillæ*, *plantag. millefolii*, *corticis granatorum*, *ſem. malicorii*, cum *bolo*, & *melle roſato*: per os ſimiliter exhiberi poterit *aqua Theriacalis* ℥j. item *Theriacæ recentis* ʒj. cum gr. j. *opii præparati*. *Vomitus quomodo.* Quòd ſi *Vomitus* urgeat, *acetum roſaceum* calidum panno quadruplicato ipſi ſtomacho applicandum eſt: vel *Sacculi adſtringentes* ex *menthâ*, *abſynthio*, *ſale*, *nuce moſchatâ*, *maſtiche*, in *vino auſtero*, ſeu *rubro* calidè cocti, applicari debent; vel *ſalis abſinthii* ℈j. cum *juſculo*, & *ſucco citri*, ſeu *limonum*, exhibeatur. Non negligendæ interea ſunt *frictiones extremorum membrorum*: *cucurbita* umbilico applicari, *ſudoresq́;* excitari debent. *Cibi* ſint adſtringentes, ex *hordeo toſto*, *oryza*, coctis in *aqua chalybeata* &c.

Et hæc de *Venenis*.

TRACT. III.

F I N I S.

TRACTATUS QUARTUS:

DE

MORBIS PUERORUM.

Caput I.

Continens Theoremata, & Aphoriſmos utiliſſimos, de Natura, & Affectibus Nutricum, & Puerorum.

1. INfans dicitur ille, qui nondum fari cæpit: Puer verò qui purus eſt, & nondum ad pubertatis annos pervenit.

2. In nutritione Infantium ſemper Mater Nutricibus præferenda; niſi ex defectu, aut corruptione lactis, aut aliqua ægritudine, impoſſibilitatéve, aut malis moribus, illa prohibeatur.

3. Infantes, à matribus alienis educati, à propriis matrum naturis diſcrepant.

4. Velut hædi, lacte ovillo nutriti, pilum gignunt teneriorem; & agni, lacte caprarum aliti, lanam ferunt duriorem: ita & infantes, alieno lacte nutriti, alienis moribus imbuuntur.

5. Infantes illius naturam, à qua nutriuntur, ſapiunt.

6. Lac purioris ſangvinis parti, quâ fætus in utero alitur, affine eſt.

7. Inhumanum monſtroſumque eſſe videtur, filium concepiſſe, & ſine legitima cauſa eundem ſeorſum alieno lacte nutrire.

8. Ii, qui filios ſuos aliis nutriendos tradunt, vinculum amoris, quo genitores cum filiis natura conſtrinxit, intercidunt.

9. Quæ non lactat filium ſuum, non eſt integra mater.

10. Infantes, qui alieno lacte lactantur, magis nutrices, quàm matres diligunt.

11. Supponendum, matrem, quàm nutricem, eſſe magis & meliùs moratam.

12. Opulentis plures adhibeantur nutrices, ſi unius lac non ſufficiat.

13. Infans unius naturæ lacte ſalubriùs nutrietur, quàm diverſæ.

14. Nutrix ſana eligenda eſt.

15. Nutrix ſit mediocris ætatis, & quæ jam bis circiter peperit, nec abortum paſſa eſt.

16. Nutrix melior eſt, quæ maſculum, quàm quæ fœmellam peperit.

17. Qualis eſt ſangvis, tale eſt lac.

18. Lac optimum eſt guſtanti olfacientique ſvave; intuenti candidum, æquabile, inter liquidum & craſſum medietatem tenens; econtrà vitioſum eſt.

19. Lac bonum, ſupra ungvem vel ſpeculum projectum, nec citò, nec lentè delabitur, etiam motis ungve, vel ſpeculo.

20. Nutrices alantur cibis evchymis, & non facilè corruptilibus, ut conſimile generetur lac, & copioſum ſatis.

21. Nutrix bis in die alatur, ita, ut famem cibus, ſitim potus expleat.

22. A bellariis ſibi temperet, ſomnum vitet pomeridianum, ſurgat diluculo, à Venere & conceptione abſtineat, menſtrua non provocet; quæ lac in deterius mutant & abſumunt: quin & nutrice prægnante nil pejus.

23. Cor-

23. Corporis ſuperiores partes exerceat nutrix, & otium cane pejùs & angue vitet: à purgatione, & ſectione venæ, calefacientibus, & exſiccantibus, abſtineat: niſi quòd

24. In vitioſo lacte ſanguinē inſpicere oportet: ſi enim ſit bilioſus, primò purgandum, ſecundò alterandum eſt.

25. Lac, in mammis nutricis ſuperfluum, plurimùm nocet; affert enim abſceſsûs & ægritudines; id eſt febres lacteas: &c.

26. Craſſius lac furunculos & abſceſſus in corpore Infantis gignit.

27. Si lac fiat acre, appetitus deſinit, & puſtulæ acerrimæ in corpore fiunt.

28. Lac deficere, cognoſcitur, dum Infans ſummè clamoſus ſit, & deficit: tunc de alia nutrice diſpiciendum eſt.

29. Lac coagulatum, niſi mox diſſolvatur, abſceſſum cauſat, obſtructiones & aquam inter cutē, febremq; inducit.

30. Umbilicum quatuor à ventre digitis reſecare oportet, ubi primùm natus eſt Infans, &, poſt inciſionem, duplicatum, & lanâ involutum, leniter componere.

31. Infantis recens nati nares expurgentur; oculi verò exiguo oleo illinantur, ani orificium minuto digito aperiatur, veſica prematur, ut urinæ detur exitus, membra ſuaviter tractentur & ſcitè faſciis involvantur.

32. Primus Infantis cibus ſit mel; donec mater, à partu plurimùm concuſſa & fatigata, priſtinum recepit habitum.

33. Non nimiùm implendus Infans à principio, ſed bis térve duntaxat in die lactandus eſt; idque à muliere minimè prægnante.

34. Solo lacte nutriatur Infans usq; ad primam dentitionum; quæ plerunq; fit menſe 7, vel 11; deinde paulò craſſiori victui aſſuefaciendus eſt.

35. Recens nati Infantis membra, oleo olivarum, cum ſale trito mixto, fricentur, ut fiant duriora & denſiora: balneum Infantis æſtate aquâ dulci tepidâ; hyeme moderatè calidâ fiat.

36. Manûs Infantis usq; ad quartum menſem faſciâ ligentur; dein ſolvantur, & uberi applicatus infans unam ſemper manum habeat liberam.

37. Infans ligatis adhuc manibus apud nutricem non cubet, ne ſuffocetur.

38. Fletus temperatus Infanti, antequam lac ſugat, ad pectus dilatandum, caputq; expurgandum, conducit.

39. Infantes ex arte mundentur, iiſque victus humidus adminiſtretur.

40. Qui ultra biennium lactantur, tardiuſculi, diſciplinisq; parum idonei à quibusdam cenſentur: & qui multum mingunt, raro ſeneſcunt; qui verò plus mingunt, quàm egerunt, pingueſcunt.

41. Quibus alvus multùm lubrica eſt; & bene concoquunt, & ſaniores ſunt.

42. Quibus, dum ſugunt, tuſſis inſtat, uvam habent majorem.

43. Statim à ſuctu, ſeu lactatione, acida, acria, aromatica, & vinoſa, nō exhibēda, ne lac cóaguletur in ſtómacho.

44. Infantes minimè jejunium ferunt, quia plurimum habent calidi innati; & plurimùm ereſcunt: hinc plurimo egent alimento.

45. Vinum Infantibus interdicitur, quia per id redduntur iracundi, & pertinaces, turbatiq; intellectûs.

46. Apoſtemata poſt aures ſæpe proveniunt ab aquâ, in balneo per aures hauſtâ.

47. Cùm Infans dentium numerum expleverit, ut cibos incidere & maſticare poſſit, ablactandus eſt ſenſim.

Caput II.

Continuatio Theorematum.

1. Quandiu Infantes ſunt in utero matris, per umbilicū mingunt, & orti etiam, antequá ligentur.

2. Natura infantium habet eandem naturam in ætatibus, quam ver, in anni temporibus.

3. Oſſa in Infantibus cerea ſunt, & flexibilia.

4. In recens natis, & parvis puerulis, contingunt oris ulcera (quæ Aphthæ dicuntur) vomitus, tuſſes, vigiliæ, pavores, umbilici inflammationes, aurium humiditates, & dolores: eſt enim p. n. quòd humiditates per aures expurgētur.

5. In progreſſu verò, cùm jam dentire incipiunt, gingivarum prurigines, febres, convulſiones, alvi profluvia, & maximè cùm caninos edunt dentes, & iis præcipuè, qui craſſiſſimi ſunt, & alvos habent adſtrictas.

6. Cùm verò magis adoleverint, tonſillarum inflammationes, & vertebræ, quæ in occipitio eſt, ad interiora luxationes, crebri anhelitûs, calculi,

lumbrici rotundi, aſcarides, verrucæ penſiles, tentigines, ſtrumæ, & alia tubercula, contingunt.

7. Grandioribus verò, & jam ad pubertatem accedentibus, plurima ex his, & febres diuturnæ magis, & ex naribus profluvia ſanguinis.

8. Plurimæ autem ægritudines judicantur in parvulis partim diebus quadraginta, partim menſibus ſeptem, alii annis totidem; quædam verò in jam ad pubem accedentibus; quæ verò permanſerint, nec pueris in pubertate, aut fœminis, cùm menſtrua erumpunt, deſierint, ſolent eſſe diuturnæ.

9. Ex pravâ nutricis victûs ratione infantes incurrũt in varias ægritudines.

10. Infantium corpora ſi à nutricib, perperàm geſtentur, leventur, aut reponantur, facilè depravantur.

11. In curatione Infantium habenda eſt priùs ratio victûs nutricis eorum, ut rectè ſe habeat.

12. Infantes faciliùs, quàm adultos, videre eſt maximas ægritudines tolerare, & præcipuè quorum alimentum & cibus lac eſt.

13. Infantes, niſi obſtet inedia, ſæpiſſimè ex graviſſimis morbis evadunt, & convaleſcunt.

14. Si nutrix medicamenta cathartica ſumpſerit, per diem naturalem alia nutrix infantem lactet: ſi verò per eam Infantem purgare volueris, eodem die, à prandio ſcil. lactare iterum poterit.

15. Nutrices, & Infantes, maximè per diætam curari debent; ubi autem curandus eſt Infans, nutrix curetur; & Infans medicamenti ſentiet effectum.

16. Cavenda ſunt in nutrice miſſio ſanguinis (niſi urgente ſumma neceſſitate) medicamenta valde exſiccantia, calefacientia, & refrigerantia; nam ex his lac deficit.

17. Propter virium debilitatem, Infantes medicamenta purgantia, & valde alterantia, tolerare non poſſunt.

18. Alvum Infantis adſtrictam data, ad ciceris magnitudinem, terebinth. aut mellis ℥j. ſolvit.

19. Experientiâ conſtat, laborantes initio lacteâ cruſtâ (Germanicè die Vierzigen) ſaniores fieri.

20. Perſeverante ſomno terrifico, de convulſione periclitantur pueri; eandem ſuperfluus ſomnus minatur, ejúsque prodromus eſt.

21. Vigiliæ Infantibus minùs familiares: hinc immodicæ morbus ſunt.

22. Morbi comitiales ante pubertatem ſanabiles; poſt 24. annum contrà.

23. Smaragdus, & radix pœoniæ, collo appenſa, à proprietate morbo comitiali medentur.

24. Sternutatio, ſine defluente catarrho, in omnibus morbis ſalubris eſt.

25. A gingivarum prurigine, & dentium productione dolorifica, febres, diarrhææ, convulſiones &c. oriuntur at ſine periculo.

26. Quibus in dentitione alvus plus æquo laxatur, ab Epilepſia immunes fiunt: ſi verò febris acuta ſupervenerit, convelluntur facilè.

27. Faciliùs eſt, Infantes hyeme, quàm alio tempore, dentire: ſi cum tuſſicula dentiunt, tardiùs dentes producunt.

28. Proverbium eſt, quòd Genitores de Infantibus non ſint ſecuri, donec hi dentes oculares protruſerint.

29. Dens lupi, de collo Infantis ſuſpenſus, à proprietate dentitionem juvare dicitur: item in dolore lac caninum, & medulla caballina, maximè conferunt, ſi gingivis inungatur.

30. Dens hominis mortui, ex collo ſuſpenſus, dentium dolori medetur; ſi amuletis credendum.

31. Niſi ſubjecta & conjuncta linguæ pars, unde loquela impeditur, (frænum vocant noſtrates) ſucciſa ſit, ſerò in ſermoné prorumpunt pueri, ubi verò cum eo vitio nati loqui cœperint, literas L, R, K adulterant, & depravatè pronũciant.

32. Corallium rubeum, collo Infantis lactentis appenſum, & uſque ad os ventriculi demiſſum, lactis vomitum prohibet, & à proprietate concoctionem adjuvat.

33. Qui dyſenteriam habet, ſi appareat poſt aurem ejus ſiniſtram res nigra, ſimilis orobo, moritur.

34. Multi, nullâ lumbricorum curâ habitâ, exeſi ab ipſis ſunt, & convulſi interierunt.

35. Deteriores ſunt lumbrici majores minoribus; multi paucis; rubri albis; & viventes mortuis.

36. Incipientibus morbis acutis, ſi lumbrici teretes vivi dejiciuntur, peſtilentes morbos indicant; declinantibus mortui, malum; inter utrumq; tempus quomodocunq; appareant, malum.

Lum-

37. Lumbrici rejecti, ſangvine conſperſi, malum.

38. Ex ipſis lumbricis frequens Infantibus anhelitus frigidus, tumeſcente corpore, lethale.

39. Generatio calculi in veſica puerorum frequens eſt: ad quem expellendum damus *pulverem mandibulæ lucii ſaliti*, vel *pulver. leporis uſti*, vel *ſangvinem hircinum*: quæ à proprietate lapidem in veſica frangunt.

40. Inteſtinorum hernia, qualiscunque fuerit, ſemper aquoſâ deterior.

41. Puſtulæ, ſeu variolæ, & morbilli, magna ex parte Infantes afficiunt, & juvenes; rariſſimè ſenes.

42. Difficilis fit eruptio puſtularũ iis, quorũ cutis craſſa & denſa eſt; & difficilior eſt latarum puſtularum eruptio.

43. Ex puſtulis, quæ ulceroſæ ſunt & ſpiſſæ, parvæ, eminentiores, & rubræ cum febre acutâ, vel nigræ, lethales ſunt.

44. Puſtulæ rubræ, parvæ latæque, ſalubriores.

Caput III.

De Electione, Lacte, & Victu, Nutricis.

Pueris quale eſſe debeat. SUppoſitis præcedentibus aphoriſmis, eligenda & pro *Nutrice*, ante omnes, *Mater*, ſi nihil obſtet, id eſt, niſi ex lactis defectu, aut corruptione, aut ægritudine, aut malis moribus, prohibeatur; uti dictum. Quòd autem mater cæteris præſtet, eſt, quòd, ſicuti plantæ in eo ſolo, in quo natæ ſunt, faciliùs & uberiùs, creſcunt; ita etiam filii à matre nutrice faciliùs evadunt: quin & feris & tigridibus ſæviores ſunt matres, quæ ſine cauſa prolem aliis lactandam concedunt. Si verò ex neceſſitate alia nutrix ſit eligenda, juvenis illa ſit, boni caloris, figuræ concinnæ, pectoris ſcilicet lati, tuberoſi, fortis, muſculoſi & carnoſi, non tamen nimium pingvis, quæ bis maſculum peperit, non fæminam, neq; talis ſit, quæ abortum paſſa eſt, aut ſaltem ſemel lactavit, ut ſimilibus ſit aſſveta, optimos præ ſe ferat mores, non ſit bilioſa, melancholica, mæſta, aut triſtis, neq; ſtolida: quales enim ſunt humores, tales etiam mores eſſe cenſentur.

Lac ſit dulce, candidum, æquabile, & ſemi liquidum: vitioſum eſt grumoſum, amarum, acidum, vel ſalſum, craſſum, vel tenue nimis, ab Oribaſio *lib. 5. cap. 3. de lactis natura*, exploratur, ut nempe lacti, in vas vitreum infuſo, coaguli portio miſceatur, digitisq; agitentur, atq; ita permittantur, donec, coagulentur: deinde inſpiciatur, utrum minor ſit pars, quæ in caſeum concrevit, quàm ea, quæ in ſerum abiit: quod ſi ſit, bonum; ſi contrà, erit concoctu difficile; quod verò æquam utriusq; portionem habebit, id erit probatiſſimum. Alias probationes vide in *præcedentibus Aphoriſmis*. *Lac quale eſſe debeat.* *Lactis boni vel mali ſigna.*

Nutricis victus ita inſtituendus eſt, ut maxima habeatur ratio cerebri, cordis & jecoris. Nam ſi harum partium beneficio bonus generetur ſangvis, conſequenter & bonum lac generabitur. *Nutricis diæta.*

Qualis enim eſt ſangvis, tale eſt lac. *Victus* ſit evchymus, nec in qualitate, nec in quantitate excedens, cibi aromatici, calidi, aut etiam nimium frigidi, ſunt vitandi: illi namq; bilem; hi pituitam generant; quæ, lacti commixta, id reddit craſſum & grumoſum. Iram, triſtitiam, timorem, &c. vitet: &, ubi melancholia, aut atra bilis, in nutrice redundat, facilè ulcera cancroſa in ejus mammis, & pueris in gingivis generantur: nec eadem toto lactationis tempore debet ſervari diæta; ſed alia primis diebus, alia, deinceps. Primis itaq; diebus cibum levem, & facilis concoctionis, accipiat, v. g. carnes vitulinas, agninas, vervecinas, gallinaceas, pullorum, & avium teneriorum; panis ſit bene fermentatus, & bene piſtus: bibat *jus carnium* ſupra dictarum, nimirum *carnis vituli*, vel *decoctum ſemin. coriandr.* vinum ne guſtet: eſt enim violentum nimis pro puero recens nato: item olera, ſive crambe ſalſa, legumina, dura, ſicca, ſalſa, acria, acuta, vetuſta, fumigata fricta, caſeoſa alimenta, allium, cæpæ, porri, fructûs horarii vitentur: aliquot verò præterlapſis diebus, poſtquam puer aliquo modo fortior evaſit, ſolidiorem cibum, moderatè tamen, nutrix aſſumere poterit, & quidem, veluti dictum, ita, ut famem cibus, ſitim potus expleat. Hic ſaturitas omnis, nauſea, & faſtidium, cane pejus & angve vitanda eſt: nam Infans ex quavis ebrietate aut ſatietate facile eſſet ægrotaturus. *A ſomno motis,* *Varietas diætæ nutricis.* *Quæ nutrici vitanda ſunt.*

præci-

Somnus meridianus nutrici vitandus.

præcipuè *pomeridiano*, ſibi temperet nutrix: manè, oriente Sole, ſurgat; quia, ſicuti aër, & omnia aërea, à Solis præſentia moventur, alterantur, & depurantur; ita etiam corpus nutricis movetur & alteratur, & à calore Solis depuratur; ita, ut ſanguis, & conſequenter lac, puriora generentur. *Venus* quoque *vitanda* eſt; utpotè quæ menſtrua provocat, & ſanguinem ab uberibus, pro conficiendo lacte, retrahit. *Otium* quoq; omni curà & cogitatione fugiendum; quo humorum phlegmaticorum copia accumulatur, ſanguisque & conſequenter lac, depravantur.

Venus evitanda.

Otium nutrici vitandum.

CAPUT IV.

De Curatione morborum Nutricis: item de Inflammatione, & Dolore, Mamillarum; & earum Abſceſſu: item de Rimis Papillarum.

DE *Venæſectione, & Purgatione, Puerperarum & Lactantium, in morbis acutis*, ſupra egimus; additur hîc, diligenter attendendum eſſe, ne per medicamenta fortiora vel phlebotomias, lac à mammis avertatur, veluti hîc, Viennæ, ſæpius obſervavimus.

In Nutricibus, ob lactis copiam, ſæpius intumeſcunt, dolorificè tenduntur, & *inflammantur Mamillæ*, vel ob eibi inſoliti copiam, vel ob ſanguineam corporis temperamentũ. Itaq; de cibo iis aliquid ſubtrahendum eſt, ut lactis abundantia minuatur; utanturq; cibis parum nutrientibus, à vino abſtineant: potus illarum ſit aqua cocta: alvi quotidiana ſolutio procuretur ex arte, & clyſteribus communibus. Excedentem aëris frigiditatem & calorem vitent. Si magnus adſit in mamillis *Dolor*, fiat ſequens *Fomentum*:

Unde inflammantur mamillarum oriatur.

Cura mamillaris inflammationis.

Doloris Fomentum.

℞. *Vini rubr.* ℔ß.
ol. omphac.
acet. ana ℥iij.
aq. font. ℔ß.

M. & parum calefiant: deinde, ſtomacho jejuno, fomentur mamillæ, bis in die, ſpongias ſcilicet intinctas & imbutas ſæpius applicando, per integram horam. Aliqui tantùm *lentes* in *aqua marina* ſeu *muria* vel *cerevisia*, cum *croco*, coquunt, & cum ipſa decoctione calidâ mammas abluunt; deinde *lentes* ipſas contuſas, & in formam *Cataplaſmatis* redactas, apponunt. Comitiſ. de Schwartzenberg / Secretum ad *mammas tumentes* eſt *Decoct. ſem. cannabis in cerevisia applicatum*. Nos conficimus *Cataplaſma* ex *farinâ hordeacea* vel *lupini*, cum *aqua Danubii* bulliente: & in bona quantitate, bis, vel ter, de die applicamus: eſt mirabile etiã in omni duritie, inflammatione, necnon abſceſſibus, & inſtar omnium. Vel loco hujus eſto,

Decocto ablutione.

Cataplasma probatum.

Emplastr.

℞. *Dactyl. contuſor.* num. x.
pulv. flor. camomill.
roſ. rub. ana m. j.
ol. roſat. complet. q.s. ad incorporationem. M. F. Emplaſtr. vel Cataplaſ.

Si verò *lac affluens repercutere* volueris, addere poteris aliquid *aluminis*, *coriand.* & *portulac. pulveriſat.* In ſummo mamillarum dolore neq; ab adultis, neque ab infantibus, mamillas emulgeri, convenit; ne fiat attractio ad partes affectas, & dolores augeantur: *vena* tamen aliquando *ſecanda* in tali caſu, idque in ſumma etiam neceſſitate; ne extermінetur lac. Ad *duritiem* tollendam,

Lac expulsum repercutiend.

Vena sectio.

ad Duritiem Mammarũ, Cataplasma.

℞. *Farin. ſem. lini.*
ſanigr. hord. ana ℥ij.
mica panis ſiliginei ℥iiij.

Coq. in ſ.q. *lactis*, ſub finem addendo *cerat. de citura* ℥iß.
ung. dialth. ℥ij. F. l. a. Cataplaſm. ſæpius applicandum. Si dolor & durities remiſerit, quotidie bis leniter lac emulgendum eſt.

Si ſuppuratio impediri non poſſit, ea juvanda ſuppurantibus: dein, facto *Abſceſſu*; ulcus mundandum, abſtergendũ, implendum, & conſolidum eſt.

Abſceſſus.

Mammillarum papillis eveniunt *Rimæ*, nutrici permoleſtæ, & fœtui non parũ, inſalubres; quæ nihil aliud ſunt, niſi fiſſuræ quædam, in earum extremitatibus degentes: fiuntq; ab acrimonia, vel ſiccâ totius, vel partis tantùm, complexione: nam fiſſuræ non fiunt, niſi à ſiccitate cutim contrahente. Eſt affectus moleſtiſſimus, & ſummos nutrici afferens dolores, præciſè dum puer ſugit; adeòq; ei, dum adhuc recens eſt, quantocyus occurrendum, victus ſcil. ratione probâ & medicamentis. Cùm itaq; malum à ſiccitate deſcendat, conveniet vict9 humidus, ut ſunt juſcula herbis humectantib. alterata, hordeata, & quævis elixa potius, quàm aſſata: *malva, ſpinach, endiv.* & *borrago*,

Rimæ mamillar.

Unde oriuntur.

Diæta.

borrago, in obſoniis cocta, plurimùm humectant; item *poma dulcia* &c. Potus ſit aqua *decoct. hordei*, cum *paſſulis*. Vitentur omnia acria, ſalſa, mordacia, adſtringentia, cruda & ſicca, vel quæ nimiâ frigiditate aut caliditate ſiccitatem generant. In humorum abundantiâ nutrix leniter *purgari* poterit ſequenti *Bolo*:

Purgatio nutricis, per Bolum. ℞. *Caſſia rec. extract.* ʒx.
elect. diacathol. ʒij.
Cum ſaccharo F. Bolus.

Vel

℞. *Syr. roſar. moſchat.* vel *roſat. ſolut.* ℥iiij.
decoct. malvæ q. ſ. M. F. Potio. Vel, ſi bilis abundet, ſequens exhiberi poterit:

℞. *Fol. ſen. ſ. ſ.* ℥iij.
rhei elect. ʒij.
pulp. tamarind. ʒß.
mann. elect. ℥ij.
His omnibus ſuperaffunde
decoct. fol. malvæ bullient. ℥iiiiß.

Stent per noctem: manè in colaturâ diſſolve
cremor. tartar. ℈iß. M. F. Potio: detur calidè: papillæ autem ſequenti *Linimento* inungi poterunt:

Externum Linimentum. ℞. *Ceræ rub.* ʒiij.
ung. pomad.
adipis hircini,
ol. ovor. ana ʒij.
M. ad ignem: F. Linimentum.

Vel, loco ejus,

℞. *Ol. roſat. complet.* ℥iij.

Infunde in mortarium plumbeū, & piſtillo plumbeo tamdiu tere, donec ſpiſſum reddatur, & ſubnigrū evadat: hôc bis vel ter inungantur papillæ. Alii tantùm *butyrum recens* miſcent cum *oleo amygdalar. dulc. recent.* & inungunt.

Caput. V.

De Vitiis Lactis.

Vitia lactis, & quot. L*Ac* eſt vel *nimis craſſum*, vel *nimis tenue* & *aquoſum*; vel *diminutum*, à frigiditate, vel à calore, vel ab alvi nimia lubricitate, vel ob penuriam, vel ob terrorem: item *coagulatur*; vel *concreſcit in grumos*; vel etiam poſt ablactationem venit *exſiccandum*.

Signa diagnoſtica. Si lac ſit *nimis craſſum* vel *concretum*, quod per otium fit, vel per ambientem äërem, vel propter cibum vel potum craſſæ ſubſtantiæ, vel ob rationem temperamenti; cognoſcitur id ex difficultate digeſtionis & excretionis per ventrem infantis, & exceſſu in craſſitie & conſiſtentia ipſius lactis, ſuper unguem, vel ſpeculum emulſi, & non defluentis.

Craſſum lac in hoc plurimùm nocet Infanti, quòd adhæreat, & non excernatur: unde excrementa plurima colliguntur; ex quibus morbi, abſceſsûs ſcilicet, & furunculi, oriuntur. Ut tale lac *corrigatur*, nutrix degat in aëre temperato, & nutriatur cibis facilis concoctionis, & moderati nutrimenti; cujusmodi ſunt carnes vitulinæ, hædinæ, pullorum gallinaceorum, elixæ. Potus ſit vinum aquâ temperatum, vel paucarum virium, & moderatè ſumptum. Vitentur interea carnes ſuillæ, bovinæ, caſeoſa omnia, unctuoſa, acria & acida, legumina, pultes, ova dura, lentes, &c. ex oleribus edantur *ſpinachia, lactuca, malva, atriplex, petroſel. fœnic. cichoreum, borrag.* Ex fructibus prævalent *amygdalæ dulces, nuclei pini* &c. deambulet nutrix moderatè, ne à paſtu ſtatim dormiat, &, antequam infantem lactet, ubera per inſtrumentum, ore proprio, vel alieno, curet emulgeri, ut lac illud, quod per diuturnam moram craſſius evaſit, extrahatur, nec infanti cedat in alimentum. Interea incidentibus & attenuantibus utatur: ut:

Crassum lac cur Infanti noceat. — *Medicatio.* — *Diæta ad lac craſſum corrigendum.*

℞. *Oxymel. ſimpl.* vel *ſyrup. byzant.* ℥ß. ſumatur cum decocto *hyſſopi, menth. origan. puleg. cichor. ſem. aniſi*, cum *aqua* facti. Si autem, ex ſanguine bilioſo lac tale eſſe, colligatur, *ſyrup. de hyſſop.* & magis calefacientia, dein *purgantia*, ſunt exhibenda: ut:

Lac craſſum attenuantia.

Purgatio. ℞. *Fol. ſen. ſ. ſ.* ℥iij.
agaric. rec. trochiſcat. ʒij.
mann. elect. ℥ij.

Infunde in *decocti flor. & fruct.* ſ. q. per noctem: manè, factâ unicâ ebullitione, in colatur. ℥iiiß. diſſolv.
ſyrup. roſar. ſolut. (ſi roſæ ratione matricis tolerari poſſint) ℥j.
cremor tartar. ℈j. M. F. Potio.

Lac aquoſum unde fiat. Si lac fuerit *aquoſum*, vel *bilioſum*, quod fit ex magnis & fortibus exercitiis, laboribus attenuantibus, cibo & potu calidis & ſalſis, ab aëre, à temperamento humido; colligitur ex infantis macie, ex

Signa.

ex bilioſis excretionibus, cum mordacitate, per ventrem, & per urinam citrinam; ex eo, quòd, in ungue vel ſpeculo poſitum, diffluat: ex tali Infans facilè incidit in febrim bilioſam, dyſenteriã, lienteriam, puſtulas acres &c. Si itaq; lac fuerit aquoſum, inſpecto ſanguine, ex decreto Gal. 5. *de ſimpl. medic. facult.* *purgetur* nutrix per hydragogum; ſi bilioſum, per cholagogum: quibus etiam medicamentis victus reſpondere debet.

Cura Nutricis lac aquoſum, vel bilioſum habentis.

Lactis defectus: Unde.

In lactis *diminutione* conſiderandum eſt, utrum proveniat à *calore*, an à *frigiditate*; utrum à cibo, temperamento, immodicâ ſanguinis, aut aliorum humorum, evacuatione, alimenti penuria; utrum ſit in una tantùm mamilla, an in utraque. Si ſit *à calore*, ſeu intemperie totius calidâ; quod colligitur ex macie totius corporis, calore citrino, vel pallido, item ab excrementis bilioſis, oris & lactis amaritudine: *victus* ſit moderatè refrigerans & humectans, ſecundum aërem, cibum & potum. Motûs violenti, tum animi tum corporis, item aromata, ſalſa, dulcia, acria &c. vitentur. In juſculo carnium coquatur *lactuca, portulaca, ſpinachia, cucurbita, atriplex.* Alvus quotidie exoneretur vel à natura, vel ab arte, per clyſteres: potus ſit decoctum *ſem. coriand.* vel *aniſi.* Bilis leni cholagogo exoneretur, ex *manna* ſcilicet, *caſſia*, *tamarindis*, & *rhabarbaro.* Avicen. *1. fen. 3. doc. 1. c. 2.* docet, diminutioni lactis à proprietate ſubveniri, ſi mulier efitet mamillas caprarum, earúmq; lac bibat, &, ſecundum Aetium, cremorem hordei.

Cura. Victus.

Diminutio lactis à frigiditate.

Si verò adſit diminutio lactis à *frigiditate*, quod patet ex totius corporis albedine, excrementis pituitoſis; eligatur aer ad calidum vergens, & nutrix ſeſe exerceat: potus ſit vinum albũ oligophorum: cibi ſint boni ſucci, cum *ſem. aniſi. fœnic. aneth. petroſel.* & *amygd. dulc.* conditi: alvus ſit lubrica quotidie, vel ſponte, vel arte; juſcula bibantur alterata ſummitatibus *fœnic. aneth. petroſ. rad.* ejuſdem: horum aliquot diebus uſus ſit: útq; lac ad mammas redeat, applicentur cucurbitulæ ſiccæ infra mammas, hæque ſequentibus *fomententur*:

Fomentum in lactis defectu.

℞. *Summit. aneth. puleg. thym. ment.* a. miß. *flor. camomill. roſar. rub.* ana p. ij.

Bulliant in ſ. q. *vini alb.* Colaturâ, cum ſpongia intinctâ, foveantur mamillæ bis vel ter de die, ſat diu: poſtea *ungantur oleis* calidis, utpote *nardino, chamæmelino, lumbricorum* &c. item frictiones mamillarum lac ad illas potenter retrahunt.

Linimenta.

Noſtrates, in *defectu lactis*, ſumunt *pulverem cryſtall. præp.* vel, loco ejus, *pulverem lumbricorum terreſtrium*; item *lapidem Galactitem* appendunt anteriùs: ſi verò extirpare velint lac, poſteriùs; ex eodem lapide pulverem quoque aſſumunt, vel *ſemen ſeſamineum*, aut *raphanum* cum *vino* elitant, pro augendo lacte.

Medicamenta lac generantia.

Si verò iſte affectus foveatur à cacochymia phlegmatica, corpus expurgandum eſt: ſi verò ob *diminutum ſanguinem*, ab hæmorrhagia, vel nimia phlebotomiâ, contingat lactis diminutio, ova ſorbilia in bona quantitate, vel cibi euchymi exhibeantur: ſi lac diminutum ſit *ab alvi nimia lubricitate*, obſervanda venit diarrhϾ ſpecies, utrum ſit à bile, an à pituita &c. videndúmque, utrum fiat fluxus ille cum ευφορία: tunc enim ſinendus eſt, teſte Hipp. *1. aph. 20.* *quæ judicantur, & judicata ſunt integrè, neq; movere, neq; novare aliquid oportet, ſive medicamentis, ſive aliter irritando; ſed ſinere oportet*, adeoq; præter bene ordinatam diætam totum opus naturæ committendum eſt: ſi verò fluxus ultra ſeptem dies duraverit, occurrendũ abſtergentibus, & evacuantibus reſiduum materiæ; deinde paulatim adſtringendum eſt. Vide *cap. de Diarrhæa.*

Si ſit à ſanguinis effuſione.

Si ab alvi lubricitate.

Si verò adſit lactis defectus ob *mulieris tabem*, & *ſanguinis*, aut *alimenti, penuriam*, Infans protinus erit abigendus, ne, antequam reficiatur mater, ille moriatur. Mulier autem paulatim reficienda eſt, non repentè: cùm omne nimium ſit naturæ inimicum. Vide *cap. de Hectica, & Tabe.*

Lactis defectus ob tabem mulieris.

Fit quoq;, ut per repentinum *Terrorem* nutrici lac ex toto auferatur: quo facto, ſeſe multum exerceat nutrix, brachiis ſcil. & manibus mamillas fricet, & ſub iis ventoſæ ſine ſcarificatione applicentur, uſurpentúrq; fomenta & unctiones *ſupra dictæ*; præterquàm quòd hauſtus *vini Malvatici*, cum ℈ij *ſpec. lætific. Gal.* cum *panis medulla* exhibitus, utpote cor hominis lætificans, ad lac ad mammas retrahendum plurimum faciat; nec minùs hîc conveniunt omnia illa, quæ humanum exhilarant animum: ut ſunt jucũda colloquia, dulces harmoniæ &c.

Lactis defectus à terrore.

Si

Lac coagulatum.

Si lac *coagulatum* fuerit in mammis, ſeparatis ſcilicet ab invicem ſero & caſeo; id maximè fieri videtur à caliditate, homogenea ab heterogeniis ſeparante: frigus quidem poteſt lac coagulare, concretum reddere, & in grumos vertere; ſed non congelare, contra Avicen. *3. fen. 12. cap. 4.* Et hæc eſt ſententia Gal. *3. de aliment. facul. cap. 16.* & Hieronymi Mercurial. *lib. 2. cap. 26. variar. lectionum.* Itaque illa lactis coagulatio fiet vel ab ipſo temperamento calidiore, vel ab anni tempore, vel à calida victûs ratione: eſt Ariſtot. *lib. 3. de hiſt. animal.* & *2. de generat. animal.* & *4. meteor.*

Lac coagulari poteſt, non congelari; contra Avic.

Signa lactis coagulati.

Signa ſunt, quòd, dum mammæ emulgentur, exit lac coagulatum, & quidem difficulter; puer item difficiles habet digeſtiones & excretiones per alvum: tunc infans *alii nutrici* applicetur, & nutrix, taliter affecta, ab alia quotidie bis vel ter emulgeatur, ut vitioſum iſtud lac proliciatur: deinde, inſtitutâ victûs ratione ad frigidum vergente, prohibitis fortioribus exercitiis, caveat à ſomno diurno. Potus ſit aqua *decoctionis coriandri*, vel *aniſi*, cum pauco *cinnamomo*: Cibus ſit evchymus; abſtineatur ab acidis, ſalſis, acribus, aromatibus, ſalſamentis, leguminibus, & quibusvis exceſſivè calefacientibus.

Nutricis mutatio.

Diæta.

Cura lactis coagulati.

Curam quod attinet, cùm in quolibet morbo ſemper adſit quod fit, & quod factum eſt, ad ulteriorem coagulationem prohibendam,

Linimentum.

℞. *Ol. de mentha,*
camomill. ana ℥j.
anethin. ʒß.

M. coque tepido bis in die ungantur mamillæ: ad reſolvendam materiam, in uberibus jam coagulatam,

℞. *Succi apii,*
acet.
ol. roſat. ana ʒß.
coaguli leporis,
croci, ana ʒj.
mucilag. fænugr. aquâ roſar. extract. ʒß.

M. F. Linimentum; quo mamillæ ſæpius ungantur.

Vel, loco hujus,

Cataplaſma.

℞. *Fol. ſolatri,*
apii,
caulium, ana mj.

Incidantur & contundantur in mortario: dein adde

myrrh. elect. pulveriſat.
roſar. rubrar.
rad. ireos pulveriſat. ana ʒij.
croc. ʒj.
ol. rutac. ℥j.
acet. roſar. q. ſ. ad incorporationem,

F. Cataplaſma, calidè applicandum.

Concretio lactis *in grumos* fit, quando univerſa lactis ſubſtantia adſtringitur, & cogitur in grumos. *Cauſæ* ſunt ratio victus frigida, alimenta acetoſa, atria, aër frigidus & humidus, ſimile corporis temperamentum. Dum tale lac apparet, alia nutrix ſtatim eligenda eſt; aliàs Infans incidet in obſtructiones, hydropem, vel febrem. *Signa* lactis concreti ſunt Infantis obſtructio, lactis exitus difficilis. Ad *curandum* ejusmodi affectum aër calidus eligendus eſt, nutrix exercenda, & præcipuè ante cibum, alvus illi ſit aperta: *victum* ſuperiùs dictum fugiat, & eligat contrarium, mamillæ perfundantur *aquâ calidâ*, vel *oleo dulci calido*, ad impediendam ulteriorem concretionem, & præſentem diſſolvendam: deinde *Fomentationes*, ſuperiùs ordinatæ, horâ unâ ante cibum uſurpentur: deinde fiant *Unctiones* ex *oleis calidis*, *lilior.* ſcilicet, *coſtino*, *anethino*: quo facto, *Cataplaſma* ex decoctis *lentibus*, cum *muria*, pauco *croco*, & *cumino* applicetur. Aliàs cataplaſmata, cum *aceto fortiſſimo* facta, ex uſu eſſe poterunt: item nutrici propinetur ʒj. *coaguli leporis* in *vino Malvatico calido*, jejuno ſtomacho: illud non tantùm lac coagulatum diſſolvit, ſed etiam ſangvinem. Frictiones mammarum, & frequens lactis emulſio celebranda eſt. In ſumma lactis *abundantia*, poſt ablactationem, requiritur perſæpe, ut lac exſiccetur; aliàs dolores in mammis, tumores, apoſtemata, & febres generarentur. In hoc caſu *victus* ſit moderatior & ſiccior, quàm antè, aër frigidus eligatur, ſomnus ſit brevior ſolito; vinum ſit ſubadſtringens & ſubnigrum, aſſa potiùs, quàm elixa, comedantur, vitentur lac generantia. Si ſola victûs ratio non ſufficiat, lac è mammis primo die emulgeatur, ſi non doleant mammæ, ſecundâ die abſtinendum ab emulſione lactis, ſed appli-

Lactis grumoſi cauſa.

Signa lactis grumoſi.

Cura.

Victus.

Fotus.

Inunctiones.

Cataplaſmata.

Appropriatum, &c.

Abundantia lactis poſt ablactationem.

Quomodo tollenda.

Diæta.

Topica repercutientia.

canda ſunt repercutienta: ut eſt *ol. ex olivis immaturis*, quod *omphacinum* nominant; cui addi poteſt *myrtinum*, *cydoniorum*, & *maſtichinum*. Deinde

Cataplaſma.

℞. *Farin. fabar.* ℥iij.
thur.
myrrh.
maſtich. ana ʒij.
fol. myrt. pulver. ʒiiß.
alb. ovor. n. ij.
M.F. Cataplaſma.

Si nihil impediat, nutrix expurganda eſt, ut citiùs exterminetur lac: ad idem facit venæſectio, præcipuè talis, quâ ſtatim plerunque lac exterminatur, & menſes provocantur. Noſtrates mulieres lac exterminant beneficio *lapidis Galactitis*, ex dorſo appenſi. *Amuletum.*

CAPUT VI.

De Infantium Diæta.

Diæta Infant. *Aer.*

PLurimùm intereſt, ut *Aër*, ſine quo vivere non poſſumus, ſalubris attrahatur & purus, ad pulmones Infantis delicatiſſimos, talis ſcilicet, qui nec olerum, nec leguminum, fimi, ſtagni, fluminis nebuloſi, nec cadaverum putredine ſit infectus. Si itaque Infans in tali loco natus ſit, illicò transportandus eſt ad meliorem; & ſupernæ domuum partes ſemper ſunt eligendæ, tanquam magis perflatæ; ita tamen, ut Aquilonis vehementia non admittatur; quam, teſte Hipp. *3. aph. 5.* tuſſes, raucedines, alvi duræ, difficiles urinæ, horrores, coſtarum & pectoris dolores, ſequuntur; à Meridie verò debent feneſtræ hyberno tempore, autumnali, & diurno, eſſe reſeratæ: tempore autem veris, & aliquandò in æſtate, debent eſſe clauſæ, quia ventus auſtralis diſſolvit humores, & ipſos ad corporis fundum fluere cogit, replet cerebrum, auditum hebetat, unde ſcotomia & vertigo, ſcabies, & furunculi: à parte verò Occidentis quotidie hyeme aperiantur, niſi aliud obſtet, feneſtræ, manè verſus Orientem, veſperi verſus Septentrionem, ut Sol manè & veſperi benigno ſuo lumine Infantem fovere poſſit.

Venti qui non admittendi.

Venti Orientales & Occidentales comparatu meridionalium & ſeptentrionalium temperati ſunt. Si Orientales venti veſperi, Occidentales manè flaverint, cùm ſint contra naturam, non admittendi ſunt, ſed feneſtris clauſis repercutiendi. Si verò imbres abundaverint, præcipuè hyeme, ſiccitates imbribus ſunt ſalubriores: verbo, tam hyeme, quàm aliis anni temporibus, extrema & violenta omnia cane pejus & angve ſunt vitanda, & diæta in omnibus temperamento Infantis vel accomodanda, ſi conferat, vel opponenda, ſi neceſſitas requirat.

Quid faciendum ad ſtatim Infante. Umbilici reſectio.

Quamprimùm natus eſt Infans, *umbilicus* ſcalpro, quatuor à ventre digitis, reſecandus eſt, & ſangvis in ipſo contentus, & grumoſus, exprimendus, ſpongiâque detergendus, deinde cum lanâ, vel goſſipio molli, ligandus, & petiola, *oleo* intincta, ſuperponenda eſt. Aliqui umbilici vulneri aſpergunt pulverem *myrrhæ* & *ſarcocollæ*, ut eò citiùs perſanetur. Noſtrates mulieres tres interdum ſangvinis guttas ex umbilico reſecto in pueri lingvam infundunt, tanquam certum contra epilepſiam præſervativum. Cardanus, *in meth. med. cap. 48.* prohibet, ne recens natis medicinæ (uti ſolent ſollicitæ aniculæ) obtrudantur, eò, quòd mollia membra nullâ debeant qualitate alienâ alterari, multò minùs expurgari; cùm omnia ſana corpora difficulter ferant medicationes, præcipuè verò Infantium. Hanc ob rem præcepit Avic. ut nutrici, non Infanti, in caſu neceſſitatis purgantia exhibeantur. Melior itaq; eſt diæta, ſeu abſtinentia à lacte, ubi magna eſt repletio; quæ tamen ultra 40. horas durare minimè debet. Infantis diæta alia eſt usque ad priores dentes; alia ab his usque ad 20. menſes. Jejunet infans duobus vel tribus diebus: nutricis enim, quæ recenter peperit, lac vitioſum, quod *Coloſtrum* vocatur, id eſt emulgendum, nec infanti dandum. Si verò clamore refectionem petierit, *butyrum recentiſſimum*, ex *aquâ dulci* ter bene lotum, pueri ori intrudatur, inſtar pultis, vel, loco ejus, *mel ſimplex*, idq; bis, ter, vel quater repetatur, deinde applicetur bonæ nutricis uberibus: & aliquando *folium unum auri* cum *lacte* puero exhibendum eſt, ad tollendam lactis malignitatem, & pueri cor confortandum. Interea aliquoties lavetur infans, nec tamen quotidiè, ne membra

Medicina recens natis prohibentur.

Abſtinentia à parte quandoque puero ſervanda.

Lac recenter enixæ eſt vitioſum.

Mixtura [illegible] recens natis danda.

Fol. auri cum lacte quandoque dandum.

membra fiant nimis langvida & mollia: balneum autem ſit ex *aqua* & *lacte*, æſtate tepidum, hyeme calidum: deinde à Balneo. ℞. *Ovum* num. 1. cum toto, id eſt, vitello & albumine, quod agita cum *vino*, donec tenue ſatis evadat, cui intinge fruſtum panni ſcarlatini, & infantem frica, ut cutim lævem acquirat. Nec ſtatim à balneo Infans lactetur, donec evidenter refrixerit: idē intelligendum eſt ab aſſumpta pulte; quam tamen ante ſeptimum menſem multi non exhibent, ſed ſolo lacte Infantes nutriunt usque ad primam dentitionem; quæ, teſte Paulo, circa menſem fere ſeptimum contingit. Frequenter faſciæ ſiccentur, ne exulceretur Infans, nec codē in loco, ubi Infans degit, ſiccentur: nam ejus caput inſtar ſpongiæ attrahit, unde fluxiones & catarrhi oriuntur: molliter etiam faſciendi ſunt pueri, ab humeris incipiendo, & cotone inter partes poſito, ne atterantur, usque ad quartum menſem circiter, donec ſcilicet membra roborentur: deinde *pedes & manûs ſolvi* poſſunt; thorax verò, & venter, ad bienium ſaſcientur, ut partes vitales & animales conſerventur. Antequam reponantur, ſigno crucis, in quâ ſalus noſtra pependit, muniantur, ne à venefica ſtrige aliquâ maleficientur. Licet enim multis fabuloſum hoc videatur: ſcribit tamen Marſilius Ficinus, *lib. 2. de vita, cap. 11.* aniculas quasdam, & ſtriges, Infantium ſangvinem ſugere, quo pro viribus juveneſcant. *Locus, in quo cubat* Infans, non ſit luminoſus, lucernâ quoq; potiùs ad pedes, quàm ad caput poſitâ, ne ſtrabiſmi habitum acquirat, ſed potius *tenebricoſus*, ut faciliùs ſomnum capiat, nec frigidus aut humidus, ſed moderatè calidus, non fumoſus aut fœtidus: probè tegatur Infans, nec cubet cum nutrice, ne in ſomno ſuffocetur, vel, ſi ex neceſſitate id fieri debeat, fiat id ſolutis manibus, ut ſeſe liberare poſſit à ſtragularum involucro. *Ploratus* Infanti ante lactationem prodeſt: pòſt verò concoctionem impedit: *conciliatur* autem *ſomnus* Infanti vel papillâ ori Infantis appoſitâ, vel agitatione cunarum, vel modulationibus: ſi verò hiſce nihil proficiatur ſolvantur faſciæ, inſpiciantürque annon forſan pungatur, vel nimiùm coarctetur, aut contorqueatur aliquod membrū, vel adſit interna aliqua repletio; quia Infantes non plorant ſine cauſa. Notandum quoq;, ut, dum Infantes *expergeſiunt, ad lucem ferantur*, ne à tenebris terreantur. Quamvis Infantes à quibusdam per triennium lactentur; æquum tamen eſt, ut dentione peracta ablactentur: tunc enim cibis ſolidioribus nutriri poſſunt. Infantibus *victus* ſemper humidus convenit; teſte Hipp. *1. aph. 16.* Quibus alvus multùm profluit, & bene concoquunt, hi ſaniores ſunt: quibus verò modicè fluit, & voraces ſunt, & nōn pro ratione ſimiliter nutriuntur, morbidi ſunt. Septimo à natali menſe, poſtquam primi duales, aut anteriores dentes orti fuerint, & firmati, unà cum lacte, ſolidiori cibo nutriri poſſunt, non tamen duro, ſed priùs à nutrice maſticato. Si verò canini dentes orti fuerint, jam cibi paulò duriores, ut ſunt carnes & legumina, exhiberi poſſunt: *vinum* immodicum pueris interdicatur, ſecundùm Gal. *10. de ſanit. tuend. cap. 11.* Neq; etiam adultis vinum eſſe dandum putamus; quòd ſcilicet illos ad iram præcipites, & partem eis rationalem turbatam reddat. Noſtrates tamen, ad juvandam concoctionem, pueris ſuis vinum exhibent: niſi verò modicè, & dilutum, malè. Si ex neceſſitate mutanda ſit nutrix, alliciatur Infans ad aliam, ita, ut hæc in tenebris ei ubera primâ vice exhibeat, vel papillæ ſaccharo inungantur: quia quandoque potiùs moriuntur, quàm aliam accipiant nutricem infantes.

Ablactatus per *ſuccum abſynthii*, vel *aloen*, in *melle* diſſolutam, uberibus inunctam, puer (quod decreſcente Lunâ, tempore veris, ſive, autumni utpluriмum factitant) non *nutriatur* cibis noxiis vel unctuoſis pingvibus, fructibus dulcibus, aut facilè putreſcentibus: talibus enim aſſveti alia reſpuunt; aſſvetos autem cibos iis dare oportet, ne contabeſcant. Cùm Infans ſolidior factus fuerit, & brachiis uti poterit, doceatur ambulare, ſed munito capite, & longè à paſtu, in curriculo pædagogo. Omnia illa, quæ Infanti, velut rationis experti, nocere poſſunt, ut ſunt cultri,

lapides,

Divina pri-us, vel ante omnia, ſunt inculcanda. lapides, vitra &c. removeantur: &, dum balbutire inceperit, divina ſemper priùs doceantur, quàm ludicra: manſvetè ſunt tractandi, nec nimis ſeverè, ne contriſtentur; nec abſurda & horrenda, turpia, obſcæna & maledica iis obtrudenda ſpectacula, ne ex metu moriantur, vel inde malos induant mores; ſpiritus enim per radios oculorum faſcinare, inficere, & afficere poteſt: puer autem eſt, inſtar ceræ, omnium impreſſionum capaciſſimus.

CAPUT VII.

De Cruſta Lactea: item de Eryſipelate Infantis.

PRæ omnibus habenda eſt Nutricis cura, quæ, ſi poſſibile, potiùs per victus rationem, quàm per medicamenta, curanda eſt. *Cruſta Lactea*, Germ. die Viertziger / ſecundum Manardum *in ejus Epiſtolis*, & Guilielmum de Saliceto, impuritatem lactis ſequitur, & nihil aliud eſt, quàm ænioſa cruſta, colore albicans, quâ, utplurimùm in principio lactationis, caput, facies, & totum quandoque Infantis corpus tegitur, originem trahens à ſalſa, corroſiva, & acuta humiditate, ſangvini permixta, hyeme utplurimùm dominans. Avicennas inquit, difficilis non eſſe curationis: quin & à multis intacta relinquitur, eâque Infantes à convulſionibus liberari exiſtimantur. Si verò diutius, quàm par eſt, perduret, curari debet aëre, & victu, ad ſiccum & frigidum vergentibus. Nutrix alvum habeat apertam, &, ſi Infans *conſtipatus* fuerit, laxetur pauco, *melle*, vel *terebinthina*, in pauca quantitate, vel ad ciceris magnitudinem exhibita. Nutrix caveat à ſomno diurno, item à ſalſis alimentis, ſuillis & ovillis carnibus: Juſcula bibat *endiviâ, acetoſâ, ſpinachiâ, atriplici*, & *malvâ* alterata. Animi exacerbationes ſunt vitandæ: item expurganda eſt nutrix pilulis ex *aloë roſata*, vel *de hiera* cum *agarico*: puero autem detur *mellis roſati ſolut.* vel *ſyrup. flor. Perſicor.* cochlear unum, & cruſta inungatur *Unguento* noſtro, *ad ſcabiem* ordinato, vel ſeq.

Cruſta lactea quid.

Facilis curatio Cruſtæ.

Infanti quæ danda ſunt.

Nutrix quibus expurganda ſit & quibus ſucc.

Unguentum.

℞. *Ung. roſat. Meſ.*
infrig. Gal. ana ℥j.
M. & inunge: vel ſæpius ablue ſequenti Mixturâ:

Mixtura abluens.

℞. *Succ. plantag.*
ſempervivi,
aq. camomill.
roſar. ana ℥ij.
M. pro ablutione,

Vel, loco hujus, *piſor. cicer.* vel *fanigr. decocto*. Si verò cruſta oculos tangat,

Collyrium.

℞. *Aq. roſar.*
lactis mulier. ana ℥j.
M. & inunge.

Eryſipelas. *Eryſipelas* Infantium non differt ab adultorum eryſipelate, niſi curâ, quæ difficilior eſt: ſi contingat in capite, fit à mala victûs ratione, adeſt febris, partis calor æſtuans, & dolor. *Victus Nutricis* ſit refrigerans & humectans, tam ſecundum aërem, quàm ſecundum omnes res naturales. Caveatur ab exercitatione, ira: alvus ſit aperta tam in nutrice, quàm in Infante. Abſtineat nutrix à *vino, ſalſis, & aromatibus, cæpis, porre, allio, raphano; oleribus* & *ſeminibus calidis, ſinapees* ſcilicet, *urtica, fœniculo, aniſi* &c. Potus ſit *decoctum hordei*: cibus *cremor hordei, carnes gallin. pullorum, vitulina* &c. *poma cocta, endivia, portulaca, acetoſa* &c. *Nutrix purgari* poterit *Infuſione rhab.* in *aq. cichor.* factâ, vel Bolo ſequenti:

Victus Nutricis.

Purgatio nutricis. Infuſio. Bolus.

℞. *Caſſ. rec.* ℥ß.
elect. diacathol. ʒij.
M. F. Bolus, cum pauco *ſacchare*: ſumatur unâ horâ ante cibum. Si Infans *conſtipatus* fuerit, nec ad nutricis purgationem laxetur, fiat parvum *Suppoſitorium* ex *mello, hiera*, & pauco *ſale*; vel etiam *clyſter* Infanti applicetur.

Conſtipatio infantis. *Suppoſitorium:* *Clyſter.*

℞. *Decoct. emollient. pro clyſtere* ℔ß.
in quo diſſolve
mellis violati vel *roſati colati* ℥iß.
ſalis pß.
M. F. Clyſter.

Extrinſeca. Externè, cavendum diligentiſſimè à repercutientibus, præcipuè in Auſtria; ubi talia ſummè noxia ſemper fuiſſe animadvertimus. Itaque contenti erimus *Unguento de liquiritiâ*, vel *farinâ volatili*, vel *pulvere* ad *eryſipelas Minſichti*, cum *bolo, pulver. liquirit.* & *farin. volatil.* In Galliâ verò, & Italiâ, non verentur adhibere *ſuccum ſolani, ſempervi-*

Galli & Itali modo ſuccum Eryſ.

ſipelas: In Auſtria autē non, niſi cum maximo periculo, adprodicatur.

per vivi, portulaca, lactuc. plantag. mucilag. ſem. pſyll. aq. roſar. ung. infrig. Gal. ung. alb. camphorat. roſat. Meſ. ol. roſac. de nymphaa, & ſimilia: quæ quidem ideò maximè in iis locis conducere videntur, quia ibidem Eryſipelas legitimum plerumq; contingit; hic verò nothum: deinde corpora ſunt ibidem rariora; hîc verò denſiora; quæ ibi faciliùs perſpirant; & hinc materia concreta partem corrumpit: unde ulcera dyſepulota & cacoethe ſuboriuntur.

Caput. VIII.

De Herpete Exquiſito, Exedente, & Miliari.

Herpes exquiſitus.

HErpes *exquiſitus* eſt affectus Infantis, ſive ſit in capite, ſive in aliis partibus, à bile exquiſita & ſiccca, in quo poſtulæ citrinæ, & formâ rotundâ, veluti ſerpentes, ſerpendo egrediuntur, & cutem ſuperficietenus afficiunt, ortus. *Differt* ad Eryſipelate eo, quòd materia tenuior ſit in herpete. *Cauſa* ſunt mala victûs ratio, aër æſtuans, ira &c. Herpes verò *exedens* fit à caſſiore, & minùs exquiſita bile, non tantùm cutim, ſed etiam ſubcutaneam carnem, erodente & exulcerante. Affectus hic diuturnior eſt quàm præcedens, &, citra purgationem curatus, revertitur, & ad bubonem producitur. Herpes denique *miliaris*, à milii ſimilitudine dictus, fit à bile cum pituitâ mixtâ, nec tam citò ulcus facit, uti præcedens herpetis ſpecies; ſed admodum exiguas facit puſtulas; quæ ipſæ, interpoſito ſpatio, in ulcus convertantur: ideóque morbus eſt diuturnior, niſi à principio ſtatim curetur. *Curam* quod attinet hujus affectûs, & præcedentium, imprimis *Victûs ratio* talis eſſe debet, qualis in eryſipelate fuit: talis nempe, quæ ad frigidum & humidum vergat: deinde, expurgato priùs nutricis corpore, medicamenta cholagoga talia parti à principio applicentur, quæ humorem fluentem, niſi partis principis obſtet vicinia, reprimant. Si verò infans ad biennium accedat, etiam leviter purgari poterit xv. granis *rhab.* cum *lacte* ſumptis, vel *ſyrup. flor. Perſicor.* ℥j. vel *Paſſulis laxativis.* Diuretica etiam multum proſunt; humorem nempe tenuem ad vias urinæ deducendo. Deinde ad Topica deveniendum eſt:

Differt ab Eryſipelate. *Cauſa.* *Herpetis exed.* *Herpes miliaris.* *Cura.* *Diæta.*

Externa.

℞. *Ol. roſat.* ℥ij.
ſulphuris nigr. ʒij.
M. & in mortario plumbeo agita, donec in *Unguenti* formam redigantur, & applicentur. Vel

Unguenta.

℞. *Mell.* ℥j.
aq. qua ex vitis caudice reſecto ſuâ ſponte, aut ignis vi, expreſſa exſudat, ℥ij.
M. pro Unctione.
Vel

Mixturâ optima applicanda.

℞. *Bol. Armen. orient. præp.*
terra Lemn. ana ʒij.
aq. roſar. acet. ana ʒiij.
alb. ovi num. unum.
M. omnia in mortario, & panniculos in eo madefactos applica.
Vel

Siccantia.

℞. *Sem. lini ſiccat. & in pulv. redacti,*
lana veteris ſuccida combuſta & pulv. ana ℥ß. Cum ſ. q. *aq. roſar.* & *vini rubr.* diſſolve, & pennâ applica ſæpius de die: vel *cretam Colonienſem pulver. ſucc. ſolan. dilutam*, inungere poſſumus. Si magis repercutere vel defendere velimus:

Unguent.

℞. *Pulv. acac.*
myrrh.
thur.
galbar.
ſulphuris, ana ℈ij.
Cum ſ. q. *ſucc. plantag.*
F. incorporatio ad formam Unguenti.

Nutrici interea Emulſiones & Julapia refrigerantia propinentur, ex *aq. portulac. acetoſ. endiv.* cum *ſyrup. de nymph. ſyrup. acetoſo ſimpl. oxymelit. ſimpl.* & ſimilibus. Vide plura in *chirurgia, cap.* 11.

Caput IX.

De Achoribus, Favis, Tinea, & Siriaſi.

ULcuſcula quædam in capite fiunt, ex quibus aſſiduè fluit viſcida & glutinoſa ſanies, cum tenuibus foraminulis, & *Achores* dicuntur. *Cauſa* eſt ſalſa nitroſaque pituita, bilioſo humore permixta, à ſimili vir-

Achores. *Eorum Cauſa.*

Prognoſis. li victûs ratione genita. Affectus hic, niſi ſtatim ſanetur, capillorum decidentiam cauſat, exeſis ſcilicet eorum radicibus. *Cura.* In *cura* ejus aër vergat ad frigidum & ſiccum; vitentur acria omnia, ſalſa, bilioſa, & dulcia; ſomnus ſit brevior, alvus ſit aperta: *Purgatio nutricis.* *purgetur* deinde nutrix, ſequenti

℞. *Elect. lenit.*
diacatholic. ana ʒv.
agaric. trohiſcat. pulver. ʒj.
crem. tartari ℈j.
Diſſolve in ſ. q *ſeri lactis*,

Potio. F. Potio: vel detur in forma *Boli*, vel etiam, modo in præcedentibus dicto, *Infantis.* purgetur *Infans*: deinde, capite abraſo, *Topica.* Topica ſequentia applicentur: caput bis vel ter lavetur *lixivio*, in quo *piſa*, vel *lupini*, vel *lentes*, *fœnumgræcum*, vel *folia rubi*, vel *radices bryoniæ*, *bullierint*: deinde

Liniment. ℞. *Succ. plantag.*
fol. rubi,
ſalis ana ℥ij.

M. & illine: vel ſolus *betæ ſuccus*, vel *teſtudinis ſanguis*, illitus ſufficiet: ſemper enim à debilioribus incipiendum eſt. Hiſce factis, *inunge* poteſt caput *oleo laurino*: Vel

Unguent. ℞. *Pulv. roſar. rubear.*
radic. bryon.
ſimi columbini,
virid. æris,
ſulphuris, ana ʒij.
ol. juniper. q. ſ.

M. omnia, & bene tere in mortario, ad formam Unguenti, quo multi ſanati fuerunt.

Favus quid. *Favus* eſt morbus achoribus ſimilis, ſed cum majoribus foraminibus, ex quibus ſanies melli ſimilis manat, adſunt ſquammæ ſatis magnæ, cum maximo pruritu. *Cauſa.* *Cauſæ* ſunt eædem, quæ ſunt achorum. *Cura.* Idem de *Cura* cenſendum eſt. Factâ itaque capitis ablutione, cum lixivio aliquoties repetitâ.

℞. *Lithargyri*,
ceruſſ. ana ℥ß.
ſulphuris ʒij.
hydrargyri ʒj.
ol. roſar. ʒiij.
acet. ʒij. M. in mortario.

F. Ungventum; quo bis in die ungatur caput.

Tinea. *Tinea* fit, cùm achores, aut favi, malè curantur, & in hoc diſtinguuntur, quòd achores ſunt capitis ulcera manantia, & tenuiſſimis foraminibus cutem perforantia, ex quibus ſanies effluit glutinoſa: *Tinea* verò non ſolùm ulcerat, ſed cum fœtore & cruſtis, & capillorum decidentia, deturpat caput. *Tineæ diſt. ab Achoribus.* Provenit utplurimùm ab humore melancholico, achoribus, mala victûs ratione, aut contagio. *Differentia Tineæ.* *Tinea duplex* eſt: mitis, ſeu recens: & antiqua. *Prognoſis.* Illa facilè; hæc difficulter curatur: illa Infantibus; hæc adultis contingit. De hac vide *chirurgiam noſtram*. Recens quoque debellanda eſt, ne tranſeat in pediculationem, vel lepram. *Cura Tineæ.* In *Cura* ejus imprimis conveniens victûs ratio obſervanda eſt; deinde ad evacuationem materiæ peccantis deveniendum per aliquod catharticum *ex agarico*, & *rhabarbaro*; *Capitis frictio.* poſtea capilli tondendi ſunt, & caput *fricandum* cum *nitri*, & *ſepiæ pulver.* ana ℥j. deinde de tertio in tertiú diem ſequenti *Decocto* caput lavatur:

Lotio. ℞. *Herb. majoran.*
menthaſtri,
ſtœchades,
thymi,
chamomill. ana mij.
ſem. fænigr.
lupinor.
piſor. ana ℥ij.

F. Decoct. in ſ. q. *aq.* pro Lotione; quâ abſolutâ caput iterum fricetur, & depiletur præcedenti pulvere: idque fiat alternatim. *Inunctio.* *Linimentum.* Ultimo tandem, poſt ſufficientem exſiccationem, totum caput *inungatur ol. nuc.* vel *ol. amygdal. dul.* *Cura Adultorum.* Si verò tinea reperiatur in *adultis*, fortiora debent applicari remedia, ut *Picationes*, *Dropaces*, &c. Vide *caput Chirurg. noſtr. de Impetigine, & Tineâ.* *Siriaſis.* Cum Siriaſis non multum à cerebri inflammatione eryſipelatoſa, teſtibus Aëtio, & Avicenna, differat; de hoc *in ſequentibus*, ubi *de Vigiliis* agetur.

CAPUT XI.

De Inflationibus Capitis, cùm internis, tum externis.

Tumor, ſeu inflatio aquoſa, capitis. CОntingit non raró, ut Infantibus recens natis *Caput infletur*, vel ab aqua, extra, vel intra cranium contenta, vel à flatu. Si fiat ab

aquâ,

Hydrocephalon. *Extra cranium.* *Ejus Cauſa.*

aqua, vocatur Hydrocephalon; & quidẽ talis aqua ſæpius externè in capite Infantis generatur, cùm obſtetrix errat, & comprimit caput Infantis, ita, ut aperiantur orificia venarum; unde ſanguis extravaſatus mutatur in aquam: vel ex debili capitis intemperie cumulatur, quando alimentum transmutari non poteſt *in ſubſtantiam alendi*. Eodem modo nutrix aliquando vel nimium comprimit Infantis caput, unde aqua, in cerebro contenta, per commiſſuras ad externa integumenta exprimitur.

Signa diagn. & progn.

Signa diagnoſtica ſunt in propatulo, & affectus eſt ſatis periculoſus, præcipuè ſi accedat ſpaſmus; nam brevì moriuntur. *Cura.* *Victûs ratio.* *Cura*. Nutricis *victus* inſtituatur ad calidum & ſiccum vergens, &, ſi opus fuerit, igne & odoribus in cubiculo alteretur: exerceat ſe quotidie, manè & veſperi, horâ unâ ante cibum, frictionibus indulgeat, caput ſuum, & pariter Infantis, pectat, ventrem ab excrementis evacuet vel ſponte, vel arte. Vigiliæ ſint longiores ſolito, ſomni breviores &c. *Duplex curæ ſcopus.* Hujus curationis Indicatio *duobus* perficitur: 1. localibus: 2. manûs operatione, id eſt, Chirurgiâ. *Externa.* Quæ applicantur extra, debent eſſe ſiccantia, & cerebrum roborantia: ut:

Linimentũ. ℞. *Ol. camomill.*
lilior. ana ℥j.
ſucci majoran. ℥ß.
pulv. thuris,
ſulphuris pulv. an. ʒij. M.F. Linimentum, quo bis in die caput Infantis ungatur, manè ſcilicet, & ſero quinq; diebus continuis. Deinde, urgente morbo, applicetur hoc *Cataplaſma:*

Cataplaſma. ℞. *Styracis*,
oliban.
ſarcocoll.
gumm. Arabic. ana ℥j.
Liqueſcant in *vini albi ſtyptici* q. ſ. Deinde adde
farina fanigr.
fabar.
ſem. lini, ana ℥j.
ol. anethini ℥iij. M. F. Cataplaſma, capiti tumido applicandum. *Sternutatorio.* *Sternutamentum* quoque, Infanti provocatum, caput utplurimùm evacuat; quod vel pennulâ in naſum immiſsâ, vel injectione paucæ *aq. major. thymi* &c. fieri facilè poteſt. *Manûs operatio.* Manûs autem operatione extrahitur aqua, ſi, apertâ, per clyſterem, priùs Infantis alvo, fiat inciſio cutis in eâ capitis parte, ubi maximè propendet tumor; idque ſecundùm longitudinem fibrarum: nec aqua unâ vice totaliter evacuetur, ad præcavendam magnam, quæ inde oriri poteſt, debilitatem, & viriũ reſolutionem. *Cura vulneris.* Si autem apertum vulnus reſtringere velimus,

℞. *Ol. omphac. hyperic.* ana ℥ij.
pulv. myrrh. thur. ana ʒij.
Excipiantur panniculis, imponanturq; vulneri, & fortis fiat ligatura. Aliàs, loco inciſionis, cauterium vel potentiale, vel actuale, vel emplaſtrum veſicatorium applicari poteſt.

Aqua intra cranium.

Si verò aqua fuerit *intra cranium*, provenit aliquando hinc, quòd Infans vitioſum ſitum habuerit in utero matris, capite ſcilicet pendulo: tunc enim ſubſtantia illa aquea. ex ſuppreſſione menſtruorum tempore gravidationis retenta, facilè ad ipſum caput defluit, ob naturam ejus raram, ibidemq;, ob malam victûs rationẽ, augetur. *Ejus Signa.* *Signa* ſunt, quòd Infans oculos claudere non poteſt, iisq; dormit apertis; quòd plorat, & præ gravedine caput erigere vix poteſt; ideóque eſt difficilis curationis: *Cura.* agendum tamen eſt ſiccantibus & calefacientibus, victu ſcilicet, & medicamentis talibus, extrinſecè.

Emplaſtrum
℞. *Limaces cum teſtis* num. 30.
herb. majoran. m.j.
Contunde in mortario omnia ſimul; dein adde *pulv. camphor. croc.* ana ʒß. Cum ſ. q. *ol. camomill.* F. Emplaſtrum capiti applicandum, nec renovandum donec deſidat. Deinde

Stillicidium auriculare &c.
℞ *Sulphuris, thur.* ana ʒj.
pulv. ſagapen. euphorb. ana ℈ß.
ol. amygd. amar. de beton. lilior. ana ʒß.
M. omnia, & quotidie ſemel gt. iij. vel iiij. calidè auribus inſtillentur. Eodem modo *ſternutatoria* naribus inflentur, quæ caput exſiccent: & *ſuffitus* odorati excipiantur, qui validè penetrant, & caput ſiccant. *Trepanum.* Si hiſce remediis non cedat malum, *Trepanulo* perforandum cranium in eâ parte, ad quam maximè ſemper propendebat caput; nec aqua unâ vice extrahenda, ſed, uti ſupra dictum, eſt progrediendum; diligenterq; interim curandum, ne caput refrigeretur.

Inflatio capitis à flatibus. *Signa diagnoſtica.*

Si Inflatio contingat à *flatibus*, quod fit vel à malo nutricis victu, vel ab ambientis aeris malâ qualitate; *ſigna* ſunt vigiliæ, dolores, fletûs, inflatio: nam contenti flatûs ſuturas quandoq; dehiſcere

faciunt, & ad intercapedinem integumentorum externorum prorumpunt. *Signa prognoſt.* Si alvi fluor, vel febris ſupervenerit, malum. *Cura.* Ad *curam* tempeſtivam, inſtitutâ, ut in præcedentibus, diætâ, capiti talia applicentur, quæ cutim rarefacere valent, ad diſcutiendos flatûs incluſos: ut:

Pulv. carminat. cephal. pro Infante.

℞. *Ol. camomill.* ℥vi.
ſem. rut. apii. carminat. ana ʒij.

Bulliant omnia ſimul: dein panniculos, in ipſo oleo madefactos, capiti applica. Poſtea.

℞. *Caſtor. cymin. Roman. origan.* ana gr. ij. F. Pulv. Diſſolvatur in lacte nutricis, & puero exhibeatur. *Olea* etiam *carminativa* auribus inſtillentur: in nares injiciantur *aq. majoran.* vel *phyſagon.*

CAPUT XI.

De Terroribus in ſomno, & Vigiliis Infantis.

Terror in ſomno.

PUeris ſæpius evenit, ut *terreantur in ſomno*, à nimia lactis, aut cibi, repletione & corruptione in ſtomacho; tunc derepentè clamant, & territi expergeſiunt, ac, dum vigilant, tetrū ex ore ſpirant odoré. *Quid portendat.* Affect, hic eſt utplurimū *ad convulſiones prodromo*, præcipuè ſi plus ſolito dormitet Infans. *Cura.* Corrigendum itaque nutricis lac, & Infantis ſtomachi indiſpoſitiones. Subtrahendum de lactis quantitate aliquid, quia abſtinentia facit humores diminui. nec Infans ſtomacho repleto dormire ſinatur. Item exhibeatur cochlear dimidiū *mellis depurati*, omni manè per tres dies, jejuno ſtomacho; quod potenter abſtergit & expurgat. Alvus teneatur aperta, per ſuppoſitoria ex *melle cocto*, & *ſale gemm.* Noſtrates exhibent ℈j. *ſem. aquileg.* cum *pulmento*, vel *lacte* nutricis: aliàs aliquot gr. *pulv. Marchion.* vel de *Guttetâ Riverii*, ſæpius exhibeantur.

Vigiliæ. *Vigiliæ* modum in Infantibus quandoque excedunt, ita, ut quies nullis machinamentis conciliari poſſit. *Somnus* autem, *& vigilia, utraq; ſi modum excedant, morbus*: ex Hipp. 2. *aph.* 3. & Gal. *lib.* 3. *aph.* 24. eoq; major receſſus à ſtatu naturali eſſe videtur, quòd pueris naturale ſit, multum dormire. *Earum Cauſa.* *Cauſa* ſunt omnes illæ, quæ aliquam humorum repletioné, vel acrimoniam, vel dolorem, inferunt; ut eſt inflammatio meningum & cerebri. Si diutius duret, pueri incidunt in hecticam, & tabeſcunt. *Cura.* *Therapiam* quod attinet, aër eligatur ad humidū & moderatè calidum vergens: nutrix alimentis ſomnū inducentib, nutriatur, ut *lactucâ papav.* & *ſumitat. ejus*: ex quibus etiam fieri poſſunt *pedilavia*, *ungenta*, ſeu *frontalia*, ex *unguento alabaſt. popul. ol. nymph. mandrag. nenupharin. lacte nutricis* &c. *emulſiones* ex ipſis *ſem. frigidis* nutrici exhiberi poſſunt, ut lactis acrimonia tollatur. Aliqui Infanti gr. 1. *nepenthes*, ſeu *laudani opiati*, cum *lacte* porrigunt: *Soporiferum Infanti periculoſum.* ſed ob excedentem capitis, in ea pueri ætate, humiditatem facilè apoplexia, & convulſio, induci poteſt. Gal. verò tutius, ad conciliandum ſomnum, inunguntur tempora, & nares, *medullâ cervinâ*: vel parum *ſem papav.* coquitur cum lacte, quo dein pulticula coquitur. Alii ℈j. *ol. nucis moſchat.* expreſs. diſſolv. in *ol. violaceo*, & illo tempora inungunt. Si ab Inflammatione meningum ſit malum, caput *inungatur ol. roſaceo* & *papaverino*. Victus ſit magis refrigerans. *Somnus ſuperfluus* curatur victu ſicciori, clyſteribus, & veſicatoriis applicatis &c.

CAPUT. XII.

De Epilepſia, Convulſionibus, ac Paralyſi Puerorum.

Convulſio. SI Infanti ſugenti detentio repentina mentis & ſenſuum, cum ſpumâ ab ore profluente, contigerit, eſt morbus *Comitialis*, ſeu *Epilepſia*. *Ejus Cauſæ.* *Cauſa* ſunt vel intemperies cerebri frigida & humida, vel aliqua cacochymia interna, vel ab externa aliqua accidentali, aut à vernaculâ quadam causâ, uti in Auſtria, quàm in Gallia *frequentior eſt Epilepſia puerorum*, *ob frequentiorem petroſelini uſum*. *Cauſa* hujus affectûs eſt humor frigidus & craſſus, malâ victûs ratione genitus. *Signa* ſuperiùs patent. *Prognoſis.* Quibuscunq; morbi comitiales fiunt ante pubertatem, mutationem recipiunt: quibuscunq; autem 25. anno fiunt, commoriuntur: Hipp. 5. *aph.* 7. Ideoq; de Infantibus epilepticis bene ſperandum. *Cura.* In *Cura* hujus affectûs mutatio aëris, qui ad calidum & ſiccum vergere debet, plurimùm prodeſt; teſte Hipp. 2. *aph.* 45. Quicunq; juvenes morbo comitiali laborát, mutatione maximè ętatis, & temporū, & locorū, & victuū quoq; liberantur: quæ in nutrice diligèter ſunt obſervanda, ne ſc. per malam victûs rationé vitioſum lac generet: quod illicò, modo ſuprà dicto, corrigendū eſt. Utatur itaq; nutrix

Cibus.

nutrix *Cibis* optimi ſucci, & facilis concoctionis: condiantur hi *betonicâ, ſalviâ, borragine, majoranâ, fœniculo, floribus anthos, ſalv. ſem. pæon. nuc. moſchat. cardamomo*: à *petroſelino* abſtinendum eſſe cenſemus, cùm ſit ſpecies apii, quod dicitur habere facultatem affectum hunc generandi: & credi facilè poteſt; cùm nullibi magis, quàm in Auſtria veſcantur petroſelino, nec ullibi affectus hic magis vigeat. *Potus* ſit *aq. mellis*, cum *ſalvia* cocta; vitentur omnia acria, caſeoſa, iacticinia, allium, cæpæ, raphanus, legumina, carnes ſuillæ, & ovillæ (quibus etiam dicitur vis quædam epileptica ineſſe) item omnes cruditates. Deinde Infans curetur vel *in*, vel *extra paroxyſmum*. In ipſo *paroxyſmo* excitetur *ſuffumigiis* ex *rutâ*, vel *galbano*, vel *aſâ fætidâ*, vel *frictionibus* partium externarum, maximè nuchæ, apertione manuum, exhibitione *pulveris Epileptici*, cum *aq. ceraſorum nigr.* vel *picar.* vel *hirund.* cum pauco *ſyrup. de ſucc. rutæ. Extra paroxyſmum* omni manè exhibeatur à ℈ß. ad ℈j. ſeq. *Elect.*

Petroſel. ſuſpectum. *Potus.* *Cura in paroxyſmo.* *Extra paroxyſmum.*

Electuariū.

℞. *Sem. pæon. ſubtiliſſ. pulver.*
cardamom. min. ana ℈ß.
nuc. moſchat.
Mithrid. ana ʒij.
mell. opt. deſpumat. vel
ſyrup. de beton. parum. M. F. Elect.

quo exhibito, ſtatim Infans applicetur mamillis, ut id unà cum lacte deglutiat. Deinde ſupra commiſſuram inſperge parum ſeq Pulv.

Pulvis capiti inſpergendus.

℞. *Granor. pæon.* ℈iiij.
nuc. myriſtic. ſeu *moſchat.*
cardamom.
caryophyllor. ana ℈j.
roſar. rub.
corallor. rub.
myrtill. ana ʒj. M. F. Pulvis:

qui tertio quoque die removetur, ſupra caput inſpergendo. Albertus Magnus, *de mineral. lib. 2. cap. 7.* laudat *ſmaragdum* collo apenſum; quòd à proprietate epilepſiam curet: alii *rad. pæon.* eodem modo geſtare jubent. Refert Gal. *6. de ſimpl. medic. facult. de Glycyſidâ*, ſeu *pæoniâ*, ſe vidiſſe puellum, qui ab hac radice curatus fuerit, &, amiſſâ tandem radice, receperit motûs convulſivos, receptâ verò eadem, & iterum ex collo ſuſpenſâ, liberatus denuo fuerit: Schenckius, *cent. 5. num. 85.* aſſerit, *moſchi* gr. aliquot, cum *vino* exhibita, Infantem ab epilepſia curare. Fabius Columna, *in hiſtor. Plantar. radic. valerianæ ſylveſtris* pulveriſatam, & cochlear. dimid. quantitate cum *vino*, vel alio liquore exhibitam, laudat. Unzerus iij. vel iv. gr. *fellis catelli* adhuc ſugentis, cum *aq. flor. tiliæ* propinat, ita, ut fæmellę fæmellum, mari maſculum exhibeatur fel: alii *ſanguiſitem* porrigunt. Interim vel nutrix, vel Infans, bis de menſe *purgetur*, & ſequenti Linimento ſpina dorſi infantis inungatur.

Appropriata.

Linimentū.

℞. *Ol. rutac. lumbricor.* ana ℥iß.
caſtor. ℈ij. M. F. Linimentum: &

Cephalica.

Cephalicis caput roboretur: ut ſunt *Cucupha, Emplaſt. Balſam.* &c. In omnibus interluniis exhibeatur ℈j *pulv. de guttet a.*

Et hæc de Epilepſia; quæ ſuos habet circuitûs. Cùm verò nervorum, vel muſculorum, citra voluntatem, vel in toto corpore, vel in parte, ad ſuam originem fit retractio, eſt *Spaſmus* ſeu *Convulſio*: cujus ſunt tres ſpecies, *opiſthotonos* ſcilicet, quæ eſt tenſio ad poſteriora: *emproſthotonos*, ad anteriora: *Tetanos* eſt æqualis. Convulſiones facilè Infantibus contingunt, qui dentire incipiunt, ob difficultatem eruptionis, & gingivarum dolores. Et fiunt vel *à repletione*, vel *ab inanitione*, præcipuè partium nervoſarum: &, quemadmodum chordas ſæpe rumpi ex repletione & inanitione, propter ſiccitatem, contingit, veluti ſi ad ignem nervoſa corpora admota violenter exſiccantur & contorquentur; ita & nervis humanis evenire ſolet. Convulſio, quæ infantibus evenit ob *repletionē*, excitatur vel ex depravatione concoctionis, quæ tum ex dolore & punctione gingivarum, vel ex nimia lactis attractione generatur, vel etiam ex imbecillitate nervorum, quæ humorum redundantiam facilè trahit, & illis ſæpe contingit, quibus eſt dura alvus.

Convulſio. *Ejus tres ſpecies.* *Cauſa duplex.* *ab inanitione:*

Species convulſionis ex poſiturâ contractionis facilè patet: ſi à ſiccitate & inanitione fiat convulſio, *Signa* ſunt macies totius corporis, vel aliqua purgatio violenta prægreſſa, alvi fluxus, vomitus, hæmorrhagia, inedia, vigiliæ, motus vehemens &c.

Signa à ſiccitate.

Futura convulſio cognoſcitur ex terriculamentis nocturnis, ſtridore dentium in ſomnio, perverſione partium faciei, oculorum inordinato motu, vigi-

Convulſionis futuræ.

lis, vel ſomno nimio, obſtructionibus &c. Convulſio ab inanitione non tam facilè pueris contingit, ob magnam eorum humiditatem. In febribus lethales ſunt convulſiones; teſte Gal. *com. in 4. aph. 57.* Convulſiones verò magis ſunt ſalubres, quæ febres antecedunt. Si convulſio ſit *à repletione*, aër ſit calidus & ſiccus; nutrix vitet otium & quietem, item animi perturbationes, detrahat de ordinario victu, plurimum vitet cruda & humida; corpus probè expurgetur *pil. de agarico* vel *cochiis*: Infans *lavetur decoct. heliotropii, & ſalvia*, calido, *aquâ communi* facto: poſt balneum *ungantur* partes convulſæ *oleo irino*, & *lumbricor.* calido. Vel

Cura à repletione. *Lotiones.*

Unguenta.

℞. *Ol. vulpin. lumbricor.*
medull. cervin.
urſin. an. ℥ij. M. pro *Inunctione.*

à ſiccitate. item

Si verò convulſio proveniat à *ſiccitate*, aër potiùs ſit humidus, ſomnus longior, victus plenior, & fiant omnia contraria: Infans bis de die *lavetur* in *lacte* vel *decocto hordei*: deinde à balneo *ungantur* membra *oleo roſaceo*, aut *amygdala. dulc.*

Paralyſis.

Paralyſis eſt, cùm motus voluntarius, & ſenſus, in aliqua corporis parte non quidem in totum impeditur, conſentientibus & patientibus muſculis & nervis. *Cauſa* in Infantibus eſt utplurimùm nimia humiditas, nervos laxans, extendens, & reſolvens. Aliquando contingit propter caſum, & cerebri compreſſionem, ex forti ligatura, percuſſione, vel contuſione. *Signa* ſunt, ubi ſenſus & motus voluntarius impeditur, urina redditur viridis, tenuis, cruda, pellucida. *Si paralyſis ultra annum duraverit, incurabilis eſt, quia tendit in habitum.* Deinde: *ſi membrum paralyticum extenuetur, malum, ob atrophiam*: ſi verò *ſupervenerit febris, aut tremor, bonum*: ſignum eſt enim, fieri expulſionem & reſolutionem materiæ peccantis. *Diæta* talis eſt, qualis in convulſionibus à repletione; cui etiam pharmaca correſpondere debent: membra verò paralytica ſequenti *Unguento* illinantur:

Cauſa. *Signa.* *Prognoſt.* *Diæta.*

Linimentū.

℞. *Ol. coſtin.*
vulpin. ana ℥ij.
caſtor. ℥ß.
unguent. nervin. ℥iß.

Item ſæpius Infanti exhibeatur ℈ß. *extr. caſtor.* in Pilulas redacti. *Balneum* quoq; fieri poteſt ex *decoct. fol. laur. beton. ſalv. major. granis pæon.* &c. & poſt balneum celebretur *inunctio*.

Pilula. *Balneum.*

CAPUT XIII.

De Suffuſione Oculorum, Strabiſmo & Pruritu Palpebrarum.

Suffuſio quid. Ejus Cauſa.

SUffuſio eſt cryſtallini humoris in cæſium colorem mutatio: fitq; vel ex abundantia & varietate humorum, adhuc concoctione carentium; *quales enim ſunt humores, tales ſunt colores*: vel à ſiccitate immodica provenit, uti crebriùs in ſenioribus fit: & hæc plerunq; eſt *incurabilis*. Alia verò à redundantia, & à varietate humorum in principio *curationem recipit*. Inſtitutâ itaq; moderatiſſimâ diætâ, mater, vel nutrix, poſt cibum maſticet *ſem. fænic.* & *aniſi*, & in oculum Infantis halitum iis alteratum inflet. Oculi Infantis ſolo *oleo antiquo* ungantur, fricenturq; molliter Infantis membra, ad procurandam digeſtionem, abſtineatur à balneo. Experientiâ conſtat, aduſtam *avellanam*, & in pulverem redactam, cum *oleo* permixtam, & vertici Infantis *inunctam*, ſumme conducere. Similiter *Pulvis corticum avellanarum* confert. Vel fiat ſequens *Collyrium*:

Cura. *Inunctio verticis.*

℞. *Acac.* ʒj.
pulv. gallar. ℈j.
M. & cum *aq. flor. papav. errat.*
F. Collyrium. Vel

Collyria.

℞. *Aloës* ʒj.
pompholygis lota ʒß.
aq. euphras.
roſar.
fænic. ana ℥j.

M. F. Collyrium, in oculos inſtillandum. Hoc remedio multi à lippitudine ſanati ſunt. In magna humorum repletione tum nutrix, tum Infans leniter expurgari poſſunt.

Strabiſmus.

Strabiſmus eſt, quando Infantium oculi apparent diſtorti, eò, quòd oculi in eodem axis plano non contineantur, & unus altero ſit inferior. *Fit* vel ab humiditate, vel ſiccitate muſculorum oculorum bulbos moventium & continentium. Si fiat *ab humiditate*, adſunt copioſæ narium, oculorum, & palati, deſtillationes, durities alvi &c. fit etiam *à ſiccitate*, ut à febre, vel convulſione, aut epilepſiâ prægreſſâ, vel præſenti, vel ab

Ejus Cauſa. *Signa ab humiditate.* *Siccitate.*

Cura. aliqua faciei aduſtione. Si fiat à *nativitate*, non eſt curabilis, niſi adſit habitus valde humidus. Si verò affectus ſit *recens*, facilè curatur. Si fit ab *humiditate*, victus ſit ad calidum & ſiccum vergens; contra, ſi ſit à *ſiccitate*.

Ab humiditate. Purgatio. Pilula. Fotus. Ab *humiditate* expurganda eſt nutrix *pilulis cochiis* & *extr. agaric.* Infantis oculi *fomententur* decocto herbarū cephalicarū, cum anodinis mixtarū, ſpongiâ ſcilicet eo imbutâ.

à Siccitate. Si verò proveniat à *ſiccitate*, vel ob convulſiones, aut alios morbos, iis ceſſantib. etiamplerumq;, ceſſat, non tamen ſemper, ſtrabiſmus.

Aduſtione. Si ſit ab *aduſtione*, *oleo roſaceo*, & *vitellis ovorum*, illinendæ ſunt oculorum partes:

Nativitate. ſi verò ſit à *nativitate*, quotidie transferatur Infans in locum obſcurum, in quo accendatur lucerna, & ponatur in parte ſtrabiſmo oppoſita, adeò, ut Infans laboret ſemper in eâ cernenda: præterea ligetur filum rubrum cum re, quæ opponitur parti ſtrabiſmi, aut ſuſpendatur aliquid rubri ex parte oppoſita, adeò ut facilè videat illud, vel opponatur perforata, ut per eam perſpiciat. Si verò adſit oculorum ardor:

℞. *Album. ovi*,
aq. roſar.
ol. roſ. ana ℥j. M. & omnibus ſimul

Inunctio. agitatis *ungantur* oculi.

Ψωροφθαλμία. Ejus Signa. *Pruritus palpebrarum*, ſeu ψωροφθαλμία, fit à ſalſo nitroſoque humore. *Signa* ſunt pruritus & ſcabies: & ſignum eſt, bilem flavam, vel pituitam ſalſam, vel

Cauſa. atrabilarium humorem, in tali corpore peccare.

Cura per Diætam. Si fit à pituita ſalſâ, & nitroſo humore, caveat nutrix à vino, & omnibus oleribus, præter ſpinachiam, lactucam, & atriplicem: caveat ab allio, cæpis, porro, raphano, ſalſamentis, & ab aromatibus omnibus: item à craſſis omnibus, viſcoſis, duris.

Medicamenta. *Potus* ſit *decoctū coriandr.* aut *coxa vituli.* Purgetur nutrix *pulv. rad. gialapp.* ℈ij. cum ℈ß. *crem. tartari.* Deinde

℞. *Aloës*, *ſem. pſyllii*, ana ʒiß.

Ligentur in petiâ, & affunde ſ. q. *aq.* Stent in fictili per noctem: deinde parum calefiant, poſtea fiat fortis expreſſio: colaturâ manè & veſperi abluantur palpebræ. Si verò pruritus proveniat ab humore atrabilario, victus ſecundum omnes res non-naturales ſit ad calidum & humidum vergens. Vide plura in Praxi noſtra de *Affect. oculorum.*

Caput XIV.

De Dolore Aurium, & nimia Sternutatione Infantis.

Aurium dolor quid. Aurium dolor nihil aliud eſt, quàm triſtis aurium ſenſatio, à re derepentè ac violenter, ſimul & vehementer imprimente facta.

Ejus Cauſa. *Fit* vel à flatibus, humiditate, aut frigiditate, abapoſtemate, vermibus, &c.

Signa cauſar. Si à flatibus, patet ex loquela, ſeu balbutie infantis, ab aurium ſonitu, ardore, & rubore: ſi eſt ab humiditate, effluunt humores per aures; ſi eſt à vermibus, eſt dolor acutus, & derepentè per intervalla invadens, prodit humor ſanioſus & mordax.

Cura ab humiditate. Si fiat ab *humiditate* nimiâ, victus ratio ſit calida & ſicca, ſecundum omnes res non naturales, alvus quotidie ſubducatur vel ſponte, vel arte; nutrix ſeſe exerceat, ſomnus ſit ſolitò brevior, abſtineat ab oleribus, fructibus, leguminibus. Infantis aures à ſordibus quotidie expurgentur: deinde applicentur medicamenta, uti eſt *elixir Matthiol.* cum *lana* impoſitum, vel *vinum*, & *mel*, cum pauco *croco* ſimul cocta, *ol. nucleor. Perſicor. amygdal. amar.* vel *olivar.* in quo cocta fuerint *origanum*, *myrrh.* & *ſem. colocynthid.* quod calidè guttatim inſtilletur.

Flatibus. Si ſit à *flatibus* dolor, carminativa admiſceri poterunt.

Frigiditate. Si dolor ſit à frigiditate, calefacientibus expugnandus eſt, ut *oleo rutaceo*, *laurino*, &c.

Cautela. In ſummo dolore aliqui *narcotica* hîc applicant; quæ tamen non approbamus.

ab Apoſtemate. Si dolor ſit ab *apoſtemate*, cavendum eſt à repercutientibus, propter viciniam cerebri. Inflammationis mentionem non faciunt Authores.

à Vermibus. Si denique proveniat à *vermibus*, vel à putredine in auribus generatis, vel illuc forinſecùs delatis, enecandi ſunt, & aurium humiditates ſanioſæ penicillis ex *lana*, aut *goſſypio*, imbutis *ſucco abſynth.* vel *vino*, abſtergendæ ſunt, & prædicta olea, quibus etiam addi poteſt *ol. abſynth.* guttatim inſtillanda. Vermes enim amara tolerare non poſſunt.

Sternutatio. *Sternutatio*, cùm nares & cerebrum expurget, & caput ab halitibus liberet, ſi moderata eſt, prodeſt:

Ejus Cura. ſi verò ſit ab apoſtemate, vel à flatu furioſo, facilè vas aliquod rumpit: hinc ei quantocyus occurrendum bonâ victus ratione, & medicamentis. Infans manè, ante lactatio-

ctationem, poſtquam excrevit, moderatè fricetur, & frons *ungatur oleo roſaceo & omphacino*, cum *vitello ovi* conquaſſatis: dein ſequens *Emplaſtrum* applicetur;

Inunctio.

Emplaſtrũ.

℞. *Pulv. portulac.* aut ejus *ſucci*, ℥ß.
farin. hord. ʒiij.
ol. roſac q. ſ. ad incorporandum.

F. Emplaſtr. front. applicandum: Vel

Epithemata.

℞. *Pulv. roſar.*
ſantalor.
ſang. Drac. ana ʒj.
aq. roſac. ℥ij.
acet. ℥ß.

M. & intruſi panniculi fronti *applicentur*, & temporibus. Caput etiam *embrocari* poteſt *aq. calida*, vel *oleo tepido*: *ſuffumigia* ex carminativis potenter diſcutiunt flatûs in capite.

Embrocatio.

Suffitus.

CAPUT XV.

De Catarrhis, Reſpirationis difficultate, & Oregmo, ſeu Aſthmate Germ. dicto Hertzgeſperr/ *& Tuſſi.*

Catarrhi.

Etſi nihil hactenus de *Catarrhis* Infantium apud Authores repererim: cùm tamen in quotidiana Praxi occurrant, eos paucis perſtringere tentabimus: & ſequentibus innoteſcent differentiæ:

Dum fluit ad pectus, dicetur Rheuma, catarrhus:
ad fauces Branchos: ad nares dico Coryzam.

Eorum Cauſa.

Branchus autem aliter dicitur *Raucedo*. Catarrhorum *cauſa* in Infantibus ſunt, veſtium & ſtragularum commutatio, ſtatio ſub radiis Solis aut Lunæ, aëris mutatio, frigiditas & caliditas, venti meridionales, quævis repletio &c. Catarrhi *à calore ſigna* ſunt, quòd adſit acris tenuisq; humor, qui tum per os, tum per nares, deſcendit, facies rubeſcit, & naſus. A *frigiditate* verò iis frons & caput undique diſtenditur, meatûsq; oſſis ethmodei clauduntur, & in principio frequens urget Sternutatio; quâ plerunque cerebri malam intemperiem, & capitis repletionem, denotat; unde facile vertiginoſi evadunt. Si itaque deſtillatio ſit *à calore*, victûs ratio instituatur ad frigidum & ſiccum vergens: ſi verò à *frigore* oriatur, contrarium obſervandum, vitando, tam in aëre, quàm in cibi & potu, ſomno & vigiliis, omnia illa, quæ refrigerant & humectant, & ſolâ victûs ratione cõgruenter inſtitutâ cum aliqua cibi ordinarii remiſſione, Infantes eurant. Solemus Infantibus iis *Syr. mannat. Horſtii* lambendum ad ʒvj. vel ℥j. exhibere; vel diſſolvimus ipſum *manna* in *juſculo carnium*, & ad ʒvj. cum ʒij. *ol. amygdal. dulc.* exhibemus; quod plerunq; catarrhum dimidia ex parte diminuit. Si catarrhus nimium urgeat, ſitq; periculum, ne catarrhus fiat ſuffocativus, noſtrates ſtatim applicant ad ſuturam coronalem *Emplaſtrum* ex *limacibus* contuſis, ſtupâ exceptis, inſperſo *pulvere nuc. moſchat.* & *ſuccin.* quod catarrhum ſuſpendere creditur: Item *ſuffumigiis* cephalicis in catarrho frigido utuntur, & bene quidem: in calido autem malè. Si magna adſit neceſſitas etiam *ſinapiſmi*, & *veſicatoria*, nuchæ applicari poſſunt. Si verò plurimum materiæ ad pectus ceciderit, ita, ut anhelando ſuffocari videatur Infans, dicitur *Aſthma*, ab infarctu bronchiorum pulmonis: tumque exhibeatur ſæpius aliquid *Mixturæ* ſequentis.

Signa à Calore.

Frigiditate.

Cura diverſa ſecundum diverſitatẽ cauſarum.

Pectoralia.

Empl. ex limacibus.

Suffitus.

Sinapiſmi & veſicatoria.

Aſthma.

Mixtura expectorans.

℞. *Oxymel. ſimpl.*
ſyrup. de jujub. ana ℥ij.
hyſſop. ʒß. M. ad fictile, pro

Lambili. Deinde

Linimentũ.

℞. *Succ. marrub.*
butyr. rec. ana ℥iij.

M. ad ignem, ſimul agitando: F. Linimentum; quo calidè ungatur Infantis pectus & dorſum, præcipuè circa regionem cordis. Aliàs pro certo experimento exhibent gr. viij. *ſem viol. pulver.* cum pulmento, per octo dies continuando. Nos ſæpius pueris, ita ſuffocatis & oregmo affectis, ℈ß. *vitrioli alb. vomitiv.* exhibuimus, cum *lacte* vel *juſculo*; unde, inclinato per nutricem capite, vel immiſſo in os digito, vel pluma, plurimum pituitoſæ materiæ vomuerunt, & ſalvati ſunt. Id videtur ex ſententia Avicen. eſſe, *lib. 3. fen. 10. c. de ſignis aſthmatis*, ubi jubet, ut, linguam Infantis comprimendo, vomitũ exeitemus: deinde ſequenti *Linimento* pectus inungi curavimus;

Experimentum.

Vomitus.

Ungv. pectorale.

℞. *Pingued. capon. aquam non experta,*
capra,
butyri Majalis, ana ℥ij.
ſucc. capar. ℥iß.

Coquantur ad ignem, addendo ſub finem,

croc.

croc. pulv. ℈j.
ol. violar. ℥j.

M. F. Linimentum pectorale, pro pueris optimum. Si materia valde ſit tenax, applicetur *Emplaſtrum filii Zachariæ*, quod inſigniter reſolvit mucilaginem pectoris. Infantium *Tuſſim* quod attinet, præſuppoſitâ theoricâ in adultorum, *de Tuſſi, tractatu*, ſemper bene obſervandum eſt, utrum ſit à frigida, aut calidâ, deſtillatione: quod de ſignis, antè de catarrho allatis, patebit. Si fiat *à vermibus*, in ſtomacho commorantibus, patet ex abſentia humiditatis in faucibus, & parvâ tuſſi, quæ plerumque perducit ad ſputum ſangvinis. *Prognoſticum* eſt, quòd, qui gibbi ex anhelitu, aut tuſſi, efficiuntur ante pubertatem, moriuntur, ex Avicen. *lib. 3. fen. 10. cap. 4.* & interdum ex vehementi tuſſi Infantes ducuntur ad phthiſin, hecticam, hernias &c. *Curatio* tribus Indicationibus perficitur: una, quæ ad lumbricos (de quibus poſtea) altera, quæ ad lactis ingurgitationem; tertia, quæ ad ipſam deſtillationem pertinet. Si itaque tuſſis *ab ingurgitatione lactis* provenerit, nutrix de lacte aliquid ſubtrahat, nec denuò lactet, niſi concocto priùs lacte in ventriculo. Si verò tuſſis à *deſtillatione frigida* proveniat, aër eligatur ad calidum & ſiccum vergens, nutrix ſeſe exerceat quotidiè unâ horâ ante cibum, caveat à ſomno diurno, poſt cibum, & Infans pariter: ſomnus utrique ſit brevior ſolito, alvus ſit lubrica, præcipuè in Infante, cum ſuppoſitoriis; nutrix caveat à vino, quod caput replet, & deſtillationem provocat: item fugiat olera, allium, cæpas, & cruda omnia; Infans quotidiè moderatè fricetur & lavetur: ſic enim materia fluens aliò divertetur: ut verò, quod fluxit evacuetur, exhibeatur quotidie bis dimidium cochlear *ol. amygdal. dulc. rec.* cum *ſaccharo cando* quàm primùm puerum ad mammas adhibendo. Ubi verò catarrhus calidus & acris nimium urget, *ſyrup. flor. papav. errat.* ſæpe exhibitus, plurimum facit; incraſſat enim, & tuſſim mitigat, ſenſum non nihil ſopiendo. Pectus ſequenti *Linimento* diligenter inungatur:

Emplaſtr. — *Tuſſis.* — *Ejus Signa.* — *à vermibus.* — *Prognoſis.* — *Curatio.* — *à Lactis ingurgitatione.* — *Deſtillatione frigidâ.* — *Lambill.*

℞. *Ol. amygdal. dulc.*
ung. pectoral.
butyr. antiq. ana ℥j.

M. Si magnus fuerit anhelitus,

℞. *Pulv. ſem. lin.* ℈j.
ol. amygdal. dulc. ʒß.

M. & Infanti ſæpius præbe: *Linimentum.*

Vel

℞. *Sacchar. cand. alb. contrit* ℥ij.
aq. violar. ℥j.
ſucc. liquirit. ʒß.

Lambile aliud.

M. pro Lambili: vel etiam cum *eâdem aq.* & *ſem. refrig.* ſi catarrhus ſit calidus fieri poteſt Emulſio. Noſtrates in tuſſi puerorum *plantas pedum inungunt pinguedine lactis*, vel *leporis*, ad *ſolem diſtillatâ*. Si verò caput ſit valde humidum.

Emulſio. Inunctio plantarum pedis.

℞. *Flor. roſar. rubear.*
maſtichis, ana ʒß.

F. Pulvis, veſperi ſuperiori parti capitis Infantis inſpergendus: hoc pulvere inſigniter ſiccatur caput. Sequens etiam evporiſton & domeſticum ſæpius Infanti exhibeatur:

Pulvis capiti inſpergendus.

℞. *Pomum num. 1.* excava, & impone *ſaccharum candum pulveriſat. cum tribus*, vel quatuor *foliis croci*, aſſa ad ignem, dein internum illud puero porrige: hoc enim pectus à phlegmate liberat, & per abſceſſum expellit: aliàs *ſaccharum candum pulverizatum*, cum *ol. amygd. dulc.* miſcemus ad modum elect. & exhibemus ſæpius parum.

Electuarium exhibendum.

Caput. XVI.

De Gingivarum Prurigine, Abſceſſibus, Aphthis, ſuperflua Carne, Veſiculis ex dentitione dolorifica, & Tonſillarum Inflammatione.

Circa ſeptimum, & undecimum, ferè menſem ſit in pueris dentitio, cum *Gingivarum mordicatione, acuitate, dolore*, vigiliis, & moleſtia: & his ſæpe fluxus alvi, & febris, & convulſio jungitur, præcipuè dum caninos dentes protrudunt. *Cauſa* eſt acuitas dentium, quæ pungit gingivas: aliquando apparent dentes; quandoque non. Infantes, quibus in dentitione alvus valde lubrica eſt, & bene concoquunt, minùs convelluntur, quàm quibus modicè, & quibus in dentitione febris acuta accedit, parum convellun-

Gingivar. prurigo. — *Ejus Cauſa.* — *Prognoſis.*

tur, Et quicunque dentientes pingviores manent, & altiori ſomno detinentur, periculum eſt, ne convellantur: at non omnes in dentitione convulſi moriuntur; ſed plurimi ſervantur: qui cum tuſſicula dentiunt, tardiùs dentes producunt, humiditate ad pectus tendente.

Cura

Juvanda itaque eſt dentitio, ut celeriter procedat; quod fiet, ſi nutrix optimâ victûs ratione utatur, ad calidum ſcilicet & humidum vergente, niſi obſter febris, alvo diligenter correſpondente:

Dentitionis promotio.

ſique Infanti gingivæ *digitis*, vel *dente lupino*, aſſiduâ frictione premantur, & *adipe leporis*, vel *gallinæ*, aut *vino albo*, inungantur, vel *lacte*, aut *oleo tepido*, & *decocto anodino*, fomententur. Mulierculæ pueris appendunt *radic. chelid. major.* & gingivas ungunt *melle roſato*: vel cum primo pulmento miſcent aliquid de *lacte matris*, & illi dentiunt absque dolore. Infans bene nutriendus eſt, quò uberior, ad dentes producendos, ſuppetat materia, & quotidiè lavandus. Item in aures inſtillandum eſt *ol. amygdal. dulc.* tepidum.

Inflammationis.

Ubi magna adeſt *Inflammatio* gingivarum, tunc *ſucco ſolatri* ungatur gingiva, vel *oleo roſaceo tepido*, vel *lacte canino*, vel *medullâ caballinâ*; quæ ab Avicen. *lib. 3. fen. 7. cap. 26.* pro appropriatis habentur.

Tubercula, Abſceſſus, Aphthæ.

Si verò, ob alimenti cruditatem, dolores, & vigilias, in gingivis *Tubercula* fiant, deinde *Abſceſſus*, & *Aphthæ*, Mundfäule/ quæ ſunt ulcera quædam in ſuperficie oris, vel à lacte nutricis vitiato, vel ab humore acri, ob difficilem dentitionem illuc profluente;

Cura.

ad Tubercula, in ore infantis generata, curanda ſæpius comprimantur gingivæ, ut humores affluentes exprimantur; caput Infantis roboretur, ut humores in eo contenti reſolvantur, neque ad gingivas præcipitentur, infans lavetur: deinde

Linimentum.

℞. *Ol. camomill.*
mellis, *terebinth.* ana ℥ij.

M. F. Linimentum, quo calefacto gingivæ & tendines inungantur: nam ab oleis lenitur dolor, à melle fit abſterſio & exſiccatio humorum, à terebinthina verò fit reſolutio:

Superflua caro. Veſicula. Fungi.

Si *ſuperflua Caro*, aut *Veſicula*, aut *Fungi* ſupercreſcant:

℞. *Pulv. myrrh.*
croc. ana ℈ij.
mellis ℥iij.

Cura. Linimentum Cataplaſma.

M. & *inunge*; exſiccat & abſtergit: item apponatur externè genis *Cataplaſma ex lentibus excortic.* & maſticatis: vel etiam ex *carnibus infumatis pulver.* cum *medullâ cervinâ* F. Linimentum. Si verò talia fiant ex impuritate lactis (nam ficûs, & mariſcæ, à nutricibus, lue Venereâ infectis, ſæpe generantur) lac purificandum, nutrix abigenda, & tales excreſcentiæ ſunt *melle roſato*, multo *ſpiritu vitrioli* diluto, pauco *alumine*, & *nuce moſchata* commixto tangendæ, ut conſumantur, deinde remedio *ſupra* tradito exſiccandæ. *Fungi*, in ore contenti, à proprietate curari dicuntur, ſi nutrix bibat ex *fungis ſambuci*.

Oris putredo.

Cura Experimentum Comitiſſa de Schwarzenberg.

Ab *Oris putredine* præſervantur Infantes, ſi linteolis, propriâ Infantis urinâ madidis, gingivæ illorum ſæpius abſtergantur.

Dentitio dolorifica.

Si *Dentitio* fuerit valde *difficilis*, ſæpe accidit in dentium generatione *Odontalgia*, ex ſuperflua & cruda humiditate mordicante, & à cerebro deſtillante, vel etiam ab intemperie calidâ, vel frigida, aut à vitio lactis:

Signa.

quæ innoteſcunt ex Infantis ploratu, vigiliis, manuum appoſitione ad os; item ex fluxione copioſâ humiditatis ex ore, quæ, ſi calida ſit, facies erit rubra, & totum corpus præter conſvetudinem calidum; ſi in frigiditate exceſſerit, facies erit pallida; & reliqua aberunt caloris ſigna.

Prognoſis.

Affectus hic non eſt ſpernendus: graviſſima enim ſæpius advehit incommoda.

Cura.

Victus itaque ad cauſam, ad calidam nempe frigidus, ad frigidam calidus, dirigatur, alvus ſit lubrica, caput prædictis roboretur, Infans balneetur, dentes attingantur *aceto*, in quo *camphora* bullierit, vel cum *ſpiritûs vini* ℥j. in quo gr. ij. *laudan. Cæſar.* vel *opiati*, diſſoluta fuerint.

Amuleta ad dentium dolores.

Rhaſes præcipit, ut puero *dentem hominis mortui*, vel *jaſpidem viridem*, vel *dentem viperæ maris*, ex collo appendamus, tanquam ſpecificum ad dolores dentium. Aëtius *lac aſininum*, in quo *pimpinella* bullierit, ad dentes eluendos commendat: idem *mel coctum* approbat: Mercurialis *cerebrum leporinum elixum*, vel, loco ejus, *gallinæ cerebrum* ſubſtituit.

Acetum prohibetur in inflammatione Gingivarum.

Nota: in Inflammatione Gingivarum maximè abſtinendum eſſe ab aceto, quod eas corrodit. Si malum proveniat à calore nu-

Digitized by Google

re nutricis, victus, & reliqua omnia frigida imperentur, vino interdicatur; *lactuca endiviaq.* eſitentur, item pultes ex hordeo, papillæ frigidæ præbeantur; è contra, ſi à frigore. *Diarrhæa in dentitione* pueris ſummè prodeſt, adeóque ſinenda, niſi limites excedat: tunc enim exhibito ℈ß. *ſem. plantag.* vel *ſyrup. coralllior. granor. kermes*, *coralliis rubeis*, inunctionibus item parum frænari poteſt, ne puerum ad tabem deducat.

Diarrhæa in dentitione. Curatio.

Si *Tonſillæ*, aut *Columella*, fuerint *inflammatæ*, quod viſui patet, fiant gargariſmi ex *aq. hord.* cum *diambr. rob. nuc. ſyr. papav. mell. roſac. paſſul.* & *ficub*: ſi verò tonſillæ ad maturationem devenerint, *mulsâ calidâ* abſtergendæ ſunt; & *ſtupâ cannabinâ* in capite Infantis ponatur, ad exſiccationem. Extrinſecè *cataplaſ.* ex *nidis hirundinum*, cum *lacte* coctum, collo applicetur.

ad Tonſillas & Columellam inflammatam Curatio.

Caput. XVII.

De Inciſione Fileti ſub Lingva: item de Ranunculo, ſeu Batrachio, & Lingvæ Gravedine.

Filetum quid.

Filetum nihil eſt aliud quàm vinculum quoddam nervoſum & fibroſum, Græcè ἀγκυλόγλωσσον, lingvam cum inferiori mandibula arctiùs vinciens; quod ſi non reſecetur, tempore loquelæ relinquit præpedimentum, & impediuntur infantes in prolatione L. R. S. & quamvis plerunque fiat à nativitate: tamen & poſt ulcera, factis cicatricib9, aliquando generatur.

Ejus Cura.

Curatur autē hic affectus ſolâ Chirurgiâ, & reſecatur inſtrumento ἀγκυλοτόμῳ dicto, cum animadverſione, ne venæ ſublingvales reſecentur: quo facto, aquâ frigidâ os colluendum, dein inſpergendus *pulvis myrrhæ* & *thuris*. Obſtetrices, in arte ſua bene verſatæ, ſtatim poſt Infantis ortum, ungvibus, digitisve in os pueri immiſſis, vel nummi acie, filetum diſſecant; & fere tutiùs eſt, quàm ſi Chirurgi id operâ perficiatur.

Ranunculus.

Ranunculus, ſeu βατράχιον, eſt venarum partiúmque ſublingvalium tumor, qui adeò ſubinde creſcit, ac ſi nova lingva generaretur; & quaſi ranæ figuram refert.

Ejus Cauſa.

Cauſa ejus eſt humiditas viſcoſa, à capite deſcendens.

Cura.

In infantibus facilè *curatur* hoc malum, tum ex mutatione ætatis, & aëris, tum ſi æquâ portione *ſalis communis*, & *Zingiberis*, fricetur, adhibitâ moderatè exſiccante diætâ.

Lingvæ gravedo.

In adultis verò *Lingvæ Gravedo*, quæ ab ortu aliquot annos perduravit, difficulter, aut nunquam, curatur.

Cura.

Tentanda tamen eſt cura ſectione venæ, purgatione, & oris collutionibus, factis ex *ſal. Armon.* & *gallar. contritar.* ana ℥ij. diſſolut in *decoct. fol. ſalv.* vel cum ſolo pulvere fricandæ ſunt Ranulæ, ut ſupra dictum.

Vel

℞. *Pulv. origan.*
cortic. granat.
ſal. Ammoniac. ana ʒiß.

M. F. Pulvis: vel, ſi affectus ſit rebellior, & in adultioribus,

℞. *Flor. æris,*
tragacanth.
alum. ana ʒij.

F. omnium Pulvis; quo itidem fricentur ranulæ.

Caput XVIII.

De Stomachi debilitate, Vomitu, & Singultu.

Debilitatis ſtomachi cauſa.

Stomachi debilitas, quâ non bene concoquit Infans, fit vel à malâ lactis qualitate, vel à corruptione aëris, vel à copioſâ humiditate, in cavitate, vel membranis, ſtomachi contentâ.

Ejus Signa. à Lacte. ab Humiditate.

Fieri à lacte, *colligitur* ex αὐτοψίᾳ ipſius; ſi verò à copioſâ humiditate, adeſt cibi faſtidium, gravitas, alvi conſtipatio, ructus acidus, nauſea, vel etiam vomitus.

Cura.

Cùm inde varii morbi evenire poſſint, illicò nutrix removenda eſt, ſi ſit à vitioſo lacte: ſi ab aëre, hic mutandus eſt: ſi ab humiditate nimiâ, alvus quotidie ducenda eſt ſuppoſitoriis ex *melle*, & *ſale gemmæ*: deinde Infantis ſtomachus ſequenti *Linimento* ſæpius ungatur:

Linimentum.

℞. *Ol. nuciſtæ expreſſ.*
balſam. de Peru.
ung. ſtomachic. ana ʒij.

moſchi

moſchi odoratiſſ. ℈ß.

M. F. Linimentum; quod non tantùm ſtomachum, ſed etiam caput ſvaviter roborat. Vel ungatur ſtomachus *oleo abſynth.* vel *menth.* deinde Infanti piſi

Electuaria. magnitudine de ſeq. *Elect.* indies porrigo.

℞. *Succ. cydonior.*
menth. ana ℥iiß.
ſacchar. alb. ℥iij.
M. & parum bulliant; dein adde
pulv. caryophyllor.
cinamom.
galang.
maſtich. ana ℈ß. M. ſ.a. F. Elect.

Vel

℞. *Succ. cydon. clarificat.* ℥iij.
gallia moſchat.
Zingib.
menth. ana ℈ß.

Pulveriſa ſubtiliter, & cum ſ.q. *ſacchar.*

Sacculi. F. Lambile. Sacculi etiam ad regionem ſtomachi adhiberi poſſunt, facti ex *abſynth. roſis*, *camomill. abrotan. pulegio*, *calaminto* &c. qui concoctionem valde adjuvant.

Vomitus. Ejus Cauſa. Interdum puer lac aſſumptum revomit; quod ſæpe fit ob ſtomachi debilitatem, vel lactis multitudinem, aut malum ejus odorem, aut ſaporem; unde primò nauſea præcedit; deinde ſubverſio, tremor labiorum, & hypochondriorum tenſio, poſtea vomitus ſubſequitur.

Prognoſis. Si fiat à nimiâ lactis copiâ, primo apparebit tenſio ſtomachi, deinde poſt vomitum ſublevatio ſequetur: ſi verò *à vomitu ſuccedat ſingultus & oculorum rubor*, *malum*: item, ſi materia ſit rubra, viridis, nigra &c. malum: *ſi ſuccedat ſpaſmus, lethalis eſt.* Vomitio utiliſſima eſt quando eſt pituitoſa, & bile permixta.

Cura. Si malum ſit ab humiditatibus multis, vide antè dicta: ſi à vitio lactis, hoc corrigatur convenienti diætâ: *ungatur* ſtomachus antè dictis; addantúrque ea, quæ moderatè adſtringunt, ut eſt *ol. cydonior. acetum calidum*, cum ſpongia applicatum: vel nutrix *caryophyllos* & *cinamomum* maſticet, & in os infantis decenter immittat: ſi ſit odor acidus,

℞. *Thuris contrit.*
ſal. abſynth. anà ℈ß. cum ſ.q. *ſyrup.*

Lambile. *de roſis ſiccis*, detur Infanti *lambendum*; poteſt & applicari *emplaſtrum diaphanic.* *Emplaſtra.* *calid.* vel de *cruſta panis*, vel de *tacamahaca & ladano*; vel tale conficiatur:

℞. *Maſtich.*
acat.
oliban.
caryophyll.
roſar. rubear.
ſantal. rub.
menth. ana ʒß.

F. omnium Pulvis ſubtiliſſimus: dein cum *ol. cydonior. maſtich.* & *abſynth.* ſ.q. F. Maſſa emplaſt. ſtomacho Infantis applicanda. Sicuti dictum eſt, convulſionem fieri ab inanitione, vel à repletione; rariùs ab inanitione, teſte Gal. *comm. aph. 13. l. 6.* ita illa *Oris ſtomachi* *Ventriculi ſubverſio.* *ſubverſio* eſt particularis quædam convulſio, & ab iiſdem cauſis provenit; quamvis etiam Gal. *lib. 8. de compoſ. medic. ſec. loc.* dicat, etiam ab acribus humoribus & medicamentis oriri ſingultum. Si nutrices μᾶλλον τῆς φύσεως, ſive plus edant, vel bibant, quàm natura requirit, Infantes *ſingultiunt*: ex- *Singultus. Ejus Prognoſis.* perientiâ Gal. ex *pulv. diatrion pipereon*, ſuperhauſto *vino*, *aquâ calidâ* diluto, fieri ſingultum, docet. Singultus ab inanitione proveniens peſſimus eſt, item à vomitu malus: eſt enim inflammationis ſignum. Aëtius, *lib. 9. cap. 5.* Si ſingultus in altiori ſopore, aut animi *Singultus mortis prodromus.* deliquio, aut tetanus obortus fuerit, mortem non longè abeſſe, ſignificat.

Cura. *Curam* quod attinet, inſtituto conveniente victu, excitetur ſternutatio aliquot granis *piperis*, vel *caſtorei*, in nares ſufflatis: deinde, ſi opus fuerit, digito, vel pennâ, oleo intinctâ, in os immiſsâ, *vomitus* provocetur: poſtea *nux moſchata pulver.* cum *pauco ſaccharo* Infanti exhibeatur. Si ſingultus proveniat à *frigidis humoribus*, adhibendæ *à frigidis humoribus.* ſunt frictiones partium extremarum: ungatur ſtomachus *oleo*, præcipuè *caſtorei*, cùm etiam *caſtoreum* in ſubſtan- *Caſtoreum utiliſſ. ad ſingultum.* tia, ad v. gr. ſumptum, à proprietate ſingultum curet. Aliàs in adultis ſpiritus diuturnior retentio ſingultum ſedat. Si proveniat ſingultus *ab inanitio-* *ab inanitione.* *ne*, hîc omnia analeptica ſunt adhibenda, uti eſt victus evchymus, balnea ex *lacte* & *aquâ dulci*, inunctio ſtomachi cum *oleo amygdal dulc.* item *emulſiones ex amygdalis*, *hordeata* &c. proderunt.

Caput XIX.

De Colica, & Ventris Dolore.

Dolor Duplex. Cùm omnis *dolor* ſit triſtis ſenſatio, à ſubita & violenta mutatione facta, ad ſenſum tactûs tantùm pertinens; & omnis dolor ſit vel per eſſentiam, vel per conſenſum: idem *Ventris Infantis.* fit in *Ventre Infantis*, qui vel ex toto laborat, vel tantùm ex una parte, id eſt ut craſſa & tenuia ſimul inteſtina patiantur; vel disjunctim, vel per ſe, vel per *Iliaca paſſio Infantibus rara.* accidens, ſeu per conſenſum. *Iliaca paſſionis* in Infantibus Authores non meminerunt. *Colica. Ejus Cauſa.* *Colica* verò frequentiſſimæ ſunt: quarum *cauſæ* ſunt Infantibus humiditas cruda, lactis mala qualitas, imbecillitas ventriculi, balnei frigiditas, pedum refrigeratio, frigidus potus, cibus crudus & facilè corruptibilis, item bilis flava, flatûs &c. unde Infantuli miſerè torquentur, vomitus infeſtat, ructûs; præcipuè ubi à flatibus oritur colica. *Prognoſis.* *Prognoſis* eſt, quòd, quibus tormina, & circa umbilicum labores, & lumborum dolor, qui neque medicamento, neque aliter, ſolvitur, in aquam inter cutem ſiccam firmatur: & dolores ventris ſublimes, leviores; qui verò non ſublimes, fortiores: & in forti dolore partium extremarum frigiditas, malum; & à ventris dolore diuturno ſuppuratio. *Cura.* Dolor bifariam *tollitur*: vel remotione cauſæ, vel ejusdem ſedatione. Si proveniat à malâ lactis qualitate, removeatur nutrix, vel ſaltem lactis defectus emendetur, mutatâ ſcilicet nutricis victûs ratione, & medicamentis: ſi verò Infans ſat robuſtus ſit, ablactetur: quia Hippoc. *5. aph. 64. Lac dare, quibus ilia ſuſpenſa murmurant, malum*, docet. *Alvus.* Ut verò leniatur dolor, & alvus lubrica reddatur, aliquot horis ante paſtum exhibeantur ℥ij. *ol. amygdal. dulc.* cum jusculo: dein, ſi dolor ulterius perſeveret, partes ventris ſe- *Fomenta.* quenti *Fomento* foveantur:

℞. *Summit. aneth.*
camomill.
verbaſc.
melilot.
thym.
puleg.
roſar. rub. ana mj.
ſem. lin.
fænigr.
aniſ. ana ʒij.

M. Bulliant in ſ. q. *vini alb.* & ſpongia hôc intincta applicetur unâ horâ ante paſtum, manè & veſperi. Noſtrates *abſynth.* vel *anagallid.* coquunt in *ol. camomill. aneth. abſynth.* & apponunt. Si fiat dolor *à flatu*, injiciatur *Clyſter carminativus* talis: *à Flatu, Enema, Epithemata.*

℞. *Decoct. carminat.* ℔ß.
ol. camomill. ℥ß.
mell. commun. ℥iß.
facch. Thom. ʒij.

M. F. Clyſter: vel cucurbitula ſicca, loco dolenti applicata, dolorem à flatibus ortum quamprimùm reſolvit. Aliqui *omentum caſtrati* frigunt in *oleo anethino*, & calidè applicant: abſtineat interea nutrix ab omnibus flatulentis, utaturque carminativis. Si dolor fiat à *Vermibus*, vide, quæ poſtea dicentur. *à Vermibus.* Si dolor nimius fuerit, Infanti exhiberi poterit *emulſio* ex *ſem. papav.* vel ℈j. *req. Nicol.* Quantum tamen fieri poteſt, à *Narcoticis* abſtinendum eſt, quibus pueri intellectus ſummè debilitatur. *Narcoticorum noxa. Balneum.* Mulierculæ contundunt bonam quantitatem *ſem. cannabini*, & ſuperaffundunt *cereviſiam*, faciúntque inſtar emulſionis, in qua pueros lavant calidè, cum proſpero eventu: deinde parum *olei ſpicanardi* calefaciunt in cochleari, cui cotonem immergunt, & umbilico intrudunt.

Caput. XX.

De Fluxu Ventris, & Diarrhœa.

Diarrhœa eſt alvi profluvium diuturnum, copioſum, ſine inflammatione aut ulcere. *Fluxus alvi, ſeu Diarrhœa. Ejus Cauſa.* *Cauſa* eſt ſæpe dentitio, materia item aliquando calida, aliquando frigida. Calida plerunque fit à dentitione; frigida ab aëre frigido, lacte, cibo, potu, frigidis & crudis. Quòd autem in dentitione diarrhæa contingit, non tam fit ob ſuperfluitatem ſalſam, expultricem irritantem, quàm quòd natura impedita in efformandis & generandis dentibus concoctionem negligit. Si diarrhæa fit à materiâ calidâ, ex-

Signa cauſarum. dà, excrementa erunt flava & bilioſa: ſi à frigidâ, excrementa erunt aquoſa & alba, cum tormine; & tardiùs excernuntur: ſi ſit à lactis malâ qualitate, facilè id inſpicienti patebit. *Prognoſis.* Prognoſis deſumitur ex Hippocrate, *6. aph. 1.* In diuturnis inteſtinorum lævitatibus, ſi ructus acidus fiat, qui antè non erat, bonum. Fallere videtur illud Avicen. *lib. 3. fen. 13. text. 1. cap. 2.* omnia ventris profluvia poſt ægritudines acutas, ſymptomata eſſe mortalia, eò, quòd repentina inde corruptio portendatur: ſiquidem, etiam ſalutiferas per alvum criſes, poſt ægritudines acutas, ſæpius contigiſſe, animadvertimus. *Cura.* *Curam* quod attinet, obſervandum eſt, quòd, *quæ judicantur, & quæ judicata ſunt integrè, neq. movenda, neq. navanda, ſive medicamentis, ſive aliter, irritanda ſint, ſed ſinere oporteat*; ex Hipp. *1. aph. 20.* Si verò paucum fuerit, quod excernitur, modò non fiat cum teneſmo, de eo laborare non debes, teſte Avicen. *loc. cit.* ſed totum opus naturæ tribuendum eſt; ſi autem profluvium iſtud perſeveret usque ad ſextum vel ſeptimum diem, obviandum eſt: ſi nutricis lac peccet, amovenda illa eſt: ſi bilioſus fuerit ille fluxus, victus nutrici ordinetur refrigerans in rebus ſex non-naturalibus; ſomni Infantis ſint longiores ſolito, abſtineatur à balneo, eiq; frictiones ſubſtituantur. *Purgatio Nutricis, vel infantis.* Si verò nutrix ex neceſſitate ſervanda ſit, eidem exhibeatur ʒj. *rhab.* vel puero ℈j. *Externa. Unguenta.* *Externa* erunt *ung. Comitiſſ. ol. myrt. cydon. maſtichinum*: ventrem inunctum aſpergere oportet *pulvere roſar.* *Interna.* Intus exhiberi poterit *miva cydon.* & *vinum* eorundem, item *ſyrup. coralliór. de roſis ſiccis, de myrto*: item cum pulticula aliquid ſeq. *Pulv.* exhiberi poterit:

℞. *Pulv. ſang. drac.*
corallior. rub. præp.
granor. chermes;
ſem. plantag. ana ℈j. M. pro uſu.

Potus. *Potus* ſit *decoctum cruſtæ inferioris panis, in aq. commun.* duabus vel tribus ebull. factum, vel daß Amel Waſſer. *Cibus.* *Cibus* panatella, oryza &c. omnia *chalybeata.* *à causâ frigida.* Porrò ſi *à cauſa frigida* oriatur fluxus, adſitque materiæ pituitoſæ multa rejectio; victus ratio ſit ad calidum & ſiccum vergens: ſtomacho adhibeatur *Sacculus* ex *abſynthio, menth. origano, abrotano, pulegio, roſis ſiccis, pulv. caryophyll. nuciſta, cinamom. oliban. maſtichis, galanga* &c. *Saccul. ſtomachal.* item ſtomachus *inungatur olea de ſpica, de abſynth. de cydon.* *Olea ſtomachalia.* deinde poterit concinnari tale, vel ſimile *Emplaſtrum*: *Emplaſtrū.*

℞. *Gumm. tacamahac.*
maſtich.
ladan. ana ʒiß.
pulv. roſar: rubr.
thur.
bol. Armen.
ſang. dracon.
balauſtior. ana ʒj.
croci ℈ß.
vitell. ovi num. 1.
Cum ſ. q. *ceræ, terebinth.* & *acet. fortiſſ.*
F. Emplaſtrum ſtomachale adſtringens.

Quamvis opiata in clyſteribus, vel ſuppoſitoriis, ob ingentem refrigerationem, & paralyſin inducendi vim, cautè ſint adhibenda; ſi tamé fluxus cedere minimè velit, ſeq. *Suppoſitorium* malo coronidem plerunque imponit: *Suppoſitorium.*

℞. *Acaciæ,*
ceruſſ. ana ʒj.
opii gr. vi. cum *ſyrup. de roſis ſiccis*
F Suppoſitorium num. 1.

Diarrhœa diutius durans facilè tranſit in *Dyſenteriam*: quæ nihil eſt aliud, quàm *ulcus inteſtinorum, in quo materia cruenta cum cruciatu rejicitur.* *Dyſenteria quid.* *Ejus Cauſa.* *Cauſæ* aliàs ſunt aëris frigiditas, aut caliditas, aut lactis acrimonia, ſeroſitate bilem & pituitam generante, unde inteſtina corroduntur. *Signa.* *Signa* ſunt dolor ventris, punctio, & frequens dejiciendi cupiditas, in qua fruſta inteſtinorum dejiciuntur, excrementáque cruenta, ſanioſa, cum excoriatione, & odore fœtido. *Signa cauſarum.* Si ſit *à materia calida*, tunc excrementa ſunt tincta colore citrino, ſangvinolenta, bilioſa, & ægritudo vehemens: ſi verò fuerit *à frigore*, excrementa ſunt alba, pituitoſa, aquea: *Prognoſis.* ſi *ab atrâ bile* inceperit, lethalis eſt; teſte Hippoc. *4. aph. 24.* & *26.* *A difficultate inteſtinorum habito, ſi velut carunculæ exeant, lethale eſt*: item: *in longis inteſtinorum difficultat. inedia ex faſtidio, malum, & cum febre, pejus*: item: *excrementorum mutatio bona niſi in malum*: item: *à dejectione ſincerâ diffic inteſtinorum, malum*: item: *mala effuſio ſangvinis puri,*

puri, poſt dyſenteriam valde mala: item: *ulcera inteſtinorum facilè perducunt ad hydropem:* denique: *convulſio, vomitus, ſingultus, & conturbatio rationis, poſt dyſenteriam, mors eſt.* *Macula nigra retro aures in dyſenteria.* Nota: in longa dyſenteria reſpiciendum eſſe Ægrum poſt aurem ſiniſtram: ſi enim adſit res nigra, ſimilis orobo, cum vehementi ſiti, moritur in decima. *Cura.* *Curam* quod attinet, nutrix ſtatim examinanda venit: hæc enim ſi in cauſa ſit, abigenda, vel ſaltem lac ejus corrigendum, inſtitutâ optimâ victûs ratione, & inveſtigatione indicationis, utrum ſit à cauſa calida, an verò frigida. Quòd ſi nutrix retineatur, huic ſtatim exhibeatur ʒj. *rhab.* *Purgatio.* vel ipſi Infanti ℈j. porrigatur in *jure pulli*, vel *lacte nutricis:* *Linctus.* *lambat* deinde Infans *ſyrup. de roſis ſiccis, de menth. cydon.* *Clyſteres.* *Clyſteres* primò abſtergentes, ſecundò adſtringentes, in pauca quantitate injiciantur. Si magnus adſit dolor, clyſteres ex *lacte*, & *cremore hordei*, cum pauco *ſaccharo*, pro abſterſione; pro adſtrictione verò ex eodem *lacte chalybeato*, in quo *balauſtia*, *roſa rub. cortic. granat. fumaria*, & *lentes* cocti fuerint, cum *bolo Armen.* & *terra ſigillata*, injiciantur. *Unguenta.* Venter *ungendus* eſt *ungento Comitiſſæ, ol. cydon. myrtin. empl.* & *ſacculi* adſtringentes ſunt applicandi:

Epithemata.

℞. *Farin. hord.* q. ſ.
ſucc. plantag.
acet. vini ana q. ſ. F. Pulmentum, ventri calidiſſimè applica, & repete, eſt remedium noſtrarum mulierculaſum. Sæpius etiam Infanti aliquid de ſeq. *Pulvere* exhibendum erit:

Pulvis adſtringens.

℞. *Sem. plantag.*
granor. chermes,
corallor. rub. præp.
myrobal. citrin. ana ℈j. M. F. Pulvis. Doſis ℈j. Detur cum *aq. plantag.* cujus cochlear ſæpius exhibitum dyſenteriam curat. Quòd ſi malum perduraverit, iterandus erit *rhabarbari* uſus, ne materia peccans retenta magis corrumpatur; deinde ad adſtringentia redeundum eſt. Vide plura in *cap. noſtro de Dyſenteria.*

CAPUT. XXI.
De Teneſmo.

Teneſmus. **T***Eneſmus* non tàm frequens eſt in Infantibus, quàm in adultis: habent tamen illi aliquando frequentem deſidendi cupiditatem, cum dolore & excretione paucæ cujuſdam pituitoſæ materiæ. *Ejus Cauſa.* *Cauſa* eſt inflammatio recti inteſtini; ſed rara in Infantibus, in quibus bilioſa, pituitoſa, & cruda excrementa, inteſtino adhærentia, potiùs cauſæ rationem habent: hæc ſiquidem, dum continuò facultatem expultricem ſtimulant, continuam deſidendi cupiditatem inducunt. *Curatio.* Teneſmus, qui dyſenteriæ ſuccedit, eſt facilis curationis, inſtitutâ optimâ victûs ratione tum nutrici, tùm Infanti: primò ne materia ampliùs ad inteſtina feratur, inhibenda eſt: ſecundò reſolvẽda: tertiò acrimonia ejus tollenda. *à nimio calore.* Si fuerit magna inteſtini *inflammatio*, cavendum eſt à calidis: victus ſit tenuis; fæces, à calore induratæ, *clyſteribus* eluantur, *Clyſteres.* factis ex *cremore hordei* cum *oleo roſaceo*; vel ex *lacte tepido*, cum *melle roſato*: *Suppoſitoria.* vel *ſuppoſitoriis* ex *ſevo cervino.* *Emollitio Ventris. Fomentum.* *Venter emolliendus* eſt *fomento* ex *decoct. emollient.* & contemperante, ſpongiis ſæpius applicato. *à frigiditate.* Si verò malum fuerit à *cauſa frigida*, calidis agendum eſt, tum clyſteribus, tum fomentis; emplaſtris, ungventis, ſuffumigiis ex *terebinth.* ſupra laminam ferream conjecta, fumo per tubulum excepto: quibus anodina admiſceri poſſunt. *Pulv. ad Teneſm.* Seq. *Pulvis* & nutrici ad ℈ij. & Infanti ad ℈j. in cauſa frigidâ omni die exhibeatur:

℞. *Sem. naſturt.*
cumin.
anis. ana ʒij.
torrefacta pulver. & exhibeantur: eſt enim remedium contra Teneſmum, à cauſa frigida provenientem.

CAPUT XXII.
De Alvi adſtrictione.

Alvi adſtrictio. **B**Ilem naturalem eſſe clyſterem, *in ſuperioribus* diximus: hæc ſi vel per obſtructiones hepatis, aut ductûs choledochi, vel per inflammationes pulmonum, cerebri, aut aliarum partium, aliò rapiatur, quàm ad inteſtina, ſtimulatio nulla fit, & hinc nulla excretio. *Ejus Cauſa.* Deinde, ſi bilis ad inteſtina non feratur, excrementa per illam, velut per menſtruum, non attenuantur, ſed craſſa manent: unde difficilis excretio: ſomni etiam longiores in pueris excretiones remorantur: item balnea intermiſſa

privativè concurrunt ad alvi indurationem: item ciborum major copia plurimum facit ad alvi cõſtipationem. Sicut enim veſica, ab urina nimium diſtenſa, fibras ſuas ad excretionem contrahere non poteſt: ita etiam inteſtina, fæcum durarum copiâ repleta, excernere non poſſunt. Item robur facultatis retentricis, ab exſiccatione fibrarum proveniens, impedit excretionem. Ab alvi

Prognoſis. conſtipatione prædicendus eſt capitis, ſtomachi, inteſtinorum, dorſi, lumborum &c dolor, & inflatio, convulſio &c.

Curatio. In *curatione* nutrix alatur humectantibus & parum attenuantibus: Infans balneetur in *decocto hordei*: applicentur *ſuppoſitoria* ex *mellis cocto*, & *ſtercore muris*: vel Infanti parum *mellis ſimplicis*, vel *roſati laxativi*, exhibeatur.

Clyſteres. *Clyſteres* emollient. cum *ol. amygdal. dulc.* injiciantur. Nutrix Infantes ad alvum excernendam

Unguenta. quotidie ſollicitet: venter *ungatur unguento clyſmatico*, vel *butyro*, in quo *mercurialis* & *atriplex* bullierint; vel etiá *ung. de arthanita.* Mulieres Noſtrates

Experimenta. implent putamen nucis *unguento ex malva* facto, & umbilico applicant; vel intrudunt in anum *ficum inverſam*, vel *ſuppoſitorium* faciunt ex *ſaccharo penidiato*, in debitam formam redacto, vel ex

Decoctum pro Potu laxativum. *rad. petroſel.* Si Infans ablactatus ſit, & aquam coctam bibat, huic, adhuc calenti, ad quantitatem librarum 4. impone in petiâ ligat. *rad. gram. fol ſen.* ana ʒj. *pulp. tamarind.* ℥ß. Bibat hanc aquam pro *ordinario Potu*, & bene expurgabitur Infans. Hoc idem remedium dari poteſt pueris 4. 5. 6. annorum, quo plurimos Infantes jamjam omnino tumidos & cachecticos, imò hydropicos, curavimus: expurgantur enim illius uſu leniter, & abſque moleſtia.

CAPUT XXIII.

De Inflatione Ventris.

Inflatio ventris. INfanti dum *Venter inflatur*, *fit* plerunque à ſpiritu flatuoſo, & calore

Ejus Cauſa. imbecilli exiſtente: *ſpiritus* autem *flatuoſus* generatur in inteſtinis, ventriculo, peritonæo: fit etiam quandoque, ut lien magnam aquæ gravitatem in ventrem pueri deponat; unde hydrops: idem fit ab hepate obſtructo, vel ſcirrhoſo, ob malam nutricis victûs rationem, vel eò, quòd Infans nimis citò ablactatus fuerit.

Signa cauſarum. Si ſit *à flatibus* ventris inflatio; tunc percuſſus ille ſonat inſtar tympani, adeſtq; plerunque reſpirationis difficultas: ſi verò ab *aquoſitate* fiat, aderit viſcerum tumor, tenſio, aut durities in hypochondriis.

Prognoſis. *Prognoſis* eſt, quòd tumor à flatibus faciliùs curetur, quàm ab aquoſitate.

Cura. ab Aqua. In *cura* inflationis *ab aqua* victu utatur & nutrix & Infans ad calidum & ſiccum vergente: aperientia & emollientia adhibeantur. Nutrix abſtineat ab omnibus flatuoſis & crudis, ſeſe exerceat, ſomnus illi ſit brevior, quotidianam alvi procuret excretionem.

à Flatibus. Si *à flatu* proveniat, inducenda eſt corporis perſpiratio & raritas; medicamenta ſint attenuantia & moderatè calefacientia; venter *ungatur*

Ung. carmin. Minſicht. *ung. carminat. Minſicht.* vel de *calendula*, *ol. cymin. rutac. de abſinth.* exhibeatur frequenter aliquid de ſeq. *Tragea*:

Tragema.

℞. *Sal. abſynth.*
confect. ſem. aniſ.
fænic.
aneth. ana ʒj.
cumin. Roman. ʒß.

M. F. Tragea, addito pauco ſaccharo; quæ & nutrici & Infanti ſæpe exhibeatur.

Cucurbitula. Item applicari poteſt *cucurbitula* umbilico, ad flatûs diſcutiendos:

Fomenta. item *fomentationes* uſurpentur ex herbis, floribus, ſeminib. carminativis, in vino coctis, factæ.

Cur ablactandus Infans tumidus. Ablactandus Infans, ſiquidem, *lac dari, quibus ilia ſuſpenſa murmurant, malum*: Hipp. 5. *aph.* 64. Si verò adſint magnæ obſtructiones cum aquoſo tumore, nutrix expurganda eſt:

Purgationes. imò etiam Infans *ſyrup. flor. Perſicor.* vel gr. iiij. *reſinæ gialappæ*, vel ſacculis antè traditis, ſi paulò major ſit, expurgandus eſt. Hepati *emplaſtrum de cicuta* applicetur:

Fotus. hypochondria *foveantur decocto emolliente*, intincta ſcilicet in eo ſpongia.

Lingua cervina lieno- ſis proficua. Si lien afficiatur, bulliat cum omnibus jusculis & potu *lingua cervina*, vel *ceterach*, vel, ſi fieri poſſit, *pulvis* ejus exhibeatur. Clyſteres & ſuppoſitoria ſæpius adminiſtrentur.

Caput XXIV.
De Lumbricis.

Pueris, mediæ ætatis maximè, rariùs bimulis Infantibus, *Vermes* ex putredine, non ſecus ac in macrocoſmo, generari, certú eſt, & eò magis, quòd illi multâ abundent humiditate, & calore innato, apto ad tale aliquid producendum.

Vermium differentia. Vermes alii ſunt *teretes*, alii *lati*; alii *aſcarides* dicti, qui ſunt tenues quidá lumbrici, qui in parte præcipuè inferiori craſſi inteſtini generantur; alii ſunt *rotundi*, qui in ſuperioribus inteſtinis maximè generãtur, ita, ut ad ipſum quandoq; ventriculum adſcendant, & per os rejiciantur: & ſunt in pueris aſcarides frequentiores: rari ſunt lati, & longiſſimi, ad integram ferè inteſtinorum longitudinem ſeſe extendentes.

Eorum Cauſa. *Cauſa* vermium eſt plerunq; putredo, quæ noſcitur plerunq; ex craſſa & pituitoſa materia.

Signa. *Signa teretum* lumbricorum ſunt morſus ſtomachi, frequens nariú frictio, ſubita expergefactio, clamor & tremor, rejectio vermiú vel per os, vel per alvum, vel per nares, tuſſis exigua, ſiccitas, ſingultus, linguæ extra os in ſomno exporrectio, ſeu emiſſio, ira, vigiliæ, edacitas ſine profectu, ſed potiùs cum atrophia, dentium ſtridor, tenuis, & frigidus quandoq; ſudor, nauſea, inquietudo, ſeu decubitûs frequens mutatio, ventris inflatio, oculi ſubinde ſanguine ſuffuſi.

Signa Aſcaridum. *Aſcaridum* ſigna ſunt vehens pruritus in infimo ventre, interdú uſq; ad animi deliquium, gravitas præcordiorũ & dorſi, ac aſſidua ad egerendum irritatio, excrementorum gravis odor, malæ concoctionis argumentum certiſſimum.

Pituita inſtar vermis longi à Gal. rejecta. Nota: quandoq; *materiam pituitoſam* concretam, ingentis longitudinis, inſtar vermis, rejici; qui tamen vermis non eſt. Ponatur itaq; in aquam calidam, &, ſi eſt pituita concreta, qualẽ ab intolerabili colica rejecit ipſe Galen. diſſolvetur: ſi vermis eſt, permanebit indiſſoluta.

Lumbricor. Signa *lumbricorum* omnium communia ſunt, oris fœtor, delirium, lethargus, dolor capitis, palpitatio cordis, vomitus creber, pulſus imbecillis, convulſiones, oris ſpuma, tormina & colici dolores.

Prognoſis. *Prognoſis* eſt, quòd nullâ habitâ lumbricorum curâ, multi ab iis exeſi ſint: ex unguibus erumpentes viſi ſunt, teſte Ferrarienſi: item ex umbilico. Vermes, circa febrium initia geniti, magnam arguunt putredinem; circa vigorem, malignitatem; circa declinationẽ ad meliùs proficiũt. Deteriores ſunt majores minorib9; multi paucis; rubri albis; viventes mortuis: & in principio morbi acuti, ſi lumbrici teretes vivi rejiciuntur, peſtilentes morbos indicant. *Lumbrici dejecti ſanguine conſperſi, malũ.* Si frequens adſit pueris anhelitus frigidus, tumeſcente corpore, ſequẽti die moriuntur. Alſaharavi9 inquit, pueros eſſe brevioris vitæ, qui aſcaridib9 laborant.

Cura. *Curam* quod attinet, victûs ratio tendat ad calidum & ſiccum; nutrix caveat à ſomno diurno & longiori, exerceat ſe bis in die, horâ ante cibũ, lubricetur alvus. Infanti tamen ſæpius lac exhibeatur, ne famelici lumbrici eum mordeant; panis nutricis ſit bene fermentatus, nam ἄζυμος lumbricos generat: idem faciunt legumina, præter lupinos & cicera: amara omnia, acida, & ſalſa potiùs, quàm dulcia, conveniunt: ex his enim lumbrici non tantùm aluntur, ſed etiam generantur: amara autem omnia, tú aſſumpta, tum admota, vermes enecant; inter quæ

Aloë. *aloë* primum fere locũ obtinet: ſed cùm pueri difficulter eam, ob amaritudinem, ſumant, eadem, cum *myrrha* &

Catapl. umbilico applicandum. *ſummitatibus abſynthii* contuſa, & umbilico applicata, vermes enecat: idem facit *Cataplaſma* ex *lupinorum farina*, cum *hydromelite* factum, vel etiam fel taurinum, cum *pulvere colocynthidos*, umbilico applicatum:

Interna vermes enecantia. item *creta Colonienſis*, ad ℈j. cum pulticulis exhiberi poteſt: item *cornu cervi uſtum* & *præparatum* idẽ præſtat. Vel, uti *in ſuperiori Adultorum Praxi* dictum eſt, *infuſio argenti vivi* eſt inſtar omnium.

Mercurius ad vermes unicum eſt remedium. ℞. *Mercurii vivi* ℈j. Infunde in *aq. portulac.* ℥iiij. fortiter agita, & aquam, rejecto Merc. exhibe. Loco hujus multi ℈ß. *Merc. dulc.* bene correcti exhibere non verentur; quo vermes infallibiliter enecantur. Noſtrates *allium* in *lacte* coquunt, & Infanti exhibent: idem facit *decoct. abrot.* & *radic. gramin.* Per inferiora verò dulcia ſunt injicienda, ut vermes alliciantur ad exitum: ita conficiantur

Suppoſitoria. Clyſteres. *Suppoſitoria ex lardo*, vel *ſacchаro penidio*, vel *Clyſteres ex lacte* & *ſacchаro*.

Circumforaneor remedium. Circumforanei *vermes in clybano ſiccatos & pulveriſatos*, cú *hydromelite* exhibent, qui à proprietate vermes enecant.

Inunctiones, Internum. Stomachus, nares, & tempora, Theriacâ, vel Mithridat. *ungantur*: *ſyrup. flor. perſic.* exhibeatur. Vide plura *in Praxi noſtra*.

CAPUT. XXV.

De Inflammatione, Tumore, ſeu Eminentia Umbilici.

Inflammatio umbilici.

CОntingit non rarò, ut pueri recens nati *Umbilicus*, ob factam reſectionem, *inflammetur*, fiátq; malum non contemnendum: nam natura, in utero illùc urinam transmittere aſſveta, ulcus & inflammationem deteriorare non rarò ſolet. Inſtitutâ itaque convenienti victûs ratione, *(Cura.)* vitatisq; à nutrice allio, cæpis, vino, raphano, acetoſis omnibus, ſalſamentis, leguminibus, & flatuoſis, alvus Infantis *(Alvus.)* quotidie lubricetur vel balneis, vel clyſteribus ex *lacte*, vel refrigerantibus & emollientibus: dein ſequens *Cataplaſma* applicetur:

℞. *Fol. virid. malv.*
alth. ana m. ij.
farin. ſem. lini,
fænigr. ana ℥j.
medull. panis,
pingued. gallin.
butyr. Majal. ana ℥ij.
lactis caprini ℔ij.

Coquantur ad putrilaginem, fiátq; l.a. Cataplaſma umbilico calidè applicandum; cui etiam nonnihil *croci* addi poterit. Si verò inflammatio ad *ſuppurationem* pervenerit, *ungatur ung. alb. rhaſis,* vel de *tutia*, & Chirurgicâ manu procuretur: vel

Suppuratio adjuvanda.

Unguentum anodinum.

℞. *Terebinth.* ℥ß.
vitell. ovi num. 1.
ol. roſac. ℥ij.

M. F. Linimentum, cui immerſa tela applicetur umbilico; eſt enim anodinum & vulnerarium. Si ulcus *abſq; inflammatione* permanſerit, ad id *exſiccandum* ſufficit *pulv. roſar. rubear.* cum *paucâ myrrhâ*; vel *ſanguine draconis*, mixtus & inſperſus. Si fuerit umbilici *tumor citra inflammationem*, cuj, *cauſa* ſunt multus fletus, vociferatio, tuſſis, caſus, aqua, flatus, eſt affectus facilis curationis, modò non differatur; & cùm, teſte Gal. *11. m. cap. 11.* in omni morbo ſemper adſit, quod fit, vel quod factum eſt; quod eſt in fieri, prohibendum; quòd verò factum reſolvendum eſt. Si itaq;, quod eſt in fieri, ſit à fletu, ſomnus procurandus eſt: quod verò jam in capacitate umbilici collectum eſt, diſcutiendum. Si eſt à tuſſi, aquâ, & flatu, vide, quæ dicta ſunt *capp. propriis*, præcipuè de *Ventris inflatione*. Vulgò ſequens applicatur inflato umbilico: [illegible]

Ulcus exſiccans.

Tumor umbilici abſq; inflamm.

Cauſa.

Prognoſis.

℞. *Pulv. ſem. cumin.* [illegible]
[illegible] *ammeos*, ana ʒiß.
album. ovor. num. ij.

M. & cum ſtupa applicetur: vel magis adſtringens:

℞. *Pulv. myrrh. cortic. cupreſſ. nuc. ejusd. acacia, maſtichis, lupin. amar. uſt. ſem. ammeos* ana ʒj. *(Emplaſtr.)*
album. ovor. q. ſ. ad incorporationem:

F. inſtar Emplaſtr. Vel, loco hujus, ſubſtitui poteſt *Emplaſt. ad rupturam*. Diæta utriusq; in omnibus correſpondeat.

CAPUT XXVI.

De Calculo Veſica.

QUamvis de hoc affectu fusè ſatis *in Praxi noſtra* tractaverimus; cùm tamen pueris circa, & poſt dentitionem, ob edacitatem, & cruditates multas, ſæpius contingat, de illo breviter tractandum eſſe videtur. Poſtquam enim magna humorũ viſcoſorũ, *in veſica*, cumulatio facta eſt, à calore, in pueris vivaci, facilè concreſcit *Calculus*. *Signa* lapidis in veſica ſunt urina ſimilis aquæ, in quâ præceſſerunt ſabuloſa quædam, dein ſubſequuntur viſcoſa, fundo matulæ fortiter adhærentia, pueri membrum frequenter ſcalpunt, idq; vel nimis laxum, vel nimis diſtentum; hinc urina derepentè ſupprimitur, adſuntque dolores in eodem loco permanentes. Fæmellis, teſte Avic. *lib. 3. fen. 18. text. 2. cap. 16.* rariùs contingit veſicæ calculus, quoniam veſica earum ad exteriora brevior ac latior eſt, & paucorum anfractuum; qui tamẽ ob rugoſitatem in ſenibus reperiuntur: hinc etiam laborant calculo minùs juvenes, & quibus menſtrua copioſè fluunt: hiſce enim multæ cruditates repurgantur. Victus ſit ad calidũ & humidum vergens, abſtineat nutrix à caſeo lapidifico, & viſcoſis omnibus, maliq; ſucci alimentis: juſcula quotidie propinentur, in quibus *ſem. malv. ſaxifrag. ceterach, lithoſperm. flor. geniſt. rad. petroſ. gram. bacca alkekeng.* bullierint. Infantes laventur in *decoct. petroſel. verbaſc. parietar. malv. alth. raphan.* Pecten *ungatur ol. ſcorpion.* Puero exhibeatur ſæpius *magiſt. ocular.*

Quomodo pueris generetur Calculus.

Ejus Signa.

Cura.

Diæta.

Immedic.

Lithontri-ptica.

ocul. cancri, ſyrup. de alth. Fernel. vel *aq. ſaxifr.* pro potu Ordinario, vel *terebinth. aq. parietar.* ad albedinem lotæ, *magnitudo piſi*, cum pulmento ſæpius exhibeatur. Pectini ſequens *Empl.* applicetur:

Emplaſtr.

℞. *Vitell. ovor. coctor.* num. x.
pulv. fol. enul. campan.
petroſel.
parietar.
apii,
ſaxifrag. ana ʒij.
lapid. Judaici,
ſcorpion. uſtor.
ſang. hircin. ana ʒj.
M. omnia in mortario, & cum ſ. q. *ol. ſcorpion.* F. Maſſa emplaſtri.

Lithotomiam in valde teneris, ob debilitatem, non admittimus.

Caput XXVII.
De Urinæ Incontinentia.

Incontinentia Urinæ.

Eſt *Urinæ præter voluntatem excretio*, quando ſphincter veſicæ vel nimium laxatur, vel reſolvitur, ita, ut veſicam claudere non poſſit. *Cauſa* eſt nimia humiditas, frigidorum, viſcidorum, ac craſſorum excrementorum abundantia, aëris frigus, lactis mala qualitas, intemperies, ipſius infantis nimius potus & cibus, caſus, vulnus, vertebrarum luxatio &c. *Signa* ſunt in propatulo: prædicere autem licet, quòd, ſi ex aliqua externa cauſa muſculo infrigidato generetur affect., facilius curetur, quàm ſi citra manifeſtam cauſam proveniat. Si ob cervicis veſicæ vulnus, caſum, aut vertebræ luxationem proveniat, periculoſa eſt: hîc tamen de ea præcipuè agimus, quæ ab intemperie, & mala victûs ratione ſuam trahit originem. *Prophylaxin* quod attinet, ſi lac nutricis in cauſa ſit, illud vel corrigendum, vel illa amovenda: ſi eſt intemperies frigida & humida, victus ſit calidus & ſiccus, infantis venter lubricus ſit, ſomnus diurnus, quantum poſſibile, præcipuè longior, vitetur, nutrix frequentibus exercitiis incumbat, præcipuè horâ unâ ante paſtum, animi perturbationes ſunt vitandæ; quamvis ira & excandeſcentia infantibus in ſimili affectu conveniat: cibi ſint euchymi: in juſculis coq. *hyſſop. majoran. ſalv. ſatureja, ſœniculum* &c. Pecten *foveatur* bis in die, unâ horâ ante paſtum, *æneleo calido*, vel *decoct. balauſt. cortic. mali punic. ſalv. origan. majoran. beton. abſynth.* cum *vino rubello* & *aquâ fabrorum* facto: puero autem *gutturis gallinæ pulveris* ad ʒß. vel *pulv. flor. leucanchemi*, vel *teſticuli leporis*, vel *veſica porcina*, vel *calamintha*, cum *lacte*, vel *jure carnium*, exhibeatur. *Balnea* ſulphurea ſiccant, calefaciunt, roborant, præcipuè in reſolutione muſculi ſphincteris, vel in nimia humiditate: conficiuntur etiam *unguenta* adſtringentia ex *oleo myrtino, cidonior. unguent. Comitiſſ.* additis pulveribus adſtringentibus, *balauſtior. roſar. rubear.* &c. Hiſce regio pubis & perinæum inungantur, ut partes laxæ conſtringantur.

Cura preſervatoria.

Victus.

Fotus.

Specifica.

Balnea.

Unguenta.

Caput XXVIII.
De Retentione Urinæ.

Urinæ retentio.

Cauſa.

Exacta *Urinæ Retentio* in pueris vitæ periculum infert. *Cauſæ* ut plurimùm ſunt tres: primò debilitas expultricis ab intemperie frigida; unde non poteſt fieri compreſſio, aut contractio: ſecundò obſtructio in inferiori meatu, à craſſis humoribus facta: tertiò à lapide in ipſo meatu impacto. Si ſit à debilitate expultricis, compreſſione forti ſupra pubem, & infra umbilicum, factâ procul dubio expelletur urina; ſi verò ſit à craſſis humoribus, non expelletur: ſi ſit à calculo, explorari poterit cannulâ immiſſâ: tunc enim, retruſo in veſicam calculo, urina excernetur. *Prognoſis* eſt, quòd, ſi diuturna ſit iſchuria, pueri moriuntur. Si ſit ab humoribus craſſis, victus ratio vergat ad calidum & ſiccum, caveat à craſſis, frigidis, ſomno diurno; alvus quotidie vel ſponte, vel arte dejiciat: deinde pubes *ungatur ol. anethino, ſcorpion. lilior. albor.* vel fomentetur ex iis, quæ dilatant & attenuant; uti eſt *parietaria, malva, althæa, verbaſcum, ſalvia, majorana* &c. ex iis, & ſimilibus, fiant *ſemicupia*, vel *balnea*. Si ſit ab intemperie frigida, præter ſuperius ordinata, conferet balneum ſulphureum. Nota: in omni genere retentionis urinæ vitanda eſſe omnia, quæ *urinam cient*, ante corporis *expurgationem*, & viarum apertionem; aliàs majores

Prognoſis.

Cura

Inunctiones.

Fomenta.

Lotiones.

Purgatio præcedit diuretica.

jores

jores ſemper excitabuntur obſtructiones & extenſiones circa veſicam. Si verò rationes ſupra dictæ fuerint implere, *Interna.* exhibeatur *terebinth.* ad magnitudinem piſi, vel ʒß. *pulv. maxillæ lucii piſcis infumati*, cum *aq. petroſel.* vel *decoct. radic. filipendulæ*. *Experimentum de Lapath. acuto.* Si projiciatur *lapathum acutum* in ignem; quamprimum incipiet ardere, ſi eſt puella; minget. Si lapis urinam ſupprimat, à loco excutiendus eſt, vel per fiſtulam, vel candelulam; aut ſupinè cubantis Infantis crura elevata ſurſum parū agitentur & concutiantur. *Specifica.* Quamvis multa lapidem in veſica frangere dicantur, uti eſt *ſanguis hirci præp.* item *ſangvis leporis* unius, cum ℥vij. *rad. ſaxifrag.* in olla rudi calcinatus & pulveriſat. atq; ad ℈j. vel ʒß. exhibitus, item *cinis motacillæ*, *lapis Judaicus*, *lapis ſpongiæ*, *lapis ſerpentis*, *lapis veſicæ*, ſeu *Duelech* Helmontii. *ſem. ſion*, *ſaxifrag. rad. gramin. flor. geniſt. elect. lithontribon*: *Prudentia calculum in veſica non dari.* horum tamen effectuum nullum adhuc vidimus, adeóque, ſi puer calculo laboret, & provectioris fuerit ætatis, ſcindendus erit. Vide Paulum Aeginet. *lib. 6. cap. 6.* Item *Praxin noſtram de calculo Veſicæ*.

CAPUT. XXIX.

De Herniis puerorum, Ani Procidentia & Intertrigine.

Hernia inguinalis. Licet aliis etiam Herniarum ſpeciebus laborare poſſint Infantes: herniâ tamen *Inguinali* ſæpiſſime laborant: quæ eſt tumor contra naturam in inguine, ex diſtenſione, dilatatione, aut ruptura peritonæi. *Ejus. Cauſa.* *Cauſa* eſt fletus & clamor frequens, immoderata repletio, fortis in egerendo expreſſio, ob alvi adſtrictionem, flatus, caſus; *Inteſtinorum hernia, qualiscunq; ſit, aquoſâ ſemper deterior.* *Prognoſis.* *Cura* inſtituitur optimâ victûs ratione, ita, ut alvus ſit lubrica quotidie, vel naturâ, vel arte: omnis *Diæta.* cibi repletio caveatur, præcipuè flatulenti; abſtineatur à vociferatione & motu nimio; nutrix utiq; flatulenta vitet; uti ſunt legumina frigida & aquoſa, craſſa, cruda. *Cura.* *Curam* quod attinet, præter olea, emplaſtra, cataplaſmata, ligatura totum abſolvet opus. Vide ea, quæ de *Tumore Umbilici* dicta ſunt.

Ani procidentia. *Ani procidentia*, poſt nimiam ventris lubricitatem, pueris ſæpiſſime contingit, ab humiditate nimia, aut reſolutione ſphincteris, aut ab ani inflammatione, unde muſculi nimium diſtenduntur, proveniens. *Ejus Cauſa, Signa.* *Signa* ſunt dolor, tumor, tenſio: ſi ſit ob præteritam nimiâ alvi lubricitatem aut humiditatem, ex quibus ſuit orta debilitas & reſolutio fibrarum & nervorum, adeò, ut ipſum inteſtinum ſurſum ampliùs retrahi non poſſit; ad oculos prominentia patebit. *Prognoſis.* Semper ea quæ citra inflammationem fit, ani procidentia faciliùs curatur. *Cura per Diætam.* Victûs ratio inſtituenda eſt ad calidum & ſiccum vergens, niſi obſtet inflammatio, quam priùs tollere convenit: caveatur motus inferiorum partium. Si abſit *Medicamenta. Balneum.* inflammatio, proderit balneum adſtringens ex *roſis*, *balauſtiis plantagine*, *equiſeto*, *fol. rubi*, *quercûs*, *menthâ*, *acacia*, *radic. ſymphyt major.* in *aqua fabrorum*, vel *vino ſtyptico* coctum: in egreſſu applicetur *pulv. cochlear. oſtreorum calcinatorum* ſupra bombacem, qui vehementer exſiccat; eoq; feliciter uſi ſumus. Aliqui tantûm utuntur *ung. Comitiſſ.* quamvis *Unguentum.* unctuoſa religiosè ſint adhibenda. Noſtrates *ipſius pueri urinam* applicant, *Urina pueri applicata ſiccat.* quæ ob ſalſedinem ſat potenter exſiccat: ne verò anus, ubi ſemel repoſitus eſt, denuò excidat, probè deligandus eſt, cruribus inter ſe devinctis. Si fit *ab inflammatione*, *ab inflammatione.* victus debet vergere ad humidum & frigidum, temperatè tamen in principio: in ſtatu enim ad calidū vergat oportet: convenit inunctio in principio ex *oleo roſar. calido*; in ſtatu deinde ex *camemelino* & *anethino*; item *balneum aquæ dulcis*, in quo *hordeum* & *camomilla* bullierint. Nota: quòd in utroq; affectu, ante repoſitionem, anus inungendus ſit *oleo roſaceo*, & *pulv. roſar. balauſtior.* vel *aloës*. *Quid faciendum ante repoſitionem.* Aliàs:

℞. *Vitellum ovi unius coctè, tragacanth.* ʒij. *Linimentū.*
Diſſolve eum *ol. roſaceo*, addendo aliquid *pulv. roſar. rubear.* M. F. Linimentum: eſt confortans & adſtringens.

Intertrigo quid. *Intertrigo* eſt excoriatio, ſeu attritio cutis in coxarū parte interna, ab urinæ acrimonia, aut immunditie, ob nutricis incuriam orta; quam inflammatio non rarò ſubſequitur, unde febris, dolores, vigiliæ &c. oriuntur: adeoque quantocyus occurrendum eſt. In *cura-* *Curatio per Diætam.*
tione

Digitized by Google

tione victus nutrici ad frigidum vergens præſcribendus eſt, fugiendáque ſunt omnia acria: ut ſunt *allium*, *cæpa*, *raphanus*, *aromata*, *ſalſa*: alvus tam in nutrice, quàm in Infante, ſit quotidie lubrica, vel ſponte, vel arte: infans quotidie, exoneratâ alvo, lavet in *decocto hordei*, *violar. furfur.* & ſtatim à balneo partes modeſtè abſtergantur, & *vino calido* abluantur, vel locus *ſevo cer vino* inungatur, inſperſo *pulvere roſar. rubear.* vel *farinâ*, quæ *infra panes* eſt; quæ etiam prodeſt in exulceratione dorſi & ani. Vel *ungatur* pars affecta *ung. alb. Rhaſis*, vel *de liquiritia*, præcipuè ſi adſit inflammatio: quod etiam in eryſipelate Infantis prodeſt plurimùm, &; cotone molliuſculè interpoſito, quieſcat Infans. Ut urinarum intemperies corrigatur, ſangvis & lac nutricis per refrigerantia, ſive juſcula, herbis refrigerantibus alteratâ, emulſiones &c. alterentur.

Inunctio. Farina inferiori panum cruſta adhærens optimum [illegible] remedium.

Caput. XXX.

De Scabie Infantium.

Scabies Ejus Differentia.

INfantes, ob habitûs raritatem, concipiendæ contagioſæ ſcabiei adultis ſunt capaciores: in hac autem durior cutis adeſt & rubicunda, ex qua puſtulæ cum pruritu oriuntur, quædam humidiores, quædam ſicciores. Alia ſcabies eſt magis ſuperficialis; alia magis profunda & exedens. Si furfurea ex ſe corpuſcula edat, cùm pruritu, materiâ ſcilicet inter duas cutes aggregatâ, cum corporis colliquatione, *Pſora* vocatur. *Cauſa* in Infante interdum excitatur per contagium, vel, ſi ille lac ſugit, propter cibos à nutrice ingeſtos ſalſos, & nimis calidos, & aromata acuta, amáraque. Cùm autem una ſcabies ſit *humidior*, altera *ſiccior*; duplex quoque erit Indicatio; *humidior* enim generatur à ſangvine, cum admixtione phlegmatis ſalſi: *ſiccior* verò fit à ſangvine bili flavæ commixto. *Signa* ſunt pruritus, cutis rubicunda, & puſtulæ quædam latæ, quædam eminentes, à quibus ſanies interdum glutinoſa, interdum tenuis, fluit: major autem eſt pruritus in eminentioribus, quia à calidiore humore generantur; quod in lactis puſtulis non fit: nam ab humore minùs acri generantur. *Prognoſis* eſt, quòd ſcabies excorticata multiplicatur in autumno, & ſcabies fœda attrahit exituras, & permutatur ad impetigines, inducitque corporis colliquationem. *Curam* quod attinet, in ſcabie humida victus ad frigidum & ſiccum vergat; in ſicca parum declinet ad humidum: nutrix ſeſe exerceat, ſomnum vitet diurnum; alvus illi ſit lubrica; *endiviam*, *lactucam*, *ſpinachiam*, *cichoreum* comedat, fugiat aromata, ſalſa, oleaginoſa, acuta, & acria, vinum item generoſum, veſcatur cibis euchymis & facilis diſtributionis: quoad *curam*, à purgatione initium ducere oportet, vel priùs ita præparentur humores:

Pſora. Cauſa. Humida. Sicca. Signa diag.

Prognoſ. Diæta. Curatio.

Digeſtivum.

℞. *Herb. fumar.*
endiv.
cichor.
borrag.
lupulor.
epithym. ana mj.

Bulliant in ſ. q. *ſeri lactis caprini*, ad tertiæ partis conſumptionem; cui addе *ſaccbari albi* q. ſ. iterum fiat una ebullitio: ſervetur ad uſum: doſis pro nutrice ℥vj. quatuor diebus continuis: deinde purgetur:

Pilul. ad ſanguinis depurat.

℞. *Maſſ. pilular. de fumo terræ*,
extract. agar.
cochiar. ana ℈j.
pulver. Syrii gr. xv.

Cum *ſyrup. de fumaria* F. Pilul. num. xi. inaurentur pro una doſi. Si verò Infans ablactatus fuerit, decoque *fumariam* in *ſero lactis*, & decoctum cum *ſaccharo* quatuor diebus exhibe; vel ſolo *ſyrupo de fumaria* contentus eſſe poteris. Deinde expurgari poterit *ſyrupi florum Perſicorum*, vel *roſar. moſchatarum*, vel *roſar. ſolut.* ℥iß. vel ℥ij. Nota: nunquam unctiones eſſe faciendas ante ſufficientem purgationem; aliàs accidit, quod Trincavellius, *lib. 2. de curand. partib. affect. cap. 6.* eveniſſe puero 12. annorum meminit, qui in convulſiones, unà cum patre ſuo, incidit, unctione ſcilicet factâ ex *reſina laricea*, *ſale*, *vitellis ovorum*, & *ſucco limonum*, ante purgationem. Factâ itaque vel nutricis, vel Infantis, præparatione & purgatione debitâ, illinatur Infans lenibus *Unguentis*: ut;

Alterantia. Purgatio ſemper præcedat unctiones.

Externa Unguenta. ℞. *Succ. lapath. acut.* ℥iij.
ol. nuc. ℥j.
picis ℥ß.
M. & bulliant lento igne,
colatur, adde
ſulphuris ſubtiliſſ. pulver.
tartari, ana ʒj.
M. F. Ung.
In *ſicca* verò ſcabie

In ſcabie ſiccat ℞. *Ceruſſ.*
amyli,
radic. anchuſæ, ana mj.
ceræ,
olei, ana ℥ij. *anchuſam* unà cum *oleo roſaceo elixa*; dein reliqua adjice: F. Linimentum. Vel ſolo *oleo ſulphuris* calefacto inungatur.

Humida. Si ſcabies eſt *humida*:
℞. *Ol. roſac.*
laurin. ana ℥ij.
pulv. nitr.
ſulphur. ana ʒj.
ſtyrac. ʒß. M. F. Linimentum.

Remed. Hollanderum. Ad tollendum pruritum Hollandi partem abluunt *aquâ marinâ*, vel *aceto*; deinde *aquâ calidâ* lavant, ne dolor inferatur. Vide plura in *Tract. noſtro Chirurgico.*

CAPUT. XXXI.
De Febribus Infantium, præcipuè de Hectica.

Febres. INfantes febribus frequentiſſimè vexari, quotidiana docet experientia: *Ephemerâ* à ſtomachi cruditatibus, *Ephemera ſtomachica.* quæ ſeſe aliquando ad plures dies extendit, vulgò Magenfieber: *Hecticâ*, tertianâ, quotidianâ, rariùs quartanâ, ſynochis item putridis, febribus malignis, petechialibus & peſtilentialibus, æquè ac adulti, laborant. *Febris dentitionis.* In *dentitione* autem, ex cruciatu pruriginis gingivarum, unde inflammatio ſuboritur, febris cauſatur. *Signa.* *Signa* ſunt vigiliæ, calor ad tactum, & frequentia pulſûs. *Prognoſtica.* Febris hujus curatio facilis eſt: nam ſolâ inſtitutâ & benè ordinatâ diætâ, ceſſante dentitione & inflammatione, etiam ceſſat febris. *Cura.* Nutrici itaque victus imperetur ad humidum & frididum vergens, eſitet in ferculis *lactucam*, *endiviam*, *acetoſam*, *ſpinachiam*, *portulacam*, *atriplicem*, *hordeata* &c. *emulſiones* bibat. Item ſumat *ſyrupos* ex ſuccis earum herbarum confectos, cum earum aquis in Julapii formam redactos. Si autem *febris ceſſante dentitione non ceſſaret*, *Si poſt dentitionem perſeveret Febris.* exhibeatur *pulv. ſpec. de gemm. frigid.* ℈ß. vel, ad aliqualem alvi ſubductionem, clyſteres applicentur: vel cochlear unum *ſyrup. roſar. ſolut.* puello propinetur. Quies Infanti procuranda, quia vigiliæ calorem augent: idem de dolore ſentiendum. Vomitus item, per quem vires plurimùm debilitantur, compeſcendus eſt. De his vide *propria capita*. Infantes quoq; *Hectica* febre cum tabe laborant: *Hectica. Ejus Signa.* patetq; ex atrophia totius, calore à paſtu, ſiti, tuſſiculâ. *Cura.* Ad *curam* inſtituendam victus nutricis ſit humidus & frigidus, *Balnea.* Infans frequenter lavet in *balneo lactis*, vel *decocto hordei*, tepidiſſimo, deinde à balneo ſpina dorſi *ungatur unguento reſumpt. Fernel. refrigerant. Gal.* & *oleo roſaceo* mixtis. *Unguenta.* *Pulveres ad pulticulas.* Pulticulæ, ex *amylo* confectæ, inſpergantur *pulver. Haly ad tabem*, item *pulv. anonymus*, vel *analepticus*. *Febris ſtomach.* Si febris ſit tantùm *ſtomachalis* ex cruditatibus, detrahatur de cibo ordinario: nam abſtinentiâ commodiſſimè curatur hæc febris; licet, ad ſtomachum roborandum, ventriculi orificium inungi poſſit *ol. nuciſt. abſynth. maſtich.* &c. *Putrida & maligna.* Si febris putrida & maligna fuerit, *pulv. ſpec. de gemm. frigid.* & *de hyacinth.* aliquid addatur, *lapid. bezoardic. orient.* vel *unicornu veri*. *ad Convulſionem.* Quòd ſi, ob terriculationes in ſomno, *convulſio* metuatur, addi quoq; poterit aliquid de *magiſterio unicornu foſſilis*, vel de *pulvere Marchionis Epileptico*. Plura vide in *Tract. noſtro de Variolis & Morbillis*: item abunde *ſub finem Tractatûs de Febribus* de his egimus.

CAPUT XXXII.
De Ambuſtione.

Ambuſtio. SÆpiſſimè contingit, ut per nutricum incuriam Infantes *urantur*, *Ejus* unde turpiſſimæ ipſis totâ vitâ remanent cicatrices. *Signa. Cura.* Affectus quoad *ſigna* eſt notiſſimus. Inſtitutâ itaq; convenienti diætâ, ad humidum ſcilicet & frigidum vergente, ſequens, quod multis hactenus uſui & emolumento fuiſſe experti ſumus, ordinetur:

℞. *Alb.*

Remedium Topicum ad ambuſta celebre.

℞. *Alb. ovor.* num. ij.
ol. roſat. ℥ij.
aq. roſat. ℥j.

M. & omnia ſimul optimè conquaſſentur: deinde panniculus albus ſubtiliſſimus priùs dicto linimento immergatur, & loco ambuſto applicetur, nec, priusquam convaleſcat. Æger, amoveatur, ſed dum ſiccatus fuerit pannus, plumâ, in eadem mixturâ intinctâ, madefiat, donec omnino ſanetur, quod plerumq; quarto ambuſtionis die contingit, & tum, ad magis conſolidandú, loco *albuminum*, conquaſſentur in dicto linimento duorum *vitella ovorum*, & inunctio, ut antè, perficiatur, ſeu adminiſtretur, donec novæ cutis regeneratio facta fuerit: tunc panniculus forfice paulatim reſcindatur, & nec minima quidem apparebit cicatrix. Noſtrates applicant *ung. alb. Rhaſis*, vel illud quod conficitur ex *cortice mediano ſambuci*, & *butyro Majali*. Vulgares ſolum *atramentum ſcriptorium* applicant. Plura vide apud Aetium, Paulum Æginetam, Pigræum, Paræum, atq; in *Chirurgiâ noſtrâ*. Et hæc ſunt, quæ, Divinâ aſpirante gratiâ, quàm breviſſimè, de *Puerorum morbis*, tradenda putavimus.

Unguenta.

TRACT. IV.
F I N I S.

TRA-

TRACTATUS QUINTUS

CHIRURGICO-MEDICUS,

Seu

De Chirurgicis adminiſtrationibus; cum appenſo CHIRURGI EXAMINE.

Caput I.

De Chirurgia Definitione, & Diviſione.

Chirurgia magna neceſſitas.

INexplicabilem Chirurgiæ neceſſitatem, & neceſſariam Medico ejus notitiam eſſe, ſempiternâ nominis ſui gloriâ, & monumentis, tam Arabes, quàm Græci, tradiderunt; quibus ſua licet, & ſumma fuerit, in ſtabiliendis Chirurgiæ præceptis, induſtria & laus: ſua tamen Poſteritati non minùs remanet gloria, quæ ad illorum inventa maximam fecit acceſſionem.

Definitio.

Eſt itaq; *Chirurgia ars, quæ præcipuè manûs operâ, & artificio, corporis humani morbos, ac vitia, propellit, illudq́ſanum conſervat:* eſtq́ue *duplex: Theorica*, & *Practica*.

Diviſio Theorica:

Theorica eſt, quæ acquiritur per cognitionem præceptorum Artis: eámq; citra Praxin peritus habere poteſt Medicus.

Practica.

Practica eſt, qua eorum, quæ inventa ſunt, ſcientiam, ac rationem manuali operâ rectè, ac promptè perficimus.

Partes.

Partes Chirurgiæ *duplices* ſunt: *generales*, ac *ſpeciales*: quoad partes *generales*, exercet operationes ſuas vel in partibus duris, vel mollibus: partes Chirurgiæ ſpeciales ſunt, quatenus operatur circa tumores præter naturam, plagas, ſeu vulnera, ulcera, fracturas, luxationes, &c.

Subjectum. Finis.

Subjectum eſt corpus humanum: finis ſanitas: hanc aſſequitur tribus præcipuè exercitiis: continuum ſcilicet dividendo, diviſum conjungendo, ſuperfluum demendo. Præſuppoſitâ itaq; rerum naturalium, & non-naturalium, ex *Inſtitutionibus noſtris*, cognitione, ab iis, quæ ſemper in Praxi occurrunt, Chirurgiæ adminiſtrationibus, incipiendum eſſe conſultum putamus; ut iiſdem, velut aptatis inſtrumentis, quâvis opportunitate uti convenienter poſſimus. Eæ autem ſunt *Sanguinis miſſio* per venam ſcilicet, & per arteriam, tum *Hirudines*, *Cucurbitulæ*, *Scarificationes*, *Veſicatoria*, *Cauteria*, &c.

Adminiſtrationes Chirurgicæ.

Caput. II.

De Sanguinis Miſſione.

Sanguinis miſſio quid.

GAl. *2. aph. 17. ſanguinis miſſionem*, ait, *univerſaliter omnes humores ſimul, æqualiter, & derepentè, è corpore adimere*; non ſicuti à medicamento purgante, à quo ſemper priùs educitur is, qui vel medicamento eſt magis familiaris, vel naturæ magis erat infeſtus,

infeſtus: in ſangvinis autem miſſione nullus eſt delectus, ſed omnes humores *æqualiter*, tam putridi, quàm non putridi, tam ſangvis, quàm bilis, vel pituita evacuantur. Dicitur item *univerſalis* evacuatio, quia ex toto corpore trahit, ita, ut per eam totus è corpore ſangvis exhauriri poſſit: non tamen æqualiter ex omni loco evacuat venæſectio: nam meliùs à propinquis, quàm à diſtantibus, & ab iis, quæ è directo per fibras rectas reſpondent, quàm ab aliis, quæ è transverſo ſunt, educit partibus. Per particulam *derepente* excluduntur perſpiratio, alvi ſubductio, & criticæ evacuationes: hinc etiam derepentè dolores ſedat, vires oppreſſas ſublevat, caloris nativi ventilationi, ſpirituúmq; commeatui ſervit, impendenti vitæ diſcrimini, apoplexiæque imminenti ſubvenit. Nec eſt hîc, quòd Eraſiſtratos, aut Helmontios, Venæſectioni inimicos, imitemur; ſed ipſius naturæ veſtigiis diligenter Medico, ejus miniſtro, inſiſtendum eſt, quæ per varias in morbis hæmorrhagias viam nobis ſatis præmonſtrat: quin & totum *ejus*, in febribus ſcilicet, & inflammationibus, *fundamentum* conſiſtit in rarefactione, per quam ſangvis, non ſecus ac aqua, in cacabo calefacto, ad tertiam quantitativè partem, accedente, per febrim, vel quamvis inflammationem, calefactione, majorem occupat locum: hinc vaſorum diſtenſio, dolor, ipſius ſangvinis extravaſatio, putredo partium, inflammatio, corruptio, ſubſequitur: quæ ſangvinis miſſio, ut Ægroto proſit, tanta eſſe debet, ut ſangvinem rarefactum ad priorem reducat quantitatem. Hinc patet, in hac Medicinæ parte plus, & in pluribus, quàm in reliquis, à Medicorum vulgo hactenus delictum eſſe. A plenitudine, ſeu plethorâ, Venæſectionem indicari, paſſim à Gal. traditum eſt: & cùm plenitudo (ut ex *Inſtit.* patet) duplex ſit, ad vaſa, & ad vires; in utraque Venæſectionem convenire aſſerimus: idque probat etiam Gal. *l. de ſang. miſſ. c. 9.* *Plethora* autem *ad vires*, quæ mitiorem, quàm ad vaſa, requirit evacuationem, non eſt, uti facit Valleriola, cum cacochymiâ, à quâ venæſectio non per ſe indicatur, confundenda: ſi autem affectus ſit phlegmonoſus, adſitque plethora cum cacochymiâ; utraque, & venæſectio, & purgatio, conveniunt: eſtque à venæſectione incipiendum; procuratâ tamen concoctione, & ſubductâ alvo, per enema, ne crudioris ſucci portio in ſangvinis locum rapiatur, vel exhauſta corporis vaſa à fæcibus aliquid exſugant: ſecundum Averrhoem, *7. colliget c. 7.* *Cauſæ* autem, ob quas Venæſectio celebratur, præcipuè ſunt 6. vel ratione *evacuationis*, vel ratione *revulſionis*, vel ratione *excitationis*, uti in ſoporiferis affectibus, vel ratione *derivationis*, vel ratione *alterationis*, vel *attractionis gratiâ*; ut in menſibus procurandis. Venæſectionis itaque *ſcopi* ſunt plenitudo, morbi magnitudo præſens, & futura, viriúmque, & facultatum, præcipuè autem vitalis, robur, ſimiliter præſens, vel futurum: morbi autem, quos Venæſectio impendentes arcet, & præſentes ſanat, ſunt febris ſynocha putrida, & non putrida, omnis febris continua, cujus putredo eſt in majoribus venis, vel in partibus, cum redundantiâ; teſt Gal. *2. meth. c. 15.* Quòd ſoli cacochymiæ per ſe non conveniat Venæſectio, dictum eſt, niſi parcâ manu, ratione refrigerii; ut patet ex Gal. *8. met. c. 4.* ubi ait, quòd prohibitâ tranſpiratione fiat putredo humorum in vaſis, quæ, etiam abſente plenitudine, ſi non obſint ætates, venæſectione tollenda, ne majores fiant obſtructiones; modò non adſit magna humorum cruditas, in quâ Gal. *12. met. 3.* venæſectionem prohibet hiſce: *Ergo febricitare incipiunt nonnulli, ubi maxima cruditas & humorum copia* &c. *Nulli talium ſangvis mitti ſine maximo diſpendio ſolet.* Hîc tamen Gal. videtur intelligendus de cruditate in primis viis exiſtente: nam *lib. de ſang. miſſ.* ait: in quibus adeſt crudorum humorum copia, venæſectio partiri debet in plures vices, & interim danda ſunt incidentia medicamenta: in hydrope autem non convenit, niſi fiat à retentis menſtruis, vel hæmorrhoidibus: in ſputo ſangvinis, in hæmorrhagiâ quavis, convenit in parte adversâ, revulſionis gratiâ. In febribus intermittentibus quibuslibet *convenit* venæſectio, ſi adſit plethora: in quartanâ tamen frequens venæſectio hydro-

Novum Venæſectionis fundamentum, præcipuè in febribus.

Plethora ad vires etiam requirit Venæſectionem.

Cauſæ: 6.

Scopi Venæſectionis.

In quibus morbis conveniat.

hydropem accerſit: licet enim ratione caloris febrilis aliquomodo conveniat; ratione tamen cauſæ ejus frigidæ, utpote melancholiæ, non convenit, adeóque parcè celebranda eſt. In omni inflammatione tamen partium tam internarum, quàm externarum, in dolore magno cujuscunque partis, in fracturâ, luxatione, magnâ contuſione, vulnere, ictu, caſu, repentinis animi motibus, in phrenitide, apoplexiâ, lethargo, epilepſiâ, *convenit;* eſtque major neceſſitas morbo præſente, quàm imminente.

Quomodo in malignitate.

Nota: quòd, ſi in febribus magna adſit malignitas, parciori ſemper manu vena ſecanda ſit, eò, quòd ſupponatur facultas vitalis valde debilis, à malignitate infeſtata plurimum.

De Venæſectione Puerorum.

Exiſtimarunt Antiqui, *Pueros* ante 14. annos venæſectionem ferre non poſſe, eò, quòd duplicem evacuationem, reſolutionem ſcilicet maximam, quæ fit in eâ ætate, & venæſectionem, tolerare non poſſint: hoc tamen ſæculo etiam in ſexennibus, octennibus, & decennibus, ſummâ cum utilitate exercetur: quin & Avenzoar puerum ſuum trimum venæſectione à morte liberavit. Celſus, *l. 2. c. 10.* ait; in puero firmo, & robuſto ſene, licere ſangvinem mittere. Itaque Hipp. & Galenus, dum prohibent venæſectionem in pueris, ante 14. annum, & in ſenibus, poſt 60. intelligendi ſunt de copioſa venæſectione, & in debilibus: in quibus, ubi neceſſitas urget, ſufficient brachiorum & crurum ſcarificationes, vel hirudinum applicationes, victus tenuis.

Gravidarum.

Ubi tria hæc adſunt, morbi ſcilicet magnitudo, florens ætas, & virium robur, teſte Hipp. *4. de ratione victus in morbis acutis, text. 19.* venam ſecare tutiſſimè licet etiam *Gravidis* mulieribus, à 4. usque ad 7. menſem: immo 14. diebus, & tardius, ante partum, ut faciliùs ſic ſuccedat, admittitur venæſectio, in anginâ item, plevritide, & peripnevmoniâ, in minori tamen quantitate, & repetitis vicibus, præmunitis ungvento Comitiſſæ utero, nec non renibus: huic adſtipulatur Averrhoes, *7. collig. c. 4.* intelligendusque eſt Hipp. dum ait, mulier venâ ſectâ abortit, ubi prædicta tria requiſita non adſunt, vel nimia ſangvinis fit evacuatio. Quin & venæſectio abortum, à plethorâ, aut magno morbo, futurum præcavet: uti à nobis frequenter animadverſum eſt, dum ex uteri hæmorrhagiâ præſentiſſimo imminente abortús periculo, ſectis brachii venis, & retracto ſangvine, fætus, ad debitum usque pariendi tempus geſtatus, fuit illæſus. Nec eſt, quòd objiciat aliquis, ex uteri cervice ſangvinem cum emolumento rejici; multas etiam fæminas per haſce venas, tempore geſtationis, menſtruas illæſo fætu habere purgationes. Nam aſſerimus cum Hipp. gravidis, dum menſes fluunt, fætum eſſe debilem. Non tamen ad quamvis, minimam etiam, plethoram ſecanda eſt prægnantibus vena: ſed aliquando ſufficiunt parcior victûs ratio, inedia, balneum, frictiones, exercitationes, & alia venæſectione viliora præſidia: ſecus ubi magna eſt neceſſitas, & plethora. Quòd ſi fætus ejiciatur mortuus, ſine ulla causâ, ſive internâ, ſive externâ, ſignum eſt, eum à ſangvine fuiſſe ſuffocatum.

Locus.

Locum Venæſectionis in genere quod attinet, licet plethora ex omni venâ depleri poſſit; ex interna tamen brachii dextri, quæ dicitur *Baſilica*, Jecoralis, Axillaris inferior, & *Hepatica*, commodiſſimè fit.

Vena Baſilica.

Deplet hæc itaque in omnibus febribus, præterquam in quartanâ, ubi *baſilica ſiniſtri* brachii ſecanda eſt: & aperta vena *hepatica* celeriter evacuat ab illis partibus, quæ inter claviculas & renes ſunt poſitæ: tardiùs autem id efficiunt *Salvatella*, quæ inter annularem, & minimum digitum, ſitæ ſunt.

Quæ, & in quibus affectibus, venæ ſecandæ ſint.

In recenti renis dextri inflammatione, ſi ſangvinis copia adſit, ex baſilicâ trahendus eſt: item in inflammatione inteſtinorum; quamvis inferiores poplitis, malleoli ſcilicet, venas multi ſvadeant: partibus ſupra claviculam affectis celeriùs evacuat *Cephalica*, ſeu *externa Brachii*, ſeu *Humeraria*: *Cephalica* quidem etiam dicitur, quæ eſt inter pollicem & indicem; ab iis tamen, aliisque partibus tardiùs evacuat: itaque ut dextra dextræ, ſiniſtra ſiniſtræ capitis parti reſpondeat, oportet: uti in hemicraniâ ex *Cephalicâ* fit derivatio; ita in hæmorrhagiâ narium, capitis affectibus, ut phrenitide, delirio, apoplexiâ, vertigine, ophthalmiâ,

Cephalica.

dolore

dolore aurium, dentium, gingivarum, dolente capitis parte *poſticâ*, *vena frontis*, Puppis dicta, *inciſa derivat*: ſolet etiam hæc commodiſſimè in maniâ, & phrenitide ſecari. *Mediana.* *Mediana* cubiti tam à cephalicâ, quàm à baſilicâ participat, adeoque in utriſque, tum ſuperioribus, tum inferioribus malis tunditur. In menſium atq; hæmorrhoidum nimiò profluvio baſilica brachii ſecanda: menſtrua verò ſectione venarum poplitis, *Saphena.* ſeu *Saphenæ*, accelerantur. In Iſchiadicâ, ſeu coxendicum dolore, malleoli *Iſchiatica.* externi vena, *Iſchiatica* dicta, plerunque ubi malum eſt calidum, injecto priùs enemate, juvat; hæmorrhoidum apertionem, præcipuè in iis, qui eas aliquando paſſi ſunt, ad Schiadicam curandam plurimum conferre, multoties comperimus; teſte Galen. & Aetio. In affectibus capitis vena majoris digiti pedis, revulſionis gratiâ, non raro ſecatur. In ictero vena, quæ eſt *inter pinnas naſi* frequenter ſecatur; eſtque in caſtris valde communis hic curandi modus.

CAPUT III.

Quid Ante venæſectionem faciendum: quid ipſo ſectionis tempore: quid poſt: quæ in extracto ſanguine obſervanda: & quodnam opportunum ſit venæſectionis Tempus.

Ante venæſectionem primarum viarum evacuationem præcedere debere, dictum eſt: & quidem per Vomitum, ſi materia ſurſum petat, nihilq; obſtet; vel per *alvum*, ſi illuc materia magis inclinet: ſi tempe in microcoſmi ſentinâ bombi, & murmura exaudiantur: idq; fiet vel Clyſteribus, vel Suppoſitoriis. Si Patiens in more habeat, *tempore venæſectionis* animi deliquium pati, os ventriculi roboretur ſumptâ *micâ panis*, in *vino cyd n.* vel *granat.* intinctâ, vel juſculo optimo: vel ſpongiâ, *aceto calido* imbutâ, muniatur ſtomachus: hæc tamen duntaxat conveniunt, ubi morbus dat inducias: ubi verò morbi ſunt peracuti extremè, hiſce nullus datur locus *Tempore venæſectionis* ſi Æger valdè debilis ſit decumbat, fricetur primò vena, ut ſanguis ſit fluxibilior: dein ante ligaturam exploretur, annon arteria venæ ſubjaceat; id enim poſt ligaturam explorari non poteſt: tribus deinde digitis ſupra locum, in quo ſectio facienda, fiat *Ligatura*, ut ſtagnet, & magis vena protuberet: ſi ſatis appareat vena, minùs ſtringenda eſt ligaturâ, *de Ligaturâ.* quibus verò anguſtæ ſunt venæ, & in altum demerſæ, multaq; carne & adipe obductæ, & denſa ac ſqualida eſt cutis, illis multò arctiùs facienda eſt ligatura: ſtrictiorem etiam facimus ligaturam ubi minorem volumus inferre dolorem, nervis ſcilicet compreſſis: manûs, & pedes, dum eorum celebrari debet phlebotomia, in aquâ diu eſt tenendum, ut ſanguis, per calorem rarefactus, venam magis prodat, & per calorem illuc attrahatur. Si autem vena ad oculum non appareat, major ejus præ reliquâ carne, mollities ipſam manifeſtam reddit; quin & motus ſanguinis *Vena indaganda.* in ipsâ ſentiri poteſt hinc ubi vel ungve, vel atramento, locus eſt obſignandus; diſpiciatur autè probè ne vel vena quædam capillaris, vel tumor flatuoſus, qui in muſculorum interſtitiis frequentiſſimus eſt, vel arteria, vel tendo, vel nervus, loco venæ tangatur. Quando venæ *Sublingualium ſectio.* *Sublinguales* aperiendæ ſunt, faſciâ moderate collum conſtringatur, & ori aquâ calida imponatur, & utraque vena ſecundùm transverſum tundatur. eadem ligatura convenit cuivis venæ ſupra jugulum, per rectitudinem aperiendæ: uti ſunt vena frontis, jugulares, & quæ ſunt in oculorum angulis. Poſtquam hæc apparata ſunt, factaq; eſt ligatura, Chirurgus brachium v. g. unâ manu, vena per pollicem firmatâ, ne abſcedat, teneat; vel etiam, re ſic urgente, factâ duplici ligaturâ, nó impetuoſè, ut Tonſores ſolent, ſed venam magis elevando, modeſtè feriat; majoremque faciat *Apertura quantitas.* *aperturam*, ubi ſanguis craſſior, & in magnâ copiâ eſt extrahendus, & in frigore; minorem verò ubi ſanguis eſt valde ſubtilis; ut in delirantibus; phreneticis, tempeſtate ardentiſſimâ &c. in *flexuris*, *Sectio in flexuris.* uti brachio, poplite &c. ſectio venæ debet fieri per transverſum: extra flexuras verò per rectitudinem. Notandúmque eſt, ſub venâ jecorariâ, ſeu baſilica, latere arteriam; ſub medianâ nervum; & ſub utriſque tendines muſculorum ſubſterni: cephalica etſi minùs emineat, difficiliùſque ſecetur, minus ta-

men habet periculi. Videndum itaq; eſt, ne vel arteria (quæ, ob tunicæ duritiem, & motum continuum, difficulter coaleſcit, & quòd ſanguis arterioſus valdè tenuis, ſaltu proſiliens, vix ſedatur, unde virium proſtratio, anevriſma, & gangræna ſæpius eveniunt) vel nervus, vel tendo, unde dolor ingens, ſtupor, reſolutio, convulſio, tumor excitari poteſt, tangatur. Venâ itaque, uti decet, apertâ, vinculum paulisper relaxandum, digitóque vena ſubinde obturanda eſt, ut, compreſſo halitu, vel excitatâ tuſſi, *ſanguis fluat uberiùs*, vel etiam ut vires recipiat Æger. Si bene impermixti ſanguinis qualitates dignoſcere velis, frequens digitorum motio inhibenda eſt.

Sanguinis fluxus promovendus.

Sanguinis *quantitas* ſit tanta, quantam ferre poteſt Æger, & morbi requirit magnitudo.

Quantum emittendum.

Sanguis *extractus* in pelvibus mundis, loco à vento & Sole libero, *reponatur*. Si ob craſſitiem, aut grumum, non benè flueret ſanguis, vel aquâ calidâ vena eſt illinenda, vel digito fricanda.

Extractus ſanguis ut reponendus.

Animi deliquium imminere, deſignat remiſſior ſanguinis fluxus, pallidus faciei color, oſcitationes, pandiculationes, oculorum vertigines & ſuffuſiones, aurium tinnitus, pulsûs mutatio, nauſea, & ventriculi vellicationes, ſingultus; quæ omnia tam ex timore, quàm evacuatione magnâ proveniunt. Et ſi *præſens* adſit *animi deliquium*, obturato venæ orificio, vires reficiendæ ſunt injectâ ex inſperato in faciem aquâ frigidâ; ſpongia, *aceto roſaceo* imbuta, vel ſacculus, ſeu petiola, ex *caryophyllis*, *cinamomo*, *nuce moſchata*, in eodem *aceto* intincta, naribus offeratur; vel vini generoſi, ſucci mali Punici, vel juſculi boni, modicum Ægro porrigatur, delinquens ſolo æqualiter extendatur, labia illi & gingivæ ſale fricentur, capilli vellicentur, præcipuè tamen (ſalvo pudore) pudendorum pili; palmæ manuum & pedum *rutâ* fricentur. *Poſt venæſectionem* vinculum ſtatim enodandum eſt, manus dilatanda, brachium extendendum, vulnus detergendum & ſiccandum; ſi adeps exiverit, non abſcindendus, ſed blandè iterum reponendus. Et ſi ex eodem vulnere reiteranda ſit venæſectio, aliquid de goſſipio, in oleo intincto, ſuperponatur: ſi minus, ad magis coarctandam venam, vinum auſterum ſubſtituatur, vel, ſi difficulter ſangvis ſiſtatur, nummus argenteus illigetur, & arctè ſupra vulnus, inter 2. linteola, applicetur. Dormiendum autem non eſt, ne langvidus factus calor extinguatur, aut imminuti ſpiritûs in ſomno obruantur calore: cura, & Venus vitentur: horâ unâ, aut alterâ, à ſangvinis miſſione, alimentum evchymum temperanter ſumatur. Quòd ſi tribus, vel quatuor, à ſectione horis de neceſſitate ſomnus ſit concedendus, attendatur, ne Ægroto ligatura venæ ſolvatur, ingensque, & quandoq; lethalis, accedat hæmorrhagia. Brachium eâdem die vehementi motu non eſt agitandum, ne ſangvis, in partem debilem per motum tendens, putrefactionem in eâ, dolorem, & inflammationem excitet.

Signa futuri animi deliquii.
Quid tum faciendum.
Poſt venæſect. quid faciendum.

In *extracto ſangvine ſubſtantia*, *color*, *odor*, *ſapor*, ſunt obſervanda: ſi *ſubſtantia* ſit craſſa, lenta & viſcoſa, difficulter fluit, digitis adhæret, multas habet fibras, & celerrimè concreſcit, & concretus difficulter finditur, obſtructionum author, & caloris exſiccantis ſignum: è contrà ſangvis tenuis minùs concreſcit ac dureſcit faciliusq; finditur: putridus autem nullas habet fibras, nec concreſcit: idem puta de aquoſo. Quòd ſi copioſum ſupernatet *Serum*, vel intemperiei jecoris, vel obſtructionis renum, vel multi potûs, eſt ſignum. *Spuma*, niſi veniat ob fluxûs violentiam, magni incendii eſt index, coloremq; plerumq; refert humoris peccantis. *Color* rubicundus palmam aliis præripit; citrinus bilem; albus pituitam; niger deſignat melancholiam; viridis bilem retorridam; lividus aut plumbeus atram bilem denotat: varietas autem colorum mixtos indicat humores, & morbos complicatos. *Pinguedo innatans* ſangvinis colliquationem ſignificat. Si *grana arenæ* ſimilia adſint, vel præſentem, vel imminentem, præſagiunt elephantiaſin. Malè *olens* ſangvis rarus eſt, & ſummam habet comitem putredinem. Eodem modo ex *Guſtu* amarus cenſetur bilioſus; inſipid, pituitoſus; acidus melancholicus; ſalſus ſalſę pituitę admixt., dulcis optim. cenſetur. Quòd ſi in pedis vel manûs ſectione ſangvis in calidam effun-

Serum.
Spuma.
Color.
Odor.
Guſtus.

effundatur, utiq; ex colore indicari poterit. Nec *Fibra* (uti vulgo fit) Medicum terrere debent; imò, ſi appareant, bonum; ſi minùs, malum: fibræ autem eæ ſunt optimæ, quæ inter ſe cohærent, quæq; tractæ non facilè diſrumpuntur: è contra evidens præbent putredinis argumentum. De ſanguinis extracti ſignis vide plura *in Inſtit. noſtris.*

Tempus venæſectionis. Aptum venæſectionis *tempus* eſt, quando neceſſitas urget, manè ſcilicet, veſperi, meridie, & de nocte &c. v. g. in repentinâ anginâ, ſtrangulatione, vehementi contuſione, caſu, ſangvinis vomitu, enormi hæmorrhagiâ, ubi quis de repentè obmutuit, nervi ſunt reſoluti: ubi verò non tanta urget neceſſitas, uti in febribus intermittentibus, in ipſo paroxyſmo ſatius eſt, abſtinere: exſpectándaq; eſt declinatio: Celſus enim ait, *l. 2. c. 10. In vehementi febris impetu venam ſecare, jugulare eſt.* Huic tamen contrarium feliciter practicari vidimus. Quòd ſi violentus adſit dolor, in ipſius declinatione, dum moras patitur, celebranda eſt phlebotomia: in febribus ſynochis in principio, augmento, & ſtatu, licet venam ſecare; modò abſit malignitas, vireſq; non ſint reſolutæ. Ratione præſervationis commodiſſimum tempus eſt matutinum: in vere, non circa maximos æſtûs, aut frigora. Plura vide in *Lilio Medico* Gordonii, *de phlebotomiâ, c. 6. & 10.* Item plurimas utiliſſimas hac de re quæſtiones *in Praxi noſtrâ* paſſim reperies. Æquum enim, & conſultum maximè, ut venæſectio, quæ Medico quotidiè occurrit, diligentiſſimè trutinetur.

Caput IV.

De Arteriotomia, Cucurbitulis, Scarificationibus & Veſicatoriis: item de Hirudinibus.

Arteriotomia. Quamvis hac hominum ætate *Arteriotomia* parum ſit in uſu, majoréſque arteriæ, ob difficilem conſolidationem, & rationes antè dictas, ſecari non debeant: minores tamen arteriæ, in extremis artubus & capite, cùm facilius agglutinari poſſint, dum præcipuè molli carne ſubſtratæ ſunt, minori, & nullo ſæpe ſecantur periculo; ubi præcipuè aliqua pars vehementi, diuturno, pulſanti, ac pungenti dolore afficitur,

Ubi conveniat.

qui fit ex ſanguine calido, tenui, ac copioſo, in arteriis affectæ partis contento: in vehementi hemicraniâ, & pertinaci capitis, oculorum, aurium, dolore, vertigine, faciei rubore, ſecantur poſt aures: quæ autem juxta malleolos ſunt, in diuturnis & gravibus coxendicis languoribus, ſervatâ partis rectitudine; obſervatiſque iis, quæ ante, in, & poſt venæſect. accuratè ſervanda tradidimus.

Cucurbitulæ applicantur dupliciter: *Cucurbitulæ dupliciter* adhibentur: vel *cum*, vel ſine *ſcarificatione*: trahunt è diſtantioribus partibus ad cutem, idq; efficiunt vi flammæ, & caloris: ideo influentem fluxionem revellunt, hæmorrhagiam undecunque factam è directo, ac contrario loco applicatæ ſiſtunt. V. g. in vomitu ſupra humeros applicantur; contra Venerem in lumbis & natibus; in cruribus pro ſanguinis mundificatione; pro menſib. ciendis in inferiori parte femoris, & cruribus; circa renes contra mictum ſanguinis; in lumbis pro hæmorrhoidibus provocandis; contra urinę ſuppreſſionem ſupra renes, deorſum trahendo (cavendo tamen, ne eos deglutiant: difficillimè enim, & vix ſine damno, aufferuntur: hinc vel ſpongiis calidis fovendæ ſunt, vel perforandæ) ſupra hepar contra icterum; ſub mento pro odontalgia; in hæmorrhagiâ infra mammas appoſitæ ſummo ſunt adjumento: in narium hæmorrhagiâ regioni hepatis, & pedibus, affixæ præſentiſſimum afferunt emolumentum: flatuoſam materiam in aliquâ parte hærentem diſſolvunt & diſſipant, nec vires ullatenus debilitant; quin & alimentum ad partem atrophiâ tabidam alliciunt; ſanguini ſtagnanti motum faciunt; ut videre eſt in apoplecticis, dum futuræ applicantur coronali: dolorem ſtomachi, & inteſtinorum, à flatibus ortum, incantamenti inſtar reſolvunt. Cucurbitulæ *ſcarificatæ* habitum corporis validiùs, quàm non ſcarificatæ, expurgant: ſed nec in morborum principiis, nec pleno & impuro corpori, nec nimium æſtuanti, nec debili, ſunt affigendæ: regioni pectoris in febre ardente affixæ jugulant; quin & capiti intempeſtivè applicatæ lethargum, mentis ſtuporé, oculorumq; procidentiam excitant. Ventoſæ magnæ, in febribus malignis, lumborum regio-

Ubi, & ob quam cauſam.

Scarificatæ.

 ni

...ni applicatæ & ſcarificatæ, eventilationem ſummam faciunt: *Modus applicandi.* *Applicandi modus* eſt balneatoribus notiſſimus: fricanda ſaltem eſt pars bene linteis calidis, ut ſanguis ad eam attrahatur, & fluxilior reddatur: dein cucurbitulæ, aquâ calidâ prius madidæ, ſunt affigendæ. *Scarificandi.* Fiunt autem *ſcarificationes* vel *ſuperficiales*, vel *profundæ*: hæ proveniunt uſq; ad ipſam cutim, carnemq; feriunt; illæ verò cuticulam tantùm perforant. De profundis ſcarificationibus intelligendus eſt Aëtius, ubi dicit: *ſcarificationi præmittendam eſſe univerſalem corporis evacuationẽ.* *Uſus.* *Uſus* itaque ſcarificationis eſt, ut humorem in parte contentum, vel copiâ, vel qualitate peccantem, evocet, & evacuet, ut ſcilicet calorem ventilet, qui ad materiæ copiam ſuffocatur, ſicuti in gangrænis & ſphacelis evenit, ut revellat, derivet, evacuet: ut in oculorum fluxione, capitis, thoracis, faucium, affectibus: & à quò remotiori parte humores trahere mens eſt, eò ſemper ſcarificationes ſunt profundiores faciẽdæ.

Hirudines. Quòd *Hirudines*, ſeu *ſangviſugæ*, in debilibus venæſectionis ſint vicariæ, variisq; corporis venis pro revulſione, derivatione, & evacuatione, applicari poſſint, antè dictum eſt: hæ morſum triſidum infigunt, cumq; ſat profundum; etſi muſculoſis tantùm partibus applicentur, ex ipſâ tamen parte; ſi verò ipſis venis, ex longinquis etiam trahere poſſunt partibus, poſtquam verò ſaturatæ, & impletæ, deciderunt, ſanguis fluere nondum deſinit: *Quibus morbis conveniant.* magis autem *convenit* earum applicatio morbis cutaneis; ut in ſcabie, vitiligine, impetigine, ad faciei ruborem, elephantiacorum tubercula, &c. in hæmorrhoidibus, ſeu venis ani reſerandis. Antequam applicentur, *Præparatio earum ante applicationem.* *præparari*, ſeu mundari debent, ut à venenata quadam qualitate liberentur; nempe eas in aquâ dulci, ſæpius renovatâ, aliquot diebus reſervando, & deniq; per medium diem ſine omni aquâ relinquendo; ut nempe jejunio inanitæ avidiùs trahant: *Locus applicationis.* *pars* cui applicandæ ſunt hirudines, linteis aquâ nitroſâ madidis bene eſt abſtergenda; dein aquâ dulci eluenda & ſiccanda; deniq; aliquot ſanguinis columbini guttulis irroranda, vel ſaccharo pulveriſato fricanda; poſtea eæ ſive per fiſtulas, ſive per cucurbitulam, ſive manu ipſâ, parti ſunt affigendæ, nec priùs ſunt removendæ, donec ipſæ per ſe *decidant*: nam violenter avulſis illis caput parti affixum relinquitur, gravioris mali cauſa; *Hirudines ut procidant.* quòd ſi tamen, ob ægroti debilitatem, earum maturare velis caſum, nitro, vel ſale, vel cinere pauco, eas inſperge, & protinùs decident. Poſtquam deciderunt, ſi vis, ut ſanguinem revomant, eas iterum ſale conſperge, & ſtatim ſanguinẽ rejicient. Hinc vel partem ſpongiâ, aquâ calidâ imbutâ, fove, vel in vapore aquæ contine, ut per calorem exiguum illud foramen maneat apertum: *Ut diutius fluxus ſanguinis promoveatur.* quod ſi caſu ante tempus coaleſcat, cucurbitula parti affixa promovet fluxum, & à remotioribus partibus trahit: ſi verò ſanguis diutius, quàm par eſt, flueret (permittitur autem fluere per unam, duas, vel vel tres horas; prout Patientis ferunt vires) *Ut ſiſtatur.* *linteum combuſtum* parti bene abſterſæ, vel *gallam uſtam*, vel *goſſipium uſtum*, applicamus: vel *pulv. bol. Armen. terræ ſigillatæ, calcinationis cochlear. oſtrear.* ſupra goſſipiũ albumine ovi madidũ ſupponim. *Hirudo in anum elapſa.* Quòd ſi, quod timore potiùs, quàm periculo eſt plenum, caſu hirudo anum irrepſerit, digito ſtatim eruenda eſt, vel aquâ ſalsâ, clyſteris modo injectâ, quamprimùm elicienda.

Cauterium. Optimum etiam evacuationis genus eſt *Cauterium*. Nam ſicut agricolæ arborem ſterilem, & peſſum euntem, crebrò perforant, coctoq; in foramen peſſulo, ichoroſum quendam extrahunt humorem, arboris deſtructivum, ſicque eam priſtino reſtituunt vigori: ita & homini labaſcenti cauterium, velut nova imponitur ſentina. Cauterium autem eſt *Duplex. Actuale.* *duplex*: *actuale* ſcilicet, & *potentiale*: *actuale* eſt, quando ferro candenti pars, ubi cauterium eſt applicandum, inuritur, vel pars lancettâ, aut raſorio, ſecatur: *Potentiale. Corroſivum.* *potentiale* verò eſt, quando *Corroſivum* applicatur; quod non ita in inſtanti operatur, ſed poſt unam aut alteram horam. *Locus applicandi.* Cauteria applicanda ſunt in interſtitiis muſculorum, non in eorum tendinoſis partibus, ad vitandos, qui inde ſolent oriri, ſummos dolores: in brachio, pro omnibus capitis, colli, pectoris, affectibus, quinque digitis à flexurâ, inter muſculũ deltoidẽ, & bicipitem: in crure, ubi faſciæ crurales ligantur, inter ſuperiorẽ partẽ muſculi ſemimembranoſi, & tibiæ: in capite ſupra coronalem

ſutur

futurum, id eſt, longitudine digiti extenſi ſupra naſum, contra phthiſin. Cauterium autem quò magis eſt candens, eò minorem affert dolorem: nec illo tantùm ad efficienda hæc vulgaria emiſſaria, ſed etiam ad ulcera cacoethica, ſupercreſcentias carneas, gangrænas, hæmorrhagias, tanquam remedio unico, utimur: nam citiſſimè malignum illum & corrodentem exſiccat humorem, partique robur & ſiccitatem conciliat, hiantia venarum & arteriarum orificia exſiccat & conſtringit; quin & illo, quem Patienti incutit, horrore inſignem facit ſanguinis ad intrà refluxum. Cauterii applicandi *Tempus* aptiſſimum eſt declinatio Lunæ, ne ita copiosè recreſcat ſpongioſa caro. *Poſt* cauterii *applicationē* pars eſt *butyro recenti*, vel *ung. baſilico minore*, inungenda bis de die, uſq; ad eſcharæ decidētiam; quæ ſi diuturniorem trahat moram, cruciatâ inciſione eſt ſolvenda, & paulatim extrahenda, piſumq;, vel globulus ex ligno hæderæ, vel cera, vel, ad magis provocandum fluxum, ex radice ireos factus imponendus eſt, cum emplaſtro, ex ſevo cervino, oleo roſaceo, & cera citrina facto. Quòd ſi non *bene fluat* ſanguis, cucurbitula, ſemel in ſeptimanâ loco cauterizato applicata, mirum facit emolumentum: aliqui imponunt pilulam unam ex extracto catholico, vel agarici, cum particulâ extracti colocynth. vel elaterii: ego radicem ireos reliquis præfero. Ad cauterii, diu jam geſtati, *clauſuram* non facilè conſentiat Medicus, niſi ætatis magnū habeat adminiculum: vel vicarias ſingulis menſibus ſubroget evacuationes, ſive per purgationes, ſive per ſudores, ſive per alia loca.

Effectus.

Tempus.

Quid poſt applicationē faciendum.

Fluxus eo promovendus.

Quando claudendi.

Ultimum, in adminiſtratione Chirurgica, obtinent locum *Veſicatoria*, quæ ſuperficiariam magis, quàm cauteria, habent operationem; fiuntq; ordinariè ex *fermento*, *aceto forti*, & *pulvere cantharidum*: applicantur autem ſupra carpum, in parte muſculoſa brachii; inque crure, quatuor digitis ſupra malleolum interiorem; in dextrâ & ſiniſtrâ nuchæ parte; vitando ſemper dorſi ſpinam, in quâ applicatæ, veſicæ urinariæ inflammationem, urinæ ardorem, & graviſſima, ex proprietate cantharidum, afferunt ſymptomata, non, niſi multis emulſionibus ex ſem. frigidis majoribus, cum aliquâ *ſeminis fœniculi*, cantharidum alexipharmaci, quantitate curabilia. Antequam itaq; Veſicatoria applicentur, *pars* aceto calido priùs rubificanda, & bene fricanda; dein appoſita Veſicatoria 7. vel 8. horis, ut bonam habeant operationem, relinquenda; dein removenda, veſiculæ abſcindendæ, locúſque leniendus eſt braſſicæ folio, per aquam bullientem prius tracto, vel in eam intincto, & butyro non ſalito incruſtato; ſingulis octo horis, ut præcaveatur gangræna, in hiſce ſæpius evenire ſolita, renovando. In nuchâ itaque applicantur veſicatoria in omnibus affectibus ſoporoſis majoribus, catarrhis ſuffocativis, dolore oculorum, dentium, capitis, lienis, brachiorum, iſchii &c. carpis & pedibus in febribus malignis, affectibus item ſoporoſis minoribus, & mitioribus catarrhis. Si *mitiora* pro pueris, & delicatioribus, veſicatoria deſideres, ea præparare poteris ex ſolo *ſemine naſturtii*, cum *aceto* incorporato, vel *fruſto carnis bovinæ crudæ*, eodem ſemine cōſperſo, vel ex *aliis contuſis*, vel ex *herbâ perſicariâ*, aut *flammulâ Jovis*, vel *ſem. ſinapeos*. Nota: ſi ulcera, à veſicatoriis illata, diu fluere deſideres, renovare aliquoties poteris, vel eodem *emplaſtro veſicatorio*, vel *carne bubula*, cui *ſeminis ſinapeos*, vel *naſturtii farina ſuperinſperſa* fuerit; atque ita denuò fluere incipient.

Veſicatoria.

Unde fiant. [illegible] applicandi.

Cantharides veſicæ inimica.

Sem. fœniculi alexipharmacū cantharidum.

Pars præparanda.

Poſt operationem quid faciendum.

Ubi ſint applicanda.

Mitiora.

Promotoria fluxûs.

Caput V.

De Tumoribus præter naturam in genere: eorum Differentiis, Cauſis, & Signis.

TUmor præter naturam, ſeu *Abſceſſus*, eſt ægritudo compoſita ex triplici genere morborum, in unam magnitudinem aggregatorum, actiones lædens. Per triplex morborum genus intelligitur morbus intemperiei, compoſitionis, & continui ſolutionis: & licet intemperies aliquando, ſicut & ſolutio continui, ſenſibiliter non appareat: eſſe tamen non poteſt partis alicujus elevatio, quin illud, quod antè ipſi erat approximatum & conjunctum, in tumore disjungatur ac ſeparetur: ita

Apoſtema, ſeu Abſceſſus, quid.

Digitized by Google

etiam neceſſe eſt, ut pars aliqua, v. g. œdematoſa, tanto inficiatur humore, citra frigidam ipſius intemperiem, ab humore frigido & pituitoſo cauſatam. Si Apoſtemata tantùm tumores majores, cum vulgaribus Chirurgis; minores verò tumores *Exituras*, & *Puſtulas*, nominare volueris. Tecum non pugnabimus.

Quatuor tumorum differentia.

Tumores, ſumptâ à quatuor humoribus differentiâ, in genere ſunt *quadruplices: Phlegmone* ſcilicet, *Oedema*, *Eryſipelas*, & *Scirrhus*: ad quos plurimi alii tumores & tubercula referuntur. Nimirum ad Phlegmonem pertinet *Phygethlon*, ſeu *Panis*, *Phyma*, *Terminthus*, *Dothienes*, ſeu *Furunculi*, *Gangræna*, *Carbunculi*. Ad Eryſipelas autem referuntur *Herpetes*; qui ſunt duplices, *Miliares* ſcilicet, & *Exedentes*, *Ignis ſacer*, ſeu *S. Antonii*, *Puſtula cholerica*, *Phlyctæna* &c. Ad Oedemata referuntur *Atheromata*, *Steatomata*, *Meliceridès*, *Lupia*, *Teſtudo*, *Talpa*, *Ganglium*, ſeu Avicennæ *Glandula*, *Scrophula*, *Struma*, *Hypoſarca*, & cæteræ hydropis ſpecies. Referuntur ad Scirrhos *Cancer*, *Elephantiaſis*, ſeu *Lepra*, *Pſora*, *Verruca*, ſeu *Pori*, *Mirmecia*, *Acrochordones*, ſeu penſiles *Verrucæ*, *Clavi* ſeu *Calli*, *Thymi*, *Cornua*, *Dracunculi*, ſeu venæ famioſæ, item eminentiæ quædam, quas *Puſtulas*, & *Bothor* nominant, *Lepra Græcorum*: quæ non ita profundè cutem depaſcitur, ut elephantiaſis, ſed variè cutem depingit, item *Lichenes*, ſeu *Impetigines*, & ejus ſpecies, *Vitiligo*, ſeu fœdus corporis color, *Vari*, *Epinyctides*, puſtulæ ſublivido colore, fabæ magnitudinem adæquantes, noctu ferè orientes, *Sudamina* ſeu *Papulæ*, *Pſydracia*, *Morbilli*, *Variolæ*, *Exanthemata*, *Papulæ*, *Dartræ*, *Galloca*, *Mentagra*, & *Lues Gallica*, *Puſtulæ glandulosæ*, *Terminthi*.

Relatio tumorum ad quamlibet ſpeciem.

à Partib. corp.

Quidam tumores dicuntur *à partibus corporis*: ut Ophthalmia ab oculis; Synanche à gutture; Phygethlon à parte glanduloſa: quidam dicuntur, à *quantitate*, Magni; quidã Parvi &c. à qualitate, Boni, Mali &c.

Quantitate & qualitate.

Cauſa.

Cauſa tumorum præter naturam ſunt humores in corpore noſtro, vel qualitate, vel quantitate, vel motu peccantes, & partem aliquam ſecundum omnes dimenſiones elevantes, ejúsque actiones mediatè lædentes: idq; vel per *congeſtionem*, vel per *fluxionem*, ſeu *rheuma*. *Congeſtio* eſt, quando non aliunde illùc fluit, ſed ex alteratrice fruſtratâ, vel expultricis vi debilitatâ, vel ab errore externo, in ipsâ parte paulatim congeritur; ſecùs fit in *fluxione*: tunc enim humor non generatur in recipiente, ſeu patiente, ſed mandante; ſeu aliunde illùc derivatur: ut v.g. à capite ad guttur, in ſynanche. Cauſa itaque *phlegmones* eſt ſanguis, *eryſipelatis* eſt bilis, *œdematis* pituita, *ſcirrhi* melancholia, *flatuoſi tumoris* flatus.

Quid congeſtio

Quid fluxio.

Differentia.

Omnis tumor vel eſt *calidus*, vel eſt *frigidus*: *calidus* fit à ſangvine, uti phlegmone; vel etiam à bile, ut eryſipelas, quod alii Ignem ſacrum vocant: *frigidus* tumor eſt œdema, item ſcirrhus, & omnis tumor à ſeroſis humoribus factus. Nec tantùm ſunt *ſimplices* tumores; ſed etiam *compoſiti*, ſeu complicati, qui ex diverſis conſtans humoribus, uti phlegmone eryſipelatodes, conſtans ex ſanguine copioſiori, & bile: ſic eryſipelas phlegmonodes eſt, ubi bilis ſanguinem exſuperat: ita phlegmone ſcirrhodes eſt tumor quidam durus, in quo ſanguis copioſus, cum materia melancholicâ, tumorem facit durum: è contrà ſcirrhus phlegmonodes eſt, ubi materia terreſtris in majori copiâ reperitur.

Fluxionis cauſa.

Fluxionis cauſa paſſim *ſex* numerantur: utpote membri, ſeu partis mandantis robur, recipientis debilitas, materiæ copia & qualitas, meatuum laxitas ſeu amplitudo, propellentium anguſtia; & loci fluxionem excipientis ſitus inferior: quæ tamen ſex cauſæ ad quatuor referri poſſunt: nempe ad partem mandantem, partem recipientem, humoris fluentis conditionem, & ſpatium, per quod fit fluxio.

Fluxionis generatio.

Fluxionis generatio à Gal. *l. de inæquali intemperie*, ſic deſcribitur: Statim defluxione calidâ ad muſculum decumbente, primùm arteriæ majores venæque opplentur, & diſtenduntur, ab iis verò minores; atque ita res procedit, donec ad minimas ſit perventum: in iis, quibus violenta impacta fluxio eſt, & ampliùs contineri non poteſt, pars ejus per ipſarum orificia egreditur; pars per tunicarũ foramina percolatur ad exteriora, atq; exinde fluxione implentur ſpatia vacua, atq; inter-

media

media primorum corporum. Sic omnia ab humore, omniq; ex parte incaleſcunt ac perfunduntur. Sunt autem hæc nervi, ligamenta, membranæ, caro ipſa, &, ante hæc, arteriæ & venæ, quæ ſcilicet & primæ, & præter cætera variè afficiuntur: quippe interiùs à fluxione non tantùm excalefiunt, ſed etiam premuntur ac degravantur: reliquæ verò particulæ aliæ calefiunt tantùm, vel comprimuntur; aliæ utroque modo laborant; atque hic morbus Phlegmone nominatur. Hæc Gal. *Tumorum Cauſæ.* *Tumorum* præter naturam *cauſa* vulgo *tres* numerantur: primò ſcilicet primitivæ, προκαταρκτικαὶ, prægreſſæ, ſeu evidentes: ſecundò antecedentes, ſeu προηγούμεναι tertiò conjunctæ, ſeu συνεκτικαί. *Tumorum Procatarctica.* *Procatarctica*, ſeu prægreſſæ, ſunt, quæ morboſos affectûs crearunt, ut caſus, percuſſio, fractura, diſtenſio, error in victu. *Antecedentia.* *Antecedentes* dicuntur, quæ ſunt paratæ efficere morbos: ut ſunt quatuor tam naturales, quam non-naturalles humores: naturales ſunt, qui ſub maſſa ſangvineâ continentur, & ex quibus 4. illa humorum genera fiunt: non-naturales ſunt mixti ad nutritionem: ſuntque vel excrementa vitioſorum, vel in illa degenerarunt: qui ſi vel profundiores, per ſudores, vel per urinas, vel per alvum, aut alios meatûs, non excernantur, per inſolitas vias, & per emunctoria, vel ad cutim propelluntur, ibidémque varios excitant tumores, exituras, abſceſſus, puſtulas. *Conjuncta.* Cauſæ verò *conjuncta* tumorum præter naturam ſunt materiæ, quæ in ipſâ parte laborante aggregatæ, ſeu infarctæ reperiuntur, quæq; adhuc permanent, poſtquam tumorem excitarunt, durantque quàm diu morbus permanet, & unâ cum morbo tolluntur: videnturque eſſe verè morbus pro materiali. Oſſa etiam quandoque, dum ſitum mutant, tumorem ſeu tuberculum faciunt; quod varia alia efficere poſſunt: ut gummi, polenta, ungves, carbones, pili, gypſea materia, plumbei globi, vermes, lutum, mucus, lapides. *Signa.* Tumores *cognoſcuntur*, dum pars aliqua magis elevata, magis calida, magis frigida &c. unde, quòd actiones ejus læduntur, ad ſenſum apparet. Habent autem tumores, præcipuè ſalubres, *quatuor tempora*: *4 Tempora.* principium ſcilicet, augmentum, ſtatum, & declinationem. Signum *principii* eſt, cùm pars incipit diſtendi, & fluxionis adeſt initium, dolore adhuc ſat tolerabili; *incrementi* verò nota eſt, quando tumor in molem attollitur, locusque affectus impletur, & ſymptomata valde augentur: *ſtatus* autem adeſſe judicatur, cùm omnia ſunt in ſummo gradu, augeriq; magis non poſſunt: ſi verò ſymptomata remittant, tumorque imminuatur, & materia, tumoris cauſa, in aliam ſubſtantiam degeneret, *declinationem* adeſſe judicandum eſt. *Signa temporum.* Quatuor hæc tamen tempora colliguntur, ſeu diſtinguuntur, primò penes tumoris eſſentiam, magnitudinem & parvitatem: ſecundò penes materiæ diſpoſitionem: tertiò penes accidentia. *Terminationes.* *Terminantur* autem tumores uno ex his quatuor modis. vel inſenſibili *reſolutione*, vel *ſuppuratione*, vel *corruptione*, vel *induratione*. *Earum ſigna.* Primus terminus optimus: 2. 3tio & 4to præfertur: partem enim indurari, malum eſt; corrumpi, peſſimum. *Reſolutionis ſigna* ſunt levitas membri, & deficiens pulſatio. *Suppurationis* ſigna ſunt, febris incrementum, dolor & pulſatio; quæ omnia confecto pure remittunt. *Corruptionem* manifeſtat partis livor, nigredo, fætor &c. *Duritiei* ſigna ſunt, dum tumor imminuitur, ſed reſiſtentiam acquirit, & durities permanet. *Signa boni & mali puris.* *Puris* in tumore facti *ſigna* optima ſunt, quando eſt album, æquale, idem undique ſimile, leve, & minimè fætens: malum, quod hiſce apparet contrarium. *Cura.* Tumorum curæ in particulari meliùs, quàm in univerſali, obſervantur.

Caput. VI.

De Phlegmone, & aliis à Sangvine procreatis Tumoribus.

Phlegmone quid. Phlegmone à Gal. *l. 10. de morbis*, accipitur primò pro omni partis effervеſcentiâ, ſeu phlogoſi: ſecundò pro tumore ex ſangvine vero & puro: de quo hîc agimus. *est duplex.* Phlegmone *duplex* eſt: alia *vera*, alia *ſpuria*: *Vera. Spuria.* *vera* fit à ſangvine benigno, ſolâ quantitate

peccante: *illegitima* ſeu ſpuria eſt, quæ ex pravo & non naturali ſangvine oritur.

Sangvinis degenerationes bipartita.

Sangvis autem *bifariam degenerat*: primò *ratione ſui*, citra alterius admiſtionem: ſecundò ratione *alterius*, ſeu cum alterius admiſtione. Sangvis *per ſe* degenerat, vel quia ejus ſubſtantia eſt craſſior, vel tenuior quàm par eſt; vel quia aduritur, & pars ipſius tenuior in bilem flavam, craſſior verò in atram vertitur. *Aliunde* autem ſangvis degenerat, vel ob admiſtionem bilis, vel pituitæ, vel melancholiæ.

Spuria ſpecies.

Hinc etiam tot ſunt phlegmones *ſpuria ſpecies*, quot ſunt humores, ex quibus generari poſſunt. Sic, cum bilis commiſcetur ſangvini, fit *phlegmone eryſipelatodes*: quando pituita, phlegmone œdematodes: quando melancholia, phlegmone ſcirrhodes. Ex magnâ autem aduſtione & corruptione propriæ ſubſtantiæ generantur *Carbunculi*, Græcè *Anthraces* dicti, vel *Gangrana*, vel *Sphacelus*.

Phlegmones cauſa:

Sicuti cujusque & morbi, & tumoris, *tres* ſunt *cauſæ*: ita etiam phlegmones: procatarctica ſcilicet, antecedens, & conjuncta.

Procatarctica.

Procatarctica phlegmones cauſæ ſunt contuſio, diſruptio, convulſio, fractura, vulnus, ulcus, luxatio, & alia, quæ dolorem in aliqua parte excitant, & fluxionem accerſunt.

Antecedens.

Cauſa *antecedens* eſt ſangvinis abundantia, qui ad partem aliquam vel imbecillem, vel plus juſto excalefactam, cogitur effundi, aut ad dolentem defluere; hinc, niſi quamprimùm repellatur, impingitur, & inflammationem cauſat.

Conjuncta.

Cauſa *conjuncta* eſt ipſe ſangvis, in parte contentus & impactus.

Signa.

Signa phlegmones ſunt partis calor & inflammatio, cum ipſius magno incremento, dolor ingens, pulſus moleſtus, tenſio, partis renixus.

Tempora.

Phlegmone, uti de reliquis dictum, quatuor habet *tempora*: principium ſcilicet, augmentum, ſtatum, & declinationem; poſt hæc tempora neceſſe eſt, ut vel ſuppuretur, vel reſolvatur, vel indureſcat, vel corrumpatur: ſymptomata ſunt dolor, & recurſus à parte ignobili, v. g. ab emunctoriis, ad nobilem, durities, mortificatio, &c.

Cura.

Phlegmones *curandæ* methodus eſt, ut influxus prohibeatur per revulſionem & derivationem; quod verò jam influxit, evacuetur: duplex in phlegmone curationis eſt ſcopus; dum nempè materia fluit, & dum fluxit: dum tumor eſt in fieri, & dum eſt in facto eſſe.

Venæſectio. &c.

Influxum prohibemus *Venæſectione* in loco parti affectæ oppoſito: vel, in debilioribus cucurbitulas, frictiones, ligaturas, adhibemus, & hirudines dicto loco applicamus. In initio autem fluxionis repellimus medicamentis repellentibus, partis nimirum laxitatem tollendo, eamque confortando, & dolorem demulcendo: materiam, quæ jam fluxit, diſcutimus, digerimus, & reſolvimus: nam hîc ea, quæ adſtringunt, locum non habent, præcipuè ubi parti ſangvis impactus eſt; tunc enim evacuandus eſt per ſcarificationes, & medicamenta digerentia. Et hæc in genere.

Quatuor ſcopi curationis.

In particulari autẽ, pro phlegmone curanda, *quatuor* ſunt obſervanda: primò *victus ratio* competens: ſecundò *fluxio inhibenda, & materia antecedens eſt avertenda*: tertiò *cauſa conjuncta evacuanda*: quartò *ſymptomata* ſunt *corrigenda*.

Scopus. 1. Diæta.

Prima intentio perficitur debitâ rerum ſex non-naturalium adminiſtratione:

2.

ſecundo ſcopo ſatisfiet, ſi fluxio avertatur venæſectione, vel, ſi vires non ferant, ſcarificatione, frictione, ligatura, motu &c. in parte oppoſitâ, ſervatâ ſcilicet fibrarum rectitudine:

Quid per partem oppoſitam intelligatur.

nam parti dextræ, v. g. brachio, opponitur dextrum crus, non ſiniſtrum; dextro oculo dextrum brachium: hinc ubi brachium dextrum phlegmone infeſtat, in crure dextro antè dicta ſunt exercenda.

3. *Repellentia.*

Tertium ſcopum aſſequimur ſolis, per initia phlegmones, *repellentibus* adhibitis, ut *oxycrato*, ſeu *poſcâ* imbutâ ſpongiâ frigidiuſculè applicatâ, vel ſolâ *aquâ frigidâ*, vel cataplaſmate ex *ſempervivo* & *malicorio*, cum *vino* facto, vel *oleo roſato*, cum *albumine ovi* & *aqua roſacea* mixto, & ſæpiùs renovato: in augmento *roſaceum* utiliter applicatur, ſemper cavendo materiæ ad partem nobilem repulſionem: hæc in augmento cum digerentibus ſunt commiſcenda: in ſtatu, ob maximos dolores, cum mitigatoriis, ſeu anodinis benignioribus; in declinatione repellentia non conveniunt, ſed ſola digerentia, ut, quod impactum eſt, evacuetur: ſi autem in abſceſſum abeat malum, tunc uti oportet ſuppurantibus,

Maturantia. bus, aperientibus, ac detergentibus medicamentis, denique exſiccantibus: in ſtatu

Cataplaſmata.
℞. *Malvæ*,
mica panis, ana ℔j. Coq. cum
lactis caprini ſ.q. &
olei roſacei tantillo.
addi poſſunt
flores hypericonis & meliloti.

℞. *Herbæ parietariæ*,
malvæ, ana mj.
farinæ volatilis pj.
ſem. fœnigræci,
anethi, ana ℥ß.
Coquantur in *vino*;
dein adde
ol. camomill. ℥ij.

Emplaſtra. et fiat Cataplaſma; vel, ſi ad majorem duritiem coquere lubeat, fiat Emplaſtrum. Item *emplaſtrum de ſuccis*, ſeu *diachylon*, eſt optimum. His ſi dolor cedat, ſignum eſt, malum ad declinationem tendere: hinc ſolis agendum *Diſcutientia.* eſt diſcutientibus: ut;

℞. *Malvæ*,
althææ ana mj.
mica panis,
farinæ ſem. lini,
fœnigræci, ana ℥iij.
paſſular. ab acinis mundatarum ℥ij.
Coquantur in ſ.q.
vini albi,
addendo
mellis communis ℥j.
F. Cataplaſ. quod applicetur.

Sola *farina hordei*, cum *melle* applicata, plurimum facit; vel etiam *ſpongia*, in *vino calido* immerſa & applicata. Quòd ſi materiæ tenuior pars reſolvatur, craſſior verò permaneat, malumque in abſceſſum abire videatur, non illicò ad ſectionem deveniendum, ne nova excitetur inflammatio; ſed ad maturantia & pus moventia confugiendum eſt: ut;

Maturantia.
℞. *Farinæ tritici* ℔j.
aquæ
olei, ana q. ſ. F. Cataplaſma:

quod ratione farinæ poros nonnihil occludet, & oleum calorem nativum roborabit: poteſt quoque *croci* modicum adjici, coloris conciliandi gratiâ. Quòd ſi tumor, ob humores infarctos craſſos & viſcoſos, ægrè ad ſuppurationem deduci poſſit:

℞. *Rad. althææ*, ℥iiij. vel ℔ß.
caricarum pingu. ʒv.
farinæ tritici ℥iij.

Coq. in ſ.q. *aquæ*, vel *lactis*, ad putrilaginem, fiatque Cataplaſma, quod, linteolis emplaſtratum, calidè ſuperponatur: ad pus faciliùs movendum:

℞. *Cort. rad. althææ*;
herb. ſenecionis,
malvæ, ana mj.
farinæ tritici ℥iij.
ſem. lini ℥j.
Coquantur herbæ ad putrilaginem:
dein adde
axungiæ ſuillæ rec. ℔ß. M.
Fiat Cataplaſma.

Quòd ſi abſceſſus ſponte non aperiatur, ille ſcalpello, vel cauterio potentiali, vel etiam alio quovis medicamento corrodente aperiatur, idque fiat ſervatâ fibrarum rectitudine, & in loco inferiore, ut pus commodiùs effluat: quod, ut bonum ſit, debet eſſe *album, leve, æquale, minimeq; fœtidum*; ut antè dictum eſt. Deinde ulceri digeſtivum ex *terebinth*, & *vitellis ovorum* applicetur, vel unguento baſilico imponatur paulatim, ſicq; ulcus ducatur ad cicatricem. Si verò ante apertionem adeſſet durities, vel nigror, pars per totum bene ſcarificanda, & *aquâ vitæ*, in quâ *Theriaca* & *Ægyptiacum* diſſoluta ſunt, oblinenda foret. Quartus in phlegmone curandâ ſcopus eſt, ſymptomatibus occurrere, quæ ſunt dolor, febris, materiæ palindromia, ſeu retrogreſſus, partis corruptio & putredo, lapidea durities, à vehementer ſiccantibus inducta &c. Quòd ſi in partis inflammatione ingens adſit *dolor*, ille quamprimùm *mitigandus* eſt *triplici* modo, ſecundum Gal. *5. ſimpl. c. 30.* vel *cauſam doloris auferendo*, vel *anodinis*, vel *ſenſum à parte auferendo*: *primus* modus eſt optimus: ſublatâ enim causâ, tollitur effectus; tollendo nimirum id, quod ſolutionem continui efficit. Aliquando dolor eſt tantus, ut neque tempus abigendæ cauſæ ſufficiat: confugiendum itaque ad *Anodina*: ut ſunt *lac*, *oleum*, *butyrum*, *œſypus*, *adeps rec. lana ſuccida*, *oleum vulpinum*, *ex ſem. althææ*, *amygd. dulc. anethi*, *lumbric. flores caſſiæ* cum *oleo roſaceo* mixti, *poma dulcia cocta*, admixto pauco *croco*, *ſpongia aquâ tepidâ* madida: unctuoſis ſemper *aceti* parum

Margin notes (right column): *Apertio.* — *Pus laudabile.* — *Digeſtiva.* — 4. — *Dolorem mitigantia:* 3. *Triplicia.* 1. *Cauſam tollentia.* — 2. *Anodina.*

rum admiſcendum eſt, ne fluxionem, laxando, adaugeant. Quòd ſi dolor ſit à partis tenſione, refrigerantia, actu tamen calida, applicentur, ut exhalatio promoveatur: ut:

℞. *Herb. ſempervivi,*
virgæ paſtoris, ana ℔ß.
camphoræ ℥ij.

M. & ſpongiis, vel linteis duplicatis applica: ſi dolor fiat à materiâ durâ, hæc emollienda eſt. Ad *ſtupefacientia* non, niſi in magnâ neceſſitate, deveniendum eſt: hæc enim calorem nativum extinguunt, & nervis ſunt inimica: talia autem ſunt, *hyoſcyamus, opium, mandragora, anodyna*, & *cicuta*: *fol. hyoſcyami* ſub cineribus coquuntur, & *recenti axungiâ* inuncta applicantur. Calori febrili obveniendum eſt *phlebotomiâ, emulſionibus*, & *julapiis refrigerantibus* &c. Si *partis corruptio* adveniat, locus profundè *ſcarificandus* eſt, ſangvis corruptus exprimendus, & pars muriâ abſtergenda, ſequens dein cataplaſma imponendum:

3. Stupefacientia.

Refrigerantia.

Scarificatio.

℞. *Farinæ fabar.*
orobi, ana ℥iij.
gallar. ʒij.

Cum ſ. q. *oxymelit.* coquantur, & fiat Cataplaſma. Plura vide in *capite de Gangrenâ*. Si materia ad partes principes retrogreditur, ea ad membra, unde venit, eſt quamprimùm retrahenda, cucurbitulis, ſangviſugis, vinculis, frictionibus, cauteriis, medicamentis, *ut dictamno, propoli, thapſiâ, arundinum rad.* cum *melle, ſagapeno, galbano, ammoniaco, opopanace, calce vivâ, cinere è vini fæcibus, ariſtolochia longa, ſemine ſinapeos, tithymalo, naſturtio, pyrethro, alliis*, & *cantharidibus*, cum *melle* mixtis, *ſtercore gallinaceo, columbino, arietino, humano* &c.

CAPUT. VII.
De Carbunculo, ſive Anthrace, & Pernionibus.

Carbunculus quid.

CArbunculus, *Pruna*, ſeu *Anthrax*, ita nominatur, quia in medio habet cruſtam nigram, carboni ſimilem: Anthrax dicitur, quia anteriora plerumque occupat. Definitur à Gal. *comment. 6. in aphor. 45.* *Carbunculus*, quòd ſit ulcus cruſtoſum, cum magnâ vicinarum partium inflammatione. Nos dicimus, eſſe tumorem maximè adurentem, & nigram cruſtam habentem, cum febre acuta: differt à phlegmone per cruſtam hanc ulceroſam.

Ejus Differentiæ.

Carbunculi alii ſunt *benigni*; alii *maligni* & *peſtiferi*: aliæ differentiæ deſumuntur à *loco affecto*; aliæ *à cauſis*; aliæ ab *affectibus* ſeu accidentibus, vel mitioribus, vel ſeverioribus.

Cauſæ.

Cauſæ externæ ſunt prava victus ratio, plenus victus, vel aquarum, vel aëris venenata conſtitutio. Cauſæ *internæ* ſunt cacochymia, viſcerum intemperies calida &c. cauſa *conjuncta* eſt ſangvis calidiſſimus, ad atræ bilis naturam, per aduſtionem, accedens, qui etiam gangrænas aliquando producit; quæ ſi adſit, peſtiferus eſt carbunculus: unà cum ſangvine aduſto etiam malignitas cauſæ conjunctæ rationem habet.

Signa.

Signa carbunculi ſunt ulcus cruſtoſum, tumor niger, bullæ ambuſtorum ſimiles, febris acutiſſima, color partis circumſtantis ad nigredinem tendens, & velut pix, ſeu bitumen, ſplendens, coloris varii, rubei ſcilicet in baſi, ſupra baſin nigri: maximus adeſt dolor aggravans & pungens; pars eſt dura & arida; tumor eſt mucronatus, ſecùs ac in bubonibus Venereis; qui ſunt oblongi, & moventur; carbunculus verò eſt inſtar clavi infixus. Quòd ſi ſit *peſtilens*, omnia ſymptomata ſunt graviora, adeſt fætor maximus, dum rumpitur, adeſt conſtitutio aëris peſtilens, ſumma inquietudo, delirium, animi deliquia, ſyncope, nauſea, vomitus, vox rauca, vertigo, ſudor frigidus, fætens & cadaveroſus.

Signa carbunculi peſtilentis.

Prognoſis eſt, quòd peſtilentes carbunculi ſint periculoſiſſimi, ii præcipuè, qui cordis regionem, collum, axillas, aut ſtomachum, occupant: & quò ſunt profundiores, eò ſemper ſunt pejores: quòd ſi ſymptomata ſemper creſcant, pulſus deficiat, & tumor retrocedat, peſſimum eſt. *Anthrax* peſtilentis veneni expers tantum non affert periculum.

Prognoſis peſtilentis.

Anthracis ſimplicis.

In *Curâ* carbunculorum *peſtiferorum* quinq; ſunt obſervanda: primò optimum

Cura Peſtilentis, quæ obſervanda.

1.

mum in victu regimen ex rebus ſex non-naturalibus, ut nempe ſit refrigerans & humectans, ut ſunt juſcula ex *lactuca, endivia, rad. ſcorzon. pentaphylli, acetoſa*, cum *ſyr. de acred. citri, de ſucco granatorum*: aër quoque, & cætera, correſpondeant: *ſecundò* materia fluens eſt avertenda per venæſectionem ſat largam, præmiſſo priùs *clyſtere emolliente*: loco ejus cucurbitulæ & frictiones, cum ligaturis, in venæſectionis incapacibus celebrari debent: &

℞. *Caſſia rec. extract.* ℥j.
Cum *ſacchoro* F. Bolus:
Vel

Lenitiva. ℞. *Decoct. tamarind.* ℥iiij.
In quibus infunde per noctem
fol. ſen. ſ. ſt. ʒij.
rhei elect. ʒiß.
myrob. indar.
citrin. ana ʒj.
Manè in colat. diſſolve
ſyr. violar. laxat.
flor. Perſicor. ana ℥ß.
crem. tartari ℈ß.
nitri praparati gr. vj.

M. F. Potio: deinde *Emulſiones ex ſem. frig. maj.* & *amygd. dulc.* cum *decoct. acetoſa* fiant: Vel

Emulſiones.

℞. *Aq. endivia,*
portulac,
borrag.
ſcabioſa, ana ℥iiij.
ſyr. de acred. citri,
portulaca, ana ℥ij.
ſpirit. vitriol. q. ſ.

Julapium. M. F. Julapium refrig. de quo vitrum aliquàndo unum propineur. *Tertiò* virium habenda eſt ratio; nam vapores copioſè ad cor aſcendunt, idque infeſtant: hinc aliquid poterit exhiberi de *confect. Alkermes, de hyacinth.* cum *perlis*, & *corallis praparatis*: epithema cordi, & pulſibus, tale applicari poterit:

Cordialia.

℞. *Aq. meliſſ.*
roſar.
borrag.
ſcabioſa, ana ℥iij.
pulv. ſpec. pro epithem. cordis ʒj.
croci,
camphora, ana ℈ß.
aceti roſacei,
rubi Idai, ana ℥ß.

Epithema. M. F. *Epithema*, cordi & pulſibus calidè applicandum. *Quartò* carbunculo extrinſecè ſunt applicanda, quæ modicè reprimunt, & tamen digerunt: ut: 4.

Digeſtiva. ℞. *Farina ſem. lini* ℥iij.
ſem. plantag. ℥j.
mica panis triticei ℥iij.
Coque cum ſ. q. *oxymelitis*:

Cataplaſma. F. l. a. Cataplaſma molle; quod applicetur bis de die: ſola *plantag. folia*, ſub cineribus cocta, & applicata, ſalubris ſunt uſûs. Alii tumorem priùs *aquâ calidâ* fovent, & ſcarificant; quod tamen non, niſi poſt revulſionem & derivationem, eſt factitandum. Sublatâ tandem inflammatione, tollenda eſt cruſta *foliis verbena* coctis, vel *fimo gallinaceo arido*, cum *axungia veteri*; & ulcus digerendum & conſolidandum eſt, ſicuti alia hujusmodi quævis. *Quintò* ſymptomatibus eſt obviandum, ſicut poſtea dicetur.

Fotus. Deterſoria. 5.

Carbunculi per 4. *Peſtilentis carbunculi* cura 4. iterum *modis* perficitur: *Primò* diæta: *Secundò* materiæ peccantis evacuatione: *Tertiò* cordis corroboratione: *Quartò* venenatæ & peſtilentis materiæ extractione. *Prima* ac *tertia* intentioni jam in præcedentibus ſatisfactum eſt, excepto, quòd in omnibus alexipharmaca ſint commiſcenda, & phlebotomia ob malignitatem omnino prohibeatur; niſi in principio, & in corpore maximè plethorico, & in tali membro, ubi materia peſtilens carbunculi ad interna minimè retrahatur, & in multò minori quantitate. Itaque *quartus* ſcopus Medici operam maximè provocat: ut nimirum Topica attrahentia applicemus: v. g. ex *capis ſub cineribus coctis*, & *Theriaca*: poteſt etiam addi parum *fimi columbini*, quod ſingularem habet vim attrahendi. Horum loco applicatur *emplaſtrum de fuligine uſitatum*: cauſtica majorem attrahendi vim obtinent, uti eſt *ranunculus, flammula Jovis, ſemen naſturtii, ſinapeos, emplaſtrum veſicatorium, calx viva*, & *corroſiva*. Cucurbitulæ etiam vehementer attrahunt, præcipuè ſi fiat profunda ſcarificatio: & poſt eam applicari poteſt *aqua ſalſa*, quæ putredinem vehementer arcet. Quòd ſi materia venenata illûc ſit attracta, ea veſicis reſectis eſt quamprimùm abſtergenda, dein *Cataplaſma* dolorem leniens,

Topica. Cataplaſma.

cte, & materiam venenatam attrahens eſt applicandum: ut:

℞. *Herba ſcordii pulveriſat.* ℥ij.
mica panis ℥iij. M. &

Cum ſ. q. *lactis caprini* fiat Cataplaſma molle, quod applicetur calidè. Nec interea *Defenſiva* ſunt negligenda: quæ fiunt ex *oxycrato*, cum *pulv. plantaginis*, & *bolo Armenâ*, partibusque circumjacentibus ſunt applicanda, ne venenum ulteriùs ſerpat. Quidam, ut huic ſcopo ſatisfaciant, carbunculum circumcirca cultro ignito circulariter ſcindunt, & à ſanis partibus ſeparant; quam operationem Carco, Chirurgo peritiſſimo Romæ, ſucceſſiſſe, bonâ fide percepimus: & ſi per uſtionem inducta fuerit eſchara, ea eſt maturanda *butyro recent.* cum *melle* mixto, vel digeſtivis ex *vitellis ovorum*, cum *terebinth.* factis; dein ulcus more aliorum abſtergendum eſt, carne implendum, & cicatrizandum. Plura vide *in Tractatu noſtro de Peſte*.

Defenſiva.

Cura carbunculi per inciſionem circularem.

Eſchara quomodo tractanda.

Pernio eſt tumor ſeu inflammatio, quæ fit in calcaneo, digitis manuum & pedum, à frigore congelatorum: & eſt *duplex*: alius *exulceratus*: alius *non*. *Cauſa* pernionum eſt frigus, quod dolorem excitat, & partem adſtringendo debilitat: unde cauſa antecedens eſt ſangvis, qui illûc fluit, &, dum in parte continetur, ob prohibitam à frigore condenſante difflationem putreſcit, partemq; inflammat primò, deinde exulcerat. Pernionum *ſigna* ſunt partis tumor, & dolor pruriginoſus, non intenſus; deinde ſaniei, & materiæ aqueæ deſudatio: tumores, ſi diuturniores, ſunt perquam periculoſi. Vulgò perniones *curant Pedilavio* facto ex *decocto raparum*; alii pedum in *gelidam* immerſione curantur; non ſecus, ac ova congelata à congelatione in aquâ frigidâ liberantur: ita vidimus Religioſos diſcalceatos ſibi mederi. Alii accipiunt *mel*, & *ſal*, aut *ſulph.* iisq; mixtis membra manè & veſperi fricant. Alii accipiunt *ſevum ſuillum*, & cum *ſucco limonum* ad *ungventi* conſiſtentiam agitant, membráque ad hyemis initium eo illiniunt; vel etiam liquefaciunt *ſevum cervinum* in *aquâ vitæ*, & illinendo manus pedesque à frigore muniunt. Quòd ſi magna adſit inflammatio, *hyoſcyami ſucc.* apponendus eſt; & inflammatio cum dolore ceſſat: idem facit *decoctum cyclaminis*. Perniones *ulcerati* curantur *decocto corticum granatorum*, cum *aquâ* & *vino* facto; cui etiam addi poterit aliquid *aluminis*: vel excavetur *rapa*, & impleatur *ungvento roſaceo*, coquatur ſub cineribus, & contuſum, addito pulvere *cancrorum fluviatilium*, applicetur. Ad idem ſalubriter imponitur *cuta baleci infumata*, vel *talpæ pellis*: ſequens Ungv. eſt probatiſſimum:

Pernio quid ſit: ejus differentiæ: & cauſa.

Signa.

Prognoſis. Cura non ulcerator.

Ulceratorum.

Ungventum probat.

℞. *Cauliar. tritici* ſub nive vireſcentis q. ſ. Contunde in mortario: dein adde *ung. roſacei*, vel *pingued. ſuilla*, q. ſ. Bulliant ad ignem, fiat Ungv. quod omnes perniones curat. Cerebrum cornicis Emplaſtri modo appoſitum perniones infallibiliter curat.

Caput. VIII.

De Gangræna, & Sphacelo, ſeu Sideratione.

Gangræna eſt partis mortificatio, nondum tamen abſolutè facta, ex inflammationum magnitudine, & ſummâ intemperie proveniens, cum ſenſûs hebetudine. Dicitur cum ſenſûs hebetudine; nam ubi ſenſus eſt planè ablatus, non dicitur propriè gangræna, ſed *Sideratio*, ſeu *Sphacelus*. Hinc & Gangræna, & Sphacelus, *differunt* ſecundum majus & minùs, & eaſdem habent *cauſas*. Eodem modo per ſenſum hebetem differt ab inflammatione, in quâ ſenſus eſt acutiſſimus; neque etiam gangræna propriè dicitur corruptio: hæc namque etiam afficit partes duras & ſolidas; illa verò tantùm partes molles: quin & gangræna ſequitur corruptionem, ideòque à paralyſi differt, quæ motûs & ſenſûs deperditioni ſuccedit.

Gangræna quid.

Sideratio quid. Utriusque Differentiæ & Cauſæ.

Sphacelus itaque eſt tam mollium, quàm durarum partium mortificatio, verus gangrænæ terminus: nam hæc eſt partis corruptio in fieri; illa verò in facto eſſe. Corrumpitur autem pars, quando calor ejus nativus extinguitur à validâ quadam intemperie, ut à nimio frigore, ſive ab hyemali tempeſtate, ſive à

Sphacelus.

vel medicamentis nimium refrigerantibus; ut in ſummis inflammationibus. Fit etiam à nimio calore extraneo, qui, nativâ conſumptâ humiditate, nativum calorem, ſubjecto carentem, diſſipat & extinguit: id facit ſumma inflammatio, & medicamenta frigida in eryſipelate, ſclopetorum, vel maximè venenatorum ictûs, vulnera item, ob intemperiem calidam, quâ partes eliquantur, & nativo ſuo calore deſtituuntur. Fit quoque gangræna à morſu venenati animalis, à criſi factâ, nempè humorum pravorum in partem aliquam translatione, ab arteriotomiâ, & aneuriſmate, à maraſmo, à luxationibus, vehementibus ligaturis, compreſſionibus, contuſionibus, & pororum conſtipationibus; quibus naturalis calor ſuffocatur.

Signa. *Signa* gangrenæ ſunt membri decoloratio, color nempe ad flavedinem & nigrediné tendens, ob tales in parte contentos humores, & facultatis vegetativæ debilitatem: adeſt deinde ſenſus hebetatio, & doloris remiſſio, ob defectum facultatis animalis, ſenſûs & motus principii: tertiò ob defectum vitalis facultatis pulſus deficit. Quòd ſi gangræna provenerit ex nimiâ refrigeratione, ex ipſo Patiente, qui nimio ſe frigori expoſitum fuiſſe fatebitur, patebit: ſi ſit à veneno vel morſu, præceſſit magna inflammatio, cum puncturis: dein apparuit aliqua rotunda durities, cui paulatim torpor ſucceſſit: ſi gangrena ſit ex venæ vel arteriæ ſectione, id patebit ex vulnere, hæmorrhagiâ prægreſſâ, & cutis corrugatione: ſi proveniat à criſi, tunc præceſſit morbus aliquis malignus: ſi ab inflammatione, præceſſit tumor, tenſio, calor, febris, dolor intolerabilis, ob luctam naturæ & morbi, in partis corruptione.

Sphaceli. *Siderationis*, ſeu *ſphaceli*, ſigna ſunt omnimoda membri mortificatio, nigredo, ſenſûs omnimoda ablatio, quod probatur per profundas ſcarificationes; fœtor inde intolerabilis, & plus quàm cadaveroſus, non ab innato, ſed ab extraneo, calore mixtum jam reſolvente; membrum redditur molle & deciduum, ſi pars digitis prematur, foveolas recipit, nec ampliùs elevatur. *Prognoſticon* quod attinet, gangræna eſt affectus periculoſiſſimus, cui *Prognoſis Gangrænæ.* niſi ocyus Medica occurrat manus, Ægrum deducit ad interitum: nam pars gangrænata partem vicinam inficit, & poſt hanc iterum aliam, donec tota compages ruat. Gangræna, quæ fit ab omnimodâ vaſorum alimenta membro ſubminiſtrantium exciſione & compreſſione, incurabilis eſt. Quòd ſi gangræna ſit in profundo corpore, vel in ingvinibus, aut partibus nobilioribus accidat, Æger prognoſtico eſt relinquendus. Si verò ſit in brachio, vel in cruribus, remanente aliquâ parte ſanâ, commodè operatio, nempe exſtirpatio, celebratur; idque 3. vel 4. digitis ab ægrâ parte.

Sphacelus eſt omnino incurabilis, *Sphaceli.* adeoque pars ægra, & ſana quantocyus ſunt ſeparandæ. Medici quoque, ob præſens ſummum periculum, accelerent operam in gangrænâ à venenis ortâ; nam citiſſimè tranſit in ſphacelum, & ſubitò corrumpitur.

Gangræna curatur, pro ut in aliquo in- *Cura Gangrænæ.* tenſionis gradu reperitur; hinc etiam vel majora, vel minora requirit medicamenta: attendenda inſuper eſt morbi cauſa, quæ ejus ſæpe variat curationem: quæ ſi fiat *à magna inflammatione*, *À magna inflammatione.* poris ſcilicet conſtipatis, materia, quæ non poteſt diſcuti, illicò evacuanda eſt, factis in membro profundis ſcarificationibus, vel ſectionibus, ut etiam ipſæ venæ ſanguine plenæ exonerentur, habitâ tamen animadverſione, ne nimia fiat ſanguinis evacuatio. Aliqui ſcarificationum loco hirudines parti gangrænatæ applicant. Poſt ſectionem, ſeu ſcarificationem factam, pars *muriâ calidâ*, vel etiam *aceto*, vel *ſale*, vel *lixivio*, in quo *lupini* ſint cocti, eſt abluenda. Dein

℞. *Farina orobi*, vel *fabarum*, vel *ſem. lolii*, ℔ß. *Epithema.*

Cum ſ. q. *oxymelitis* fiat Cataplaſma, quod apponatur: vel

℞. *Mellis roſati colat.* ℥iiij.
ung. Ægyptiaci ℥ß.
calcis vivæ ʒiij.

M. & applica: vel ſuppone linteis calidè intinctis *Decoctum nigrum Minſichti*

quod ſaluberrimum eſt, refrigerat, ſiccat, putredinem arcet, & mundificat: illud autem ſic ſe habet:

℞. *Aluminis crudi* ℔j.
vitrioli viridis ℔ß.
gallar. Turcicarum ℥iiij.
viridis æris,
tartari alb. ana ℥ij.

M. & coque in *aceti vini* ℔viij. ad medietat: reſiduo adde
ſpiritûs vini rectificati ℔j.

M. & filtra: filtrato intinge lintea duplicata, & membro applica.

Quòd ſi, ſedatâ inflammatione, partes putridas à ſanis ſeparare velis, ut decidant:

℞. *Spiritûs vini* ℥vj.
ung. Ægyptiaci,
Theriacæ, ana ℥ij.
M. & applica.

Mundificativ. Aliqui *Mercurium* jam *præcipitatum*, cum *ung. Apoſtol.* vel *baſilico*, pro *mundificativo* applicant. Hic *arſenici ſublimati*, & *præparati*, applicationem non approbamus. Quòd ſi gangræna proveniat *à criſi* poſt morbum malignum, purgatio præmittenda eſt: deinde venæ ſectio adminiſtranda: tertiò cordialia & alexipharmaca ſunt adhibenda: quartò pars ſiccanda & corroboranda eſt, ſi priùs, ut antè ſcarificata fuerit, tùnc ſequens ex uſu erit: (à Criſi.)

Cataplaſma. ℞. *Boli Armen.*
terræ ſigillat.
cretæ, ana ℥iij.

Pulveriza, & cùm ſ. q. *ſucci ſolani*, vel *ſempervivi*, F. Cataplaſma inſtar emplaſtri. Alvus ſemper lubricetur, & epithemata cordi & pulſibus applicentur, ſyrupiſque cordiales, & Julapia ex iis facta, propinentur. Si ab *eximio frigore* fiat gangræna, tum applicanda ſunt medicamenta actu & potentiâ calida, præviâ tamen *ſcarificatione*, & cum *muriâ calidâ* ablutione: talia ſunt *oleum Philoſopher. terebinth. ſpiritus vini*, *Theriaca*, *aqua Theriacalis*, *cataplaſmata ex floribus lavendulæ*, *anthos*, *ſalviæ* &c. *ex farina orobi*, *lupinorum*, *ſeminis urticæ*, *naſturtii* &c. Si gangræna ſit *à medicamento frigido eryſipelati applicato*, eandem curam cum eâ, quæ fit ab inflammatione, requirit, nempe ſcarificationem, & ablutionem, &c. Si *à tabe* proveniat, conveniunt actu & potentiâ calida: deinde attrahatur alimentum per picationes, ſeu dropaces, frictiones &c. Si ſit *ab humoribus craſſis*, ii ſunt attenuandi *Cataplaſmate ex farinis*, & *ſeminibus calidis*, cum *oxymelite*, dein ſcarificationes & ablutiones, tandem purgatio humoribus apta celebrentur. Si gangræna *ſuccedat ulceri*, emortua caro ſolo *Ægyptiaco*, vel *lupinorum decocto*, cum *ſale* mixto, conſumitur, & à ſanâ carne ſeparatur: quod, factum eſſe, cognoſcitur, ubi pus album, leve, & æquale adeſt, ſine fætore, & caro firma, rubea, & ſolida naſcitur: ſi verò Ægyptiacum non ſufficeret, opus eſſet ad ferrũ confugere, & carnem illã putrefactam novaculâ ſeparare, hincq; reliquæ carni eſcharam inducere, vel *chalcytidis*, vel *æruginis*, vel etiam *auripigmenti*, inſperſo pulvere: vel, mitiori hoc *Pulvere* uti, ſatis futurum eſt:

℞. *Viridis æris præparat.*
minii, ana ʒj.
M. F. Pulvis:

cavendo ſemper, ne cadat in partes nervoſas, ne, ob earum ſenſibilitatem, dolor & convulſio inducatur: ad quod præcavendum tribus circiter digitis *Defenſivum* ſupra partem affectam applicetur: in ipſa autem parte *linteum ſucco ſolani* madidum ſuperponatur: hiſque omnibus corporis purgatio præmittenda, ne humores mali ad partem affectam per dolorem trahantur. Aliqui in magnâ putredine utuntur *aquâ forti*, quâ carnem putridam ſpecillis, linteolo madido involutis, tangunt, nec non ejusmodi plumaceolis eâ madidis implent, ſuperponuntque aliquod refrigerans. Nec timenda eſt hîc aquæ fortis acrimonia; hæc ſiquidem ab humiditate putridi ulceris diluitur: quòd ſi nervus aliquis ſit detectus, ei *aloës hepaticæ pulvis* eſt inſpergendus, & totum ulcus ſæpe abluendum decocto *aluminis rochæ*, *flor. roſar. hordei*, & *camphoræ*, *omnium* in *aqua fabrorum* facto. Quòd ſi verò medicamenta non juvare velint; juvet ignis, aut *ferrum candens*, in parte ſæpius extinctum; quod

ctum; quod putredine inſigniter arcet: ſigna partis ſat uſtæ ſunt durities & exſiccatio carnis putridæ; cui, ad dolorem leniendum, ſimile *Anodinum* applicetur.

Anodinum.

℞. *Albuminis ovorum* num. 4. Conquaſſa cum *aq. roſar.* & pauco *aceto*, ſtupis excipiatur, & applicetur; vel *butyrum*, cum *pulvere ſulphuris* mixtum. Pars ſana muniatur *Defenſivo* ex *bolo Armen.* *terra ſigillata*, cum *aceti* q. ſ. miſtis ad formam Cataplaſmatis. Quòd ſi nec hoc juvet, ad *ferram* ultimò confugiendum eſt, parsq; exſtirpanda, ubi nempe jam ſphacelus adeſt, nullaq; curationis ſpes ſupereſt, ne pars ſana à ſphacelatâ corrumpatur. Et licet Gal. *7. ad Glauc.* dicat, potiùs aliqui d partis ægrotæ relinquendum eſſe; ſatiùs tamen eſſe putamus, ut in parte ſanâ fiat, non in articulo, ſed tribus aut quatuor digitis infra illum. Nec Medicus talem aggrediatur operationem, niſi conſentiente Ægroto; cujus vires conſtare, corpúſque optimè priùs expurgari debet. Factâ itaque tum corporis, tum animæ præparatione debitâ, inſtrumenta omnia medica ſanguinem ſiſtentia, & locus ad id aptus, & Miniſtri ſufficientes, in promptu ſint. Cutis validè ſurſum trahatur, ut factâ operatione reduci poſſit ſupra vulnus; dein arcta fiat ligatura duplex, ut ſenſus dematur, venæque & arteriæ conſtringantur, ad præcavendam ingentem, quæ ſæpe evenire ſolet, hæmorrhagiam; tandem cultro falcato, minimè ignito, inciſio fiat usque ad ipſum os: aliqui tali falcato & candente inſtrumento partem inurunt (quod ſi tentetur, ſectio in parte ægrâ hìc locum habere poſſet) ſed nos ſtatim ad ipſius oſſis amputationem cum *Serra* devenimus. Nota: hìc plures *Serras*, easque acutiſſimas, in promptu eſſe debere, ut, unâ fractâ, vel caſu deficiente, altera ſit ad manum; ſitque robuſtus ſerrator, ne cum impetu incipiat, in medio fortiùs, in fine iterum debiliùs, ne inferiorem oſſis partem frangat: unde dolores continui, & fiſtulæ relinquuntur. Hoc facto, ligaturæ ſunt protinùs exſcindendæ, & cutis deorſum retrahenda, ut os, quàntum fieri poteſt, obtegat: dein ſequens medicamentum vel ſtupis, vel cotone & albuminibus ovorum exceptum, applicetur.

Defenſiv. *Serram.* *Serra.*

Sanguinem ſiſtentia. Pulv adſtrictiv.

℞. *Boli Armen.* ℔ß.
tragacanth. ℥iij.
maſtich.
olibani, ana ℥iß.

Contundantur omnia ſubtiliter, & cum ſ. q. *mucilaginis tragacanthi*, cum *aquâ fontanâ* extractæ, fiat Maſſa, quæ exſiccetur, dein pulverizetur, &, uti antè dictum, cum bombace applicetur, ſuperligetúrque *veſica bovina*: & ita tribus aut quatuor diebus membrum relinquatur intactum; vel, ſi illa Maſſa in promptu non ſit:

℞. *Sarcocollæ* ℥ij.
boli Armen.
thuris, ana ℥iv.
aloës ʒvj.

Fiat omnium Pulvis, qui cum *albumin. ovorum* bombace excipiatur, & applicetur, uti dictum. Pars autem ſuperior præcedenti *Defenſivo* muniatur, & membrum altè collocetur, ne humores in partem ruant. Tertio, vel quarto demum die auferantur hæc medicamenta, *vino rubro* adſtringente calido priùs madefacta. Et ſi aliqua iterum fieret hæmorrhagia, vaſa quamprimùm cauterio actuali ſunt adurenda, & ſuperiùs ſanguinem ſiſtens medicamentum aliquod repetendum. Si verò caro ſeſe ad ulcus aptare videatur, juvandum eſt *digeſtivis*, impoſitis ſemper oſſis cavitati ſiccis linamentis, ut humiditatem ab eo defluentem abſorbeant: dum adeſt pus laudabile, *mundificativo* ex *apio*, vel *matriſylv.* vel *beton.* aliquando eſt utendum, deinde ad epulotica eſt deveniendum; uti eſt *ceratum de minio*, *diapalma*, *emplaſtr. de lapide calaminari*, *pulv. de tutiâ*, &c. Quòd ſi ex neceſſitate ipſa ſectio fieri debeat *in articulo* (quod ob dolorê, & vaſa magna, ad hæmorrhagiam diſpoſita, ſatis eſt periculoſum) fortior debet fieri ligatura; & poſt ſectum membrum hæc removeatur; vaſa omnia debent aduri, ſeu cauterizari. Si autem quis ſectionem, aut ſerram, ferre non vellet, oportet mortuam partem à vivâ per profundas ſcarificationes ſeparare, & parti ſanæ, defenſivo munitæ, *causticum Angeli Sala* apponere, quod vim habet membra ſeparandi.

Defenſiv. *Digeſtiva.* *Mundificativa.* *Epulotica.* *ad Articulum.* *Membri reſectio abſque ferro.*

℞. *Aq. fortis efficaciſſimæ* ℥iij.
olei vitrioli ℥j.

Colloca in matracio in Mariæ balneo, & deſtilla phlegma, adde *Mercurii ſublimat.* ʒij. *vitrioli* tantundem: ſolve conjunctim in vitro bene clauſo, & ad uſum ſerva: valet etiam ad tumores peſtilentes, cancrum, fiſtulas &c. Loco hujus, *arſenicum præparatum*, & pulveriſatum, cum pari quantitate *Mercurii ſublimati*, injice in ſciſſuras, ibique, usque dum operetur, maneat: & ſi non ſatis operetur, reiteranda eſt ejusdem pulveris inſperſio: pars autem mortua muniri poterit dropace, ex *pice, aloë*, & *myrrhâ* facto, ut eo mixti putredo, & diſſolutio illa cum fœtore prohibeatur. Membro denique avulſo, frequentior debet eſſe venæſectio, vel alia quævis ſangvinis evacuatio, ut ſanguis, qui aliàs parti nutriendæ deſtinabatur, jam ſuperfluus, multorum cæteroquin morborum cauſa futurus, diminuatur.

Quæſtio. Quæres: Cur (uti multoties in Hoſpitali noſtro Civico obſervavimus) ii, quibus pedes reſecti ſunt, quamprimùm conqueri incipiunt de dolore digitorum pedis avulſi? Reſp. Signum eſſe convulſionis imminentis. Nam mentem ægrotare indicio eſt, & malum capiti communicari: hinc defenſivis, & appropriatis ſedulò agendum eſt.

CAPUT IX.

De Phygethlo, ſive Pano: & Bubonibus.

Phygethlon quid. DE hiſce uno capite tractamus ob eam, quam inter ſe habent, affinitatem. Phygethlon, ſeu Panus, eſt phlegmone, in adenum locis emergens, maximè verò in cervice, alis, & ingvinibus, utplurimùm poſt febres, aut poſt alicujus partis dolorem, quæ fluxionem etiam adenis proritant, eveniens; licet Phygethlon in ingvinibus crebriùs dicatur *Bubo*.

Ejus Cauſa. *Phygethlon* eſt tumor calidus, & celeriter ortus: & hiſce ab aliis tumoribus differt. *Cauſæ* ſunt aliæ *externæ*, aliæ *internæ*: illæ ſunt, quæcunque fluxionem promovent: hæ ſunt plethora, & partis recipientis, emunctorii ſcilicet, mollities, receptioni apta. Cauſa *conjuncta* eſt ſangvis biliosus, ejusmodi tumorem excitans.

Signa. *Signa* ſunt tumor, calor, durities, dolor à diſtenſione, febris, ſitis, vigiliæ; in principio adeſt pulſatio, gravitas, ardor, rubor, horror. Quòd ſi ad ſuppurationem tendat, adeſt febris auctior, & dolor: ſi ſuppuratio jam facta ſit, omnia hæc remittunt, adeſt pruritus, & ex rubrâ fit alba cutis.

Indicationes. *Indicationes* ſunt, ut magnitudo aucta tollatur, intemperies corrigatur, & pars corroboretur: his indicationibus ſatisfacere, non erit adeò difficile, præcipuè ſi ab externis cauſis oriatur malum: ſecùs, ſi à peſte, & febribus malignis; tunc enim periculoſiſſimus eſt affectus: *Curatio.* quòd ſi non obſtet febris alicujus malignitas, à principio ſtatim, injecto enemate, ſanguis eſt detrahendus, *Venæſectio.* & ſaburra corporis leniente pharmaco eâdem cautione eſt adimenda: &, ſi abſit malignitas, Topica aliquantum *repercutientia* & refrigerantia ſunt applicanda: *Topica. Repercutientia.* *oxycratum* linteolis calidè applicandum; vel *lana ſuccida, oleo roſaceo*, vel *olivarum immaturarum, omphacino dicto*, *intincta* tumori eſt obvolvenda. Si verò adſit febris, vel magna humorum copia, minimè repercutiendum eſt, ſed *diſcutiendum*: *Diſcutientia. Cataplaſmata.*

℞. *Fol. malvæ,*
atriplicis,
alſines, ana m. j.
rad. althææ ℥j.
fol. melilot. hyperic.
camomill. ana p. j.

Pulveriſentur, vel minutiſſimè incidantur, & cum ſ. q. *aquæ* in Cataplaſma coquantur; quod tepide applicetur. Si adſit durities, *maturantia* & *emollientia* ex uſu erunt; ut: *Maturantia.*

℞. *Fermenti,*
caricarum, ana ℥iij.

Coque cum ſ. q. *hydromelitis*, addendo *adipis ſuillæ* ℥ij. Fiat Cataplaſma, cui aliquid *gummi ammoniaci* addatur, ad majorem emollitionem: vel, loco ejus, *farina hordei, ſeminis lini*, cum *aquâ* in pultem mixta, emollit & maturat. Suppuratione factâ, tumor aperiendus, mundificandus, & carne implendus eſt. Vide *caput de Phlegmone*. Quod ſi rumpentib. opus ſit, appone *fermentum* cum *caricis contuſum & melle*: vel contunde *Rumpentia.*

rad.

rad. cucumeris aſinini, *lupinos*, & *rad. capparis*: excipe ſ. q. *terebinth.* & applica: hiſce tantùm utimur, ubi Patientes aperturam pati renuunt. Hæc de Phygethlo.

Bubo quid. *Bubo* eſt inflammatio glandularum, & præcipuè inguinum: *differt* à Phymate; quia hoc cum magnâ vehementiâ feſtinat ad ſuppurationem; quod non fit in bubone. *Differentiæ. Quotuplices.* Bubones alii ſunt *critici*, alii *ſymptomatici*: *ſymptomatici* alii ſunt *contagioſi*, alii *non contagioſi*: alii ſunt *peſtilentes*: alii *Venerei*.

Cauſa. *Cauſa* bubonis *non contagioſi* externæ ſunt cibus, potus, ulcus, dolor, colliſio: internæ ſunt plethora, materia ob copiam, vel qualitatem parti moleſta, & ad inguina ab eâ protruſa, robur item partium internarum, humores ad emunctoria eructantium: bubonis *Venerei* cauſa eſt commercium cum tali lue infectis: *peſtilentis* cauſa eſt aër putridus & malignus, cibi infecti, corporis mala diſpoſitio. Cauſa *conjuncta* eſt ſanguis, qui in emunctorio eſt actu bubonem efficiens.

Signa bubonis Critici. Bubonis *critici ſigna* ſunt dolor, tumor, rubor, calor, tenſio, renitentia, pulſatio, febris ephemera, & præcedentis morbi per criſin bonam remiſſio. *Symptomatici.* *Symptomatici* bubonis cauſæ ſunt eædem; excepto hoc, quòd fiat præcedente criſi malâ, & ſine ullâ morbi remiſſione. *Venerei.* Signa bubonis *Gallici* ſunt, præcedens impura commixtio, gonorrhœa, ulcera præputii, dolores nocturni, tumor, rubor, calor. &c. *Peſtilentis.* Signa *Peſtilentis* bubonis ſunt, aër corruptus, peſtis graſſans, color citrinus vel cinericius, aut liveſcens, febris peſtilens, ingens capitis dolor, gravitas, ſtupor. & continuæ vigiliæ, cordis palpitatio, delirium, vultus torvus, vomitus varicolor, ſitis inexplebilis, linguæ nigrities, oris amaritudo, halitus fœtidus, anxietas, inquietudo, urina tenuis & aquoſa, fœtida, egeſtiones fœtidiſſimæ, exteriora frigent, interiora uruntur, ſudor adeſt frigidus, fœtidus, ſyncopticus. *Prognoſis.* Bubones critici tutiſſimi ſunt; ii, qui ſunt in axillis, citiùs ſuppurantur, quàm qui ſunt in inguinibus, vel retrò aures: quia hi ex craſſiore & frigidiore; illi ex tenuiori & à corde ejectâ materiâ fiunt. Gallici difficilis ſunt curationis: ſed ſalubres: Peſtilentes ſunt periculoſiſſimi.

Curatio ſimplicis. *Cura* bubonum non malignorum, ſeu criticorum, fit primò diætâ: ſecundò antecedentis materiæ evacuatione: tertio materiæ conjunctæ ſublatione, & ſymptomatum lenitione. *Diæta.* Diæta convenit cum eâ, quæ in phlegmone præſcripta eſt. *Phlebotomia.* Materia antecedens evacuatur venæſectione, & purgatione: materia verò conjuncta debet lenito dolore diſcuti & evacuari: dolor leniri poteſt, ſi *oleo calido* imbutum linteum imponatur, vel illud ſequenti *Cataplaſmate* obtegatur. *Cataplaſma.*

℞. *Far. ſem. lini*,
fœnigræci,
hordei, ana ℥iij.
pingued. gallin.
anatis,
ol. camomill.
lilior. albor. ana ℥j.

Coquantur cum ſ. q. *decocti rad. althææ, malvæ*, & *flor. camomill.* F. l. a. Cataplaſma molle. *Repellentia cavenda.* Nota: hîc in bubonibus repellentia nunquam convenire, ne materia ad partes nobiles repellatur. *Maturantia.* Quòd ſi diſcuti ſeſe non patiatur, diutius *maturantia* ſunt continuanda: ut:

℞. *Cepar. ſub cineribus coctar.* num. ij.
vitell. ovor. ſolidor. num. ij.
rad. althææ in aqua coct. & *contus.* ℥ij.
pingued. ſuill.
butyri rec. ana ℥ij.

Cum ſ. q. *decocti malvæ* fiat Cataplaſma; quod egregie maturat: interjectis aliquando, pro diverſione, *purgantibus*: ut: *Purgantia.*

Potio.

℞. *Decoctionis aperitivæ*,
lenit. maj. cum m. j.
decocti flor. & *fructuum* facti q. s.
In quo infunde per noctem
fol. ſenæ ſ. ſt. ʒiiiß.
hermodactyl. ʒiß.
mechoacann. albiß.
agar. rec. trochiſcati, ana ʒj.
zinziberis ʒß.

Manè, factâ levi ebullitione, in colat. diſſolve
mann. elect. ℥ij.
cryſtall. tartari ℈ß.
M. F. Potio.

Hîc medicamenta liquida ſunt magis utilia, quàm ſicca; in quibus calor magis actualis malum poteſt augere. Quòd

Apertio.

ſi ad ſuppurationem deveniat malum, in parte inferiori aperiendus eſt tumor, ut eò commodiùs materia effluat; ulcúſque benè mundandum, ne materia retenta cuniculos agat, & fiſtulas procreet; tandem demum ulcus eſt im-

Digeſtiv.

plendum *Digeſtivo* ex *terebinth.* cum *vitell. ovor.* & *thure* facto, applicato foriniſecùs *emplaſtro diacachylo ſimpl.* vel *cum gummis.*

Venerei.

Bubo *Venereus* longè aliam, quàm præcedens, vel ſubſequens, curam requirit: nec enim repelli, nec reſolvi, ſed ſtatim maturari, citrà purgationem, aut venæſectionem, quæ ſub finem tantùm conveniunt, poſtulat, ſecundum Antiquos. De qua re vide in *§. 10. de bubon. Vener. in Praxi noſtra*, quid ſentiamus. Si enim repercuteretur, venenum Gallicum retrocederet, & luem Veneream intenderet: idem fieret per reſolventia, quæ craſſiores ſemper partes poſt ſe relinquunt. Purgatio item, & venæſectio, ſuum materiæ adi-

Suppuratio.

munt motum. Itaque *ſuppurationem* pro viribus procurare neceſſarium eſt, ut tota mali ſentina exhauriatur, in quem finem, natura ſit ad expulſionem tardior, attrahentia ſunt applicanda: ut ſunt *Fomenta ex decocto radicis althææ, lilior. albor. h. malvæ, ſeminis lini, fœnigræci, ol. commun. lilior. alb.* vel applicato *ſapone nigro*, vel *cum cucurbitulis*: ſupra verò applica *emplaſt. diachylon* cum *gummis* mixtum, cum tertia parte *terebinth.* & pauco *ammoniaco*, aut *bdellio*. Quamprimum attracta fuerit materia, ſta-

Apertio.

tim ſuppuranda eſt, & tumor *aperiendus* ferro, non tamen profundè adacto, ne materia aut vena tangatur, deinde maneat apertus abſceſſus diu, applicandò detergentia, &, antequam cicatriſetur, neceſſe eſt, corpus bene expurgare ſimili medicamento:

Pil purgant.

℞. *Extr. panchymagogi Crollii* ℈j.
Mercurii dulcis, oleo ſulphuris correcti, gut. xij.
pulv. Syrii gr. iiij.

Cum ſ. q. *ſyr. de fumar.* F. Pil. num. viiij. pro una doſi: dein *Venæſectio* celebretur, &, ſi ſanguis infectus videatur, *decoctum ſarſaparillæ* ad aliquot dies,

Sudoriferum.

pro ſudore eliciendo, propinari poteſt, ne miaſma Gallicum in ipſo corpore permaneat: & tandem ulcus implendum eſt, ac cicatriſandum. Plura vide *in cap. de morbo Gallico.*

Quæſtio.

Quæres: Utrum etiam ad hos tumores referri debeat tumor ille, quem Germani vocant Fieberzeltel i. e. panos eſſe, ſed jam ſcirrhoſos, qui circa epiploi duplicaturas, poſt longas febres, relicti ſunt ſine magno Ægri detrimento, ita, ut Mulieres complures viderimus, quæ cum ejuſmodi panis, totam fere ventris regionem occupantibus, infantes ſingulis annis enitebantur. Vide Obſervationes noſtras.

Caput. X.

De Phymate, Furunculo, Epinyctide, Terminthο.

Phyma quid.

Phyma eſt tumor glandularum, à ſanguine pituitoſo, qui ſtatim ad ſuppurationem pervenit: minor eſt tumor, quàm Phygethlon, minoremque habet dolorem & ruborem; citò ad ſuppurationem pervenit ob humiditatem à pituitâ provenientem, putredinis matrem.

Ejus Prognoſ.

In pueris, quibus eſt familiarius, citiùs curatur: in juvenibus, quibus raro obtingit, difficiliùs.

Cura.

Curam quod attinet, in pleriſq; convenit cum phygethlo; nempe quoad diætam, & materiæ antecedentis averſionem.

Topica.

Topica debent eſſe talia, quæ naturæ motum ſequantur: quò enim natura vergit, eò, per loca conferentia, eſt ducenda. *Mel*, in quo diſſolutum ſit *gummi ammoniacum*, ſi apponatur, illicò emollit: deinde ſuppurantia ſunt applicanda. Peccetius diſcutit poſt ſuppurationem; quod convenire minimè videtur.

Quid Furunculus.

Furunculus eſt tuberculum in acumen protuberans, cum inflammatione, & dolore, ovum columbinum magnitudine adæquans. Furunculus eſt alius *benignus*; alius contagioſus, ſeu *maleficus*, & peſtilens.

Quotuplex.

Furunculus *benignus* &

Digitized by Google

& mitis eſt, qui cutim ferè tantum occupat, & non penetrat profundè: *maleficus* verò eſt, qui peſti eſt conjunctus, eſtque periculoſiſſimus.

Cauſa. *Cauſa* furunculi ſunt humores cacochymici, & impurus ſangvis: in epidemicis verò cauſa eſt cacochymia, unâ cum malignâ qualitate.

Signa furunculi ſunt inflammatio, cum puſtulâ & veſicâ, ſenſim increſcens, cum dolore & rubore, circa ſtatum in acutum tendens, & ovum columbinum adæquans. *Differentia ab aliis.* *Differt* à phymate eo, quòd ſit rubicundior, & graviorem inferat dolorem: à carbunculo, quòd iſte ſuppurari poſſit: hic verò non: à phlegmone per cauſam differt: nam illius eſt ſangvis ſincerus; hujus materia cacochymica, ſeu ſangvis impurus.

Cura. Furunculus *curatur* ordinatâ victus ratione; ſecundò cauſæ antecedentis ablatione; & tertiò conjunctæ materiæ correctione. Primæ, & ſecundæ intentioni jam ſatisfactum eſt *capite de Phlegmone*: ultimæ autem ſatisfiet, ſi materia non repercutiatur, ſed corrigatur ſequentibus: maſticetur itaque *fermentum* jejuno ſtomacho, & applicetur inſtar cataplaſmatis: vel applicetur *emplaſtrum diachylum ſimplex*: vel

Cataplaſmata.

℞. *Mica panis ſiliginis* ℥iij.
farinæ ſem. lini,
fanigraci, ana ℥ij.
caricarum pingvium,
fermenti ana, ℥iiij.

Coque cum ſ. q. *lactis caprini*, ad conſiſtentiam Cataplaſmatis: ſi dolor adſit, hiſce addi poteſt *rad. lilior. albor. althææ*, & *fol. malvæ*. Quòd ſi tumor apertus, *mundificativo* de *apio* abſtergatur ſic.

Mundificativa.

℞. *Succi apii* ℥iij.
terebinth. ℥ij.
vitell. ov. num. ij.
pulv. thuris ʒiij.

Linimentum. Coquantur ad aliqualem ſucci exhalationem: deinde adde
farinæ hordei ʒij.
mellis roſacei q. ſ. M. Fiat Liniment. quod optimè mundificat: dein impleatur ulcus, & cicatrizetur.

Epinyctis quid. Epinyctis puſtula eſt fabæ magnitud. noctu maximè oriens & affligens, colore ſublivido, vel ſubnigro, vel rubicundo, vel albo, cum magnâ inflammatione, cumque aperitur, intus mucoſa quædam invenitur exulceratio.

Ejus Cauſa. *Oritur* epinyctis à ſangvine aduſto, & hepate calidiore.

Signa. *Signa* ex deſcriptione patent: periculoſa non eſt.

Cura. *Cura* ejus conſiſtit primò in ordinato victu, ut nempe omnia acria, acida & ſalſa vitentur; ſecundò in materiæ antecedentis per venæſectionem & purgationem ablatione; tertiò in applicatione topicorum, ut v. g. applicetur *braſſica*, vel *cicuta parum contuſa*, acria ſemper cavendo.

Terminthus quid. *Terminthus* eſt fermè ſimilis tumor epinyctidi; excepto, quòd, ablatâ nigrâ puſtulâ, infernè quaſi deſquammatio appareat; unde etiam cognoſcitur, & omnibus convenit.

De Exanthematibus, Variis, Variolis, Morbillis & Papulis, &c. vide *Tractatum noſtrum de Peſte*, & *Febribus*; ubi illorum accidentium, quæ tumoribus superveniunt, rationem invenies.

Caput XI.

De Eryſipelate.

Poſtquam tumores ſangvineos abſolvimus, bilioſos examinare adorimur: inter quos *Eryſipelas* primum ferè obtinet locum: eſtq; tumor, *Eryſipelas quid.* præcipuè cutis, à bile naturali, cum magno ardore, rubore, dolore. Eryſipelas eſt *duplex*, *purum*, & *ſpurium*. *Ejus Differentia.* Eryſipelas *exquiſitum*, ſeu *purum*, eſt, quod fit à purâ bile: *ſpurium* autem, quod fit à mixtâ: &, ſi fiat à ſangvine bilioſo, eſt eryſipelas phlegmonodes: ſi à bile cum melancholiâ permixta, eryſipelas ſcirrhodes: ſi à bile cum pituitâ permixtâ, eryſipelas œdematodes. Aliud autem eſt eryſipelas ulceratum; aliud non. Ex bile non naturali fit herpes exedens, herpes miliaris, & fit herpetum aſcenſus usque ad cancrum.

Signa. *Signa* eryſipelatis ſunt color ex rubro flaveſcens, horror præcedens, calor acris, pulſus, & dolor pungens, & mordicamen ſine tenſione aut gravitate, celer cutis, dum pungitur, relapſus, & circulus rubro colore valde tinctus, febris &c.

Cauſa. *Cauſa* eſt bilis alimentalis, non excrementitia (quæ icterum abſque febre generat) à calidis viſceribus, motu tempore æſtuoſo, cibo, potu, calido, &c. generata. *Subjectum.* *Subjectum* ejus eſt cutis, præcipuè faciei, manuum, pedum; licet pulmonum, uteri, & partium internarum eryſipelata eſſe poſſe, non negemus. *Prognoſis.* Eryſipelas, quod ulceribus aut vulneribus ſupervenit, malum: ſignum enim eſt, aliquam craſſam in partibus ſubjacentibus latere materiam, ibique obſtructionem facere; quæ poſtea magnas facit difficultates. Eryſipelas ab internis ad externa ferri, bonum; contrà verò, malum. Hipp. *6. aphor. 25.* idem *7. aph. 20.* Ab eryſipelate putredo, malum. Gal. *6. epid.* Si eryſipelati nigredo quædam, aut puſtulæ, aut mentis alienatio ſuperveniat, ita malum eſt, ut nullus ſpei relinquatur locus: quod ſi violentiùs faciem occupet, non eſt ſine periculo: nam ob viciniam cerebri inflammat membranas.

Cura Ejus Scopi. *Curam* quod attinet, in hac duos nobis ſcopos monſtrat Ambroſius Paræus: *vacuandi* ſcilicet, & *refrigerandi*: ex quibus 4. iterum ſcopi reſultabunt: *4.* primò ordinata ex rebus ſex non-naturalibus diæta: ſecundò materiæ peccantis evacuatio: tertiò topicorum applicatio: *quartò* ſymptomatum correctio. *1. Victus ratio.* Quoad *primum* itaque tum aër, tum cibus, tum potus, &c. ſint refrigerantia & humectantia. Quoad *ſecundum*, ſi eryſipelas ſit in cervice, facie, capite, injecto priùs clyſtere, vena cephalica ſecanda eſt; teſte Aëtio, *ſerm. 14. c. 59* Si in- *2. Purgatio. Potio.* feriores partes eryſipelas occupet, ſufficiet *purgatio* cholagoga: ut:

℞. *Rhei elect.*
cort. myrob. citrinar. ana ʒij.
fol. ſenæ ſ. ſt. ʒiij.
mann. elect. ℥j.
His ſuperaffunde
aquæ cichor. bullientis ℥iiij.
Stent per noctem: in colat diſſolve
ſyr. de cichor. quadrupl. *rhabarb.* ℥ß.
crem. tartari ℈j.
elect. de tamarind. ʒij.
M. F. Potio:

quâ præmiſſa ſequens, tanquam probatiſſimum, pro eliciendis *ſudoribus* exhibeatur: *Sudoriferum.*

℞. *Rob. ebuli* ʒij.
pulv. glandium antiquorum ʒj.

M. pro una doſi (hoc remedio plurimos reſtituimus) poſſunt addi *ſpec. dia-Solis Minſicht.* gr. xx. quâ ſumpta, ſudores exſpectentur, &, ſi eryſipelas ſtatim ad votum non cedat, repetatur ſudoriferum: quin & ipſa purgatio reiterari poteſt, vel quotidiè infuſum *rhabarbari* ſumi poterit; ut:

℞. *Aq. cichor.* ℔j. *Infuſum rhabarb.*
in qua infuſa
rhabarbari electi
parum contuſi, & in petia ligati, ʒß.

Stet per noctem: de hoc ſumantur 4. cochlearia omni manè: ita ſangvis deferveſcit, & bilis evacuatur. Hinc *Julapia* refrig. ex *aquâ endivia, nymphaea, lactuca, portulaca*, cum *ſyr. de endivia, de nymphaea*, & *ſpir. vitrioli*, exhiberi poſſunt. *Julap.* *Epithemata* teſtibus cum *oxycrato* applicentur. *Epithemata.* Quod ad *Topica tertiò* attinet, hîc nec Hiſpanos, nec Italicos, nec Gallicos Authores imitari ullo modo licet. *3. de Topicis.* Illi enim repercutientia humida apponunt; quia in hoc climate eryſipelas ulcera, & gangrænam inferre ſæpiùs eſt viſum. Nos itaque, potiùs ab humidis & repercutientibus abſtinentes, *diſcutimus* plerunque per applicationem *farinæ hordei*, vel *farinæ volatilis* cum *pulv. liquirit.* & *bolo*: vel applicamus *Pulv. Minſichti ad eryſipelas*, qui talis eſt: *Diſcutientia.*

℞. *Farinæ volatilis* ℥vj. *Pulv. ad Eryſipelas Minſicht.*
plumbi uſti,
boli rubr. ana ℥ij.
maſtiches elect.
olibani,
ceruſſæ, ana ℥j.

M. F. omnium Pulvis ſubtiliſſimus, qui, chartæ cæruleæ inſperſus, parti eryſipelatoſæ applicatur. *Suffumigium* fit utiliſſimum ex *cortic. baccarum lauri*: quin & utiliſſimè applicatur *ung. de liquiritia*, vel *rob. ſambuci*, vel ſolus *pannus crocatus Minſichti*. *Suffumigium. Epithemata.* *Quartus* ſcopus fuit ſymptomatum correctio: quæ ſunt febris, capitis dolor, vigiliæ, ſitis, bullæ, veſicæ, ulcus, nigrities, durities, materiæ ad interiora recurſus &c. Quatuor prima ſymptomata delinire poteris ex *Tract. noſtro de Febribus*: ad bullas, *Symptomatum medicatio.*

& ve-

& veſicas applicare potes *ung. liquirit.* vel *de enula*: ſi adſit nigrities, vide *caput de Gangræna*: ſi durum ſit eryſipelas: ℞. *Fol. ſolani minoris*, contunde, & cum ſ. q. *axungiæ ſuillæ*, & *butyri rec.* addendo quantitatem aliquam *pulv. liquirit.* F. Linimentum; quod potenter emollit. Si materia recurrat ad interiora, fortiora diaphoretica ſunt exhibenda, ut ſi priori addas *antimonii diaphoret.* gr. xiij. Si vigiliæ urgeant, *ſyrup. de papav.* vel *emulſiones ex ſem. frigidis majoribus* factæ propinentur; *diacodium* exhibeatur, pedilavia ex *cap. papaveris*, *foliis violar. ſummit. anethi*, adhibeantur: ſi tamen pedes infeſtet eryſipelas, narium, temporum, pulſuum inunctio cum *ol. nymph.* & *ung. populeo*, ex uſu erit. Interea refrigerantia hepatis regioni, & teſtibus applicentur: ut;

Linimentum. *Somnifera.* *Topica refrigerantia.*

℞. *Aq. ſolani*
lactucæ,
endiviæ,
portulacæ, ana ℥iiij.
pulv. ſantali rubei,
ſpec. diarrhodon Abbatis, ana ʒj.
camph. ℈j.
aceti roſac. ℥j.

M. in hoc intingantur lintea, & dictis applicentur locis. *Purgationes* interim partitis temporum vicibus humoribus peccantibus accommodentur. Sique ſit eryſipelas œdematoſum, aut ſcirrhoſum, fiat mixta curatio, ex *prioribus capitibus* repetita. Nota: ubi rigor præceſſit, & calor ſubſecutus eſt, non ſtatim, aliquam ex intermittentibus febribus adeſſe, judicandum eſt: nam incipiente eryſipelate, aut calculi paroxyſmo, plerunq; ejusmodi calores & rigores præcedunt.

Purgationes.

Caput. XII.

De Herpete, & Phlyctænis.

Quid ſit Herpes.

Herpes à ſerpendo dictus, ſacer ignis, formica corroſiva, ſeu copia puſtularum cholericarum, eſt puſtuloſa inflammatio, cum dolore urente, pruritu, & rubigine, partem, in quam ſerpit, exulcerans; vel tumor quidam parvus exurens, cum ſerpentibus minimisque puſtulis, exaſperans ac erodens: qui, ſi puſtulæ grana milii referant, *Herpes Miliaris* dicitur: ſi cum violentia ſerpat & exedat partem, *Eſthiomenos*, ſeu ferus, herpes excedens, ſeu depaſcens nominatur. Si nihil ſibi adjunctum habeat, ſolumque ſerpat, ſimpliciter dicitur *Herpes*. In prima & ultima ſpecie *ſubjectum* eſt ſola cutis; in ſecunda verò etiam ſubjectæ partes corroduntur. Fit autem præcipuè in pectore, & partibus thoracis lateralibus.

Quotuplex: Miliaris Exedens. *Ejus Subjectum.*

Cauſa herpetis remota & externa eſt illa, quæcunque bilem producere valet; ut aër calidus &c. interna ſunt diſpoſitiones viſcerum calidæ: conjuncta eſt bilis ſincera & ardentiſſima, quæ, ob tenuitatem, partes carnoſas tranſit, & cuti, tanquam ſubjecto denſiori, adhæret, illamque corrodit. Quamvis tam herpes, quàm eryſipelas, à bile fiant, in hoc tamen *differunt*, quòd hoc fiat à bile alimentitia; ille verò à bile præternaturali; quæ dum magis fera eſt, magis depaſcitur, & vocatur *Herpes exedens*, & *κακοήθη* ulcera faciens: in hoc etiam differunt herpes, & eryſipelas, quòd ille ſenſim; hoc verò derepentè invadat: quòd ille ſit cum prurigine; hoc cum dolore: à phagedænico ulcere differt herpes, quod hic ferè cutim tantùm afficiat, illud verò etiam partes vicinas. Hinc ab herpete exedente tantùm ſecundum magis & minus differre videtur.

Cauſa. *Differentia ab aliis.*

Herpes *cognoſcitur* ex colore ad rubedinem & flavedinem tendente, ex pruritu, ex eo quòd ſerpit, vel quòd milii grana refert.

Signa.

Prognoſticum deſumitur ex Gal. 4. *meth.* Quæcunque vero ulcera exedunt, cacoëthica ſunt, & malorum ſuccorum ſoboles. Quò bilis eſt pejor, eò ſemper etiam pejor eſt herpes: diuturnior quoque eſt, ubi jecoris adeſt intemperies calida.

Prognoſticum.

Cura Herpetis conſiſtit primò in benè ordinatâ victus ratione: ſecundò in materiæ antecedentis averſione, & inhibitione: tertiò in evacuatione humoris affectam partem occupantis: quartò in ulceris ſanatione. *Diæta* eadem eſt, quæ in eryſipelate, & circa univerſalia, id eſt, circa *purgationem* & *venæſectionem*, eadem requiruntur; licet quoad par-

Cura. *Diæta.*

Pharmacia. ad particularia parum diſcrepent: per initia itaque, vacuato priùs corpore, ſequens *Cataplaſma* applicetur:

Cataplaſma.

℞. *Decoct. fol. rubi,*
arnogloſſæ, ana q. ſ.
In quo diſſolve
farinæ hordei,
lupinorum, ana ℥iiij.
pulv. rad. enulæ ʒvj.
F. Cataplaſma; cui adde
ol. nymphææ,
roſacei, ana ʒvj. M. & applicetur moderatè calidè: vel, loco ejus, *ung. de liquirit.* pauperes *atramentum ſcriptorium* ſaltem applicant; quod ratione vitrioli putredinem corrigit, ratione gallarum repercutit & refrigerat; vel ſeq. *Ungv.* applicari poterit:

Uſus atramenti ſcriptorii.

Ungvent.

℞. *Lanæ ſuccidæ uſtæ & pulveriſatæ* ʒij.
corticis pini uſti & loti ʒiſs.
adipis caprelli ℥j.
ol. myrtini ℥iij.
ceræ. q. ſ.

Epitemata. M. F. Linimentum, quo pars affecta ungatur. Liquor exſtillans ex *betularum apertis corticibus*, vel è vitibus, vel ſponte, vel per ignis admotionem, eſt utiliſſimus: vel:

℞. *Aceti*
aq. plantag. ana partes æquales, & applica; vel etiam applicare poteris terram *Cimoliam*, cum ſucco *ſolani* ſubactam, & ad ungventi formam redactam. Cur autem neceſſaria ſit hic *repulſio*, cauſa eſt, primò quòd aliàs nimium ſerperet, ſi non impediretur: ſecundò eò, quòd humor in ſerpigine, ſeu herpete, non ſit tam humidus, quàm in eryſipelate, adeòque non tam facilè putreſcat, & partem κακοήθως depaſcatur.

Cur repellentia in hoc affectu præſcribantur.

Herpes ulceratus quid requirat. Quòd ſi *Herpes ulceratus* adſit, medicamenta moderatè exſiccantia, & minimè acria, ſunt adminiſtranda: ulcus itaque ſequenti *Decocto* abluatur:

Decoct. abluterium.

℞. *Herbar. ſolani,*
plantag.
burſæ paſtoris,
centinod. ana mj.
calicum virid. glandium,
nucum cupreſſi, ana ℥iij.
balauſt.
gallar. ana ℥j.
thuris,
myrrhæ, ana ℥ſs.
F. Decoctum in *aq. fabror.* quo ulcus benè mundetur. Dein combure *lanam ſuccidam* in olla nova, combuſtam tere in pulv. & cum ſ. q. *aq. roſar.* fiat inſtar atramenti, quod plumis *illinire* potes: alii ipſum atramentum applicant. Quòd ſi malum ſit usque adeo pertinax, ut omnes medicamentorum conatûs eludat, & in phagedænicum ulcus tranſeat, ad fortiora deveniendum, & *arſenicum* cum *ungvento albo* miſcendum eſt atque inungendum, ſimiliq́ue modo *ung. baſilicum minus*, cum *Mercurio præcipitato* mixtum, eſt uſurpandum; quod ſimilia ulcera rectificandi vim habet.

Illin.

Mercurialia.

Ignis ſylveſtris, ſeu *Phlyctæna*, ſunt veſicæ quædam citò erumpentes, nec adeò dolentes, humore flavo repletæ, bullarum inſtar lividæ, puſtulas ab uſtione aquæ ferventis inductas referentes. *Pars affecta* eſt cutis, & ferè magis cuticula, ſeu epidermis.

Ignis ſylveſtris, ſeu Phlyctæna, quid.

Subjectum.

Cauſa antecedens eſt copia humoris; cui conjuncta eſt bilis fervida, ſub cuticulâ collecta, & illam diſtendens. Sangvis menſtruus, cùm diutiùs retinetur, & poſtquam bilioſus evadit, ſimiles ſæpe tumores excitat. *Signa* ſunt *in Deſcriptione*. *Prognoſis* eſt, quòd, licet ex ſe periculo vacent, ſæpe tamen, ſi non bene tractantur, in herpetem degenerent.

Cauſa.

Signa.

Prognoſis.

In *cura* tres ſunt ſcopi: diæta ſcilicet; materiæ antecedentis evacuatio; & conjunctæ diſcuſſio per topica. *Diæta* ſit refrigerans, humectans, & diuretica: in ſecundo cum herpete convenit: in tertio quoad *Topica* quamprimùm pruritus, dolor, & rubor apparent,

Cura.

Diæta.

Topica.

℞. *Boli Armenæ, coriandri,* ana *pulveriſatorum* ℥ſs. Cum ſ. q. *aq. roſar.* fiat Linimentum, quod ſtatim applica. *Decoctum lentium* ſignaturam cum ejusmodi puſtulis habere, ideóq; prodeſſe plurimùm videtur. Quòd ſi *ulceretur*, accipe *adipem ſuillam, liquefac*, & cum ſ. q. *ſpumæ argenti* minutiſſ. pulveriſ. F. Linimentum applicandum; cui ſi *ſulphuris pulv.* parum addideris, eò evadet efficacius.

Liniment.

Ulceratio-nis.

CAP.

Caput XIII.

De Impetigine: item de Tinea.

Impetigo quid. Impetigo, ſeu *Lichen Græcorum*, eſt cutis aſperitas dura & ſicca, cum ingenti prurigine. Impetigo *duplex* *Duplex eſt: mitis: & fera.* eſt: una *mitis*; altera *fera*. *Mitis* eſt, in quâ per minimas puſtulas cutis aſpera redditur, rubet, & leviter roditur, tardè ſerpit, eſtque inſtar annuli rotunda: impetigo *fera* eſt, quæ eodem modo procedit, ſed majori cum pruritu & dolore; quin & interdum locus depilatur.

Ejus Subjectum. *Subjectum* impetiginis eſt cutis, præcipuè in facie & cervice.

Cauſæ. *Cauſa* ejus eſt humor tenuis, acris, ad cutim, tanquam ad commune emunctorium, à partibus internis rejectus; ad quem producendum omnia faciunt, quæ humores poſſunt reddere acriores: quibus accedit cutis conſtipatio à frigore hyberno. *Signa diagnoſtica.* *Signa diagnoſtica* ex *ſuperioribus* patent. Recens faciliùs curatur quàm antiqua; quæ, teſte Ægineta, facilè tranſit in lepram. *Cura.* In *Cura* tres ſunt ſcopi: primus eſt, ut optima ſervetur diæta, abſtinendo ſcilicet ab iis, quæ humores acriores reddere poſſunt: ſecundus, ut humorum abundantia per purgationem aut venæſectionem tollatur: tertius eſt, ut affectui conſerentia *Topica* applicentur: ut *Topica Lenitiva.* *parietaria folia trita*, & cum *aceto* mixta: vel ſolvatur *gummi. ammoniacum* in *aceto*, & deinde cum *ſucco* ejusdem *parietariæ* intinctis petiolis apponatur. Alii adhibent *braſſicæ ſuccum*: alii *corticem oxylapathi* maſticant, & applicant: alii ſolâ hominis jejuni ſalivâ inungunt: alii *oleo tartari* ſolo, vel cum *ſucco citri*, lichenes tollunt: alii *ſtercus leporis* cum *aceto* miſcent, & impetigines eo impoſito arcent. Si levioribus hiſce non *Fortiora.* cedant, ad *fortiora* confugiendum eſt: ut:

℞. *Picis*, vel *colophonii*,
rad. helleb. albi trit.
ol. roſac. ana p. æ.
M. F. l. a.

Unguent. Ungventum molle, quo frequenter liniantur. Si nec hiſce malum cedat, repetitis ſæpe purgantibus, ad *excoriantia* *Excoriantia.* deveniendum eſt: ut eſt applicatio ſolius *picis*, & violenta ejus detractio: Vel

Linimenta.
℞. *Æris uſti*,
fol. viticis,
lithargyri,
nitri, ana ʒj.
vitrioli ℈j.
ſulphuris vivi,
rad. helleb. albi, ana ʒß.
æruginis ℈ij.

Terantur omnia ſeparatim, & cum ſ. q. *olei roſacei*, & *cera citrina*, F. Linimentum, quo remoto, mundificabis *Ung. viridi*, vel *Apoſtolorum*; deinde ad cicatrizandum impones *ung. de tutia*, vel de *minio*, vel *empl. de lapide calaminari*. Nos in hujus affectus curatione uſum *Mercurii approbatio in cura hujus affectus.* *Mercurii* tum extrinſecè, tum intrinſecè, per experientiam probamus.

Caput XIV.

De Oedemate.

Abſolutis tumoribus à bile ortis, *Oedema quid.* ad eos, qui à pituita ſuam trahunt originem, deveniemus. Oedema eſt mollis & laxus tumor, à pituita, vel ſpiritu vaporoſo ortus, ſine dolore aut calore, colore albo, qualis in hydropicorum pedibus & cruribus ſpectatur. Hîc de œdemate morbo agimus, non quatenus eſt ſymptoma. Oedema eſt *duplex*: *legitimum*, vel *ſpurium*: *Oedema,* *legitimum* eſt, quod à mera pituita oritur: *ſpurium*, quod ex humore aliis mixto fit; & hoc quidem eſt triplex: vel etiam œdema eſt *phlegmonicum*, vel *eryſipelatoſum*, vel *ſcirrhoſum*.

Ejus Subjectum. *Subjectum* ejus ſunt pleræque molles corporis partes, & eæ præcipuè, quæ à corde, caloris fonte, plurimum diſtant; ut ſunt manûs & pedes. Quâ ratione à cæteris differat œdema, patet *ex deſcriptione*.

Cauſæ. *Cauſa primitiva* ſunt omnia iſta, quæ intemperiem frigidam & humidam producere, pituitæque proventum generare poſſunt; ut eſt aër frigidus & humidus, victus inordinatus, crapula &c. Cauſa *antecedens* eſt humida intemperies ventriculi, cerebri, hepatis, & pituitæ in corpore proventus; quæ eſt cauſa œdematis conjuncta, quatenus eſt natura-

Digitized by Google

naturalis, & quarta ſangvinis pars inſipida, alba.

Signum. Oedema ſignum præbet certum, ſi prementis digiti foveola remaneat.

Prognoſticum. Oedema hyberno tempore plerumque accidit in ſenibus, & crapuloſis: œdema morbus eſt longus, quia à materia frigida oritur: quo mollius eſt, eò tutius; quo durius, eò pejus.

Cura. *Curam* quoad attinet opus eſt, ut œdema terminetur vel per *reſolutionem*, vel per *ſuppurationem*, vel per *indurationem*: ut horum ſcoporum priores aſſequamur, *primò* requiſita diæta eſt ordinanda: *ſecundò* humorem pituitoſum præparare & evacuare oportet: *tertiò*, topica applicanda, accidentia & ſymptomata ſunt corrigenda: ſecundæ intentioni ſatisfiet, ſi *decocti hyſſopi*, in *hydromelite* facti, ℥iiij. cum ℥j. *oxymel. ſcyllitici*, ſingulis diebus cubitum eunti propinaverimus, deinde ſequens *Phlegmagogum* exhibuerimus:

Potio phlegmagoga.

℞. *Fol. ſenæ ſ. ſt.* ʒiiiß.
mechoacannæ albiſſ.
agar. rec. troch. & in petia ligat. an. ʒij.
Zinziberis,
myrob. chebul. ana ʒj.
Infunde omnia per noctem in
aq. hyſſopi ℥liij.
Manè, facta levi ebullitione,
in colat. diſſolv.
mann. elect. ℥j.
elect. diaphan. ʒij.
M. F. Potio.

In hoc affectu tam frigido non convenit venæſectio, niſi fiat à menſibus retentis; in quibus aliquando convenit, in exiguâ tamen quantitate. **Topica.** *Topica* ſunt primo *aqua* & *acetum*, calida, cum forti ligaturâ, ab extremitate ad centrū factâ, cui parum *ſalis* addendum; quin &, ſi valentiùs agere intendis, *aluminis* parum addere poteris: atque ita repercuties, incides, & partis mollitiem tolles, vel, loco horum, ſola *aq. ſalſa* plurimum facit: **Epithemata.** vel ſacculus cum *cinere ſarment. vitis*, & *ſale* trito, ad modum alicujus matracioli factus; vel, ſi calor in parte admodum debilis videatur, *ſpiritus vini* linteis, in eo madidis, adhiberi poterit, vel *oleum* ejusdem; vel ex *vitibus* in *ſpiritu vini* coctis, F. Cataplaſma; cavendo tamen, ne per nimium calida indurationem, & ſcirrhum inducas: Vel

℞. *Lixivii acerrimi, è cineribus vitis facti*, ℔ij.
aceti ℔ß.
ol. ℥iij.

M. intinge calidè linteola, & œdemati applica. Quòd ſi tumor ad declinationem venerit, ſequenti utere *Cataplaſmate*: **Cataplaſma.**

℞. *Sulphuris*,
farinæ fabar. ana ℥iß.
ſtercoris columbini ʒiß.
mellis communis ℥j.
decocti rad. aſphodeli q. ſ.

Coque ad conſiſtentiam cataplaſmatis, quod bis de die renovetur: alii tantùm *ſulphur* cum *axungia ſuilla* miſcent, & inungunt; item loco ſulphuris *myrrham* ponunt: alii *oleis calidis* utuntur: ut:

℞. *Ol. de ſpica*,
laurini,
rutacei, ana ℥j.
aceti ℥ß.
M. F. Inunctio calida.

Quòd ſi œdema hiſce reſolvi non poſſit, ad ſuppurantia confugiendum eſt; quod in exquiſitis rariùs fieri, certum eſt: ſunt enim ſuppurationis magis incapacia: in aliis

℞. *Ungv. de alth.* ℥iij.
ol. lilior. alb.
camomill. ana ʒvj.
M. F. Ung.

Vel tale *Cataplaſma*: **Cataplaſma.**

℞. *Rad. lilior. albor.*
althææ, ad putrilag. in
hydromelite vel *vino*, coctar. ana ℥iij.
Trajice per ſetac. dein adde
pulv. rad. bryon. ʒiij.
ol. lilior. albor. ℥j.
pingved. anſeris,
anatis, ana ℥iß.
M. F. inſtar Cataplaſmatis.

Si œdema eſt magis ſuperficiale, applicetur *diachylon cum gummis*, vel *farina ſem. ſinapis*, cum *ſtercore columbino*, & ſ. q. *hydromelitis*, in Cataplaſma redacta, ſuperponatur. Quando œdema ad maturationem devenerit, illud *aperire* oportet in loco inferiori, ſervatâ fibrarum rectitudine, vel ferro, vel corroſivo, vel medicamento rumpente, *ſuperiùs* ordinato: dein ulcus apertum mundi-

Digitized by Google

mundificetur, & *digeratur terebinth: vitello ovi mixtâ*, cum pauca quantitate *gummi ammoniaci*, in *aceto* ſoluti: factâ digeſtione ulcus *carne impleatur*, cum *ung. baſilico minore* linteolis inuncto & applicato; tandemque cicatriſetur. Ultimus ſcopus eſt, ut accidentibus occurramus, dolori ſcilicet, per *unguenta relaxantia*: ut *ungv. de althaa* cum *oleo anethino*, *chamamelin. lil. alb.* Quòd ſi tumor in duritiem abierit, emollientia ex uſu erunt; ut:

Epithem.

℞. *Farina ſeminis lini* ℔ß.
rad. althaa,
lil. albor. admollit. coctor. ana ℥ij.
foliorum malva m. iij.

Cum ſ. q. *lactis* F. Cataplaſ. emolliens: cui etiam addi poteſt *diachylon ſimpl. ol. lilior. albor* &c. Si œdema ſubſequatur febris, vel ægritudines diuturnas, vel hydropem, inducit velut ſymptoma; quod tolletur ſublato eo, à quo procedit, utpotè morbo.

Caput. XV.

De Tumoribus Aquoſis, & Flatulentis.

Tumor aquoſus.

Tumor, ſeu *apoſtema aquoſum* eſt collectio quædam aquoſi humoris, in aliqua parte corporis, ſine dolore, & cum partis aliqua laxitate. Non hic de tumore totum corpus occupante, qui eſt hydrops aſcites; ſed de partem ſaltem aliquam occupante tumore agimus: v. g. ſi caput occupet, excitat hydrocephalon; dum nempe aqua ſeſe intra cranium & cutim colligit: ſi in cute ſit, ſudamina dicitur: ſi in umbilico, hydromphalos: ſi in ſcroto, hydrocele vocitatur. Pedes & manûs, præ reliquis, ſæpius hoc tumore infeſtantur, eò, quòd longiùs à caloris nativi fonte diſtent. Tumor aquoſus non relinquit ſoveolas, ut œdema, dum premitur; deinde ſi percutiatur, non edit tympani, ſed membranæ tenſæ ſonum, uti tumor flatuoſus; nec eſt tantus dolor, ac in eryſipelate, nec tanta durities, ut in ſcirrho.

Ejus Differentia.

Cauſa.

Cauſa tumoris aquoſi *externa* eſt acris humiditas, cibi aquoſi & humidi, potus copioſus, balnea frequentia aquæ dulcis: *interna* cauſa eſt concoctricis facultatis debilitas, & caloris nativi inopia, frigida jecoris, lienis, renum intemperies, unde ſeroſa materia colligitur, & à renibus, vi attractice deſtitutis, non attrahitur, ut per urinas excerni poſſit. Cauſa *conjuncta* eſt ipſe humor ſeroſus, tumorem excitans. Major eſt frigiditas, quæ aquoſum, quàm quæ flatulentum excitat tumorem: nam humiditas aquea in flatûs reſolvi non poteſt, niſi ab aliqualiter intenſo calore: quin & plerunque, ubi eſt aquoſus tumor ibi etiam eſt flatulentus; & è contrà. Facilè tumor aquoſus ex hoc *colligitur*, quòd ſplendeſcit ad lucernam, & diaphanus eſt: deinde quòd, ſi percutitur, ſtrepitum aquæ murmuranti reddit planè ſimilem. Si aquoſi humoris cauſa ſit magna partium internarum jecoris ſcilicet, lienis, &c. intemperies frigida, periculo non vacat. Tumores verò aquoſi, ſeu puſtulæ aquoſæ, in habitu corporis à ſola urinæ retentione ſæpe oriuntur.

Signa diagnoſtica.

Prognoſis.

Cura.

Aquoſi tumoris *Cura* quatuor inſtrumentis perficitur: primo diætâ: ſecundò aquoſi humoris per alvum, renes, ſudores, evacuatione: tertiò partium internarum roboratione: quartò humoris exſiccatione. *Diæta* itaque primo ſit ſiccans, ita, ut abſtinentia à potu copioſo omnino eligatur. Potus ſit vinum optimum, vel, in aſſuetis, decoctum ligni ſaſafras, vel Chinæ: aſſa potiùs, quàm elixa, porrigantur, juſcula quoque multa; vitentur lactucæ &c. ſecundò *evacuetur* humor ſeroſus per alvum ſequenti: ut:

Diæta.

Evacuatio.

Bolus purgans.

℞. *Rob ebuli*,
ſambuci, ana ʒiß.
magiſt. galapp. gr. xvj.
crem. tartari ℈j.
ſyr. violar. lax. q. ſ. Cum *ſacchar.* F.

Bolus, qui & per alvum, & per urinas evacuabit. Tertiò partes internæ *roborentur*, ut ſtomachus, & hepar:

Roborantia.

Tragea.

℞. *Spec. diagalanga*
aromat. roſati,
diatrion pipereon, ana ℥ß.
ſalis abſinth. ʒij.
ſem. aniſi,
dauci,
cumini,
baccar. lauri praparat. ana ʒj.

ſacchari ad pondus omnium F. Tragea; de qua cum *pane toſto*, & *vino rubello* madente, ſumatur, quantum neceſſe eſt; vel, loco ejus, dentur gr. xij. *elix propriet. Paracelſi*, *eſſentia diala.c.* & *diacurcuma*, vel *diarrhodon Abbatis*: Ventriculus extrinſecè

Inunctiones. *inungatur oleo de ſpica*, *coſtino*, *maſtichino*, *nardino*, *de abſinth* &c. Hiſce etiam fieri poteſt ſtillicidium; vel *lana ſuccida* applicetur. Hîc etiam prodeſt *Ther. antiqua*, *Mithridatium*, *aurea Alexandrina*, &c. Vel

Mixtura. ℞. *Aq. cinam.*
mentha,
elixir. vita Matthiol. ana ℥ij.
ſyr. de cinam. ℥ij.

M. de hac Mixturâ ſumatur ſæpius unum cochlear: hepar roborabitur ſequenti *Linimento*:

℞. *Ol. abſinth.*
nardini,
roſac. ana ℥ß.
cerat. ſantal. ℥j. Liqueſcant ad ignem: dein adde
pulv. ſem. endiv.
trochiſcor. de carabe, ana ℈iß.

Cum pauca *aceti* quantitate F. Ungv. molle; quo hepatis regio inungatur. Jubeatur Æger ſæpius *rob cynosbati*, cum *corall. rubris præparatis*, vel etiam *rob. paſſular. uſitare*. Hiſce peractis, cauſa conjuncta explodenda eſt per reſolventia &

Exſiccantia. *exſiccantia*: repellentia vetantur, eò, quòd ſit humor naturâ inutilis, licet ad repellendum aptus: exſiccat *lixivium ſarmentorum vitis*, linteolis in eo madidis applicatum, vel etiam *aqua ſalſa*, vel *cineres in ſacculo*, uti de œdemate dictum eſt: de ſpeciebus aquoſorum humorum tractabitur in *ſequenti Capite*.

Flatuoſus tumor unde. *Flatuoſus tumor*, inflatio, ſeu apoſtema flatuoſum, gignitur ex flatuoſo ſpiritu, in aliqua parte concervato. Alius eſt

Ejus Differentia. *cum dolore*, alius *ſine dolore*; alius *vagus*, alius *fixus*, alius *parvus*, alius *magnus*;

Pars affecta. alius *profundus*, alius *ſuperficialis*; alius *benignus*, alius *malignus*; differt ab œdemate eo, quòd tumorem magis tenſum excitet, & pulſatus tympani edat ſonum: *Sedes*, tumoris flatuoſi eſt plerunque perioſtium; loca ſubcutanea, ventriculus, peritonæum, uterus, & viſcera; item muſculorum membranæ, & loca vacua articulorum; uti in Podagrâ accidit.

Cauſa. *Cauſa* tumoris flatuoſi externa eſt frigus ambiens, & aer nebuloſus, cibi craſſi ſucci, & difficilis concoctionis, ut ſunt omnis generis legumina, dulcia, ut lac, caſtaneæ, cibus & potus in majori copia ſumptus, ocium, ſomnus longus, alvus adſtricta, hæmorrhoidum, menſtruorúmve obſtructio, & partis alicujus per caſum, ictum &c. debilitas: vina ſulphurea, præcipuè viſcoſa, ſturionis veſicâ præcipitata, ſi nitroſa iis accedant elementa, detonationes plurimas excitant; unde cruditas pituitoſa naſcitur; quæ à debilitato calore in flatûs degenerat. Galen. *3. de ſympt. cauſis*, facit ſimilitudinem aëris cum flatibus: debilis enim calor ſuſcitare quidem poteſt vaporem è materia humidâ, ſed minimè digerere, aut per inſenſibilem tranſpirationem diſcutere, præcipuè ubi accedit denſus corporis habitus: ſi verò in majori debilitatis gradu calor ſit, nihil reſolvet, adeoq; nec flatûs producet: ita, ut tres ſint flatuum præcipuè cauſæ: debilis ſcilicet calor; materia humida; & partis denſitas, ſeu obſtructio.

Signa diagnoſtica. Tumor flatuoſus *cognoſcitur* ex renitentia, quæ prementi fit, ex inconſtantia tumoris, qui ſæpe locum mutat: hic dolor vagus flatûs plerunque deſignat: deinde tumor flatuoſus deſignat veſicam flatu turgidam, ſonatq; inſtar tympani.

Prognoſtica. *Prognoſtica* quod attinet, flatuoſus tumor, qui eſt valdè magnus, præcipuè in articulis, periculoſus eſt: ſi ſit in muſculis perpetuus, ſignificatur habere cauſam valde rebellem, & aliquando malignam: quò itaque minores ſunt ejusmodi tumores, eò ſemper curatu ſunt faciliores.

Cura. *Cura* flatuoſi tumoris conſiſtit in hiſce tribus: ut materia humida & flatuoſa tollatur, debilitas caloris corrigatur, & obſtructiones reſerentur. Primò itaque conveniens, & minimè flatûs generans *diæta* ordinetur:

Diæta. ſecundò materia pituitoſa, ut antecedens cauſa, *evacuetur* per phlegmagogum, prius tamen ſequenti remedio *præparanda*:

Pharmacia.

℞. Herb.

Digeſtiva.

℞. *Herb. hyſſopi,*
pulegii, ana m.j.

Coque in ℔j. *hydromelitis*. Colat. detur 4. diebus manè: dein ſequens *Phlegmagogum* propinetur:

Phlegmagoga.

℞. *Agar. rec. troch.*
mechoacan. albiſſ. ana ʒij.
rhabar. elect. ʒiß.
turbith ʒß.
fol. ſenæ Alex. ſ. ſt. ʒiij.
mann. elect. ℥iß.
His ſuperaffunde
aq. hyſſopi bullientis ℥iiij.

Stent per noctem: manè, facta expreſſion. in colat diſſolve
cryſtallorum tartari ʒß.
eſſentiæ cinamomi gutt. iiij.
M. F. Potio.

Hiſce peractis, calor debilis eſt roborandus: ad quod perficiendum repete antè dicta, *de tumore Aquoſo*. Quod ad cauſam conjunctam attinet, ut flatûs *diſcutiantur*, *ung. carminativum Minſicht*. cum *oleo camomill. laurino*, *de ſpica*, &c. applicari poterit: vel, horum loco, ſequens utiliſſimum erit.

Diſcutientia.

Cataplaſma.

℞. *Propoleos*, ſeu fæcis ceræ novæ ex prelo ℔j.
panis furfuracei ℔ß.
roſar. rub. ℥j.

Miſce, & bulliant in *vino albo*: dein contunde, addéque
piperis,
caryophyll.
nucis myriſticæ,
Zinziberis, ana ʒiß.
ſem. cumini,
aniſi,
fœniculi,
ammeos, ana ℥ß.
ol. camomill.
anethi,
rutacei, ana ℥iß.

M. F. l. a. Cataplaſma calidè applicandum: hoc enim genuum tumorem percurat. Aliqui tamen *ſtercus columbinum* in *vino* coquunt, & applicant: alii ex *calce vivâ*, & *cretâ*, *pulveriſatis*, & cum *vino* coctis, & in unguenti formam redactis, medicamentum componunt, & applicant. Si verò tumor eſt valde profundus, cuburbitula ſicca applicetur, & evocetur: quod idem facit *aqua calcis*, vel *lixivium ſarmentorum vitis*: *emplaſtrum de baccis lauri* in omnibus tumoribus flatuoſis, præcipuè ſtomachi, mira facit. Quòd ſi malignus flatus multum diſcurrit ex una parte ad aliam, dein reperitur in loco commodo, membrum ab utraq; parte ligandum, & tumor incidendus, vel urendus eſt, deinde vulnus curandum more aliorum: ubi talis adeſt malignitas, etiam *Theriaca*, expurgato priùs corpore, convenit. *Tumores* quidam *ſpongioſi in genubus* oriuntur, qui partim flatuoſi, partim carnoſi ſunt, & fungoſi; quorum plurimos in Hoſpitali Viennenſi ſeq methodo curavimus:

Emplaſtri de baccis lauri præſtantia.

Tumores Spongioſi in Genubus.

Fomentum.

℞. *Rad. bryon.* ʒx.
althææ ʒvj.
fol. hyſſopi,
pulegii, ana miß.
malvæ mj.
ſem. aniſi,
fœnic. ana ℥ß.
flor. camomill. miß.
ſummit. anethi Mß.

Coque in *aquæ fontanæ* ℔xij. ad quartæ partis conſumptionem: fiat Fomentũ, quo membrum per horam fomentetur, vel etiam diutius; idq; manè fiat, jejuno ventriculo: &, poſtquam linteis calidis exſiccatum fuerit membrum, ſtatim applicetur ſequens *Emplaſtrum*, & bene conſtringatur membrum ab omni, quantum fieri poteſt, motu liberum, usque ad perfectam ſanationem: emplaſtrum autem non removeatur, niſi decem pòſt diebus: tunc enim calefacto, uti priùs, fomento, & adhibito, renovetur emplaſtrum; & continuetur iſte modus usque ad perfectam curationem. Ante uſum fomenti corpus bene expurgetur: idque repetitis vicibus: fiatq; ſi opus fuerit, venæſectio. Emplaſtrum autem tale eſt:

Emplaſtrum.

℞. *Gummi ammon.*
bdellii,
ſagapeni, in *aceto* diſſol. an. ʒiß.
ol. lilior. albor.
camomill.
laurini, ana ʒvj.
ſpir. vini ʒv.
pulv. rad. ireos Florent.
ſulphuris vivi, ana ℈ij.

Cum ſ. q. *terebinth.* & *cera* F. l. a. Emplaſtr.

CAPUT XVI.

De Tumoribus Aquoſis, Hydrocephalo ſcilicet, Hydromphalo, & Hernia aquosâ, ſeu Hydrocele.

Hydrocephalus quid. HYdrocephalus eſt tumor aquoſus, vel totam exterioré capitis partem, vel maximam occupans.

Ejus Cauſa. *Cauſa* ſunt capitis percuſſio, vel plaga, quâ vaſa disrupta & dilacerata fuerunt, unde ſanguis extravaſatus in aqueam materiam degeneravit. Pueris eſt familiare malum, vel ab obſtetricibus, vel adhuc in utero duriùs tractatis: deinde Nutricis nimius aquæ potus, aër humidus, victus item humidus, frigida viſcerum intemperies.

Subjectum. Mali hujus *ſedes* eſt *cranium* & *pericranium*, vel *inter cranium* & *duram matrem*, vel *inter hanc* & *cerebri medullam*.

Diagnoſis. Si tumor ſit *inter cranium* & *pericranium*, eſt viſibilis, & abſque magno dolore; quia membrana illa non ita eſt ſenſibilis: ſi verò ſit *intra calvariam*, Æger magnum pondus ſentit, & vertiginem, oculi lachrymantur, imò cum tempore calvariæ ſuturæ dehiſcunt, caput in ingentem magnitudinem excreſcit, frons prominet, ſenſûs omnes hebetantur.

Prognoſis. Si materia ſit *intra calvariam*, malum eſt periculoſiſſimum; prognoſticoque relinquendum, aut trepanandum: ſi *extra* ſit, faciliùs curatur: ſi materia illa *ad inferiores partes* procumbat, malorum plurimorum cauſa exiſtit; ophthalmiæ ſcilicet, odontalgiæ, ſuffocat. catarrhor. rhevmatiſmi frigid. apoſtematum per nares, aures, palatum exeuntium &c.

Diæta. *Curam* quod attinet, *diæta* eadem eſt ſervanda, ut in *Tumoribus Aquoſis* dictū eſt: in pueris autem eadem nutrici imperanda eſt: deinde humores aquoſi per hydragogum purgans ſunt evacuandi; tertiò ſiccantia topica ſunt applicanda; ut:

Pharmacia. Fomenta.
℞. *Herba beton.*
verbena,
ſalvia,
lavendula,
pulegii,
origani,
roriſmarini, ana m. ij.
cort. ebuli,
ſambuci, ana ʒiij.
flor. roſar. rubear. m. ij.
myrtillor. ℥j.
lixivii ex cineribus vitis facti, & *vini rubri*, ana q. ſ.

fiat Decoctio; ex qua fiat Embrocatio, ſeu Fotus, cum ſpongia: deinde caput inungatur *oleo ſulphuris Rulandi*, quod valde exſiccat: vel ſequenti *Linimento*:

Liniment.
℞. *Ol. camomill.*
anethini,
melilot. ana ℥j.
cerat. de beton. ℥ß.
pulv. rad. ireos Flor.
anthos,
abſinth. ana ℈j. M. F. Liniment.

Epithema. vel *limaces* cum ſuis *teſtis contuſos* applica, donec decidant: his etiam *pulv. ſuccini* commiſcere poteris. Ex pulveriſatis antè dictis ſimplicibus etiam *Cataplaſma*, cum *vino* coctum, confici, & uſurpari poterit. *Cataplaſma.* Actius tumorem aperit, ut humor aquoſus effluat, non ſemel, ſed per vices; *Apertio.* inciſio debet eſſe cruciata, vel triangularis, vel inſtar litteræ H. labia deinde vulneris aperta ſunt ſervanda, & *lana vitello ovi* imbuta ſuperponenda. Videndum maximè eſt, ut tum internis, tum externis odoriferis caput roboretur: *veſicatoria* nuchę applicata plurimum proſunt. Quòd ſi humor *infra calvariam* ſit, non facilè ad trepanum deveniendum eſt, ſed potiùs exſpectandum, donec ſuturæ ſeparentur, appareátque aliqua aquoſi humoris eminentia; & tum demum fiat apertura: nos ſuademus *ſetaceum*, quod mirè caput mundificat.

Hydromphalon quid. Hydromphalon, ſeu aquoſus umbilici tumor, infantibus querulis, aut plaga caſuque affectis eſt familiaris. *Ejus Cauſa.* *Cauſas* eaſdem habet cum aquoſo tumore, quibus accedit nutricis lac ſeroſum. *Diagnoſis.* Tumor iſte ad oculos patet, &, ſi vetus eſt, difficulter curatur. *Cura.* In *curatione*, quoad victum, & univerſalia præſidia, eadem competunt, quæ in aliis tumoribus aquoſis; &, ſi lactens eſt, omnia ea nutrici exhibeantur: nam ſemper nutrices potiùs, quàm lactentes, curantur. *Topica.* Quod ad *Topica* attinet, hiſce opor-

oportet reſolvere & exſiccare materiam iſtam aquoſam: quod ſolâ ſæpe *muriâ* efficitur, vel *lixivio cinerum vitis*, cum ſpongiâ applicato: *cinis lintei combuſti* ſuperligatus prodeſt; vel ſequenti Decocto pars eſt fovenda:

Fotus.

℞. *Roſar. rubear.* ℥ß.
herb. ſalviæ,
betonicæ, ana mj.
flor. camomill. mij.
aluminis. ℥ß.

Decoque in ſ. q. *vini rubri*; quod ſpongiis, vel linteolis madidis applicetur: ſi non velit diſcuti, aut exprimi, inciſionem circularem, & falcatam, minimè cruciatam, ne labia vaſorum umbilicalium lædantur, facere oportet, & ſuperius decoctum reiterare.

Hernia aquoſa, ſeu Hydrocele.

Hernia aquoſa, ſeu *Hydrocele*, eſt tumor, qui fit ex aquâ, in ſcrotum, vel teſticulorum tunicas illapſa: tunicæ teſticulorum ſunt primò ea, quæ immediatè teſticulos involvit, vocaturq; ſuperagnata, quæ elevatur in veſiculas quaſdam: ſecundò eſt erythroides: tertiò dartos: & inter haſce tunicas colligitur aqua; unde fit hernia aquoſa: & tot ſunt *differentiæ*, quot ſunt loca, in quibus colligitur aquoſa ſubſtantia.

Ejus Differentiæ.

Cauſa.

Cauſæ hic ferè eædem ſunt, quæ aquoſorum humorum: hinc earum repetitioni ſuperſedemus. Id tamen unicè advertendum in cauſis: utrum ab hepate, an à liene proveniat.

Signa diagnoſtica.

Signa ſunt, quòd tumor eſt ad candelam tranſparens; &, ſi tumor provenit à nimio potu, & vaſorum repletione, color Ægrotantis eſt ſubflavus & ſubpallidus: ſi verò oculorum & corporis color ſit pravus, & humor albus videatur, à vitio alicujus viſceris provenit: ſi verò à contuſione & plagâ proveniat, humor eſt mixtus cruentus, ac fæculentus, & cauſa procatarctica ex Ægrotantis examine patet.

Diſtinctio ab aliis.

Differt ab herniâ *inteſtinali*, quòd hæc aliquando minuatur, depoſitis nempe fæcibus alvinis; illa verò in eodem ſemper permaneat ſtatu: ab *omentali* differt, quòd in hac ingvina doleant; in illâ verò non: à *ventoſa* hernia differt, quòd hæc ſit magis tenſa, & citò fiat, faciliuſque diſcutiatur; aquoſa verò non.

Prognoſis.

Recens hernia non ita periculoſa eſt, ac antiqua, quæ teſtes facilè corrumpit: hernia illa aquoſa, hydropi juncta, à vitio viſcerum oriunda, curationem difficulter recipit.

Curatio.

In *Cura* primò diæta; ſecundò aquoſi humoris evacuatio; tertiò affectorum viſcerum corroborativa eadem ſunt, quæ *antè* diximus. *Topica* quod attinet, illa debent eſſe exſiccantia, calefacientia, reſolventia, & digerentia: præter ea, quæ tradita ſunt,

Topica.

Cataplaſma.

℞. *Pulv. baccar. lauri,*
ſem. cumini,
farinæ fabar.
fœnigraci,
fimi columbini, ana ℥ij.

Cum ſ. q. *lixivii, ex cineribus ſarmentorum vitis* facti, fiat Cataplaſma molle: vel ſeq. *Fomento* pars foveatur:

Fomenta.

℞. *Herb. rutæ,*
abſinth.
ſalviæ, ana mj.
ſem. dauci,
cumini, ana ℥ß.
flor. camomill.
meliloti, ana piij.
ſulphuris ℨj.

F. Decoctum in ſ. q. *prædicti lixivii*, & fiat Fomentum, quo ſpongia imbuta teſtibus ſæpius calidè apponatur. Aliqui tamen ſuperponunt *ſtercus bubulum*, cui aliquid de *carminantium pulvere*, vel *reſidentiam aquæ cultros acuentium* addunt. Antequam cataplaſma applicetur, fomentum ſemper priùs applicandum. Si hiſce non cedat malum, ad manus operationem deveniendum, parſque incidenda eſt, vel ſetone perforanda. *Inciſio* ita fieri debet, ut teſticulus, vena, vel nervus, minimè offendantur, & foramen diutiſſimè, intruſâ cannulâ plumbeâ, apertum ſervetur: poſt inciſionem, ſi Patiens eſt debilis, aqua per vices, & non ſemel, extrahenda eſt, & vulnus muriâ eſt eluendum: quòd ſi teſticulus corrumperetur, incidendus eſt; ut in *Hernia Teſtic. Curatione* fieri aſſolet.

Inciſio.

✠:(o):✠

CAPUT. XVII.

De Strumis, & Scrophulis.

Struma quid. IN tumorum phlegmaticorum numerum referuntur *Strumæ*, quæ ſunt tumores glanduloſarum ferè partium induratarum, continentes ſubſtantiam ſubcandidam, facilis incrementi, in membrana propria contentam.

Ejus Pars affecta. *Pars affecta* eſt maximè glanduloſa, utpote collum, præcipuè ob capitis pituitoſi viciniam, axillæ, ingvina; quandoque etiam mammæ, velut partes molliores, & receptioni aptiores.

Differentia. *Differentiæ* ſtrumarum variæ ſunt: aliqui ſtrumas à ſcrophulis diſtinguunt; quod ſcrophulæ minores, & diſtinctæ, uti copioſius ſuum fœtus; ſtrumæ verò majores & molliores ſint: hinc differunt tantùm magnitudine & duritie: ſtrumæ aliæ ſunt *benignæ*, aliæ *malignæ*; aliæ *elevatæ*, aliæ *depreſſæ* &c. *Cauſæ* *Cauſa.* externæ ſunt omnia illa, quæ humorem pituitoſum generant, eumque ad guttur & glandulas deducunt; uti eſt Mercurius, qui humores ad collum ex ſuâ naturâ fert, uti patet ex ptyalyſmo: hinc ii plerumque ſtrumâ laborant, qui ad montes habitant, ac mercuriales & frigidas, mercuriumq; adluentes hauriunt aquas (uti in multis Styriæ, & Perinæorum locis obſervavimus) Cauſæ internæ ſunt temperamentum frigidum, & proventus humoris pituitoſi & melancholici. *Signa* ſunt ipſe tumor in- *Signa differentiarum.* dolens, qui & viſui & tactui patet. *Signa differentiarum* ſunt; quòd non ſint ita duræ, ut ſcirrhi, neque ita molles, ut ſteatomata; ſed mediam quandam habeant naturam: malignæ ſtrumæ potiùs ad cancri accedunt naturam, & graviora ſemper habent ſymptomata conjuncta, ab atrabilari tumore profecta.

Prognoſis. Strumæ ſi fuerint molles, recentes, & in pueris, faciliùs ſolvuntur, quàm ſi veteres, duræ, & in ſenibus: malignæ non facilè tangendæ ſunt, eò, quòd habeant multa radicationis ſuæ vaſa, quæ in extirpatione ingentem cauſant hæmorrhagiam, & ſolutionem earum, ob nimiam materiæ copiam, impediunt. Strumæ omnes curatu ſunt difficiles, quia materia eſt ſatis profunda, utpote intra cyſtim, ſeu tunicam contenta, & difficulter reſolvitur, & *cum periculo ex-* *Extirpatio periculoſa.* *tirpatur*, præcipuè in anteriore colli parte, ubi facilè nervi recurrentes feriuntur; unde vocis privatio; vel venæ, aut arteriæ tanguntur; vel organa vocis deteguntur: earum etiam ulcera fiunt mali moris, & fiſtuloſa, aut cancroſa; vel etiam non ulceratæ in ſcirrhum incurabilem degenerant.

Cura. *Cura* perficitur diætâ, pharmaciâ, univerſalibus præſidiis, topicis, & manuali operatione. *Diæta* fere eadem *Diæta.* eſt, quæ œdematis, caleſaciens ſcilicet & ſiccans; aquæ excedenter frigidæ potus eſt maximè noxius, uti omnis ingluvies, tubæ inflatio, ſomnus meridianus, partus difficilis, & montanorum locorum inhabitatio. Convenit *Pharmacia.* in *evacuantibus* cum œdemate. *Topica* *Topica.* debent eſſe emollientia, incidentia, attenuantia, & digerentia: quidam apponunt ſaltem *ſtercus vaccinum*, cum *Cataplaſma.* *aceto* mixtum: alii accipiunt *farina ſem. lini, lolii, fimi columbini*, ana ℥ij. *gumm. ammon.* in *aceto ſcyllitico* ſoluti ℥ß. *rad. bryon. cyclam. althææ*, *cucumeris agreſt.* ana ℥iß. Coque in ſ. q. *vini albi* ad conſiſtentiam Cataplaſmatis, & applica ſingulis diebus bis: vel ſola *folia cucumeris aſinini* contuſa applicata juvant: vel applicetur *empl. diachylon ſimplex*, vel *diadictamnum*, vel *emplaſtrum ex lentibus*, cum *aceto factum*. *Intus* ad ʒj. *cineris ſpongiar.* cum *lapillis calcinatarum*, datur cum *vino*; item aliquando ſingulis diebus ℈ß. *cineris talparum*, cum *decocto ſcrophulariæ*: & *extra oleis coctis* illinitur tumor. Si humor aliquis calidus miſceatur, nec malum reſolvi poſſit, ſatius erit, ſuppurare, &, factâ ſuppuratione, cauſtico, vel ferro, aperire, & bene di- *Apertio.* latare, ut cyſtis eximi poſſit; aliàs ſemper iterum recreſcet: & ulcus, more aliorum, eſt mundificandum, *mundifi-* *Mundificativ.* *cativo de apio*, vel *ungvento Apoſtolorum*, vel *Ægyptiaco*, cum pauco *Mercurio*: de- *Epulotica.* in ulcus carne implendum eſt *ung. de Iſide, de betonica*, vel *de matriſylva*; denique ulcus cicatrizandum eſt. Hiſce non proficientibus, ad extirpationem deveniendum eſt, cavendo tamen, ne vel ad teſticulorum, vel mammarum, glandulas, nec prope magna vaſa, ar-

Digitized by Google

terias ſcilicet, aut venas, exerceatur; ſed ſaltem in duris, parvis, & ſub cute mobilibus: operationem hanc vide in Paræo, & aliis Chirurgis.

CAPUT. XVIII.

De Glandula: Ganglio: Nodo: Lupia: Atheromate: Steatomate: Meliceride.

Cùm tumores hoſce ad œdemata referamus, & ab eadem ferè cauſa oriantur; hinc etiam uno de iis capite tractabimus.

Quid Glandula: *Glandula* eſt tumor ſub cute, mobilis, in emunctoriis plerumque ortus: alia eſt *dura*, alia *mollis*: differt à Nodo, & Ganglio, per ſitum: nam nodus extra articulos, nervos, & adenes oritur: ganglium circa nervos & articulos; Glandula in adenibus.

Ganglion. *Ganglion* eſt nervi concretio, ex plaga aut labore orta. *Subjectum* ejus ſunt articuli, manuum ſcilicet & pedum & præcipuè circa juncturas. Oritur à lenta & craſſa pituita: cognoſcitur ex hoc, quòd tumor eſt parvus, inæqualis, tactui renitens, ſine dolore; tantùm ad latera movetur, non verò prorſum, aut retrorſum: & per hoc differt à meliceride, & atheromate.

Nodus. *Nodus* eſt tumor, inſtar funis rotundus & durus, circa nervoſas partes ſitus.

Lupia. *Lupia* eſt tumor rotundus, in junctuoris & locis duris ſiccis, & nervoſis, ut in fronte, palpebris. Gangliì extirpatio cavenda eſt, ne Ægroti in ſpaſmum incidant: lupiæ verò extirpationem patiuntur, quæ non adhærent articulis, ut in capite &c.

Horum affectuum Cura. Ad horum Tumorum *curam* victus ratio debita instituatur. Topica ſint emollientia & diſcutientia: primo tamen bene fricetur ganglion cum *ſale*, & *fol. ſambuci*, ſimul mixtis: dein applicetur *emplaſtrum de cicuta*; deinde, poſt emoll. *emplaſtrum de ammoniaco imponatur*, & *lamina plumbea*, cui priùs affrictus ſit *Mercurius*, ſupra emplaſtrum; & tumor fortiter ligetur, ut priſtinam recipiat figuram. Hiſce non juvantibus, ubi nihil obſtat, lupia exſcindatur; operationem vide in Authoribus.

Atheroma *Atheroma* ſic dicitur, quòd ſit tumor, qui in cyſti ſuâ aliquid pulti; quandoque pilis & capillis: *ſteatoma* adipi; *meliceris* melli ſimile continet. *Steatoma: Meliceris. Subjectum.* Hiſce tumoribus *ſubjectum* præbent omnes corporis partes. *Cauſa:* *Cauſa* eſt pituita. *Signa.* *Signa* ſunt, quòd paulatim creſcunt, exiguumq; habent dolorem. *Differentia:* Quomodo inter ſe *differant*, conſtat ex tactu, quo materia intus contenta exploratur. *Cura.* *Cura* in univerſalib, convenit eum præcedentibus, immo etiam in topicis: quibus non juvantibus, ad manualem operationem deveniendum, & vel ferro, vel cauſticis, tumores ſunt aperiendi, cyſtis cum materia eximenda, vaſa liganda, vel urenda, ulcus mundificandum, implendum & cicatrizandum. Ad hoſce tumores jure merito, eò, quòd ab iiſdem cauſis proveniant, Teſtudo, Talpa, Bocium, ſeu Bronchocele, Natta, ſeu Napta, referuntur.

CAPUT XIX.

De Scirrho.

Scirrhus quid. Scirrhus eſt tumor præter naturam durus, renitens, & indolens, à melancholico humore naturali, vel craſſa pituita ortus.

Ejus Signa. Perfecti: Imperfecti. *Signum* ſcirrhi *perfecti* eſt omnimoda indolentia; *imperfecti* verò, & curabilis, dolor, dum premitur, obtuſus. Scirrhus eſt tumor durus & immobilis.

Subjectum. *Partes affecta* ſunt hepar, lien, ligamenta, capita muſculorum; ſi ſit à melancholico humore, *cognoſcitur* ex colore ejus ſubnigro; ſi à pituita, ſubalbo.

Differentia ab aliis tumoribus. Scirrhus *differt* à phlegmone, per dolorem: ab eryſipelate, per duritiem: ab œdemate, tactûs renitentia; à flatuoſis & aquoſis tumoribus, quia hi percuſſi ſonitum reddunt; ſcirrhus verò non: à ſtrumâ, ganglio, & glandula, per immobilitatem; à cancro eò, quòd non habet venas tumentes & dentatas, uti hic, niſi ſit ſcirrhus cancroſus.

Diviſio. Alius eſt *legitimus*: alius eſt *illegitimus*: alius *exquiſitus*, ſeu *perfectus*; alius *imperfectus* ſeu *nothus*: alius qui *ab initio* fuit *generatus*; alius qui ex alio tumore degeneravit; ut ex phlegmone, eryſipelate, œdemate &c.

Prognoſis. *Cur ſcirrhus planè induratus ſit incurabilis, ex Gal.*

Prognoſticum ſuggerit Gal. *7. de comp. med.* ubi ait; ſummè induratos ſcirrhos, & lapidoſos factos, eſſe prorſus incurabiles, eò, quòd nec animalis facultas per nervos; nec vitalis per arterias; nec nutritiva per venas obſtructas & induratas ferre poſſit ſuppetias: nam plerumque cum tali duritie eſt conjunctus maraſmus: ſcirrhus verò non exquiſitus curationem recipit, licet difficiliorem: facilè enim in cancrum tranſit; quod ſcirrhis à pituita ortis non facilè contingit, ob materiæ, à quâ oriuntur, ineptitudinem.

Cura.

Scirrhi *curantur* primò diæta: ſecundò cauſæ antecedentis præparatione & evacuatione; tertiò cauſæ conjunctæ per topica remotione. Primò itaque

Diæta.

Diæta calefaciens & humectans ordinetur, fugianturque ea, quæ humorem melancholicum, craſſæ ſubſtantiæ, generant; ſecundò humores peccantes evacuentur *melanagogo* quodam: ut:

Potio melanagoga.

℞. *Herbar. lingva. cervina,*
verbena,
adianthi nigri,
epithymi,
cuſcuta,
capillorum Veneris, ana mß.
myrob. Indar.
agar rec. troch. ana ʒij.
fol. ſena ſ. ſt. ʒiiiß.
His omnibus ſuperaffunde
aq. fumar. bull. ℥v.

Stent per noctem: manè, factâ unicâ ebullitione, in expreſſione colat. diſſolve
manna elect. ℥iß.
confect. hamech. ʒiij.
tartari vitriolati ℈j.
ſpiritus macis gutt. x.
M.F. Potio.

Aperientia.

Deinde, ſi malum oriatur ob hæmorrhoides obſtructas, illæ aperiantur; & ſi ob menſtrua retenta, provocentur illa: ſi ſangvis melancholicus in toto redundet, aperiatur baſilica ſiniſtri lateris, foramine ſat amplo, ut ſangvini fæculento detur exitus: ſi obſtructiones in hypochondriis adſint, eæ ſunt reſerandæ, adhibitis primò præparantibus, deinde evacuantibus: quæ repetenda erunt ex *Prax. noſt. de Mel. Hypochondriaca.* Tertiò *Topica* ſunt applicanda, vitando repercutientia, quæ humorem impactum magis impingerent. Nec etiam nimiùm molliendi ſunt ſcirrhi, aliàs in cancrum tranſirent: teſte Gal. *5. ſimpl. c. 8.* nec affatim diſcutiendum, ne craſſum magis incraſſetur. Scirrhus autem pituitoſus non tam religioſe tractandus eſt, ut is, qui à melancholia provenit: quia iſte non tranſit in cancrum, veluti hic: eſt itaque moderatè emolliendum & *reſolvendum*: ut:

Cautio in topicis habenda.

Reſolventia, Linimentum.

℞. *Succi cicuta* ℥iij.
medulla cervina,
adipis gallinacei, ana ℥iß.

Bulliant ad ſucci conſumptionem, addendo ſub finem *ol. camomill.* ℥ß. &, antequam hòc utaris, *fove* priùs partem ſequenti:

Fotus.

℞. *Rad. bryon,*
althaa,
lilior. alb.
cucumeris aſinini, ana ℥ij.
ſem. lini ℥iß.

Fiat decoctum in ſ. q. *aqua*; quo pars foveatur: vel unge *unguento dialthaa*, addito *bdellio*, *galbano*, & *ammoniaco*, in *aceto* ſolutis. Quòd ſi ſcirrhus ſit magis induratus & rebellis, addenda eſt major *aceti* quantitas, & pars *oleo ſabina* ungenda eſt, vel *ſuffumigium* ex *aceto* ſæpius uſurpandum; deinde ſequens *Cataplaſma* applicandum:

Unguent. *Suffumigium.* *Cataplaſma.*

℞. *Rad. althaa,*
fol. malva,
farina ſem. lini,
fanigraci, ana ℥iij.

Coquantur in ſ. q. *aqua* & *vini*, ad pultilaginem; dein adde
maſſa cerati de cicuta,
adipis caprini,
cervini, ana ℥j.

M. F. Cataplaſma ſæpius renovandum. Quòd ſi materia in pus tranſeat, *mundificandum* eſt uſcus, & *diachylon cum gummis* ſuperponendum.

Mundificativ.

Quæritur hîc: Utrum ſemper tutò ſcirrhis uſitatum illud *Emplaſtrum de cicuta* poſſit applicari; cùm fiat ex ſucco herbæ venenatæ? Reſp. Me regioni hepatis & lienis, immò retrò aures, in parotidibus induratis, immò in variis aliis corporis partibus, ut ingvinibus, axillis, absque ulla noxa applicaſſe, & illos feliciter percuraſſe: putaverim,

Quæſtio.

plurі-

plurimùm corrigi per coctionem primò, ſecundò per ammoniacum, quod ejus compoſitionem ingreditur.

Caput. XX.

De Cancro.

Cancer quid. *Ejus ſigna.* Cancer, ſeu *carcinoma*, eſt tumor inæqualis, durus, lividus, vel cineritius, in ambitu habens venas turgidas, inſtar pedum cancri, calore & dolore moleſtiſſimus; partem, cui inſidet, ita ſtringens, ut veluti clavò quodam firmata eſſe videatur.

Differentiæ. Cancer alius eſt *ulceratus*; alius *non exulceratus*; qui & *Noli me tangere* dicitur: alius ſuperficialis; alius profundus. In toto corpore fit cancer, ſed præcipuè in mammis mulierum purgatione menſtruâ deſtitutarum, ſangvine melancholico illuc delato, per anaſtomoſin illam epigaſtricæ venæ cum mammaria.

ab aliis Tumoribus. A ſcirrho differt eo, quòd cancer habet dolorem magnum; ille verò parvum, vel nullum; nec habet ſcirrhus iſtam venarum inæqualitatem, eſtque in partibus plerumque duris; cancer verò in mollibus; ſcirrhus à melancholia naturali; cancer verò à præternaturali fit.

Cauſæ. Cancri *cauſæ* poſſunt eſſe omnes eæ, quæ ſangvinem aduſtum generant & melancholicū: ut ſunt carnes inſumatæ, allium, porrum, cæpæ, legumina, vigiliæ &c. *interna* ſunt obſtructiones, v. g. hæmorrhoidum, menſtruorum, calida jecoris intemperies, & lienis imbecillitas: cauſa *conjuncta* eſt ſangvis melancholicus aduſtus, ſeu melancholicus præternaturalis, qui, ubi acrior eſt redditus, ac contumacior in venis eſt impactus, & putreſcit, cancrum facit *exulceratum*; ubi verò mitior eſt, *non exulceratum* gignit. *Cancer ulceratus: & non ulceratus:*

Signa. Cancer ab initio parvus eſt, inſtar ciceris, cum dolore pungitivo, inſtar acûs pungentis; dein paulatim ulterius creſcit ad nucis avellanæ magnitudinem; poſtea fit inſtar ovi, & ſic deinceps. Quòd ſi parvus ejuſmodi tumor appareat, interrogandus eſt Æger de ante-actâ vita, & de temperamento: ſi hæc melancholiam arguant, faciliùs conjicere poſſumus, eſſe cancrum: ex ſymptomatibus acutis, ubi ad plenariam magnitudinem devenerint, cognoſci faciliùs poteſt: nam eſt magnus dolor, ab humoris acrimonia & quantitate, partes ſpermaticas vellicante & diſtendente: venæ in ambitu craſſo nigróque ſangvine turgent, & pedes cancri fluviatilis referunt, & in eodem ambitu puncturæ ſentiuntur. *Symptomata.* Scirrhus in cancrum degeneraſſe creditur, quando ex indolente fit dolens, & ſeſe ad partes vicinas extendit, fitque dolor cum puncturis; quibus ſæpe febris accedit. *Signa ſcirrhi in cancrum permutati.*

Cancri ulcerati. *Ulceratus* autem cancer patet ex hoc, quòd viſu ſit horridus, & ulcus adſit, habens labia dura, inverſa, tumida & eroſa, ſubnigra, maximéque dolentia, ſaniem fœtidam & copioſam eructans, cum vapore olfactui, cordi, & cerebro gravi, cum febre lentâ, faſtidio, inquietudine, angore, deliquio, & frequenti è corroſis venis ſangvinis effuſione, malignitate cito occidente, diſtenſione, & depaſtu.

Prognoſis. Cancer *non ulceratus* dicitur *Noli me tangere*, adeóque intactus relinquendus eſt, & tantùm curâ palliativâ curandus, niſi ſit in ſumma corporis parte; tunc enim extirpatio tentari aliquo modo poteſt: ſi ſit in initio, medicamentis melanagogis aliquando eſt curabilis; ſi verò inveteratus ſit, & in molem excreverit, abſque Chirurgia curari non poteſt: item ſi valde ſit profundus, extirpari radicitus non poteſt. Cancer autem occultus fit ulceratus, vel medicamentis importunè adhibitis, & irritantibus; vel ab humorum acrimoniâ, partes ipſas erodente: & tum fit multò, quàm antea, deterior & moleſtior, præcipuè quò ſangvis eſt craſſior, & magis aduſtus. *Quando cancer occultus fiat ulceratus.*

Cura. *Cura* conſiſtit primò in victûs ratione: ſecundò in præparatione & evacuatione melancholici humoris: tertiò in Topicis: quartò in Chirurgica adminiſtratione, ſeu extirpatione. Primum quod attinet, vide *in cura Scirrhi*: ſecundò humor melancholicus præparetur ſequenti:

Apozema præparans.

℞. *Fol. lingvæ cervinæ* miij.
herb. adianthi nigri,
capillorum Veneris,

ſuma-

fumariæ,
marrubii nigri, ana mj.
F. Decoctio in ℔iij. *aq. fumariæ,* vel *lactis caprini*: in colatura diſſolve
ſyr. de ſcolopendrio,
fumariæ,
pomis Regis Sapor. ana ℥j.
byzant. ʒvj. M. F. Julapium: de quo omni manè dentur ℥iiij. cum ʒß. *tincturæ Martis*, cum *ſucco limonum factæ*; idque ſex diebus continuetur: dein fiat univerſalis evacuatio ſequenti *melanagogo.*

Potio melanagog.
℞. *Decocti præcedentis* ℥iiiiß.
in quo infunde per noctem
fol. ſenæ ſ. ſt. ʒiij.
myrob. Indar. ʒij.
rad. helleb. nigri præparat. ʒj.
Stent per noctem: manè, facta una aut altera ebullitione, in colat. diſſolve
ſyr. de pomis cum fol. ſen. ʒß.
confect. hamech. ʒiiß.
cryſtallor. Tartari ℈j. M. F. Potio.

Hoc facto, fiat venæſectio ex baſilica brachii ſiniſtri; vel ex hæmorrhoidibus, in earum defectu. Quòd ſi lien, vel quodvis aliud membrum, ſit mandans, illi proſpiciendum eſt, illudque confortandum, tum externis, ſeu topicis, tum etiam internis, ſeu medicamentis partem illam reſpicientibus, & malignitatem, quæ plerumque adeſt, obtundentibus: ut:

Antidota. Electuarium.
℞. *Conſervæ roſarum rubearum,*
buglοſſæ,
florum anthos, ana ʒß.
pulv. cancror. fluviatil. præparat.
raſuræ eboris,
oſſis de corde cervi præpar.
corall. rubr. præpar.
Martis cum ſulph. præpar. ana ʒj.
Cum ſ. q. *ſyr. de pomis ſimpl.*
Fiat Electuarium molle, de quo manè, & veſperi, magnitudo caſtaneæ, duabus horis ante paſtum, quod à proprietate affectui huic reſiſtere compertum eſt, ſumatur. Aliqui ſolum propinant *ſanguinem anſeris*, vel *anatis*, *calidum*; vel quoq; *decoctum cancrorũ fluviatilium* cum *lacte aſinino* per quinque dies exhibent. Tertia intentio in *Topicis* verſatur, quæ minimè exaſperantia aut mordentia eſſe convenit: conducet autem ſequens *Unguentum*:

Topica non ſint acria. Unguent.

℞. *Ol. roſarum,*
omphacin. ana ℥iiij.
quod tamdiu in mortario plumbeo, cum piſtillo plumbeo, agitetur, donec concreſcat, & plumbeum acquirat colorem: dein adde
lithargyrii, &
ceruſſæ contuſorum ana ℔ß.
M. bene cum *oleo*: F. l. a. Linimentum: v. *empl. de carne bubula Minſichti*, quod cancrum apertum maximè nutrit, & depaſcentiam impedit: vel *urticam* contunde, & cum *ſucco ſolani* mixtam ſuperpone: vel, loco ejus, *zibettam microcoſmicam*, aut *oleum de ranis viridibus*, *per deſcenſum factum*, cum *earundem* combuſtarum *pulvere* mixtum, & in ungventi formam redactum, facere plurimum, docuit experientia. Sola etiam *rutæ folia* cum *paſſulis* à nucleis liberis contunduntur, & applicantur. Vel
℞. *Pulv. cancrorum fluviat.* ℥j.
mellis parum cocti q. ſ.
F. Linimentum, quod egregiè mundificat: idem facit *ſemen raphani domeſtici* contuſum, &, cum *aceto* mixtum, eorum materiam conſumit, & tumorem. In magnis cancri exacerbationibus ad *Narcotica* aliquando confugiendum eſt; uti ſunt *opium*, *ſemen papaveris*, & *hyoſcyami*, quæ cum aliis ungventis ſunt permiſcenda: *emp. diapalma*, cum *fraxini foliis* bene tritis, quoque applicari poteſt. Hiſce non iuvantibus, ſi Patiens ſit fortis, &, juvenis ſatis magnanimus, cancer ſit in loco ad inciſionem apto, ſi recens, parvus, anni tempus commodum, ſi denique graviora non impediant ſymptomata, ad operationem accedendum eſt; quam pete ex Authoribus.

Caput. XXI.

De Elephantiaſi.

Elephantiaſis quid.

Elephantiaſis, Leontiaſis, Satyriaſis, ſeu *Lepra*, eſt cancer univerſi corporis, cum cutis aſperitate, & maculis quibusdam ad atrum colorem vergentibus: dicitur totius corporis, quia nec ipſa oſſa ab hoc malo excipiuntur: ejus autem origo præcipuè hæret in liene, rariùs in jecore. Viri fa-

cilius,

ciliùs, quàm fœminæ, in hoc malum incidunt; iique cumprimis, qui ſangvine abundant melancholico, atrabilario, pituitâ ſalsâ; in regione calida, ſangvinem adurente; vel frigidâ, tranſpirationem impediente.

Ejus Differentia. Alia eſt elephantiaſis *ab ortu*; alia à *contagio*; alia *ſpontanea*: ſic ex coitu cum muliere menſtruata proles elephantiaca generari dicitur; & ſemen elephantiaci illud contagium retinet.

Cauſæ externæ. *Cauſæ externæ* ſunt omnia illa, quæ ſangvinem atrabilarem & melancholicum generare, & inde vitioſam nutritionem cauſare poſſunt; ut caro procina, communicatio item ſanici & ſpiritûs elephantiaci. *Internæ.* Cauſæ *internæ* ſunt atrabilarius, ſeu ſangvis melancholicus, hepatis caliditas, plurimam bilem generans, & in bilem atram mutans.

Signa. Cognoſcitur elephantiaſis, quòd ſint furfures in toto corpore, cutis ſit aſpera, varicolor; horridus faciei aſpectus; puncturæ ſeu formicationes acuum ſimiles; frontis tenſio; oculi aquoſi & rotundi; palpebræ inflammatæ, & earum pili decidentes; nares ſunt fœtidæ, exteriùs craſſæ, interiùs conſtrictæ; multa ſternutatio, & naſi corroſio; grana alba, viridia, vel livida, & glanduloſa, in extremitate lingvæ apparentia; anhelitûs difficultas; ſitis; oris fœtor; fiſſura, durities & tumor labiorum; gingivarum corroſio & aſperitas; in pectore etiam venæ craſſæ & turgidæ apparent; muſculi manûs conſumuntur; adeſt ungvium lividitas, ſensûs ſtupiditas & diſtorſio in membris. Quòd ſi corpus aquâ perfundatur, effluit ac ſi per unctum tranſiret, habent Ægri inſomnia terrifica; urinæ ſunt tenues, fœtidæ, lividæ; ſudor fœtidus; pulſus parvus, langvidus, tardus & creber; ſangvis item ex vena extractus eſt lividus aut niger, fœtens, viſcoſus, pingvis, arenoſus; quod per transcolationem experiri quis nullo poteſt negotio: nec opus eſt, ut omnia hæc appareant; ſufficiunt quædam, præcipuè ſub initium, ubi omnia ſunt mitiora; ubi verò malum eſt auctum, fortiora: tunc enim manûs, facies, pedes, inflantur, piliqúe decidunt &c.

Curatu difficilis. Hic affectus eſt *difficillimæ curationis*, & non, niſi inter initia, curam recipit: ideoque, ſi conſummatus ſit, palliativam tantùm curam; ſi imminens, præſervativam requirit. Ut ergo incipientem curemus, debita victus ratio eſt inſtituenda; ſecundò peccantes humores ſunt evacuandi; tertiò partes ſunt corrigendæ; quartò ſymptomata removenda. *Diæta.* Inſtitutâ itaque *diætâ* ad humidum & frigidum inclinante, vitentur omnia, quæcunque cacotrophiam cauſare poſſunt: ut eſt ſomnus meridianus, alvi obſtructio, ira, triſtitia, curæ, Venus, lardum, carnes & piſces fumo ſaléque conditi, &c. *Evacuationes Univerſales.* Univerſalis humorum evacuatio inſtituatur, per purgationem & venæſectionem. *Purgatio.* Si corpus ſit plethoricum, tempus vernum eligatur: & primò præparetur humor ille melancholicus *decocto fol. lingua cervina, epithymi, capill. Veneris, adianthi nigri, fumariæ, in ſero lactis aſinini facto*: in quo per noctem poterunt infundi ultimò, dum *purgare* intentio erit:

Potio Magiſtralis.

℞. *Rad. Helleb. nigri præpar.* ℈v.
fol. ſen. ſ. ſt. ℥iiß,
myrob. Indarum,
rad. gallapp. ana ℥ij.

Manè, factâ levi ebullitione, in colat. diſſolve

oxymelitis helleborat. maj. Juliani,
ſyrup. de pomis cum *fol. ſenæ*, ana ℥v.
magiſterii Tartari vitriolati ℈ß.
mixturæ ſimplicis gutt. v.
M. F. Potio:
Vel, in forma *Pilular.*

Pilulæ.

℞. *Extracti helleb. nigri,*
hermodact.
panchymag. Crollii, ana gr. vj.
diagryd. ſulphurati gr. iiij.

Cum ſ. q. *ſyrupi de fumaria* F. Pil. num. viiij. pro una doſi.

Sangvinis miſſio. Factâ univerſali hâc præparatione & purgatione, ad *Venæſectionem* accedendum eſt: &, ſi menſtrua ſint obſtructa, ex vena pedis mittatur ſangvis: ſi hæmorrhoides ſubſiſtant, hirudines applicentur: per eas enim ſæpe craſſus & fæculentus ſangvis copiosè effluit. Repetantur purgationes per intervalla, & poſt illas ℥ij. *Theriac. Andromachi*, vel

vipera-

Caro viperarum. *viperarum caro* exhibeatur; quæ à proprietate juvat. Conferunt etiam acria ſternutatoria, ut pituita per nares evacuetur: acria item tum alimenta, tum medicamenta: ut ſunt raphanus, naſturtium, piper, ſcylla, nux myriſtica; dein prodeſt vehemens curſus, ut excitetur *Sudor*; vel etiam Laconicis, ſeu balneis ſiccis elici poteſt. *Sudor.* Poſtquam corpus bene repurgatum eſt, *balnea ſulphurea* ex uſu eſſe poterunt, vel illis ſubſtitui poſſunt artificialia, ex mineralibus, *nitro, ſulphure, cum rad. lapathi acuti, ſeu rhabarbaro Monachorum.* *Balnea.* Poſt balneum *ungatur* corpus *oleo ſulphuris Rulandi*: Vel

℞. *Ol. roſacei* ℥v.
in quo diſſolve
nitri præparati ℥ß.
flor. ſulph. ſubtiliſ. pulveriſat. ʒv.

Linimentum. F. Linimentum; quo totum corpus inungatur. Nec interea partium internarum, hepatis ſcilicet, lienis, & cordis tam per interna, quàm per externa, *corroboratio* per hepatica, ſplenetica, & cordialia negligatur. *Confortantia.* Et cùm accidentium ingens caterva malum hoc comitetur, iis quoque occurrere oportet: *Symptomata.* Talia autem ſunt ſcabies, impetigo, pruritus, nodi, glandulæ, tuberoſitates, ulcera, corroſiones, vocis raucedo, reſpirationis difficultas. *Scabiem* ſequens infallibiliter tollit: *Ung. ad ſcabiem probatiſſ. quod unguento Bernardino Antiquorum ſimile eſt.*

℞. *Ping. ſuillæ antiquæ* ℥vj.
Liqueſcant ad ignem; colentur: dein adde
ſulph. vivi ſubtiliſ. pulveriſ.
baccarum lauri, eodem modo pulv. ana ʒiiß.
caryoph. aromat. ʒj.
pulv. lapathi acuti ʒß.
M. F. Linimentum.

Ad Anhelitus difficultatem Millepedes. *Anhelitûs difficultas* tollitur, ſi *millepedum* 5. v. 6. contundantur, & cum *mulſa* propinentur: eſt vehemens diureticum & pectorale: alii exhibent *ſyr. de peto Quercetani*, cum *floribus ſulphuris, ammoniaci*, & *ſem. ſcyllæ, in aq. aſthmatica Francofurtenſi diſſolutum.* *Confirmata.* *Confirmata* elephantiaſis incurabilis eſt, adeoque curam tantùm requirit *Palliativam*: *Cura Palliativa.* purgando per intervalla, & partes internas roborando cum topicis externis. Pro facie abſtergendâ,

℞. *Sulphuris,*
ſalis toſti, ana ℥ß.
camphor.
tutiæ, ana ʒj.
ol. tartari. ℥j.
aq. roſar. ℔ij.
M. bene, & utere.

CAPUT XXII.

De Polypo: Verrucis: Mariſcis, ſeu Ficubus: Callo, & Clavo.

Polypus quid. P*Olypus* eſt excreſcentia carnis, ſeu tumor præter naturam, in cavitate narium, polypi piſcis carni ſimilis, ab humoribus craſſis & viſcoſis ortus.

Quotuplex. Polypus alius eſt *cancroſus*; alius *non*: alius *ruber*; alius *albus*: alius *durus*; alius *mollis*.

Ejus Signa. *Signa* ſunt, quòd reſpirationem, odoratum, & emunctionem impediat: quis autem humor magis exſuperet, ex ulcere patet.

Prognoſis. Polypi cancroſi non ſunt tangendi, neque etiam qui ſunt adeo duri: alii verò, qui ſunt penduli, & radicem habent gracilem, per inciſionem curantur.

Cura. Diæta. In *cura diæta* ordinanda eſt talis, quæ ad excreſcentiæ conſumptionem, & cauſæ ablationem, plurimum conferat: ſecundò *humoris diverſio* & evacuatio molienda: tertiò topica ſunt applicanda, & operatio exercenda: quartò ſymptomatibus obviandum eſt. *Humoris diverſio.* *Humoris diverſio* fit per venæſectionem, cucurbitulas, veſicatoria, & purgationem. Si caput ſit pars mandans, illud debet exſiccari, & corroborari per cucuphas, ex cephalicis, ut lavendulâ, majoranâ, floribus anthos, nuce moſchatâ, ſtorace, &c. confectas. Deinde Topica ſunt applicanda; uti eſt *ſuccus mali Punici utriuſq.*, vel etiam *pulvis* ejus inſufflatus, vel *pulv. roſar. ſiccar.* *Topica.* Idem ferè efficit *atramentum ſutorium* cum *aceto*. In fortioribus inflantur *pulv. ex chalcantho, Mercurio crudo, atramento ſutorio, alumine, argenti ſpumâ, ſquammâ æris, ceruſſâ*: vel tumor *oleo Vitrioli* tingitur, vel *ung. Ægyptiaco*, vel *Mercu-*

Digitized by Google

Mercurio cum *aqua plantag.* mixto; naſo tamen priùs per *oxycratum*, *ſuccum ſolani*, *ſempervivi*, & *plantag.* aut aliud defenſivum, munito. Quòd ſi polypus medicamentis hiſce non cedat, ad *operationem* deveniendum eſt, non obſtantibus tamen antè requiſitis. Itaque totaliter exſcindendus eſt; quod noſcetur ex eo, quòd vinum injectum ad palatum tranſit: deinde locus more aliorum curandus eſt: ſi nimia adeſſet hæmorrhagia, ea hactenus traditis foret compeſcenda: ſi denique intolerabilis adſit dolor, anodynis mitigandus; utpote *lacte tepido*, *ol. roſac.* aut ſimilibus.

Chirurgia.

Verruca quid. *Verruca*, ſeu pori, ſunt tumores præter naturam duri, ab humore terreſtri & melancholico orti, in manibus, facie, pedibus, creſcentes. Plures ſunt verrucarum *ſpecies*: utpote *myrmecia*, *acrochordones*, *condylomata*, *Criſta*, *Thymi*, ſeu *Ficûs*, aut *Mariſca*, ſedem plerunque ad pudenda, ab impuro concubitu malignè occupantes. *Myrmecia* ſunt verrucæ ſeſſiles: Acrochordones verò penſiles: Thymi autem dicuntur, qui florem thymi colore referunt, & figurâ morum: Ficûs, à ſimilitudine ficûs: ſi magis excreſcant, Pori dicuntur. *Condylomata* ſunt tumores pellicularum ani, dum hæ vitioſis implentur humoribus. *Criſta* à mariſcis figurâ tantum differunt: nam à ſimili impuritate oriuntur, & ad radices plerunque habent ſciſſuras quasdam. *Cauſa* verrucarum eſt craſſus humor, & terreſtris, per poros à natura robuſta excluſus & induratus. In horum tumorum *curatione* tria ſunt obſervanda: primò diæta: ſecundò humorum evacuatio: tertiò topica ſunt applicanda. Quod ad duo prima attinet, vide *caput de Scirrho*: ad tertium efficiendum, vel *medicamentis* opus eſt, vel *manuali operatione*. *Elaterium*, cum *ſale mixtum*, *myrmecias*, & *acrochordonas* tollit: idem facit *ſuccus Chelidon. maj.* vel *tithymali*, vel *fici*, vel *urina pueri impuberis*, cum *nitro mixta*. Ad *ficus* verò

Earum ſpecies. Myrmecia: Acrochordones: Thymi. Ficûs: Pori: Condylomata. Criſta. Cauſa. Curatio. Pharmacia.

℞. *Carnis ficuum* q. placet, cum qua miſce
pulv. exuviarum ſerpentis, & applica:

Aqua corroſiva, vulgo Duppwaſſer.

vel *album Græcum* cum *vino* diſſolve, &
parti appone: vel

℞. *Carnis ficuum alb.* m. j.
æruginis,
Mercurii præcipitati, ana gr. xij.

M. cum ſ. q. *vini albi*, & *aq. roſar.*: hoc liquore tingantur ficûs: alii adhibent *ſpiritum vitrioli*, vel *ſulphuris*, vel etiam *aquam fortem*. Hiſce non conducentibus excindendæ ſunt, & curandum ne repullulent.

Chirurgia.

℞. *Cineris ſarmentorum vitis* q. vis.

M. cum *aceto*, & applica. Quòd ſi *verrucæ* ſint *penſiles*, ligentur, & quotidie ſtringantur, donec decidant.

Remedium poſt exciſionem, ut non recreſcant.

Callus eſt tumor durus, indolens, à labore & attritu ortus.

Callus.

Clavus verò eſt tumor rotundus, clavi capitulum referens, & altè radicem per porum cum dolore emittens: patet *Clavus* inde, quòd centrum quoddam velut foramen habeat; formâ ſit rotundâ, &, inſtar clavi, fixus &c. *Callus* per ſe patet: uterque oritur ab humore pituitoſo & melancholico, mediante preſſu, attritu, intertrigine, labore. *Clavus* vix absque *cura* recedit, quæ *dupliciter* fit: nempe inſtrumentis, & medicamentis: Ego balneum pedum, ex herbis emollientibus factum, per aliquot dies impero, deinde laminatim cultello, quo ad fieri poteſt, citra hæmorrhagiam exſcindo, & per octiduum *folia ſempervivi*, viridi pellicula exuta, bis de die applico, & renovo: eſt remedium infallibile, quod nulli nocere poteſt: vel tantùm apponatur *pix Burgundica*: vel

Clavus. Eorum ſigna. Cauſa. Cura duplex. Remedia. Autoris.

℞. *Reſinæ pini*,
colophon. ana ʒiij. vel ℥ß.

M. benè ad ignem, &, dum omnia fuerint liquefacta, pertrahe linteola, & fac Sparadrapum viridem; quod mihi pro ſecreto fuit communicatum. *Herba nigella*, cum *aceto* trita, & applicata, clavos tollit. Idem faciunt *lupini exuſti*, cum *melle* mixti, & ſuperpoſiti. Inciſio non debet fieri prope nervos: in uſtione per cauſtica verò cavenda inflammatio, per rotundum & perforatum defenſivum.

Sparadrapus. Cautela in Chirurgia.

CAPUT XXIII.

De Parotidibus, Ægilope, Grandine, Hordeolo.

Parotis quid. **P***arotis* eſt tumor retrò aures in glandulis ortus: alia eſt *ſymptomatica*; alia *critica*: *Ejus Differentia.* alia eſt melancholica, alia biliosa, alia phlegmatica, alia ſangvinea: alia à capite; alia à toto orta. Fiunt autem plerunque poſt morbos peſtilentes, malignos & epidemios: *cognoſcuntur* facilè, quia ad ſenſum patent: *critica cognoſcuntur* eo, quòd erumpunt cum evphoria: *ſymptomatica* verò morbo, & materia, crudis, ſine melioratione. *Signa cauſarum*, utrum nempe ſit à ſan- *Signa Cauſarum.* guine, an bile, ex *antè dictis* patent: ſi parotides non ſuppurentur, & retrocedant, rectiſſimum recidivæ ſignum ſunt. *Prognoſtica.* Parotis ſemper melior eſt, quæ concoctâ, quam quæ crudâ fit materiâ: ſic enim Ægros à multis periculis liberat: aliæ verò ſunt rebelles, & infinitas creant moleſtias: vel enim infeſtant cerebrum, vel, in guttur lapſæ, anginam cauſant. Parotides, quæ oriuntur absque febre, tantum non faceſſunt ne- *Cura.* gotii, ſed faciliùs curantur. In *Curâ* attendendum eſt diligenter, utrum *Critica.* ſint Criticæ; an ſymptomaticæ: ſi enim natura bene expellit, cum Ægri tolerantia, illi totum negoti- *Anodyna.* um eſt committendum: juxta illud Hippocr. *1. aphor. 20.* *Quæ judicantur aut judicata ſunt perfectè, non movenda, nec innovenda*, ſed ſinenda. Dolor tamen leniri poteſt *anodynis*, ſed minimè repercutientibus; uti eſt *Cataplaſma* ex *farina ſem. lini*, & *ol. camo-* *Cataplaſmata.* *milla*: vel F. *Cataplaſma ex rad. althaa, lilior. albor. floribus camomill. meliloti*, & *mulſa*. Quòd ſi natura ſit ni- *Cucurbitulæ.* mium pigra in attrahendo, *cucurbitula* applicentur, ut paulatim materia attrahatur. Sin ad ſuppurationem tendant, natura juvanda eſt ſequenti *Cataplaſmate*:

℞. *Fol. malva*,
ſcabioſa, ana mj.
rad. althaa,
lilior. alb. ana ℥ij.
caricar. pingvium num. vij.
farina tritici ℥iij
axungia ſuilla ℥iiij.
F. l. a. Cataplaſma molle.

Factâ ſuppuratione, parotides debent *aperiri* in loco inferiori, materia e- *Apertio.* duci, ulcus detergi, exſiccari, & ad cicatricem perduci. Parotides *ſymptomatica* aliam fere curam requirunt: *Symptomatica.* nam ſi ex ſangvine tenui fiant, clyſtere indito, vena ſecanda eſt: ſi autem proveniant ab aliquâ cacochymia, hæc evacuationem potiùs requirit per *Evacuantia.* cathartica: neque fortè naturam hiſce à ſuo opere diſtrahi, dicendum eſt: nam illa potiùs, aliquo onere levata, quod reliquum eſt, concoquit: quin & talia univerſalia ſuis particularibus, ſeu topicis, ſemper ſunt præmittenda. Facta hâc corporis evacuatione, ad *reſolventia*, & discutientia *Reſolventia.* veniendum eſt: ut:

℞. *Ol. amygd. dulc.* *Linimentum.*
camomill.
lilior. albor. ana ℥ß.
pingv. angvilla ℥ij.
M. F. Linimentum:

quo pars illinatur: vel etiam, in locum horum, *emplaſtrum de meliloto* *Emplaſtrũ.* uſurpetur: ſi ad ſuppurationem tendat, *ſuperiùs* tradita ad uſum revocentur, adminiſtratis priùs emollientibus.

Ægilops eſt tumor aliquis, qui ab- *Ægilops quid.* ſceſsûs inſtar, in magno oculi cantho oritur: alius eſt *durus*, qui de- *Quotuplex.* primitur, & non rumpitur: alius *mollis*, qui facilè disrumpitur, & in *Fiſtulam lachrymalem*, quæ ideo etiam quibusdam Ægilops dicitur, degenerat. *Fit* à redundantia humo- *Ejus Cauſa.* rum vitioſorum, illuc vel à toto, vel à parte aliqua, capite ſcilicet, per venam lachrymali angulo adhærentem, unde exſudant, translatorum. *Adeſt* lippitudo, & gravitas viſusque *Signa.* impe-

impedimentum: à quo potiſſimum humore fiat, ex colore patet. Eſt affe- *Prognoſis.* ctus ægrè curabilis, primò, quia facilè degenerat in fiſtulam lachrymalem; ſecundò eò, quòd ſubjectum os facile corrumpit, & oculo cerebróque, ob vi- *Cura.* ciniam, plurimum inſidiatur. *Cura* conſiſtit in diætâ, univerſalibus medi- *Diæta.* camentis, & topicis: à vino, capiti & omnibus partibus ſuperioribus noxio, abſtinendum eſt. Injecto enemate, & corpore leviter, & per epicraſin, citra motionem, expurgato, vena cephalica ſecetur: à principio leviter repellentibus uti licet: ut:

Epithema. ℞. *Aq. roſar.*
plantag. ana ℥iß.
albumin. ovi num. ij.

Agitentur invicem, & applicentur: hiſce etiam addi poteſt parum *thuris*, & *croci* modicum, aut *aluminis*: deinde ad diſcutientia deveniendum eſt: ut: ℞. *Farina ervi* q. placet, *mellis* q. s. ad conſiſtentiam Cataplaſmatis: vel ℞. *Cataplaſma.* loco ejus, *parietariam*, coquatur cum *myrrha* admixtâ, & applica. Si ad ſup- *Chirurgia.* purationem devenerit malú, candenti auro, vel phlebotomia, aperiatur, & ulcꝰ more aliorum tractetur. Si os ſit corruptum, ulcus dilatetur & uratur. De fiſtulâ lachrymali dicetur, dum agetur *de Ulceribus*.

Grando quid. Grando eſt tuberculum, ſuperiori palpebræ utplurimum annatum, ſeu *Ejus Cauſa, Signa.* adhærens. *Cauſa* ejus eſt humor melancholicus, vel pituita indurata. *Signa* præbet rotunda quædam eminentia, & perlucida, grandini ſimilis, quâ diſſectâ, humor albumini ovi ſimilis *Cura.* exit. Inſtitutâ itaque ſalubri diætâ, & univerſalibus ritè celebratis, tuberculum emolliatur per fomenta, & decocta emollientia, vel ſaltem ex aquâ tepidâ: deinde apponatur *diachylon* cum *gummis*. Hiſce non juvantibus, tumor aperiatur, materia exprimatur, *Hordeolum* detergatur *unguento Apoſtol.* ſi intùs *Ejus Signa:* ſit, *olvi albumine* applicato. *Hordeolum* eſt alius quidam tumor, in palpebræ margine oriundus, & vocatur Hor- *Cura.* deolum eò, quòd hordei granum figurâ referat: eſt mollior, quàm grando, necnon oblongam habet figuram: diſcutitur plerunque ſolo *pane calido* applicato, vel *fomento decocti flor. camomill.* vel ſolo *emplaſtro ex terebint.* & *cera facto*, vel *fermento* ab homine jejuno maſticato. Si aperiatur, mundificetur pauco *melle*; & parum *aloës* & *tutia*, cum *cera* mixtum, applicetur.

CAPUT. XXIV.

De Ranula: Panaritio: Unguium Pterygio: & Tumore Umbilici.

RAnula, Græcè Batrachios, eſt *Ranula quid.* tumor partium ſublingualium, præcipuè venarum: alia *Ejus* eſt *oblonga*, inſtar alterius lingvæ; alia *Differentia.* *rotunda*. *Cauſa* eſt pituita craſſa, à ca- *Cauſa.* pite defluens, & melancholicus humor, & ſupercreſcens caro; adeſt loquendi difficultas, tumor apparet ad oculum. Quando ranula adhuc *Prognoſticum.* recens eſt, facilè curationem recipit: quando verò eſt antiqua, ſola Chirurgi manu eſt extirpabilis: cancroſa verò pro incurabili habetur. In pueris ab initio ſolis collutionibus cura- *Cura.* tur, ſecùs in adultis: in his itaque, diætâ bene ordinatâ, venæ ſectio adminiſtranda eſt, corpusque expurgandum convenienti pharmaco. In puerulis ſolo *ſale & zingibere pulveriſatis* fricatur, & conſumitur: alii addunt ſali *pulverem origani*, & *cortic. mali Punici*: quod & in adultis uſurpari poterit; præterquam quòd *Pilulis* ſe- *Pil. Cephalica.* quentibus per intervalla expurgandi erunt:

℞. *Maſſa pil. aloëphanginar.*
extract. pil. cochiar.
agar. aná ℈ß.
pulv. Syrii gr. v.

Cum ſ. q. *ſyrupi de ſtachad.* F. Pil. nº. ix. inaurentur pro una doſi. Si fortioribus topicis opus fuerit, fiat *Pulvis* ex *vitriolo calcinato*, & *hermodactylis*; quo ranula ſæpius confricetur; & fiant oris collutiones ex *decoct. fol. plantaginis*, *olea*, & *myrti*. Hiſce non ju-

 vanti-

Abſciſſio. vantibus, tota abſcindatur, & os *ſale* in *aceto* ſoluto colluatur; vel, ſi magna adſit hæmorrhagia, hæc *pulvere vitrioli*, cum *albumine ovi* permixto, inſperſo, vel actuali cauterio ſiſtenda erit: quo facto, os abluatur *decocto adſtringente* ex *roſis*, *balauſtiis*, in *vino ſtyptico* facto.

Paronychia quid. *Panaritium*, ſeu Paronychia, eſt abſceſſus, qui juxta unguis radicem, vel extremum digiti articulum, ſuppuratur. *Ejus Differentia:* Panaritium aliud eſt *malignum*; aliud *benignum*. *Cauſa:* *Cauſa* ejus eſt plerunque oſſis ipſius fractura, quâ oſſis fruſtulum partibus nervoſis & ſenſibilibus infigitur: alias etiam à pituita nitroſa concreta, putreſcente, & corroſivâ, vel à tenuiſſimo & bilioſo ſanguine aduſto oritur. *Signa:* *Adeſt* intenſiſſimus dolor, vigiliæ, inquietudo, animi deliquium: in minùs malignâ minora adſunt ſymptomata. *Prognoſis.* Huic malo quàm citiſſimè occurrendum eſt; quia inde oriuntur convulſiones, putredo digiti, & gangræna totius manûs. *Cura.* In *curâ*, univerſalibus præſidiis priùs adminiſtratis, & benè ordinatâ diætâ, topica ſub initium repellentia & anodyna ſunt ſæpius applicanda; partes autem ſuperiores *Defenſivo* muniantur, ad humorum fluxum prohibendum.

Linimentum.

℞. *Ung. camphorati albi*,
populeon. ana ℥j.
opii Thebaici ℈ß.
Theriac. recent. ʒiij.

M. F. Linimentum ſæpius iterandum: hujus loco *lac tepidum*, cum *croco*, ſubſtitui poterit. Medicamenta in hoc affectu parum efficere ſæpius ſunt viſa; adeóq;, *Chirurgia.* urgentibus magis doloribus, inciſio per longitudinem & latitudinem fibrarum facienda eſt, usque ad ipſum os; deinde *vitellum ovi* cum *albumine* ejuſd. bene agitatum toti digito circumligandum. *Experimentum.* Certum *experimentum* eſt, *ſi ovi recent. r excluſo* & calido digitus imponatur: quo facto Patiens illico à doloribus liberabitur: ſi verò ſuppuratio fiat absque inciſione, & appareat, hæc *mucilagine ſeminis pſyllii*, cum *pingvedine gallinæ*, promovenda eſt, & abſceſſus aperiendus; poſtea *farinâ lupinorum*, cum *melle roſaceo* mixtâ, detergendus, & more aliorum curandus. *Chirurgia.* Quòd ſi os fuerit carioſum, cauſtico adurendum, & eſcharæ caſus procurandus eſt.

Pterygium quid. & unde. *Ungvium Pterygium* eſt carnis excreſcentia, quæ in radice unguium oritur, eosque operit & depaſcit: eſt ex genere malignorum, & à non bene curato panaritio, vel contuſione &c. provenit: eſtq; moleſtiſſimus affectus, qui eousque ſæpe ſerpit, ut partem digiti corrodat. *Prognoſis.* Quòd ſi tamen ſit ad angulos unguis, ſpecillo elevandus & reſecandus eſt, ne carnem ſecet: *Cura.* deinde bombax, cum ſequenti *Linimento*, ſuperponatur. *Linimenta.*

℞. *Thuris* ʒij.
ærug. ʒj.

Cum ſ. q. *mellis* F. Linimentum: vel bombax in vino madefiat, & applicetur. Quòd ſi pterygium ſit majus, *Linimentum* fieri poteſt ex *calce viva*, cum *auripigmento*, ut pars carnis eſcharâ inductâ mundificetur.

Hernia umbilicalis. Umbilici tumor, exomphalos Græcè, dicitur procidentia ſeu hernia umbilicalis. *Ejus Differentia à cauſis deſumpta.* Fit à flatu, vel aquoſa materia, vel ab inteſtinis, omento, carne ibi genitâ, ſangvine cum inflammatione: & hæc ſit ab ictu, percuſſione, caſu, vociferatione, tubarum inflatione, riſu, equitatione &c. *Signa cauſarum.* A quanam cauſa ſit, diligentiſſimè inquirendum: ſi enim ſit à ſanguine, apparet ex inflammatione: ſi ſit à flatu, ex ſono & ſtrepitu: ſi ab inteſtinis, tumor eſt cuti concolor: ſi à carne, eſt durus. *Prognoſticum.* Inveteratus & durus umbilici tumor eſt difficilis curationis. *Cura.* *Curam* quod attinet, inſtituatur illa ſecundum ſex res non-naturales, convenienti victûs ratione, minimè crudâ, aut flatulenta. Si tumor ſit à ſangvine, in puero recens nato, ob ptæpoſteram obſtetricis deſectionem ortus, adhibenda ſunt ea, quæ leniunt dolorem & mitigant: uti eſt *ol. roſaceum*, *anethinum*, *butyrum recens*, & *pingvedines* &c. in adultis oportet, immiſſo clyſtere, venam ſecare. Si tumor ſit ob rupturam,

vel

vel relaxationem peritonæi, Æger ſupinè collocandus eſt, inteſtina ad ſuum locum reducenda, quies cumprimis imperanda, & corpus primò blandè expurgandum, deinde peritonæum ruptum conſolidandum, laxum verò adſtringendum. Primò itaque aptum ſubligaculum conficiatur, tumor *oleo ovorum* inungatur, vel *oleo momordica*, vel *Gonzagiano præſtantiſſimo*: quod

Balſamum Gonzagianum.

℞. *Flor. ſulphuris* ℥iij.
myrrhæ,
mumiæ, ana ℥j.
axungiæ ſerpentis ℥iß.

inde vaſi vitreo; & adde *ol. terebinth.* ad eminentiam 2. digitorum, *olei benzoini* ʒij. Vas optimè claudatur, omniaque bulliant ad ignem cinerum, ita, ut intra duos vel tres dies omnia faceſſant in *Balſamum* rubicundum fœtidum: attamen empyrevma cavendum eſt. Hoc, poſt calli emollitionem, ſi adſit, linteis imbutis applicetur: eſt ad omnem herniam probatiſſimum: ſed applicetur poſt unctionem *emplaſtrum infra ſcriptum*; deinde *ceratum* ad rupturam apponatur, nec inter octiduum renovetur: interea *decoctum vulnerarium* ſingulis diebus propinari debebit:

Potio vulneraria.

℞. *Herb. nummulariæ,*
ophioglossæ,
perfoliatæ,
plantag. maj.
prunellæ,
ſanic.
ſymphyti maj.
pyrolæ,
conſolidæ Saracenic. ana m. j.
cynogloſſ. ʒß.

Bulliant in *vino rubeo*, ad mediæ partis conſumptionem: colatura dulcoretur *ſacchare roſato tabulato*, & de illâ ℥iij. vel iiij. omni manè propinentur: loco prædicti emplaſtri ſequens ſubrogari poterit.

Emplaſtrum.

℞. *Empl. Divini, diachalcit.*
de gratia Dei, ana ℥ß.
croci Martis adſtringentis,
lapidis calaminaris præparati, ana ʒij.
axung. humanæ,
ſerpentis, ana ʒij.
mumiæ veræ,
myrrhæ, ana ʒiß.
pulv. exuviarum ſerpentis ʒj. gr. xv.
balſami ſulphuris ℥ß.

M. F. l. a. Emplaſtrum: vel, loco ejus,

℞. *Maſſ. empl. contra rupt.*
ol. myrtill. ana ℥ij. M. & ſolve: deinde adde
balſami ſulphuris ℥ß.
ceræ q. ſ. F. Emplaſtrum.

Chirurgia. Quòd ſi medicamentis non cedat malum, ad inciſionem, in adultis: aut uſtionem, præcipuè in pueris, deveniendum; quam operationem vide in Authoribus: & hæc *de Tumoribus*.

Caput XXV.

De Vulneribus in genere; de Differentiis ſolutæ unitatis, Signis prognoſticis, & Curâ, in genere.

Vulnus. Per *Vulnus* hic non ſaltem intelligimus ſolutionem continui in carne cæſim factam, cum Galen. *l. de artis conſtitutione, c. 6.* ſed eam etiam, quæ tam cæſim, quàm punctim, etiam in nervis & arteriis, & aliis partibus mollibus contingit: & *definitur*, quòd *Quid.* ſit continui ſolutio recens, cruenta, & ſine pure, in partibus mollibus, extrinſecus incidens: eſt Galeni, *comment. 1. & l. 2. de fracturis*: *differt* ab ulcere eo, *Ejus Differentia ab aliis:* quòd in hoc ſit pus; à fractura eo, quòd hæc ſit in oſſibus; vulnus verò in partibus mollibus: eſt morbus communis; *Inter ſe.* quia tam ſimilari, quàm organicæ parti convenit.

Vulnus aliud eſt, quod *cæſim* fit; *à re Vulnerante:* ut ab enſe, cultro, ſecuri &c. aliud, quod *punctim*, à re acuta, ut ſagitta, mucrone, ſubula, &c. aliud, quod contuſim, ab inſtrumento gravi & obtuſo: pro ut diverſis partibus contingit, diverſa quoque ſortitur nomina; ut in oſſe eſt fractura, in membrana ruptura, &c. Vulnerum differentiæ utplurimùm *à partibus*, quas *à Partibus,* occupant, ut cerebro, pede, brachio, corde; parte ſimilari, vel organica; item ab ipſius *vulneris eſſentia*, com- *Vulneris eſſentiâ.* poſitione, idea, &c. tertiò à *quanti- Quantitate &c.* *tate*; vel *figurâ*: *æqualitate*, vel *inæqualitate*; hinc aliud eſt *magnum*;

aliud eſt *parvum* : aliud *longum* ; aliud *breve* ; latum , anguſtum , ſuperficiale , profundum , rectum , obliquum , retortum , apertum , transverſum , latens : quartò ſumuntur differentiæ *à tempore* : nam aliud eſt recens , aliud *antiquum* : quamvis hoc , accedente pure, in ulcus degeneret.

Cauſa. *Cauſa* vulnerum ſunt omnia illa , quæ , extrinſecus advenientia , continuum ſolvere valent.

Signa. Vulnerum , & differentiarum eorundem , *ſigna* ſunt evidentia.

Prognoſis. à Parte affectâ. *Prognoſticum* deſumendum eſt primò à *parte affectâ* ; quæ vel eſt nobilis ; & ſic eſt lethale ; vel ignobilis : profunda ; vel ſuperficialis : mollis , vel dura ; calida, aut frigida ; reunibilis, vel non : *Ipſo Vulnere.* ſecundò ab *ipſo vulnere* , quod ſi eſt magnum, periculoſius eſt parvo : in nervo, tendine, & articulo, curatu difficilius eſt , quàm in carne : *Corporis habitu.* tertiò ab ipſo *corporis habitu* : facilius eſt enim curatu in corpore ſano , quàm in cacochymico ; in juvene , quàm in ſene. *Rebus non-naturalibus.* Quartò à rebus non-naturalibus : facilius enim ſaneſcit exercitatus, quàm iners ; ſobrius, & temperans, quàm ebrius , & Veneri deditus ; in aëre temperato , quàm præcalido & algente.

Vulnera lethalia. Vulnera *lethalia* ſunt , teſte Celſo, *l. 5. c. 26.* quæ cordi, cerebro , jecori , diaphragmati , ventriculo , œſophago , pulmonibus , aſperæ arteriæ , veſiculæ fellis , inteſtinis tenuibus , aortæ , venæ cavæ , ſpinali medullæ , infliguntur : alia ſunt his proxima , quæ non ex neceſſitate ſunt lethalia ; talia tamen evadunt : ut ſunt ea, quæ partibus principibus ſunt proxima , item vulnera articulorum , capit. & caudar. muſculor. vide Hippocr. *de vulneribus & fiſtulis* , 7. 8. 9. &c.

Sanabilia. Vulnera *ſanabilia* ſunt parva , & quæ partibus maximè ſanabilibus accidunt. Febris & convulſio, vulneribus ſupervenientes , malum : dum enim Galen. *c. 9. Art. med. ait* : unionem in partibus inſtrumentalibus impoſſibilem eſſe, intelligendus eſt non abſolutè, ſed tantùm de partibus abſciſſis : nam nervi, venæ, & arteriæ, quæ etiam ſunt inſtrumenta , ſæpè reſecantur , & tamen coaleſcunt.

Cura. Curam quod attinet , cùm vulnus ſit ſolutio continuitatis , indicatur reuniens , ut illa , quæ per diviſionem plura ſunt facta , unum fiant per unionem ; quæ fit dupliciter : à naturâ ; & à Medico : natura enim id facit tanquam agens præcipuum, & tanquam cauſa efficiens , alterans , regenerans , alens , niſi fuerit impedita : *Medicus natura miniſter.* *Medicus* verò ſaltem tanquam miniſter naturæ , impedimenta removet, atque ita ſecundariò curat : quod ut faciat, debet primò efficere , ne quid extraneum in vulnus incidat : ut ſunt pili , pulvis , oleum , quod conglutinationem impedit ; ſecundò ut , ſi quid inciderit, tollatur : ut ſunt ſanguinis grumi , oſſa , terra , mucro &c. quæ ſi absque Ægri interitu demi poſſint , demenda ſunt ; idque biſariam : vel inſtrumentis, vel medicamentis. In *telorum* extractione diligenter attendenda eſt eorum *figura* , & *pars* , *cui affixa* ſunt, & *quàm profundè* : nam quædam ita ſunt aſpera & reflexa in parte nervosâ , & profundè infixa , ut retrahi minimè poſſint ; quin & potiùs, ſi ſpatium ſit adeò longum, nec adſint partes nervoſæ , facienda eſt in oppoſitâ parte apertio , & tela ſunt protrudenda : ſi autem retrahi poſſet , hiſce non obſtantibus , via ſcalpellis amplicanda foret, cavendo ſemper à nervis, & à vaſis majoribus. Quòd ſi telum oſſi fortiter infigatur, vel ipſum etiam articulum perrumpat , ſitque venenatum , difficiliorem fore curam, portendit : nam tempore operationis , & poſt eam, alexipharmacis quoque oppugnandum eſt venenum , & applicatâ cucurbitulâ evocandum. *Inſtrumenta* telis extrahendis apta ſunt , *roſtrum corvinum* , *forcipes* , *novacula* , *terebra* , *impellens cavum* , ſeu *perpulſorium fœmina* , & *perpulſorium mas* , &c. *Medicamenta.* *Medicamenta* , quibus extranea tela , ſcilicet ſpinæ , extrahuntur , ſunt *emplaſtrum diadictamnum* , *ſapo niger* , *rad. dictamni albi* , *ariſtoloch. rotunda* , cum melle mixta ,

arundi-

rrantiorum, radix thapſiæ, ſagapenum, ammoniacum, lignum viſci quercini, ſuccinum, Magnes præparatus, &c. ex quibus poſſunt fieri emplaſtra, vel ungventa, vel cataplaſmata. Extractis & remotis iis, quæ curationem fruſtrabantur, tertiò partes disjunctæ reuniendæ ſunt, labiis vulneris æqualiter, & comitanter conjungendo; quod Medici potiùs, quàm naturæ, beneficio perficitur. Fit autem *reunio*, vel vinculo, ex duobus initiis circumdato, vel ligaturâ ſolâ, vel ſuturâ, vel fibulis impoſitis, aut horum quibusdam emplaſtris glutinantibus, omnem, quantum fieri poteſt, dolorem præcavendo: ſutura plerunque fit in partibus mollibus: quarò ſatagendum Medico, ut partes debito ſitu, pulvinariis, faſciis, aëre competenti conſerventur. *Medium*, per quod partes conglutinantur, & ſanantur, eſt duplex; primæ, & ſecundæ intentionis, ſeu homogeneum, & heterogeneum: partes molles per medium homogeneum reſarciuntur; inter quas Gal. *l. art. med. c. de cauſis ſalubribus*, ad fracturas oſſis refert os puerile: ubi ait, idem poſſe ſolidari ob mollitionem: reliqua virorum, & adultorum oſſa coaleſcere non poſſunt, niſi per medium heterogeneum; utpote per callum, ab oſſium alimento provenientem, ob defectum mollitiei.

Reunio.

Conglutinationis medium duplex.

Caput XXVI.

De Conſervanda Partis Temperie in Vulnere.

Cùm caput de ligaturis & faſciis, ſuturis, fibulis, linamentis, penicillis, & ellychniis, Praxin potiùs, quàm Speculationem, in ſe contineat; ad operationem mechanicam illa referimus: & de iis lege Gal. *de ligat. in vulneribus curandis.* Interim diligentiſſima temperiei conſervandæ habenda eſt cura: hac enim conſervatâ, vulnera faciliùs conglutinantur, & ſanantur; cùm ſolius ſit temperamenti, & naturæ opus: quin & natura robuſta non ita facilè excrementa recipit, & faciliùs ſuperflua excernit, concoquit, & plurima arcet accidentia, quæ poſſunt ſupervenire temperamento deſtructo, & natura debili exiſtente. Neceſſe eſt itaque, partis tonum & ſiccitatem in ſuo gradu continere: quod fiet optimo inſtituo victûs ordine, pharmaciâ, phlebotomia, & *Topicis* medicamentis; quæ ſiccantia, moderatè refrigerantia, & adſtringentia eſſe convenit; ut nempe ſuperfluæ humiditates abſorbeantur: magis tamen eſſe talia oportet, prout temperamenti partis gradui conveniunt. *Refrigerantia* concentrant calorem, & uniunt; *adſtringentia* corroborant & repellunt, poroſitatem & laxitatem parti adimendo, quæ ad humorum receptionem plurimum faciunt. Opus autem habemus hîc glutinatione quadam, & inviſcatione, quæ plurium corporũ unionem per mixtionem partium procuret. Tale eſt *vinum nigrum ſtypticum, ſeu auſterum*, teſte Gal. *4. de ſimp. med. facultatibus*, quod habet adſtringendi & ſiccandi facultatem; item *ſuccus millefol. anagallidis, plantag. fol. ſalicum, veſicarum ulmi, cupreſſi, equiſeti; pulv. ſang. Draconis, boli Armenæ, cort. granat. balauſtiorum, gallarum immat. roſar. rubear. corall. rub. lapid. hæmatit. terra ſigill. ſantali rubei, maſtiches, ſarcocoll. aloës*: ex his unus, vel plures compoſiti poſſunt adminiſtrari: *emp. diapalma, de minio, de ceruſſâ. pulveres* præcedentes, in ſtupa, vel linteolo ſubtiliſſimo, *albuminibus ovorum* excepti, vel cum emplaſtri alicujus maſsâ applicentur. Glutinat etiam *ung. aureum, citrinum, potabile, baſilicum, deſiccativum rubrum, ol. abiet. ſtillatitium, de terebinth.* ad conſervandum partis robur, ex iiſdem ſimplicibus fiant *defenſiva*; quæ ſuperiori parti membri, ad impediendum humorum affluxum, applicentur.

Topica.

Refrigerantia.

Adſtringentia.

Conſervantia.

Defenſiva.

Caput XXVII.

De Diæta: Veneſectione, & Purgatione, in Vulneribus inſtituenda.

Ne graviora vulneribus accidentia superveniant, *diæta* ex optima rerum ſex-non naturalium conſtitutione ordinanda eſt: & primò

Diæta.

Aër. *aërem* temperatum quidem, ſed calidum potiùs, quàm frigidum eſſe convenit. Nam, teſte Hipp. *ſi vulnera ſint in capite, aut in ventre, iis frigus eſt inimicum; calidum verò amicum.* *Qualis eſſe debeat Victus.* Victus autem inſtitui debet pro virium ratione, & affectûs magnitudine; teſte Gal. *7. & 8. met.* Maxime autem, niſi ingens præceſſit hæmorrhagia, convenit *victus tenuis*, & quodammodo refrigerans, ad cavendam, quæ cerebro immineret, inflammatioem; tenuis eſſe debet, ne ſuperflui quippiam ad partem affectam confluat. *Potus.* *Potus* erit *decoctum hordei*, cum pauco *ſaccharo*, & *cinamomo*: vinum omnino prohibendum eſt: *Cibus.* *cibi* loco erunt panatellæ, & juſcula, *endivia*, *lactuca*, *borrag.* parum alterata: ea, quæ maximè nutriunt, præ reliquis ſunt vitanda, *Vitanda.* ova ſcilicet, caro, acria omnia, acida, aromata, præcipue novem primis diebus, donec graviorum ſymptomatum nullum ampliùs ſubfuturum eſt periculum; tuncque ad paulò pleniorem victum ſenſim erit accedendum. *Quies.* *Quies* quoque imperanda eſt, præcipuè in vulnere partium inferiorum: nam motus conſolidationem maximè impedit. *Somnus.* *Somnus*, ubi magnus adeſt dolor, procurandus eſt longior: qui tamen partibus externis vulneratis, & aliàs frigidis, eò, quòd refrigerentur, noxius eſt. *Vigiliæ.* *Vigiliæ* quoq; nimiæ humores reddunt acriores, & vires debilitant. *Pathemata.* Violenti *motus animi* ad inflammationem maximè faciunt. *Excreta & Retenta.* *Alvi excretio*, ſi defecerit, arte procuretur. *Venæſectio.* *Venæſectionem* quod attinet, quamprimùm devenimus ad vulnerum curationem, ſiccitatem ſemper eſſe procurandam, in confeſſo eſt, ſi totum corpus ſit humidum, & ſangvine plenum; idem quoque de parte certiſſimum erit: itaque, ad præcavendam inflammationem, venæſectio erit adhibenda, præcipuè revellendo, derivando & evacuando; idque præcipuè, ſi vulnus ſit magnum, vel ratione ſui ipſius, vel ratione partis, quam occupat, permittentibus id ætate, & viribus, niſi nimia ex ipſo vulnere ſangvinis quantitas effluxerit. *Conſideranda in Venæſectione.* Ad phlebotomiam quoque conſiderandus eſt habitus corporis: nam in ſangvineis major quantitas, quàm in aliis, extrahenda eſt. Item ſi magna adſit inflammatio cum dolore, plus eſt ſangvinis mittendum: ſi anni tempus ſit præcalidum, unde vires præſumuntur debiliores, minor erit extrahenda quantitas. Quænam vena ſecanda ſit, vide *ex Præcedentibus*. *Purgatio.* *Purgationem* quod attinet, Hipp. *l. de vulneribus: Purgatio*, inquit, in ſolâ vitioſi ſucci abondantia convenienter adminiſtratur, etiam ubi magnitudo ipſius morbi eſt ipſi cacochymiæ conjuncta. *Ejus Ratio.* Sic in ulceribus, & vulneribus omnibus, quoties valida ſunt, purgationem eſſe utilem, profeſſus eſt, quòd inſigniter vacuet, & ad diverſum trahat. Idem, *eodem libro*, ad vulnera capitis, ventris, & articulorum, ob periculum corruptionis, purgationem utilem eſſe tradit: cùm nempe vulnerum curatio in hoc maximè conſiſtat, ut omnia illa avertantur, quæ reunionem poſſent impedire: quod unicè fit à purgatione, quæ corporis ſuperflua repurgat, quò minùs ad partem debilem fluant, eamque corrumpant. Hinc etiam membri amputationem celebraturis, ad præcavenda majora ſymptomata, purgatio ſemper præmittenda eſt. Purgatio itaque ſolùm intelligatur de magnis, non de parvis, vulneribus; in quibus nullum adeſt periculum. *Locus per quem.* *Locus, per quem* facienda eſt purgatio, ſemper debet eſſe, ob revulſionem, contrarius: ſi nempe partes ſuperiores ſunt læſæ, dum ad eas vehemens irruit fluxio, per inferiores partes corpus eſt evacuandum: contrario modo, ſi inferiora fuerint læſa, pro ut humores maximè peccare videbuntur, & Patientis temperamentum indicabit, ita & purgationem eſſe conveniet. *quoad Temperamentum.* Si nempè bilioſi redundent humores, cholagoga; ſi melancholici peccent, melanagoga erunt adhibenda: eáque ſint valdè mitia: ut *manna*, *caſſia*, *tamarind.* *rhabarb.* *ſyrup. roſar. violar. ſolutiv.* &c. *Purgantium qualitas.* ne inflammatio excitetur, & humorum fluxio commoveatur: quod tamen ab antiquis minime obſervatum fuit. Nam Hip. & alii, in vulneribus *ſcammonium* promiſcuè adhibuerunt.

CAP.

Digitized by Google

Caput XXVIII.

De Corrigendis Accidentibus, quæ Vulneribus eveniunt.

Vulnerum Symptomata. **A**Ccidentia, ſeu *Symptomata*, quæ vulneribus plerunque eveniunt, ſunt dolor, inflammatio, eryſipelas, œdema, febris, convulſio, paralyſis, ſyncope, delirium, pruritus, durities, livor & ariditas; quæ, ad perfectam vulnerum curationem, protinus ſunt removenda.

Dolor: Ejus Cauſa. *Dolor*, triſtis illa ſenſatio, ob actionem improportionati ſenſibilis facta, plurima alia advehit ſecum ſymptomata; utpotè inflammationem, convulſionem, febrim, eryſipelas, &c. doloris cauſa eſt continui ſolutio, vel intemperies, non ſenſim, ſed confertim & violenter facta; continui ſolutio fit, vel ab humorum influxu; vel à corpore præter naturam infixo; vel à qualibet alia re diſtendente, comprimente, & aggravante.

Intemperies. *Calida intemperies*, cùm ſit maximè activa, & poſt illam *frigida*, ad dolorem excitandum, ſunt maximè aptæ: humida & ſicca non tantam dolorem excitandi vim habet, eò quod ſe magis paſſivè habeat. *Calida.* *Calida* intemperies corrigitur *decoctis*, vel *aquâ*, vel *ſuccis refrigerantibus*, ut *decoct. aquâ*, vel *ſucco ſolani, lactucæ, endiviæ, roſar. violar. nenufaris*, &c. ſæpius applicatis, vel *albuminib. ovorum* bene conquaſſatis, cum *oleo roſaceo*, iiſque madefactis linteis ſæpius adhibitis. *Frigida.* *Frigida* intemperies contrariis curatur; utpote coque *ſalviam, rorem marinum, folia lauri, lavendulam, majoranam* &c. in *vino generoſo*, & applica, madefactis in eo linteolis; vel ſpongiola, in *oleo vulpino, chamæmelino, de ſpica, lumbricorum*, & ſimilibus intincta, ſuperligetur.

Venenum. Si *veneni* adſit ſuſpicio, hiſce ſemper *alexipharmaca*, & *venenum attrahentia*, ſunt commiſcenda. *Extranea.* Si verò corpus quoddam *extraneum* dolorem excitet, ut, v. g. grumi ſangvinis, partem diſtendentes; fluxio revellenda eſt per venæſectionem: ſi alia qualiacunque, hæc quamprimùm removenda: eodem modo ſi à vinculis, vel ſuturis, excitetur dolor; illa laxanda ſunt; hæ verò tollendæ.

Pus. Si quantitas *puris* dolorem faciat, huic exitus per dilatationem procurandus eſt. *Anodyna, ſeu dolorem lenientia.* *Anodyna* interdum ſunt adhibenda, ut *al. nenupharinum, de mandragora*, cum pauco *opio*, & *caſtoreo*, ad corrigendum frigus: vel contundatur *ſolanum* cum *radice*, & cum *axungia ſuilla* bulliat, fiatque *ungv.* *Ungvent.* *Medulla panis*, cum *lacte*, vel *aquâ ferventi cocta*, & ad modum *Cataplaſmatis* appoſita, dolorem in vulneribus ſedat. *Cataplaſma.* Si hiſce non cedat dolor, ſignum eſt, nervum eſſe læſum: cujus curationem vide *poſtea*.

Inflammat. Si *inflammatio* vulneri ſupervenerit, huic quantocyus eſt occurrendum: nam hâc præſente nullam vulnus curationem admittit; ideóque recurrendum eſt ad venæſectionem: deinde contunde *malum granatum dulce* in mortario, & affunde *vinum ſtypticum dulce*, fiatque Cataplaſma quod apponatur; vel repete ea, quæ dicta ſunt *de intemperie calidâ dolorem cauſante*. *Eryſipelas.* *Eryſipelas* vulneri ſæpe ſupervenit, quod cognoſcitur ex inflammatione magna, colore ſubflavo, & magno dolore; unde, præcipiente Hipp. cuicunque ulceri, vel vulneri, superveniat eryſipelas, *purgare* convenit corpus, ſeu dejectione, ſeu vomitione, prout ulceri præſtabit. *Epithemata.* Deinde *ung. de liquiritia* eſt præſtantiſſimum: licet alii applicent *Cataplaſma* ex *ſucco ſolani*, & *farina ſem. lini*: *Digeſtiv.* in ipſum autem vulnus digeſtivum ſequens, petiolis inunctum, imponi poterit.

℞. *Terebinth. opt. aq. ſolani aliquoties lota* ℥j.
farina hordei, vel *lini*, ℥j.
vitell. ovi num. j.

Agita bene ſimul, & fiat Linimentum.

Oedema. *Oedema* vulneri ſuperveniens fit ex debilitate caloris nativi, alimentum non concoquentis, ſed in pituitam tantùm vertentis: hujus curam repete ex *capite de Oedemate*. *Febris.* Si *Febris* vulneri conjungatur, victûs ratio refrigerans ſervanda eſt, venæſectio inſtituenda, & remedia ex *Tractatu noſtro de febribus* ſunt petenda. *Convulſio.* *Convulſio*, quæ, teſte Gal. 2. *de cauſis ſymptomatum*, eſt ſymptoma motricis facultatis involuntariè moventis, in vulneribus vel ob nervum læſum, vel ob im-

ob immoderatum ſangvinis profluvium, vel ob inflammationem, vel ob dolorem, accidit. Partes affectæ ſunt vel cerebrum; quod vel per ſe, vel per accidens, læſum eſſe cognoſcitur, ex convulſione muſculorum faciei: vel principium medullæ ſpinalis læſum eſt, & tunc membra omnia convelluntur: convulſionum ſpecies, cauſas, ſigna, & curationem vide *in Tractatu noſtro Practico, de affectibus Capitis*: quoad præſidia verò, ſi convulſio ſit ab inanitione, *Topica* ſunt, *hydraleum* applicatum calidè; item *ol. amygd. dulc. roſac. violac. liliorum albor. pingved. anſerin. anatis*, *butyrum rec.* Vel

℞. *Ol. vulpini*,
lumbricorum,
anethini, ana ℥j.
caſtor. ʒij.
M. F. Linimentum.

Balneum ex herbis humectantibus; vel fotus ex earundem decocto, etiam conferret: prodeſt & detentio *aquæ calidæ*, cum *oleo dulci* mixtæ, in ore, ut principium nervorum humectetur: ſi verò fiat à repletione, hæc evacuantibus u-

Alia. niverſalibus erit propulſanda. *Paralyſeos*, *ſyncopes*, & *delirii* curam vide in

Pruritus. *prædicto Tractatu noſtro Practico*. *Pruritus*, qui eſt humorum leviter mordicantium ſenſus, fricanti Ægro ſæpe hæmorrhagiam & dolorem, & doloroſam excoriationem cauſat. Ejus cauſa eſt humor ſalſus, mordax, acris, & ama-

Fotus. rus. Vulnus itaque *foveatur* ſpongiâ, *aquâ*, vel *lacte tepido* imbuta, ut humoris acrimonia diluatur, & pori ad ejus expulſionem aperiantur: loco ejus

Linimentum. ℞. *Ung. de ceruſſâ ſimpl.* &
alb. camphor. ana ℥j.
aq. plantag. ʒvj.

M. invicem & applica; vel, dum adeſt magnus calor, addi poteſt *ungventum refrigerans Galeni*, vel *populeon*: aliqui pruritum ſolâ *muria* adhibitione tol-

Alia. lunt. *Durities*, *livor*, & *ariditas* vulneribus ſupervenit: duritiei cauſa eſt ſiccitas, vel plenitudo, vel congelatio, teſte Aëtio: hic durities potiùs eſt à ſiccitate, aut plenitudine, quàm à frigore, quæ tanta eſſe, citra partis gangræ-

Livor. nam, non poteſt. Livor fit vel ob caloris nativi extinctionem, vel ob frigidam intemperiem, vel ob nigrum in parte contentum humorem, vel ob os ſubtus corruptum: quocunque autem accidat modo, ſemper malum: duritiei conveniunt omnia ea, quæ *capite de Scirrho* dicta ſunt: ad lividitatem tollendam

℞. *Aq. calidæ* ℔j. *Epithema.*
in hac diſſolve
croci ℈j.
dein adde
farinæ hordei q. ſ.
ut fiat Pulmentum; cui adde
arſenici rubei ʒj.

Hoc applica, vel recurre ad ea, quæ *de Gangræna* ſunt tradita

---

CAPUT XXIX.

De Superficialium: & Profundorum ſeu Cavorum in carne Vulnerum cura in particulari.

QUandoquidem priùs de ſimilarium partium vulneribus, carnis ſcilicet, arteriarum, venarum, nervorum, ligamentorum, oſſium; deinde de partium compoſitarum, capitis ſcilicet, thoracis, abdominis vulneribus tractaturi ſumus; primò de primorum integumentorum tum ſuperficialibus, tum etiam profundis, agemus vulneribus: quorum alia ſunt ſimplicia; alia compoſita: alia ſine; alia cum accidente, aut ſymptomate: de eorum cauſis prognoſticis, & univerſalibus præſidiis, *ſuperiùs* dictum eſt. Itaque in *vulnere ſimplici* ſimplex quoque *Vulnus ſimplex.* indicatio eſſe, &, quod diviſum eſt, reuniri debet; ſi prius vulneris labia bene expreſſerimus, &, quicquid ſangvinis aut extranei eſt, excluſerimus: deinde labia unita faſciâ, ad id aptatâ ſunt ſervanda: &, ſi vulnus parvum fuerit, ei ſufficiet *albumen ovi* diu agitatum, & ſtupis appoſitum; vel, loco ejus, aliud quodvis glutinans applicandum, & vulnus duobus vel tribus diebus abſque ſolutione, ut unio citiùs procuretur, in *quiete* relinquendum eſt. *Quies.* Si autem vulnus tantum ſit, ut labia ejus ſolis faſciis conjungi, & per primam intentionem, ſine interventu alterius medii, agglutinari non poſſint, ſuturâ, vel fibulis, vel glutine,

glutine, opus erit, quo ſtante ſequens

Pulvis agglutinatorius.

Pulvis hic agglutinativus albumine excipiatur, & apponatur:

℞. *Boli armen.*
terræ ſigill.
aloës hepatica,
myrrha,
thuris,
maſtiches,
ſarcocoll.
tragacant. ana ʒß.
farina hordei,
fabar. ana ℈j.

M. F. Pulvis dicto modo uſurpandus: deinde *oleo roſaceo* bene inungatur; atque ita tribus vel quator diebus permaneat: &, dum ligaturam ſolvere mens eſt, exſiccata lintea priùs *vino rubro ſtiptico* madefieri, eademque ſic madida pauco pulvere antedicto aſperſa; aliquando ſola, vulneri circumligari poſſunt: quia vinum (teſte Hipp. *l. de ulceribus*, ubi ait: vulnera nullâ re debent madefieri, præterquam *vino*) vulneribus, ſi nihil contrà indicet, maximè competit, dum moderatè exſiccat humorem ſanioſum, & calorem innatum corroborat. Et hæc non tantùm in primo, ſed & ſecundo, & tertio apparatu, niſi ad alia terebinthinata conglutinantia confugiendum videatur, ſunt continuanda.

Vinum calidum vulneribus optimum.

Profundorum.

In *profundis* vulneribus diligenter attendendum, utrum eorum aperturæ ſurſum aut deorſum hient: ſi enim ſecundo modo, facilis puri erit exitus; ſi primo, difficilis: adeoque novâ ſectione, nervis tamen intactis, & ſitu immutato, promovendus, ita, ut, hoc facto, turunda, digeſt. bene uncta, ſemper ad vulneris usque fundum intrudatur, & deligatio supernè ſemper inchoetur, infernè verò, ad faciliorem puris expreſſionem, finiatur. Quòd ſi vulnera ſint cava, non poſſunt per primam intentionem curari; ſed, ob deperditam ſubſtantiam, intervenire debet aliquod medium. Univerſalia itaq; præſidia primùm adminiſtrentur; externa omnia curationem impedientia, removeantur, partis temperies conſervetur, ſymptomata prohibeantur, &, cùm duo hîc ſeſe offerant, ſcilicet continui ſolutio, & ſubſtantiæ per cavitatem deperditio; hinc ſimplex non poteſt eſſe vulneris curatio, ſed duplex: reunio ſcilicet, & cavitatis repletio; quæ reunionem ſemper debet præcedere: ad quod faciendum, ut bonus generetur ſangvis, & partis temperamentum ſervetur, integrum curetur. Primum fit bonâ *victûs ratione*: ſecundum anteà traditis. Et, cùm *duplex* generetur *excrementum*; unum *tenue*, quod vulnus reddit humidum; alterum *craſſum*, quod ſordidum facit: requiruntur exſiccantia & detergentia: gradum verò, in quo talia eſſe debent, ex ipsâ partis majori vel minori humiditate, vel ſorditate, licet deprehendere.

Diæta.

Excrementa vulnerum duplicia.

Sarcotica.

Carnem itaque *generantia*, vel exſiccantia & abſtergentia debiliter ſunt, *maſtyche*, *olibanum*, *pix*, *colophonia*, *farina hordei*, *fœnumgræcum*, *aloë*, *reſina*, *vinum rubrum*: &c. mediocria verò ſunt *farina lupinorum*, *orobi*, *fabarum*, *ariſtolochia utraq.*, *iris*, *ung. baſilicum minus*, *de beton. de ceruſſa*, *aureum*, *de matriſylva*. Maximè talia ſunt *limaces uſta*, *plumbum uſtum*, *myrrha*, *centaurium minus*, *unguentum Apoſtolorum*, *de tutia*, &c. Quòd ſi ſarcoticum, poſt vino calido factam ablutionem, in pulvere inſperſum non ſatis efficax fuerit, patet exinde, quòd major adſit puris quantitas, & carnis flaccidæ & mollis copioſa ſupercreſcentia: quæ ſignum præbent, non ſatis exſiccare ſarcoticum: adeóque ad potentius confugiendum eſt: ſi verò hiſce contraria, magna ſcilicet ſiccitas, corroſio, & calor adſint, ſignum eſt, ſarcoticum nimis eſſe violentum, quod, ob nimiam ſiccitatem, carnem abſumit & colliquat. Videndum itaque ſemper eſt, cum Galeno, ut ea, quæ ſunt ſecundum naturam, conſervemus; ea verò, quæ ſunt præter naturam, tollamus. Sic vulnus, quò humidius eſt, & in humidiore parte, eò ſemper ſicciora requirit ſarcotica: contraria in contrariis &c. Itaque antequam curam vulnerati aggrediaris, temperamentum cum totius, tum partis, ætas, anni tempus, aëris conſtitutio, & præſentia ſymptomata, diligentiſſimè ſunt attendenda: deinde cùm ſæpius in vulneribus extraneum quid contineatur; primò vulnus abluatur *vino calido*, & conſequentis adhibeantur: qualia ſunt ex *vitellis ovorum*, & *terebinth. Digeſtiva* dicta: ſe-

Ordo, & ſeries, curandi vulneris.

Digeſtiva.

Mundificativa. ...cta: secundò *detergentia*, quæ fiunt ex *melle*, vel *ſyr. roſaceo*, *farinâ hordei*, *faber.* &c. *Sarcotica.* hiſce factis ad *ſarcotica* deveniendum. Si vulnus ſit cavum, abſque deperditione ſubſtantiæ, labia vulneris altis ſuturis ſuenda ſunt, & foramen puri excernendo, & turundis excipiendis, aptum relinquendum, applicato priùs *cerato diapalma*: & duplicatis, *vinóq; calido rubeo* calidis linteis, ut partis calor bene conſervetur, faſcia contentiva ligetur: & bis de die apparatus renovetur.

CAPUT. XXX.

De Facienda Cicatrice, eâdemq; Tollenda, & Renovanda: & de Auferenda Carnis Supercreſcentia.

De inducenda Cicatrice. Cùm vulnera per ante dicta medicamenta carne ſunt repleta, inducenda eſt *Cicatrix*, quæ eſt veluti in callum inducta caro: &, cùm non poſſit eſſe ejusdem generis cum reliquâ, utpote parte ſpermaticâ, quæ, teſte Galeno, qualis deperdita fuit, non recreſcit; caro vulnus implens ita exſiccanda eſt, & induranda, ut cutis vicem gerat: *Cauſa efficiens.* Cicatricis *cauſa efficiens* eſt *duplex*: *epuloticum* nempe medicamentum, & *cutis circumſtantis natura*: unde eſt, quòd cicatrix in medio non incipit, ſed quòd à labiis vulneris cutaneis ſuum ducit exordium: ſicuti ſarcotica ſangvinem exſiccando carnem generant: ita epulotica, carnem magis exſiccando, cicatricem: quod tamen, à natura ſola fieri, conſtat in brutis vulneratis. Cùm itaque ſarcotica ad carnis generationem ſicca debeant eſſe in primo gradu; glutinantia in ſecundo ſiccare oportebit; epulotica verò in tertio, habitâ tamen ætatis, partis, ſexûs, anni temporis, ratione: quæ gradum aliquando minuere valent. *Ejus Vires.* Epulotica refrigerandi, adſtringendi, coagulandi, & reprimendi vim habere oportet, ut ſangvis illuc confluens repercutiatur, & ſupercreſcentia præcaveatur: quamvis etiam calida, ſed tantùm per accidens, cicatricem, exſiccando ſcilicet, inducere poſſint. *Cicatrizantia.* *Cicatrizantia* frig. & ſicca per ſe ſunt: v. g. *cinis corii uſti*, *galla immatura*, *malicorium*, *balauſtia*, *acacia*, *ſumach*, *bolus Armena*, *ceruſſa*, *plumbum uſtum*, *cochlea oſtreorum calcinatorum*, *pulvis arnogloſſa*, *ung. de ceruſſa*, *de minio*, *de lithargyrio*, *ſangvis Draconis*, *terra ſigillata*, *pulvis roſarum*, *ſantali rubei* &c. Per accidens cicatrizantia ſunt *æs uſtum*, & *non lotum*, *ſquamma æris*, *alumen*, *chalcanthum*, *centaureum*, *chalcitis*, &c. in minimâ tamen quantitate ſunt adhibenda, & ulteriori uſtione, aut lotione, ſæpius corrigenda. Bene autem advertendum, ne cicatrix cute ſit eminentior, adeóque, antequam ad æqualitatem vulnus impleatur, procuranda eſt; cùm ſæpe in vulneribus carnis regeneratio fiat inæqualiter, ita, ut una pars adhuc ſit profunda, altera jam cuti ferè æqualis; in illâ ſarcotica; in hâc epulotica ſunt applicanda. Quòd ſi cicatrices inæquales & indecoræ fuerint, eas aliquando conſumere oportet, & ornatiores reproducere: ſunt verò tales vel *cavæ*, vel *eminentes*. Si *cavæ* ſint, ob deperditam *Cicatric. cavitas.* oſſis partem, in adultis vix poſſunt curari: in juvenibus verò primo ſcarificandæ ſunt, ſed non profundè: deinde emollientibus pars eſt fovenda; utpote *decocto inteſtinorum arietis*, vel *malvæ*, *althææ*, &c. Deinde ſarcotica ſunt adhibenda, & cavitas, quantum poſſibile, implenda. Si cicatrix *eminens* fuerit, *Eminentia.* ſcarificanda eſt, dein erodentia, ut *alumen uſtum*, adhibenda, vel talis eminentia novaculâ exſcindenda eſt, vel pondere *laminæ plumbeæ* reprimenda. Fit quoq;, ut ob pravam viſcerum conſtitutionem cicatrices pravum quoque *Color.* habeant *colorem*: hinc convenientibus remediis partium diſcraſiæ proſpiciendum eſt: deinde cicatrix abſtergatur *oleo tartari*, vel *ovorum*, vel ſequenti compoſitione:

℞. *Olei tartari* ℥j.
mucilag. ſem. pſyllii, *aq. flor. fabarum extract.* ℥ iß.
ceruſſæ, *ol. roſar. diſſolut.* ʒiij.
boracis Venetæ ſubtiliſſimè pulv. ʒj.
M. bene, & fiat Linimentum molle. *Linimen.*

Supercreſcentia carnea. Fit quoque in vulneribus, ut citra cicatricem *caro ſupercreſcat*, & notabilem faciat eminentiam; unde fit morbus in magnitudine; qui ſui indicat ablationem:

Digitized by Google

nem : quod fiet corroſivis calidis in quarto gradu, acribus, & abſterſivis; habito tamen reſpectu ad partem, cui applicantur : talia ſunt *chalcitis*, *miſy*, *ſory*, *chalcanthum*, *arugo*, *alumen uſtum*, *radix aſphodeli*, *Mercurius præcipitatus*, *trochiſci de calce* : idem faciunt, ſed mitius, *ſpongia* & *ſtupa cannabina* minutim inciſa, *linamenta* antiqua *murià* imbuta, & exſiccata.

Caput XXXI.

De Vulnere Contuſo, Ecchymoſi, & Flagellatis.

Contuſio quid. Contuſiones, teſte Galeno, fiunt, cùm grave quidpiam, & obtuſum, in corpus incidit, ac veluti *Ejus* carnoſum genus divellit. Hinc *Contuſio* eſt partis carnoſæ in multas partes ſolutio : habet nempe non unam tantùm continui ſolutionem, ſed in circuitu plurimas. *Signa.* *Signa* deſumuntur ex cauſa, inſtrumento ſcilicet duro, obtuſo &c. deinde ex dilaceratione, tumore, & livido ad ambitum colore : hinc eſt vulnus, & contuſio : adeóque duo ſunt conſideranda : & primò quidem contuſionis habenda eſt ratio : hâc enim permanente, vulnus curari non poteſt ; teſte Gal. *3. meth. 1.* itaque ad univerſalia præſidia confugiendum : ſecundò ad doloris delinitionem ; tertiò *Cura.* ad ſangvinem extra vaſatum reſolvendum, vel in pus convertendum : quartò ad vulnus detergendum, implendum, conſolidandum : quintò ad ſymptomata corrigenda. Ad primum *Diæta.* quod attinet, in magnis contuſionibus *victus* tenuis eſt imperandus & refrigerans, faciendæ ſunt revulſiones per purgationem, venæſectionem, ſcariſi*Pharmacia.* cationem, frictiones : ſecundò ad demulcendum dolorem agitetur probè *albumen ovi*, cum *pulv. myrtillor.* & applicetur ; & reliqua contuſionis circumferentia *ol. roſaceo*, vel *myrtino*, inungatur, &, ſi ingens eſt contuſio, defenſivo pars muniatur, ne major ad eam fiat humorum fluxio & inflammatio : *Suppurantia.* deinde ad *Suppurantia* celeriter confugiendum eſt ; quia partes contuſæ aliàs majori cum inflammatione putreſcunt ; ſuppurari itaque debent, & ſeparari : ſuppurantia ſunt, *malva cocta*, *althaa*, *farina hordei*, *mica panis* : ex quibus, cum *aqua*, fieri poteſt Cataplaſma : vel, loco horum, *aquâ* & *oleo tepidis* tantùm uti oportet ; vel *pingued. gallina*, *ſevo taurino* vel *vitulino*, calidè adminiſtratis : quia per calefacientia ſolùm, & humectantia, ſuppuratio promovenda eſt : ut :

℞. *Fol. malva* mij. *Cataplaſma.*
rad. althaa ℥iij.
bryonia ℥ß.
cucumeris agreſtis ℥j.

Coque in ſ. q. *aqua*, usque ad putrilaginem ; contunde in mortario : dein cribro trajiciantur, addendo

ping. gallina,
ol. olivar. ana ℥j.

M. bene, & applica calidè. Quòd ſi in medio adſit vulnus, huic ſingulare applicetur *Digeſtivum ex terebinth.* & *vitellis ovorum* ; cataplaſma in ambitu, *Digeſtivū. Detergentia &c.* & ſuprà contuſionem, extendatur. Factâ ſuppuratione, fiat deterſio, applicato *melle roſaceo*, cum pauco *ſucco apii*, & *ungv. Apoſtolorum*, mixto ; quod petiolis, ſeu linamentis, inunctum in vulnus intrudatur, ſemper bene attendendo, utrum non adſit magna ſenſûs hebetatio, livor, aut nigredo, cum fœtore magno ; quæ ulceris, teſte Celſo, pravitatem indicant ; cui protinus obviandum : ſi horum nihil adſit, detergentia, & ſarcotica, minoribus indies plumaceolis ſunt continuanda, donec vulnus carne omnino repleatur : deinde cicatrix prædicto modo inducatur.

Ecchymoſis eſt effuſio ſanguinis ſubter cutem : fit ab omnibus *cauſis*, quæ *Ecchymoſis quid. Ejus Cauſa.* poſſunt exprimere ſanguinem, è veniſque & arteriis extravaſare, ruptis, eroſis, apertis, aut rarefactis earum tunicis ; & cutaneum anevriſma facere. *Species* ecchymoſeos ſunt hypo- *Species.* ſphagmata, ſeu vibices, ſugillatio, hypopya, ſeu livores ex ictu. *Signa* ſunt *Signa.* tumor mollis, lividus, quandoque cum, quandoque ſine doloris ſenſu. Si ecchymoſes negligantur, partis inde *Prognoſis.* corruptio non rarò ſequi poteſt : ſi leves ſint, nullum habent periculum. In *Cura* earum *diata* primò in tenui & *Cura per Diætam.* refrigerante victu, ſanguinis putre-

dinem arcente, conſtituatur: ſecundò ſi ecchymoſis magna ſit, *Venaſectio*, niſi ætas, vel aliud quid, prohibeat, celebretur, & ſyrupi, ſeu julapia, ſanguinis coagulationem, ſeu concretionem, ſeu putredinem, prohibentia propinentur: uti ſunt *ſyrupus de ſucco limonum*, *de ſucco acetoſellæ*, *de acredine citri* &c. tertiò *Topica* ſint aliquo modo anodyna, refrigerantia, & adſtringentia, ut calor partis uniatur, putredo prohibeatur, & venulæ ſanguinem effundentes conſtringantur: miſceatur itaque *albumen ovi* cum *ol. roſaceo*, & mediocri, adſtringente tamen, ligaturâ applicetur. Pars in circuitu *eodem oleo* inungatur, & *pulvis rad. bryoniæ*, vel *roſar. rubear.* inſpergatur. Aliqui *pellem arietinam recenter detractam & adhuc calentem* iisdem *pulveribus*, & pauco *ſale pulveriſato* inſpergunt, & contuſis ecchymoſi, vel flagellatis, circumligant partibus: quartò ſanguis ille, in ecchymoſi infra cutim effuſus, ſuam evacuationem ſemper indicat: & minoribus quidem medicamentis, ſi ſuperficialiter, quàm ſi profundè ſanguis extravaſatus hæreat. *Vetulæ* utuntur ſolo *ungv. althææ*; cui tamen addi poteſt parum *croci*, *myrtill. rad. bryoniæ*, vel *roſar. rubear. pulv.* Pars interdùm foveri poteſt *vino calido*, in quo *mel* & *ſal* ſint diſſoluta. Quòd ſi ecchymoſis ſit inveterata, contunde *raphanum*, & applica: incidit enim & diſcutit: &, dum renovatur cataplaſma, pars lavetur *aceto calido*, vel *decocto raphani* cum *vino facto*: horum loco magis compoſitum *Cataplaſma* applicari poteſt.

Venaſectionem. *Topica.* *Vetularum remedium.* *Cataplaſma.*

℞. *Farinæ fabarum,*
fœnigræci, ana ʒiß.
flor. camomill.
meliloti pulv. ana ʒß.
rad. ſymphyti maj.
althææ, ana ʒiij.
ſucci abſinth. ʒij.
vini albi, q. ſ.

Coque ad radicum putrilaginem; dein adde *farinas* & *flores*; ultimò adde *croci* ℈j. F. l. a. Cataplaſma; quod inſigniter reſolvit ejuſmodi ecchymoſes. Si malum ad ſuppurationem tendat, hæc adjuvanda eſt; deinde ulcus detergendum & conſolidandum. Quòd ſi cum tali ecchymoſi, vel à violento caſu, vel truſione, ſanguis in corporis cavo coagulatus ſit, detur *pulv. ad caſum* ʒj. vel diſſolve ʒj. *ung. rubri potab.* in juſculo, aut cereviſia calida, vel *Interna.*

℞. *Rhei elect. pulv.* ʒß.
mumiæ ℈j.
aq. rubiæ tinct. ʒij.
ſyrup. de roſis ʒß.
M. F. Potio.

Hæc ſanguinem concretum diſſolvunt: idem facit *coagulum leporis*. Cum eadem, quæ tum de contuſione, tum de ecchymoſi, dicta ſunt, flagellatis etiam conveniant; his eorum repetitione ſuperſedemus.

CAPUT XXXII.

De Vulnere à Morſu, vel Ictu Venenatorum, & non-ita-Venenatorum Animalium illato, & præcipue de Morſu Canis Rabidi.

Quamvis animalia plurima ſint venenata: maximè tamen exiſtunt talia, dum irata ſunt: quin etiam ea, quæ venenata non ſunt, ſi in irâ mordeant, eorum morsûs inficiunt, & vulnus inferunt venenatum. *Animalia venenata*, & quæ maximè lædunt, ſunt; *aſpis*, *vipera*, & *ſerpens*, *canis rabidus*, & quodvis *animal rabie correptum*: *ſcorpio* verò pungit, *mus araneus*, *veſpa*, *crabro* &c. *Ictus* autem, vel *morsûs venenati ſigna* ſunt, maximus, ſtatim ab inflicto vulnere, dolor, calor, coloris mutatio, anxietas, & maximus cordis æſtus, cui illico venenum communicatur: & quò venenoſa plaga cordi eſt vicinior, tantò periculoſior; idem puta de iis, in quibus ſæviſſima ſunt ſymptomata, nullis adhibitis medicamentis cedentia & remittentia. *Cura* debet eſſe extemporanea, antequam vires proſternantur; præcipuè cùm hoc malum ad ſui excretionem invitet: nam differre in talibus, malum. Primò itaque, inſtituto convenienti victu, virulentia iſta evacuetur, &, ſi prius in ſuperiori membri parte fortis, citra ſtuporem tamen, facta fuerit deligatura,

Animalia venenata. *Signa morsûs venenati.* *Curatio.*

Veneni Extractio. tura, ne venenum cor petat, cucurbitulæ ſiccæ, ſi earum pars ſit habilis, applicentur: vel alterius hominis, qui os prius vino calido, vel oleo abluerit; vel gallinæ, aut columbæ deplumati podicis & affixi, compreſſo roſtro, ſuctu extrahatur venenum, & citiſſimè exſpuatur: vel cauterium actuale, vel potentiale, vel *Theriaca* cum *alliis*, *cæpis*, vel *pulvere gentianæ*, applicetur; ſi magnus adſit dolor, poſt cucurbitularum admotionem *gallina* per medium ſecta, vel *omentum hædi*, *porcelli*, vel *agni* adhuc *calens* ſuperligetur. Interea vitalis indicatio minimè negligatur, ſed ʒij. *Theriacæ* in ℥iij. *vini generoſi* diſſol. ſingulis horis propinentur: vel

Cordialia Interna.

℞. *Pulv. cancrorum fluviatilium*,
Magnet. præparat. ana ʒß.
aq. ſcordii,
pimpinell.
vini albi, ana ℥iß.
ſyrupi de ſucco citri ℥ß. ʒij.
M. F. Potio.

Horum loco *confectio alkermes*, *de hyacinth.* *conſerva citri*, *florum tunicæ*, *borrag* &c. ſæpius exhibeantur: & *Epithemata* cordi & pulſibus ſæpe applicentur, *Externa.*

Rabies: Hydrophobia. Si vulnus ſit à *Cane*, vel alio *Animali*, *rabido*, unde & *Rabies*, & *Hydrophobia*, infallibiliter, aliquando citiùs, aliquando ſenſim, & tardiùs, ſuccedunt, ei quamprimùm remediis convenientibus occurrendum. *Signa, quibus colligitur, animal fuiſſe rabidum.* Utrum canis, qui momordit, rabidus fuerit, colligitur, ſi juglandes ſubtiliſſimè triveris, & cum lacte in cataplaſma reduxeris, vulnerique per noctem applicueris, illudque cataplaſma gallinæ jejunæ & famelicæ objeceris: ab initio quidem non attinget; fame tamen preſſa comedet: Jam ſi canis non fuerit rabidus, ſuperſtes erit; ſi fuerit, poſtridie morietur: vel ſanguinem ex vulnere manantem pani affrica, & cani objice: ſi canis reſpuat, rabiei ſuſpicio eſt: ſi panem eundem, ſangvine mixtum, pullo gallinaceo dederis, morietur. *Signa diagnoſtica.* Si malum aliquo modo inveteratum ſit, & homo ad rabiem jam tendat, ſomnus eſt turbatus, adſunt vigiliæ, tenebræ oculis obverſantur, Æger eſt promptus ad iram, vox fit rauca, totius corporis adeſt laſſitudo, pandiculatio, artuum diſtenſio, improviſus tremor, palpitatio cordis & pectoris, præteriti morſus recordatio; affecti amant ſolitudinem, ſunt triſtes & mæſti, dentibus frendent, vigilantes ſecum obmurmurant, ſunt timidi: &, ſi malum ulteriùs vergat, ſummus adeſt aquæ, & omnium liquidorum averſatio: quin & aquæ ſtrepitum, licet maximè ſitibundi, horrent, latrant, vomunt biliosa, excandeſcunt, obvium quemvis invadunt. *Prognoſtica.* Eſt affectus periculoſiſſimus, & pauci evadunt: quin & Paulus ait: *ſe neminem vidiſſe ſervatum.* Antequam in omnimodam hydrophobiam inciderint, multi fuerunt ab hoc malo liberati: quin imo, ſi rabie correptus faciem ſuam in ſpeculo poſſit reſpicere, & cognoſcere; ſecundò ſi pus copioſum è vulnere à cane illato exeat, ſalutis habet ſignum. *Cura per Diætam:* Itaque ad vuln. tale *curandum* ab initio ſtatim, & ſine ullâ morâ, inſtitutâ taliter diætâ, ut Patiens inediam minimè patiatur, unde vis veneni concentraretur, & minùs dilueretur, bibat *lac*, vel *vinum paſſum*, vel, ſi fieri poteſt *aq. fabrorum*; ſudet; vulnus primò, abſentibus nervis, ſcarificandum, circumcidendum, & dilatandum, ut facilior veneno detur exitus; deinde cucurbitula applicetur, & vulnus uratur: quod ſi hæc in ipsâ parte fieri non poſſint, fiant in proximâ, & ibidem ſanguis derivetur, & evacuetur, & venenum extrahentia, ſupra dicta, applicentur: ſecundo pòſt die diſſolvatur *Theriaca ol. roſac.* & in vulnus linamentis intrudatur: *Medicamenta.* eadem *Theriaca diateſſaron* in *vino* diſſolvatur, & propinetur; quæ veneno à proprietate reſiſtere creditur: idem facit *ſcordium*, *centaureum minus*, *terra Lemnia*, *pulv. cancrorum fluviatilium*, *dictamnus*, &c. &, ſi probare velimus, utrum poſt aliquot dies elapſos abſit venenum, ſupra dicta experimenta in uſum revocanda ſunt. *Venaſectio non.* In principio *Venaſectio* minimè convenit, quia per hanc venenum magis concentratur: humores *decocto* ex *prædictis ſimplicibus*, cum *rad. angelicæ*, *ſcordio*, *pimpinella*, *praſſio*, *facto*, & cum *ſyrupo de corticibus citri*, *de pomis*, *de epithymo*, & aliis, atram bilem reſpicientibus, omni die bis exhibito, præpa-

 randi

Aqua faſtidium.

randi ſunt, & melanagogis, *pil.* ſcilicet *de helleb. de fumar. Indis maj. elect.* ſeu *confect. hamech* evacuandi; quo facto appropriata diligenter ſunt continuanda, & vulnus diutiſſimè apertum ſervandum. Si verò *aquæ potus* paulatim *in faſtidio* ſit, hominem ab improviſo in piſcinam, vel in fluvium immergere oportet, ita, ut cogatur aquam haurire ad ſatietatem: ita ſitis & metus ſimul tollentur: quòd ſi à frigida ſpaſmus exortus, Æger illico in oleum calidum immergendus eſſet: experimentum Rhaſis antiquum fuit, *cantharides*, ſeu *trochiſcos de cantharidibus*, per multos dies, pondere ℈j propinare; fiunt autem ex *cantharidibus*, capite & caudâ abſciſſis, per noctem in *lacte* maceratis, ſiccatis & pulveriſatis cum *farina lenticula*, & *aquâ ſcordii*, in paſtillos redactis; ex quibus ſanguinis mictus perſæpe ſubſequitur: hinc lac in magnâ quantitate hauriendum eſt. Sequens *Pulvis* à Julio Palmario *in libr. de morb. contagioſ. contra rabiem*, velut unicum alexipharmacum, prædicatur:

℞. *Fol. rutæ*,
verbenæ,
ſalviæ minoris,
plantaginis,
polypodii,
abſinth. vulgaris,
menthæ,
artemiſiæ,
meliſſæ,
beton.
hyperic.
centauri minoris, ana ʒj.

Colligantur herbæ menſe Junio, in plenilunio, &, ſiccatæ ad umbram, redigantur in Pulverem; de quo ſumatur, tribus horis ante prandium, ʒj. vel ʒiß. in *vino albo*, cum duplo *ſacchari*. Quòd ſi venenum ex vulnere omnino ſublatum fuerit; illud, more aliorum, abſtergatur, conſolidetur, & cicatrizetur. Plura vide in *Praxi noſtra, cap. de Hydrophobia.*

CAPUT XXXIII.

De Vulnere Venarum, præcipuè Hæmorrhoidalium, & Arteriarum ſanguinem profundentium.

Vulnera Vaſorum.

POſtquam de vulneribus carni inflictis pertractavimus, ad *Vaſorum ſanguinem profundentium Vulnera* deveniendum eſt. *Venæ vulneratæ*, ubi magnam ſangvinis quantitatem effundunt, ſymptoma in excretis periculoſum inſerunt. *Cauſa* diviſionis vaſorum ſunt, vel quæ ſecant, aut incidunt, quæ contundunt, quæ rumpunt, & quæ rodunt. Si à vena ſit, uniformiter, & ſine quiete effluit; ſi ab arteria, cum ſaltu. Omnis magna hæmorrhagia eſt periculoſa, ob theſauri vitalis deperditionem, &, teſte Hipp. *A ſangvinis profluvio deſipientia, aut etiam convulſio, malum*: nam convulſio provenit ab inanitione & ſpirituum reſolutione: ſyncope item, & ſingultus, tali ſangvinis evacuationi ſuperveniens, malum eſt. Quòd ſi ſangvinis fluxus proveniat à parvis manuum aut pedum arteriis, teſte Avicenna, periculum non adfert.

Illorum Cauſa.

Prognoſtica hæmorrhagia.

Cura. Sanguinem ſiſtentia.

Primò itaque *ſiſtendus* eſt *ſangvis*, deinde vulnus curandum: ſangvis autem cohibetur revulſione, derivatione, & evacuatione: quæ evacuationes quo in loco faciendæ ſint, dictum eſt ſæpius: topica autem ſangvinem ſiſtentia vel id faciunt incraſſando, vel ſtupefaciendo, vel ipſa vaſorum orificia occludendo. *Diæta* debet eſſe refrigerans & incraſſans: id verò efficiunt *lentes, amylon, hordeum, pedes & caput vituli, arietis, hædi, pyra, cidonia, meſpila, ſorba, corna, jujubæ, lactuca, endivia, julapia ex aq. endiviæ, lactucæ*, cum *ſyrupo granator. ribium, de portulaca, de cydon.* Quòd ſi *vires* ſint valde debiles, porrigantur *Gelatinæ* factæ ex *gallo antiquo, pedibus vitulinis*, & *raſura C.C.* &c. *Potus* ſit vinum rubrum, aquâ temperatum: aër ſit frigidus: vitetur motus, ira, & omnes violentæ animi paſſiones: *Epithemata* adſtringentia hepati, teſtibus, fronti, & omni parti mandanti applicentur: ut:

Diæta.

Vires Gelatinæ.

Epithemata.

℞. *Croci*

℞. *Croci Martis adſtringent.* ʒß.
bol. Armen.
terræ ſigillatæ,
ſanguinis Draconis,
ſantali rub. pulveriſat. ana ʒj.
aquæ plantag.
rubi Idæi, ana ℥iiij.
aceti roſacei ℥j.

M. F. Epithema, hepati, teſtibus, & parti mandanti circumligandum. Si *vulnus* ſit *magnum*, prius ſuturâ conjungatur, & non ſolvatur ante tres vel quatuor dies: medicamenta adſtringentia ſunt Pulvis ſequens:

Vulnus magnum.

Pulv. adſtringens.

℞. *Aloës ſuccotrin.*
boli Armen.
ſang. Dracon.
thuris,
myrrhæ,
pilorum leporinorum tenuiſſimè inciſorum, ana ʒj.

M. F. Pulvis ſubtiliſſimus, qui, *albumine ovi* exceptus, applicetur, forti factâ ligatura. Si fuerit *arteria*, quæ ſanguinem profundit, diſſolve *pulv. gallar.* in *aceto vini*, & applica: ſi hæmorrhagia *ex profundiori loco* proveniat, ita, ut vaſa nec digito comprimi, nec conſui poſſint, injiciatur *chalcanthum* in *ſucco granat.* vel *arantiorum* diſſolutum, ut illo eſchara inducatur: vel, ſi illûc perveniri poſſit, oblongo cauterio venæ vel arteriæ orificium inuratur: ſi hæmorrhagia ſit in partibus internis, caveamus à refrigerantibus externis, quæ calorem concentrant, & fluxum augent: fiant itaque revulſiones, & interna omnia ſint adſtringentia: ut ſunt *aquæ*, & *decocta*, *vulneraria*, *vinum ſtypticum*, cum *quo lapis hæmatit: præparatus*, *corallia rubea*, *bolus Armena*, *terra ſigillat. ſang. Draconis*, *balauſtia*, *ſantalum rubeum*, &c. propinari poſſunt: ſi ſanguis *ex inteſtinis* profluat, illum cohibere poſſumus clyſteribus adſtringentibus; ſi ex *utero*, per metrenchytas: ſi ex *veſica*, per ſyringa; ſi *coagulatus ſanguis* hæreat, unde gravia poſſent oriri ſymptomata, diſſolvatur *pulv. cumini* in *aceto*, vel *decocto ſem. apii*; quod per urinam ſanguinem educit; oxycratum idem quoque efficit incidendo: quo facto, ad adſtringentia protinus recurrendum; ut:

Arteria vulnerata.

ex profundo loco.

ex Inteſtinis.

Utero:

Veſicâ.

Sanguis coagulatus.

℞. *Succor. plantag.*
hederæ,
conſolidæ maj. ana ℥ij.

M. F. Julapium:

dentur ℥iiij. bis in die: hoc non tantùm intus ſumi, ſed etiam per ſiphonem injici poteſt, ut in vulnere *hæmorrhoidum*: uti etiam *pulvis oſtreorum calcinatorum*, bombace exceptus, plurimum facit; cucurbitulæ intra ſcapulas, ſi externæ fluant; ad regionem lienis, ſi internæ, applicatæ ſangvinem ſurſum retrahunt. Notandum, ad *Opiata* minimè eſſe confugiendum; quia opium aperiendi venas vim habere, experientia comprobavit; idque teſtantur graviſſimi Authores. *Cauterium actuale*, ſi nec propter vulneris profunditatem, nec propter nervorum viciniam, nec ob Patientis puſillanimitatem, prohibetur, in vulnerum hæmorrhagia eſt inſtar omnium, & ſuum citiſſimè effectum perficit, vaſorum orificia claudendo.

Hæmorrhoidum.

de Opiatis.

Cauterium actuale.

Caput XXXIV.

De Vulneribus Nervorum, Tendinum, & Ligamentorum.

NOn hîc de minimis nervulis, per muſculos diſperſis, fibris nempe; nec etiam de ligamentis propriè, quæ ſenſum vel exiguum, vel nullum habent; ſed de veris *Nervis* majoribus, & *Tendinibus*, tractabimus, qui vel *punguntur*, vel *diſtorquentur*, *vel inciduntur*, vel *contunduntur*. *Inciſio duplex* eſt, *hians*, ſeu *aperta*, & *cæca*, ſeu *occulta*: inciſio alia eſt *per transverſum*; alia *per nervi longitudinem* facta: inciſio *transverſalis* vel eſt *totalis*, vel *partialis*; *cum*, vel *ſine ſubſtantiæ deperditione*; *cum*, vel *ſine inflammatione*, *convulſione*, *dolore* &c. *Cauſa* ſunt omnia illa, quæ, modo prædicto, continuum ſolvunt. *Signa* petuntur ex partis anatomica cognitione, ex dolore intolerabili, pulſatione, inflammatione, febre, delirio, convulſione,

Vulnera Nervorum:

Eorum Differentia.

Cauſa.

Signa.

vulſione, quæ nervum ex parte inciſum eſſe demonſtrant: nam ubi nervus ex toto proſcriptus eſt., ſensûs & motûs adeſt privatio: punctura nervi ob ſenſibilitatem, & brevî evenientia graviſſima ſymptomata, manifeſtatur: ea ſectio, quæ fit per nervi longitudinem, eſt ſecurior.

Tendinum. *Tendines* cæſi, cùm ex nervo & ligamento proveniant, majora quidem, quàm nervi, ſymptomata invehunt; ob eam tamen, quam cum nervis habent, communionem magis, quàm ligamenta, quæ tantùm cum oſſibus communicant, Medici opem requirunt.

Cura Puncturæ nervi: Diæta, In *Puncturâ Nervi* primò *aër* ſit ad calidum vergens, eò, quòd frigus nervis ſit inimicum: hinc nervi vulnus apud carbones incenſos ſemper deligandum eſt. *Victus* item ſit tenuis & frigidus: potus ſit vel *mulſa*, vel *decoctum ligni ſaſafras*, & *viſci quercini*, cum *paſſulis* tactum, reliquáque correſpondeant: ſecundò in corpore plethorico tundatur vena, & medicamentum leniens propinetur; deinde, ut convulſio præcaveatur, vide *antè dicta*:

Pharmacia. in Manu. ſi nervus *in manu* ſit vulneratus, *oleo calenti lilior. albor.* vel *olivar.* pars affecta, collum, axillæ, & tendines, ſæpius irrigentur, & lanis oleo intinctis foveantur: tertiò dolorem lenientia repete ex *ſupradictis*.

Punctura Cæca. Conſiderandum eſt, an nervi *punctura* ſit *cæca*; an *aperta*: nam *cæca*, cùm ſit ab inſtrumento ſubtili facta, eget dilatatione, & interdum omnimoda inciſione; aliàs pars inflammatione à retento pure tentatur.

Aperta. Si punctura non ſit cæca, ſervetur *aperta*, & dolorem mitigans ſimul, & abſtergens (ut *ol. vetus calens*, *terebinth. hypericon. lilior. albor. vulpinum*, *de caſtoreo*, *ovorum*, *lumbric. rutaceum*, *anethinum*) *applicetur*; idque bis, vel ter de die; quin imo etiam de nocte repetatur: foveri quoque poteſt membrum vulneratum *hydrelæo calido*, ita tamen, ut ſemper ante refrigerationem deponatur, & renovetur fomentum: vel *emplaſtro* vulnus muniatur, ſeu *cerato ex cera*, *terebinth. & pice* facto; inunctâ tamen priùs oleo tota parte: ſemper verò ab acribus maximè cavendum.

Cum Inflammatione. Si magna adſit *inflammatio*, fiat *cataplaſma ex farina fabarum*, cum *ſapa*, addito pauco *aceto*.

Putredine: Si *putreſcat*, parte priùs defenſivo munitâ, & *oleo calido* bene inunctâ, nervus adurendus vel potentiali, vel actuali cauterio, vel *ung. Ægyptiacum* adminiſtrandum eſt.

Vulnus transverſum. Quòd ſi nervus *transverſim* ſit *vulneratus*, nec totaliter præſciſſus, ſi gravia ſuperveniant ſymptomata, omnino proſcindendus eſt: nam læſio morti ſemper eſt præferenda: quòd ſi ſupra puncturam multum carnium adſit, adeóque punctura ſit profunda; ſutura quoque profunda eſt facienda, nervus autem (quod multi malè aſſeruerunt) minimè pungendus, aut ſuturâ uniendus eſt. Suturâ factâ, vulnus *oleo lumbricor.* bene inungendum; deinde ſequens *Cataplaſma* adhibendum:

Cataplaſma conglutinans,

℞. *Pulv. lumbricor.* ʒij.
centaur. min. ʒj.

F. Pulvis ſubtiliſſ. qui ſ. q. *carnis limacum*, in mortario bene contus: excipiatur, & per emplaſtrum applicetur; quod inſigniter conglutinat. Si nervus denudatus appareat, ab acrioribus cavendum eſt: hinc, ad deſiccandum, *tutia præparata*, vel *calx bene lota* & *ſubtiliſſimè pulveriſata*, cum *oleo lumbricorum* mixta, applicari poteſt: vel ſequenti *mundificativo* procuretur:

Linimentum mundificativum.

℞. *Mellis optimi* ℥j.
terebinth. ℥ß.
Miſce bene invicem: dein adde
pulv. lumbricor. terreſt. ℥ß.
farinæ fabarum ʒj.

M. F. Linimentum.

Nervus distorſus. Quòd ſi *nervus diſtorſionem* paſſus fuerit, agita *ovi albumen* cum *oleo roſaceo*, & ſtupis exceptum applica: quo facto, *vinum rubrum calefactum* circumligetur:

Tumor: &, ſi in ipſa juncturâ remaneat tumor aliquis diuturnus, qui liberum motum impedit, ſequens *Cataplaſma* eſt inſtar omnium

Cataplaſma ſecretum.

℞. *Mucilag. tragacanth. aq. roſar.* vel, ſi magis calefacere opus ſit, *arthritica extracta*, ℔ß.

Extendatur ſupra linteum tepidè, & bis de die renovetur: hoc & dolorem lenit, & calorem mitigat, humores in junctura contentos quâdam proprietate extrahit, & duritiem, ſi quæ adeſt, tollit.

Ligamentum vulneratum. Quòd ſi *ligamentum* ſit *vulneratum*, contuſum, vel contorſum, ob inſenſibilitatem nullum doloris, aut convulſio-

vulſionis affert periculum : ſiccanda ergo ſaltem è vulnere proveniens ſanies; &, ob deterſionem, calefacientia, ſiccantia, & adſtringentia ſunt uſurpanda. Hinc malè faciunt, qui partem aquâ calidâ fovent, quæ nimium mollificat, eſtque potentiâ refrigerans: hujus itaque loco ſubrogari poterit *ol. maſtichinum*, *nardinum*, *de ſpica*, addito *pauco croco;* vel *ung. nervinum*, vel *emplaſtrum barbarum majus*. De *oſſium vulneribus*, cùm non multum diſcrepent, vide *caput de fracturis*.

Caput XXXV.

De Vulneribus Capitis.

Capitis Vulnera:

SUppoſitâ capitis anatomiâ, illud variis modis, prout variæ ſunt partes, vulnerari poteſt. Vel enim cutis, vel pericranium, vel calvaria, dura vel pia mater, vel ipſum cerebrum, vulneratur inciſione, perforatione, vel contuſione, cum, vel ſine ſubſtantiæ deperditione. In *calvaria* fit vel *contuſio*, vel *rima*, vel *ſedes*, vel deſidentia, vel camaroſis, vel exciſio.

Contuſio Unde. *Contuſio* fit ab inſtrumento gravi & obtuſo, circa minimas particulas, per compreſſionem offeæ ſubſtantiæ, quæ ad ſenſum non apparet. *Rima quid.* *Rima* eſt ſolutio continui in oſſe, tenuis & ſubtilis, quæ ſemper habet circumpoſitum os colliſum & contuſum. *Sedes.* *Sedes* eſt illa oſſis inciſio, in quâ veſtigium inſtrumenti ferientis remanet, abſque eo, quòd os à ſuo loco dimoveatur. *Deſidentia.* *Deſidentia* eſt, quando os à propria ſede dimovetur & ſubſidet. *Camaroſis.* *Camaroſis*, ſeu *concameratio*, eſt, quando os, ob extractionem infixi alicujus inſtrumenti vulnerantis, elevatur: quod tamen rarò fit. *'Εκκοπὴ ſeu Exciſio.* 'Εκκοπὴ, ſeu *exciſio*, ac quaſi *dedolatio*, eſt, quando calvariæ portio amputatur vel ſecundum primam tantùm laminam, vel ſecundum plures. Calvaria, teſte Hipp. in aliâ parte vulneratur, ob aëris incluſi motum reflexum; non tamen per medias ſuturas, ſed in parte continuâ fit: meninges omnia, uti membranæ, vulnera, præter contuſionem, quæ eis, ob mollitiem ſubſtrati ſubjecti, non competit, patiuntur. *Signa fractæ calvariæ.* *Signa fractæ calvariæ* ſunt, quòd Ægri ſine ſenſu dormientes jacent, oculos habent exececatos, ob nervorum opticorum à vaporibus, ad caput per dolorem attractis, compreſſionem; adſunt vertigines, vomitus bilioſus; teſte Hipp. *6. aph. 50.* locus ex eo colligitur, quòd Patiens illûc manum ſæpius admovet: deinde, ſi os percutiatur, ſonum habet raucum, adeò, ut, ſi halitus cohibetur, ſpiritus per rimas egrediatur: ſi medicamentum applicetur humidum, eâ parte citiùs exſiccatur: idem contingit, dum *meninges*, & *cerebrum* ſunt *vulnerata:* *Meningum inflammatarum:* Patientes nucem, vel ficum, dentibus frangere non poſſunt: ſangvis vel per nares, vel per aures exit; Ægri torvum habent aſpectum; tertio vel quarto die delirant, inquieti ſunt, convelluntur, ligaturas diſſolvunt. *Apoſtematis meningum.* Quòd ſi *membranæ cerebri apoſtemate* affectæ ſint, adeſt oculorum rubor, tumor, color pravus, prominentia, obliquitas, febris, inquietudo, virtutis debilitas, delirium, convulſio, phreneſis &c. In ejuſmodi gravibus malis malum ſemper eſt prædicendum; præcipuè ubi gravia adſunt ſymptomata; *Prognoſis.* quin & omne capitis vulnus, etiam cutaneum, niſi cum diligentiâ curetur, periculo non vacat, eò, quòd ſubtilior ſangvis feratur ſurſum; unde etiam febris citiùs, quàm in alterius partis vulnere, accedit. Vitandæ ſunt itaque nimiæ ligaturæ, unde materiæ, ſeu cruoris extravaſati, intra membranas, per nimia tegumenta, &c. retentio: ſi pericranium læſum fuerit, cùm id, immò & ipſa cutis, à dura matre oriri dicatur, plus periculi adfert, & laboris. In magnis & profundis capitis vulneribus attendendum ſemper eſt, in æſtate, utrum febris ante ſeptimam diem; in hyeme, ante decimam: in vere & autumno, ante nonam & undecimam, accedat; *Signa mali vulneris.* quæ ſemper malum reddunt deterius; præcipuè ſi corpus ſit cacochymicum, adſint vigiliæ, eryſipelas, os detectum nigrum, ſanies fætida, membri alicujus ſideratio ſeu reſolutio, aphonia, ſtertor. Hæc omnia Ægri prænuntiant interitum: quòd ſi vulnus ſit profundum, & valde anguſtum, malum. Hac ratione malignæ obſtetrices, adactâ in recens nati cerebrum, per fontanellum, aciculâ, ali-

quot Regum progenies è medio ſuſtulerunt. *Prognoſtica.* Vulnera ex contuſione maximè; minùs ex perforatione, adhuc minùs ex inciſione, ſunt periculoſa: nam in magna contuſione ſæpius disrumpuntur nervi, membranæ, rete mirabile, torcular, ventriculi cerebri &c. Omnia capitis vulnera ſunt in æſtate deteriora, quàm in hyeme, eò, quòd tum calor nativus ſit magis debilitatus, & faciliùs graviora ſubveniant accidentia; quod magis unito & concentrato calore non fit: in hyeme tutius ſemper, in vulneribus capitis, eſt prognoſticum, ſi febris abſit, ſangvis non eruperit, abſit inflammatio, nec dolor auctus fuerit, caro & membranæ læſæ laudabilem & calorem habeant, & mollitiem, maxillæ facilè moveantur, ſanies adſit laudabilis, mens ſibi conſtet, artuum motus non ſit depravatus, abſit nimia ad ſomnum inclinatio, vel etiam vigiliæ immodicæ.

Cura. Vulneris. Si *vulnera* ſint *ſimplicia*, iis & ſimplex conveniet *curatio*: ſi verò adſit *oſſis læſio*, vel *cranii fractura*, pluralitas remediorum requiritur. *Simplicis.* In *ſimplici* itaque vulnere primò ſangvinis fluxus ſiſtendus eſt per revulſionem venæſectione factam, capilli circum circa radendi, & vulnus vel per agglutinationem, ſeu ſuitionem, vel per carnis generationem, curandum: & primo quidem modo, ubi magna pars læſa eſt, illa illico reducenda, & reſuenda: ſecundo verò modo, ubi adeſt *Compoſiti.* ſimul *contuſio*, vel vulnus usq; ad ipſum cranium, ſecto pericranio, pertingit, ne aliquis cruor remaneat, vel ne os ulteriùs ſanie remanente corrumpatur, vulnera ſunt curanda. Nota: quòd pars ſuenda non ſit priùs, quàm vaſa, vel arteria, vel venæ, ſi læſæ ſint, conſtrictæ fuerint. *Os denudatum.* Quòd ſi *os denudatum* fuerit, deradendum eſt; præcipiente Gal. *2. de compoſ. med.* ſiquidem ſine læſione vix denudari poteſt: hoc autem ab aëre illico inficitur, nec carnis regenerationem propriâ exfoliatione, aut desquamatione patitur; quod patet ex intolerabili, poſt curata capitis vulnera, dolore; qui fit ab exfoliatione, quòd oſſis particulam natura per partes ſenſibiles protrudat: in iis itaque ſarcotica ſunt uſurpanda. *Digeſtiva. Epulotica.* Nos applicamus primò *digeſtivum* aliquod ex *terebinth.* & *vitellis ovorum*, cum *pulvere thuris*: ſi magis, ſucceſſu temporis, mundificare intendimus, aliquid *mellis roſacei* illi addendum eſt; tandem, vulnere impleto, *ſuprà dictis* medicamentis cicatrix eſt inducenda.

Purgatio in capitis vulneribus. *Purgatio* in capitis vulneribus, præcipuè ſi corpus ſit cacochymicum, competit, ſed talis, quæ humores non violenter moveat; ſed bilem, quæ eryſipelas, inflammationem, & febrim excitare poſſet, tollat. *Diæta.* *Diæta* ſecundum ſex res non-naturales inſtituatur, & ritè ordinetur: ut aer ſit ad humidum vergens, ſine fumo, moderatè calidus, minimè frigidus, paulò ſit craſſior, ne per tenuitatem vapores ſublevet ad caput; ſternutamenta vitentur; victus ſit tenuis; vitentur aromata; bibatur *aqua panata hordei*, etiam ſine *cinamomo* aut *fœniculo*; quæ nimium ſunt vaporoſa, & caput ferientia; vinum omnino eſt venenum, motus omnino arcendus eſt, uti & violentæ animi paſſiones, vigiliæ nimiæ, uti & ſomnus immodicus, alvi excretio procuranda eſt. *Vulnus ut dilatandum.* Nota, quòd, ſi in vulneribus capitis facienda aliqua *dilatatio*, ob eorum anguſtiam, & cavitatem internam, & latentem medicamentorum recipiendorum incapacitatem, inciſio inſtituenda ſit non in temporibus, nec ſupra ſuturas, nec in regione capitis ſuperiori; quia per temporalem muſculum magna vena & arteria, cum duobus nervis tranſeunt; quod inciſionem reddit periculoſiorem: ſin omnino neceſſaria ſit, in muſculo temporali dilatatio, ſeu inciſio hæc ſecundum fibrarum longitudinem, minimè per transverſum, ſummâ religione facienda: in fronte quoque inciſio per transverſum nunquam facienda, ne cadant ſupercilia, & oculos obtegant (veluti ex rudi ejusmodi ſectione perpetuò conniventes vidimus) fiat itaque à ſuperiori parte ad inferiorem; vel è contra. Quòd autem in ſuturis inciſio eſſe non debeat, ratio eſt, quòd per has ligamenta & venæ tranſeant, quibus dura mater cranio alligatur, & cum perioſtio communionem habet: ſi ergo hæc ſecantur, dura mater in piam delabitur; unde oritur inflammatio, ſangvinis in cerebrum effuſio, & mors. *Os denudatum ut tractandum.* Quòd ſi *os denudatum* fuerit, agitetur *albumen*

lumen ovi in *pulvere olibani* & *myrrha*, & cum *pulv. ſangvinis Draconis*, *maſtiches*, *boli Armena*, &c. *ſtupis* ſeu *plumaceolis* excipiatur, & apponatur, ſemel in die renovandum, nec diutius relinquendum, ne ob exſiccationem & dolor & calor excitetur: ſupra hunc apparatum fiat Cataplaſma ex *tenuiſſima polenta*, cum *aceto*, quod ſimul eſt defenſivum & maturativum, ligaturâ contentivâ vinciatur, & decumbat Patiens, ſi poteſt, in latus affectum, ut puri facilior detur exitus. In religatura diligentiſſimè advertendum eſt, utrum os ſit rimoſum, vel confractum; quod ex retento halitu, oculis, naribus & auribus bene occluſis facilè patebit: nam ita, ſi adeſt rima, per hanc pus, ſeu latex, aut ſanies quædam, excluditur. Quòd ſi os fuerit radendum, idem faciendum, ſi color adſit niger, vel alia quævis adſit oſſis læſio. Colligitur quoque oſſis fractio, ſi ſpecillo percutiatur; raucus namque ſonus fractionem ſignificat: poſt oſſis raſionem *Pulvis* ſequens *inſpergendus* eſt:

Signa oſſis fracti.

Pulv. Inſperſorius.

℞. *Aloës*,
ſarcocoll.
myrrha, ana ℥ij.
thuris ℈ij.
ſang. Draconis ℥ß.
M. F. Pulv. tenuiſſ.

Reliquo vulneri ſupra ordinatum digeſtivum applicetur: ſi rima oſſis non penetret, tam diu raſpandum eſt, donec rima omnino diſpareat: ſi verò penetret, trepanum adhibendum, ut materiæ, quæ per hanc duram matrem decidit, excitus detur. Oſſis fracti ſectio, ſeu per *trepanum* ablatio, intra triduum facienda &, ne major inducta ſit putredo, & ſymptomata in tantum excreverint, ut excretioni ampliùs non detur locus. In oſſis itaque ſectione, ſeu ſeparatione, ferrum ſæpe tollendum eſt, & in aquam, vel oleum mergendum, oculiſque, ac ſpecillo indito, oſſis ſecti & ſecandi portio conſideranda, ne cerebri membrana terebrâ tollatur: feſtinandum itaque non eſt, ſed ſæpe ceſſandum, ne os incaleſcat à ferri motu calido: nec os totum ſecandum, ſed potiùs quaſi ſectum extrahendum, & priùs medicamentis liberandum. *Locus* trepationis non debet eſſe in loco decliviori, ne ſubſtantia cerebri, utpote mollis, illùc decumbat, & ejus tabem induat: nec in ipſis ſuturis fiat, ob antè dicta pericula. Quòd ſi *membrana vulnerata* fuerit *nigra*, id fit *à contuſione*, vel *à medicamentis*, vel *à caloris nativi extinctione*: ſi fit *à contuſione*, prodeſt *ſangvis columbinus*, vel *radix bryon. rec.* impoſita, in taleolos ſcilicet ſecta, vel *pulv.* ejuſdem cum *melle roſaceo* mixtus & applicatus: ſi fit à medicamentis, nihil importat: ſi verò fit ab *extinctione caloris innati*, præmiſſis antè dictis, ad magis calefacientia deveniendum: ut eſt *Theriaca*, cum *ſpiritu vini*, *ol. abjetinum ſtillatitium*; quibus ſuperſperge *pulv. thuris*, *myrrha*, *maſtiches*.

Trepanationis Modus:

Locus.

Membrana nigra.

à Contuſione:

Medicamentis:

Caloris nativi extinctione.

Caput. XXXVI.

De Vulneribus Dura & Pia Matris, Cerebri: item de Curatione Fractura Cranii, abſq; cutis inciſione: item de Dolore Capitis ex ictu, vel plaga, vel caſu orto.

Si *vulnus* & capitis cutem, & pericranium, & cranium, imo & ipſam *duram matrem* penetrat, malum ſemper eſt periculoſius; itaque, præmiſſis univerſalibus revulſivis, cùm ſit pars ſpermatica, nec poſſit glutinari per medium homogeneum, cum Galeno, vulnus carnem generantibus implendum: infundendus itaque *ſuccus calaminthe*, & *farina milii* inſpergenda eſt; quod eſt medicamentum ſiccum, detergens, & ſarcoticum: quòd ſi dolor urgeat, ſuperaffunde *ol. roſaceum*, vel *oleum hypericonis*: quamvis olea in affectibus capitis cautiſſimè adhibenda ſint, ne oſſa contingant, quæ facilè corrumpunt. Quando abſtergendi animus eſt, *melle roſaceo* utendum, & pars ab aëre externo bene protegenda eſt.

Vulnera duræ matris:

Pia mater ſine læſione cerebri vix poteſt vulnerari, ob ſtrictam ejus adhærentiam: &, cùm plurimis venulis & arteriolis irrigetur, magna plerumque ſubſequitur ſangvinis tum arterioſi, tum venoſi, profuſio: hinc ad ſangvinem ſiſtentia protinus eſt confugiendum;

Piæ matris.

dum: ut ſunt: *pulv. boli Armen. thuris, aloës*, cum *albumine ovi* commixtus, plumaceolis, vel pilis leporinis molliſſimis exceptus, & applicatus. Quòd ſi ſangvinis fluxus cohibitus fuerit, infundatur *ol. roſaceum* tepidum, cum pauco *oleo abjetino* mixtum: quamvis, uti dictum, putredo ab oleo timeri posſit: hinc potiùs *ſpiritus vini* inſtillari, dein *pulvis myrrha & maſtiches* ſuperaſpergi, vel cum *vitello ovi* miſceri & applicari poterit: deinde *emplaſtrum de betonica* imponatur, & tandem totum caput linteis in *oxycrato*, vel *vino rubro calido* intinctis obveletur.

Cerebri livido. Si *cerebrum* fuerit *lividum*, malum: tunc miſce *ſyr. roſaceum*, cum *aqua vita*, & infunde: quòd ſi magna *cerebri ſubſtantia exeat*, parum ſpei ad ſalutem ſupereſt. evaſiſſe tamen quosdam, teſtantur Paræus, & Foreſt. *in ſuis Obſervationibus Chirurgicis.*

Quaſtio. Hinc gravis inter Authores oritur quæſtio: Utrum in cranii fractura, cute remanente integrâ, ſectio fieri debeat? Alii pro affirmativâ; alii pro negativâ plurimas afferunt rationes. Nos exiſtimamus, ſectionem debere fieri, ubi adeſt magna compreſſio, ac ſangvinis in duram matrem magnus decubitus; quod patet ex ſummo dolore, ſtupore, delirio, puncturis, ſternutatione dolorifica, febre &c. Si verò horum nihil adſit, & Patiens ſit puer; ubi minimè ſecandum; ob partes facilè conſolidabiles, vel juvenis & robuſtus, ubi cutis adhuc eſt integra, etſi ſit fractura, ſecandum tamen non eſt, ſed medicamentis, emplaſtris, & topicis convenientibus agendum.

Venæſectio &c. Itaque in hoc caſu ſtatim *ſecanda* eſt *vena* cephalica ex eodem latere affecto, *cucurbitula* applicandæ, *frictiones* in cruribus, &c. celebrandæ ſunt; humores noxii *expurgandi* per clyſteres, *Purgatio.* & potiones lenientes. *Victus* debet eſſe *Diæta.* tenuis; præcipuè usque ad 14. diem: quod & ipſa nutrix obſervabit, ſi malum puero acciderit. *Topica* quod at- *Topica.* tinet, principio ſtatim capilli radendi, & ſequeus *Cataplaſma* apponendum: *Cataplaſma.*

℞. *Farina hordei priùs toſti* ℥iiij.
pulv. roſar rubear. ℥j.
myrtillor.
maſtiches, ana ʒß.

Coquantur in *oxycrato* ad conſiſtentiam Cataplaſmatis, vel Emplaſtri; quod bis in die renovari debet: *ol amygd. dulc.* in aures infundatur, & eodem nares intus ungantur; fiant *Gargariſmi* ex *decocto beton. hyſſopi, hordei*, & *paſſularum*; *Gargariſmus.* quibus ſæpius utendum, ut materia, in capite ſtagnans, ad palatum, nares, & aures, tanquam ad debitum emunctorium, derivetur. Antequam prædictum cataplaſma apponatur, ſemper totum caput ungatur *oleo roſaceo*, vel *Inunctio.* ſeq. *Linimento:*

℞. *Pulv. ſubtiliſſ. roſar. rubear.*
myrtill.
ſantali rubei,
albi,
al ſint.
ladani,
ſquinanti,
aſari, ana ʒj.
ol. roſacei completi,
myrtini, ana ℥iij.
maſſa cerati de beton. ℥ß.

M. F. Linimentum, ita, ut priùs emplaſtrum in oleo liqueſcat, & pulveres paulatim inſpergantur: eſt dolorem leniens: adeóque, ubi calor, ſeu inflammatio, & dolor remiſerint, *diſcutientibus* utendum eſt: *Diſcutientia.*

℞. *Olei anet'ini*,
roſacei, ana q. ſ.
in quibus diſſolve
maſſa empl. de betonica ℥ij.

F Linimentum: deinde applica *emplaſtrum diapalma:* ex ſpeciebus linimenti præcedentis etiam poteſt fieri cataplaſma.

Cranium depreſſum. Cura. Emplaſtr. Quòd ſi *cranium* ſit *depreſſum*, ut ſæpius pueris accidit, ſequens *Emplaſtrum* applicetur:

℞. *Herb. centaur. min.* m vj.
verbena m j.

Infunde per noctem in *vino albo*, dein coque ad medietatis conſumptionem: fiat fortis colatura, quæ coquatur ad mellis ſpiſſitudinem, dein adde

terebinth. ℔j
lactis muliebris ℥ij.
ceræ nova q. ſ.

M F Empl. capiti applicandum: quod cranium egregiè elevat, & ſangvinem extravaſatum extrahit ac diſſipat. Quòd ſi, ex humorum affluxu, magnus, poſt plagam, *Capitis dolor* oriatur, dili- *Capitis dolor. Cura.*

genter

genter ipſi occurrendum eſt. *Victus* tenuis ordinetur, & refrigerans, ex juſculis, *lactucâ*, *endiviâ*, *portulacâ*, & ſimilibus, alteratis. *Cataplaſ.* vide in *cura de Dolore Capitis*, cavendo à nimio aceto: videndumque ſemper, utrum hic dolor non oriatur à faſciis, aut ligaturâ, nimium ſtrictis, quæ illico laxandæ: revulſiones quoque ſunt faciendæ per venæſectionem, cucurbitulas, frictiones, clyſteres: nam ad dolorem capitis plurimum facit alvi conſtipatio. Vigiliis urgentibus *ol. anethinum* miſce cum *chamamelino*, iiſque caput perfunde.

Caput XXXVII.

De Oculorum, Narium, & Aurium Vulneribus.

Vulnera Oculi.

SUppoſitâ oculorum, quoad tunicas, humores, muſculos, & nervos, anatomiâ, ii vel *caſim*, vel *punctim*, vel *contuſim*, vel *ſecundum ipſum bulbum*, vel etiam aliquando ſecundum *palpebras* tantùm, vulnerantur.

Eorum Cauſa Prognoſis.

Cauſa ſunt externæ, vel *pungentia*, vel *contundentia*, vel *lædentia* corpora: quòd ſi penetrent vulnera, humores effluunt: quæ vulnera, ob partis ſenſibilitatem, & viciniam communionémque cum cerebro, ſunt periculoſa: nam vel partis amiſſionem, vel motûs convulſivos & deliria cauſant; deinde, ob perpetuum oculorum motum, & inclinationem ad recipiendas fluxiones, difficilis ſunt curationis.

Palpebrarum læſio. Cura.

Quòd ſi *Palpebra* tantùm cæſim ſint *læſa*, vulneris labia adducenda, & ſubtili acu argenteâ conſuenda, & pulv. glutinatorio adſpergenda, vel adductio emplaſtris glutinantibus procuranda: intra oculum verò *ovi albumen*, optimè agitatum & conquaſſatum, infundatur; & oculus usque ad omnimodam curationem non aperiatur, aut moveatur. Nec obſtat, quòd Hipp. *6. aph. 19.* inter partes, quæ conſolidationem non recipiunt, *Palpebras* recenſet: intelligendus enim ibi eſt per primam intentionem; id eſt, per medium homogeneum; non verò per medium heterogeneum.

Bulbi oculi. Cura.

Quòd ſi ipſe *oculi Bulbus* vulneratus fuerit, & Æger erit in ætate convenienti ſangvineâ, vena erit ſecanda cephalicâ ejusdem lateris brachii, vel, hujus loco, affigantur cucurbitulæ, vel frictiones partium internarum celebrentur. Purgantia item chlolagoga, uti in *Vulneribus Capitis* dictum eſt, exhiberi poterunt: vel, in pueris, horum loco clyſteres injiciantur.

Teli extractio.

Interim conſiderandum apprimè, utrum aliquid de *inſtrumento lædente in oculo remanſerit*, & quamprimùm ejus exitus eſt procurandus, ſi apprehendi, aut, citra magnum dolorem & dilacerationem, extrahi poſſit: primo itaque *Epithema* repellens, ſeu *defendens*, fronti applicetur: ut:

Defenſivū.

℞. *Boli Armen. præparat.* ʒj.
thuris,
croci, ana ℈ß.
album. ovor. num. ij.
aq. roſar.
aceti roſacei, ana ℥ß.

M. & agita bene, linteolo excipe, & fronti applica: deinde rem, ſi commodè fieri poteſt, extrahe, & *ſanguinem columbinum*, vel *lac muliebre*, oculo infunde: ſi verò extrahi non poſſit telum, maturatio procuranda eſt, & opus naturæ relinquendum: nam hæc intra paucos dies corpus illud expellet.

Maturantia.

Cautio in uſu agglutinantium.

Quòd ſi *agglutinantia* applicaverimus, attendendum diligenter, ne ipſam palpebram oculo reddamus adhærentem: hinc inter eam, & oculi bulbum, *auri folium* interponendum eſt, quod oculis valde eſt amicum & ſiccans medicamentum: ſequens autem *Collyrium*, poſt affectûs declinationem, applicandum eſt:

Collyrium.

℞. *Albumin. ovorum,*
aq. roſac. ana ℥j.
ſief albi ſine opio,
tutiæ præparatæ, ana ʒj.

Bene agitentur ſimul in mortario, & reducantur in formam *Collyrii*, cum goſſypio oculo applicandi: huic collyrio etiam aliquid *camphoræ* addi poteſt. Aliqui *panis micam lacti muliebri*, in quo aliquid *croci* diſſolutum fuerit, immergunt, & applicant.

Epithemata.

Cura Inflammationis.

Quòd ſi magna adfuerit *Inflammatio*,

℞. *Flor. meliloti,*
ſem. papav. ana ʒj.
croci ℈j.
F. Pulv. ſubtiliſſ. adde

mica

mica panis ℥j.

& cum ſ. q. *lactis caprini* coque ad conſiſtentiam Cataplaſmatis; quod oculo molliter admovendum. Statim à principio calida vitentur, & tantum bene agitetur *albumen ovi*, cum *ſief albo ſine opio*, & applicetur: deinde ad ſupra dicta deveniendum eſt: quòd ſi *ſiccare* velimus, ſequens in oculum infunde:

Collyrium ſiccans.

℞. *Aq. plantag.* ℥iß.
roſar. ℥ß.
ceruſſa lota,
ſacchari Saturni, ana ʒj.
ſief albi cum opio ʒß.
pulv. thuris ſubtiliſſ. ℈j.

M. F. Collyrium; cui etiam aliquid *boli Armen. praparata*, & *ſubtiliſſimè pulveriſat.* addi poterit.

Sugillationis.

Quòd ſi etiam contuſionem *hypoſphagma*, ſeu *Sugillatio*, ſubſecuta, id eſt, ſi ſangvis intra membranas ab aliqua vena rupta effuſus fuerit, diſcutiendus hic eſt, & pars, ſeu venula illa aperta eſt adſtringenda: ad hoc primò ſtatim facit *ſangvis columbinus*, præmiſsâ tamen, ſi opus fuerit, venæſectione: ad idem facit *lac muliebre*, *pulveri thuris*, vel *vitellum ovi vino* permixtum, bene agitatum, & applicatum. Item certo habemus experimento, quòd, ſi *ſummitates hyſſopi* in *aquâ communi* coquantur, &, ſacculo exceptæ, oculo moderatè calidè admoveantur, ſangvinem ex eodem ita attrahant, ut ipſo in ſacculo appareat.

Experimentum.

Doloris magni.

Quòd ſi *magnus* adfuerit *Dolor*, ſequenti Decocto per ſpongiolas foveatur oculus:

Fomentum.

℞. *Fanigraci optimè loti* ℥ij.
myrrha,
ſarcocolla, ana ʒj.
opii ℈ß.
croci ʒß.

Decoq; in ſ. q. *aqua fœniculi:* colaturâ expreſsâ foveatur oculus. *Diata* ſit tenuis: vitentur omnia in capitis vulneribus prohibita, allium præcipuè, cæpæ, fumus, lumen nimium; adſit quies; caveatur vomitus; ſomnus ſit moderatus; vitentur violenti animi motûs; alvus ſit lubrica, &c.

Diata.

Naſi.

Naſus vulneratur aut *ſecundum longum*, aut ſecundum *latum*; *transverſim*, vel *obliquè*: cum *oſſis abſciſſione*, vel *cartilaginis*; *cum*, vel *ſine ſubſtantia deperditione*; *uſq; ad cavitatem*, vel *non*. Priora difficiliùs ſanantur, quàm poſteriora. *Naſus ex toto reſectus* regenerari, inciſione factâ in brachio, uti à Taliocotio traditum eſt, non poteſt. Quòd ſi vulnus ad *cavitatem* uſq; perveniat, conſui, digitis in nares immiſſis, acu curvâ neceſſe eſt, & medicamento agglutinativo tegendum, parteſque vicinæ defenſivo muniendæ.

Naſus, ſecundum Taliacotium, poteſt regenerari.

Vulnus ad cavitatem uſq.

Quòd ſi *oſſis particula ſeparata* fuerit, diligenter ea extrahenda: ſi enim vulnus citiùs claudatur, fiet recrudeſcentia, cum periculo naſi: *Omnia ſi perdas*, &c. Quòd ſi, ob vulneris antiquitatem, labia fuerint calloſa; eadem ſunt vulneranda & reſecanda, deinde demum ſuenda. Ita faciendum in *labio leporino*; cui deinde, bene & conformiter conſuto, emplaſtra conglutinativa applicentur.

Oſſis particula ſeparata.

Naſus leporinus.

Aurium. Cura.

Ad *Aurium* vulnera, poſt conſuitionem, paulò ſicciora medicamenta requiruntur, eò, quòd eorum temperamentum ſit ſiccius: id quod & in aliis partibus ſemper eſt cum diligentia obſervandum. Itaq; *melle virgineo* illinantur, deinde *pulv. olibani*, *maſtiches*, *thuris*, & *aloës*, inſpergantur; poſtea applicetur *emplaſtrum citrinum vulgare*. Unctuoſa hîc, teſte Hipp. & ponderoſa, ligaturæ ſtrictiores, ſunt cane pejus & angve vitanda. Ut ergo auris naturalem ſuum ſitum teneat, inter eam, & caput, interponatur lana mollis, vel goſſypium; in parte verò ſanâ Ægrum decumbere oportet.

CAPUT. XXXVIII.

De Vulneribus Thoracis, tum Externis, tum Internis.

Cognita, ex iis, quæ in *Inſtitutionibus noſtris* tradidimus, & in Theatro noſtro oſtendimus, thoracis, & partium ejus, anatome, *Vulnera Thoracis* alia ſunt *ſuperficialia*; alia *externa*; alia vel *muſculos intercoſtales*, vel *pleuram*, *penetrantia*: alia *venas*, alia *arterias*, alia *nervos*; *cum*, vel *ſine coſtarum fracturâ* lædunt. Thoracis *penetrantia* vulnera vel *ſolam pleuram*, vel *ſimul pulmonem*, vel *cor*, vel *diaphragma*, vel *aſperam arteriam*, vel *ſpinalem medullam*,

Vulnera Thoracis, Differentia.

Digitized by Google

laſis, vel *venam cavam*, vel *aortam*, vel *ductum thoracicum chyliferum* penetrarunt.

Cauſa. Horum vulnerum *Cauſa* ſunt, quæ aliorum.

Signum Penetrantis vulneris eſt, halitûs per vulnus perflatio: quod admotâ plumâ, vel candelâ, noſcitur; deinde minor eſt Patientis reſpiratio, eò, quòd ipſum cor per vuln. refrigeretur, adeòque tantâ non ſit opus reſpiratione; immo nec loqui poteſt Æger, niſi clauſo foramine, rejicit ſanguinem cum tuſſi, febris adeſt, vigiliæ, nauſea, &c.

Signa *vulnerati Cordis* ſunt frequentia animi deliquia, ſudor frigidus, ſubitus omnium virium lapſus, & mors repentina.

Si vulnus ſit prope ſiniſtram mamillam, tunc ventriculus *Siniſter cordis* eſt *vulneratus*, exitque ſanguis floridus; nam Dextro vulnerato, craſſior & fæculentior ſanguis promanat.

Pericardii. Eadem fere ſigna, præter convulſionem, quæ hic frequens eſt, in læſo adſunt *Pericardio*.

Dum *Pulmones* ſunt læſi, adeſt reſpirationis difficultas, tuſſis aſſidua, hæmoptoiſis, ſanguis rube, & ſpumoſus, linguæ color pallidus, facies varicolor, modò pallida, modò rubra, dolor exiguus.

Si *Vena cava* ſit læſa, aut *aorta*, maxima ſit aut venoſi, aut arterioſi ſanguinis profuſi , compreſſio, reſpiratio difficilis, febris continua, venæ in externis deplentur, halitus refrigeratur, & brevi mors ſubſequitur.

Aſpera arteria. Si *aſpera Arteria*, dum thoracem ingreditur, perforata fuerit, pauciſſimus, vel nullus, exit ſanguis, ob ejus ſubſtantiam cartilagineam & ſiccam; majores ſunt, quàm in pulmone, dolores, vox rauca, halitus fætens, febris, &c.

Orſophagi. *Orſophagi* læſio patet ex hoc, quòd cibus per vulnus egrediatur, ſanguis exſpuatur, adſit nauſea, inquietudo, febris, ſitis, cibi tranſitus impeditus, vel ſaltem difficilis.

Spinalis medulla. Quòd ſi Spinalis Medulla fuerit læſa, accidit motûs in aliquo membro impotentia; & inferiorum partium nervi reſolvuntur; unde vel urina ſponte effluit, vel ſemen, & alvi excrementa, invito ſecedunt Ægro.

Diaphragmatis. Non minoris eſt periculi, *ſepti tranſverſi*, ſeu *Diaphragmatis*, præcipui reſpirationis organi, vulnus; quod patet ex contractione præcordiorum surſum, ex dolore ſpinæ, humeri, reſpiratione difficili, magnâ, rarâ, & gemebundâ, ex plaga non procul à coſtis nothis diſtante, ex magnâ tuſſi, vomitu, mentis alienatione, frequenti eructatione.

Materia in Thorace contenta. Signa *materiæ, in thoracis cavitate contentæ*, ſunt, quòd in volutatione à latere ad latus animadvertatur quaſi aquæ ſtrepitus, & febris intendatur; quòd ſaniei & ſanguinis fœtida & putrida exſpuitio, halitus fætidus, gravitas & pondus adſint.

Prognoſis. Horum vulnerum *Prognoſis* ex ipſa patet diagnoſi: itaque repetere, ſuperfluum eſſe videtur; etſi plurima ſint lethalia. Si tertiam diem ſupervixerint Ægroti, ſine ſpaſmo, aut tremore cordis malo, ſine ſtrictura anhelitus, tunc certum eſt, vulnus eſſe ſanum, virtutemque fortem; cui nihil eſt impoſſibile.

Cura. *Curatio* ſimplicium thoracis vulnerum ſimplex eſt: ſin nervus aliquis, vena, vel arteria, fuerit læſa, vide dicta ſuperiùs. Quòd ſi coſta fuerit denudata, usque ad ſanguinis miſſionem eradenda; idem faciendum, ſi fracta fuerit: ſi depreſſa, in priorem locum reducenda eſt, & reponenda: &, ſi magna adfuerit inflammatio, vena ejuſdem lateris ſecanda, ſanguiſque in magna quantitate detrahendus; hoc facto, *oxycroceum* ad coſtæ conſolidationem applicandum eſt. Primò itaque ordinanda eſt conveniens *diæta* ſecundum res non-naturales: ſecundò *evacuandum* & *reſolvendum*: tertiò *topica* applicanda: quartò ſupervenientia *ſymptomata* ſunt *corrigenda*.

Diæta. Ad primum quod attinet, præter tenuem *victûs* rationem, *Cibi* adſtringentes in principio ſunt vitandi, niſi id magna poſtulet hæmorrhagia: nam impediunt expectorationé, quæ in omnibus pectoris affectibus maximè attendenda eſt & promovenda: detur itaque *cremor hordei*, *juſcula amygdalis*, *endiviâ*, *lactucâ*, *portulacâ*, *alterata*. Potus ſit *decoctum hordei* & *paſſularum*: Aër ſit temperatus; alvus lubrica; multiloquium vitetur: ſecundò, accepto vulnere, ſtatim injiciatur *clyſter*, & vena brachii ejuſdem lateris baſilica aperiatur, & tantum

 ſangvi-

ſangvinis extrahatur, quantum morbus requirit, & vires patiuntur: item naribus cucurbitulæ ſiccæ affigantur. Hîc aliqui lenitivum aliquod propinant, ex *caſſia*, & *el. diacatholico*; ſed, ne humores moveantur, ſufficiet, *ſyr. mannatus Horſtii* cum *caſſia*, ſi diſſolvantur in *decocto pectorali*, vel tantùm *in cremore hordei*. Hoc facto, propinentur *Julapia refrigerantia*: ut;

Lenitiva.

Alterantia: Julapia.

℞. *Aq. portulacæ*,
endiviæ, ana ℔j.
ſyr. de nymphæa,
portulacæ,
violar. ana ℥j.
lohoh ſani & experti,
de farfara, ana ℥ß.

M. & cum *ſpiritûs ſalis* gut. x. transvaſando F: Julapium; de quo ſingulis trihoriis unus hauſtus, ſcilicet ℥v. propinentur: ſucceſſu temporis etiam *rhabarbari infuſum*, in *aquis* ejusmodi *refrigerantibus*, ad bilem paulatim educendam, propinandum eſt. Ad diſſentientes opiniones, utrum *vulnus thoracis, ad commodam humoris extravaſati eductionem, diu apertum ſit ſervandum; an ſtatim glutinandum*, ad caloris nativi conſervationem; dicimus, quòd, materiâ ubertim ex vulnere effluente, ad præcavendam putredinem & inflammationem, ſatius ſit, vulnus apertum diu ſervare: aperitur enim in empyemate; quidni ergo & in hoc caſu apertus thorax, foret ſervandus? Quin & perſæpe ut facilior materiæ peccantis exitus procuretur, vulnus ſectione, vel turundis ſeſe dilatantibus intruſis, & filo ſat longo, ad extractionem, ſi forte fortuna ingrederentur, munitis, ampliandum eſt, & partes vulneri vicinæ *Defenſivo* ſemper muniendæ: uti eſt applicatio *olei roſacei*, cum *vino rubro* bene agitati, vel *emplaſtri defenſivi ex bolo*. Quòd ſi vulnus à ſanguinis fluxu non deſiſtat, maſticet Æger *rotulas diatragacanth.* cum *bolo*, vel etiam *trochiſcos* de *carabe*, de *terra ſigillata*, &c. *mumia*, *ſaccharum roſatum*, *ſyrup.* de *ſucco portulacæ*, cum *diacodio*, vel *pulv. ſem. hyoſcyami*, etiam ſumi poſſunt. Hæc fiant primâ die: ſecundâ verò, remotis ſenſim turundis, *materia, in cavitate pectoris collecta, educatur*, &, ſi fuerit craſſa, & minùs fluxilis, F. injectio abſtergens, ex *cremore hordei*, cum *melle roſaceo*, vel ex *vino calente*, cum *melle roſaceo* permixto, & Æger in latus affectum decumbat, vel etiam per pedes ſuſpendatur, ſi aliter materia exire nolit: tuſſi quoque, & corporis de latere in latus revolutione, materiæ procuretur exitus: materiâ eductâ, nova, priori ſimilis, turunda, digeſtivo ſæpius ordinato bene uncta, in vulnus reducatur, & defenſivum repetatur. Quòd ſi vulnus paulatim impleatur, *Turunda* erit indies minuenda, & tandem adſtringentibus vulnus conſolidandum. Nec interim per os aſſumpta ſunt negligenda: nam oportet præſcribere *ſyr. de althæa Fernelii, de ſymphyto*, cum *aqua plantaginis*, vel *decoctum ſymphyti maj.*

Utrum vulnus diu apertum ſit ſervandum.

Defenſiva.

Interna.

Quòd ſi *vulnus* ipſos pulmones profundè *penetrarit*, majoribus opus eſt revulſionibus, expectoratio promovenda eſt, citra nimiam tamen vaſorum aperturam, quæ temperanda eſt. Potus ſit *Julapium* factum ex *aqua chalybeata*, cum *ſyr. roſar. ſiccar.* ſi magna adſit hæmorrhagia, ſequens mixtum in vulnus *injiciatur*:

Julapium.

Injectio.

℞. *Aq. plantag.*
vini rubri, ana ℥vj.
ſyr. de ſymphyto ℥j.
de piloſell. ℥ß.
pulv. maſtiches,
boli Armen. præparat.
thuris,
ſangu. Drac. ana ℈j.

M. F. Injectio per ſyphonem: vel *pulvis*, citra liquorem, inſufflari per cannulam poterit. Pro *abſterſione* lambat Æger *mel crudum*; deinde iterum ad adſtringentia ſuperiùs tradita regrediatur: propinari quoque poteſt *Decoctum vulnerarium* bis in die, ad ℥vj. ut:

Abſtergentia.

℞. *Herb. Piloſellæ*,
conſolidæ aureæ,
alchimillæ,
pulmonariæ,
capill. Veneris,
farfaræ,
ſcolopendriæ, ana m.ß.

rad.

rad. tormentill.
ſymphyt. maj.
ſaniculæ albæ, ana ʒß.
ſem. perfoliatæ ʒj.
plantag. ʒß.
rhapontici veri,
hepat. lupi,
rhabarbari, ana ʒj.

Decoque in ℔vj. *cerevisiæ non lupulatæ*, ad decidentiam ℔ij. In colatura diſſolv.

ſyr. de portulaca,
ſymphyto,
althæa,
plantag. ana ℥iß.
biſpidula ℥j.

M. ad vitrum: de quo bis in die ℥iiij. vel vj. calidè ſumantur. Vulnerarium hoc decoctum in aliis etiam thoracis & ventris vulneribus uſurpari poterit. Quòd ſi contigerit, ut ab ejuſmodi vulnere quis reſtituatur, & fiat in pulmone conſolidatio; in hac, cùm *callus* facilè rumpatur, religiosè ab acribus omnibus, acidis, ſalſis, pingvibus, tubæ inflatione, clamoribus magnis, à curſu, &c. abſtinendum eſt.

Callus.

Eadem fere in *Trachea* vulneribus ſunt obſervanda; præterquam quòd frequentiùs in ore ſint habenda, ob vicinitatem, medicamenta ſæpius tradita: ex quibus etiam gargariſmi effici poterunt.

Cura Tracheæ vulnerum.

Si *æſophagus* fuerit vulneratus, à medicamentis purgantibus eſt abſtinendum, & cibis medicamenta abſtergentia, digeſtiva, & conſolidantia ſunt commiſcenda, & agglutinatio adjuvanda. Hîc vulnus extrinſecè, ſi magnum fuerit, faciliùs conſui poterit; quia facilior fortaſſis, quàm in pectore, tum ex ano, tum veſicâ, excrementorum erit exitus: & nec alimenta, nec medicamenta, in magnâ quantitate ſunt ſumenda, ob partis debilitatem, ſed parum ſumendum, paulatimque id efficiendum.

Oeſophagi.

Si *ſpina*, aut *ſpinæ medulla*, fuerit læſa, cùm hoc ſit cerebrû quoddam elongatum, vide *curam Cerebri*; præterquam quòd ad dolores leniendos peculiariter conveniat *ol. lumbricorum, ovorum, terebinthina* &c.

Spinæ.

Cordis vulnus reliquis majorem ad ſe trahit conſiderationem: cùm enim fons ſit vivifici nectaris, & conſequenter prima vitæ ſedes, unde omnia illa flumina, & canales, omnibus partibus annonæ ducendæ dicati, ſcaturiunt; per illud maxima etiam excitatur hæmorrhagia: de qua curandâ vide *caput de Venarum, & Arteriarum vulneribus*. Licet verò cordis vulnus maximè ſit periculoſum: vidimus tamen An. 669. 27. Decembr. hominem in ipſo ſiniſtro cordis ventriculo, ad medii digiti longitudinem, vulneratum, etiam cum 3. aliis lethalibus ictibus, octodecim integris horis ſupervixiſſe. Quòd ſi poſt hæmorrhagiam ſanguis in thorace concreverit, diſſolvatur exhibitione *oxymelitis*, vel *poſcæ dilutæ* diſſolutionis ℈j. *coaguli leporis*. Univerſalia hîc *ſuperiùs* dicta celebrentur, & vulneris, uti aliorum pectoralium, diligens habeatur ratio. *Cordialia* ſæpiſſime exhibeantur: ut:

Cordis.

Cordialia. Interna. Mixtura.

℞. *Aq. bugloſſæ*,
borrag.
plantag. ana ℥iij.
ſyr. corallor. Minſichti ℥j.
confect. alkerm. incompl. ʒß.
magiſt. perlar.
ſolutionis corall. ana ℈j.

Miſce ad vitrum: de hac Mixtura ſæpe cochlear unum exhibeatur: fricentur partes externæ, ut ſanguis ad eas retrahatur: applicentur epithemata pulſibus: omnia pectoralia exhibeantur: ut eſt *loch de farfara, de pulmone vulpis, diatragacanthum, diapenidium, ſyr. de glycyrrhiza, florum tunica, corall.* exteriùs ungatur tota pectoris regio ſequenti *Linimento*:

Linimentum.

℞. *Ol. lilior. albor.*
amygd. dulc.
pingv. gallinæ,
caponis,
butyri Majalis, ana ℥j.
mucilag. rad. althææ aq. farfaræ extr. ʒß.
croci pulv. ℈ß. M. F. Linimentum.

Diæta ſit tenuis: aër frigidus vitetur; potus ſit *decoctum liquiritiæ*, cum *ſyrupo de althæa*, vel *corall. dilutum*: alvus ſit aperta.

Nota: in magnis vulneribus, ubi magna adeſt imbecillitas, poſt primum apparatum non eſſe deveniendum ad ſecundum, niſi Æger ſpiritualibus munitus ſit: aperto enim vulnere plurimi ſtatim moriuntur.

CAPUT XXXIX.

De Externis, & Internis Abdominis vulneribus.

NUmerum, ſitum, uſum, partium abdominis in *Inſtitut: noſtris Anatomicis* clariſſimè tradidimus: illùc itaq; Lectorem remittimus. *Partes læſibiles* ſunt Cutis, & Muſculi Abdominis externi, Peritonæum, Hepar, Lien, Ventriculus, Inteſtina, Omentum, Renes, Ureteres, Vaſa ſpermatica, Veſica, Uterus, Venæ, Arteriæ: unde differentiæ ſunt deſumendæ.

Partes Abdominis vulneribus obnoxia.

Abdominis vulnera non penetrantia fiunt peritonæo intacto; & facilè ex ſymptomatibus patent: ſi verò penetrent, ſtylo, vel digito, aut candelulâ, deteguntur. Quòd ſi in tortuoſis vulneribus, utrum penetrent, hiſce explorari non poſſit, injice per ſiphonem vinum calidum: ſi regurgitat, ſignum eſt, ea non penetrare usque ad ipſam abdominis cavitatem: vulnerans item inſtrumentum, ſi haberi poſſit, vulneris profunditatem, vel ſic maculatum exhibebit, vel, ſi igniatur, apparebit, quò usque penetrarit.

Vulnera Abdominis.

Exploratio vulnerum utrum penetrent, vel non.

Signa hepatis vulnerati ſunt, vulnus in dextro hypochondrio, magna ſangvinis atri effuſio, contractio præcordiorum ad ſpinam, tuſſicula, punctiones & dolores usque ad jugulum, ex decubitu in abdomen levamen, bilis vomitus, inquietudo, febris, ſitis, urinæ cruentę, facies decolor, ſanguinis putridi, ſucceſſu temporis, per alvũ rejectio.

Signa vulnerati Hepatis.

Liene læſo adeſt vulnus in ſiniſtro hypochondrio, effluit ſanguis omnino niger, & dolor ſeſe ad jugulum extendit: in multis eadem fere adſunt, ac in hepate, ſymptomata.

Lienis:

Vulnus *Ventriculi* eſt ſub cartilagine enſiformi, adeſt ſingultus, bilis vomitus, nauſea, & omnium ciborum rejectio, pulſus languidus, ſudamina frigida, chyli per vulnus eruptio, dolor ingens, animi deliquium & ſyncope, ſputum ſanguineum, vertigo, præcordiorum induratio. In *Renum* vulnere urina eſt cruenta, cum dolore, vel etiam ſupprimitur, dolor ad inguina deſcẽdit, ſeroſa per vulnus materia egreditur.

Ventriculi.

Renum:

Vulnus in Pectine, maximus inguinum dolor, urinæ ſuppreſſio, vel ſanguinis mictus, vel urinæ per vulnus egreſſus, ventriculi dolor, bilis vomitus & ſingultus, *Veſicam* eſſe læſam, indicant.

Veſica:

Meſenterii vulnus indicat dolor intolerabilis, & quaſi convulſio, nervorum contractio circa cervicem & thoracem, ob ſexti paris ſympathiã, illinc ad meſenterium derivati. Quòd ſi *Uterus* perfoſſus fuerit, ſanguis per genitale exibit, adeſt bilis vomitus, fœminæ plerunque aphonæ redduntur, delirant, oculorum nervorumq; dolore torquentur, eadem fere, cum corde læſo, ſymptomata patiuntur, & plerunque moriuntur. Si *Tenuia Inteſtina* fuerint læſa, chylus: ſi *craſſa*, itidem exeunt per vulnus excrementa. Lienis, hepatis, ventriculi, inteſtinorum, renum, veſicæ vulnera periculoſa ſunt: pejus tamen eſt, inteſtina tenuia lædi, quàm craſſa; meſenterium, quàm omentum; jecur, quàm lienem.

Meſenterii:

Uteri: Inteſtinorũ

Tenuium. Craſſorum.

Prognoſis omnium horum vulnerum ſummatim facta.

Cura vulnerum abdominis *non penetrantium* eſt ordinaria; præterquam quòd ſutionem admittant: factis tamẽ ſemper, per venæſectionem, &c. revulſionibus. Si vulnera fuerint *penetrantia, & inteſtina, non tamen læſa, ex abdomine decidant;* in *vino calido*, vel *decocto carminativo* lotis & calefactis intruſisq; cutis abdominis, facta ſcilicet modeſtâ reductione manu eâdem, juvante miniſtro, conſuenda: Si autem vulnus parvum fuerit, *ſine ullius contenti exitu*, ſufficient medicamenta agglutinantia, cum faſciis, moderatè, & citra dolorem, conſtrictis.

Cura, non Penetrantium.

Penetrantium: & cum exitu inteſtinorum non læſorum.

Sine illorum exitu.

Situs Ægri ſit, ut caput & thorax in declivi ſint, ne continuus inteſtinis cauſetur exitus. Si *omentum exiterit*, &, aëri externo diu expoſitum, calorem amiſerit, ſomentis ex *vino calido*, & *decocto carminativo*, reſocillandum eſt, usque dum calorem recuperet: ſi eum non recipiat, ſed potiùs nigreſcat, ligandum, & prope vinculum abſcindendum, ſicq; in abdomine relicto vinculo, extra vulnus pendulo, usq; ad conſolidationem relinquendum: tunc enim facilè extrahetur, & ſic periculum non erit, ex vaſis omenti magnam futuram ſanguinis in abdomen profuſionem. Poſtquam ea, de quâ *ſupra* dictum, ſutura facta eſt, ſequens *Pulvis* glutinativus inſpergendus eſt:

Situs Ægri.

Cum exitu omenti.

℞. Thuris,
maſtiches,
boli Armenæ,
aloës,

Pulvis inſpergendus.

aloës,
ſarcocollæ,
ſanguinis Draconis, ana ℥ß.

F. Pulvis ſubtiliſſimus; cui *emplaſtrum diapalma*, vel *citrinum vulgare*, ſuperpones: deinde faſcia ita coaptetur, ut vulneris labia adducat: tota interim ingvlnum, & lumborum regio, usque ad axillas, inungatur *oleo roſaceo*, & *lumbricorum*, *anethino*, vel *lilior. albor.* mediocriter calido, ut nervi ad abdomen tendentes roborentur, nec malum capiti, ita delinit, communicent.

Vulnerati inteſtini. Quòd ſi *inteſtinum* aliquod *vulneratum* fuerit, illud quærendum, apprehendendum molliter, & vulnus conſuendum: acus ſit tenuis & lævis, id eſt, polita; filum tenuiſſimum, *cerâ* oblinitum, & *oleo liliorum* perunctum; cujus pars extra abdomen relinquatur, ut poſt agglutinationem extrahi poſſit. Hoc facto, inteſtinum *vino rubro calido adſtringente*, in quo *roſa*, *ſalvia*, *anethum*, *camomilla*, *abſinthii* cocta fuerint, abluatur & in locum ſuum modeſtè reponatur: hoc facto, corpus parum concutiatur, ut inteſtinum in ſuum locum redeat: &, cùm aër externus inteſtino læſo plurimum noceat; quòd flatus inde oriantur, ſuturas disrumpentes, nec maneat in eodem loco abdominis; vulnus quoque ſuendum, & fili duntaxat, quo inteſtinum conſutum eſt, ſat longa portio extra abdomen reſervanda eſt, eaque interim, quæ glutinandi vim habent, per os adminiſtranda, præcipuè verò ſi tenuia inteſtina fuerint læſa, minimè negligenda: ut ſunt *decoctum vulnerarium ſupra* dictùm, item *diatragacanthum*, *trochiſci de carabe*, *rad. conſolid. maj. condit.* item *ejus decoctum*, *trochiſci de terra ſigillata*, *pulmentum ex amylo* &c. Vulneraria etiam per clyſteres injici poſſunt, præcipuè ſi craſſa inteſtina fuerint læſa. *Urina impedita.* Si *urina non fluat* ob grumoſum ſanguinem, vias obſtruentem, ungatur pecten, & veſicæ regio, *oleo ſcorpionum*: vel applicetur *fotus* ex *verbaſco* & *parietaria*, in *lacte* factus, qui, ſæpius repetitus, & ſpongiâ applicatus, mirè dilatat, attenuat, & aperit. *Veſica.* *Veſica* vulnera ſunt valde lethalia, præcipuè quæ ſunt in fundo, vel capacitate ejus; minùs ea, quæ ſunt in collo ejus, utpote magis carnoſo. Ne itaque in fiſtulam degenerent, & urina per ea continuò effluat, manus quamprimùm adhibenda eſt, & applicanda conglutinantia, eadémque per ſiphonem injicienda: partes circumſitæ ungendæ ſunt *ol. calentibus lilior. albor. nardino*, *anethino* &c. vulneraria interim decocta in veſicam diligenter injiciantur. *Uteri.* Cura vulnerum *Uteri* ab his non multum diſcrepat; præterquam quòd, cùm ſit pars magis carnoſa, & major inde hæmorrhagia excitari poſſit, venæſectio revulſionis causâ quamprimùm celebranda, & inunctiones ex adſtringentibus oleis faciendæ: v. g. ex *oleo omphacino*, *cidon. myrtino*, *roſaceo*; injectiones ex *aqua plantaginis*, in qua aliquid *ſanguinis*, *pulv. thuris*, & *boli Armena* diſſolutum ſit, celebrandæ, & vulnus inſtar præcedentium, ſervatâ, uti jam ſæpe inculcatum eſt, diætâ, curandum eſt.

Caput XL.

De Vulneribus ex globis Sclopetorum: & Ambuſtis.

Vulnera ſclopetorum. **V***Ulnera ſclopetorum* non eſſe ſimplicia, contuſio & laceratio muſculorum, nervorum, venarum, arteriarum, &c. adjuncta, &, ſicuti multi volunt, ambuſtio venarum ſatis denotat: *an ſint venenata.* ambuſtio autem non accidit vulnerato, niſi fuerit cominùs tactus, & à bombardæ flamma correptus: nec à pulvere, aut globo, communicatur venenum: hæc utpote ex ſe non ſunt venenata; ſed globi non rarò intoxicantur: hinc ſclopetorum vulnera & ambuſtionem, & venenatam qualitatem habere poſſunt; ſecùs non. Quòd autem globo tactis alexipharmaca proſunt, id fit eò, quòd partes principales roborant; quod gravia adſunt ſymptomata, quæ cauſat morbus complicatus, gravis nempe contuſio, laceratio, & vulnus: nec ita incaleſcit globus, ut urat, aliàs liquefieret, lanam ureret, pulverem pyrium, in quem ſæpe exploditur ſclopetum, accenderet, veſtes in tranſitu conflagrare faceret: quod minimè evenire, experientia probat. Et hæc de eſſentia.

 Cauſa

Eorum Cauſa. Signa:

Cauſa in propatulo eſt.

Signa deſumuntur vel à vulneris figura, quæ eſt rotunda, vel quadrilatera; cutis & carnis color eſt depravatus, lividus, niger; tumor inæqualis; dolor ingens; exigua ſæpe hæmorrhagia; vulnus aliquando, ob tumorem, tam anguſtum eſt, ut vix ſpecillum admittat: reliqua vel ex Patiente, vel ex adſtantibus, ſunt expiſcanda: quòd ſi venenoſitas adſuerit, ſymptomata multò aderunt graviora, cordis palpitatio, animi deliquia, ſudatiunculæ &c.

Ambuſtionis. *Ambuſtionem* produnt veſiculæ excoriatio, cutis indurata, dolor mordens, veſtium aduſtio &c. Nec fiunt ſemper à globis, ſed etiam à particulis ferreis longis, quadratis, pyramidalibus, &c.

Prognoſis. *Prognoſticon* quod attinet, dicimus cum Galeno, *4. meth. 6.* vulnera, vel morbos, dici magnos, vel propter affectæ partis præſtantiam, vel propter vulneris aut morbi magnitudinem: quò itaque ſclopeti vulnus in nobiliori parte erit, eò illud ſemper erit pejus; quo malignius, eò majus.

Cura. *Curatio* horum vulnerum in hoc conſiſtit, ut 1. ordinata & tenuis ſervetur diæta: 2. ut venæſectio adhibeatur, imò etiam, ſi opus fuerit, in corpore cacochymico, non obſtante vulnere, modò non ſit in parte prohibente, purgatio cholagoga præſcribatur: 3. topica applicentur: 4. dolorem lenientia adhibeantur: 5. partes corroborentur: cùm reliquis in prioribus abunde ſatisfactum fuerit. *Inhærentia vulneribus ſunt extrahenda.* Si itaque globus adhuc intus hæſerit, molienda eſt ejus extractio: idem cum fruſtulis oſſium hærentibus, & dolorem ingentem excitantibus; idem cum fruſtis veſtium, &c. faciendum eſt. Quòd ſi globus fuerit in parte aliqua principe, nec extrahi poſſit ſine Ægri repentina morte, hic prognoſtico relinquendus eſt, & medicamentum externum applicandum, quod dolorem leniat & mitiget. Eſt enim ille adeò urgens ſymptoma in omni ictu ſclopeti, ut cutam Medici illico ad ſe rapiat. *Injectiones.* Itaq; aliqui primò *ol. olivarum, ſambuci*, vel *hyperic. flor. verbaſc. lini, lumbricor. therebinth. fervens*, & præcalidū injiciunt, ut ita dolori, fluxioni, putrediniq; obvient: in horum defectu cum *butyro liquido* idem faciunt, &, maximè ab emplaſtris & adſtringentibus cavendum eſſe, bene aſſerunt: nam quod contuſum, neceſſe eſt putrefieri & educi; ne incluſum virus graviora inducat ſymptomata: in ſecundo apparatu *maturantia* ſunt adhibenda, ut eſt *Digeſtivum ex terebinth. vitellis ovorum*, & *oleo roſaceo*, item *ung. tetrapharmacum*; quod tamen, ut ipſius exſiccandi vis tollatur, cum *oleo roſaceo* miſcendum eſt; & illud *ung. baſilicum* minus, cum *butyro rec.* mixtum, petiolis omnibus inungi, & in vulnus intrudi poteſt, ita tamen, ut turundæ non ſint nimis craſſæ, ne comprimant, aut materiæ, vel tetrorum vaporum exitum impediant. *Maturantia Digeſtiv.*

Quòd ſi pravum aliquod *ſymptoma* ſupervenerit, utpote gangræna, eryſipelas, œdema, &c. vide de his *ante dicta*. *Symptomatum.*

Eodem modo ſi *arteria*, vel *vena*, vel *nervus* ſit *læſus*: vide dicta in *præcedentibus Capitibus*, & ea hûc refer. *Vaſorum vulneratur.*

Quòd ſi *vulnus venenatum* fuerit, alexipharmaca exteriùs & interiùs applicentur: ut eſt *Theriac. Mithridatum*, *el. Orvietanum*, &c. item propinetur *decoctum rad. biſtortæ, angelicæ, pimpinellæ, veronicæ*, &c. *Vulneris venenati.*

Si *Ambuſtio* fuerit, *album Rhazis* applicetur, vel *ung.* ex *cretâ pulveriſata*, cum *poſca* factum, vel *calx* bene teratur, lavetur, & cum *oleo roſac.* applicetur. Ita in omni alia ambuſtione ſatagendum eſt, ut veſicas & inflammationes prohibeamus, dolorem leniamus, veſicas jam factas curemus, excoriationem removeamus. Factâ ambuſtione, proſunt ſtatim frigida poteſtate: ut ſunt *atramentum, terra Cimolia, bolus Armena, ceruſſa* &c. cum *aqua roſacea*, vel *aqua ſolatri*, vel *aceto*, ſubacta, & in *Linimenti* formam redacta; *betæ* item *folia viridia contuſa*, & applicata; item *coriandrum viride*; item *hederæ folia*, item *ung. de enulâ*, vel *refrigerans Galeni*, vel *populeum*; item *cepa* cum *ſale trita*, vel etiam *oleum olivarum* cum *ſale* mixtum; idem facit *ol. amygd. dulc.* cum *ſale* confuſum & applicatum: vel à nobis probatiſſimum uſurpari poterit hoc: *Ambuſtorum.* *Probatum Autoris.*

℞. *Aqua fontis* ℔j.
vitell. ovor. num. ij.

Optimè ſimul agitentur; dein adde
olei olivarum liquidi ℥j.

Miſce

Miſce rurſus optimè: huic mixturæ intinge lintea duplicata, & ambuſtæ parti applicentur; ſiccata, ſine linteorum ablatione, iterum madefiant. Hoc idem remedium valet ad puſtulas inſtar ignis urentes, ſive ſint ulceratæ, ſive non: interim ſemper advertendum, ne ab initio nimium adſtringentibus utamur: unde partem aduſtam igni iterum admovemus, ut color à ſimili extrahatur. Hinc in ambuſtione ab aqua calida *fel taurinum* cum *aq.* copioſiore agitetur, & applicetur. Nota: *Veſicas* ante 3. vel 4. diem non eſſe aperiendas: nam dum citius aperiuntur, difficiliores ſunt curæ, & multùm dolorificæ.

Nota de Veſicis.

Inflammatio.

Si magna adſit *Inflammatio*, *lenticula* cum *melle* mixta plurimum adfert levaminis: ſi abſtergere animus ſit, miſce *terebinthinam* cum *melle*, & applica: ſi graviora ſymptomata fuerint ſublata, & ulcus remaneat, ſequens *Linimentum* applicare poteris:

Linimentum.

℞. *Ung. popul.*
ol. roſacei, ana ℥ij.
mucilag. ſem. roſar. aq. ſolani extracta, ℥iß.
vitell. ovor. num. ij.
M.F. Ungventum:

quod uſurpetur usque ad cicatricis generationem; quæ facta *ol. ovorum* omni die diligenter ungatur, ut omnem amittat aſperitatem.

Caput XLI.

De Ulceribus in genere.

Ulcera.

Abſolutâ maximâ Chirurgiæ parte, reſtat adhuc, ut de Ulceribus, Fracturis, & Luxationibus, agamus. Primum quod attinet, *Ulcus* Latinis, Græcis Ἕλκος, non accipimus hìc pro omni continui ſolutione; ſed tantùm prout eſt fœda & impura continui ſolutio, utplurimùm in parte carnoſa, ex vulneris degeneratione, vel abſceſſu, vel corporis vitio, procreata. Nota: per partem carnoſam intelligi partem mollem, quæ qualiscunque tandem ſit, ex carne ſui generis conſtat. Eſt itaque ulcus morbus communis, tam ſimilaribus, quàm organicis partibus contingens.

Differentia.

Ulcerum *Differentiæ* aliæ ſunt *propriæ*; aliæ *impropriæ*. *Propriæ* ulcerum differentiæ ſumuntur *à loco affecto*; ab *eſſentia*; ab *ulceris natura*, & à *cauſis ulcus producentibus*: *impropriæ* differentiæ deſumuntur à *rebus præter naturam*; ulceri complicatis ſymptomatibus, vel à *proprietatibus* ſive moribus; vel ab externis rebus. *Propriæ* differentiæ deſumuntur à *Loco*: vel enim eſt in *capite*; vel in *pede*; vel in *carne*; vel in *cartilagine* &c. vel deſumuntur differentiæ à *morbo*; à *figura*; vel à *magnitudine*; vel ab *inæqualitate*; vel à *cauſis efficientibus*, tum *internis*, tum *externis*: *impropriæ* differentiæ, quæ à *ſymptomatibus* deſumuntur: ut ſunt ulcera doloroſa, pungentia, pulſantia, pruriginoſa, maligna, benigna, contagioſa, rebellia, cacoethica, recentia, vel antiqua, incipientia, creſcentia, conſiſtentia, cancroſa, ſanabilia, lethalia &c. Si quis & has differentias proprias nominare cervicosè deſideret, cum hoc non pugnabimus.

Cauſa:

Cauſa ulcerum ſunt aliæ *externa*; aliæ *interna*: *antecedentes* ſunt cacochymia, vel *à toto*, vel *à parte* proveniens: externæ cauſæ rerum non-naturalium ſiniſter uſus. Cauſæ *conjunctæ* ſunt humores acres & erodentes, ſeu ſalini; qui ulcus excitant, à mala viſceris alicujus diatheſi, vel à toto provenientes. Inter cauſas *externas* & *procatarcticas* numerantur medicamenta corroſiva, adurentia, corpora item fricantia, & intertriginem cauſantia; item contagium tum Venereum, tum ſcabioſum, tum peſtilens, lepra &c. Ab *ulceribus tres* præcipuè *humores* profluunt: unus ſubtilis, qui *Sanies* dicitur; alius craſſus, qui *Sordes*: tertius, qui medio modo ſe habet, & *Pus* vocatur: hinc ulcera vel *ſanioſa*, vel *ſordida*, vel *purulenta* indigitantur. Fiunt autem hoc pacto: quòd ſi humores aquoſi ad partem confluant, dicitur ſanioſum ulcus: ſi craſſi, ſordidum; ſi purulenti, purulentum. Bonum eſſe illud *Pus*, quod eſt album, læve, æquale, & minimè fœtidum, jam *ſuperiùs* dictum: *Sanies* autem à quibusdam dicitur *Ichor*; ab aliis *Virus*; ab aliis omnis *alterata humiditas*, *ab ulcere manans*,

Humores ulcerum 3.

Pus laudabile.

Sanies, quid propriè.

manans, dicitur ſanies: ſed videtur illa propriè eſſe *Sanies*, excrementum illud tenue, ex abundantia aquoſorum humorum in ulceribus genitum, quod ea reddit humida. *Sordes* autem ſunt craſſum illud excrementum, quod, ex craſſis humoribus ortum, ulcus reddit ſordidum: & eſt *triplex*, vel *album*; vel *nigrum*; vel, inſtar fæcis, *cineritium*.

Quid ſordes.

Signa.

Signa ulcerum ſunt aperta, præcipuè externorum: ut tum cauſam, conſequentiam, & ſymptomata inveſtigemus, ſignis indigemus tum *demonſtrativis*, tum *prognoſticis*, tum etiam *commemorativis*; iiſque *ſalubribus*, vel *neutris*. Ulcerum *ſpecies* ab excrementis, vel ſymptomatibus deprehenditur: ut, ſi ex ulcere ſanies prodeat, *ſanioſum*; ſi ſordes, *ſordidum*; ſi pus, *purulentum*; ſi materia corrodens, *corroſivum*; ſi depaſcens, ſordida, & graveolens, *putridum* dicitur. *Partes* verò *affectæ dignoſcuntur*, vel tactu manûs, vel ſpecilli, vel ab excrementis, vel ab actione læſa, doloris proprietate, vel à ſitu, vel à propriis accidentibus: ſi, v. g. tenuis & ſubalba ex ulcere dimanet materia; vel etiam craſſa, & ſubalba, uti eſt meliceria; & ulceris malignitatem indicar, & nervoſas partes læſas. *Actio læſa* quoque ulcus deſignat, vel ejus locum: ut, ſi *motus* ſit læſus, ſignum eſt, nervoſum genus eſſe læſum: ſi *dolor* ſit *pulſans*, in arteria ulcus eſſe, ſignificatur: ex ipſis quoque *cauſis* tum *internis*, tum *externis*, ulcerum ſpecies ſunt eruendæ: ut ſi partis color fuerit ruber, & ad tactum calidus, levamenque ſentiatur ex applicatione frigidorum, ſignum eſt, calidam adeſſe intemperiem: ita, ſi color fuerit albus, vel niger, vel viridis, cum partis frigore, à frigida intemperie; humida verò, vel ſicca intemperies colligitur ex mollitie, duritie, aſperitate, &c. Si cauſæ fuerint *externæ*, ut vel à contagio, vel ab erodente aliquo medicamento, vel ab adurente corpore, ex Ægri relatione id conſtabit: ſigna quoque deſumuntur ab ipſis *Accidentibus*; ut dolore continuo, vel periodico interpolato; diurno, vel nocturno; punctura ſcilicet, mordicatione &c.

Prognoſtica Diagnoſtica, rememorativa.

Unde deducuntur.

ab Actione læſa.

Cauſis internis:

Externis.

Symptomatibus.

Prognoſis.

Quod ad *Prognoſin* attinet, ulcera, quæ etiam extremitatibus muſculorum dorſi, vel brachiorum, vel tibiarum accidunt, & ſæpe maligna ſunt, & periculo non vacant: item ulcera profunda, quæque partes internas occupant, ſunt periculoſa: è contra ea ulcera, quæ cutim tantùm partium externarum occupant, exiguæ ſunt conſiderationis, niſi eryſipelati ſuccedant: magna ulcera ſunt prava eò, quòd multum aëris in partem intromittant, eamque plurimum debilitent: omnia ulcera maligna ſunt mala, & difficilis curationis: talia ſunt ulcera compoſita, quæ nempe intemperiem habent adjunctam, vel tumorem, vel putredinem magnam, vel inflammationem, vel gangrænam, cum cacochymia. Malignitas, & cacoëthia, cum mala baſi, maximè noſcitur ex eo, quòd ſint circum glabra, pili in circuitu eorum decidant, cum ſquamulis; hinc etiam ubi pili, qui antè deciderant, recreſcunt, nec ſquamulæ ampliùs generantur, curationis eſt indicium. Ægris *morituris* ulcera fiunt livida, ſicca, & pallida apparent, ob calorem extinctum: item ulcera, quæ ſemel curata fuerunt, recrudeſcunt, idque annuè; vel diuturna ſunt; vel talia ob oſſis aliquod vitium: adeóq; abſque ejus abſceſſu nunquam curabuntur: vel talia ſunt propter affectionem, vel intemperiem, in ipſa parte, temporis diuturnitate, ex humorum affluentiâ contractam: eáque omnia, teſte Galeno, ſunt ægrè ſanabilia: item ulcera, quæ aliis morbis ſuccedunt per viam terminationis, ſunt ægrè ſanabilia & periculoſa; dum natura materiam ad ulceratam partem exonerat: hinc non poſſunt curari, niſi humorum fluxus intercipiatur.

Signa letbalia.

Indicationes hîc deſumuntur *ab ipſo morbo*; à *cauſis* ipſius; & à *ſymptomatibus*. Ulcus itaque, cùm ſit ſolutio unitatis, indicat reuniens; &, cùm deperdita ſit ſubſtantiæ portio, hæc indicat repletionem: cauſæ indicant ſui remotionem; ſymptomata verò ſui delinitionem. Ut primo ſcopo ſatis faciamus, ſiccantibus & parum adſtringentibus utendum erit: nam, teſte Hippocr. *l. de ulceribus*: *Quod ſiccum eſt, ſanum; quod madet, ad vitiatum propiùs accedit*. Siccandum autem eſt ob excrementum tenue: abſtergendum verò ob excrementum

Indicationes.

mentum craſſum; quod utrumque in ulceribus reperitur: eadem tamen, & in eodem ſtatu, medicamenta non ſunt adhibenda: nam & *ulcera quatuor* habent *tempora*: *principium* ſcilicet, *augmentum*, *ſtatum*, & *declinationem*: in *principio* autem, ubi ſanies eſt valde cruda (niſi illûc à toto cumulativè fiat: tunc enim per defenſiva retardanda eſt) & in ipſa parte generatur, præſente inflammatione, dolore, &c. adhibenda ſunt maturantia, & dolorem parum ſopientia; & tam diu in ſuppurantibus perſiſtendum, usque dum pus album, læve, & æquale appareat: in *augmento* autem, craſſiori ſcilicet excremento per coctionem ſeſe accumulante, abſtergendum eſt: in *ſtatu*, & *declinatione*, in hac tamen magis, ſarcotica ſunt adminiſtranda: in fine tandem cicatriſantia applicanda. Si verò aliquod grave ſymptoma ulceri ſit complicatum, quod rationem cauſæ induat, & ulceris curationem impediat; iſti auſſerendo eſt priùs incumbendum. Idem de propria ulceris ipſius cauſa cenſendum eſt.

4 Ulcerum Tempora. in Principio quid agendum: quid in Augmento. quid in Statu: & Declinatione.

Primò itaque omnium in ulcerum *Curatione* conveniens diæta inſtituatur, tenuior ſcilicet, & aliquantum ſiccans, partis tamen temperiem maxime reſpiciens; cui reliqua omnia ſecundum res non-naturales correſpondere debent: ſecundò evacuantia, repellentia, aut intercipientia præſidia ſunt adhibenda: itaque venæſectio, ſi adſit plethora; & purgatio, ſi cacochymia urgeat, præſcribatur; humorum verò qualitas alterantibus tum alimentis, tum medicamentis, eſt corrigenda: regulas his omnibus accommodas vide *in Præcedentibus*: etiam per cucurbitulas, frictiones, ligaturas, vincula &c. contrariis partibus adhibita, revulſiones & interceptiones fiunt; medicamenta frigida humores fluentes intercipiunt, incraſſando ſcilicet humores, cogendo, & adſtringendo: tertiò de ſymptomatibus corrigendis: & quartò de omnimoda ulceris curatione *poſteà* dicetur.

Curatio.

✽:(o):✽

Caput XLII.

De Simplicibus, & cum Intemperie conjunctis, Ulceribus.

Simplicia ulcera ſunt, quæ nec cauſam, nec morbum alium, nec ſymptoma, ſibi habent conjunctum, ſuntque tantùm ſolutio continui ab eroſione: cauſam tamen conjunctam hîc excipio, nec eam intelligo. Ulcera hæc ſunt alia *plana*, & *ſuperficialia*; alia *cava*: in *cavo* vulnere primò cavitatem implere oportet: ſecundò id, quod ſolutum eſt, reuniendum: videndum, ad hæc ritè perficienda, ut facultas temperie partis nutritiva corroboretur, & ſangvis huic affectui dicatus ſit laudabilis quantitate, & qualitate: ſi externa impedimenta removeantur, natura per ſe carnem regenerabit. Ad hoc plurimum facit rerum non-naturalium ordinatus uſus: ut nempe omnia extremè exceſſiva & contraria vitentur, & in moderatam ulceris exſiccationem vergant. Ut itaque naturæ auxiliemur, opus eſt, ut ad *Maturantia* confugiamus, ætati & temperamento congrua: in corporibus enim mollioribus mitiora ſufficient, ut, v. g. illud, quod fit ex *vitell. ovi*, & *ol. roſaceo*: in corpore verò non ita molli illud, quod fit ex *terebinth.* & *vitell. ovi*: in corpore ſicco, & adulto addatur *oleum maſtichinum*, & *farina hordei*, *pulv. thuris*, *ſuccus apii*, *ſem. lini*, *ping. anatis* &c. nec toto ulceris tempore continuanda ſunt ſuppurantia, ne ulcus fiat ſordidum: ſed tantùm donec ſit optimum fundamentum carnis rubicundæ & vivacis poſitum: nam deinde ſufficient plumaceolæ, ſive linea filamenta: regeneratio enim eſt ſolius naturæ opus, modò ſanies, & quæ hoc opus impediunt, à Chirurgo arceantur. *Suppurantia* hîc nec ſint nimis dura, nec nimis liquida: illa enim dolorem excitant; hæc colliquata rejiciuntur aut affluunt: partibus autem durioribus duriora; mollioribus molliora medicamenta ſunt applicanda: ſimiliter omnia ſunt partis temperamento, ætati, anni tempori, in ſuo gradu aptanda. Cùm duo ſint hîc excrementa, craſſum, & tenue: craſſum

Ulcera ſimplicia. Illorum Differentia, Cura. Maturantia propria. Suppurantia. Excrementa quomodo tractanda.

craſſum eſt abſtergendum; tenue exſiccandum: v. g. *farinâ hordei, fanigraeci, thure, aloë, ung. baſilico majore & minore.* Si ſicciora ſint corpora, adhibere quoq; oportet ſicciora: utpote *ariſtolochiam utramq., farinam orobi, lupinorum, fabarum, ung. de matriſylva*: ſi verò corpora ſint valde ſicca, qualia ſunt vitam laborioſam ducentium, ad adhuc magis ſiccantia deveniendum eſt: ut ſunt *chalcitis, lapis calaminaris, cadmia uſta & lota, tutia, abſinth. ung. Apoſtolorum*, verbo: omnia medicamenta debent maximè correſpondere partis temperamento.

Sarcotici effectus quomodo cognoſcatur.

Cognoſcitur autem *ſarcotici* medicamenti optatus *effectus*, quando per id redditur pars ſtatui naturali ſimilis, nec magis humida, aut ſanioſa, nec pejus colorata. Idem aſſerendum eſt

Abſtergentia.

de *abſtergentibus*: quæ ſunt *hydromel, ung. de apio, mel roſaceum, pulv. ſem. erucæ*, &c. Si cavitas repleta eſt hiſce, remanet tandem ſimplex ſeu ſuperficiale ulcus; de quo *antè* dictum: quod alia non requirit ab iſtis, quæ præſcripta

Epulotica.

ſunt, niſi ultimò *cicatrizantia*, ſeu *epulotica*: uti ſunt *cinis coris antiqui, emplaſtrum de lapide calaminari, diapalma, aloë, thus, cortex pini, plumbum uſtum & lotum, ung. de tutia, de minio, balauſt. bolus Armena, terra ſigillata, ſem. ſumach, ung. deſiccativum rubrum, alumen ſciſſile, pulv. roſar. rubr. ſantali rubei* &c. quæ tamen ſcligi debent pro partis temperamento accommodata; uti de aliis dictum eſt: nec, ut epulotica applicentur, exſpectare oportet, donec ulcus omnino impletum ſit; ſed paulò ante omnimodam repletionem id faciendum, ne aſperitas parti concilietur: molliora tamen ſemper ſint ea, & magis in ungventorum formâ, quæ in ulceris medio, quàm quæ circa labia applicantur; ut nempe medium ultimò claudatur, ob meliorem partis expurgationem.

Intemperies corrigenda.

Quòd ſi aliqua *intemperies* vel calida, vel frigida, vel humida, vel ſicca ulceri ſit conjuncta; vel ex iis compoſita: hæc Medici operationem quantocyus accerſit; &, ſi per propria ſigna, quod facilè eveniet, innotuerit, ei, tanquam ſummè noxiæ, & quæ omnimodam ulceris curam deluſura eſt, occurrendum.

Calida: Refrigerantia: Externa:

Si *calida* fuerit intemperies, ad *refrigerantia* illico confugiendum eſt: talia autem ſunt: *ung. album Rhaſis, album camphoratum, de tutia, de ceruſſa, populeum, refrig. Galeni, ſantalinum; aqua plantag. roſar. portulacæ, ſuccus ſempervivi, ſolani, cicuta, burſa paſtoris, vinum nigrum ſtypticum*; ex quibus plurima poſſunt componi.

Interna.

Intus quoque ea, quæ refrigerant, adminiſtranda: ut ſunt *emulſiones, julepia, juscula* &c.

Frigida, per Calida.

Si intemperies ulceris fuerit *frigida*, ad calida topica confugiendum: ut ſunt *oleum abjetinum, de terebinth. hypericonis, de ſpica, anethinum, camomill. vinum calidum* ſpongiis applicatum, *ung. Apoſtolorum, ceratum de beton.* Quod ſi magis calefacere oportet, *aq. vitæ*, vel *vinum Hiſpanicum*, vel *Malvaticum*, calidè ſpongiis applicentur: in quibus coqui poſſunt herbæ capitales: ut *ſalvia, hyſſopus, abſinth. pulegium, roſmarinus, folia lauri, lavendula* &c. Quòd ſi vehementiſſimâ calefactione opus fuerit, *ol. euphorbii, caryophyllorum, ſpiritus vini, de piperibus* &c. inſtillari poſſunt.

Humida Siccantia.

Si intemperies fuerit *humida*, ſiccantibus opus eſt; quæ cùm ipſorum ulcerum curæ conveniant, tantùm erunt

Sicca:

augenda. *Sicca* verò intemperies illa eſt, quæ præ reliquis maximè conſideranda: nam, ut teſtatur Fallopius, ulcera cum intemperie ſicca peſſima ſunt,

ſunt peſſima.

& curatu difficillima: hinc, neglecto ulcere, ad intemperiem ſolam totus curationis ſcopus eſt habendus.

Ejus Signa & Diagnoſis Cura,

Videndum itaque eſt, utrum hæc intemperies ſit *ex alimenti defectu*; vel ex *impreſſa ſicca intemperie*; vel ex *utroq.* Si fiat *primo modo*, *ſignum* eſt, partem ipſam non attrahere alimentum; quod, velut indicatum, diligenter *procurandum* eſt, cibo ſcilicet evchymo, & facilis diſtributionis; deinde fomentis, aquâ tepidâ, cucurbitulis, picationibus, frictionibus toties celebrandis, donec ipſa pars rubedinem contraxerit: ſi temperies ſicca ſit *impreſſa*, hiſce humectantia,

Humectantia.

ut *aqua temperata* fotus, eſt adhibendus, vel potiùs *hydrelai tepidi*: *aqua frigida*, quæ condenſat & repercutit nimium, calida verò diſſipat, eſt maxime fugienda. Attractum fuiſſe alimentum, cognoſcetur ex laudabili partis colore, molli-

mollitie, augmento &c. Aliàs *Unguentum humectans* fieri poteſt tale:

℞. *Fol. malvæ contuſ.* ℔ß.
butyri rec. ℥viij.

Coquantur usque ad mollitiem, trajiciantur: dein adde
ol. lilior. albor. ℥iß.

M. F. Linimentum; cui, ſi vis, potes aliquid *ceræ* addere: vel, loco hujus, fieri poteſt *Cataplaſma*; quod in pauca quantitate applicandum, ne premat, & dolorem inferat: quod ſi intemperies ſublata fuerit, ulcus ſarcoticis, ut antè dictum, implendum, deinde cicatrizandum.

Nec obſtat hîc, quòd contra hunc curandi modum objici poſſet: ulceribus nulla humectantia convenire; teſte Gal. *1. de comp. medic. ſecundum gen. capite 6.* Non enim hîc ulcus curamus, ſed intemperiem: certò perſvaſi, ulcera nullâ alia re, præterquàm vino, madefieri debere.

Caput. XLIII.

De Ulcere vel cum Tumore, vel Labiorum Duritie, ac Livido Colore: item de Ulcerum Varice, & Ulcere Verminoſo.

Tumor non raró ulceribus complicatur: ut, v. g. phlegmone, eryſipelas, œdema, ſcyrrhus: hujus *cauſa* diligenter inquirenda eſt: utrum id fiat ob mandantis partis affluentiam, & humorum copiam: an verò à partis recipientis potentia attractivâ. Si priori fiat modo, univerſalia præſidia; ut ſunt venæſectio, & purgatio, pro concilianda revulſione, ſunt adminiſtranda: ſi verò fiat poſteriori modo, parti robur adferendum, & medicamenta topica, cuivis tumori, *in Capite de Tumoribus*, deſcripta, ita tamen, ut ulceri non officiant, ſunt applicanda: In *phlegmone vinum tepidum*, in quo *mala Punica* fuerint cocta, vel *poſca*, vel *mulſa aquoſa*, applicetur: in *eryſipelatoſo* ulcere convenit, præter ea, quæ dicta ſunt *ſuperiùs*, *Cataplaſma ex cidoniis & pyris acerbis*, cum *vino* & *aceto* factum: ſi *Oedema* adſit, medicamenta debent eſſe paulò magis calefacientia: ſi *ſcirrhus*, ſimul emollientia: ſi *durities in ulceris labiis, cum decoloratione* adſit, quamprimùm tollenda eſt. Ea autem provenit vel *à ſiccitate*; vel ab *humorum diſtendente quantitate*; vel ab humorum *concretione*: congelationem in corpore vivo fieri, non concedimus. Conveniunt itaque *emollientia*: ut ſunt *mucilago ſem. althææ, pſyllii, lini, tragacanth.* cum *aqua malvæ extract. pingued. anatis, gallinæ, caponis, medulla cruris bovis*, &c. ut v. g. tale poſt fieri Cataplaſma:

℞. *Mucilag. ſem. althææ, aq. malvæ extrac.* ℔ß.
pingved. anatis,
anſeris,
gallinæ, ana ℥iij.
farinæ ſem. lini ℥iiiß.
micæ panis triticei ℥iiij.

Cum ſ. q. *lactis* coquantur ad conſiſtentiam Cataplaſ. ita tamen, ut pingvedines ultimò demum injiciantur: vel etiam, loco ejus, *empl. diachylon ſimplex* uſurpari poterit: vel etiam fiant embrocationes ex *decocto carnis arietinæ*; quæ & inſigniter emolliunt, & temperant. Si durities fuerit *à repletione*, evacuantia & reſolventia convenient. ſi *humores grumoſi* duritiem efficiant, ii diſſolvantur emollientibus, ſimul incidendi vim habentibus: talia autem evadunt, ſi iis *acetum* commiſceatur: ſi partis duræ *color* omnino *niger* ſit, ſatius erit, eam novaculâ à parte ſana ſeparare, vel ſcarificare, vel cauterio ad decidentiam ſollicitare, vel corroſivis fortioribus, ut *olea ſulphuris, vitrioli, mercurio præcipitato*; cavendo ſemper, ne partes nervoſæ abſumantur. Fit nonnunquam, ut venæ quædam latæ, in ulceris capacitate, multum dilatentur à ſangvine craſſo vel melancholico, vel crudo & viſcoſo, & varicoſæ evadant; unde *Ulcera* dicuntur *Varicoſa*: quin & *Varices* cruribus, temporibus, teſtibus, &c. absque ulcere ſæpiſſime contingunt: qui à quo humore proveniant, color facilè indicat, & utplurimùm hepatis vel lienis obſtructionem, aut diſcraſiam ſequuntur. Varices, non procul ab ulceribus exiſtentes, hæc reddunt curatu difficilia; ipſi ſcilicet humorem communicando: varicum itaq;

cura

curæ prius incumbendum eſt, quàm ulceris: & quamvis varices à multis morbis homines liberent, ex Hipp. *6. aph. 21. Inſanis ſi varices vel hæmorrhoides ſuperveniant, inſaniæ fit ſolutio*, videanturque ideò potiùs non tangendi: attamen, ſi magni fuerint varices, & copioſiſſimo ſangvine repleti, unde ruptionis & periculoſæ hæmorrhagiæ periculum eſt, vel ſi maligna foveant ulcera, curari debent; ſecus, ſi parvi ſint: nam ſolà victûs ratione, & aliis medicamentis, partes mandantes corrigentibus, curari poſſunt.

Eorum Cura. Varicum *cura* perficietur primò victûs ratione: ſecundò peccantis humoris præparatione & evacuatione: tertiò membrorum malè affectorum correctione: quartò medicamentis topicis. Diæta. Vitetur itaq; aëris anomalia, cibi item melancholici: potus ſit tenuis & diureticus; quies in curatione imperetur: ſomnus diurnus & longus, ira etiam & curæ, inhibeantur. Pharmacia. Quod ad ſecundam intentionem attinet, præmiſsâ leni *purgatione*, *ſangvis* ex parte adversâ, per rectitudinem fibrarum correſpondente, *detrahatur*: quo facto, ad humoris præparationem redeundum eſt, item ad purgationem, & partium mandantium rectificationem: quartò denum varices *ſecare*, vel *cauterio aperire*, Chirurgia. ex iisque ſangvinem oportet educere: hanc operationem præcedat leve corporis exercitium, fiatque tempore calido: deinde, ſi fuerit in crure, vinculum ſuperiori femoris parti injiciatur, & Patiens deambulare jubeatur, & vena magis tumida atramento ſignetur: deinde in lecto decumbat, injectòque altero, ſupra genu, vinculo, prima vaſis tumidi membrana, citra omnimodam penetrationem, incidatur, cutiſq; à vena removeatur, ut filum intra eam transmittere liceat, & ligare; atq; ita, ſolutis ſupra factis vinculis, incidere, ſangvinemque ex tota venæ illius capacitate tum educere, tum exprimere: quo peracto, in inferiori parte ſimilis facienda eſt ligatura, & tota vena exſtirpanda, vel manentibus vinculis, ut putreſcat ſinenda, vulnusque inſperſo *pulvere thuris*, linamentis ſiccis oppletum, ſuperpoſito quadruplicato, in *vino* & *oleo calidis* intincto, ſplenio curandum. Varices non adeò magnos curavimus *vaporibus* ſequentis *decocti*, à parte ſæpius exceptis: ut: Fotus.

℞. *Herb. ſalviæ*,
majoranæ,
chamæpityos,
lavendulæ, ana miij.

Decoquantur in ſ. q. *aquæ*, vel *vini*; cui adde *ſalis communis* quantum manu teneri poteſt: F. tale Decoctum, cujus vapores ſæpius excipiantur, vel pars affecta ei immergatur, vel ſpongiis in eo madidis foveatur. Húc referri poteſt *Aetii emplaſtrum* nobiliſſimum, *ſerm. 14. c. 84.* quod per ſe varices prohibet.

Nota: ſi facta fuerit varicum extirpatio, ut, ad malum aliquod gravius præcavendum, ſtatutis temporibus corpus bene expurgetur, partes internæ per ſpecifica corroborentur, vel etiam cauterium ſupra partem affectam in cruralibus inuratur. Cautela.

Quòd ſi *Vermes* in ulceribus à putredine, & pituitoſo excremento generati fuerint, ii erunt aufferendi, vel necandi, & putredinalis illa humiditas tollenda: aufferuntur autem ſpecilli cuſpide, vel alio quovis inſtrumento: quod ſi fieri non poſſit, necentur amaris, ut *abſinth. aloë; centaurio min. tanaceto; ſcordio; helleb. nigro, mercurio dulci*, inſperſis, &c. vel etiam ferro candente interficiantur: quod præſtat: corrigitur enim ſimul putredinalis humiditas: cavendo tamen ſemper nervoſas partes. Vermes in ulceribus.

Caput XLIV.

De Ulcere cum Oſſe Corrupto: item de Ulcere cum Humorum Affluxu: item de Ulcere Virulento: Phagedæna, & Nomodes dicto.

Ulcera ſæpius redduntur incurabilia eo, quòd oſſa, quæ eorum ſunt baſes, ſunt corrupta: Ulcus cum oſſe corrupto. oſſibus autem non correctis, ulcera curare, non eſt in potentia Chirurgi: etſi enim cicatrix iis obducatur, ſemper tamen recrudeſcunt.

Oſſa

Externa. Oſſa verò *corrumpuntur* vel *ab externis cauſis*: ut ab aëre nimis frigido vel calido; vel à corpore incidente, contundente, rumpente, medicamentis acribus & corroſivis; vel ab apoſtemate præcedente: *Interna.* vel ab *interna* cauſa; ut ſunt humores vitioſi, eroſivi, virulenti, ſanioſi, viſcoſi &c.

Signa. *Cognoſcitur*, oſſa eſſe corrupta, ſi primò pingveſcant, deinde nigrentur, vel carioſa evadant. Quamprimùm naturalis humiditas ab eo ſeparatur, pingue redditur; dum nigreſcit, color nativus recedit; dum carie afficitur, ſubſtantiam perdit. Si ſæpius ſanetur ulcus, & recrudeſcat; ſi ulcus ſit diuturnum; ſi præceſſerit fiſtula, quæ continuo puris ſui contactu os emollit ac corrumpit; ſi caro ſit flaccida & hebes, aut livida; ſi, dum exploratur os ſpecillo, non reperiatur æquale, lubricum, & læve, neque durum ac reſiſtens; ſed aſperum, diminutum, carioſum, ac molle; ſi humiditas purulenta in quantitate ulceris magnitudinem exſuperet, & ſupra modum fœteat; item ſi linamentum, aut emplaſtrum in ulcere poſitum poſtero die magnopere fœteat & nigreſcat: ſignum eſt oſſis corrupti, &, ſi profunda ſit caries, ſpecillo immiſſo facilè exploratur; & ejuſmodi ulcera difficillimæ ſunt curationis.

Prognoſis. *Cura.* Factis itaque univerſalibus præſidiis diætâ bene ordinatâ, purgatio, & venæ ſectio, ſi opus fuerit, adminiſtrentur, os denudetur, niſi obſtent nervi, venæ, aut arteriæ majores, hanc operationem, ob ſpaſmi periculum, omnino prohibentes: item ſi oſſa capitis, femoris, & vertebrarum, fuerint corroſa, aut valida, ab inciſione & uſtione abſtinendum eſt; & potentialibus tantùm utendum: in aliis autem corruptis pars oſſis incidenda, urenda, & aufferenda eſt; ſi caries tantùm fuerit ſuperficialis, hanc tollere poſſunt medicamenta valde ſiccantia: ut ſunt *myrrha*, *aloë*, *ariſtolochia*, *radices ireos*, *alumen*, *ſem. ſumach*, *pumex calcinatus*, *borrax*, *ſpiritus vini*: fortiſſimè ſiccantia ſunt *Mercurius ſublimat. chalcanthum*, *euphorbium*, *fex uſta*, *calx*, *cinis ficulneus*, *oleum Mercurii*, *oleum vitrioli*, *oleum tartari*: quæ tamen ita ſunt applicanda, ne circumjectas partes vivas tangant: hinc filamentis hæ ſunt bene muniendæ: poſſunt prædictorum *pulveres* vel cum *melle*, vel cum *ung. Ægyptiaco*, vel cum *terebinthina*, *pice*, *cerâ*, etiam miſceri & applicari. Os autem per *Chirurgiam* vel *abraſione*, vel *uſtione*, tollitur: *Chirurgia.* *abraſio* fieri debet, donec aliquid ſanguinis ab oſſe profluat, & os album & incorruptum appareat; deinde os uratur, ut, ſi quæ corruptiva & ichoroſa humiditas remanſerit, auferatur. Si caries usque ad oſſis medullam (exceptis coxendice, cranio, & ſpinâ dorſi) omnino aufferatur: iis autem cura ſufficiet palliativa: uſtio fieri debet per aliud ferramentum, foramine pervium, ne ulceris labia comburantur: hoc facto, *Eſchara*, oſſi per ignem facta, per triduum ſeparetur mixturâ ex *aqua roſacea*, & ovi albumine, ſtupis exceptâ, & applicatâ, ad arcendam ab oſſe inflammationem; deinde *butyrum*, cum *melle roſaceo* mixtum, usque ad deſquamationem imponatur. Si aliquid de oſſis carie remanſerit, ſequenti *Aquâ* ſæpe tingatur.

℞. *Aq. roſat.*
ſpirit. vini, ana ℥iij.
Mercurii ſublimati ʒj. M.

& parum bulliant usque ad ſublimati diſſolutionem: deinde hic liquor ſervetur ad uſum: poſtea pulveribus *antèdictis* adſpergatur. Quòd ſi caries omnino ſublata fuerit, ad ſarcotica redeundum eſt, & caro oſſi ſuperinducenda cicatriſandaque eſt. Et hæc de *Ulcerum Oſſe Corrupto*. Jam cùm, teſte Galen. *4. de comp. med. s. gen.* quatuor ſint, quæ ulcera ægrè ſanabilia reddunt, *humorum* nempe quantitate & qualitate peccantium *affluxus*; unde Dyſepulota, Cacoëthica, & Chironia dicuntur; ſecundò partis intemperies; tertiò utrumque ſimul: quartò humores admodum vitioſi, & habitualis partis intemperies: videndum eſt, ut fluxionis cauſas, ſigna, & curam, apponamus. Fluxiones excitant *Cauſæ externæ*: *Cauſa fluxionis Externa.* v. g. aër in qualitatibus excedens, cibi & potus mali ſucci, & copioſi, vigiliæ nimiæ, ſomnus longus, motus nimius, curæ, ſollicitudines, evacuationes cōſvetæ impeditæ; cauſæ *internæ* ſunt quatuor; *Interna.*

utpote pars mandans; pars recipiens; humoris fluentis conditio ; & via per quam fit fluxio. Pars mandans humores à ſe propellit, vel quia potens & valida ; vel quia irritata : huc confert via, & partium meatus. Humores autem vitioſi generantur vel à prava victûs ratione, vel ab alicujus viſceris nobilioris, vel membri vitio. Pars autem recipiens eſt fluxionis cauſa, vel quia debilis, rara, mollis ; vel quia in loco inferiori & patente ſita eſt ; humor fluxionem cauſat, quia vel copiâ, vel qualitate manifeſtâ, vel malignâ, irritat, vel ob fluxibilitatem & pondus, ut in hydropicis; canales autem, & via, ſunt in cauſa, eò, quòd nimium dilatantur, & patent. Et hæ ſunt cauſæ fluxûs humoralis.

Signa. *Cognoſcuntur* ulcera *à fluxu foveri* per tumorem, dolorem, inflammationem, ſaniei proventum : ad ejuſmodi ulcus curandum, fluxionem priùs tollere oportet : deinde ulcus. Cauſa itaque priùs bene cognita, rite ordinatâ diætâ,

Curatio. expugnetur revulſionibus, derivationibus, & evacuationibus per purgationem, venæſectionem, cucurbitulas, cauteria, frictiones &c. beneque attendatur, utra ex prædictis cauſis Chirurgi operam ad ſe trahat.

Quòd ſi ulceris *malitia* adeò increſcat, ut circumcirca ſanas partes depopuletur, jam *Ulcus depaſcens*, ſeu Nome, cujus ſpecies eſt Phagedæna, ſeu *ulcus ambulativum*, dicitur.

Ulcus virulentum.

Ejus Cauſa. *Cauſa* ſunt humores pravi, acres, biliosi, ſalſi, & affectæ partis intemperies calida & ſicca : vel etiam foventur ab alicujus viſceris, aut præcipui membri, ſimili intemperie : incipiunt ſæpius ejuſmodi ulcera poſt herpetes, ſeu exurentes puſtulas : de quibus antè dictum.

Cauſa cancrorum. *Cauſa* ſunt illa omnia, quæ calidos, acres, & corrodentes humores gignere poſſunt ; uti eſt aër præfervidus, cibi & potûs calidi, ira, medicamenta acria, vulnera malè ſanata, quæque multum degenerarunt ; qualia ſæpe evadunt ſelopetorum.

Signa. *Cognoſcuntur* facilè ex colore alieno, & croceo, vel tetro tumore, continuo incremento, febre, ſiti, fæculentis ichoribus inde prodeuntibus, labiis ulceris inverſis & elevatis, vel lividis, inæqualitate, ſenſibilitate acutâ : quòque plura ejuſmodi ſymptomata adſunt, eò ſemper ſunt pejora, & facilè in cancrum degenerant.

Cura. *Cura* hiſce quatuor perficienda : primò nempe convenienti diætâ : ſecundò humorum peccantium evacuatione : tertiò virulentæ materiæ exſiccatione, & intemperiei correctione : quartò ulceris repletione, conſolidatione, cicatriſatione.

Diæta. *Pharmacia.* Quod ad primum attinet, diæta in ſimilibus jam eſt præſcripta : quod ad ſecundum ; corpus bene expurgandum eſt : ſanguis, ſi exſuperet, extrahendus, humorque intercipiendus per defenſiva factis hiſce, quæ de neceſſitate ſemper præcedere debent, aliàs ſequentia plus nocitura, quàm profutura ſunt, ad

Topica. *Localia* perveniendum eſt ; quæ debent eſſe frigida, ſicca, & ſtiptica : uti eſt *aqua aluminoſa* : deinde *ung. diapompholygos*, filamentis exceptum, imponatur :

Aqua decoct[illegible] [illegible]ſoria.

℞. *Herb. plantag.*
ſolani,
burſæ paſtoris, ana mj.
flor. roſar. rubear.
balauſtiorum,
nucum cupreſſi, ana ℥iij.

Decoquantur in *aqua fabrorum*, & *aceti* partibus æqualibus : hoc decocto ulcus corrodens ſæpius abluatur ; defenſivis inter partem mandantem & recipientem ſemper diligenter applicatis.

Guidonis lamina plumbea perforata. Quòd ſi verò, hiſce non juvantibus, ulterius malum ſerpat, probanda eſt Guidonis cura cum laminâ plumbeâ perforatâ ſuperligatâ : deinde, ſi nec iſta proſint, ad eſcharotica, vel ignem actualem, confugiendum eſt ; hôc enim melius & præſtantius nullum reperitur ; uti in Italicis Hoſpitalibus ſæpe obſervavimus : ubi in ejuſmodi ulcere phagedænico, Venereâ plerunque malignitate pertinaci, ad 10. vel 12. inſtrumenta ferrea candentia extinguunt : & bene quidem : Medicus enim, qui, more Noſtratium, Ægroto in ſimilibus parcit, non eſt miſericors, ſed tyrannus ; ſecundum tritum illud diverbium : *Chirurgus miſericors ulcus fordidum.* Poſt hanc operationem, ne inflammatio parti ſit inducta, refrigerantibus agendum eſt ;

[illegible] ignis frequens uſus.

eſt: ut *ung. albo camphorato, albuminibus ovorum ol. roſac.* bene conquaſſatis, vel *ſucco ſolani*, cum *ung. albo Rhazis* commixto. Quòd ſi omnis malignitas ablata fuerit; tandem ulcus, more aliorum, implendum, conſolidandum, & cicatriſandum eſt.

Caput XLV.

De Ulcere Sordido: item de Sinuoſo ulcere: & Fiſtulis.

Ulcus ſordidum.

Ulcus *ſordidum* dicitur, quod craſſo & ſordido, copioſoque ſcaterexcremento, unde vapor quidam fœtidus & cadaveroſus expirat.

Cauſa Externa. Interna.

Cauſa externa eſt alimentum pravum, aër impurus & peſtilens, medicamenta oleoſa: *interna* & conjuncta eſt pravus & craſſus humor, qui per incaleſcentiam, & fervorem putredinalem, non parvam nactus eſt malignitatem; huic adſtipulatur affecti membri debilitas.

Signa.

Signa videantur in deſcriptione. Talia ulcera ſunt mali moris, & facilè in gangrænam tranſeunt.

Prognoſis.

Hîc eædem fere, quæ in priori, intentiones recidunt; adeóque eas repetere, ſuperfluum eſſe videtur.

Cura.

Quod ad particularia attinet, ulcus *muriâ*, vel lixivio, facto ex *cineribus braſſicarum*, & *cort. fabarum*, cum *melle*, & ℥ij. *Mercur. ſublimat.* mixto, primò abluatur, vel *mulsâ* abſtergatur, ut pravi, locum occupantes, ſucci extrahantur, ulcus ſcarificetur, & cucurbitulæ, vel hirudines applicentur: deinde ſequens *Mundificativum* adhibeatur.

Mundificativum.

℞. *Succi apii*,
mellis roſacei, ana ℥iij.
pulv. rad. ireos ℥iij.
farina hordei ℥ij.

M. F. Linimentum: hujus loco *ungv. Apoſtolor.* vel *Ægyptiacum*, vel *baſilicum*, cum *Mercurio*, pro majori abſterſione, ſubſtitui poteſt. Factâ abſterſione, ulcus ordinariâ curâ tractandum eſt: ſi verò prædicta non juvent, fiat uſtio; uti in *præcedenti capite* dictum eſt.

Sinuoſum.

Ulcus *Sinuoſum* eſt illud, quod anguſtum orificium, intus verò latum habet ventrem, & interdum cuniculos agit, citra duritiem, aut calloſitatem.

Cauſa:

Fit è ſanie, aut pure corroſivo, quod apoſtema, aut abſceſſus neglectus progeneravit:

Cavitas ut exploranda.

Cavitas inde patet, quòd plus materiæ purulentæ exit, quàm poteſt in tam parvo ulcere (uti extra patet) generari, deinde illa cavitas ſpecillo immiſſo facilè detegitur: nam diligentiſſimè ſinuum egreſſum rimari oportet: permagni enim intereſt, utrum ad nervos, an ad tendines, oſſa, venas, arterias, caput, ventrem, aut caudam muſculi tendat; quas tamen partes, ſicut & ulceris interni temperiem, ipſe exiens humor, prout eſt coloratus, ſæpe demonſtrat.

Prognoſis.

Quòd ſi pravum & copioſum pus excernatur, malè; ſi contrà, bene ſperandum.

Cura.

Cura perficietur 1. exactâ diætâ: 2. humoris peccantis evacuatione per revulſoria, derivatoria &c. tertiò topicis, ſeu localibus. De primis duobus vide *præcedentia*: quod ad Localia attinet, copore bene mundato, orificii dilatatio quamprimùm molienda eſt, ſemper à nervis, venis, & arteriis, officioſè cavendo: vel, loco ſectionis, eâdem factâ cautione, cauteria potentialia applicentur, & fiat dilatatio, ſinuſque aperiatur: ſi Patiens eam admittere nolit, injicienda ſunt priùs deterſoria & exſiccantia: talia ſunt *mulſum*, cui aliquid, ad putredinem magis arcendam, *oxymelitis* addi poteſt: ad primam injectionem proderit *muria*, *lixivium prædictum*, *aqua aluminoſa*: vel etiam, ſi adeſt maligna putredo, injici poteſt *Ægyptiacum* in *ſpiritu vini*, cum paucâ *Theriaca*, diſſolutum, quando inflammatio abeſt: hæc enim ſi adſit, *cremor hordei*, cum *melle roſaceo* mixt. vel *aqua mulſa*, in qua *abſinthium*, *ſymphytum majus* &c. coxerint, ſufficiunt. Factâ abſterſione, *vinum calidum rubrum*, pro corroboratione, injiciatur, cui vino incoqui poſſunt *myrrha*, *thus*, *aloë*, *ſarcocolla*, & ſimilia ſarcotica: extra verò ſpongia, *vino calido madida*, ita applicetur, ut ſupra ſinum expreſſivâ ligaturâ magis ſtringatur, & laxior paulatim verſus ſinûs collum evadat, ut intus conglutinatio, & materiæ exitus juvetur: & emplaſtra, *diapalma* ſcilicet, vel *nigrum*, quæ foramini applicantur, debent eſſe inciſa in medio, ut continuus materiæ procuretur effluxus.

Fiſtula Ejus Differentiæ.

Sinuoſa hæc ulcera ſæpiſſime degenerant in *Fiſtulam*: quæ nihil eſt aliud, quàm ſinus ulceroſus, anguſtus, longus & calloſus, fiſtulæ in modum, per quem humores effluunt. Fiſtulæ aliæ ſunt *breves*; aliæ ſunt *longæ*: aliæ *penetrantes*; aliæ *ſuperficiales*: aliæ *ſimplices*; aliæ *duplices*, aliæ *triplices*: aliæ *unius*; aliæ *plurimorum orificiorũ*: aliæ *rectæ*; aliæ *flexuoſæ*: aliæ *ad oſſa*; aliæ ad *cartilagines*; aliæ ad *venas*; aliæ ad *arterias penetrant*: aliæ *facilis*; aliæ *difficilis* ſunt *curationis*. Et haſce differentias etiam ulceribus ſinuoſis attribuere potuiſſemus; ſed unâ hac fideliâ duos parietes dealbare melius & commodius eſſe duximus. Nam fiſtula, teſte Galen. *l. de tumoribus* callo tantùm à ſinuoſo differt ulcere.

Callus Ejus Cauſa.

Eſt autem *Callus* dura, alba, & inſenſibilis quædam caro, madore privata, à craſſæ & viſcidæ materiæ influxu generata: fit autem potiùs in ſinus orificio, quàm in fundo; quia natura ſemper ad cutim protrudit excrementa, quæ etiam cutis ſuâ duritie ad calli generationem non parum contribuit.

Signa.

Fiſtula autem *patet* ex profundo foramine, cum anguſto orificio, calloſo, duro, & inſenſibili, niſi nervos penetret: patet item fiſtula ex eo, quòd materiæ copia major ſit, quàm pro ratione tantilli foraminis generari poſſit. Fit nonnunquam, ut per totam fiſtulæ capacitatem extendat ſeſe callus; quod facilè ſtylo exploratur, ob ſenſus hebetudinem: eodem modo per ſtylum plures ſinûs deteguntur; eóſque adeſſe conjecturamus, dum plus materiæ effluit, quàm in uno ſinu contineri poſſit. Quas verò partes iidem ſinus penetrent, ex compreſſione materiæ, vel ex motu vario corporis, & materiæ effluxu, facilè colligitur. Fiſtulæ tortuoſæ ſinus deprehendetur ſtylo exploratorio, primùm duro; ſic enim intrudi non poterit: ſecundò molli, ex cera, vel plumbo, vel radice aliqua; hic enim, ob flexibilitatem, ductum ſequetur, & facilè intrabit: quaſnam partes tangat fiſtula, rimandum etiam diligenter: ſi enim in carnem deſinat, fundus eſt mollis, pus copioſum & album: ſi nervum tangat, fundus erit durior, pus tenuius, pingve, & quaſi oleoſum, dolor magnus & acutus, ab immiſſo ſtylo. Dum verò fiſtula ad os derivatur, fundus eſt duriſſimus. Vide *ſuperiùs* oſſis carioſi & corrupti ſigna. Si fiſtula ad venas vel arterias pertingat, ex puris cum ſanguine vel craſſo & venoſo, vel tenui & arterioſo, commixtione colligitur.

Prognoſis.

Prognoſin quod attinet, fiſtulæ, quæ ſunt recentes & ſuperficiales, facilis ſunt curationis; ſi præcipuè ætas juvenilis, & cætera adſtipulentur; ſi verò fiſtula ſit inveterata, plurimùm calloſa, profunda, vel in veſica, vel in vulva, vel in inteſtinis, vel in grandibus venis aut arteriis, in gutture, ſtomacho, thorace, articulis, nervis, cartilaginibus, oſſibus, in corpore ſenili, vel multis aliis infirmitatibus fatigato, curationem vel ægrè, vel nunquam recipit: idque manus potiùs, quàm medicamentorum operâ.

Cura.

Curationem quod attinet, haſce quatuor perficitur: diætâ: humorum evacuatione: internorum membrorum correctione: & topicis medicamentis. De diæta primò jam ſæpe, in ſimilibus, dictum eſt: item ſecundò quis humor, qualiter cognoſcendus, & quali medicamento purgante ſit evacuandus, ſæpiſſimè traditum: tertiò qualiter jecur, lien, ſtomachus, caput, &c. confortari poſſint, tum per appropriata, tum per decocta ex lignis & herbis, aliquoties repetitum: reſtat, ut ultimo ſcopo ſatisfaciamus. Optima itaque inſtitutâ diætâ, expurgato corpore, partibus internis roboratis, fluxione à parte affectâ in contrariam retractâ, vel ſaltem prohibitâ aut interceptâ, cùm hic ſeſe plura offerant, utpote ſinus, calloſitas, & orificii anguſtia; videndum, à quonam horum incipiendum: fiſtula enim curari non poteſt, niſi callo ablato, & orificio taliter dilatato, ut medicamenta ad cavitatis fundum pervenire poſſint. Itaque ab orificii dilatatione cura omnino eſt auſpicanda; quod fieri poteſt *Turundis* ex valde compreſſâ & colligata *ſpongiâ*, vel etiam ex *medulla ligni ſambucini*, cum extractorio filo; ut, ſi in ſinum ipſum inciderint, tutò poſſint extrahi

Turundæ ex ...

extrahi. Talia, poſtquam humores imbiberunt, ſeſe dilatant, adeóque orificium ampliant: hinc per duodecim horas ſunt relinquenda, dein extrahenda; & ſic turundæ majores ſemper ſunt introducendæ, donec foramen ſat amplum fuerit redditum, imò usque ad ſinuoſæ cavitatis fundum, ſi fieri poſſit, pertingant. Hoc facto, callus venit auferendus: quòd ſi Patiens neque uſtionem, neque inciſionem ferre velit, callusque non ſit admodum craſſus, is *Corroſivis*, præmiſsâ [*Corroſiva.*] prius ſcarificatione, conſumendus eſt: talia ſunt hactenus commemorata: uti [*Mitiora.*] *ung. Ægyptiac. ſuccus rabari, raſura radicis ariſtoloch. rotunda, aſphodeli, mellis illita*; ad id maximè facit *radix helleb. nigri*, per triduum in cavitate detenta: callum enim à proprietate conſumit; præcipuè ſi is ſit ab humore melancholico; idem facit *elaterium*, ſeu *ſuccus cucumeris aſinini*, *terebenthinâ* exceptus & applicatus. *Valentiora* corroſiva [*Fortiora.*] ſunt *chalcanthum uſtum*, *Mercurius præcipitatus*, *pulvis cantharidum ſapo niger*, *lix uſula*, *chalcitis*, *lixivium ex cinere & calce viva*, *ſpiritus vitrioli*, *ſulphuris*, &c. Ex his fiant turundæ, & imponantur: ut:

℞. *Æruginis* ʒiß.
ammoniaci ʒij.
aceti q. s. Fiat Maſſa;

unde formentur Turundæ. Alii ex corroſivis illis pulverem conficiunt, quem deinde in foramen, per cannulam, inſufflant: alii eoſdem pulveres cum muſſa diſſolvunt, & ſyphone injiciunt in fiſtulæ foramen: id quod maximè faciendum eſt, ubi fiſtulæ ſunt valdè profundæ, cuniculoſæ, & anfractuoſæ; illuc enim ſola liquida penetrare poſſunt. Dum acria hæc adminiſtrantur, *Defenſiva* ſemper, ad vitandam [*Defenſiva.*] majorem, à dolore concitatam, fluxionem, & conſequenter inflammationem, ſunt applicanda; facilior autem, & brevior via eſt vel per inciſionem, vel per uſtionem; præcipuè ubi fiſtulæ ſunt profundæ: videndum enim eſt, ut ad ipſum fundum perveniamus. Si ergo *ſecare* velis, primò ſpecillum ligneum immitte, ſupra quod fiat inciſio [*Sectio.*] cum novacula, aut ſcalpello: atque ita omnes ſinûs, vitatis vitandis, ſunt

detergendi, & aperiendi, donec eorum finis adinveniatur: ſequenti dein die callus vel cauſtico, vel corroſivo, eſt conſumendus & adurendus, & omnino tollendus: deinde, poſt operationem, *oleo roſaceo*, cum *vitello ovi* benè agitato, dolor eſt demulcendus: quo facto, *butyro recenti*, vel aliis unctuoſis, eſchara paulatim emolliendа, & ad decidentiam præparanda; quo facto, ſi pus album, leve, & æquale ſucceſſerit, & ulceri color laudabilis redeat, boni ſucceſſus ſpes eſt optima, ſi præcipuè dolor, tumor, & alia ſymptomata receſſerint, & bona caro, loco calli, per ſarcotica incipiat regenerari: quod antequam fiat, ulcus debet probè detergi, ne ullum fiſtulæ ſeminarium remaneat. Vide, quæ *de detergentibus hactenus* dicta ſunt. Quòd ſi, vel ob debilitatem Ægroti, vel ob loci, in quo eſt fiſtula, periculum, talis cura fieri non poſſet, ſufficiet *Palliativa*: hinc tenuis inſtituetur diæta, corpus autem ſuperfluis [*Palliativa.*] humoribus optimè expurgetur, &, quantum fieri poteſt, fluxus ad partem minùs nobilem derivetur; quin & non leve adeſt periculum, ne, ſi unquam percuremus fiſtulam ſine fluxionis derivatione, materia ad partem mandantem regurgitet: hinc fiſtulæ in pedibus & manibus, ad magis conſtantem ſanitatem, perſæpe relinquuntur: quin & in mutatione ætatum, uti ſæpe obſervavimus, deſinunt.

Fiſtula lachrymalis autem, quæ in majori oculi angulo perſæpe contingit, [*Fiſtula lachrymalis.*] ſingularia quædam habet; adeoque è re noſtrâ erit, ut de eâ hîc faciamus appendicem: nam quandoque ad os, quandoque ad cutem, terminatur; oritur plerumque ab aliquo tuberculo, quod *Ægylops* dicitur, circa oculi angulum majorem orto; quod, ſi [*Ægylops.*] negligatur, in fiſtulam lachrimalem degenerat: vel etiam fit ex inflammatione oculi, & ophthalmia, in qua acres & mordaces humores generantur, qui partem illam ſæpe mollem & ſpongioſam exulcerant. Si itaque materia inde continuò effluat copioſa, præcipuè [*Signa.*] dum premitur; ſi præceſſerit tuberculum iſtud; ſi materia ſubinde per nares effluat; ſi appareat aliqua calloſitas; ſi oculus plerumque madeat: adeſt fi-

ſtula lachrymalis, cujus durities ad os, mollities ad carnes terminans ſtylo exploratur. Eſt affectus chronicus, & difficilis curationis, ob partis, ad recipiendos humores, proclivitatem; deinde ob oculi, alias madidi, viciniam, qui nec generoſa, nec apta tolerat remedia. Recens tamen fiſtula ſæpe curatur: antiqua verò non, niſi operatione cauterii. Si itaque fiſtulam lachrimalem *curare* adnitamur, optimè inſtitutâ diætâ corpus optimè evacuandum eſt catharticis primo, hinc venâ cephalicâ apertâ, ſi Ægri vires patiuntur: ſecundò calloſitas tollenda: tertiò ipſe ſinus eſt abſtergendus, carne implendus, &c. ſi verò ad os pervenerit, & fuerit antiqua, *Operatione Manuali* agendum eſt. Facienda itaque inciſio ſecundum longitudinem, novaculâ, vel ſcalpello, & deinc filamenta, *ovi albumine* optimè imbuta, imponantur, usque ad ſequentem diem: tum enim demum oſſis corrupti caries videri poterit; quæ non tantùm, per tubulum ad id aptum, cauterio aureo rotundo auſferenda eſt, ſed etiam os ipſum naſi perforandum, ut materia iſta in poſterum tota ad palatum fluat: oculus interea bene muniatur *goſſipio* in *albumine ovi* intincto, caveaturque, ne caro illa glandularis in oculi angulo conſumatur: aliàs oculus ſemper eſt lachrimaturus. Chirurgiâ perfectâ, ad dolorem & calorem leniendum, & eſcharam ſeparandam, *ovi albumina* cum *butyro recenti & non ſalito* agitentur, & plumaceolis applicentur; deinde ſarcotica adhibeantur, usque ad omnimodam ſanationem. Hanc operationem Viennæ feliciter perficimus. Si Patientes eam renuant, adhibeatur remedium illud, quo Seniori Principiſſæ Razivil fiſtula curata fuit, urina nempe pueri impubis vinum bibentis: hæc enim, ſi per ſiphonem quotidie in fiſtulam injiciatur, & goſſipio applicetur, malum curat.

Fiſtulæ ani, multum penetrantes, difficillimæ ſunt curationis; quia ad earum fundum minimè poteſt perveniri: de earum tamen Cura vide Fallopium *cap. proprio.*

Prognoſis. *Curatio.* *Operatio manualis.* *Fiſtula ani.*

CAPUT XLVI.

De Manantibus Capitis Ulceribus: ſive de Tinea: item de Ulceribus Oculorum, item de Ozana.

Cùm jam ab univerſalibus paulatim deflexerimus ad particularia ulcera, operæ pretium eſt, ut ea proſequamur.

Tinea, ſeu Achores, & Favi, ſunt manantia capitis ulcera, & foraminulenta, cùm aliquo tumore, à quibus ſanies tenax emanat, melli ſimilis: quorum præcipuè duæ ſunt differentiæ; ea nempe, quæ *anguſta*, & ea, quæ *ampla* habent foramina, quæ ſcilicet vel tenuem, vel craſſam, & melli ſimilem habent materiam: ex iis iterum alia ſunt *antiqua, cacoëthica*, ſeu *mali moris*; alia *recentia*, & *benigna*.

Tinea, ſeu Achores, quid. *Differentia.*

Cauſa procatarctica eſt prava victûs ratio, quæ ſalſos, nitroſos, & pituitoſos humores generat in copia; & ii, teſte Galeno, *lib. de tumoribus præter naturam*, manantia capitis ulcera generant, etiam copioſa: nam pueri ea ſibi invicem communicant.

Cauſa.

Signa præbent cruſtæ albæ, duræ, horribiles, fœtidæ; capilli decidunt, vel facilè, unà cum radicibus, pinguedine quadam circumſiti; vel potiùs materiâ craſsâ, albâ, lentâ, extrahuntur; adeſt pruritus: quòd ſi cruſta auferatur, apparent foraminula in ipſa cute: humores peccantes ex tenuitate, vel craſſitie excrementi colliguntur.

Signa.

Ulcera hæc ſunt difficilis curationis, præcipuè ſi fuerint antiqua & cacoëthica; ſi tamē per frictionem cutis facilè rubeat, fortioribus medicamentis uti debemus. Videndum itaque eſt, in ejusmodi ulcerum *Curatione*, quonam in gradu ſint. Tempus aptius eſt ſiccum, quàm pluvioſum & auſtrinum, ob humiditatem ulceribus noxiam. Primò itaque corpori univerſalibus præſidiis, & bene inſtitutâ diætâ, diligenter providendum; deinde ad localia progrediendum, quæ craſſum humorem incidant, diſcutiant, & repellant: & ſemper à mitioribus incipiendum eſt. Remotis itaque capillis, caput ro-

Prognoſis. *Cura.*

put totum bene lavetur aliquoties *aceto*, in quo *creta* ſit diſſoluta, vel ſolo *piſorum decocto*; dein, ſi aliqua adſit inflammatio, caput *oleo roſaceo* irrigetur, donec cutis munda reddatur; deinde optimis linteis exſiccetur; poſtea *lixivio*, in quo *tartarus* & *ſulphur* diſſoluta ſint, abluatur, exſiccetur, & iterum *oleo* [illegible] *calido* perungatur; deinde ſequenti [illegible] tegatur *Linimento*:

Linimentum.

℞. *Rad. lapath. acut.* ℥j.
ſulphuris vivi,
baccar. lauri, ana ʒvj.
caryophyll. ʒij.
rad. hellebor. nigri ʒj. Ex pulveriſatis omnibus, cum ſ. q. *olei veteris*, F. Linimentum: huic addi poteſt *cinis chartæ combuſtæ*; quem Galen. *5. de compoſ. med. per loca*, maximè laudat. Si hæc non juverint, *Picationes*, in plurimis probatiſſimæ, celebrentur: v. g. fiant Pileoli ex *tela*, quæ *pici nigræ* & *reſina liquida* immergatur, & ſiccetur: horum unus, factâ priùs embrocatione, ſeu lotione ex ſequenti *Lixivio*, applicetur, relinquaturque novem diebus; deinde fortiter volſellis extrahatur:

Picationes. *Lixivium.*

℞. *Lixii communis* ℔iij. in quo decoque
rad. lapath. acut.
ariſtolochiæ rotundæ,
cyclamini, ana ʒj.
gentianæ,
rhapontici, ana ʒiiß.
ſummit. cent. min. ʒiß.

Decoque ad conſumptionem ℔ij. colaturâ lavetur caput: poſt ſufficientem ablutionem alter pileus applicetur, & utique novem diebus relinquatur, iterumque, poſt fortem expreſſionem, volſellis factam, prædicto lixivio abluatur, ſicque novies continuetur; interea tamen corpus bene expurgetur. Factis omnibus his, ſuprà-ordinatum unguentum usque ad omnimodam curationem applicetur: ultimò tandem *aqua mellis*, vel *muſcarum*, ad capillorum regenerationem uſurpetur.

Ulcera oculorum.

Oculi, licet non ſint partes carnoſæ, tamen etiam *Ulceribus*, vel in adnatâ, vel in corneâ tunica, vel in aliquo angulo, tentantur: & in corneâ quidem tunicâ quatuor ulcerum ſpecies patiuntur: utpote botryon, ſeu foſſulam, cœloma, argemon, & epicavma. *Cauſæ* horum ulcerum ſunt externa corroſiva, vel quoquo modo continuum ſolventia: internæ verò humores, poſt inflammationem, vel ophthalmiam, vel capitis diſcraſiam, apoſtemata, veſicas &c.

Cauſæ.

Quòd ſi ulcus ſit magis rubrum, ſignum eſt eſſe in adnatâ, quæ plurimas venulas recipit: ſi verò ſit magis album, videaturque Æger cineres in oculo habere, eſt in cornea tunica: cujus ulcera ſunt periculoſa, præcipuè ſi ſint profunda; nam ſi penetrent, vel effluit aliquis humor, vel ſit uvea procidentia; unde cæcitatis imminet infortunium.

Signum.

Ut hiſce medeamur caput ſequentibus *Pilulis* diligenter eſt expurgandum:

Cura. *Pilulæ ophthalmicæ.*

℞. *Extr. pil. lucis maj.*
[illegible] *de agaric.*
[illegible] *cochiar.* ana ʒß.
pulv. Syrii gr. vj.
ol. aniſi gut. iij.

Cum ſ. q. *aq. fœnic.* F. Pilul. num. viiij. Inaurentur, pro doſi: poſt harum uſum vena cephalica tundatur; tertiò inſtituatur optima diæta, per minimè vaporoſa, vel allio, aut cepis condita fercula; lumen & locus fumoſus vitetur. Deinde ad *Localia* deveniendum: ſuntque leviſſima, & minimè acria adhibenda: applicato itaque in fronte aliquo Defenſivo, ſeu repellente, *albumen ovi* cum *lacte muliebri* optimè conquaſſetur, & tepidè appplicetur: deinde *lac muliebre* indies aliquoties inſtilletur. Si opus ſit abſterſione, ulcere ſcilicet evadente ſordido, inſtilletur *aqua plantag.* cum *ſaccharo* mixta, vel *aqua hordei*, cum eodem *ſaccharo*, vel cum pauco *melle roſaceo*: ſi ulcus optimè fuerit mundatum, exſiccandum eſt ſequenti *Collyrio*:

Localia.

℞. *Lapid. calaminar. præpar.*
ſacchari Saturni,
thur. præp. ana ʒß.

Collyrium.

Subtiliſſime trita miſceantur cum ℥iiij. *lactis caprini*, vel *aq. plant. roſar.* &c. huic, ad majorem conglutinationem, ℥j. *ſarcocolla*, *lacte aſinino*, vel *muliebri*, parum nutritæ, & tandem *aloës*, aut *myrrhæ* ſubtiliſſimè pulverizatæ addi poteſt.

Ozæna quid.

Ozæna eſt ulcus in naribus, odorem fœtidum exſpirans, ab acrium humorum illuvie prognatum: eſtque vel *recens* & *ſimplex*, vel *vetuſtum*, & *putridum*: quando ſcilicet ulcus ſimplex

Differentia.

negligitur, aut, propter cauſæ malitiam, & majorem acrimoniam, magis penetrat, ſordidumq; evadit.

Cauſæ.

Fit ab ictu, caſu, vulnere, defluxu ſalſæ & acris materiæ, anguſtiâ partis naſi ſuperioris, lue Venereâ, elephantiaſi &c.

Signa.

Signa ſunt, quòd materia putrida, cruſtoſa & fœtens, cum pauco ſanguine excernitur.

Prognoſis.

Ulcera recentia, & ab humore benigno, facilè; vetuſta verò, & maligna, vel difficulter, vel nunquam curantur.

Cura.

In *Cura* primò conveniens, & cauſæ reſiſtens, diæta ordinanda: ſecundò peccantium humorum fiat evacuatio per purgationes ſæpius iteratas, & per venæſectionem: tertiò topica convenientia applicentur: primas duas intentiones prudentis Medici judicio relinquimus. Ulcus itaque, poſt univerſalia remedia, *decocto hordei*, cum *melle* mixto, vel *ſucco betæ*, aut *bliti*, abſtergatur, ita tamen, ut cruſta priùs vel *oleo communi*, vel *butyro recenti*, emollita extrahatur, vel ſternutamento provocetur. Hiſce peractis, à multis ſumitur *ſuccus granator. acidor.* in æreo vaſe coctus, & *lanâ applicatur*; vel *malum granatorum* unà cum *corticibus* coquitur in *vino*, & eodem modo uſurpatur; vel per ſiphonem injicitur. Poſt ablutionem *pulv. roſar. rubr. inſuffletur*, vel ſequens:

Pulvis inſufflandus.

℞. *Aluminis uſti*,
myrrhæ,
gallar.
balauſt.
roſ. rubrar. ana ʒj. M. F. Pulvis; qui eodem modo inſuffletur per cannulam. Quòd ſi ulcus ſit Venereum & malignum, miſceatur aliquid præcipitati; quod malignitatem inſigniter tollit: vel *Mercur. ſublimatus* bulliat cum *aq. plantag.* & colaturâ ulcus frequenter abſtergatur: cavendo tamen multitudinem Mercurii in ulceribus profundis; quem aliquando vidimus vomitum ingentem, immo & mortem intuliſſe.

CAPUT XLVI.

De Ulceribus Oris, & Partium in eo contentarum: item de Linguæ, & Labiorum *ſciſſuris.*

Aphthæ quid.

Aphthæ ſunt ulcera, quæ ſummam oris partem occupant, ob Inſtrumentorum mollitiem orta.

Subjectum.

Subjecta horum ulcerum poſſunt eſſe lingva, gingivæ, uvula, tonſillæ, palatum, glandulæ.

Differentiæ.

Cauſæ.

Contingunt autem vel *pueris*; vel *adultis*: & *oriuntur* vel à prava humorum qualitate, ſuam originem ab alimentorum pravitate trahente, vel à medicamentis acribus: fiuntque vel *benignæ* vel *malignæ*, & depaſcentes: idque maximè in pueris lactentibus, ob lac vitiatum, vel nimis ſeroſum, acre, vel craſſum; vel etiam ob debilem ipſorum in ſtomacho concoctionem & ingluviem; vel etiam ob nutricum lue Venerea infectarum impuritatem: ob quam etiam, & ſcorbuticam diſpoſitionem, adultis quoque contingunt. Lactis mala conſtitutio in lactentibus cognoſcitur, ſi hoc ſupra ſpeculum, vel unguem ponatur: nam ſi veram non habet conſiſtentiam, eſt nimis fluidum: ſi verò iſtæ nutrices lue Venerea laborant, erunt in pueris plura circa podicem, aut circa inguina, ejuſmodi ulcera. A quonam humore proveniant, color & ſymptomata indicabunt.

Prognoſis.

In pueris, ſi non ſint malignæ, & ſuperficiem tantùm occupent, ſolis adſtringentibus & ſiccantibus facilè curantur: non item malignæ, profundæ, diuturnæ, duræ, nigricantes, cacoëthicæ, depaſcentes, & in adultis.

Cura.

In *Curatione* cauſa diligenter eſt côſideranda: ſi enim lactis vitio fiant; nutrix vel mutanda eſt, vel curanda: ſi ſit nimis acre, tenue, & ſeroſum; incraſſandum & temperandum eſt *juſculis endiviæ, portulacæ*, vel *ſem. melonum* alteratis; quibus etiam, ad magis incraſſandum, *meſſile cocta*, vel *lentes*, commiſcenda ſunt: eodem modo, ſi lac fuerit nimis craſſum, illud eſt attenuandum, & corpus leviter expurgandum;

Caſſia nutricibus prohibenda; quia Lac adimit.

dum: vitanda tamen ſemper eſt *caſſia*, quæ lac adimit, tum à proprietate, tum etiam eo, quòd menſes pellit: *Gargariſmus* itaque ſequens valebit:

Gargariſmus.

℞. *Aq. plantag.* ℥vj.
mell. roſat. colat.
diamor. ana ʒiß. M. F. Gargariſmus:
vel
℞. *Syr. de portulaca*,
mell. roſat. colat. ana ℥ij.

M. & petiolâ, bacilli cuſpidi involutâ, intinctâ aliquoties de die ungatur: ſi maligna quædam adſit acrimonia, *ſpiritus vitrioli* usq; ad aliqualem acorem commiſceatur, vel etiam aliqui i *aluminis uſti* addere potes; quod ſerpiginem corrigit, vel impedit; vel, ſi abſtergendum eſt, ſolo *melle*, cum *pulvere gallar.* mixto, &, ut ſupra dictum, admoto utendum eſt: ut verò puer expurgetur, nutrix per intervalla convenienti medicamento expurganda eſt, &, ſi lue Venerea laboret, percuranda.

Nota. Notandum: medicamenta localia, tam in adultis, quàm in pueris, debere eſſe fortiora: quòd ſi aphthæ inſignem malignitatem ac putredinem conſecutæ fuerint, vel degenerent in nomas, adhuc fortiora requirunt medicamenta, quin & aliquando (cautè tamen) *aquâ forti*, vel *ſpiritu vitrioli* tangi debent, vel etiam *pulvere Mercurii præcipitati* adſpergi, & poſtea *lacte chalybeato* ablui.

Fiſſura Linguæ. Labiorum. Eadem, quæ in aphthis, etiam in *Linguæ ſciſſuris* applicantur. *Labia* patiuntur *fiſſuras* vel à vento ſeptentrionali; vel à caſu, percuſſione, calore, vel frigore, partem condenſante, & repellendo rumpente; vel etiam fiunt à victu pravo, humoribus calidis, criſi &c. Mulieres hoc morbo laborantes ſiccam habent matricem, ideoque petulantes eſſe perhibentur.

Prognoſis. Cura. Factis itaque, ſi opus fuerit, univerſalibus præſidiis, ad Localia veniendum eſt, & præcipuè hoc, nobis probatiſſimum, applicandum:

Topica. Linimentum.

℞. *Ung. pomad.* ℥j.
ceræ rubræ ſigillaris & *mollis* ℥ß.
Liqueſcant ſimul ad ignem, addendo, ſub finem,
pulv. roſar. rubr. ʒß.
M. F. Linimentum: vel adhibeatur ſola *mucilago ſeminis cidoniorum*, & *tragacanthi*, cum *aqua plantaginis* extracta.

Caput XLVIII.

De Aurium, Axillarum, Inguinum, Pectoris, Abdominis, & Penis Ulceribus: item de Caruncula.

Aurium ulcera vel *apparent*; vel *non*; vel ſunt *ſordida*; vel *non*: orta à *cauſis externis*, vel *internis*, utpote humoribus, ad aurium tortuoſitatem, vel poſt criſin, vel poſt capitis contuſionem, vel abſceſſum, tranſmiſſis, ibidemque corroſionem cauſantibus. *Ulcera aurium: Cauſæ & Differentiæ*

Cognoſcuntur ab exitu materiæ purulentæ: quæ vel eſt laudabilis, & ſic ulcera ſunt benigna: vel acris, mordax, & fœtida, cum dolore ingenti, & aliis gravioribus ſymptomatibus, & ſic ſunt maligna & ſordida, adeoque difficilis curationis. In eorum *Curatione* primò diæta conveniens, & moderatè ſiccans, præſcribenda eſt: ſecundò materia evacuanda, derivanda, & revellenda: tertiò ulcus per topica exſiccandum eſt. Ultimum ergo ut conſequamur, ulcus primò abſtergendum eſt vel ſolo *hydromelite*, tepidè per ſiphonem injecto, vel *urinâ pueri ſani*, vel etiam *oxymelite ſimplici*, vel *ſucco mercurialis*: deinde ſequens *Unguentum*, linamentis ſeu turundis illitum, intrudatur: *Signa. Cura.*

Unguentum.

℞. *Terebinth. laricea*,
ſarcocollæ, ana ʒiij.
ol. amygd. amar.
flor. camomill. an. ʒiß. M. F. Liniment.

vel, loco iſtius, applica *unguent. baſilicum minus*, cum *oleo roſaceo* diſſolutum; quod etiam, in cochleari liquefactum, inſtillari poteſt: ſi magnus adfuerit dolor, *ol. amygd. dulc.* vel *ol. ovorum*, cum pauco *croco*, inſtilletur. Quòd ſi omnimoda facta fuerit deterſio, conglutinantia, uti eſt *myrrha*, *aloë*, *ſarcocolla*, *thus*, bulliant, & diſſoluta cum *vino* injiciantur calida.

Eorum cura. Ulcera *Thoracis* ſi non fuerint penetrantia, nihil peculiare habent ab aliis; ſi verò penetrent, pericul. ſa ſunt, & facilè

ciliè in fiſtulas, pure ſcilicet detento, degenerant; uti vidimus in Noſocomio Patavino: ea verò, quæ per dorſum in thoracem penetrant, pejora ſunt, ob nervorum multitudinem, & ſpinalis medullæ viciniam.

Curatio: Primò itaque, ſi in thoracis ulcere orificium ſit nimis anguſtum, illud illicò vel turundis, ex *radice gentianæ* factis, vel inciſione, dilatandum eſt, ut puri detur exitus; deinde *hydromel* ſine *ſpeciebus* injiciatur, vel in eo decoquatur *radix ireos, ariſtoloch. rotund. roſa rubr. centaur. min. hyperiton, thus, & myrrha* &c. in ipſum ulcus turunda *unguento digeſtivo* illita immittatur. Factâ abſterſione, injiciantur ea, quæ magis ſunt adſtringentia & ſarcotica: ut ſunt *flores balauſtiorum, thus, myrrha, roſ. rub. rad. conſolid. maj.* quæ in *vino* coqui debent. *Decoctum vulnerarium* interea, pectoralibus commixtum, ad ℥v. indies bis ſumatur: vel, loco iſtius, propinetur *aqua plantaginis*, vel *aqua agrimoniæ*, vel *aq. conſolidæ maj.* cum *ſyr. de althæa*, vel *myrtino*, vel cum *melle roſaceo*: quæ tamen potiones pectorales non in principio, ſed tantùm tempore ſuppurationis, ſunt adhibendæ. Quòd ſi frequenter per os rejiciatur ſanguis, maſticentur *rotula diatragacanth.* cum *bolo*.

Decoctum vulnerarium aliud vide in c. de ſputo ſanguinis, in Praxi noſtra.

Abdominis penetrantia. Si ulcera *Abdominis penetrent*, etiam periculo non vacant: cognoſcuntur autem ex hoc, quòd, ſi per ſiphonem aliquid *aquæ tepidæ* injeceris, & illa regurgitet, obſtat peritonæum, adeoque ulcera non penetrant: ſi verò tranſierit aqua, eſt malum ſignum: eôdem modo ſtylo, vel candelâ, exploramus ulcerum profunditatem & divaricationem. Abdominis ulcera, eò, quòd ſint in parte molli, & excrementis ſcatente, plerunque in fiſtulas degenerant: quæ cùm non poſſint ad ſui curam dilatari, ob alia exitus *ſymptomata* tantùm *curâ Palliativa* debent tractari: aliàs conveniunt cum *Ulceribus Thoracis*.

Signa non Penetrantium. Penetrantiū. Prognoſis.

Penis: Cauſæ Quotuplicia. Ulcera *Penis* ab iiſdem *cauſis* fiunt, quibus reliqua: ſuntque *excoriata*, vel *corroſiva*, ac virulenta; vel *recentia*, vel *antiqua*, *putrida*, *cavernoſa*, *maligna*, vel *non*. *Maligna.* Ulcera *maligna*, ſeu Venerea, proveniunt ab impuro concubitu, ſeu ex ſpermatica materia corrupta, & retentâ inter glandem & præputium, ibidemque erodente, & exulcerante. Undenam affectus proveniat, ex Ægri relatione; utrum à præcedenti morbo, per criſin illùc à naturâ protuſi humores ulcus efficiant: an verò ex impuro concubitu proveniat; eodem ſyncerè referente patebit. *Prognoſis.* Qualiacunque ſint in mentulâ ulcera, difficilis ſunt curationis; tum ob partis ſenſibilitatem & ſubtilitatem; tum ob mollitiem; tum ob ſitum; tum ob recipiendorum & applicandorum remediorum difficultatem. *Cura.* *Cura* perficitur diætâ, evacuationibus, accidentium correctione, & locali applicatione. Tria prima *ex præcedentibus* ſupponimus: pars itaque ulcerata primò ſtatim abluatur *vino rubro calido*, vel *aqua aluminoſa*; deindè apponatur *ung. album Rhazis*; deinde, ad magis exſiccandum, *pulvis chartæ uſtæ* inſpergatur, vel *pulvis aloës & corticis pini*, vel *aqua vulneraria* linteolis eâ imbutis applicetur: ſi verò fortioribus opus ſit, & ulcera ſint cuniculoſa, calloſa, ſordida, abluantur *lixivio* cum *melle* mixto; deinde parum *Mercurii præcipitati* inſpergatur: is totum, quod putridum eſt, conſumit: miſcetur autem cum *butyro recenti*, vel *pinguedine anatis*, atque ita inungitur, vel petiolis affricatur, & apponitur. Baro quidam Viennenſis præputium ulceratum frequenter in *decoctum*, vel *lixivium calcis* immergebat; eoque abſtergente curabatur. *Liquor calcis.* Poſtquam Mercurius aliquoties fuerit applicatus, pars foveatur *decocto malvæ, alth. ſem. lini*, ut illud, quod à Mercurio aduſtum fuit, ſeparetur & decidat. Hoc decoctum etiam in magnis doloribus, & tumoribus, ſalubriter uſurpatur: loco iſtius, *Aqua* ſequens nobis ſæpe probata fuit: ut:

Aqua Mercuriata.

℞. *Lapid. medicament. Crollii* ℥ß.
Mercurii rubri ʒiß.
vini albi ℔ß.

M. bulliant ſimul; dein fiat colatura, quæ intinctis in eam plumaceolis ulceri applicatur. Si hæc in malignis iſtis ulceribus non ſufficiant, ad integram *Curam* deveniendum: de qua vide *caput de lue Venerea*.

Canalis urinalis. Cura. Injectiones. Si verò ulcera ſint *in urinæ canali*, tota *cura Injectionibus* perficienda eſt: ut:

Digitized by Google

℞. *Aq. plantag.*
roſar. ana ℥iij.
In quibus diſſolve
tutiæ præparat.
lapid. medicament. Crollii,
ſacchar. candi albi,
argenti ſpumæ, ana ʒj.
camphor. gr. x.
alum. ℈j. Miſce, & injice.

Anodyn. Pro *leniendo dolore lac tepidum* eſt injiciendum; cui etiam *trochiſci albi Rhaſis* addi poterunt: præcedens injectio continuanda eſt, & tandem cicatriſandum:

℞. *Decocti plantaginis* ℥iiij.
cinerum corii uſti ʒj.
trochiſcor. alb. Rhaſ.
equiſeti ana ʒiß.
M. pro Injectione.

Caruncula quid. *Caruncula* eſt quædam excreſcentia carnea, aliquando calloſa, quæ in collo veſicæ, vel in meatu urinario, vel poſt vulnus, utpote poſt lithotomiam, vel poſt ulcus aliquod, vel benignum, vel Venereum, relinquitur. Signa. *Cognoſcitur* ex urinæ difficultate, aliquando omnimodâ obſtructione; vel ex hoc, quod tortuosè, & quandoque bifurcatim, illa reddatur: ſpecilli tamen, vel candelæ beneficio meliùs cognoſcitur, ex reſiſtentia, quæ invenitur in tranſitu. Caruncula difficulter curatur, tum ob loci affecti profundum ſitum, tum ob partis ſenſibilitatem; quæ acria, & corrodentia, absque inflammatione difficulter admittit. Cura per Catheterem. Si omnimoda ſit urinæ obſtructio, *Catheter* cannulatus, ſive cum ductu, vi introducendus, & tamdiu retinendus, donec urina tota ex veſica effluxerit; immo etiam, niſi adſit intolerabilis dolor, totâ die relinquendus eſt: poſtquam eductus fuerit catheter, candela cerea, cum pauca *terebinthina* facta, intrudatur: tunc tandem extracta locum carunculæ, per aliquam depreſſionem, vel decolorationem, indicabit; qui candelæ locus parum abradendus eſt, & Antimonium. *antimon. crudi* pulvere adſpergendus, iterúmque intrudenda candela; dein, poſt octo horas, iterum extrahenda, & pulvis denuò applicandus, atque ita iterandum usque ad omnimodam carunculæ conſumptionem; loco pulveris iſtius etiam *pulverem Præcipitati rubri* ſubſtituere poſſumus. Mercurium præcipitati rubrum. Advertendum tamen eſt, ne dolor nimius excitetur: quod ſi contigerit, fiat injectio ex *lacte tepido*. Vide in Paræo *empl. DD. Monſpelien.* item modum medendi, linteola applicando: Fomentationes & hypoſthmata. extrinſecè verò fiant *fomentationes ex decoct. malv. altheæ, parietar. ſem. lini, flor. camomill. hyperícon,* &c. quod *decoctum* etiam injici poteſt; vel ex iisdem *cataplaſma* cum *lacte* confici. Aliqui loco prædictorum pulverum ſubſtituunt *alumen uſtum*, vel *pulv. ſabinæ, & viride æris*, vel *pulv. rad. aſphodel.* vel *aq. mercurialem.*

Nota: mitiora à principio ſemper eſſe uſurpanda; quibus non juvantibus, ad fortiora progrediendum eſt: dum, & antequam hæc fiant, optima ſemper ſervanda eſt diæta, corpus expurgandum, & ſi ſuſpicio ſit luis Venereæ, huic convenientia medicamenta ſunt opponenda: ſi verò ad corroſiva ſuccederet hæmorrhagia; adſtringentia ſtatim forent injicienda. ut eſt *aq. plantag. roſar. equiſeti,* cum *trochiſcis albis Rhaſis, de bolo* &c.

Caput XLIX.

De Ulceribus Uteri: item de Rhagadibus Ejusdem; & Ani: item de Hæmorrhoidibus.

Ulcerum uteri differentia. Ulcera *uteri* vel ſunt *in cervice* ejus, ſeu *vagina*; vel in ipſius *uteri fundo*: ſuntque vel *corroſiva*, vel *virulenta*, vel *cavernoſa*, vel *fiſtula*, vel *cancroſa*, & ſuper nato abſceſſu orta; recentia, vel antiqua &c. Unde. Proveniunt ab omnibus illis, quæ ſolutionem continui, mediante corroſione, faciunt: inter quæ locum & frequentiſſimum, & præcipuum ſæpe habet lues Venerea. Signa in vagina. *Signa vaginæ* affectæ certiſſima per ſpeculum uteri habentur: nam ulcera ad oculum patent: ſi Collo. uteri *collum* affectum fuerit, vel digito, vel peſſario, explorari poteſt: nam ſi uno horum attingatur, pungens ſentitur dolor; Uteri fundo. ſi verò ulcus ſit in *uteri fundo*, dolor eſt infra umbilicum, & ſatis profundus;

fundus; effluitque materia fœtida & ſanioſa; item plerunque ſyncipit dolet Ægrotanti, ſentiunturque in cruce punctiones. *Sordidum.* Si ulcus fuerit *ſordidum*, ſanies fœtida & carioſa majori cum dolore effluit; irritatur purgantibus medicamentis: *Cum inflammatione.* ſi *inflammatio* adſit, ſanies eſt in minori copia, & magis cruenta: *à Bile.* ſi ſit à *bile*, acerbiſſimus adeſt dolor: *ſalſa Pituita.* ſi à *ſalſa pituita*, pruritus: *Cancroſum.* ſi ulcus ſit *cancroſum*, excreta ſunt inſtar fæcis vini: *ab Excoriationibus.* ſi verò ea, quæ *excunt*, ſint viridia, vel nigra, ulcus adeſt cacoethe corroſivum, vel fiſtuloſum: *à morbo Gallico.* ſi ſit à *morbo Gallico*, adſunt præterea in corpore ſigna quædam, ut puſtulæ, dolor membrorum nocturnus, &c. *Prognoſis.* Uteri ulcera ſunt periculoſa, eò, quòd facilè degenerent in carcinoma. *Cura.* In *Cura* horum ulcerum primò diæta obſervanda eſt: ſecundò humores evacuandi: tertiò topica ſunt adminiſtranda: quartò accidentibus occurrendum. Ex iis reliqua ſupponentes, convenientia tantùm *Localia* adminiſtrabimus. *Topica.* Itaque ſi ulcus ſit *ſordidum*, abſtergendum *hydromelite tepido*, vel *aquâ marinâ*, vel *aluminoſâ*, vel *decocto ariſtolochiæ*, & *rad. ireos*: *Sordida.* ſi ulcera *non* fuerint *profunda*, non erit opus metrenchytâ, ſed ſufficient peſſaria, & turundæ, abſtergentibus medicamentis imbutæ: *non Profunda.* ſi ulcus *depaſcens* fuerit, convenient refrigerantia, & parum adſtringentia, ut ſunt *decoctum roſar. rubr. balauſt. ſumach*; *nucum cupreſſ.* in *vino rubro*. *Depaſcentia.* Intereà purgationis, & omnium ſymptomatum, ut ſiccitatis, & duritiei, calidæ vel frigidæ intemperiei, cura diligens eſt habenda.

Rhagades, ſeu Fiſſuræ, Uteri & Ani. *Uteri, & ani, Rhagades* ſunt rimæ, ſeu fiſſuræ, vel ulcuſcula oblonga: aliquando profunda, aliquando ſuperficialia; *Differentiæ:* aliquando calloſa & dura, aliquando mollia & humida; aliquando lata, aliquando anguſta; *Cauſa.* vel à violento coitu, vel à laborioſo partu, vel ab acrium humorum affluxu, vel à ſiccitate, vel à frigiditate, vel à fæcum duritie in ano orta. *Cura.* *Curantur* ſat difficulter, præcipuè in utero: nam accedente quavis violentiâ, ſemper recrudeſcunt. Perficitur autem cura primò diætâ: in qua vitari debent omnia acria, ſalſa, aut aſpera, aromata &c. ſecundò humores peccantes per medicamenta purgantia, vel per phlebotomiam, ſunt evacuandi: tertiò ad *Localia* deveniendum, quæ abſque ullâ irritatione uniunt & adſtringunt: *Topica.* ſi ſunt in uteri profundo, *Injectiones.*

℞. *Aq. roſar.*
plantag.
rub. Idæi, ana ℥iiij.
in quibus diſſolve
mell. roſat. colat. ℥ij.
pulv. boli Armen.
ſang. Draconis,
myrrh.
thuris,
ariſtoloch. rotunda, ana ℈j.

M. & injice tepidè. Si magnus adſit pruritus & ſiccitas, injiciatur *lac tepidum*, & *decoctum malvæ*, vel *althææ*, cum *ſem. lini* factum: vel *cremor hordei*, & *mucilag. tragacanth. ſem. malvæ*, *aq. ejuſdem extracta*, tepidè injiciatur. Hæc etiam ad leniendos dolores conveniunt; quibus & in magna ſiccitate *ol. lilior. alber.* addi poteſt. Pro *Rimis ani* vide *Linimentum* in *Labiorum rimis* ordinatum: quòd ſi rhagades fuerint *calloſæ*, *Rhagades calloſæ.*

℞. *Cinerem chartæ combuſtæ* q. ſ. *Unguentum.*

M. cum ſ. q. *ol. roſar.* F. Ung. & applica: ſi hiſce labia calloſa non cedant, erunt abſcindenda, & vulnus more aliorum implendum, cicatricandumque.

Hæmorrhoides. Licet *Hæmorrhoidum* cura potius ad tumores referri debere videatur; cùm tamen ſæpius ulceratæ ſint, & in earum partium affectibus verſemur; de iis pauca tractabimus. *Sunt Duplices externæ: & internæ.* Hæmorrhoides ſunt vel *externæ*, vel *internæ*: illæ, ſecundum Andream Laurentium, ſunt plethoræ; hæ cacochymiæ depletrices: illæ ſunt venæ cavæ; hæ venæ portæ propagines. *Differentiæ.* Hæmorrhoides aliæ ſunt *apertæ*; aliæ *cæcæ*, ſed tantùm tumidæ: aliæ *periodicæ*; aliæ *erraticæ*, ſeu quæ certum tempus non ſervant: aliæ ſunt *criticæ*; aliæ *non*; aliæ *verrucales*; aliæ *uveæ*; aliæ *morales*; aliæ *veſicales*; prout verrucam, vel uvam, vel morum, vel veſicam, referunt: aliæ *malignæ & dolorificæ*; aliæ *non*. *Cauſæ.* *Cauſæ* aliæ ſunt externarum; utpote plethora: aliæ internarum; ut humores melancholici, phlegmata, flatûs &c. cauſant item hæmorrhoides medicamenta; utpote *colocynthis*, *ſcammon. aloë* &c. Co-

gnoſcun-

Digitized by Google

Signa. *gnoſcantur* autem vel ipſo intuitu; vel, ſi internæ ſint, dolore, qui in excretione ſentitur &c. *Prognoſis.* Hæmorrhoides, quæ tempeſtivè fiunt, à multis morbis præſervant: quæ verò nimium fluunt, hydropem, apoplexiam, & ſummas corporis debilitates afferunt: ſi item conſtipatæ fuerint, hydropem, phthiſin, elephantiaſin, ſcirrhos, cancrum, faciei ruborem, dorſi colli, & faucium (experto mihi crede Roberto) capitisq; dolorem, ac mille alia invehũt ſymptomata: adeóque non levia ex his oriuntur pericula. *Cura.* *Cura* alia eſt *cœcarum*; alia *apertarum*: nam *cœcæ* tenui & laxativâ diætâ, & venæſectione curantur, vel apertione per hirudines, factis ſemper priùs aliis univerſalibus, ne plus attrahatur ad partem affectam, quàm evacuatur. Alii, ut eas aperiant, aſperis linteis fricant, vel etiam *foliis fici arboris*, vel *parietaria*, vel *mercurialis*, vel *ſtercore columbino*, vel *felle bovino*, vel *capis contuſis*. *Dolor: Anodyna.* Ad ſummum *dolorem* leniendum, præſentiſſimum ſequens remedium, & planè Divinum, ſæpius experti ſumus; *Cataplaſma ad dolorem hæmorrhoidum probatiſſimum.* Coquuntur cum *lacte porra* ad putrilaginem: deinde additur *mica panis triticei*, ultimò tandé, ne evaporet, bona quantitas *croci*, ad intenſam flavedinem: fitque Cataplaſma, quod in linteis applicatur: *Unguenta varia.* alii utuntur *ung. de linaria*; quod tamen alterius perfectionem minimè attingit: alii tantùm *butyro recenti* utuntur; alii *unguento populeo*; alii *ung. refrig. Galeni*, vel fomentis ex herbis emollientibus; alii *ung. Comitiſſæ*, quod potenter adſtringit. Dum dolor remiſit, factæque ſunt revulſiones, ad earum per *Hirudines* *Hirudines.* aperturam tutò devenitur, & tutiùs cucurbitulæ parvæ *Modus applicandi.* impoſitæ applicantur: nam dum digito tenentur, evadere conantur, & ſic facilè, cum magno Patientum timore, in inteſtinum rectum irrepunt: *Quid faciendum hirudinibus in anum repsis.* quod ſi factum fuerit, illico *aqua tepida* multum ſalſa injiciatur, & ſine ullo periculo exibunt: nocere enim vix poſſunt: nam ſtatim, ut ſæpe mihi ipſi videre contigit, ſuffocantur: antequam applicentur hirudines, aliquamdiu extra aquam jejunare, & ſic depurari debent: per applicationem inſideat Patiens aquæ calidæ, vel applicentur ſæpius ſpongiæ calidæ, ut venulæ apertæ teneantur; nam ſolâ aquâ vel aëre frigido occluduntur: quæ ſi ſat diu fluxerint, applicetur parum *lintei combuſti*, vel *crepitûs lupi*; vel miſce parum *aq.* & *aceti* ſimul, in quibus diſſolve aliquid *nitri*, & cum petiola applica: ſtatim enim ſiſtitur ſanguis. *à Flatibus.* Quòd ſi dolor adſit à flatibus, eas partes diſtendentibus, medicamenta *carminativa*, *Carminativa.* & paulò calidiora applicentur: uti eſt *ol. camomill. laurin. fomenta ex ſem. carmin. ativis*, & herbis calidioribus. Si pendulæ hæmorrhoides etiam *ani procidentiam* provocent, *Ani procidentia.* applicetur *pulvis cochl. oſtreor. calcinat.* goſſipio molli exceptus; vel etiam *pulv. rhab. vino nigro* diſſolutus; vel *Theriaca* cum *vino* diſſoluta: ſi verò *ſanguis* ex hæmorrhoidibus *nimium fluat*, *Hæmorrhagia nimia.* fiat revulſio per venæſectionem, vel cucurbitulas; deinde Topica venas adſtringentia applicentur: ut:

Topica Adſtringentia.

℞. *Pulv. boli Armen.*
terræ ſigill.
ſang. draconis, ana ℥iß.
pulv. cidon. ℔ß.
ſem. plantag contuſi,
balauſt. ana ℥j.

Pulveriſanda pulveriſentur, & cum ſ. q. *aq. fabror.* fiat Cataplaſma, quod applicetur: *Cataplaſma.* *oryza*, & *lentes*, utpote ſanguinem incraſſantia, eſitentur, *ſyr. de portulaca*, *de ſucco cidon. de endivia*, &c. præſcribatur: hepati refrigerantia applicentur, vel etiam cucurbitula ipſi admoveatur, quæ ſanguinem cogit retrocedere; vel etiam pulveres adſtringentes ex ſuperiori cataplaſmate inſpergantur. Hæmorrhoidum ligatura, & abſciſſio, non ſunt ampliùs in uſu. Si *ulcerata* ſunt, ea *Ulcerata.* more reliquorum ulcerum, uti crurum, femorum, pedum, &c. curentur. Vide plura *cap. 4.*

Caput L.

De Fracturis in Genere, & in Particulari.

Fractura. F*Ractura* eſt ſolutio continui, in oſſe facta: vel, ut inciſio non includatur: eſt continui in oſſe ſolutio, abſque inciſione, violenter extrinſecus à re rumpente, vel contundente, facta.

Digitized by Google

Differentia. Fractura alia eſt *longa*, ſeu *recta*, alia *transverſa*: alia *obliqua*; *ſimplex* vel *compoſita*: *ſimplex* fractura eſt illa, quando ſola oſſis continuitas ſolvitur; *Simplex:* *compoſita* verò, quando in duobus oſſibus ſibi invicem annexis fit, vel quando ſimul adeſt ſubſtantiæ deperditio, vel inflammatio, vel convulſio, punctura, aliaque ſymptomata graviora. *Compoſita.* Si totum os frangitur, vocatur Fractura *Completa*; ſi una tantùm pars frangitur, dicitur *Incompleta*. *Completa.* *Incompleta.* Aliæ differentiæ ſunt à *magnitudine*, aut figura; aliæ ab ipſa *parte affecta*, ut humero, femore.

Cauſa. *Cauſæ* ſunt omnia, quæ vim habent contundendi, diſtorquendi, rumpendi, dividendi &c.

Signa. *Signa* inde petuntur, ſi membrum affectum cum altero comparetur, vel conferatur: hinc enim apparet ipſius inæqualitas, v. g. vel aſperitas, vel lævitas, vel fovea, ubi eſſe non deberet: præterea fractura etiam exploratur, dum crepitus & fragor in loco affecto, ob mutuam oſſium colliſioné, auditur: deinde, cùm tangitur, pungit, adeſtq; dolor acris, ob perioſtii puncturam: adſunt deinde calor febrilis &c. ſi coſta ſit fracta, apparet depreſſio, adeſt tuſſis ſicca, &c.

Prognoſtica. *Prognoſin* quod attinet, fractura in pueris faciliùs curatur quàm in adultis; item ſimplex, quàm compoſita; in ſanguineis & humidis, quàm bilioſis & ſiccis. Fractura quantò propinquior eſt capiti, tantò eſt periculoſior; item ea, quæ adeſt articulis, quàm quæ eſt remota ab illis; item quò plura adſunt fragmenta, & obliqua, quàm transverſa, ſemper eſt pejor: denique, in *coſta fractura*, quando oſſa verſus interiora vergunt, & plevram vulnerant, maximum adeſt periculum. *Fractura Coſtæ.* Si itaque hic caſus acciderit, curari debet eodem modo, quoad venæſectionem & univerſalia remedia, uti Plevritis: deinde *Topicis* agendum eſt: *lana* nempe *ſuccida*, *oleo roſar. intincta*, ſupra partem ponatur, & pars laxè vinciatur, ut aër attractus faciliùs dilatare, & ad exteriora propellere poſſit; quod vehementi inſpiratione non parum procuratur: *Topica.* ſi intolerabilis adſit *Dolor*, inciſio cutis facienda eſt usq; ad fractam coſtam, & fragmenta paulatim extrahenda ſunt: *Dolor urgens.* deinde vulnus ritè unire, & ſanare oportet; ſi tantùm caro circa coſtas ſit detrita, ut inflammatio avertatur, venæſectio inſtituatur, & *ceratum ex oleo roſaceo*, & *cera*, pro refrigeratione applicetur, & ligatura ſatis laxa ſit. In *aliis oſſium fracturis*, ſi oſſa ſint tenella, extenſio ab uno, utraque manu facta, ſufficiet; ſi verò fuerint dura, non tantùm à duobus viris, ſed etiam faſciis, circa articulos alligatis, trahi, &, ut reparentur, extendi oportet: quæ tamen extenſio primis ſtatim diebus fieri debet: nam tertio, aut quarto, dum adeſt inflammatio, fieri eam minimè licet, ſed nonus exſpectandus eſt: primoque inflammatio removenda revulſione per venæſectionem, aut cucurbitulas. *aliorum Oſſium.* *Quando facienda ſit membri fracti extenſio ad repoſitionem.* *Signa* oſſis repoſiti ſunt: quando dolor eſt ſublatus, & contra ſentitur ab ipſo Patiente quædam quaſi voluptas (non ſecus ac à puerpera, quæ recens peperit) quando membrum eſt alteri æquale, nulla adeſt aſperitas aut fovea, &c. *Signa repoſiti oſſis.* tali in ſtatu membra ſunt continenda, & bene deliganda, ut callus regenerari poſſit: ſuperponitur autem emplaſtrum aliquo modo refrigerans, & adſtringens: quale eſt *ad Fracturas rubeum*: quod tamdiu relinquendum non eſt, donec pruritum & dolorem excitet: quod ſi advertatur, tertio die fiat ſolutio: ſi minùs, relinqui poteſt ad quintum, ſextum, aut ſeptimum diem, ſed aut trib9 Galeni faſciis, cum ſtramineis ſplenlis, aut ferulis ligneis, aliquantulum cavis vinculis, & lanâ bene munitis. *Emplaſtrum magiſtrale.* Quoties autem ſolvitur membrum, toties calidâ aquâ foveatur usque ad rubiginem: dein iterum ſuperpoſito *emplaſtro ad fracturas*, vel *diachalciteos*, cum *bolo* & *ſanguine Dracon.* mixto, fiat ligatura ſatis ſtricta, citra ullum tamen dolorem: nam per nimiam adſtrictionem fit dolor, & partis atrophia. Victus ſit parcus, à vino & carnibus abſtineatur, præcipuè ab initio. Dum *Callus* incipit fieri, augeatur præcipuè iis, quæ faciunt ad *callum generandum*: ut ſunt *oriza*; *hordeacea*, *extremitatum animalium gelatina*: membrum ſit quietum, & ſatis elatum, ne humores copioſiùs illuc decumbant. *Callum generantia.* Callus plerunque 40. die debet eſſe confectus, niſi *obſtiterit* inflammatio, dolor, fortis ligatura, ſquamma *Quando fiat.*

aliqua

aliqua ab oſſe ſecreta, quæ priùs, inciſâ
etiam cute, extrahenda eſt; complica-
tio item quævis calli generationem im-
pedit: item aër frigidus oſſibus denuda-
tis plurimum nocet, dum fit callus. Cri-
ticis diebus plerunque ſanguis per po-
Signa. ros exſudat. *Signa* calli vide apud Hol-
lerium, *3. de materia chirurgica.*

Spina Dorſi. Fracturam patitur *Spina Dorſi*, cor-
poris carina, & quaſi omnium mem-
brorum radix, vel in colli, vel dorſi, vel
Signa. lumborum, vel oſſis ſacri vertebris:
quod patet ex cavitate in aliqua harum
regionum exiſtente; deinde punctu-
Prognoſis. râ: quòd ſi vertebrarum proceſſus fracti
ſint, digitis deteguntur, ob mobilitatem.
Fractura ſpinæ dorſalis eſt periculoſa,
ob nervos qui læſi convulſionem, vel pa-
Cura. ralyſin afferunt. Curam quod attinet,
Oſſis particula extrahen- inſtitutâ ritè diætâ; ſi aliqua *oſſis parti-*
da. *cula* adſit, hæc, cute inciſâ, *extrahenda*
eſt: ſin renuat Æger, *dolor*, & ſympto-
mata ſunt lenienda ſequenti:
Anodynum. ℞. *Ol. roſarum* q. ſ. in hoc diſſolve tria
vel quatuor *ovorum vitella*, & applica.
Si exciſio celebrata fuerit, vulnus ordi-
nario modo curandum eſt.

Oſſis ſacri. Si fractura ſit in *Oſſe ſacro*, immiſſo
in podicem digito, procuretur repoſi-
Maxill. tio: ſi in *Maxilla*; digito in os immiſſo
reponatur; deinde duo vel tres dentes
filo ſericeo ligentur.

Crurum fiſſura. De *Crurum* fracturis rectis, ſeu *fiſſuris*,
quas Germani vocant Klagbruch / vide
Felicis Wurtz *Tract. Chirurg. Coxendicis*,
Coxendicis, Humeri. & *Humeri* fracturæ doctâ Chirurgi ma-
nu adaptari & reponi debent: in hume-
rò extenſione priùs factâ, ut oſſa con-
fracta & complicata ad conniventiam
inducantur. Plura *de Extenſionibus* vi-
debimus in materia de *Luxationibus*: &,
cùm particularis fracturarum cura ex
univerſali poſſit deſumi, illûc Lecto-
rem remittimus.

Caput LI.

De Luxationibus in Communi.

Luxatio quid. Luxatio eſt capitis articuli è pro-
pria ſede, ſive proprio ſinu, in alie-
nam inſolitam ſedem prolapſus
Ejus (addit bene Vigerius: cum motûs vo-
Differentiæ. luntarii læſione). *Differentiæ* ſunt ſe-
cundum magis & minus. Si enim caput
articuli non omnino exciderit; vocatur
imperfecta luxatio, ſeu *Subluxatio*: alia eſt
luxatio *ſimplex*; alia *complicata*; quæ
ſcilicet alios affectus ſibi habet adjun-
ctos, ut fractura inflammationem &c.
luxatio item alia eſt *anterior*; alia *poſte-*
rior: item alia eſt *parva*, alia *magna* &c.
Cauſa luxationum aliæ ſunt *internæ*; aliæ *Cauſa.*
externæ: aliæ *hæreditariæ*. *Interna* ſunt *Interna.*
humores excrementitii, & flatûs: nam
humores ligamenta ita humectant &
& reſolvunt, ut articulos continere non
poſſint; flatus autem ita diſtendunt, ut
oſſa conjuncta divellant: uti ſæpe in
paſſione arthritica, & iſchiadicâ appa-
ret: *externæ* cauſæ caſus, ictus &c. *Hæ-* *Externa.*
reditariæ ſunt, quæ, licet non neceſſariò *Hæreditaria.*
fiant; ſæpe tamen contingit, ut gibbo-
ſi à gibboſis, luxati à luxatis generentur.
Membri luxati *ſigna* inde deſumuntur; *Signa.*
quòd, factâ cû parte ſanâ comparatio-
ne, nulla adſit proportio: deinde ab a-
ctione læsâ, & motus difficultate: tertiò
à cavitate circa articulum apparente.
Caput ſi luxetur, cita mors adeſt, ob to- *Prognoſis.*
talem ſpinalis medullæ compreſſioné:
ſimile eſt de ſpinali medullâ, & maxilla
utraque, prognoſticum: quo major &
longior eſt luxatio, eò curatu eſt diffi-
cilior: quò faciliùs membrum aliquod
dislocatur, ut digitus & cubitus; eò fa-
ciliùs ſemper reponitur: quò homines
ſunt pingviores, humidiores, & magis
cacochymici, eò luxationes ſunt diffi-
ciliores: item ſi in luxatione ligamenta
fuerint plurimùm elongata, vel diſru-
pta, aut in effæminatis, vel raram, vel
nullam, admittunt curationem: item
inveteratæ luxationes, poſtquam oſſis
acetabulum mucoſo humore, & ali-
quando planè indurato, repletum fue-
rit, difficillimæ ſunt curationis: ſi os fe-
moris intrò luxatum fuerit, pes atro-
phiâ tabeſcit, ob nervos, & motum in-
terceptum: item ſi magnum vulnus
adſit, cum fracturâ, eò, quòd extenſio
ſine omnimoda vaſorum ruptura fieri
non poſſit, luxatio curari, ſine magnâ
convulſionis, & maximorum ſympto-
matum, periculo non poteſt: hinc clau-
dicationem potiùs, ſine extenſione,
quàm mortem, cum eâ, eligendam eſ-
ſe cènſemus: nec tempore magnæ in-
flammationis tentanda eſt repoſitio, ob
graviſſima, quæ ſuperveniunt, acciden-
tia. In *Cura* luxationum *quinq. ſcopi* ſunt *Cura.*
adimplendi: 1. *tenendo*: 2. *trahendo*, ſeu *Ejus ſcopi 5.*
extendendo: 3. *impellendo*: 4. *in debita fi-*

gura & ſitu collocando : 5. ſymptomata ſupervenientia corrigendo. Ad primum ſcopum quod attinet, quem *Tenendo* aſſequimur, ille fit vel in *toto corpore*, vel in *parte*: *totum* corpus valido miniſtri amplexu firmandú, ubi humerus, aut vertebræ, aut femur luxatum eſt: ſi verò *pars* aliqua ſit reponenda, utpote cubitus, manus, genu, pes, aut crus, partem manutenere ſufficit. Firmandum ergo eſt corpus, aut membrum, fixiſſimè, ne trahentem, nec extendentem ſequatur. *Obfirmatio.*

2. *Tractio.* Secundus ſcopus perficitur Trahendo, ſeu *extendendo* variè, pro vario muſculorum, oſſium, aut ligamentorum robore, & in hanc, aut illam partem luxatione. Quòd ſi ad hoc opera manûs non ſufficiat, organa, & machinæ, à Galeno, aliisq; Artis Chirurgicæ peritis, ſuſiſſimè depictæ in uſum ſunt revocandæ: nec magis extendendum eſt membrú, niſi quantum os è directo ſui loci naturalis retractum fuerit.

3. *Impulſio.* Hoc ubi conſecutus fueris, tertius ſcopus ſequitur, nempe oſſis dislocati caput in ſuam foveam modeſtè impellendo. *Signa* autem repoſiti oſſis ſunt ſtrepitus quidam, ſeu ſonus, qui editur; deinde conveniens figura, magnitudo, & doloris remiſſio. *Signa repoſitionis.*

4. *Collocatio.* Hoc facto, quartus adimpletur ſcopus, ſi os, poſtquam repoſitum eſt, *in ſuo ſinu contineatur*, ne ampliùs reſiliat: ad hoc ligaturæ artificioſæ, cum ſtupis & ſpleniis, in *oxyrrhodino* maceratis, & convenientibus medicamentis oblitis, ex uſu erunt; quies imperanda eſt, & membrum quatriduo ligatum relinquendum; niſi dolor aliquis, aut graviora, à forti deligatione, aut aliunde, ſupervenerint *accidentia*: quæ, ſecundum quintum ſcopum, ſui *correctionem* requirunt.

5. *Symptomatum cura.* *Antiqua.* Si *antiqua* fuerint luxationes, adſitque calloſa aliqua durities, vel humor aliquis, in oſſis cavitate; antequam eas, pro repoſitione, aggrediamur, fomentis prius ex *decocto inteſtinorum vervecis, malva, althaa*, vel *ung. emollientibus*, vel *emplaſtris* pars erit per aliquot dies humectanda & præparanda, ut magis ſit tractabilis & obſequens; deinde humor, qui ad partem influxit, attenuandus, lubricandus, diſſolvendus, ut muſculi, ligamenta, muſculorumque fibræ laxentur.

CAPUT LII.

De Luxationibus in Particulari.

Luxatio Maxillæ. Maxilla à motu violento, vel etiam ab oſcitatione, verſus anteriorem partem frequentiùs; rariùs, vel nunquam, verſus poſteriorem, *ex utraq; parte*, vel ex *una tantum*, luxatur. Si *ex utraq;* parte ſit luxata, cita mors ſæpe accidit, propter nervos à prima & ſecunda conjugatione ortos; quibus graviter affectis, oritur convulſio: ſi tantùm ex *una* parte luxata fuerit, ipſa cum mento in contrariam partem, quâ luxata eſt, in obliquum obtorqueatur: ſi verò *tota ex utraq; parte* ſit luxata, quod patet ex hoc, quòd dentes inferiores prominent, fortiori niſu, acceptis utriusque manûs pollice maxillis, ſurrigenda, & retroagenda eſt, & in ſuum locum reponenda; deinde emplaſtrum *de bolo*, vel aliud conſtringens medicamentum, cum ligatura applicandum eſt: abſtineatur interea à cibis durioribus, & oris otioſâ commotione.

Juguli. De *Juguli* luxatione, cùm rariſſima fit, nihil dicemus.

Spina. *Spina* luxatur *ſecundum* ſuas *ſuperiores, medias, & infimas vertebras*: ſi ſecundum *ſuperiores* luxatur, illico mors ſubſequitur, ob ſpinalis medullæ totalem compreſſionem, & apoplexiam ſuccedentem: nam multò minora affert ſymptomata reliquarum cervicis vertebrarum luxatio, utpote reſpirationis difficultatem, ſubitam inflammationem, apnæam, & mortem. Si tantùm *Subluxatio* fuerit, Chirurgi miniſter, acceptâ utrâque ſcapulâ, corpus firmiſſime teneat, Chirurgus verò comprehenſum, prope utramque aurem, Ægroti caput concutiat, & in omnem partem verſet, donec ſtrepitum, repoſitionis ſignum, audiat, abſitq; omnis dolor. *Subluxatio.*

Vertebra dorſi: *Signa.* *Vertebra dorſi* luxantur *intrò, extra*; ad *dextram*, & *ſiniſtram*. *Intrò* ſunt luxatæ, cùm foveola in ſpina apparet: extrà verò ſunt luxatæ, quando gibbus adeſt; ſi verò tertiæ, aut quartæ adſit luxatio, tunc in dextra, aut ſiniſtrâ parte eminentia apparet. *Fieri* poteſt vertebrarú luxatio vel *ab interna*, vel ab *externa cauſa*. *Interna* cauſa eſt humorum congeſtio, quæ vertebras è ſua ſede removet: *externa* verò ſunt res violentæ, ut caſus, percuſſio &c. Spinæ *ad interiora* *Cauſa.*

luxatio

luxatio vix fit citra vertebrarum fracturam; &, ſi illa contingat, lethalis eſt, ob totalem medullæ compreſſionem, quæ ſenſum & motum partibus inferioribus adimit, urinam ſupprimit, & mortem accelerat: ſi luxatio *extrorſum* facta ſit, conſtituatur Æger pronus, & vinculis infra brachia concinnatis ab uno fiat extenſio; dein ab altero, vinculis itidē circum ilia & iſchia ligatis, in contrariam partem trahatur Æger, & Chirurgus interea gibbum manu modeſtè intrudat, & in ſuum locum vertebram reponat; ſi manus non ſufficiat, ligneam tabulam ita aptet, ut gibbus unà cum faſciis æqualiter comprimi poſſit.

Luxantur *ab interna cauſa*, quando ligamentum nervoſum, quod vertebras connectit, ab humoribus ita laxatur, ut fiat gibbus, nempe dum ex ſuo loco vertebræ recedunt: hinc *Gibboſi*: eſtq; affectus, ſi ſit inveteratus, planè incurabilis: ſi gibbus ſit infra ſeptum, morbis renalibus conflictantur, & non ſunt prolifici: ſecus, ſi ſit ſupra ſeptum transverſum. Luxatio ſemper periculoſior eſt, ubi una vertebra, quàm ubi plures vertebræ ſunt luxatæ: ibi enim acutum, & fractioni obnoxium; hic obtuſum faciunt angulum minùs periculoſum.

Coccyx luxatur à gravi ictu, caſu &c. *Signum* eſt laborioſa fæcum excretio; genuflexio prohibita, &c. *Repoſitio* coccygis fit intruſo in anum digito, ut os vi magna ſurrigatur & reponatur; deinde adſtringentia applicentur.

Coſtæ luxantur, quando à vertebris, quib. adligantur, violenter divelluntur, & intus, vel ad latus pelluntur; & talis luxatio palpabilis eſt; adeſt autem dyſpnœa, cum dolore plevritico. Si coſta exciderit in latus vertebræ ſuperius, Æger brachiis ſuſpendatur, illaq; in ſuum locum retrudatur: ſi ad latus vertebræ inferius deciderit, Æger pronus incurvetur, manibus ſupra genua nixus; tum, compreſſo & impulſo tubere, luxatio reſtituatur.

Humerus eò, quòd laxa & mollia habeat ligamenta, & homoplatæ cavitas ſit exigua, facilè luxatur: idq;, quidquid dicat Pecoetius, *c. 5. de humeri luxat*: fit quatuor modis: ſurſum, deorſum, ſeu in alâ, antrorſum, & extrorſum; nunquam verò retrorſum vel introrſum. Primum enim cavitas, quæ humeri caput excipit, impedit: ſecundum verò muſculi deltoidis pars ſuperjecta; rarò item ſcapulæ proceſſus ancyroides, & coracoides: frequentiſſima eſt illa humeri luxatio, quæ deorſum, ſeu in alam fit: quæ innoteſcit ex hoc, quòd in ſupremâ articuli parte perſpicitur cavitas, cubit. ad extra ſolito magis tendit, Æger brachium ad aures aut os ſurrigere non poteſt, & brachium eſt altero longius, & in omni motu dolor ſentitur, ob tenſos muſculos, & ruptas eorum fibras: humerus itaq; deorſum lapſus vel pugno reponitur, vel mantili nodato, ſeu conglomerato, & alę ſubmiſſo, vel humero alę ſubjecto, vel talo, Ægro nempe in terra jacente, & à miniſtro in contrariam partem tracto, vel ſcalâ, vel organo *Ambe* dicto: reliquarum humeri luxationum, cùm rariores ſint, curas vide *in Antecedentibus*.

Cubitus quatuor modis luxatur; introrſum, extrorſum, ſurſum, & deorſum: cubiti luxatio fit quidem difficiliùs priori, & etiam difficiliùs reponitur, ob difficiliorem articulationem, utpote ginglymum: item à cauſa violentiore extrorſum, quàm introrſum luxatur, & tum brachium manet extenſum, nec incurvari poteſt: cùm verò in anteriorē partem luxatur cubitus, brachium manet curvum, eſtq; altero brevius: in omni luxatione figura ejus pervertitur, dolor in omni motu adeſt, & omnis actio depravatur, & tuber eſt plerunq; in parte illâ, in quam abſceſſit, & foveola in parte eſt, è qua diſceſſit. Incompleta cubiti luxatio facilis eſt curationis; perfecta verò difficilis; præcipuè ubi adeſt inflammatio: quare repoſitio ſemper ante inflammationem molienda eſt. Itaque miniſter Ægri brachium infra humeri articulum firmiter teneat, & Chirurgus brachium apprehenſum trahat, ſimúlq; humerum extrorſum, cubitiq; tuber introrſū impellat, hâc illâc brachiū leniter intorquendo, donec os in ſuam cavitatem inducat; nec flectat brachiū: quod plurimum nocet. Si manualis hæc operatio non ſuccedat, brachium columnæ alligandum, & forti habenâ extremitas cubiti, olecranum dicta, liganda, & inſerto in habenam fuſte in ſuam cavitatem repellenda eſt.

Carpi & Metacarpi luxationes ſunt rariores. *Digiti* extrorſum, introrſum, & ad latera luxantur, & facilè reponuntur, ob ligamentorum brevitatem: ex-

tenden-

tendendi itaque ſunt in rectum ſupra menſam, & in locũ naturalem pellendi.

Femoris.

Femoris luxatio, inter reliquas maximè operoſa, fit anteriùs, exteriùs, & rarò poſteriùs: nec vel in femore, vel humero, ſubluxatio fieri, vel, ſi fiat, durare poteſt; ob muſculorum validitatem, & foraminum profunditatem; etſi enim oſſis caput parum dimotum fuerit, tamen fortes muſculi per ſe os ipſum reponunt: excipimus tamen cauſas internas, quæ ligamenta, & muſculorum fibras externas emolliunt, ut etiam ſubluxationem fieri, nõ ſit impoſſibile.

Signa internæ luxationis.

Si crus *in interiorem partem* luxatũ ſit, eſt altero longius, genũ depreſſius apparet, nec Æger illud inflectere poteſt, & ipſum femoris caput ad inguen apparet & extuberat, genu ad extra tendit.

Prognoſis.

Difficillima eſt femoris luxatio: nam vel os reponi omnino nõ poteſt; vel repoſitum, ob mollitiem & extenſionem ligamentorum, non manet: tum etiam præcipuè, quando breve illud, & rotundum ligamentum, quod femoris caput in ipſa fovea, ſeu acetabulo, internè coxæ alligat, ruptum eſt:

Funeſtus Ill. Comitis de Dietrichſtain caſus.

uti in violento Illuſtriſſimi Comitis de Dietrichſtain caſu factum eſt: ſi verò ſaltem relaxatum fuerit prædictum ligamentum, & humoribus imbibitum, iis vehementer exſiccantibus, vel etiam urentibus, conſumptis repoſitionis ſpes omnino dempta non eſt.

Atrophia unde.

Eadem femoris luxatio partium adjacentium *Atrophiam* infert, ob venas & arterias, ab oſſe dislocato preſſas, & officio ſuo minimè habiles: os extra ſuum locum non amplius creſcit (intellige in iis, in quibus creſcere poteſt) idem in humero contingere certum eſt.

Luxationis femoris externæ Signa.

Os femoris *ad extra* luxatum patet ex hoc, quòd Ægri crus ſit brevius; quia caput femoris in locum cavitate altiorem tranſlatum eſt, crus ipſum totum intro ſpectat, in calcem incedere non licet, ſed tantum in digitorum radices; crus tamen flecti poteſt; quod in ſuperiori & internâ luxatione fieri nequit.

Prognoſis.

Omnia ſunt faciliora, & ſymptomata, & cura, in externâ, quàm in internâ luxatione: quin & caput femoris paulatim ſibi foveolam excavat; unde Ægri cum tempore abſq; fulcro aut grallis incedere poſſunt.

Cura.

Hujus luxationis *curatio* conſiſtit in debita membri extenſione & intruſione. Luxationes femoris antrorſum, quando ſcil. caput femoris eſt in inguine, & retrorſum, ſunt rariores; adeoque de his conſulantur Authores.

Genu.

Genu luxatur anteriùs, exteriùs, & poſteriùs; licet anterius, ob patellam obſtantem, rariſſimè, & violento tantum motu, luxetur; aliàs facilè luxatur eò, quòd tibialis cavitas ſit valde ſuperficialis, lenis, & lubrica: ſicq; ſaltu concitatiori, caſu &c. Luxatio introrſum & extrorſum fit mediocri extenſione, oſſiumq; in ſuas ſedes, manu factâ, impulſione: ſi verò luxatio ſit retrorſum facta,

Repoſitione.

collocetur Æger in ſcamno, ut ipſi à tergo ſit Chirurgus, qui crus ejus, inter crura ſua comprehenſum, ambabus manibus flectat, & ad nates adducat.

Patella. Reſtitutio.

Patella luxatur verſus omnem partẽ, præter poſteriorem: reſtitutio fit, pede in plano exiſtente, ſolâ manu factâ reductione. Reliquas luxationes, cũ minoris ſint momenti, tacito pede præterimus.

Symptomata Luxationum.

Accidentia, quæ luxationibus ſuperveniunt, ſunt ut plurimùm contuſio, dolor ingens, inflammatio, febris, abſceſſus, ſphacelus, ulcus, fiſtula, tabes, ſeu atrophia.

Contuſio.

Si adſit *contuſio*, & ſanguinis ſub cutem expreſſi effuſio, ſi in magnâ copiâ adſit, pars illico ſcarificanda eſt, ut evacuetur; & quò ſanguis fuerit craſſior, cutisq; denſior, eò ſemper profundiùs ſcarificandum: vel etiam ventoſæ applicandæ. Nam taliter retentus & extravaſatus ſangvis gangrænam nonnunquam excitat.

Dolor. Atrophia.

Doloris ablatio ante membri repoſitionem vix ſuccedit. *Atrophia*, ſeu *tabes*, ſi ſit à ligaturis nimium ſtrictis, earum ſolutione curatur; ſi verò ſit à compreſſione vaſorum alimentum deferentium, in luxatione incurabili, & hæc erit incurabilis: aliàs, ſi fiat defectu attractionis in ipſa parte, ea fovenda priùs *aquâ tepidâ*: deinde frictiones celebrandæ: tandem cucurbitulæ ſiccæ applicandæ, vel etiam pars ipſa urticis urenda, ac denique *ung. reſumpt. Fernelii*, cum *oleo lumbricorũ* mixto, perungenda. Si pes dexter atrophiâ afficiatur, ſiniſter faſciis ligetur fortiter, à pede ipſo incipiendo, usq; ad coxam, ut alimentũ regurgitet in venam cavam; & conſequenter alteri pedi, dextro ſcilicet, in alimentũ cedat: quod eò faciliùs ſuccedit, quando pes tabidus perſæpe aquæ calidæ ad rubedinem usq; immergitur: ſic enim dilatantur vaſa, & aquæ calor attrahit. Si verò ad omnia iſta pars nec rubeſcat, nec incaleſcat, malum eſt deſperatum. Et hæc *de Luxationibus*.

CAPUT. LIII.

De Lithotomia in Mare & Fæminâ.

Lithotomia in Maribus.

SUppoſitâ itaq; ex Anatomiâ, accuratâ Veſicæ notitiâ, primò, niſi ſumma neceſſitas, neſcia legis, adſit, *Tempus* veſicæ temperamento *aptum* & ſimile eligendum eſt; quale eſt autumnale; quamvis amœnum aëris tempꝰ huic operi perquam conſentaneum ſit: hyemale verò anomalum, frigidum & inæquale, maximè vitandum eſt: item Saturni, & Martis quadratura, & Oppoſitio cum Luna: item quando hæc in Sagittario, aut Libra, hoſpitatur: 2. corpus à bile expurgandum: dein balneis emollientibus bene præparandum: 3. Operator in promptu habeat primò ſyringa, ſeu fiſtulam tentatoriam; deinde itinerarium, novaculam, exploratoriū, ductores duos, aperientem cum ore patulo, ſerratiles dentes habentem; frangentem non admittimus: tandem everriculum, ultimò cochlear, ſeu abſtergens: menſa, ſeu ſcamnum, lectus accommodus, ligaturæ, & emplaſtra etiam in promptu ſunto: 4. exequenda eſt lapidis attractio. 5. inciſio ita facienda eſt, ut à nocumentis cuſtodiatur: 6. diæta ordinanda: 7. accidentibus occurrendum. Cùm de aliis alibi ſatis ſuperq; dictum ſit, à quinto incipiemus. Sciendum itaq; eſt, primò, in hac operatione *duplicem* eſſe *apparatum*, ſeu Patientis firmaturam: majorem, & minorem: immo quosdam ſine ullo apparatu, aut multis inſtrumentis (quam *Operationem ad digitum* vocant) lithotomiam, quam tamen, ut periculoſam, rejicimꝰ, exercere. Nos ſequenti, velut tutiori, ligaturâ Ægrum firmamus: capiantur duæ æquales faſciæ, longitudine 16. palmarum commenſuratæ, quarum una alteri in medio ipſarum conſuatur, quæ hîc ſimul junctæ humeris Incidendi applicentur in ea parte, quæ collum dicitur; quam ab uno latere Miniſter firmiter teneat, ab altero verò Magiſter hoc modo ligare incipiat: ſumat duo capita unius faſciæ, quorum quidem unum, ante pectus deductum, alterū verò per humerū, & ſub axilla, ad funis formam contorqueat, ſicq; complicando deſcēdat, quantum ipſum adjutorium extenditur; deinde liget crus juxta poplitem, eodemq; modo, ut priùs fecerat, deſcendendo veniat per calcaneum; poſtea verò incruciet ipſum ſuper pedis cervicem, bis pedem circumdando: iterum in pedis cervice cruciet; quæ poſtea in eodem loco, vel, ſi longiora fuerint, in ſurâ, connodet: quo facto, altera duo capita, quæ Miniſter gubernaverat, manibus ſuis apprehendat, &, ab ordine non diſcedendo, alterum infirmi latus hujusmodi capitibus firmiter arctet: & ſic ligatura erit confecta; idq; in tabula, ſeu menſa immobili, ligneis, vel etiam ferreis, ad excipiendam ligaturam, clavis inſtructa. Ligato itaque ſic, & firmato Patiente, prædicta inſtrumenta ordine diſpoſita, ſed occulta, ne Ægrum terreant, habeat Lithotomus, &, poſtquam ſigna ſufficientiſſima calculi, in veſica exiſtentis, magnitudinemque, cui dilatationem reſpondere oportet, habuerit; quod ex ipſa urinandi ſumma difficulte, & dolore gravativo, imo ex ipſo tentatorio, in veſicam, vel ipſo digito in anum immiſſo, agnoſci poteſt, patet; deniq; ex urinâ, in cujus fundo plerunq; viſcoſum aliquod phlegma matulæ fundo adhæret fortiter; deinde, ſi in urinâ adſint ſanguinis guttulæ, ſignum eſt, calculum eſſe aſperum: ſi verò eadem lactea turbidaq; ſit, lubricum & levem adeſſe calculum, eumq; magnum: ſi magnum in perinæo ſentiat pondus, nec cito, & violenter, crus cum femore poſſit elevare, citra dolorem gravativum: omnibus hiſce ad ſtateram Medicam diligenter collatis, ſuam, implorato priùs Numinis auxilio, operationem inchoet Chirurgus tribus ſtipatus Miniſtris: quorum unus, manu ſiniſtra, à femore projectâ, ambos teſticulos ad pectinem comprehenſos attrahat, dextra verò, compactis æqualisque digitis, pelliculam ad ſiniſtræ natis latus contrahat, ut commiſſura ad latus declinet, ne ſuper ea incidatur; quoniam eſſet malum: teſtatur enim experientia, pleroſque, qui in ipſa inciſi ſunt, fatis ceſſiſſe: teneat pudenda æqualiter diſtenſa firmiter, donec Operator ſuum opus perficiat: alii duo Miniſtri utrumque pedem firment: unus dextrū, alter ſiniſtrum. Operator pilos inter anum & colem abradat; deinde bene locum, in quo inciſio fieri debet, examinet, ne veſicæ ſphincterem incidat; unde involuntaria ſubſequeretur mictio; ne item multum juxta anum

ad Calculū excindendum Tempus aptum: Præparatio.

Inſtrumenta.

Ordo faciendorum.

Duplex apparatus, major, & minor.

Faſcia pro Ægro vinciendo.

Calculi exploratio, & ſigna.

Miniſtrorum munia.

Operatoris primum opus.

fiat inciſio, ne hæmorrhoides incidantur; unde ingens hæmorrhagia: ut ergo talia præcaveantur incommoda, ſectionis locus ſit inter anum, & oſſis femoris extremum, quod duorum extremorum exactè medium eſt; quo *per atramentum ſignato loco*, priapum accipiat, itinerarium in ejuſdem canalem immittat, &, complicando inſtrumentum verſus umbilicum, uſque ad veſicæ cavum intendat, donec locus antè ſignatus tendatur, quod explorari poteſt auriculari digito manûs dextræ; & ſic uno impulſu inciſionem faciat uſq; ad itinerarium in dextro latere: ſi operator dexter fuerit, in ſiniſtro, ſi ſiniſter, ſecundum longitudinem, contra Celſum; tum ut villi muſculorum non ſecentur, tum ut, dum crura adducuntur, os vulneris conniveat: ſectionis *longitudo* ſit ad unguis pollicis latitudinem, vel paulò plus: quo facto, novaculam inſuper relictam faciat teneri ab alio tantiſper, donec exploratorium acceperit; quod per latera ipſius novaculæ, aliquantulum inclinatæ, intromittat in cavū ipſius itinerarii, & inde in ipſam veſicæ cavitatem; è quâ urina retenta effluere ſinatur: hoc facto, alterâ manu exploratorium in eodē loco conſervet, alterâ vero itinerarium à virgæ canali elevet; deinde unum ex ductorib, ſumptum per latera ejuſdem exploratorii, ne de rectâ ad veſicam viâ exorbitet, immittat: quo poſito, exploratorium ſuo functū officio foràs eruat, idq; perpetrans, alterum ductorem per ſocii latera in veſicam impellat, deinde utrumque disjungat, ut per eorum medium inſtrumentum dilatans immitti poſſit: deinde fiat dilatatio tanta, quantam lapidis magnitudo requirit; deinde forceps per eoſdem ductores in veſicam injiciatur, & ductores eximantur, apprehendatur calculus, & ſine excedente violentiâ extrahatur. Si verò *nimis magnus* ſit, ligetur forceps in uncis, ne apprehenſus lapis excidere poſſit, majorq; per latera fiat dilatatio, donec extrahi, citra veſicæ ipſius dilatationem, poſſit, & dilacerationem: quo extracto, capiat operator verriculum, in veſicam immittat, in gyrum per veſicam ducat, quærendo, an quid lapidis, vel alter intus remanſerit: nam *plures* aliquando reperiuntur; quod ex ipſius calculi oculari inſpectione conſtare poteris; nam ſi ab unâ parte magis lævis, attritus, corroſusq; ſit, quàm ab altera, ſignum eſt, alium ſibi illum habuiſſe adjunctum, qui illiſione hæc effecit: hoc facto, accipiat cochlear, quo ſanguinem grumoſum, & lapidis fruſtula excipiat, idq; toties repetat, donec veſica omnibus extraneis mundata fuerit. *Mulieres* etſi rariùs hoc morbo, quàm viri, laborent: cum tamē ſingularia quædam habeant, non ſunt hîc ſilentio prætereundæ. Exploratо ergo per tentatorium calculo, ejuſque magnitudine, non ſecus, ac in viris, excidendus ille eſt; verùm *Locus* eligatur intra os femoris, & urinæ iter, in mulieribus, quando non multum, propter collum matricis inferius, deſcendere licebit: poſito igitur itinerario in veſicæ canali, Miniſter cunni labrū iſtius lateris, in quo debet fieri inciſio, capiat, & ipſum ad ſe trahat, ita, ut locus inciſioni latè pateat; deinde incidat per diſtantiam unius digiti ab oſſe fæmoris: factaq; inciſione ordine utatur, quo in adminiſtrandis inſtrumentis utebamur in virorum ſectione: nec Operatorem terrere debet major, quàm in viris, *hæmorrhagia*: ſiquidem partes illæ pluribus, quàm in viris, ſcatent venis, fœmineq; hæmorrhagiis ſunt magis aſſuetæ. Hiſce tam in viris, quàm in fœminis, adminiſtratis, factaq;, uti debet eſſe, inciſione, Æger à ſuo apparatu, ſeu ligatura, ſolvendus eſt, & alio planè modo obligandus: ſanguinis itaq; fluxu convenientibus remediis ceſſante, plagaq; uti oportet emplaſtratâ, capiatur faſcia ſat longa, eaq;, per renes deducta, ſuper pectinem circumcrucietur, capitibus cujus colei circumvoluti ſuperiùs attrahantur, quantum per miniſtrum diſtenſi tenebantur, ad hoc, ut pellicula illa, quæ in perinæo eſt, diſtendatur, & labia vulneris faciliùs coeant, ne ſanguinis fluxu teſticulorum pellicula impleatur. Hac factâ ligaturâ, Æger in *lectum* deducatur, in quo cubet ſitu ſibi commodiori; & ſub ejus natibus ſacculus furfure plenus æqualiter diſtendatur, ut, cùm urina ab inciſo vulnere deſtillarit, imbibatur: deinde panni calidi ſuper ventrem & pedes applicentur, ut à frigore, vulneribus inimico, tutus ſit: & ita ſuis horis applicentur remedia ulceri congrua. Aliqui, inciſione factâ, Ægro vel minimū infirmo vel debili, ab opere

pere deſiſtunt, & vulnus tenent apertum, dicuntq;, naturam ipſam calculum paulatim protruſuram. Sed conſultum eſſe non videtur: nam ſi tale vulnus diu ſervetur apertum, vel ob humiditatem magnam, & caloris debilitatem, in partibus adeò humidis, accedit gangræna, vel fiſtulæ ſubſequuntur: adeoq; prior operatio, Ægro etiam deliquium patiente, ſecurior eſſe videtur. Sectione autem facta, *accidentia*, quæ ſolent evenire, corrigantur: uti ſunt primò *ventris arefactio*, ſeu fæcum detentio, cui mederi oportet quotidianis *Clyſteribus emollientibus*, vel etiam *ex hominis urina*, cum *melle*, & *oleo communi*, paucoq; *ſale*: nam hanc arefactionem cauſat continuus urinæ per veſicam effluxus: ſecundò *febricula*, cui etiam convenit venæſectio, & ordinaria refrigerantia: tertiò *hemorrhagia*, quæ frænanda eſt pannis bis triplicatis, *aceto*, & *ſale* imbibitis, & tepide circa vulnus applicatis; non verò in ipſo vulnere, ad vitandum dolorem: huic etiam ſcopo proſunt *cucurbitulæ* coxis & femori adhibitæ, quæ divertendo ſanguinis fluxum cohibent. Si verò *ſanguis in veſica concretus* ſit, qui urinæ ſuppreſſionem, & alvi tumorem, cauſet,

Operationis tutior.

Accidentia poſt ſectionem. Alvi detentio. Clyſteres. Febris.

Hemorrhagia.

Concretio ſanguinis.

℞. *Acetum, ſalem, & hominis urinam* miſce, & injice: aliàs etiam hic ſangvis per ipſam plagam verriculo excipi poteſt; nempe ſi vulnus adhuc pateat. Quòd ſi ſpongioſa quædam *caro* ipſi *vulneri accreſcat*, ea conſumenda eſt *alumine uſto*, vel *pulvere conchārum marinarum calcinatarum* inſperſo. *Diætam* quod attinet, hæc primis diebus debet eſſe tenuior, nempe ex juſculis, panatellis, utcunque ſaltis &c. Potus ſit vinum lymphatum; minimè aqua, etiam cocta; hanc enim ſemper experti ſumus fuiſſe funeſtam: duobus pòſt diebus aſcendere poterimus ad victum paulò pleniorem; uti eſt contuſum, vel etiam gallina bene excocta: fugiendi ſunt omnes cibi diſpeptii: ut ſunt carnes bovinæ, vaccinæ, caſeus, legumina, fructûs acetoſi, & horarii, panis azymus, & omnia viſcoſa: verbo: omnis repletio cane pejus & angve fugienda; ita tamen, ut decimo & undecimo die ad priorem diætam propius accedatur.

Caro ſpongioſa.

Diæta.

Et hæc ſunt, quæ, Deo trino & uno favente, cuiq; ſempiterna ſit laus & gloria, in univerſum Chirurgiam conſcribenda & tradenda eſſe cenſuimus.

EXAMEN CHIRURGORUM,

ex iis, quæ tradita ſunt.

Quid eſt *Chirurgia*? ℞. eſt Ars, quâ corporis humani affectûs præter naturã per manualem operationem, & bene ordinatam diætam, tolluntur.

Quotuplex eſt Chirurgia? ℞. duplex: Theorica, & Practica.

Quid eſt *Theorica*? Quid *Practica*? ℞. *Theorica* eſt cognitio præceptorum, theorematum, & fundamentorũ, quibus nititur Chirurgia: *Practica* verò executio & reductio in actum eorum, quæ à Theoria monſtrantur.

Quibus maximè debet eſſe inſtructus bonus Chirurgus? ℞. ingenio, naturali ad Chirurgiam inclinatione, heroico animo, morum comitate, pietate, inſtrumentis chirurgicis; & medicamentis; utpote Emplaſtris, Unguentis, Aquis, Pulveribus &c.

Quot in rebus verſatur tota Chirurgia? ℞. in tribus præcipuè: primò in rebus naturalibus: quæ ſunt elementa, temperamenta, humores, partes, actiones, ſpiritûs, & facultates: ſecundò in non-naturalibus: ut ſunt aër, cibus, potus, ſomnus & vigiliæ, excreta & retenta, animi pathemata: tertiò in rebus contra naturam: morbo nempe, cauſa morbi, & ſymptomate. Jam ad rem accedamus.

Quid eſt *Tumor*? ℞. Eſt affectus ex triplici morborum genere compoſitus, ad unam magnitudinẽ præter naturam aggregatus; ſeu ex mala complexione, compoſitione, & continui ſolutione.

Quot ſunt *genera Tumorum*? ℞. duo ſunt: calidi, & frigidi tumores: calidi

ſunt

ſunt duplices: à ſanguine, & bile: frigidi à melancholia & phlegmate: adeoq; in univerſum quatuor ſunt genera ſubalterna tumorum.

Quare ſunt quatuor? ℞. quia totidem ſunt humores: nempe ſanguis, bilis, pituita, & melancholia.

Qualis *tumor* oritur *à ſanguine?* Reſp. phlegmone, eſſeræ ſanguineæ &c.

Quales tumores oriuntur *à reliquis tribus humoribus?* ℞. à Cholera eryſipelas, formica, eſſeræ cholericæ &c. à Pituita œdema, hydrops &c. à Melancholia ſcirrhus, nodus, cancer. &c.

Quid eſt *Oedema?* ℞. eſt tumor albus, à phlegmate ortus, qui, ſi prematur, foveolas retinet impreſſas.

Quibus debet *curari?* ℞. calefacientibus cataplaſ. ex *ſalvia, majorana, rore marino, ſpica, camomilla, meliloto,* &c. item fomento *ex ſpiritu vini.*

Quid eſt *Phlegmone?* ℞. eſt tumor à ſanguine ortus, cum magna inflammatione: interdum etiam cum febre, &c. curatur venæſectione:

Quid eſt *Eryſipelas?* ℞. eſt tumor à bile ortus, ſine magna elatione, cum magno fervore &c. curatur diſcutientibus, & minimè humectantibus; præcipue in Auſtria.

Quid eſt *Scirrhus?* ℞. eſt tumor à melancholia ortus, durus, niger, & diuturnus: curatur emollientibus, & moderate calefacientibus.

Quot habent tumores *Tempora?* ℞. 4. principium, augmentum, ſtatum, & declinationem.

Uterisné iiſdem *medicamentis in principio,* quibus in *ſtatu* & *declinatione?* ℞. minimè: nam ſemper utimur in principio moderatè repercutientibus; modò non ſint prope partes principales: in ſtatu verò minimè: tum enim maximè conveniunt diſcutientia & maturantia.

Quomodo diſtingvis *Bubonem Venereum* à *Peſtilenti?* ℞. bubo Venereus eſt oblongus, ovalis, & maximè circa vaſa ſeminalia, ſeu ſpermatica: bubo peſtilens autem eſt acutus, cum ſumma febre, palpitatione cordis, animi deliquiis, ſudore frigido, nauſeâ; & plerunque peſte graſſante evenit.

Licétne bubonem Venereum repercutere. ℞. minimè; nam aliàs Patiens in luem Veneream eſſet ruiturus: quod ſi factú fuerit, curam ſudoriferam ipſi præſcribere opus futurum eſt.

Quæres: oportetne, vel licet, *bubones peſtilentes* repercutere? ℞. minime; ſed potiùs attrahendi ſunt, nempe *emplaſtro de fuligine,* ex *alliis* cum *Theriacâ, culo gallinæ viventis admoto,* item *cucurbitulis, cauterio actuali,* & *potentiali.*

Quid judicas *de Tumore* aliquo *inſtar veſicæ,* in parte aliqua debili: v.g. tumidis cruribus, vel genitalibus, ſubito orto, ſublivido, cum circulo ſubrubro &c? ℞. plerunque eſſe gangrænam: hinc etiam *Theriaca* diſſoluta in *aqua vitæ* ſtatim eſt applicanda.

Quid eſt *Vulnus?* ℞. eſt ſolutio continui recens, cruenta, ſine pure, in partibus mollioribus, extrinſecus incidens.

Quotuplex eſt Vulnus? ℞. duplex: ſimplex, & compoſitum: ſimplex eſt ſine ſubſtantiæ deperditione: compoſitum cum ſubſtantiæ deperditione.

Quibus in partibus ſunt *maximè lethalia* vulnera? ℞. in partibus nobilibus: v.g. corde, hepate, cerebro; deinde in ſtomacho, inteſtinis, veſica, vena cava, arteria aörta, pulmone, nervis &c. hîc ex Anatomia examinari poteſt. Quòd ſi vulnus eſſet in capite, & quidem ſatis profundum, nec, applicatis plurimis medicamentis, *ſanguinem ſiſtere* poſſes, quid tandem agendú foret? ℞. candente ferro venam, vel arteriam eſſe cauterizandam.

Quæres: quibus *ſignis* cognoſcis, *cerebrum unà cum meningibus eſſe læſum?* ℞. ſi Patiens non poterit nucem dentibus premere, multò minùs frangere; vel chordam dentibus preſſam, tenſamque ad ſonum irritandum pati: ſi vomat, ob nervi gaſtrici communioné propagationis ſextæ conjugationis.

Quomodo te geris in *vulnerato Capite?* ℞. capite à capillis libero, ſanguinem abſtergo, & ſiſto medicamentis ſanguinem ſiſtentibus, & artificioſa deligatione caput munio.

Uterisné *oleis* in capitis vulneribus? ℞. non: Quare ℞. quia olea ſunt oſſibus inimica; deinde ob capitis & cerebri humiditatem ſequuntur ulcera ſordida. Ergo nunquam uti licet oleo? ℞. omnino licet; ſed ad reliquas capitis partes non vulneratas: has enim plerunque ſoleo *oleo roſarum* inungere: nam hoc extrinſecè confortat, & calo-

rem

rem contemperat. Quòd ſi diu poſt ſanatum vulnus redeat iterum *dolor*, quid illud? Reſp. adeſſe particulam oſſis, quam germani Schieffer vocant; & tunc vulnus denuo aperiendum, & corpori illi exitus eſt conciliandus, factâ inciſione cruciatâ; ſi nihil obſtet.

Quæres: poteſtné *vulnus inferiorem corporis regionem tranſire non læſis inteſtinis*? ℞. omnino: quia inteſtina cedunt.

Quæres: *in vulneribus ſclopetorum* adeſtné ſemper *combuſtio*, & *venenum*? ℞. minimè: 1. quia, antequam glans combureret, liquefieret: ſecundò fruſta indufii, & ſubuculæ, in profundo vulnerum vidimus, minimè tamen combuſta: tertiò, quia venenum hoc non conficitur ex plumbo, neque ex nitro, nec ſulphure: ergo pro ordinario non adeſt venenum: non tamen negamus, glandes nonnunquam intoxicari: deinde jacula cominus facta comburere.

Quæres: quare ergo *alexipharmaca* proſunt in omni ſclopeti vulnere: ℞. ideò prodeſſe, quia ſunt cordialia: hîc autem magna adeſt debilitas.

Quæres: quando poſt vulnera ſequuntur *paralyſes*: & quando convulſio? ℞. quando nervi ſunt omnino abſciſſi, ſequitur paralyſis: quando verò ſunt puncti, tum maximus ſubſequitur dolor, & plerunque convulſio.

Quæres: quando *vulneratus* aliquis *mortuus in aqua* reperitur, quomodo poteſt ſciri, an fuerit *ante mortuus*, vel utrum demum fuerit *ſubmerſus* ℞. ſi ab aquâ intumuerit, fuit in aqua ſubmerſus: ſi minùs, antea jam fuerat mortuus, & ita in aquam projectus. Hîc *de cura vulnerum particularium* examinari poteſt.

Quæres: *quid* eſt Ulcus? ℞. cum Avicenna: ulcus eſt continui ſolutio in carne, quando jam continet ſaniem, & pus.

Quotuplex eſt ulcus? ℞. duplex: ſimplex, & compoſitum: ſimplex eſt, quod nullum accidens habet adjunctum: compoſitum è contra.

Quæres: *quotuplices* ſunt *Cauſæ* ulcerum? ℞. duplices eſſe: extrinſecas, & intrinſecas: vel antecedentes, & conjunctas: extrinſecè inducitur ulcus per contagium; vel etiam remotè, à re ſolvente continuum: intrinſecè mediatè à cacochymiá, quæ eſt cauſa antecedens: cauſa verò conjuncta eſt malitia complexionis in parte, quæ humores acres & corroſivos generat; unde fit corroſio.

Quomodo *Vulnus* diſtinguitur ab *Ulcere*? ℞. 1. per id, quòd Ulcus habet pus; vulnus verò non: 2. quòd vulnus eſt recens cõtinui ſolutio; ulcus verò antiqua.

Quæres: *quotuplex* eſt *excrementũ ulceris*? ℞. eſſe tenue; & craſſum.

Quæres: quomodo *bonum pus* agnoſcis? ℞. quando eſt album, læve, æquale, minimè fœtidum.

Quid judicas de *ſanie aquoſa*, ab ulcere profluente? ℞. cruditatem, ulceris malitiam, & fiſtulam appropinquantem metuo.

Quæres: quæ *ulcera* ſunt *peſſima*? ℞. cacoëthica illa, quæ ſunt corroſiva, rotunda, exedentia, Venerea, diuturna, quæque infra ſe habent oſſa corrupta, item ſordida: nam ſordes inſtar lapidis corroſivi ulcera augent, & nutriunt.

Quid putas de *ulcere* jam ſæpius *ſanato*, & ſemper *recurrente*? ℞. vel os ſubtus eſſe corruptum, vel partem aliquam mandantem eſſe malè affectam: quibus non curatis, nec ulcus conſtantem curationem admittere poteſt.

Quid eſt *Fiſtula*? ℞. eſt ulcus profundum, habens orificium anguſtum, & viâ calloſam, pus frequenter effundens.

Quid eſt *Gangræna*? ℞. eſt corruptionis vel putrefactionis principium, ſenſum adhuc modicum particulâ, ſeu membro, ſervante: quod tunc vocatur *Gangræna Phlegmonodes*: quando verò particula ſenſum amiſit, vocatur Syderatio, ſeu *Sphacelos*. Germani primam vocant, warmen oder heiſſen Brand; ſecundam den kalten Brand; cujus terminus eſt eſthiomenus, ſeu membri completá corruptio, perambulans, membrumq; totum exedens: nam cùm ejus corruptio incipit perambulare in membro, & apoſtematur, quod eſt in circuitu corrupti, & fortaſſe pervenit ad corruptionem completam; tunc dicitur totum accidens eſthiomenus, eò, quòd, niſi craſſities partis retineret, totum abſcederet.

Quid eſt *Cancer*? ℞. eſt morbus ex materia frigida & ſicca, per putrefactionem calefactâ, productus, duritiem faciens ſecundum putrefactionis gradum, dolorem excitans, colore cancrorum

rum elixatorum ſimili coloratus, vel inæqualibus tumoris ſurculis cancro ſimilis; unde Cancer dicitur: eſtque duplex: *occultus*, ſeu Noli metangere: & apertus.

Licetne *cancrum occultum aperire*? ℞. minimè; hinc etiam dicitur; Noli me tangere.

Quæ ſunt *ſigna ulcerum benignorum*? Reſp. quorum excrementa ſunt laudabilia, & indies meliorantur, graviora nulla adſunt ſymptomata.

Quid eſt *Fractura*? Reſp. eſt ſolutio continuitatis in oſſe, à violentia quadam extrinſecus accidente irruens:

Ergo etiam *oſſis inciſio* eſt fractura: Reſp. ita: nam propriè vulnus (quod tantùm eſt in parte molli) dici non poteſt.

Quotuplices ſunt fracturæ? Reſp. primò eſſe alias ſimplices; alias compoſitas: ſecundò alias eſſe ſecundum longum, quæ dicuntur *Fiſſura*; alias ſecundum obliquum, vel transverſum.

Quæ ſunt *ſigna oſſis fracti*? Reſp. tactu ſentitur fractura: cognoſcitur à vitioſa figura, dolore, eminentiis, foveis.

Quomodo *oſſa fracta reponuntur*, & quæ ſunt *repoſitorum ſigna*? Reſp. in oſſis repoſitione primò debet fieri extenſio; dein repoſitio; & tertiò in loco ſuo detentio: ſigna oſſis repoſiti ſunt, quando dolor eſt ſublatus, quando figura rediit, quando redit aliquis voluptatis ſenſus.

Quomodo oſſa *poſt fracturas iterum concreſcunt*? Reſp. per callum.

Quid eſt *Callus*? Reſp. eſſe ſubſtantiam quandam, ab alimento oſſis reſiduo generatam, duram, & albam, oſſis vices gerentem. Hic inquirere potes de cura & medicamentis, ad fracturas pertinentibus.

Quid eſt *Luxatio*? Reſp. capitis oſſis à propria ſede divulſio. Poteſtne fieri *à cauſis internis*? Reſp. omnino: fit enim ab humore ligamenta laxante, & ſeſe in articuli acetabulum inſinuante: id autem fit ſæpe poſt difficiles morbos, aliqua criſi, metaſtaſi factâ.

Quotuplex eſt *luxatio*? Reſp. duplex: perfecta, & imperfecta, ſeu *Subluxatio*. Quæ ſunt luxationes *maximè periculoſa*? Reſp. capitis, mandibularum, vertebrarum colli, dorſi, coxæ.

Quare luxatio *vertebrarum colli* eſt tam periculoſa? Reſp. quia medulla ſpinalis totaliter comprimitur; unde oritur apoplexia. Quare *coxa* luxatio eſt periculoſa? Reſp. quia ad hanc facilè ſequitur atrophia, ſeu tabes, capite nimirum femoris venas, arterias, nervos comprimente; unde cruris nutritio prohibetur, ſenſusque & motus perit: deinde eſt difficillimæ curationis, ob ligamenti teretis, ſeu rotundi, nimiam elongationem, vel dilacerationem: unde, etſi os reponatur, non tamen manet. Hic, pro coronide, interrogari poterit de *Modo conficiendi Potiones Vulnerarias, Emplaſtra, Unguenta, Cataplaſmata, Fomenta, Stillicidia, Repercutientia, Diſcutientia*, ſeu *Reſolventia, Emollientia, Maturantia, Attrahentia* &c. item de *Venaſectione, Arteriotomia, Lithotomia*.

Et hæc ſufficiant pro Manuductione ad Chirurgi examen, & pro breviſſimâ eorum, quæ in Chirurgia dicta ſunt, repetitione. Deo trino & uni, Beatiſſimæ Virgini Mariæ, laus honor & gloria, per æviterna ſæcula: Amen.

TRA-

TRACTATUS SEXTUS

DE METHODO, ARTE, ET REGULIS BENE CONSULTANDI, DIRECTIS AD RATIONEM MIXTI.

Quibus acceſſerunt rariores quædam obſervationes & Notatu digniores.

CAPUT I.

De neceſſitate & utilitate hujus Tractatûs, cum expoſitione tractandorum, & ordine inter Conſultores ſervando.

Cùm inter nobiliſſima ac præſtantiſſima Medicorum ornamenta nullum pulchrius, laudabilius, aut glorioſius reperiatur, quàm expedita, matura, & ſapiens *Conſultandi doctrina*, quâ doctus ab indocto, ſapiēs ab ignaro Theſſalo, qui ſæpiſſime mentitâ eruditione reliquis profundiſſimè doctis longiſſimè præfertur, verbo, verus Medicus ab impoſtore interſtinguitur, & plurimi, ob conſultationem indignè inſtitutam, famam, viâ indirectâ conquiſitam, de repente amiſerint; è contra rarâ eruditione conſpicui, qui, ob taciturnitatem & modeſtiam, vel aliorum invidiam (invidi enim ſibi ſimiles difficulter, doctiores minimè tolerant) diutiſſimè latuerant, facto ſermone, doctrinâ & eruditione pleno, emerſerint; idque jure plus quàm meritiſſimo, dum hinc innotuit eorum doctrina, modeſtia, & morum comitas, quæ virtutes hominum benevolentiam & amorem magneticè alliciunt, & ad ſe rapiunt; nec ſuis careat utilitatibus *Conſultationum* frequentia, dum, præterquàm quòd per frequentatos actûs maturatur judicium, memoria excolitur, etiam omnis ignorantiæ rubigo ab ipſa rationis & Palladis Arce procul exulat: Medicus *conſulturus* diligenter ſtudiis incumbere, plurimos Auctores pervolvere & diſcutere debet, ut coram aliis, tum Medicis doctiſſimis, tum Aſſidentibus, graviter, eruditè, & abſque ullo æſtimationis ſuæ nævo, de morbi genere, differentiis, cauſis, ſignis, indicationibus, & materiâ remediorum, diſſerere, ſuam ſententiam fortiſſimis, & è profundiſſimo naturæ & Medicinæ centro erutis rationibus ſtabilire, præſtantium & authenticorum ſcriptorum auctoritate fulcire, aliorum ſententias, ſi minùs idoneæ, & rationi conſentaneæ videantur, modeſtè, & abſque zelo, refutare, aliamque magis tutam curæ viam perſvadere poſſit. Nimirum per *Conſultationes* acuitur intellectus, ſumma accedit conſultationum & actionum promptitudo, & reſolutio; quæ aliàs teſtudine magis tardigrada fuit: inde tandem ſalutaria reſultant conſilia, & Ægrotus, antea unius Medici præſentiæ & ſvaſioni diffidens ac inobediens, tot Clariſſimorum Virorum futuro auxilio firmiſſimam adhibet fidem, &, conceptâ ſpe recuperandæ ſanitatis, pro diſcrimine vitando, præſcripta omnia vitæ ſanitatisque præſidia apertis amplectitur ulnis. Verùm cùm pauciſſimi hactenus

Per conſultationes docti ab indoctis diſtinguuntur.

Utilitas conſultationum.

Confidentia Patientium in Conſilia.

tenùs inventi ſint, qui vera *conſultandi* præcepta in ordinem redegerint, plurimiq́; errores ex confuſo, de variis Medicinæ partibus, dicendi modo oriantur (Turpe enim, & ſaluberrimæ Arti indecorum eſt, virum, Doctoris nomine inſignitum, nec docere, nec ſenſa ſua

Tractanda traduntur.

explicare) trademus primò, *circa Quæ, & Quotnam*, Conſultationes *verſentur*: ſecundò, *Quid prius dicendum, & à Quo auſpicandum ſit*: tertiò, *Quomodo omnia, propoſita rei accommodata & apta, ad rationem mixti reducta, rationibus & Auctoritatibus ſint fulcienda*: quarto, Ne ſcurrilia & indecora, in *Conſultationes* irrepant: *Quomodo ſingula decenter ſint pronuncianda*, ut ſua modeſtè tueatur, & aliena defendat, ſapientiſſimus *Conſultor*. Ne autem, uti, id dictante arrogantiâ, cum ſummo Patientum detrimẽto, ſæpius compertum eſt, unus alteri locũ & dignitatem præcipere attentet, Ordo

Ordo obſervandus inter conſultores.

inter *Conſultores* hactenus laudabiliter obſervatus is fuit, ut Ordinarius hiſtoriam affectus primò recenſuerit; poſt eum verò Junior inter Conſultores ſermocinatus fuerit: & ſic conſequenter, donec concluſionem fecerit inter illos Senior. Si autem duo vel tres Ordinarii fuerint, Junior incipiat, pergant ſecundus & tertius; dein, ſecundum Artis ſenium, ſuum forment conſilium: quo facto, Extraordinarii, ordine ſenii, ſuam deponant opinionem. Si verò Decanus extraordinarius fuerit; illi, velut capiti, cætera membra cedant, habeatq́; is concluſionem, niſi Ordinarius fuerit. Tunc enim & ipſe ſolâ primariâ ubiq; ſeſſione contentus eſſe debet: nam ipſius eſt, relationem facere, aliisq; concluſionem relinquere, niſi ab aliis dicta paucis velit recapitulare, & votorum pluralitati, quod æquum eſt, ſubſcribere.

CAPUT II.

Circa Quæ, & Quot, Conſultationes verſari debeant.

HAllucinantur plurimùm ii, qui, dum, ſuo diſcurſu, de Ægroti ſalute, vel ſaltem de rebus ad ſalutem pertinentibus, ſermonem formare deberent, turpiſſimè in devia, & quæſtiones Logicas, vel Philoſophicas, deflectunt: veluti quendam tædioſè inaudivimus, qui, ut temperamentum

Conſultorum errores varii.

Patientis detegeret, longo præmiſſo diſcurſu, hanc enodabat Quæſtionem: utrum detur temperamentum ad pondus, & utrum temperamentum ſit quinta qualitas: Alter, inter viros doctiſſimos, Humoriſta dixit: ſciendum autem eſt, in corpore humano quatuor eſſe elementa, & quatuor humores: alius omnes Ægroti moralitates, non ſine inſigni honoris labe, & aurium, detractiones horrentium, læſione recenſebat: alter toto (ut ajunt) cœlo errabat, & de non entibus, id eſt, affectibus minimè in corpore exiſtentibus diſcurrebat: alius Aſtrologiam in materia de criſi oſtentabat, cauſamq́ue dierum criticorum nunc à Lunâ, nunc à diſpoſitione, nunc ab utroque, deducebat: alter, medicamentis oneratus, ut mendicus laciniis, & aſinus ſaccis, ut Practicus videretur, prodibat, verùm ex maxima ſimplicium & compoſitorum ſarcina vix unum ad rationem mixti accommodatum, quod, velut agens, paſſo in debito gradû applicari debuiſſet, reperiebatur: alius, ut ſe eloquentem per omnes Rhetoricæ Tropos atque figuras oſtentaret, ingentem diſcurſum de morbo, ejuſq́ue cauſis, formabat, curam verò alii prorſus morbo accommodabat, priorum immemor dictorum: alius ita longus erat, ut finem neſciret. Sunt errores, qui oriuntur ex ignorantia methodi conſultandi: ſi enim ſcirent, quid priùs, quid poſteriùs dicendum foret, inutili, inanique ratiocinio & balbutie tempus minimè tererent, aliisq́; ſuffurarentur. Neceſſe tamen eſt, ut *Conſultores* ſuis ſe Auditoribus accommodent; qui ſi doctiores ſunt, docta quædam, ex Medicinæ penetralibus decerpta, ad majus lumen conciliandum, breviter interſerenda ſunt: item ſi Profeſſor aliquis coram Diſcipulis dicat, illi plus, quàm aliis, licet dicere. Duo itaque, in univerſum, *Conſultoribus* ſunt objecta: finis ſcilicet, & omnia, quæ requiruntur ad finem obtinendum: in his univerſa Medicorum lex verſatur, & Prophetæ, reliqua incaſſum proferuntur: finis eſt duplex: cognitio, & actio. Non enim ſemper vocantur Medici propter actionem, id eſt, ut curent; ſed propter cognitionem, ut nimirum purè cognoſcant præſentem,

Auditoribus ſeſe accommodent conſultor.

Objecta Conſultorũ duo.

Duplex finis, cognitio, & actio.

ſentem, præteritum, vel futurum morbi, aut naturæ, eventum: ut cognoſcant, v. g. an octimeſtris partus ſit vitalis; victurus Ægrotus; an mortuus fuerit veneno, an alio quovis morbo, ſublatus, an jugulatus &c. In his fiunt conſultationes ob ſolam cognitionem, non ob actionem. *Actiones* autem, quæ *deſumuntur* ex omnibus Medicinæ partibus, ſunt præſervatio, conſervatio, curatio, mitigatio, reſtauratio. Omnis enim medica actio illûc vergit, ut præſentem ſanitatem conſervare, morbos imminentes præpedire, præſentes è corpore eliminare, ſymptomata lenire, & convaleſcentes, vel debiles, vel ſenes, reſtaurare poſſit. Hæ ſunt rationes, & actiones, ob quas inſtituitur conſilium: ad unum ex iſtis finem conſequendum omnia ſunt conquirenda, & è Medicinæ ſinu depromenda, quæ quocunq; modo faciunt ad præſervandum, curandum, leniendum, reſtaurandum: &, cùm diverſiſſima ſint iſta, & fines diverſi; media quoq;, id eſt, diſcurſûs, & actiones, ad eos conſequendos diverſi eſſe debent.

Unde actiones deſumuntur.

Caput. III.

Quid dicendum ſit in Conſultatione, *quando ejusdem finis eſt cognitio tantùm; & non actio.*

Cùm omnia ſemper ad ſuum finem dirigenda ſint; inveſtiganda hîc erunt media, quibus vera rei quæſitæ & propoſitæ *cognitio* (actio enim per Conſultationem hanc non requiritur) & ſcientia haberi poſſit: &, cùm finis identidem diverſus ſit; & media eſſe diverſa neceſſe erit. Finem eſſe diverſum, patet ex hoc, quòd alia eſt *cognitio* rei *ſecundum*, alia *præter* naturam: aliud, inquam, eſt, *rem*, quæ eſt *ſecundum naturam, cognoſcere*: aliud eſt, *rem cognoſcere*, quæ eſt *præter naturam*. Alia enim *præceſſêre rem ſecundum naturam*, alia rem *præter naturam*: alia *præſenter utramq; comitantur*, alia *ſubſequuntur*. Hic omnis *cognitio* eſt vel *præteritorum*, vel *præſentium*, vel *futurorum*; quæ ſemper ex *Signis* eruenda eſt: *ſigna* autem vel *ſalutem*, vel *mortem præſagiunt*; vel *morbi longitudinem*, vel *brevitatem*; vel ejusdem *cauſas* vel *accidentia*: ita, ut ſigna *quadruplicem originem* habere videantur; utpote eſſentiam, cauſas, effectûs & proportionẽ, ſeu ſimile: id eſt, ſigna vel *ab eſſentia*, vel *à cauſis*, vel ab *effectibus*, vel à *proportione*, & *ſimilitudine*, velut *Fontibus*, oriuntur. Vide *Inſtit*. Noſtr. de ſemeiotica. Longum enim foret, hîc doctrinã de ſignis repetere. Si, v. g. per inſtitutam conſultationem, ſciri tantùm deſideretur, utrum Æger ex tali ægritudine periturus ſit, in hocque totus Conſultationis cardo, ad actionem minimè procedendo, verſetur: hîc Conſultor Medicus prædictos *ſignorum fontes* percurrere, & à recto principio ſuum inchoare debet diſcurſum: v. g. ab *Eſſentiâ ipſius morbi*: ſi eſt febris lethalis, dicet breviter: cùm conſultatio hæc de ſalute, vel morte Patientis inſtituta ſit; morbos verò ſalubres dicamus, qui vel naturæ, vel artis, beneficio è corpore eliminari poſſunt, lethales verò, qui & Naturæ, & Artis, vires longè exſuperant: colligo hîc, ex ſignis, morbum hunc, expenſâ ejus eſſentiâ, eſſe lethalem. Eſt enim febris putrida continua, maligna, vehemens, complicata, inordinata, inæqualis, ſymptomatibus graviſſimis ſtipata, in tempore prægreſſo, & occaſione præcepta: non ſufficit hîc, nudè aſſerere, ſed per ſigna probet, eſſe *febrim*, utpote ob calorem, ſitim, pulſum celerem &c. *putridam*, ob ejus inæqualitatem; &c eſſe *continuam*, eò, quòd nulla unquam fiat remiſſio; eſſe malignam, eò, quòd pulſus & urina non correſpondeant virium imbecillitati ſummæ; nam pulſus eſt quandoque æqualis, eſtq; ſignum, jam malum eſſe in habitu, & ſenſibile, ſupra ſenſorium poſitum, non elicere ſenſationem: urinæ ſunt, ob eandem cauſam, laudabiles, & vires ſummè dejectæ, quod ſummum eſt malignitatis indicium: verbo: huc omnia, quæ de idea & formâ morbi, de differentiis &, occaſionaliter, de ratione mixti, ſeu de temperamento, & mixtura partium, earúmque proprietatibus, dignitate, ſitu, actionibus integris, aut læſis, in parte tantùm, vel in toto dici poſſunt, referenda ſunt. Hiſce diligenter recenſitis, tranſeat ad alium *fontem*; utpote ad *Cauſas*, dicatque, morbum eſſe lethalem, ſi proveniat à bile æruginosâ, in corpore multis infirmitatibus debilitato, malis humoribus repleto, diuturnam conſtipationem paſſo; ſi morbus

Cognitio in Conſultatione.

Fontes Signorum 4.

Diſcurſus à primo fonte, ſi morbi Eſſentiâ.

à ſecundo fonte: Cauſis.

pro-

proveniat à cauſis fortiſſimis, & difficulter amobilibus; ſi occaſio agendi jam dudum præterita fuerit; nullaque vel præpoſtera, & absque methodo, à principio adhibita fuerint medicamenta, quæ non tantùm non profuerunt, ſed etiam nocuerunt; vel non fuerunt proportionata; utpote debilia; morbus verò magnus. Hic aliæ quælibet cauſæ, plus aggravantes malum, tam externæ, & procatarcticæ, quàm internæ, antecedentes, & conjunctæ, recenſendæ ſunt: velut eſt äër æſtivus, ad febrem non parum contribuens, regio calida, animi pathemata, ut ira, ſollicitudo: harum, & ſimilium cauſarum ſigna diligenter ſunt recenſenda, ut nihil aſſeratur, quod non apertè demonſtretur.

à tertio fonte Effectibus,

Poſtea *Effectus* ſunt expendendi; ut ſunt actiones, excrementa, qualitates corporis, & omnia eorum ſigna: dicet ſimiliter, affectum hunc eſſe lethalem, ſi actiones vitales, animales, & naturales; deficiunt; ſi pulſus adſit totalis intermittens, vel deficiens, ſi vermiculans ſit, vel formicans; reſpiratio intercepta, & difficilis; ſi adſit vehemens delirium, cum riſu; ſi accedant convulſiones, quæ, ſecundum Hippoc. *aph.* febribus ſuccedentes peſſimæ; ſi ſumma urget virium debilitas, ſupinus decubitus, corporis ad pedes prolapſus, dolorum oblivio, ſitis, quæ inſatiabilis antè fuit, jam nulla, lingva aſpera & nigricans, excrementorum alvi, & veſicæ, omnimoda retentio, vel eorum, unà cum ſuccis, corpori utilibus, præter voluntatem exeretio; ſi excrementa ſint variegata, & à naturali ſuo ſtatu plurimum recedant; ſi partes corporis externæ rigeant, internæ urantur; cutis livescat, aut nigris exanthematibus obtegatur; ſi facies Hippocratica, ſqualida, duraque adſit: ex his, & ſimilibus,

à quarto fonte. ſimilitudinem.

præcipuè ſi plures eodem tempore ſimiliter afficiantur, & moriantur, mortem liberè prædicere poterit Conſultator, ultra non progrediendo: quandoquidem tota hæc *Conſultatio* tantùm *circa cognitionem* verſatur.

CAPUT IV.

Quid dicendum ſit in Conſultatione cujus finis eſt Actio.

Actio in Conſultatione.

APud pleroſque uſu & conſvetudine receptum eſt, ut Medicus, pro Ægroti ſalute conſultaturus, prius de naturali Ægri temperamento, ætate, corporiſque ſtructurâ; deinde de morbi naturâ, cauſis, ſignis; denique de curandi ratione agat. Hunc conſultandi modum carpunt nonnulli; inter quos eſt Argenterius, dicens, perperàm Medicos diſcurſum verboſum & longum de temperamento contexere, eò, quod multi ſint morbi, qui, integro permanente, temperamento affligunt, ut ſunt morbi magnitudinis, conformationis, numeri, compoſitionis: v.g. luxatio. Verùm ſi tales, dum Ægri temperamentum, in principio conſultationis, expendunt, aberrent, levis eſt contra ordinem defectus: & quamvis affectus ejusmodi per ſe noti ſint; cauſæ tamen ſunt ignotæ, & plerunq; temperamento adſcribuntur. Nonne aſperitatis & lævitatis cauſa ad temperamentum refertur? Nonne temperamentum humidum gibbos, & luxationes ſæpe cauſat, dilatando ſcilicet ligamenta, & laxando tendines? Quis neget, à temperamento calido febrim excitari? Deinde, utut diſcurſus de temperamento, in ejusmodi caſibus, ad eorum cognitionem ſuperfluus ſit; eſt tamen ſummè neceſſarius ad curationem, & præſervationem. Non tamen negamus, convenientiùs, in principio *Conſultationis*, ubi de læſo temperamento, aut partium ſimilarium ſanitate, quæſtio incidit, ſermonem à complexionis naturalis diſpoſitione inchoari: nam *rectum eſt index obliqui*: nec bene ſciri poteſt receſſus à ſtatu naturali, niſi perſpectus ſit idem ſtatus naturalis. Sciet enim Phyſicus, per naturalem mixti rationem, quantum in præternaturali ſtatu à naturali diſcedat: ſi, v. g. *conſultatio* ſit de temperamento conſervando, vel immutando, ſciri priùs debet, quodnam, & in quali gradu, temperamentum conſervandum, vel quantum immutandũ ſit, ut reducatur ad ſtatum ſuum naturalem. Si enim Patientis temperamentũ naturale fuerit aëreo-igneum, ſive ſanguino-bilioſum, vel aqueum, ſeu phlegmaticum, vel terreſtre, ſeu melancholicum, receſſus ab eo notabilis eſt vitioſꝰ, tantúmq; de naturali reponendũ, quantum perditum eſt, & tantum de præternaturali tollendum, quantum acceſſit. Si verò quæſtio ſit de ſtructurâ par-

thium diſſimilarium, de morbis conformationis, aut numeri, ſatius, & aptiùs, ſermo inchoatur à naturali partiū corporis ſtructurâ, conformatione, aut numero; adeoq;, ubi eſt morbus in magnitudine, vel membrum aliquod juſto plus excrevit, vitii quantitas metienda eſt per contemplationem ſimilis; crus, v.g. vel femur, contemplatione alterius cruris, vel femoris. E contra, ſi in rigore loquamur, non bene ab hominis ſtaturâ, figurâ, partium numero, ſitu, & connexione, ſermo inchoabitur, ubi conſulitur de conſervandâ temperie: tunc enim priùs per ſigna aſſignanda eſt temperies naturalis, actionibus edendis maximè idonea, quæ tandem appoſitis remediis conſervanda eſt. Si de temperamento vitiato, per medicamenta in priſtinum ſtatum reducendo, ſermo ſit inſtituendus, primò temperamentum Patientis naturale, per ſigna, ob oculos ponendum eſt; ut rectum ſit index obliqui. Hæc regulariter quidem fiunt; non tamen ſequitur, ſemper in prędictis febribus, & morbis in ſtructurâ, compoſitione, ſitu &c. nullam temperamenti rationem eſſe habendam. Nam in febribus, & aliis quibuscunque morbis, ſumma ſemper virium habenda eſt ratio; ut nempe partes ægrotæ curentur, ſanæ verò conſerventur: eſtq; ſemper aliud in Ægrotis, quod ſui conſervationem requirit, aliud, quod ſui indicat ablationem: adeoque duo ſemper præ oculis habeat Conſultor, id ſcilicet, quod *ſecundum*, & id, quod *præter naturam* eſt. Sub primo membro diſcurrendum eſt de mixti ratione, elementis, temperamentis, partibus, actionibus &c. ſub ſecundo membro de morbo, causâ morbi, & accidentibus, ſeu ſymptomatibus, eorumque differentiis, ſignis, indicationibus, prognoſticis, & therapia. In omnibus autem diligenter attendendum eſt, ne quicquam fiat temere, aut absq; methodo. Diverſas enim ob cauſas vocatur Medicus ad conſiliū; vel ad morbum, v. g. febrem, è corpore eliminandam, vel ad dolorem leniendum, vel ad ſomnum conciliandū, vel ad collapſas vires reſtituendas, vel ad aliud quodlibet urgens ſymptoma debellandum: vel ad deliberandum, utrum ſit purgandū, an mittendus ſanguis, aut ducenda urina. Quod ubi ſit, omnia illa ordine proferenda ſunt, quæ ad deperditam ſanitatem faciunt recuperandam, ea ſcil., quæ eam impediunt, tollendo.

Caput V.

Quis Ordo ſit in narrandis ſervandus.

SEpoſitis hîc quibuscunq; ambagibus, putamus, de eo *Conſultori* priùs dicendum eſſe, cujus gratiâ vocatur ad conſilium. Quòd ſi propter morbi cauſam vocetur, de eâ priùs dicat: ſi ad morbum profligandum, de eo priùs ſuum texat ſermonem: idem de ſymptomate dicendum eſt. Nam ſi Medicus vocatur ad leniendum capitis dolorem, de illius naturâ, & causâ, loquatur, opórtet; non verò de aliis. Si per conſultationem ſollicitetur Medicus, omnibus Patientis infirmitatibus proſpicere & mederi; tunc meritò ſermonem inchoabit à morbo primario, velut radice variorum ſymptomatum: ſi, v.g. hypochondriacus ſit curandus, malè faciet, ſi priùs ſymptomata, utpote abdominis & hypochondriorum inflationes, dolores, obſtructiones, in medium afferat, eorumq; naturam expendat; ſed omnium primò debet loqui de eſſentia & cauſa affectûs hypochondriaci; ut ex eo, velut radice, & causâ, omnia demum ſymptomata deducat; ad quem meritò omnia referuntur. Si, è contrà, tantùm vocetur Medicus ad leniendum capitis dolorum, in febre; de natura & eſſentia doloris prius diſcurrat, poſitáq; doloris differentiâ, an ſcilicet pungitivus, tenſivus, aut gravativus ſit, cauſam inquirat, & idonea, ad eum mitigandū, remedia ſuggerat: nec opus eſt, ut accuratè febris, & aliorum ſymptomatū, verboſè cauſas inquirat, iisque remedia opponat; ſiquidem ad id non tenetur, ad quod non poſtulatur: ſi verò vocetur Medicus, ut omnibus ſimul medeatur, malè incipiet texere ſermonem de dolore, neglectâ febris conſidetatione. Primò itaq; de febre diſcurrat; ſecundò de ſymptomatibus: dein occurrunt morbi cauſæ: poſtea ſigna prognoſtica omnia colligenda ſunt, ut eventus morbi prædici poſſit; ut intelligamus, an aliquid, an nihil, agendum ſit: deſperati enim affectûs vel ſoli prognoſtico relinquuntur, vel palliativè tractantur, & nullo generoſo curantur remedio, ne diffametur id, quod multis fuit ſaluti. Faciliùs autem morborum eventús prę-

Ordo narrandorum.

dicere poſſumus, cognitâ, & bene perſpectâ morbi ideâ, & naturâ, & genere (ſemper enim genus pronunciandú eſt, utrum ſit morbus intemperiei, conformationis, aut ſolutæ unitatis) differentiis, partibus nobilibus, vel ignobilibus, ſymptomatibus, & cauſis: prout namq; hæc diſpoſita fuerint ſecundum naturam, magnitudinem, parvitatem, aſſiduitatem, intermiſſionem, benignitatem, malignitatem, ſimplicitatem, compoſitionem, æqualitatem, ordinem, & reliquas differentias; ſalutem, aut mortem; citam, aut tardam, prænunciare poſſumus ſanitatem. Advertendú, quantum fieri poteſt, ne unum cum alio confundamus, & cauſas, & occaſiones, multorum more, ante ipſum affectum recenſeamus: ſi enim id fieri contingat, tavtologiam committi neceſſe eſt. Nam ſi, v.g. in dolore capitis, ab inſolatione, ſtatim incipiat ab occaſione, Solis nempe calore, non de eſſentia ipſius doloris; præpoſterum ſervat modum, & tavtologiam committit, opusq; habet, easdem cauſas repetere, ubi de cauſis doloris aget. Non tamen negamus, unum de neceſſitate quandoque in aliud, ſuo tamen modo, confundendum eſſe: v.g. dum genus morbi adſtruimus, id ſignis probare cogimur; adeoq; ſignorum hîc debet fieri mentio; ſed cùm grano ſalis: nam ſigna quidem generis in particulari afferuntur; non verò ſigna ipſius affectûs in genere: hinc vera confuſio dici non poteſt; ut quidam putant.

CAPUT VI.

Dum de Morbo deliberatur, quænam de illo proferenda ſint.

de Morbo proferenda.

A Principio ſtatim, poſtquam morbum à ſymptomate diſtinxerit, morbi genus aſſignet *Conſultor*, &, cùm differentiæ curationem varient, morbi differentiam adſtruat: ſi, v.g. ſit hydrops, non ſufficit dicere, eſſe morbum complicatum ex intemperie, & mala conformatione, utpote in auctâ magnitudine; ſed differentia manifeſtanda eſt, dicendúmq; eſſe vel aſcitem, vel tympanité, vel levcophlegmatiam, ſignis ſuo loco additis: nec faciat, veluti quidam, craſsâ, ut ajunt, Minervâ, ſolo nomine contenti, dicunt quidem, eſſe plevritidem, ſed nec dicunt eſſe morbú ſolutæ unitatis, cum intemperie; nec differentiam afferunt, an ſit plevritis legitima, an ſpuria: ſi dubium ſit, an affectus, de quo conſulitur, ſit ſymptoma, vel morbus; veluti Antiqui de apoplexia fecère, dum alii dicebant, eſſe ſymptoma, actionis læſionem nudè obſervantes; alii morbum, obſtructionum conſcii: ſi, inquam, dubium ſit, unú dicat, ſuiſq; ſtabiliat rationibus: idem factitandum eſt in dubiis caſibus, ſi, v.g. tam latens, aut exiguus, ſit affectus, ut dubium ſit, an ſit præter naturam: ſic controverſia eſſe poteſt, an Patiens adhuc ægrotet, an ſit in ſtatu convaleſcentiæ. In ſimilibus caſibus diligenter caveat *Conſultor* noſter, ne morbum, aut ſymptoma, nominet illud, quod eſt ſecundum naturam; ſed corporis ſtatum lynceis perluſtret oculis, ut affectum, ejusq; ſedem, reperiat, tandemq; eum irrevocabiliter baptizet, argumentisq; irrefutabilibus confirmet. Exempli gratia: ſentit aliquis totius corporis debilitatem, gravi & continuâ, dierum aliquot, torquetur ſiti, & capitis dolore, acris & mordax ejus eſt tactus, nec è lecto ſurgere, nec conſveta obire munia poteſt, adeſt pulſus magnus & frequens, inæqualis, cum ſyſtole velociori, quàm diaſtole: judicabit, abſq; dubio, Medicus, actionum læſiones conſpicatus, hîc eſſe affectum præter naturam: an verò morbus ſit, an ſymptoma, an ſtatus aliquis neuter, videre eum oportet. Dicat itaq; primò, hîc eſſe affectum præter naturam, primò, & per ſe, actiones lædentem, adeoq; morbum: ſecundò adſtruat morbi genus, dicatque, eſſe morbum in intemperie, & quidem calidâ; adeoque eſſe febrem, quæ eſt intemperies calida, in corde accenſa, per totum corpus diffuſa, omnes actiones, naturales ſcilicet, vitales, & animales, lædens: morbum eſſe, non ſymptoma, probet ex definitione morbi: genus, ſeu intemperiem, facilè probabit enumeratione partium, &, ſi dicat, nec eſſe morbum ſolutæ unitatis, nec malæ conformationis: ergo eſſe morbum intemperiei partium ſimilarium: dicat, eſſe intemperiem calidam, eſſeque morbum, pro materiali, diſpoſitioné verò præter naturam, quæ inde, tanquam terminus aliquis ſecundarius, reſultat, pro formali: dicatq;, calorem hunc præternaturalem eſſe actionum deſtructivum: ſicut calor naturalis eſt omnium actionum bonarum author, & origo: nec ideo duplicem eſſe

debere

debere calorem; ſed unum eundemq; calorem: qui, ſi ex toto fiat p. n. gangrænam excitat, nihilq; boni poteſt operari: ſi verò tantùm ſuppurationem, & putredinem, excitet, dicas, calorem adhuc ex parte, qua à natura regitur, coctionem, aliaq;, ad hominis ſalutem neceſſaria, munia exercere; ex parte verò, qua irregibilis eſt, corruptionem moliri: ſic mixta exercet opera calor, pro ut vel magis, vel minùs, recedit à ſtatu naturali; eſtq; peſſimum ſignum, ubi nulla penitus concoctionis ſigna in urinis apparent: ſic enim calor non mixta ampliùs exercet opera, ſed, velut ex toto præter naturam, totus mixti deſtructioni incumbit, nec ampliùs regitur à naturâ; id eſt, calor præter naturam ita modificatus eſt, ut penitus nihil ampliùs agere poſſit ſecundũ naturam. Ex hac actionum caloris, & qualitatum, menſurâ mixti quoque rationem metiri facilè poſſumus: qualitas enim intenſa, ſi nihil obſtet, intenſam; remiſſa remiſſam edit actionem. Animal, v.g. valet, ſed debiliter; nec tamen prorſus ſeſe habet præter naturam: ut in levi pleuritide, in quâ minus corumpitur, plus concoquitur: creſcente calore præternaturali, creſcit putredo, plus deſtruitur, minus concoquitur; ſic conſequenter, usq; dum calor ex toto præter naturam boni nihil, omne malum exercet: tandem ſequitur mixti deſtructio, igneo ſcilicet triumphante elemento, cæteraq; deſtruente. Nec mirum eſt, unum idemq; agens unum eundemque calorem, diverſas ſpecie actiones, utpote coctionem & corruptionem, nutritionem & partis deſtructionem, inducere; ubi enim intenſior eſt, humores, ad putredinem magis inclinantes, illico putrefacit; alios ad coctionem aptos coquit, & perficit; agit ſcilicet uniformiter, difformiter, pro diſpoſitione ſui ſubjecti: uti videmus, eundem cordis intenſum calorem chylum, præcociter attractum, in ſangvinem phlegmaticũ convertere, ſanguinem verò, aliosq; in ſe contentos humores, adurere; idque unâ eademque, ſed æquivocâ actione: quidni idem à calore præter naturam fieri poſſet? Ne tamen *Conſultor*, in diſcutiendis hiſce, verboſior ſit, ſed talia breviter, & clare, tangendo prætereat. Poſito itaq; morbi genere, & differentiis, & differentię gradus ad ſtruatur; dicatq; *Conſultor*, qualis ſit febris; an ephemera? an hectica; an putrida: quæ ſunt tria febrium genera: cùm a. dixerit antè, adeſſe tactûs acrimoniam, vehementem capitis dolorem, ſitim continuam &c. probabile eſt, eſſe febrem aliquam ex continuis, eamq; ſynochum putridam, cum, vel ſine malignitate; pro ut ſe vel gravia, vel levia, vel maligna, vel non maligna, exſerent ſymptomata. Hîc explicet, quid ſit ſynochus putrida; utpote quæ nullis paroxyſmis exacerbatur, aut diſtinguitur; ſed univerſum illius tempus veluti una acceſſione conſumitur, & à principio usq; ad finem durat: exprimat item, utrum ſit acmaſtica, ſeu homotonos, quæ à principio ad finem æqualis perdurat; epacmaſtica, quæ paulatim increſcit; utrum paracmaſtica, quæ paulatim decreſcit, & in qua illud eſt contrarium epacmaſticæ, quòd minus putreſcat, quàm diſſipatur: item dic, utrum ſit à ſangvine, an à bile, putreſcente in majoribus vaſis. Vide plura de ſynocho putrida, *in Tractatu noſtro de febribus*.

Caput. VII.

De aliis, in Conſultatione, *circa eſſentiam, & differentias morbi conſiderandis.*

Hîc *differentia*, quæ quocunq; modo curationem invertere poſſunt, enarrandæ ſunt: alia enim eſt curatio in febribus, dum adeſt malignitas; alia, ubi abeſt; alia curatio in principio morbi; alia in augmento; alia in vigore; alia in declinatione; alia die critico; alia extra illum. Dicendum in aliis febribus, utrum habeant acceſſiones, & quales, longas, an breves, graves, vel leves, ordinatas, vel inordinatas, æquales, vel inæquales, eodem, vel alio tempore, cum, vel ſine rigore longo, vel brevi, cum, vel ſine vomitu, cum, vel ſine ſyncope invadentes; utrum acceſſio cum, vel ſine ſudore, aut alia excretione, deſinat: &, cùm acceſſiones æquè quatuor, ac morbi, tempora habeant; utrum principium, an augmentum, ſtatus, aut declinatio, an contrà, longior ſit: item cùm vix eſſentia, & differentiæ morbi plenariè dignoſci poſſint, absque notitia loci affecti; operæ pretium erit, de eo diſcurrere, eúmq; indagare: ſi, v.g. ſit febris tertiana intermittens, inquirere meritò debet Conſultator, utrum ejus

Circa eſſent. & differentias morbi, in conſultatione.

Digitized by Google

focus ſit in parte nobili, & principe, vel publicum officium habente; vel in ignobili, in centro corporis, vel in habitu, ut multi voluerunt, in, vel extra venas: dic, te exiſtimare, focum illius febris non eſſe in habitu corporis: nam aliàs opus non eſſet, interna deobſtruentia adhibere, nec venæ ſectionem, nec purgationem præſcribere; ſic enim ſufficerent frictiones, & poros deobſtruentia: ſi putredinis focus eſſet in habitu corporis, quomodo in principio febris perſæpe adeſſet vomitus, vel alvi fluxus, vel urinæ tinctæ & bilioſæ copia; quæ, teſte Gal. *l. 4. de tuenda ſanitate*, index eſt coctionis & cruditatis humorum, qui in vaſis, non, qui in habitu corporis ſtabulantur? Hinc etiam urinæ febrium intermittentium tempora manifeſtè declarant. Deinde ſi focus putredinis febris intermittentis eſſet in habitu corporis, ſequeretur, quòd finitus unus paroxyſmus nunquam rediret ampliùs, universâ ſcilicet per ſudorem diſcuſſâ materiâ, & præſente perfectiſſimâ *ἀπυρεξίᾳ*: denique ſi focus putredinis eſſet in habitu corporis, id etiam poſſet fieri in febribus à pituitâ ortis: hinc fierent tumores œdematoſi; quod non fit: adeſſet perpetua, in febre tertianâ, laſſitudo, quam vocant ulceroſam. Nec obſtat, quòd febris ab eryſipelate, in habitu corporis exiſtente, ex bubone, plevritide, & pororum obſtructionibus, fiat: nos enim hîc loquimur de foco materiæ tertianæ, paroxyſmum excitante; qui

Focus febris tertianæ deſignatur.

non eſt in habitu corporis, ſed alibi, vel in venis, per obſtructionem earum; vel extra venas; utpote in veſicula fellis, meatu cholidocho, meatibus hepaticis, meſenterii, pancreatis, duplicatura omenti &c. Dixi etiam, materiam febris tertianæ poſſe eſſe intra venas; quamvis enim febris intermittentis materia ſæpius ſit extravaſata; non tamen id ſemper accidit, nec inde pendet intermittentia febris; ſed potiùs, quòd portio humoris, à quâ dependet, diu poſſit ſubſiſtere; & eſt continua: vel non diu, & eſt intermittens, in quocunque loco perſiſtat humor putreſcens: *febris*

Febris continua etiam fit ab humore extravaſato.

enim *continua* æquè fit *ab humore extravaſato*, uti patet in plevritide, peripnevmonia, angina, hepatis renumq; inflammatione, ubi eſt febris continua, & tamen focus materiæ putreſcentis eſt extra vaſa: dicendum item, febris univerſalis primarium ſubjectum eſſe cor, ſecundum Avicennæ definitionem, à Nobis, *in tract. de febribus*, admiſſam. Non tamen negamus, dari *febrem particularem*; nec videtur, eſſe de eſſentia omnis

Febris particularis.

febris, ut calor ſit accenſus in corde: nam Galen. *l. 1. aph. comment. 10.* & *1. de morbis acutis, com. 18.* docet, febrem eſſe converſionem naturalis caloris in igneum: ſed in qualibet parte noſtri corporis hæc converſio fieri poteſt: ergo in qualibet parte poteſt eſſe febris particularis ſcilicet. Idq; taliter probatur: calor, communicatus à corde, in partem, & calor repertus in illâ, independenter à corde, ejuſdem intenſionis, ſunt ejuſdem naturæ, & valent eaſdem numero lædere operationes: ergo, ſi dicitur febris, prout communicatur à corde, etſi non communicetur ab illo, febris erit. Deinde nullum accidentale alicui poteſt eſſe de intrinſecâ ratione illius, cui accidentale eſt: ſed oriri à corde, eſt febri accidentale: probatur: oriri à corde, eſt cauſari à corde: ſed oriri ab alio, eſt rei productæ extrinſecum & accidentale; cùm cauſari ab alio, dicat ordinem ad illud; qui ordo eſt quid extrinſecum: ergo oriri à corde, eſt accidentale febri. Tertiò morbꝰ non conſtituitur in ratione morbi, ratione partis, quam occupat; ſed ex modo afficiendi illam: ſed calor, ob modum, cor præter naturam afficiendi, febris induit rationē; ergo ſimiliter calor, quamlibet corporis partem afficiens, ſine dependētia à corde, erit febrilis: conſeqv. probatur: quia, quod convenit alicui, ut tale, convenit omnibꝰ, quibꝰ convenit illud tale: ſed cordi, habenti calorem præternaturalem, convenit, habere febrem: ergo cuicunq; parti, independenter à corde habenti calorem præternaturalē, convenit, habere febrem independenter à corde: prob. ex Gal. *l. 6. de morbis popularibus, p. 1. tex. 29. & com. 29.* Quamvis verò ejuſmodi difficultates non, niſi obiter, & per transennam, in conſiliis diſcutiendæ ſint: attamen cùm ſine his morbi eſſentia, & differentiæ, quandoq; penitus enodari non poſſint; iis paulìſper incumbere neceſſe eſt. Ex adductis hiſce exemplis facilè poterit ſcire *Conſultor*, *Quid*, & *Quantum*, de cujusvis morbi

bi eſſentia, & differentiis, dicere ſe oporteat.

Caput VIII.

Quid Conſultori *de cauſa morbi dicendum ſit.*

Cauſa morbi. De morbi eſſentiâ, formâ, ſeu ideâ, dictum eſt: reſtat, ut *Cauſam efficientem*, inſtrumentalem, ſubjectum, & cauſas cum, & ſine quibus, diligenter perpendamus. Medico enim omnia ad ſuas cauſas reducenda ſunt, *Modi cauſandi.* dicendumq́; quid morbum pariat, conſtituat, augeat, foveat; quid ei occaſionem dederit; quæ ſit ejus materia; quod ſubjectum, vel inſtrumentum: utrum cauſæ præteritæ, præſentes, vel futuræ ſint, quarum ſcilicet vi nunc augetur, vel perdurat, vel minuitur affectus: progrediendum ſemper eſt à cauſis immediatis ad remotas; ſed per medium, id eſt, intermedias minimè negligendo: neque aucupetur *Conſultor* cauſas, & occaſiones, ad morbum vel parum, vel nihil conferentes: velut ſi quis febris cauſam ad ebrietatis actum ante aliquot annos commiſſum referat: ſed ſeriem ordinatam cauſarum omnium, in eundem morbum conſpirantium, conſtituat. Nec inconſultum erit, certa rerum genera ſtatuere, ex quibus cauſæ efficientes materiaq́; deſumantur: poſtea exponendum, qualiter cauſæ efficientes ad morbum producendum, vel *Quomodo cauſæ efficientes ad morbum producendum concurrant.* conſervandum, concurrunt: an ſcilicet per ſe, an per accidens; an ſuâ ſubſtantiâ, quantitate, qualitate, vel ordine, aut agendi modo, vel tempore, & morâ, aut ſubjecti ratione; an primariò, an per conſenſum: an ut propriæ, vel communes; an ut internæ, an ut externæ; an procatarcticæ, & evidentes, vel ut antecedentes, vel conſequentes, conjunctæ, vel remotæ; in actu, vel in potentia; per ſe, vel per accidens. Exemplo ſit juvenis annorum 21. temperamenti ſanguineo-biliosi, qui, poſtquam fructibus horariis, utpote prunis, melonibus, & nucibus, ſe ingurgitaſſet, incidit in alvi fluxum, ita, ut omni horæ quadrante ad ſeceſſum cogeretur: quod poſtquam duobus continuaſſet diebus, dejectiones factæ frequentiores, &, prævio ingenti ventris, paulò infra umbilicum, tormine, viſa ſunt excrementa muco & cruore permixta. Dicet hic *Conſultor*, diſcuſſâ tamen priùs morbi, utpote dyſenteriæ, ſeu ulceris inteſtinorum, eſſentiâ, & differentiis, de quibus diſſeret ſecundum ſuperiùs dicta, alvi fluxuum varias eſſe cauſas; utpote temperamentum humidum, unde vis retentrix debilior; abundantiam *bilis*, quæ perpetuò ſtimulat ad excretionem, eſtq́; *clyſter* quidam *natu-* *Bilis clyſter naturalis.* *ralis*; venarū lactearum obſtructiones, & ventriculi coctionem diminutam; unde fit rejectio materiæ, inſtar chyli; eſtq́; cæliaca paſſio, vel apepſia; & ventriculi retentricæ abolita; fitq́; lienteria, *Alvi fluxus hepaticus.* vel ab hepatis debilitate, obſtructione, vel retentrice ipſius læsâ: & fit fluxus hepaticus; vel, brevibus quibuſdam intervallis, Æger cum humoribus, & excrementis, ſangvinem rejicit, cui aliquid vel muci, vel puris, admixtum eſt, idque cum dolore & torminibus: quem affectum cauſant humores acres, & exulcerantes, ut bilis flava, porracea, æruginoſa, & atra; tum etiam ſalſa pituita, ab intenſo calore in capite genita, vel per diuturnam moram, & putredinem, in ventre ſalſedinē adepta, & ad inteſtina, ut partes affectas, delata; ubi, propter lentorem, diutius hærens, tandem eadem exulcerat, dum *mixtionem*, ex humido aqueo conſtantem, reſolvit calore & ſiccitate ſuâ, & ſolidum terreſtre ſuperat, adurit & reſoluit: eſt enim acris ille humor, ſeu ichor, velut menſtruum, corpus ſolidum corroſione ſuâ diſſolvens; ſeu, ut cum Ariſtotele loquar, deſtructivum: huic accedit peculiaris quædam contagioſa, & occulta qualitas, inteſtinis peculiariter infenſa, quæ eadē exulcerat. Eſſe *contagioſam qualitatē quæ* *Cur fermentum dyſenteriarum ſit contagioſum.* *ſimile fermentū in humoribus excitat*, patet ex hoc, quòd unus ab altero inficitur, ſi vel ſellæ, vel excrementis, ſubſideat: mucoſa autem illa ſubſtantia, quæ tantâ copiâ rejicitur, eſt inteſtinorum excrementū; quod tantò copioſius eſt, quantò magis inteſtina ſunt affecta, & quantò minùs alimentum proprium in propriam ſubſtantiam vertere poſſunt. Recenſitis cauſis hiſce internis, enumerandæ ſunt externæ; ut aër calidus, cibus vitioſus, fructûs horarii immaturi, utpote pruna, melopepones, nucés, uvæ recentes, præcipuè quæ ad Moſellam creſcunt, his enim comeſtis olim exercitus Gallicus per dyſenteriam maximâ ex

parte

Digitized by Google

ſunt duplices: à ſanguine, & bile: frigidi à melancholia & phlegmate: adeoq; in univerſum quatuor ſunt genera ſubalterna tumorum.

Quare ſunt quatuor? ℞. quia totidem ſunt humores: nempe ſanguis, bilis, pituita, & melancholia.

Qualis *tumor* oritur *à ſanguine?* Reſp. phlegmone, eſſeræ ſanguineæ &c.

Quales tumores oriuntur *à reliquis tribus humoribus?* ℞. à Cholera eryſipelas, formica, eſſeræ cholericæ &c. à Pituita œdema, hydrops &c. à Melancholia ſcirrhus, nodus, cancer. &c.

Quid eſt *Oedema?* ℞. eſt tumor albus, à phlegmate ortus, qui, ſi prematur, foveolas retinet impreſſas.

Quibus debet *curari?* ℞. calefacientibus cataplaſ. ex *ſalvia, majorana, rore marino, ſpica, camomilla, meliloto,* &c. item fomento *ex ſpiritu vini.*

Quid eſt *Phlegmone?* ℞. eſt tumor à ſanguine ortus, cum magna inflammatione: interdum etiam cum febre, &c. curatur venæſectione:

Quid eſt *Eryſipelas?* ℞. eſt tumor à bile ortus, ſine magna elatione, cum magno fervore &c. curatur diſcutientibus, & minimè humectantibus; præcipue in Auſtria.

Quid eſt *Scirrhus?* ℞. eſt tumor à melancholia ortus, durus, niger, & diuturnus: curatur emollientibus, & moderate calefacientibus.

Quot habent tumores *Tempora?* ℞. 4. principium, augmentum, ſtatum, & declinationem.

Uterisné iiſdem *medicamentis in principio,* quibus in *ſtatu* & *declinatione?* ℞. minimè: nam ſemper utimur in principio moderatè repercutientibus; modò non ſint prope partes principales: in ſtatu verò minimè: tum enim maximè conveniunt diſcutientia & maturantia.

Quomodo diſtingvis *Bubonem Venereum* à *Peſtilenti?* ℞. bubo Venereus eſt oblongus, ovalis, & maximè circa vaſa ſeminalia, ſeu ſpermatica: bubo peſtilens autem eſt acutus, cum ſumma febre, palpitatione cordis, animi deliquiis, ſudore frigido, nauſeâ; & plerunque peſte graſſante evenit.

Licétne bubonem Venereum repercutere. ℞. minimè; nam aliàs Patiens in luem Veneream eſſet ruiturus: quod ſi factû fuerit, curam ſudoriferam ipſi præſcribere opus futurum eſt.

Quæres: oportetne, vel licet, *bubones peſtilentes* repercutere? ℞. minimè; ſed potiùs attrahendi ſunt, nempe *emplaſtro de fuligine,* ex *alliis* cum *Theriacâ, culo gallinæ viventis admoto,* item *cucurbitulis; cauterio actuali,* & *potentiali.*

Quid judicas *de Tumore* aliquo *inſtar veſica,* in parte aliqua debili: v.g. tumidis cruribus, vel genitalibus, ſubito orto, ſublivido, cum circulo ſubrubro &c? ℞. plerunque eſſe gangrænam: hinc etiam *Theriaca* diſſoluta in *aqua vitæ* ſtatim eſt applicanda.

Quid eſt *Vulnus?* ℞. eſt ſolutio continui recens, cruenta, ſine pure, in partibus mollioribus, extrinſecus incidens.

Quotuplex eſt Vulnus? ℞. duplex: ſimplex, & compoſitum: ſimplex eſt ſine ſubſtantiæ deperditione: compoſitum cum ſubſtantiæ deperditione.

Quibus in partibus ſunt *maximè lethalia* vulnera? ℞. in partibus nobilibus: v.g. corde, hepate, cerebro; deinde in ſtomacho, inteſtinis, veſica, vena cava, arteria aorta, pulmone, nervis &c. hic ex Anatomia examinari poteſt. Quòd ſi vulnus eſſet in capite, & quidem ſatis profundum, nec, applicatis plurimis medicamentis, *ſanguinem ſiſtere* poſſes, quid tandem agendû foret? ℞. candente ferro venam, vel arteriam eſſe cauterizandam.

Quæres: quibus *ſignis* cognoſcis, *cerebrum unà cum meningibus eſſe læſum?* ℞. ſi Patiens non poterit nucem dentibus premere, multò minùs frangere; vel chordam dentibus preſſam, tenſamque ad ſonum irritandum pati: ſi vomat, ob nervi gaſtrici communioné propagationis ſextæ conjugationis.

Quomodo te geris in *vulnerato Capite?* ℞. capite à capillis libero, ſanguinem abſtergo, & ſiſto medicamentis ſanguinem ſiſtentibus, & artificioſa deligatione caput munio.

Uterisné *oleis* in capitis vulneribus? ℞. non: Quare ℞. quia olea ſunt oſſibus inimica; deinde ob capitis & cerebri humiditatem ſequuntur ulcera ſordida. Ergo nunquam uti licet oleo? ℞. omnino licet; ſed ad reliquas capitis partes non vulneratas: has enim plerunque ſoleo *oleo roſarum* inungere: nam hoc extrinſecè confortat, & calo-

rem

rem contemperat. Quòd ſi diu poſt ſanatum vulnus redeat iterum *dolor*, quid illud? Reſp. adeſſe particulam oſſis, quam germani Schiefer vocant; & tunc vulnus denuo aperiendum, & corpori illi exitus eſt conciliandus, factâ inciſione cruciata; ſi nihil obſtet.

Quæres: poteſtne *vulnus inferiorem corporis regionem tranſire non læſis inteſtinis?* ℞. omnino: quia inteſtina cedunt.

Quæres: *in vulneribus ſclopetorum adeſtne ſemper combuſtio, & venenum?* ℞. minimè: 1. quia, antequam glans comburerct, liquefieret: ſecundò fruſta indusii, & ſubuculæ, in profundo vulnerum vidimus, minime tamen combuſta: tertiò, quia venenum hoc non conficitur ex plumbo, neque ex nitro, nec ſulphure: ergo pro ordinario non adeſt venenum: non tamen negamus, glandes nonnunquam intoxicari: deinde jacula cominus facta comburere.

Quæres: quare ergo *alexipharmaca* proſunt in omni ſclopeti vulnere? ℞. ideò prodeſſe, quia ſunt cordialia: hîc autem magna adeſt debilitas.

Quæres: quando poſt vulnera ſequuntur *paralyſes*: & quando convulſio? ℞. quando nervi ſunt omnino abſciſſi, ſequitur paralyſis: quando verò ſunt puncti, tum maximus ſubſequitur dolor, & plerunque convulſio.

Quæres: quando *vulneratus* aliquis *mortuus in aqua* reperitur, quomodo poteſt ſciri, an fuerit *ante mortuus*; vel utrum demum fuerit *ſubmerſus* ℞. ſi ab aquâ intumuerit, fuit in aqua ſubmerſus: ſi minùs, antea jam fuerat mortuus, & ita in aquam projectus. Hîc *de cura vulnerum particularium* examinari poteſt.

Quæres: *quid* eſt Ulcus? ℞. cum Avicenna: ulcus eſt continui ſolutio in carne, quando jam continet ſaniem, & pus.

Quotuplex eſt ulcus? ℞. duplex: ſimplex, & compoſitum: ſimplex eſt, quod nullum accidens habet adjunctum: compoſitum è contra.

Quæres: *quotuplices* ſunt *Cauſæ* ulcerum? ℞. duplices eſſe: extrinſecas, & intrinſecas: vel antecedentes, & conjunctas: extrinſecè inducitur ulcus per contagium; vel etiam remotè, à re ſolvente continuum: intrinſecè mediatè à cacochymiâ, quæ eſt cauſa antecedens: cauſa verò conjuncta eſt malitia complexionis in parte, quæ humores acres & corroſivos generat; unde fit corroſio.

Quomodo *Vulnus* diſtinguitur ab *Ulcere*? ℞. 1. per id, quòd Ulcus habet pus; vulnus verò non: 2. quòd vulnus eſt recens cōtinui ſolutio; ulcus verò antiqua.

Quæres: *quotuplex* eſt *excrementū ulceris*? ℞. eſſe tenue, & craſſum.

Quæres: quomodo *bonum pus* agnoſcis? ℞. quando eſt album, læve, æquale, minimè fœtidum.

Quid judicas de *ſanie aquoſa*, ab ulcere profluente? ℞. cruditatem, ulceris malitiam, & fiſtulam appropinquantem metuo.

Quæres: quæ *ulcera* ſunt *peſſima*? ℞. cacoëthica illa, quæ ſunt corroſiva, rotunda, exedentia, Venerea, diuturna, quæque infra ſe habent oſſa corrupta, item ſordida: nam ſordes inſtar lapidis corroſivi ulcera augent, & nutriunt.

Quid putas de *ulcere* jam ſæpius *ſanato*, & ſemper *recurrente*? ℞. vel os ſubtus eſſe corruptum, vel partem aliquam mandantem eſſe malè affectam: quibus non curatis, nec ulcus conſtantem curationem admittere poteſt.

Quid eſt *Fiſtula*? ℞. eſt ulcus profundum, habens orificium anguſtum, & viā calloſam, pus frequenter effundens.

Quid eſt *Gangrana*? ℞. eſt corruptionis vel putrefactionis principium, ſenſum adhuc modicum particulâ, ſeu membro, ſervante: quod tunc vocatur *Gangrana Phlegmonodes*: quando verò particula ſenſum amiſit, vocatur Syderatio, ſeu *Sphacelos*. Germani primam vocant, warmen oder heiſſen Brand; ſecundam den kalten Brand; cujus terminus eſt eſthiomenus, ſeu membri completâ corruptiò, perambulans, membrumq; totum exedens: nam cum ejus corruptio incipit perambulare in membro, & apoſtematur, quod eſt in circuitu corrupti, & fortaſſe pervenit ad corruptionem completam; tunc dicitur totum accidens eſthiomenus, eò, quòd, niſi craſſities partis retineret, totum abſcederet.

Quid eſt *Cancer*? ℞. eſt morbus ex materia frigida & ſicca, per putrefactionem calefactâ, productus, duritiem faciens ſecundum putrefactionis gradum, dolorem excitans, colore cancrorum

Digitized by Google

rum elixatorum ſimili coloratus, vel inæqualibus tumoris ſurculis cancro ſimilis; unde Cancer dicitur: eſtque duplex: *occultus*, ſeu Noli metangere: & apertus.

Licetne *cancrum occultum aperire*? ℞. minimè; hinc etiam dicitur; Noli me tangere.

Quæ ſunt *ſigna ulcerum benignorum*? Reſp. quorum excrementa ſunt laudabilia, & indies meliorantur, graviora nulla adſunt ſymptomata.

Quid eſt *Fractura*? Reſp. eſt ſolutio continuitatis in oſſe, à violentia quadam extrinſecus accidente irruens:

Ergo etiam *oſſis inciſio* eſt fractura? Reſp. ita: nam propriè vulnus (quod tantùm eſt in parte molli) dici non poteſt.

Quotuplices ſunt fracturæ? Reſp. primò eſſe alias ſimplices; alias compoſitas: ſecundò alias eſſe ſecundum longum, quæ dicuntur *Fiſſura*; alias ſecundum obliquum, vel transverſum.

Quæ ſunt *ſigna oſſis fracti*? Reſp. tactu ſentitur fractura: cognoſcitur à vitioſa figura, dolore, eminentiis, foveis.

Quomodo *oſſa fracta reponuntur*, & quæ ſunt *repoſitorum ſigna*? Reſp. in oſſis repoſitione primò debet fieri extenſio; dein repoſitio; & tertiò in loco ſuo detentio: ſigna oſſis repoſiti ſunt, quando dolor eſt ſublatus, quando figura rediit; quando redit aliquis voluptatis ſenſus.

Quomodo oſſa *poſt fracturas iterum concreſcunt*? Reſp. per callum.

Quid eſt *Callus*? Reſp. eſſe ſubſtantiam quandam, ab alimento oſſis reſiduo generatam, duram, & albam, oſſis vices gerentem. Hic inquirere poteſ de cura & medicamentis, ad fracturas pertinentibus.

Quid eſt *Luxatio*? Reſp. capitis oſſis à propria ſede divulſio. Poteſtne fieri *à cauſis internis*? Reſp. omnino: fit enim ab humore ligamenta laxante, & ſeſe in articuli acetabulum inſinuante: id autem fit ſæpe poſt difficiles morbos, aliqua criſi, metaſtaſi factâ.

Quotuplex eſt *luxatio*? Reſp. duplex: perfecta, & imperfecta, ſeu *Subluxatio*. Quæ ſunt luxationes *maximè periculoſæ*? Reſp. capitis, mandibularum, vertebrarum colli, dorſi, coxæ.

Quare luxatio *vertebrarum colli* eſt tam periculoſa? Reſp. quia medulla ſpinalis totaliter comprimitur; unde oritur apoplexia. Quare *coxa* luxatio eſt periculoſa? Reſp. quia ad hanc facilè ſequitur atrophia, ſeu tabes, capite nimirum femoris venas, arterias, nervos comprimente; unde cruris nutitio prohibetur, ſenſusque & motus perit: deinde eſt difficillimæ curationis, ob ligamenti teretis, ſeu rotundi, nimiam elongationem, vel dilacerationem: unde, etſi os reponatur, non tamen manet. Hîc, pro coronide, interrogari poterit de *Modo conficiendi Potiones Vulnerarias*, *Emplaſtra*, *Unguenta*, *Cataplaſmata*, *Fomenta*, *Stillicidia*, *Repercutientia*, *Diſcutientia*, ſeu *Reſolventia*, *Emollientia*, *Maturantia*, *Attrahentia* &c. item de *Venaſectione*, *Arteriotomia*, *Lithotomia*.

Et hæc ſufficiant pro Manuductione ad Chirurgi examen, & pro breviſſimâ eorum, quæ in Chirurgia dicta ſunt, repetitione. Deo trino & uni, Beatiſſimæ Virgini Mariæ, laus honor & gloria, per æviterna ſecula: Amen.

TRA-

TRACTATUS SEXTUS

DE METHODO, ARTE, ET REGULIS BENE CONSULTANDI, DIRECTIS AD RATIONEM MIXTI.

Quibus acceſſerunt rariores quædam obſervationes & Notatu digniores.

CAPUT I.

De neceſſitate & utilitate hujus Tractatus, cum expoſitione tractandorum, & ordine inter Conſultores ſervando.

Cùm inter nobiliſſima ac præſtantiſſima Medicorum ornamenta nullum pulchrius, laudabilius, aut glorioſius reperiatur, quàm expedita, matura, & ſapiens *Conſultandi doctrina*, quâ doctus ab indocto, ſapiẽs ab ignaro Theſſalo, qui ſæpiſſime mentitâ eruditione reliquis profundiſſimè doctis longiſſimè præfertur, verbo, verus Medicus ab Impoſtore interſtinguitur, & plurimi, ob conſultationem indignè inſtitutam, famam, viâ indirectâ conquiſitam, de repente amiſerint; è contra rarâ eruditione conſpicui, qui, ob taciturnitatem & modeſtiam, vel aliorum invidiam (invidi enim ſibi ſimiles difficulter, doctiores minimè tolerant) diutiſſimè latuerant, facto ſermone, doctrinâ & eruditione pleno, emerſerint; idque jure plus quàm meritiſſimo, dum hinc innotuit eorum doctrina, modeſtia, & morum comitas, quæ virtutes hominum benevolentiam & amorem magneticè alliciunt, & ad ſe rapiunt; nec ſuis careat utilitatibus *Conſultationum* frequentia, dum, præterquàm quòd per frequentatos actus maturatur judicium, memoria excolitur, etiam omnis ignorantiæ rubigo ab ipſa rationis & Palladis Arce procul exulat: Medicus *conſulturus* diligenter ſtudiis incumbere, plurimos Auctores pervolvere & diſcutere debet, ut coram aliis, tum Medicis doctiſſimis, tum Aſſidentibus, graviter, eruditè, & abſque ullo æſtimationis ſuæ nævo, de morbi genere, differentiis, cauſis, ſignis, indicationibus, & materiâ remediorum, diſſerere, ſuam ſententiam fortiſſimis, & è profundiſſimo naturæ & Medicinæ centro erutis rationibus ſtabilire, præſtantium & authenticorum ſcriptorum auctoritate fulcire, aliorum ſententias, ſi minùs idoneæ, & rationi conſentaneæ videantur, modeſtè, & abſque zelo, refutare, aliamque magis tutam curæ viam perſvadere poſſit. Nimirum per *Conſultationes* acuitur intellectus, ſumma accedit conſultationum & actionum promptitudo, & reſolutio; quæ aliàs teſtudine magis tardigrada fuit: inde tandem ſalutaria reſultant conſilia, & Ægrotus, antea unius Medici præſentiæ & ſvaſioni diffidens ac inobediens, tot Clariſſimorum Virorum futuro auxilio firmiſſimam adhibet fidem, &, conceptâ ſpe recuperandæ ſanitatis, pro diſcrimine vitando, præſcripta omnia vitæ ſanitatisque præſidia apertis amplectitur ulnis. Verùm cùm pauciſſimi ha-

Per conſultationes docti ab indoctis diſtinguuntur.

Utilitas conſultationum.

Confidentia Patientis in Conſilia.

ctenus inventi ſint, qui vera *conſultandi* præcepta in ordinem redegerint, plurimiq; errores ex confuſo, de variis Medicinæ partibus, dicendi modo oriantur (Turpe enim, & ſaluberrimæ Arti indecorum eſt, virum, Doctoris nomine inſignitum, nec docere, nec ſenſa ſua

Tractanda traduntur.

explicare) trademus primò, *circa Quæ, & Quotnam*, Conſultationes *verſentur*: ſecundò, *Quid priùs dicendum, & à Quo auſpicandum ſit*: tertiò, *Quomodo omnia, propoſita rei accommodata & apta, ad rationem mixti reducta, rationibus & Auctoritatibus ſint fulcienda*: quarto, Ne ſcurrilia & indecora, in *Conſultationes* irrepant: *Quomodo ſingula decenter ſint pronuncianda*, ut ſua modeſtè tueatur, & aliena defendat, ſapientiſſimus *Conſultor*. Ne autem, uti, id dictante arrogantiâ, cum ſummo Patientum detrimēto, ſæpius compertum eſt, unus alteri locū & dignitatem præcipere attentet, Ordo

Ordo obſervandus inter conſultores.

inter *Conſultores* hactenus laudabiliter obſervatus is fuit, ut Ordinarius hiſtoriam affectûs primò recenſuerit; poſt eum verò Junior inter Conſultores ſermocinatus fuerit: & ſic conſequenter, donec concluſionem fecerit inter illos Senior. Si autem duo vel tres Ordinarii fuerint, Junior incipiat, pergant ſecundus & tertius; dein, ſecundum Artis ſenium, ſuum forment conſilium: quo facto, Extraordinarii, ordine ſenii, ſuam deponant opinionem. Si verò Decanus extraordinarius fuerit, illi, velut capiti, cętera membra cedant, habeatq; is concluſionem, niſi Ordinarius fuerit. Tunc enim & ipſe ſolâ primariâ ubiq; ſeſſione contentus eſſe debet: nam ipſius eſt, relationem facere, aliisq; concluſionem relinquere, niſi ab aliis dicta paucis velit recapitulare, & votorum pluralitati, quod æquum eſt, ſubſcribere.

Caput II.

Circa Quæ, & Quot, Conſultationes verſari debeant.

HAllucinantur plurimùm ii, qui, dum, ſuo diſcurſu, de Ægroti ſalute, vel ſaltem de rebus ad ſalutem pertinentibus, ſermonem formare deberent, turpiſſimè in devia, & quæſtiones Logicas, vel Philoſophicas, deflectunt: veluti quendam tædiosè inaudivimus, qui, ut temperamentum Patientis detegeret, longo præmiſſo diſcurſu, hanc enodabat Quæſtionem:

Conſultorum errores varii.

utrum detur temperamentum ad pondus, & utrum temperamentum ſit quinta qualitas: Alter, inter viros doctiſſimos, Humoriſta dixit: ſciendum autem eſt, in corpore humano quatuor eſſe elementa, & quatuor humores: alius omnes Ægroti moralitates, non ſine inſigni honoris labe, & aurium, detractiones horrentium, læſione recenſebat: alter toto (ut ajunt) cœlo errabat, & de non entibus, id eſt, affectibus minimè in corpore exiſtentibus diſcurrebat: alius Aſtrologiam in materia de criſi oſtentabat, cauſamque dierum criticorum nunc à Lunâ, nunc à diſpoſitione, nunc ab utroque, deducebat: alter, medicamentis oneratus, ut mendicus laciniis, & aſinus ſaccis, ut Practicus videretur, prodibat, verum ex maxima ſimplicium & compoſitorum ſarcina vix unum ad rationem mixti accommodatum, quod, velut agens, paſſo in debito gradû applicari debuiſſet, reperiebatur: alius, ut ſe eloquentem per omnes Rhetoricæ Tropos atque figuras oſtentaret, ingentem diſcurſum de morbo, ejusque cauſis, formabat, curam verò alii prorſus morbo accommodabat, priorum immemor dictorum: alius ita longus erat, ut finem neſciret. Sunt errores, qui oriuntur ex ignorantia methodi conſultandi: ſi enim ſcirent, quid priùs, quid poſteriùs dicendum foret, inutili, inanique ratiocinio & balbutie tempus minimè tererent, aliisq; ſuffurarentur. Neceſſe tamen eſt, ut *Conſultores* ſuis ſe

Auditoribus ſeſe accommodet conſultor.

Auditoribus accommodent: qui ſi doctiores ſunt, docta quædam, ex Medicinæ penetralibus decerpta, ad majus lumen conciliandum, breviter interſerenda ſunt: item ſi Profeſſor aliquis coram Diſcipulis dicat, illi plus, quàm aliis, licet dicere. Duo itaque, in univerſum, *Conſultoribus* ſunt objecta: finis

Objecta Conſultorū duo.

ſcilicet, & omnia, quæ requiruntur ad finem obtinendum: in his univerſa Medicorum lex verſatur, & Prophetæ, reliqua incaſſum proferuntur: finis eſt duplex: cognitio, & actio. Non enim ſemper vocantur Medici propter actionem,

Duplex finis, cognitio, & actio.

id eſt, ut curent; ſed propter cognitionem, ut nimirum purè cognoſcant præſentem,

ſentem, præteritum, vel futurum morbi, aut naturæ, eventum: ut cognoſcant, v. g. an octimeſtris partus ſit vitalis; victurus Ægrotus; an mortuus fuerit veneno, an alio quovis morbo, ſublatus, an jugulatus &c. In his fiunt conſultationes ob ſolam cognitionem, non ob actionem. *Actiones* autem, quæ *deſumuntur* ex omnibus Medicinæ partibus, ſunt præſervatio, conſervatio, curatio, mitigatio, reſtauratio. Omnis enim medica actio illûc vergit, ut præſentem ſanitatem conſervare, morbos imminentes præpedire, præſentes è corpore eliminare, ſymptomata lenire, & convaleſcentes, vel debiles, vel ſenes, reſtaurare poſſit. Hæ ſunt rationes, & actiones, ob quas inſtituitur conſilium: ad unum ex iſtis finem conſequendum omnia ſunt conquirenda, & è Medicinæ ſinu depromenda, quæ quocunq; modo faciunt ad præſervandum, curandum, leniendum, reſtaurandum: &, cùm diverſiſſima ſint iſta, & fines diverſi; media quoq; id eſt, diſcurſûs, & actiones, ad eos conſequendos diverſi eſſe debent.

Caput. III.

Quid dicendum ſit in Conſultatione, *quando ejuſdem finis eſt cognitio tantùm; & non actio.*

Cùm omnia ſemper ad ſuum finem dirigenda ſint; inveſtiganda hîc erunt media, quibus vera rei quæſitæ & propoſitæ *cognitio* (actio enim per Conſultationem hanc non requiritur) & ſcientia haberi poſſit: &, cùm finis identidem diverſus ſit; & media eſſe diverſa neceſſe erit. Finem eſſe diverſum, patet ex hoc, quòd alia eſt *cognitio* rei *ſecundum*, alia *præter* naturam: aliud, inquam, eſt, *rem*, quæ eſt *ſecundum naturam, cognoſcere*: aliud eſt, *rem cognoſcere*, quæ eſt *præter naturam*. Alia enim *præceſſêre rem ſecundum naturam*, alia rem *præter naturam*: alia *præſenter utramq; comitantur*, alia *ſubſequuntur*. Hic omnis *cognitio* eſt vel *præteritorum*, vel *præſentium*, vel *futurorum*; quæ ſemper ex *Signis* eruenda eſt: *ſigna* autem vel *ſalutem*, vel *mortem præſagiunt*; vel *morbi longitudinem*, vel *brevitatem*; vel ejuſdem *cauſas* vel *accidentia* ita, ut ſigna *quadruplicem originem* habere videantur; utpote eſſentiam, cauſas, effectûs & proportioné, ſeu ſimile: id eſt, ſigna vel *ab eſſentia*, vel *à cauſis*, vel ab *effectibus*, vel à *proportione*, & *ſimilitudine*, velut *Fontibus*, oriuntur. Vide *Inſtit.* Noſtr de ſemeiotica. Longum enim foret, hîc doctrinâ de ſignis repetere. Si, v. g. per inſtitutam conſultationem, ſciri tantùm deſideretur, utrum Æger ex tali ægritudine periturus ſit, in hocque totus Conſultationis cardo, ad actionem minimè procedendo, verſetur: hic Conſultor Medicus prædictos *ſignorum fontes* percurrere, & à recto principio ſuum inchoare debet diſcurſum: v. g. ab *Eſſentiâ ipſius morbi*: ſi eſt febris lethalis, dicet breviter: cùm conſultatio hæc de ſalute, vel morte Patientis inſtituta ſit; morbos verò ſalubres dicamus, qui vel naturæ, vel artis, beneficio è corpore eliminari poſſunt, lethales verò, qui & Naturæ, & Artis, vires longè exſuperant: colligo hîc, ex ſignis, morbum hunc, expensâ ejus eſſentiâ, eſſe lethalem. Eſt enim febris putrida continua, maligna, vehemens, complicata, inordinata, inæqualis, ſymptomatibus graviſſimis ſtipata, in temporis prægreſſo, & occaſione præcepta; non ſufficit hîc, nudè aſſerere, ſed per ſigna probet, eſſe *febrim*, utpote ob calorem, ſitim, pulſum celerem &c. *putridam*, ob ejus inæqualitatem; &c eſſe *continuam*, eò, quòd nulla unquam fiat remiſſio; eſſe malignam, eò, quòd pulſus & urina non correſpondeant virium imbecillitati ſummæ; nam pulſus eſt quandoque æqualis, eſtq; ſignum, jam malum eſſe in habitu, & ſenſibile, ſupra ſenſorium poſitum, non elicere ſenſationem: urinæ ſunt, ob eandem cauſam, laudabiles, & vires ſummè dejectæ, quod ſummum eſt malignitatis indicium: verbo: huc omnia, quæ de idea & formâ morbi, de differentiis &, occaſionaliter, de ratione mixti, ſeu de temperamento, & mixtura partium, earúmque proprietatibus, dignitate, ſitu, actionibus integris, aut læſis, in parte tantùm, vel in toto dici poſſunt, referenda ſunt. Hiſce diligenter recenſitis, tranſeat ad alium *fontem*; utpote ad *Cauſas*, dicatque; morbum eſſe lethalem, ſi proveniat à bile æruginosâ, in corpore multis infirmitatibus debilitato, malis humoribus repleto, diuturnam conſtipationem paſſo; ſi morbus

Cognitio in Conſultatione.

Fontes ſignorum 4.

Diſcurſus à prim. fonte, ſc. morbi Eſſentiâ.

à ſecundo fonte: Cauſis.

proveniat à cauſis fortiſſimis, & difficulter amobilibus; ſi occaſio agendi jam dudum præterita fuerit; nullaque vel præpoſtera, & abſque methodo, à principio adhibita fuerint medicamenta, quæ non tantùm non profuerunt, ſed etiam nocuerunt; vel non fuerunt proportionata: utpote debilia; morbus verò magnus. Hic aliæ quælibet cauſæ, plus aggravantes malum, tam externæ, & procatarcticæ, quàm internæ, antecedentes, & conjunctæ, recenſendæ ſunt: velut eſt aër æſtivus, ad febrem non parum contribuens, regio calida, animi pathemata, ut ira, ſollicitudo: harum, & ſimilium cauſarum ſigna diligenter ſunt recenſenda, ut nihil aſſeratur, quod non apertè demonſtretur. Poſtea *Effectus* ſunt expendendi; ut ſunt actiones, excrementa, qualitates corporis, & omnia eorum ſigna: dicet ſimiliter, affectum hunc eſſe lethalem, ſi actiones vitales, animales, & naturales; deficiunt; ſi pulſus adſit totalis intermittens, vel deficiens, ſi vermiculans ſit, vel formicans; reſpiratio intercepta, & difficilis; ſi adſit vehemens delirium, cum riſu; ſi accedant convulſiones, quæ, ſecundum Hippoc. *aph.* febribus ſuccedentes peſſimæ; ſi ſumma urget virium debilitas, ſupinus decubitus, corporis ad pedes prolapſus, dolorum oblivio, ſitis, quæ inſatiabilis antè fuit, jam nulla, lingva aſpera & nigricans, excrementorum alvi, & veſicæ, omnimoda retentio, vel eorum, unà cum ſuccis, corpori utilibus, præter voluntatem excretio; ſi excrementa ſint variegata, & à naturali ſuo ſtatu plurimum recedant; ſi partes corporis externæ rigeant, internæ urantur, cutis liveſcat, aut nigris exanthematibus obtegatur; ſi facies Hippocratica, ſqualli-da, duraque adſit: ex his, & ſimilibus, præcipuè ſi plures eodem tempore ſimiliter afficiantur, & moriantur, mortem liberè prædicere poterit Conſultator, ultra non progrediendo: quandoquidem tota hæc *Conſultatio* tantùm *circa cognitionem* verſatur.

à tertio fonte Effectibus.

à quarto fonte, Conſultationis.

CAPUT IV.

Quid dicendum ſit in Conſultatione cujus finis eſt Actio.

Actio in Conſultatione.

APud pleroſque uſu & conſvetudine receptum eſt, ut Medicus, pro Ægroti ſalute conſultaturus, priùs de naturali Ægri temperamento, ætate, corporisque ſtructurâ, deinde de morbi naturâ, cauſis, ſignis; denique de curandi ratione agat. Hunc conſultandi modum carpunt nonnulli; inter quos eſt Argenterius, dicens, perperàm Medicos diſcurſum verboſum & longum de temperamento contexere, eò, quod multi ſint morbi, qui, integro permanente, temperamento affligunt. ut ſunt morbi magnitudinis, conformationis, numeri, compoſitionis: v.g. luxatio. Verùm ſi tales, dum Ægri temperamentum, in principio conſultationis, expendunt, aberrent, levis eſt contra ordinem defectus: & quamvis affectus ejusmodi per ſe noti ſint; cauſæ tamen ſunt ignotæ, & plerunq; temperamento adſcribuntur. Nonne aſperitatis & lævitatis cauſa ad temperamentum refertur? Nonne temperamentum humidum gibbos, & luxationes ſæpe cauſat, dilatando ſcilicet ligamenta, & luxando tendines? Quis neget, à temperamento calido febrim excitari? Deinde, utut diſcurſus de temperamento, in ejusmodi caſibus, ad eorum cognitionem ſuperfluus ſit; eſt tamen ſummè neceſſarius ad curationem, & præſervationem. Non tamen negamus, convenientiùs, in principio *Conſultationis*, ubi de læſo temperamento, aut partium ſimilarium ſanitate, quæſtio incidit, ſermonem à complexionis naturalis diſpoſitione inchoari: nam *rectum eſt index obliqui*: nec bene ſciri poteſt receſſus à ſtatu naturali, niſi perſpectus ſit idem ſtatus naturalis. Sciet enim Phyſicus, per naturalem mixti rationem, quantum in præternaturali ſtatu à naturali diſcedat: ſi, v. g. *conſultatio* ſit de temperamento conſervando, vel immutando, ſciri priùs debet, quodnam, & in quali gradu, temperamentum conſervandum, vel quatenus immutandum ſit, ut reducatur ad ſtatum ſuum naturalem. Si enim Patientis temperamentum naturale fuerit aëreo-igneum, ſive ſanguino-bilioſum, vel aqueum, ſeu phlegmaticum, vel terreſtre, ſeu melancholicum, receſſus ab eo notabilis eſt vitioſus, tantùmq; de naturali reponendū, quantum perditum eſt, & tantum de præternaturali tollendum, quantum acceſſit. Si verò quæſtio ſit de ſtructurâ partium

rium diſſimilarium; de morbis conformationis, aut numeri, ſatius, & aptiùs, ſermo inchoatur à naturali partiũ corporis ſtructurâ, conformatione, aut numero; adeoq;, ubi eſt morbus in magnitudine, vel membrum aliquod juſto plus excrevit, vitii quantitas metienda eſt per contemplationem ſimilis; crus, v. g. vel femur, contemplatione alterius cruris, vel femoris. E contra, ſi in rigore loquamur, non bene ab hominis ſtaturâ, figurâ, partium numero, ſitu, & connexione, ſermo inchoabitur, ubi conſulitur de conſervandâ temperie: tunc enim priùs per ſigna aſſignanda eſt temperies naturalis, actionibus edendis maximè idonea, quæ tandem appoſitis remediis conſervanda eſt. Si de temperamento vitiato, per medicamenta in priſtinum ſtatum reducendo, ſermo ſit inſtituendus, primò temperamentum Patientis naturale, per ſigna, ob oculos ponendum eſt; ut rectum ſit index obliqui. Hæc regulariter quidem fiunt; non tamen ſequitur, ſemper in prędictis febribus, & morbis in ſtructurâ, compoſitione, ſitu &c. nullam temperamenti rationem eſſe habendam. Nam in febribus, & aliis quibuscunque morbis, ſumma ſemper virium habenda eſt ratio; ut nempe partes ægrotæ curentur, ſanæ verò conſerventur: eſtq; ſemper aliud in Ægrotis, quod ſui conſervationem requirit, aliud, quod ſui indicat ablationem: adeoque duo ſemper præ oculis habeat Conſultor, id ſcilicet, quod *ſecundum*, & id, quod *præter naturam* eſt. Sub primo membro diſcurrendum eſt de mixti ratione, elementis, temperamentis, partibus, actionibus &c. ſub ſecundo membro de morbo, causâ morbi, & accidentibus, ſeu ſymptomatibus, eorumque differentiis, ſignis, indicationibus, prognoſticis, & therapia. In omnibus autem diligenter attendendum eſt, ne quicquam fiat temere, aut absq; methodo. Diverſas enim ob cauſas vocatur Medicus ad conſiliũ; vel ad morbum, v. g. febrem, è corpore eliminandam, vel ad dolorem leniendum, vel ad ſomnum conciliandũ, vel ad collapſas vires reſtituendas, vel ad aliud quodlibet urgens ſymptoma debellandum: vel ad deliberandum, utrum ſit purgandũ, an mittendus ſanguis, aut ducenda urina. Quod ubi fit, omnia illa ordine proferenda ſunt, quæ ad deperditam ſanitatem faciunt recuperandam, ea ſcil., quæ eam impediunt, tollendo.

CAPUT V.

Quis Ordo ſit in narrandis ſervandus.

SEpoſitis hîc quibuscunq; ambagibus, putamus, de eo *Conſultori* priùs dicendum eſſe, cujus gratiâ vocatur ad conſilium. Quòd ſi propter morbi cauſam vocetur, de eâ priùs dicat: ſi ad morbum profligandum, de eo priùs ſuum texat ſermonem: idem de ſymptomate dicendum eſt. Nam ſi Medicus vocatur ad leniendum capitis dolorem, de illius naturâ, & causâ, loquatur, opórtet; non verò de aliis. Si per conſultationem ſollicitetur Medicus, omnibus Patientis infirmitatibus proſpicere & mederi; tunc meritò ſermonem inchoabit à morbo primario, velut radice variorum ſymptomatum: ſi, v. g. hypochondriacus ſit curandus, malè faciet, ſi priùs ſymptomata, utpote abdominis & hypochondriorum inflationes, dolores, obſtructiones, in medium afferat, eorumq; naturam expendat; ſed omnium primò debet loqui de eſſentia & cauſa affectûs hypochondriaci; ut ex eo, velut radice, & causâ, omnia demum ſymptomata deducat; ad quem meritò omnia referuntur. Si, è contrà, tantùm vocetur Medicus ad leniendum capitis dolorum, in febre; de natura & eſſentia doloris priùs diſcurrat, poſitâq; doloris differentiâ, an ſcilicet pungitivus, tenſivus, aut gravativus ſit, cauſam inquirat, & idonea, ad eum mitigandũ, remedia ſuggerat: nec opus eſt, ut accuratè febris, & aliorum ſymptomatũ, verboſè cauſas inquirat, iisque remedia opponat; ſiquidem ad id non tenetur, ad quod non poſtulatur: ſi verò vocetur Medicus, ut omnibus ſimul medeatur, malè incipiet texere ſermonem de dolore, neglectâ febris conſideratione. Primò itaq; de febre diſcurrat; ſecundò de ſymptomatibus: dein occurrunt morbi cauſæ: poſtea ſigna prognoſtica omnia colligenda ſunt, ut eventus morbi prædici poſſit; ut intelligamus, an aliquid, an nihil, agendum ſit: deſperari enim affectûs vel ſoli prognoſtico relinquuntur, vel palliativè tractantur, & nullo generoſo curantur remedio, ne diffametur id, quod multis fuit ſaluti. Faciliùs autem morborum eventús prę-

Ordo narrandorum.

dicere poſſumus, cognitâ, & bene perſpectâ morbi ideâ, & naturâ, & genere (ſemper enim genus pronunciandū eſt, utrum ſit morbus intemperiei, conformationis, aut ſolutæ unitatis) differentiis, partibus nobilibus, vel ignobilibus, ſymptomatibus, & cauſis: prout namq; hæc diſpoſita fuerint ſecundum naturam, magnitudinem, parvitatem, aſſiduitatem, intermiſſionem, benignitatem, malignitatem, ſimplicitatem, compoſitionem, æqualitatem, ordinem, & reliquas differentias; ſalutem, aut mortem; citam, aut tardam, prænunciare poſſumus ſanitatem. Advertendū, quantum fieri poteſt, ne unum cum alio confundamus, & cauſas, & occaſiones, multorum more, ante ipſum affectum recenſeamus: ſi enim id fieri contingat, tavtologiam committi neceſſe eſt. Nam ſi, v.g. in dolore capitis, ab inſolatione, ſtatim incipiat ab occaſione, Solis nempe calore, non de eſſentia ipſius doloris; præpoſterum ſervat modum, & tavtologiam committit, opusq; habet, easdem cauſas repetere, ubi de cauſis doloris aget. Non tamen negamus, unum de neceſſitate quandoque in aliud, ſuo tamen modo, confundendum eſſe: v.g. dum genus morbi adſtruimus, id ſignis probare cogimur; adeoq; ſignorum hîc debet fieri mentio; ſed cum grano ſalis: nam ſigna quidem generis in particulari afferuntur; non verò ſigna ipſius affectûs in genere: hinc vera confuſio dici non poteſt; ut quidam putant.

CAPUT VI.

Dum de Morbo deliberatur, quænam de illo proferenda ſint.

de Morbo proferenda.

A Principio ſtatim, poſtquam morbum à ſymptomate diſtinxerit, morbi genus aſſignet *Conſultor*, &, cùm differentiæ curationem varient, morbi differentiam adſtruat: ſi, v.g. ſit hydrops, non ſufficit dicere, eſſe morbum complicatum ex intemperie, & mala conformatione, utpote in aucta magnitudine: ſed differentia manifeſtanda eſt, dicendúmq; eſſe vel aſcitem, vel tympanitē, vel levcophlegmatiam, ſignis ſuo loco additis: nec faciat, veluti quidam, craſſâ, ut ajunt, Minervâ, ſolo nomine contenti, dicunt quidem, eſſe plevritidem, ſed nec dicunt eſſe morbū ſolutæ unitatis, cum intemperie; nec differentiam afferunt, an ſit plevritis legitima, an ſpuria: ſi dubium ſit, an affectus, de quo conſulitur, ſit ſymptoma, vel morbus; veluti Antiqui de apoplexia fecère, dum alii dicebant, eſſe ſymptoma, actionis læſionem nudè obſervantes; alii morbum, obſtructionum conſcii: ſi, inquam, dubium ſit, unū dicat, ſuíſq; ſtabiliat rationibus: idem factitandum eſt in dubiis caſibus, ſi, v.g. tam latens, aut exiguus, ſit affectus, ut dubium ſit, an ſit præter naturam: ſic controverſia eſſe poteſt, an Patiens adhuc ægrotet, an ſit in ſtatu convaleſcentiæ. In ſimilibus caſibus diligenter caveat *Conſultor* noſter, ne morbum, aut ſymptoma, nominet illud, quod eſt ſecundum naturam; ſed corporis ſtatum lynceis perluſtret oculis, ut affectum, ejusq; ſedem, reperiat, tandemq; eum irrevocabiliter baptizet, argumentisq; irrefutabilibus confirmet. Exempli gratia: ſentit aliquis totius corporis debilitatem, gravi & continuâ, dierum aliquot, torquetur ſiti, & capitis dolore, acris & mordx ejus eſt tactus, nec è lecto ſurgere, nec conſveta obire munia poteſt, adeſt pulſus magnus & frequens, inæqualis, cum ſyſtole velociori, quàm diaſtole: judicabit, abſq; dubio, Medicus, actionum læſiones conſpicatus, hîc eſſe affectum præter naturam: an verò morbus ſit, an ſymptoma, an ſtatus aliquis neuter, videre eum oportet. Dicat itaq; primò, hîc eſſe affectum præter naturam, primò, & per ſe, actiones lædentem, adeoq; morbum: ſecundò adſtruat morbi genus, dicatque, eſſe morbum in intemperie, & quidem calidâ; adeoque eſſe febrem, quæ eſt intemperies calida, in corde accenſa, per totum corpus diffuſa, omnes actiones, naturales ſcilicet, vitales, & animales, lædens: morbum eſſe, non ſymptoma, probet ex definitione morbi: genus, ſeu intemperiem, facilè probabit enumeratione partium, &, ſi dicat, nec eſſe morbum ſolutæ unitatis, nec malæ conformationis: ergò eſſe morbum intemperiei partium ſimilarium: dicat, eſſe intemperiem calidam, eſſeque morbum, pro materiali, diſpoſitionē verò præter naturam, quæ inde, tanquam terminus aliquis ſecundarius, reſultat, pro formali: dicatq;, calorem hunc præternaturalem eſſe actionum deſtructivum: ſicut calor naturalis eſt omnium actionum bonarum author, & origo: nec ideo duplicem eſſe

debere

debere calorem; ſed unum eundemq; calorem: qui, ſi ex toto fiat p. n. gangrænam excitat, nihilq; boni poteſt operari: ſi verò tantùm ſuppurationem, & putredinem, excitet, dicat, calorem adhuc ex parte, qua à natura regitur, co-ctionem, aliaq;, ad hominis ſalutem neceſſaria, munia exercere; ex parte verò, qua irregibilis eſt, corruptionem moliri: ſic mixta exercet opera calor, pro ut vel magis, vel minùs, recedit à ſtatu naturali; eſtq; peſſimum ſignum, ubi nulla penitus concoctionis ſigna in urinis apparent: ſic enim calor non mixta ampliùs exercet opera, ſed, velut ex toto præter naturam, totus mixti deſtructioni incumbit, nec ampliùs regitur à naturâ; id eſt, calor præter naturam ita modificatus eſt, ut penitus nihil ampliùs agere poſſit ſecundù naturam. Ex hac actionum caloris, & qualitatum, menſurâ mixti quoque rationem metiri facilè poſſumus: qualitas enim intenſa, ſi nihil obſtet, intenſam; remiſſa remiſſam edit actionem. Animal, v.g. valet, ſed debiliter; nec tamen prorſus ſe ſe habet præter naturam: ut in levi pleuritide, in quâ minus corumpitur, plus concoquitur: creſcente calore præternaturali, creſcit putredo, plus deſtruitur, minus concoquitur; ſic conſequenter, usq; dum calor ex toto præter naturam boni nihil, omne malum exercet: tandem ſequitur mixti deſtructio, igneo ſcilicet triumphante elemento, cæteraq; deſtruente. Nec mirum eſt, unum idemq; agens unum eundemque calorem, diverſas ſpecie actiones, utpote coctionem & corruptionem, nutritionem & partis deſtructionem, inducere; ubi enim intenſior eſt, humores, ad putredinem magis inclinantes, illico putrefacit; alios ad coctionem aptos coquit, & perficit; agit ſcilicet uniformiter, difformiter, pro diſpoſitione ſui ſubjecti: uti videmus, eundem cordis intenſum calorem chylum, præcociter attractum, in ſangvinem phlegmaticũ convertere, ſanguinem verò, aliosq; in ſe contentos humores, adurere; idque unâ eademque, ſed æquivocâ actione: quidni idem à calore præter naturam fieri poſſet? Ne tamen *Conſultor*, in diſcutiendis hiſce, verboſior ſit, ſed taliâ breviter, & clare, tangendo prætereat. Poſito itaq; morbi genere, & differentiâ, & differentię gradus adſtruatur; dicatq; *Conſultor*, qualis ſit febris; an ephemera? an hectica; an putrida: quæ ſunt tria febrium genera: cùm a. dixerit antè, adeſſe tactûs acrimoniam, vehementem capitis dolorem, ſitim continuam &c. probabile eſt, eſſe febrem aliquam ex continuis, eamq; ſynochum putridam, cum, vel ſine malignitate; pro ut ſe vel gravia, vel levia, vel maligna, vel non maligna, exſerent ſymptomata. Hîc explicet, quid ſit ſynochus putrida; utpote quæ nullis paroxyſmis exacerbatur, aut diſtinguitur; ſed univerſum illius tempus veluti una acceſſione conſumitur, & à principio usq; ad finem durat: exprimat item, utrum ſit acmaſtica, ſeu homotonos, quæ à principio ad finem æqualis perdurat; epacmaſtica, quæ paulatim increſcit; utrum paracmaſtica, quæ paulatim decreſcit, & in qua illud eſt contrarium epacmaſticæ, quòd minus putreſcat, quàm diſſipatur: item dic, utrum ſit à ſangvine, an à bile, putreſcente in majoribus vaſis. Vide plura de ſynocho putrida, *in Tractatu noſtro de febribus*.

Caput. VII.

De aliis, *in* Conſultatione, *circa eſſentiam, & differentias morbi conſiderandis.*

Circa eſſent. & differentias morbi in conſultatione.

Hîc *differentia*, quæ quocunq; modo curationem invertere poſſunt, enarrandæ ſunt: alia enim eſt curatio in febribus, dum adeſt malignitas; alia, ubi abeſt; alia curatio in principio morbi; alia in augmento; alia in vigore; alia in declinatione; alia die critico; alia extra illum. Dicendum in aliis febribus, utrum habeant acceſſiones, & quales, longas, an breves, graves, vel leves, ordinatas, vel inordinatas, æquales, vel inæquales, eodem, vel alio tempore, cum, vel ſine rigore longo, vel brevi, cum, vel ſine vomitu, cum, vel ſine ſyncope invadentes; utrum acceſſio cum, vel ſine ſudore, aut alia excretione, deſinat: &, cùm acceſſiones æquè quatuor, ac morbi, tempora habeant; utrum principium, an augmentum, ſtatus, aut declinatio, an contrà, longior ſit: item cùm vix eſſentia, & differentiæ morbi plenariè dignoſci poſſint, abſque notitia loci affecti; operæ pretium erit, de eo diſcurrere, eúmq; indagare: ſi, v.g. ſit febris tertiana intermittens, inquirere meritò debet Conſultator, utrum ej.

bi eſſentia, & differentiis, dicere ſe oporteat.

Caput VIII.

Quid Conſultori *de cauſa morbi dicendum ſit.*

Cauſa morbi.

DE morbi eſſentiâ, formâ, ſeu ideâ, dictum eſt: reſtat, ut *Cauſam efficientem*, inſtrumentalem, ſubjectum, & cauſas cum, & ſine quibus, diligenter perpendamus. Medico enim omnia ad ſuas cauſas reducenda ſunt, dicendumq; quid morbum pariat, conſtituat, augeat, foveat; quid ei occaſionem dederit; quæ ſit ejus materia; quod ſubjectum, vel inſtrumentum: utrum cauſæ præteritæ, præſentes, vel futuræ ſint, quarum ſcilicet vi nunc augetur, vel perdurat, vel minuitur affectus: progrediendum ſemper eſt à cauſis immediatis ad remotas; ſed per medium, id eſt, intermedias minimè negligendo: neque aucupetur *Conſultor* cauſas, & occaſiones, ad morbum vel parum, vel nihil conferentes: velut ſi quis febris cauſam ad ebrietatis actum ante aliquot annos commiſſum referat: ſed ſeriem ordinatam cauſarum omnium, in eundem morbum conſpirantium, conſtituat. Nec inconſultum erit, certa rerum genera ſtatuere, ex quibus cauſæ efficientes materiaq; deſumantur: poſtea exponendum, qualiter cauſæ efficientes ad morbum producendum, vel conſervandum, concurrunt: an ſcilicet per ſe, an per accidens; an ſuâ ſubſtantiâ, quantitate, qualitate, vel ordine, aut agendi modo, vel tempore, & morâ, aut ſubjecti ratione; an primariò, an per conſenſum: an ut propriæ, vel communes; an ut internæ, an ut externæ; an procatarcticæ, & evidentes, vel ut antecedentes, vel conſequentes, conjunctæ, vel remotæ; in actu, vel in potentia; per ſe, vel per accidens. Exemplo ſit juvenis annorum 21 temperamenti ſanguineo-bilioſi, qui, poſtquam fructibus horariis, utpote prunis, melonibus, & nucibus, ſe ingurgitaſſet, incidit in alvi fluxum, ita, ut omni horæ quadrante ad ſeceſſum cogeretur: quod poſtquam duobus continuaſſet diebus, dejectiones factæ frequentiores, &, prævio ingenti ventris, paulò infra umbilicum, tormine, viſa ſunt excrementa muco & cruore permixta. Dicet hic *Conſultor*, diſcuſſâ tamen priùs morbi, utpote dyſenteriæ; ſeu ulceris inteſtinorum, eſſentiâ, & differentiis, de quibus diſſeret ſecundum ſuperiùs dicta, alvi fluxuum varias eſſe cauſas; utpote temperamentum humidum, unde vis retentrix debilior; abundantiam *bilis*, quæ perpetuò ſtimulat ad excretionem, eſtq; *clyſter* quidam *naturalis*, venarũ lactearum obſtructiones, & ventriculi coctionem diminutam; unde fit rejectio materiæ, inſtar chyli; eſtq; cœliaca paſſio, vel apepſia, & ventriculi retentrix abolita; ſitq; lienteria, vel ab hepatis debilitate, obſtructione, vel retentrice ipſius læsâ: & fit fluxus hepaticus; vel, brevibus quibuſdam intervallis, Æger cum humoribus, & excrementis, ſangvinem rejicit, cui aliquid vel muci, vel puris, admixtum eſt, idque cum dolore & torminibus: quem affectum cauſant humores acres, & exulcerantes, ut bilis flava, porracea, æruginoſa, & atra; tum etiam ſalſa pituita, ab intenſo calore in capite genita, vel per diuturnam moram, & putredinem, in ventre ſalſedinẽ adepta, & ad inteſtina, ut partes affectas, delata; ubi, propter lentorem, diutius hærens, tandem eadem exulcerat, dum *mixtionis unionem*, ex humido aqueo conſtantem, reſolvit calore & ſiccitate ſuâ, & ſolidum terreſtre ſuperat, adurit & reſoluit: eſt enim acris ille humor, ſeu ichor, velut menſtruum, corpus ſolidum corroſione ſuâ diſſolvens; ſeu, ut cum Ariſtotele loquar, deſtructivum: huic accedit peculiaris quędam contagioſa, & occulta qualitas, inteſtinis peculiariter infenſa, quæ eadẽ exulcerat. Eſſe *contagioſam qualitatẽ quæ ſimile fermentũ in humoribus excitat*, patet ex hoc, quòd unus ab altero inficitur, ſi vel ſellæ, vel excrementis, ſubſideat: mucoſa autem illa ſubſtantia, quæ tantâ copiâ rejicitur, eſt inteſtinorum excrementũ; quod tantò copioſius eſt, quantò magis inteſtina ſunt affecta, & quantò minùs alimentum proprium in propriam ſubſtantiam vertere poſſunt. Recenſitis cauſis hiſce internis, enumerandæ ſunt externæ; ut aër calidus, cibus vitioſus, fructûs horarii immaturi, utpote pruna, melopepones, nucès, uvæ recentes, præcipuè quæ ad Moſellam creſcunt, his enim comeſtis olim exercitus Gallicus per dyſenteriam maximâ ex parte

Modi conſiderandi.

Quomodo cauſæ efficientes ad morbum producendum concurrant.

Bilis clyſter naturalis.

Alvi fluxus cauſæ.

Ex variis cauſis.

Cur fermentum dyſenteriarum ſit contagioſum.

Digitized by Google

parte delebatur: aquæ item vitioſæ, & cœnoſæ, non parum faciunt ad dyſenteriam generandam. Hic, abſq; ſuperiorum repetitione; dicendum, cur ejuſmodi cibi dyſenteriam generent, quia ſcilicet facilè corrumpuntur: pruna, v. g. & melopepones, ſunt mixta facilè diſſolubilia, & ob ſubſtantiæ mollitiem, & humidi vegetabilis paucitatem, ichoris verò multitudinem, quaſi tota incumbunt ad deſtructionem mixti. Verùm dicet aliquis, ſuperiùs dictũ eſſe, mixta per humidum ligari & uniri: ergò falſum erit, humidum eſſe mixti deſtructivum. R. mixta per humidum perfectivũ, & radicale, uniuntur; conc. per humidum deſtructivum; nego: humido, inquam, ſimili deſtructivo imbibuntur inteſtinorum fibræ, & laxantur primò, dein imbibita humiditas, per diuturnam moram, incaleſcit, acriſq; redditur; hinc inteſtina mordere, & ad excretionem frequentem ſtimulare incipit; fitq; diarrhœa: tandem eadem corrodit, unde venulæ aperiuntur, & ſanguinis fit excretio, ſubſtantia inteſtinorum diviſa ulceratur; unde, accedente contagioſâ malignitate, cum tempore fit puris & ramentorum excretio. Hinc patet, quæ ſit morbi, ſeu dyſenteriæ, forma; quid illam conſtituat, foveat, augeat; quæ interna externaq; cauſa ſit; quid occaſioné præbuerit; quæ materia, quod ſubjectum, quæ qualitas, & qualis, quid primariò, quid demum ſecundariò fiat: patet item, quomodo ab immediatis ad remotiſſimas cauſas progreſſi fuerimus; quid primò, quid ſecundò, & tertiò factũ, & unde unumquodq; ortum ſit. Ut progrediendi modus, in *Conſultatione*, fiat evidentior, ſecundum eſto exemplum: Homo crapulæ deditus, ſanguine & pituitâ repletus, & articulari dolori aliàs obnoxius, præmiſſo liberaliori paſtu, poſtquam ſe, brumali tempore, Aquiloni frigido diutius expoſuiſſet, in *articulorum dolores graviſſimos* incidit. Dicat hic *Conſultor*, adeſſe tumorem, cum febre & dolore intenſo, adeoq; triplex morbi genus reperiri, utpote, in magnitudine auctã, malâ ſcilicet conformatione, & intemperie, ſolutâq; unitate: ratione doloris materiã morbi eſſe ſanguinem & pituitam, ex quib., & ad articulos confluentibus, tumor, & dolor ingens: morbum cauſaſſe, cum acre frigido, Aquilonem, auxiſſe cruditatem, & humorum copiam: ad haſce cauſas accedere articulorum, & totius corporis, debilitatem: ſubjecta eſſe articulos, qui ex hoc fluxioni præbeant occaſionem, quòd debiliores & laxiores, adeoq; receptioni aptiores ſint. Dicendum hic, qualis articulus, aut membrum, pes, an manus, magis doleat: ſi pes ſiniſter, dic, à liene foveri; ſi dexter, ab hepate: ſi talus, nucha, aut ſpina dorſi, à capite. Vehementia doloris fit à majori humorum fermentatione, membranas, ob rarefactionem, diſtendente: nec minùs dic, fieri poſſe doloré à pituitæ copiâ, membranas dilatante: affectus diuturnitatem adſcribe materiæ craſſitiei, & cruditati, quæ multo tempore egeat ad ſui concoctionem, item tempori hyberno, quo humores difficiliùs, quàm æſtivo, coquantur; deinde ab ambiente frigido humores in partes imprimi, & à capite, v. g. & aliis partibus, exprimi & concentrari, poroſq; condenſari, fieriq; ad articulos, utpote partes debiles & laxas, fluxionem: ex diſtenſione fieri dolorem, ex dolore attractionem, attractum humorem à naturâ irregibilem, per expreſſionis conatum motum, incaleſcere, & fermentari, caloré illum per arterias communicari cordi, unde febris per conſenſum concomitetur. Hic iterum vide tumoris, doloris, & caloris, occaſiones. Et hæc breviter de cauſis dicenda erant.

Quomodo humidum ſit deſtructivum mixtorum.

Conſultatio in Arthritide.

Caput. IX.

De diſcurſu formando, in ordine ad Symptomata.

Sæpius à nobis dictum eſt, *Symptomata* morbum ſequi, velut umbra corpus: &, cùm hæc morbi vehementiam, ideam ſeu morem, & multas alias differentias, concomitentur, & ſæpius, cauſarum rationem induentia, Medici operam ad ſe rapiãt, ideo de iis, ſymptomatibus ſc. vel per ſe, vel cùm de morbis agitur, dicendum eſt. Itaque de ſymptomate dicturus *Conſultor*, priùs ejus naturam, ſecundò genus, tertiò differentias & cauſas proponat: deniq; quæ ſunt afferenda remedia, quibus leniri, tollique poſſit: de quibus alio loco dicemus. Propoſitum enim nobis eſt hic, tantùm de Natura, genere, differentiis,

ad Symptomata.

Digitized by Google

ferentiis, & cauſis ſymptomatum diſcurſum formandum proponere. Dicat atque primò, tria eſſe ſymptomatum genera: ſcilicet actionem læſam, in qualitate mutatâ, & in exeunte mutato. Actiones ſunt triplices, animales, naturales, vitales: videndum, quænam ex iis maximè læſa ſit; &, cùm actio tripliciter lædatur, diminutè, depravatè & abolitè; id quoque dilucidandum, dicendúmque, ſi eſt actio depravata, eſſe actionem, quæ terminum producit, nec prout in fieri, nec prout in facto eſſe, omnino debitum: ſi eſt actio diminuta, dicat, eſſe talem, quæ vel nunquam ex toto, vel longiori tempore, ſui operis perfectionem aſſequatur, vel illud ob infirmitatem omnino intermittat, & eſſe abolitam. Quòd verò *tres actionũ læſarũ differentiæ* ponantur, ſic probatur: Tot ſunt differentiæ actionum læſarum, quot ſunt vitia impedientia, quò minùs naturaliter terminus eliciatur ab aliqua actione: ſed id fit tripliciter; ſcilicet, ut termini nihil omnino ponatur, & eſt actio abolita; vel debiliter, & non in totâ perfectione, & eſt diminuta; vel ita fit actio, ut alius omnino terminus ſecundum modum & ſubſtantiam ponatur, & eſt depravata: ergo eſt triplex actio læſa, utpote depravata, diminuta, & abolita: Suppoſitis hiſce, ſi, v.g. *de dolore ſit conſilium*, dic imprimis, dolorem eſſe triſtem ſenſationem, à re continuum ſolvente, nec, ut putant multi, eſſe actionem depravatam, ſed paſſionem, ſeu id, quod ſequitur ad actionem continuum ſolventis. Quando vero Galenus dixit, dolorem eſſe actionem læſam, videtur accepiſſe cauſam pro effectu, utpote actionem, quâ ſolvitur continuum: non verò illud, quod ex actione, ſeu continui ſolutione, ſequitur, utpote triſtem ſenſationem; quam eſſe paſſionem, non verò actionem, quemlibet fateri neceſſe eſt; hic ulterius accuratè enarret differentias, & cauſas doloris. Vide ſequens caput, *de Diſcurſu* &c. Si conſilium fuerit de *ſoporoſo* aliquo *aff. ctu*, v.g. Lethargo, vel comate, aut cataphora, caro, vel catoche, aut catalepſi, dicat *Conſultor*, ſibi hîc proponi ſymptoma actionis animalis, utpote ſenſitivæ facultatis: quod in actione auctâ ponendum eſt, &, cùm variæ ſint ſoporoſorum affectuum differentiæ, utpote ſupra enarratæ, utra ex illis ſit, videndum eſt: &, ſi coma f‹e›cerit, dicendum; an illud ſit vigilans, vel profundum; an ſit continuum, vel interpolatum, & per intervalla recurrens; an ſimplex, an complicatum, ſeu cum aliis affectibus conjunctum; an in morbi principio, augmento, ſtatu, aut declinatione magis urgeat, vel minus: & hoc modo differentiæ diligenter inveſtigandæ; quibus curatio ad amuſſim accommodanda eſt. Hæc de primo ſymptomatum genere, utpote actione læſâ, cujus terminus ſi eſt qualitas, dicitur in qualitate mutatâ; ſi ſubſtantia, in exeunte, vel retento mutato. Itaque ſecundi generis ſymptomatum, in affectu corporis ſimplici, ſeu in qualitate mutatâ, ſequens eſto exemplum. Si, v. g. conſilium ſit de *turpi & flavo totius corporis* colore, dicat 1. eſſe ſymptoma qualitatis mutatæ; quod à Galeno, *de differentiis ſymptomat. c. 5.* quadrupliciter dividitur; utpote 1. in id, quod ad viſum, 2. quod ad olfactum, 3. quod ad guſtum, 4. quod ad tactum pertinet; hoc autem ſymptoma qualitatis mutatæ pertinere ad viſum; cùm color, viſûs ſcilicet objectum, mutatus, & præter naturalem flavus ſit in toto corpore; hic coloris differentia detegenda eſt, dicendúmque, utrum ſit intensè, an debiliter, flavus; utrum ad nigredinem tendat; utrum ſit in toto corpore æqualis, an unam magis, quàm alteram partem tingat; utrum cum, vel abſq; febre; & an in principio, & ante ſeptimum diem, an pòſt, evenerit: nam icterus ante ſeptimum diem, teſte Hippoc. malus; an ſit cum, vel ſine duritie, aut ſcirrho hepatis, aut lienis; num color ille ſenſim, vel derepente acciderit; an continuus ſit, vel periodicus; uni, vel pluribus affectibus junctus; an accidat cum, vel ſine urinis fuſcis, & adiaphanis, ſeu turbidis, fuſcam cerevisiam referentib., uti plerunque ſolet. Ita, dum conſilium fit de aliis ſymptomatibus, in qualitatibus mutatis, circa odores, ſapores, & tactûs, accuratus formetur diſcurſus. Quantum ad tertium ſymptomatum genus, utpote excretorum & retentorum, attinet, notandum, multa ſymptomata eſſe, quæ tum ad actionem læſam, tum ad excreta & retenta,

ſed

Tres actionum læſar. differentia.

Conſilium de Dolore.

Dolor eſt paſſio, non actio.

Conſilium in ſoporoſo affectu, ſive de actione læſa cerebri.

Conſil. in qualitate mutata.

Symptoma in qualitate mutata quadruplex.

Digitized by Google

ſed diverſo reſpectu, poſſunt referri: qualia ſunt vomitus, lienteria, diarrhæa, diabetes, dyſuria, dyſenteria, alvi ſuppreſſio, & ſimilia: hæc enim quoad materiam, quæ excernitur, referuntur ad excreta & retenta; quoad excernendi actionem referuntur ad ſymptomata actionis læſæ, ſeu ad actionem læſam, ita, ut tantùm eorum, quæ excernuntur aut retinentur, vitia, ſeu quatenus à ſtatu naturali recedunt, ad ſymptomata in excretis & retentis referantur. Ponamus itaque, eſſe fluxum alvi cruentum; ubi ſanguis loturæ carnium ſimilis, unà cum aliis excrementis, frequenter rejicitur; inſtituto que conſilio quæritur: quodnam ſit hoc genus ſymptomatis: & reſpondetur, eſſe *ſymptoma in excretis*: factoque breviter diſcurſu, quòd in excretis primò ſubſtantia, ſecundò qualitas, tertiò quantitas, quartò ordo examinandus ſit, deinde dicet in genere, quòd, quidquid exernitur, ſit vel ſanguis, vel bilis, vel pituita, vel melancholia, ſerum, pus, cibus, ſemen, lumbricus, pingvedo, alvi excrementum, ramentum, vaſis vel viſceris portio, ſabulum, lapis, vel aliud denique, quod exerni poteſt; illudque vel eſſe utile, & naturale, vel toto genere præter naturam; vel ſincerum, vel mixtum cum alio; calidum vel frigidum, ſiccum, humidum, durum, molle, acre, mordax, viſcidum, frigidum, friabile, craſſum, tenue, leve, aſperum, inæquale, nigrum album, fuſcum, pallidum, rubrum, ſimplici vel vario colore commixtum; odorum, vel graveolens, dulce, vel ſalſum, acidum, amarum, auſterum; cum, vel ſine, vel interpolato ſonitu; multum, vel paucum ſimul, vel interpolate; longè à cibo, vel non; paulatim, vel confertim; ſæpius, vel rarius; die critico, vel non; in principio, augmento, ſtatu, vel declinatione morbi: utrum excretio recens ſit, an inveterata, & quo tempore inceperit; an ſtatim, vel diu poſt factam irritationem, excernatur: locus item per quem, & à quo fit excretio, conſiderandus; utrum fiat per rectitudinem fibrarum, vel non; an per venam, vel per arteriam; an per locum naturalem & conſuetum, vel contrà; an à toto, vel parte, ſiniſtrâ, vel dextrâ, nobili, an ignobili, ſuperiori, aut inferiori, anteriore, aut poſteriore; an extra, vel in corpus feratur materia: item partis mittentis, vel recipientis, ſubſtantia bene conſideranda eſt: an ſcilicet mollis ſit, an dura, oſſea, vel carnea, cartilaginea, vel nervea, calidi, vel frigidi temperamenti; quænam ſit ejus, inter elementa, proportio, & mixtionis ratio: item excretionis qualitas bene perpendenda eſt, utrum cum, vel ſine dolore, facilè, vel difficulter, ſponte, vel arte, judicata, decretoria, ſymptomatica, fida, perfecta, vel imperfecta, cum, vel ſine concoctionis ſignis, fiat excretio: ſi per os excerni contingat, an ſpuendo, tuſſiendo, vel ſcreando, vel vomendo, fiat, ſcire, plurimum intereſt. Hæc in genere, ſi dicendi adſit copia, commemorari poterunt: in ſpecie autem, ad propoſitũ ſanguinis fluxum redeundo, dic, ſi conſideres excreti ſubſtantiam; eſſe ſangvinem tenuem & aquoſum, loturæ carnium ſimilem, eſſeque verè *fluxum hepaticum*; quæ tenuitas ſine dubio proveniat à mixtione ſeroſi humoris, à debili hepatis ſecretoria actione geniti: ubi enim hepar tam debile eſt, non tantùm inutile ab utili, id eſt, ſerum à ſanguine, ſeparare, & ad alias partes amandare non poſſet, ſed ejus etiam vim retentricem eouſque debilitatam eſſe, ut ſanguinem, unà cum ſero, ad inteſtina, partim naturali pondere cadere, partim à ſtimulatâ expultrice excerni permittat: licet fluxus hepaticus quandoque fiat à ruptâ in hepate venâ; unde ſanguis non tantùm per inteſtina, ſed etiã per os rejicitur, nõ inſtar loturæ carnium, ſed magis craſſus & rubicundus: fitq; hic flux9 à rupto vaſe, aliàs ab anaſtomoſi, vel diapedeſi, vel ob remoram alicuj9 evacuationis conſvetæ ſanguineæ, utpote menſium, narium &c. vel ob mutilationem: in hoc autem caſu fit ob debilitatem facultatis retentricis: aliquando à toto, aliàs à ſolo hepate excernitur, abſque dolore: ſanguis eſt valde commixtus, & confuſus cum aliis excrementis; unde apparet, ex proximis inteſtinorum, vel hæmorrhoidalibus venis non provenire; tunc enim permixtus non eſt:

Exemplum ſymptomatis in excretis.

Conſiderandu in Excretis.

Partis mittentis & recipientis examen.

Fluxus hepaticus.

Unde tenuitas in fluxu hepatico.

Sanguis excrementis commixtus in fluxu remoto & hepatico.

Digitized by Google

eſt: qualitatem quod attinet, ſanguis hic ob eam potiùs, quàm ob quantitatem, peccare videtur: hinc etiam excretionem comitatur tanta virium debilitas: qualitas autem, quâ peccat ſanguis, eſt acrimonia, tenuitas, & negata conſiſtentia, color pallidus &c. Quantitate, inquam, non videtur peccare ſanguis, quin & ſumma egeſtas in corpore adeſſe, & organa ſangvificationis officio ſuo omnino debiliter fungi, vel cachexia in toto eſſe videtur. Ordinem quod attinet, hic ſervatur, quòd procul à paſtu plus excernatur, quàm immediatè poſt eum; eò, quòd, factâ primæ regionis concoctione plus humorum hepati communicetur; unde etiam plus excernitur: Eodem modo, in conſideratione ſymptomatum *in Retentis*, exponenda ſunt ſubſtantia, qualitas, quantitas, tempus, locus, modus, & retentionis forma: id eſt, expendendum, quid, quale, quantum, quando, quamdiu, an continuò, confertim, vel per intervalla, & paulatim, fiat retentio; an illicò, nullo præcedente morbo, an è contra, & quo in loco, in toto, vel in parte retineri excrementa cæperint: exemplum eſſe poterit *ſanguinis hæmorrhoidalis retentio*, unde gravia ſæpius oriuntur ſymptomata; utpote angina, dorſi, lumborum, nuchæ, capitis, & iſchii dolor, vertigo, rubor faciei & oculorum, tinnitus aurium &c. Hîc ſanguinis retenti ſubſtantiam, qualitatem, quantitatem, tempus, locum, modum, ordinem, & retentionis formam, ordine explicabit *Conſultor*. Hûc plures, de retentis, conſultandi modi referri poſſent: ſed opus nimium excreſceret. Sufficiant hæc itaque, de diſcurſu ordinatè formando, in ordine ad ſymptomata.

Curà paſtu plus excernatur, quàm ante paſtum.

in Retentis.

Mala, ex fluxu hæmorrhoidali retento provenientia.

Caput X.

Qualis diſcurſus eſſe debeat de ſymptomatum cauſis.

ad Symptomatum Cauſas. Fontes cauſarum ſymptomatum.

S*ymptomatum cauſa* à facultate, actionis causâ, vel à communi, vel proprio inſtrumento, vel ab agente, vel à fine, vel à materia, vel à cauſa ſine qua non, deſumendæ ſunt: has tamen omnes ad productionem unius ſymptomatis ſemper concurrere, neceſſe non eſt. Cùm tria ſymptomatum genera in ſuperioribus adſtruxerimus, utpote in actione læſa, qualitatibus mutatis, excretis & retentis: ad actionis læſæ omnium facultatum cauſas enumerandas immenſus requireretur tractatus: nam ad facultatem animalé referuntur ſymptomata quinque ſenſuum externorum, ut viſûs, auditûs, guſtus, odoratûs, tactûs, item ſymptomata ſenſuum internorum, utpote ſenſûs communis, & memoriæ &c. item motûs & quietis. Vide Gal. *l. 1. de ſympt. cauſis*, item *l. 2. cap. 1. 2.* & *3.* Ad facultatem naturalem referuntur ſymptomata facultatis concoctricis, expultricis, & auctricis; uti videre eſt in Galen. *l. 3. de ſympt. cauſis c. 1. 2.* & *3. de cauſis ſymptomatum*, in excretis vide *c. 4.* in qualitate mutatâ vide *c. 5. ejuſdem l. 3.* Quomodo itaque ſeſe gerere debeat *Conſultor* in omni genere ſymptomatum, ut cauſas eorum ordine recenſeat, ex ſequentibus exemplis patebit. Ad primum genus, utpote actiones læſas, quod attinet, eſto conſilium de *actionibus appetentiæ imminutis*, aut *abolitis*: exordiatur Conſultor à famis immediatis, ſeu, ut ajunt Medici, conjunctis cauſis, utpote ſenſatione, & eo, quod ſenſationem efficit. Si enim vel ſenſatio, ſeu ſenſus ſuctionis, & quod eum efficit, ſeſe naturaliter non habeat, appetentiam lædi neceſſe eſt: ſenſatio autem læditur vel per eſſentiam, vel per conſenſum: per eſſentiam, ubi malum eſt in ipſo, v. g. ſtomacho, ſenſu ventriculi pene emortuo, vel oppreſſo; per conſenſum, in delirio, in quo ipſa ſenſatio non percipitur, nec apprehenditur: hinc delirantes nec cibum, nec potum, in ſummo etiam calore, appetunt: idem etiam accidit iis, quibus cerebrum eſt vel graviter vulneratum, vel etiam contuſum: ſenſitiva enim vis ad ventriculum non tranſit; ad famem verò requiritur ſenſus. Quòd enim, repleto cibis ventriculo, aut potu, fames, aut ſitis, non excitatur, indicio eſt, ſenſum affici, qui tunc non appetit, eò, quòd ſuctionem ampliùs non ſentit, utpote deſiderato ſatiatus objecto. Sed dicet

Conſilium de inappetentia.

aliquis, ſi ſenſu opus eſt ad appetitum; ergo omnia, quæ facient ſenſum, facient appetitum; quod falſum eſſe videtur in iis, quæ corrodunt, vulnerant; quæ potiùs appetitum imminuunt, quàm excitant, & potiùs illius, quod noxium eſt, moliuntur excluſionem. ℞. neg. conſeq. non enim omnia, quæ ſenſum faciunt, appetitum excitant; ſed talis debet eſſe ſenſus, qui ab inanitione, ſeu ſuctione, fiat, ſeu per ſe, ſeu per accidens: veluti evacuantia appetitum excitant non per ſe, ſed vel ob evacuatam materiam, in parte trahente, vel in ipſo ſtomacho; cujus membranæ ubi pravis imbibuntur humoribus, ſenſus ſuctionis impeditur, ita, ut fames excitari non poſſit. Varia autem ſunt, quæ materiam è ſtomacho, & toto, evacuare, adeoq; varia, quæ appetitum excitare poſſunt: talia ſunt exercitia, digerentia, conſtringentia, auſtera, frigida, acida, ſalſa, partium externarum frictiones, &, ſuper omnia, nativi caloris robur, & facultatis vigor: omnia tamen evacuantia appetitum non excitant; uti apparet in dyſenteria, in ſummo æſtatis febriſque calore; ubi, exinanito corporis habitu, appetitus langvet: ſed talia debent eſſe ad appetitum excitandum, quæ ita evacuant, ut temperiem partis, in qua facultas reſidet, conſervent, non diſſolvant. Hic dicendum, qualiter prædicta omnia appetitum excitent; quòd nempe frigida, ſalſa, acida, & acerba, conſtringendo, humores noxios exprimendo, vel incidendo, calorem nativum concentrando, & uniendo, adeoque corroborando, appetitum excitent; quòd amara, & acria, idem tantùm faciant, quando ſtomachus eſt pituitoſo humore repletus: quòd optimæ appetentiæ cauſæ ſint nativus calor optime diſpoſitus, venarum ſuctio, præſente inanitione, non impedita, ſed libera, & inſtrumenta tam partium trahentium, quàm tractarum, & mediarum, optimè diſpoſita. Hinc dicat, pueros bene appetere, eò, quòd, *ſecundum* Hipp. *aph.* plurimum habeant calidi nativi; ſenes verò minùs, propter obtuſiorem in iis ſenſum, caloriſque, humores concoquentis, defectum: ita, qui ſe exercent, meliùs appetunt, ob caloris excitationem, & humorum evacuationem, vel etiam ob agitationem humorum acidorum, in tunicis & vaſis ventriculi contentorum, & menſtrui ſalivalis; cujus puritas ad appetentiam facit plurimum. Hæ ſunt cauſæ, ad appetentiam facientes; his contrariæ proculdubio facient inappetentiam: læsâ enim ſenſatione, læditur appetitus; læditur autem ſenſatio vel læſa, vel (ſi mavis) impeditâ, facultate, quæ per nervos ventriculo ſenſum impertitur, vel læsâ facultate, quæ ſenſationes indicat; veluti dicitur de iis, qui dolent, & dolorem non ſentiunt, his mens ægrotat; vel ſenſus læditur, læſo inſtrumento, ſeu nervo, per quem facultas ſenſitiva communicatur; vel læſo ipſo ſubjecto receptionis, ſeu in quo ſenſatio fit: à læſo itaque cerebro facultas ſenſifica non emittitur, adeoque alimentum non appetitur: in delirantibus abeſt appetitus, quia illi objecta ſenſibilia, quæ in ſenſoriis ſunt, nec apprehendunt, nec dijudicant. Nervo item obſtructo, molleſacto, corrupto, vel vulnerato, ligato, vel intemperato, & à debita mixti ratione, temperie, vel formâ recedente læditur ſenſus partis illius, cujus eſt: hinc etiam læditur ſenſus ventriculi, læſis, vel quomodocunq; impeditis, ejus nervis, præcipuè ad ſuperius orificium implantatis: ita in febribus peſtilentialibus, malignis, ſynochis, ardentibus, ſemitertianis, tertianis bilioſis, vel nervi ſubſtantia corrumpitur, vel vaporibus, aut humoribus extraneis, acribus, bilioſis, vel aliis, imbibitur, vel temperamentum ejus pervertitur, & excedente ſiccitate afficitur, ipſa facultas, aptè diſpoſitis privata inſtrumentis, læditur, vel potiùs impeditur. Dictum eſt ſuperiùs, evacuantia ſenſum, ſeu appetitum facere: ergo illa, quæ evacuationem ſimilem impediunt, referenda ſunt ad cauſas inappetentiam generantes: talia ſunt, ocium, ſomnus pomeridianus, & longior, frigidum ambiens, frigida & humida corporis intemperies: ocium enim calorem nativum, omnis diſſolutionis auctorem, quodammodo ſuffocat, ut ſuperflua non evacuet: ſicuti è contrà vigiliæ moderatæ humores ad exteriores partes trahunt, & ventriculum, unà cum

aliis

aliis partibus, evacuant: ſomnus longior diutius calorem in partibus internis retinet: hinc digeſtio in habitu corporis negligitur, tractio non fit, & conſequenter appetitus non excitatur: ambiens item frigidum poros conſtipat, evacuationes per inſenſibiles tranſpirationes impedit, pituitæ facit apparatum, & obſtructiones in venis cauſat; unde, impeditâ ἀναδόσει, fit inappetentia. Denique frigida & humida corporis intemperies, ſenſum hebetando, flacceſcentibus ſcilicet nervis, & ventriculi ſubſtantiâ humiditate imbibita, obrutoque calore nativo, actionum omnium architecto, inappetentiam generat. Et, ſicuti evacuantia moderatè appetentiam juvant; ita eadem excedentia cauſant inappetentiam: talia ſunt labor, vigiliæ, animi pathemata, motus violentus, & alia, quæ nimium corpus digerunt, partium temperiem diſſolvunt, & nativum calorem diſſipant; unde inappetentia oritur: inedia quoque nimia inappetentiam quandoque cauſat, attractis ſcilicet ad ſtomachum pravis humoribus; hinc multi, præterlapſa prandii horâ, eſurire deſinunt: febres quoque appetentiam proſternunt, eò, quòd ventriculi temperiem perturbent, qui eſt ſubjectum, in quo fieri debet appetentia: nervus autem inſtrumentum eſt, per quod facultas ſentiendi à primo ſenſorio communicatur, & exercetur: calidum innatum eſt commune inſtrumentum, quo natura non tantùm ad ſentiendum, ſed etiam ad alias actiones edendas, utitur: hæc autem vel conſervantur, vel à naturali ſuo ſtatu recedunt, ab his, quæ in corpus aſſumuntur, quæ foris adhibentur, quæ geruntur à nobis, retinentur, & exernuntur, & reliqua, ad hæc genera, & non ad alia, ſunt reducenda. Simili modo, ſi doloris, qui eſt triſtis ſenſatio, à re continuum, per ſubitaneam mutationem, ſolvente orta, cauſas afferre velimus, exponemus ſenſum, & id, quod ſenſum afficit. Et hæc de diſcurſu, quoad ſymptomatum cauſas, in actione læſa, dicta ſufficiant.

CAPUT XI.

Diſcurſus de Cauſis ſymptomatum in Excretis & Retentis: item de Qualitatibus mutatis.

QUòd ad eſſentiam ſymptomatis in excretis aſſignatus fuit, in ſuperioribus, fluxus hepaticus; in retentis verò cohibitus hæmorrhoidum fluxus, licet ulterius brevi diſcurſu horum ſymptomatum cauſas pervestigare poſſemus, ut tamen plurium caſuum rudis adſit notitia, proponatur *alvus adſtrictior*, deinde laxior. Ad primum quod attinet, ordiatur *Conſultor* ab immediatâ *cauſâ* ipſius adſtrictionis, utpote humoris diluentis abſentiâ, dicatque, id fieri vel ob paucitatem alimentorum humidorum aſſumptorum, vel ob quantitatem ſiccorum, vel, etſi & humida & ſufficientia aſſumantur alimenta, eò, quòd humiditas alimenti, vel etiam ipſum alimentum, abſumatur, vel à vermibus, vel ab intenſo viſcerum calore, vel à corpore longâ inedia extenuato. Alimentum ſufficiens non aſſumitur, vel ob defectum materiæ, vel ob vitium facultatis appetentis, vel ob inſtrumentorum, ut gulæ, œſophagi, dentium &c. indiſpoſitiones: defectus materiæ, ab egeſtate provenіens, non cadit in conſiderationem Medicam, niſi charitati conjunctam. Facultas læditur, vel impeditur, læſo partis temperamento vel à nimio calore, vel ab humore aliquo; humores, præter ſuperiùs enarrata, abſumunt urinæ multæ, & inſignis renum calor, item quicquid humores vel imbibere, vel in halitum reſolvere poteſt; ad quod non parum facit retentio & aduſtio ſangvinis hæmorrhoidalis, ventriculi & inteſtinorum calor eximius, & bilis ad caput, vel alias partes, raptus; unde ſtimulus, & irritatio non fit: item ad alvi adſtrictionem non parum facit expultricis debilitas, & retentricis robur; partium quoque tum internarum, ut hepatis, lienis, capitis, renum; tum etiam externarum quarumcunq; inflamationes, eryſipelata &c. alvum reddunt adſtrictam: item

Cauſæ Alvi aſtrictioris.

aquilonia conſtitutio, febres, ſudores, aliæque tales evacuationes modum excedentes, alvum potenter exſiccant. His contraria eandem reddunt *Laxitas.* *lubricam*; humiditas ſcilicet copioſior, excrementis commixta, aliunde adveniens, vel non ſatis abſumpta: aliunde advenit, ob cibum & potum humidiorem, ut pruna, melones, pepones; vel ad inteſtina, à capite humidiore & intemperato: unde blæſi, inſtar anſerum, crebrò dejiciunt: vel ob febres colliquantes, quæ humores fundunt; vel ob ſenium, à contentis humidum; unde ſenes Cacatores, Germanicè Scheiſſer vocantur; item auſtrinæ & pluvioſæ conſtitutiones alvos humectant; item frigida ventriculi & inteſtinorum intemperies, frigidum hepar, renes frigidi, & ſeroſos humores minus attrahentes; item venarum lactearum obſtructiones, otium, aer ambiens frigidus, prohibita perſpiratio; unde habitus corporis non evacuatur, ſed ab eo humores ad alvum tendunt; item retentrix ventriculi, & inteſtinorum, debilis, ob nimiam humiditatem, à potu humido & frigido, vel glaciato, cauſatam; item copia materiæ bilioſæ & acris, quæ crebrò expultricem inteſtinorum ſtimulat. *Conſilium de cauſis ſymptomatum in qualitatibus mutatis.* Si *Conſultor* cauſas ſymptomatis *in Qualitatibus mutatis* recenſere velit, exemplo ſit ictericus, ſive colore flavo deturpatus homo; cujus ſymptomatis cauſam immediatam, ſeu conjunctam, dicat, eſſe bilem copioſam, per totum corpus diffuſam, & cuti ſubjectam: cujus cauſa eſt vel nimia ejus generatio, vel impedita à ſangvine ſeparatio; unde unà cum illo in univerſum corpus diſtribuitur, vel, etſi à ſangvine ſecreta ſit, attamen ad habitum corporis fertur. Copia bilis generatur vel ob materiæ aſſumptæ vitium, vel, ad diſpoſitionem cauſæ efficientis, materia eſt vitioſa, & bileſcere apta, ob calorem inſignem, ſiccitatem, tenuitatem, dulcorem, paucitatem; frigida etiam, ut aqua, teſte Hipp. bileſcit, quia ſibi vias præcludit, & ob diuturnam moram bileſcit. Ad efficientem cauſam referuntur cor, hepar, arteriæ & venæ, calidiori & ſicciore intemperie prædita, item omnia illa, quæ corpus, & ejus habitum, inſigniter calefaciunt, ita, ut humores, etſi inculpati prius fuerint, in bilem vertantur; ut ſunt febres continuæ & ardentes, exercitia, & motus violenti, inſolatio, gravia animi pathemata, ut ira, diuturnæ alvi conſtipationes: ſunt item medicamenta quædam, & venena, quorum illa calefaciendo & ſiccando, hæc verò à proprietate, icterum faciunt: item ad turpe hoc coloris flavi ſymptoma facit jecoris debilitas, non potentis bilem à maſſa ſangvinea ſegregare ad veſicam felleam, & ad inteſtina amandare, vel læſâ & exſolutâ expultrice, vel ob viarum, ut meatus cholidochi, per quas expurgari deberet, obſtructionem; quæ fit compreſſione, repletione, condenſatione, conglutinatione & ſubſidentia; vel ob materiæ craſſitiem, quæ expurgari non poteſt: quòd autem bilis ad habitum corporis movetur, cauſæ partim ipſa ſangvinis circulatio, partim ipſa expultrix facultas, quæ illud, quod noxium & præter naturam eſt, ad longinquas & remotas partes ablegat. Hîc videtis ſeriem cauſarum, hoc ſymptoma generantium, quæ iterum ad 4. illa genera ut ponè quæ aſſumuntur, quæ extrinſecus afficiunt, quæ excernuntur & retinentur, & quæ geruntur, referenda ſunt. Hæc de cauſis dicta ſufficiant.

Caput. XII.

Quid in Conſultationibus de Signis dicendum ſit.

IN omni *Signorum* inveſtigatione Conſultor debet præſentia dignoſcere, futura prædicere, &, quæ præterita ſunt, in memoriam revocare: adeóq; diagnoſtica, prognoſtica, & anamneſtica, ſeu rememorativa, diligenter ſunt explananda: *de Signis.* ſcire enim non poſſumus, quid ſecundum, aut quid præter naturam in corpore noſtro ſit, niſi per ſigna. Quomodo enim ſciam, eſſe morbum in corpore, niſi actiones læſæ, & alia ſigna id mihi manifeſtent? Quomodo cauſam morbi, aut ſymptoma, aut illorum genera, vel differentias, detegam, niſi per ſigna?

gna ? Sic non potero probare, eſſe febrem in corpore humano, niſi per ſigna; multò minus ſciam, an febris illa ſit ephemera, hectica, aut putrida, continua, vel intermittens, benigna, aut maligna, niſi per ſigna & notas, vel ex prægreſſis, vel ex præſentibus, non verò ex prognoſticis, quæ tunc tantùm habent locum, poſtquam de natura, generibus, differentiis affectuum, cauſarum, & ſymptomatum, eorumque ſignis diagnoſticis, & prægreſſis, diſputatum eſt: prognoſtica enim ſigna horum omnium notitiam præſupponunt. Quomodo enim poſſum dicere, febrim aliquam brevì ceſſaturam, eſſe ſalubrem, vel lethalem, niſi priùs ejus naturam, genus, differentias, cauſas & ſymptomata, proprietates, & partes, cognovero? Ex his elucet, utrum opus totum naturæ ſit committendum, an præſidiis utendum; an aliquid, vel nihil faciendum; uti in deſperatis; quod in prognoſtico tandem dicendum eſt: itaq; ad elucidandam naturam, genus, differentias, cauſas &c. duobus priùs ſignis, utpote diagnoſticis, & prægreſſis, utimur: quo tandem ad amuſſim peracto, procedimus ad prognoſtica, dicendo, quemnam finem id, de quo agimus, habiturum ſit: aliàs nec ſolutionis modus, nec tempus, nec reliqua, intelligi poſſunt; hoc pacto prædicendum eſt mutationis tempus: tertiò modus, quo mutatio fiet, an ſcilicet paulatim, vel confertim; an parva, vel magna, futura ſit mutatio. Quartò prædicendum eſt, an naturæ, an artis, an utriusque beneficio, an aliis modis, eventura ſit mutatio. Quintò qualitas mutationis examinanda eſt; utrum ea facilis, an difficilis fuerit, fida, vel infida, perfecta, vel imperfecta. Sextò conſiderandum, per quid fiat, aut terminetur, mutatio in morbo; an per excretionem, vel per alterationem & concoctionem, vel nutritionem: ſeptimò locus prædicendus eſt, per quem futura eſt excretio; an per alvum, per urinas, vomitum, hæmorrhagiam narium, &c. In concurſu plurium affectuum prædicendum eſt, quid priùs & poſteriùs ſucceſſurum ſit. Exempla prædictionis tam in ſtatu ſanitatis, quàm extra eum adducamus: de-liberatur, v.g. an præſens ſanitatis ſtatus diu duraturus ſit, an brevì mutaturus; & ad quem alium ſtatum; an ad ſanitatem meliorem, vel pejorem, aut ad morbum futura ſit mutatio, citò, aut tardè, in juventute, conſiſtente ætate, aut ſenectute, an in vere, æſtate, autumno, aut hyeme, in novilunio, vel in plenilunio, vel decreſcente luna, manè, meridie, veſperi, vel noctu; qualis futurus ſit morbus, gravis aut levis, in quem incidet: quodnam ex quatuor illis generibus, quæ ſcilicèt aſſumuntur, quæ retinentur aut excernuntur, quæ corpori exteriùs adveniunt, aut quæ geruntur, mutationi occaſionem daturum ſit, utrum facilis, vel difficilis, futura ſit mutatio. Deniq; hîc exponet Medicus illa, quæ ſanitatis mutationem facient, vel alterando, vel continuum ſolvendo, vel compoſitionem, ſeu ſtructuram, invertendo, & in quâ maximè corporis parte priùs, in qua poſteriùs, utrum affecto priùs capite, vel hepate, reliquæ partes paulatim laboraturæ ſint. Si prognoſticum de convaleſcentibus formandum ſit, dicendum eſt, eos vel citò, vel tardè, priſtinæ ſanitati, ablatis reliquiis, recrudeſcentibus & recreſcentibus paulatim, ab indiſpoſitione & debilitate, mixti morbi cauſis, vel ſine arte, reſtitutum iri; vel recidivam fortem, vel debilem, incurſuros; in ejusdem, vel alterius ſpeciei morbum relapſuros; vel ſaltem ad integram ſanitatem, ob pravam vivendi conſvetudinem, ob partium fixam debilitatem, ob cruditates, & coctiones debiles, vel ob retenta excrementa, & obſtructiones, vel ob ſenilem ætatem, difficulter perventuros eſſe. Prognoſticum de Ægrotis faciet Conſultor, dicendo: prognoſticum quod attinet, hinc morbus eſt ſaluraris, vel lethalis, vel chronicus, & talis, qui nunquam ſanationem recipit, nec tamen occidit, ut elephantiaſis: vel Æger liberabitur; v. g. puer epilepticus, poſt decimum quartum annum, ſanatur, vel morbus brevì terminabitur ad ſalutem, vel mortem; ſi eſt morbus acutus, die critico, quarto ſcilicet vel ſeptimo, vel undecimo, vel 14. aut 20. in principio, augmento, ſtatu, declinatione paroxyſmi, manè, meridie, veſperi, vel noctu; translatione, vel

criſi, bona, vel mala, fida, vel infida, perfecta, vel imperfectâ, forti vel debili; per ſudorem, vel hæmorrhagiam, vel per urinas &c. præcedente concoctione vel non: ſi adeſt tertiana febris, dicat, hanc priùs ſolvi quàm quartanam; quæ eſt morbus chronicus, & Saturnius. Atq; ita in aliis prognoſticare licebit. Verùm ſigna à 4. fontibus, utpote rei eſſentiâ, cauſis, effectibus, & ſimilitudine cum aliis, deſumuntur: per eſſentiam rei intelligimus ejus Naturam, genera, differentias, partes, & proprietates: per cauſam intelligimus materiam & formam, ſubjectum & efficiens, illud, quod gignit, conſervat, juvat, vel lædit, inſtrumentum, finem, & cauſam, cum quâ, & ſine qua non: per effectûs intelligimus quicquid ab alio provenit; hinc, pro varietate cauſarum, varii quoq; ſunt effectûs: alii enim ſunt morborum, alii cauſarum, alii ſymptomatum: effectûs morborum ſunt quatuor ſymptomatum genera, ſuperiùs enarrata: utpote actiones læſæ, excreta & retenta, quæ à nobis geruntur, & qualitates mutatæ, quæ quinque ſenſuum beneficio internoſcuntur. Sed dicet aliquis, qualitates morbos ſimilares conſtituere; ergo non videntur eſſe ſymptomata. R. Qualitates primæ excedentes, & permanentes, concedo, ſecundæ, nego: Ergo per qualitates mutatas intelligimus ſecundas, quæ, velut ſymptomata, nobis morborum ſigna præbent. Signa, quæ à ſimili ducuntur, ſunt illa, quæ proportionem, vel improportionem, cum aliis oſtendunt; ut luxatum femur, vel humerus, habet improportionem cum ſano. A prædictis itaq; fontibus præteritorum, præſentium, & futurorum, ſigna deſumenda ſunt. Non tamen hîc abſolutè dicimus, ab uno ex iis fontibus incipiendum eſſe: ſed ab eo, qui evidentiora præbet ſigna, eaq; propria & immediata, ſermo inchoandus eſt: turpeq; fit, & Medico indignum, in re clarâ plurima ex his fontibus ſigna depromere, ne rem in ſe claram magis obſcuret, quàm dilucidet: ſolæ enim res obſcuræ dilucidatione egent. Si ſigna itaq; alicujus morbi ab effectibus, ſeu ſymptomatibus, haurire velimus, genus actionum læſarum examinandum eſt, videndumq; an ab actione diminutâ, depravatâ, vel abolitâ, ſigna poſſint deſumi. Hoc facto, reliqua effectuum, ſeu ſymptomatum, genera, utpote excreta & retenta, qualitates mutatæ, & quæ geruntur, excutienda ſunt, ex iiſq; ſigna depromenda: deinde ad alios fontes, eſſentiam ſcilicet, cauſas, & ſimilitudines, tranſeundum, ex iis ſigna petenda, adeóq; optimus ſemper in dicendo ſervandus eſt ordo, nec, more imperitorum, in confuſo, jam de hoc, jam de illo, fonte dicendum; nec priùs dicta repetenda ſunt: & ordine ſigna omnia, quæ à temperamento, ætate, conſvetudine, anni tempore, victûs ratione, regione, cæli ſtatu, ſexu, corporis habitu, adſtantibus, medicamentis, verbo, tam ab internis, quàm externis rebus omnibus deſumuntur, ad hos fontes reducenda ſunt. Ad hæc reſeruntur ſigna, quæ nobis ſuggerit corporis robur, & imbecillitas, color, mollities, partis nobilitas, vel ignobilitas, conformatio, magnitudo, numerus, conjunctio, ſimilitudo aut diſſimilitudo, durities, ſonus, aſperitas, lævitas, odores, craſſities, tenuitas, pulſus, animi pathemata omnia, ut ſunt ira, triſtitia, timor, gaudium: item ad hos ſignorum fontes reducendæ ſunt vigiliæ, ſomnus, corporis & animi motus, reſpiratio, imaginatio, cogitatio, memoria, appetentia, attractio, retentio, coctio, nutritio, aſſimilatio, Venus, excrementorum qualitas & quantitas, tempus & locus, ordo: hæc, & ſimilia, nobis ſigna præbent, vel recens propria, vel communia, vel immediata, remota, vel inſeparabila, de præteritis, præſentibus, & futuris. Ex his ſigna depromimus, quibus non dubitanter, uti faciunt Idiotæ, qui ex ignorantia ſemper dubitant, ſed verè ſalutem & mortem prædicere poſſumus: &, ſi mortem prædicturi ſumus, dicamus, eam eſſe à ſtatu naturali mixti receſſum, qui nullis præſidiis ad mediocritatem reduci poſſit; adeoque de affectûs curatione deſperatum eſſe.

4 Signorum fontes.

Cap.

Caput XIII.

Exemplo dilucidantur prædicta.

INſtituitur Conſilium de febricitante, & per ſigna conſtituitur eſſe febris tertiana exquiſita: taliter ſcilicet progrediendo, imprimis hic *eſſentiam febris*, quæ conſiſtit in calore, *Signa à morbi eſſentia.* rimabitur: quòd ſi autem calor continuus non ſit, judicabit, eſſe intermittentem: ſi tertio quovis die recurrat, dicet, eſſe tertianam: ſi acris & mordax ſit ad tactum, multum feriens & penetrans, exquiſitam potiùs, quàm notham eſſe, pronunciabit: nam bilis ſincera mordax & acris eſt. Secundò *à Cauſis.* ex *cauſis* ſigna producet, quòd ſcilicet hujus febris cauſæ fuerint res multum calefacientes & ſiccantes, adeóque ſinceram bilem generantes: ubi examinanda veniunt, quæ aſſumpta ſunt, ut cibi & potûs calidi & bilioſi, quæ geſta ſunt, ut animi pathemata, ira, motûs violenti &c. quæ excreta & retenta ſunt, & quæ extrinſecus occurſarunt; ut inſolatio, & aër æſtivus: hiſce accedit temperamentum bilioſum, hepar naturâ calidum & ſiccum, ætas, ſexus, vitæ ſtatus, bilem generans. Hîc omnes cauſæ bilem producentes recenſendæ ſunt. Tertiò ad *effectûs*, *ab effectibus.* ſeu ſymptomata, progrediendum eſt; uti eſt dolor capitis, ſitis, vigiliæ, & inquietudo, ciborum inappetentia, rigor magnus in principio paroxyſmi; frequens reſpiratio, pulſus velox, frequens urinas dejiciendi deſiderium, calor & color bilioſus. Etſi quædam ex his ſignis ſint aliis febribus communia; attamen ſimul ſumpta, vel ex iis pleraq;, febri tertianæ exquiſitæ non ineptè approprientur. Excreta quoque nobis ſigna præbent, utpote bilis, vel per urinas, vel per ſudores, vel per vomitum, aut per alvum, rejecta: in hoc tamen affectu bilis flava, aut pallida, maximè per vomitum rejicitur, eò, quòd, ob calorem, & levitatem, ſuperiora magis petat, quàm inferiora: ſudor vero declinante tertianâ exquiſitâ, paroxyſmo plerumq; copiosè provocatur, eſtq; bilioſus, acris, & mordax: item ſignum bilis ſinceræ deſumitur à ſangvine, per ſectam venam detracto, cui copiosè ſupernatat. Signis hiſce accedit ſæpe flavus oculorum & corporis color, aſperitas & ſiccitas cutis, amaritudo oris, lingvæ flavedo & ſiccitas, labiorum aſperitas; vel etiam puſtulæ ardentes, febrim tertianam exquiſitam, ſepteno circuitu terminandam eſſe, demonſtrant; præcipuè ſi tempus ſit æſtivum, & plures eodem tempore exquiſitâ tertianâ laborent. His ſuppoſitis, utrum ex hoc affectu *à Simili.* Æger moriturus ſit, prognoſticando breviter pronunciabit Conſultus, dicetq;, non eſſe magnum receſſum à ſtatu naturali, mixtumq; extrinſecus tantùm pati, utpote ab accenſis humoribus bilioſis, adeoq; intrinſece non diſſolvi, nec periculum eſſe omnimodæ diſſolutionis, aut mortis, niſi affectus hic, commiſſis erroribus, in alium, utpote febrim continuam & ardentem, vel hecticam, degeneret; unde per dominium elementi ignei aqueum omnino conſumatur, & mixti perfecti forma & ratio pereat. Febris quomodocunq; intermiſerit, periculo vacat: hoc probat genus; idem teſtatur differentia: nam tertiana exquiſita inter reliquas tertianas eſt exquiſitiſſima; adſtipulantur morbi partes, utpote mites & breves: conſentiunt ipſæ cauſæ, quæ eam excitarunt, quæ leviores ſunt, bilis ſcilicet tenuis, minimè maligna, aut alio infecta vitio, in moderata quantitate, ita, ut naturæ & artis ope vinci facilè poſſit: noſtro huic prognoſtico ſubſcribit hoc, quòd partes magis extrinſecæ, quàm intrinſecæ, ſint affectæ; quod paret ex virium, ſecundum omnes actiones, animales ſcilicet, naturales, & vitales, robore: nam in hoc affectu magna non adeſt earum dejectio, pori ſunt laxi & aperti; per quos facilè exhalat materia, morbi cauſa: hinc per ejusmodi febres ſæpe vitioſus apparatus tollitur, & impoſterum melior & conſtantior ſanitas comitatur. Hoc exemplo videre poteſt Conſultor, qualiter ab eſſentia, cauſis, effectis, & ſimili, ſigna ſint deprompta, & in omni conſilio depromenda.

Digitized by Google

CAPUT. XIV.

De modis, & differentiis actionum.

Vera agendi ratio quibus ſcopis & inſtrumentis obtineatur.

ABſolvimus dicenda circa ſigna: jam de *agendi modo*, & *ratione*, tractandum eſt. *Veram agendi rationem* per ſcopos, & inſtrumenta, quibus hos ſcopos conſequimur, addiſcemus. *Primò* itaque ſciemus, an agendum ſit: *ſecundò* quid agendum; *tertiò* præſidia adhibenda, ad faciendum, quod factu neceſſarium eſt: *quartò* requiritur quantitas remediorum: *quintò* modus; *ſextò* qualitas: *ſeptimò* tempus: *octavò* locus: *nonò* ordo. Hos ſcopos, quantum artis eſt, aſſequi conetur Medicus, &, ſi hos aſſecutus fuerit, optimi Medici nomen æquiſſimo jure merebitur. Nota: omnes hos ſcopos ad quamvis materiam non adhiberi: ubi enim certi ſumus, agendum eſſe primo ſcopo, jam locus non eſt reliquis; nec, ubi vacuandum, vel nutriendum, iidem ſunt ſcopi: idem cenſendum de ſimplicibus & compoſitis affectibus, qui diverſos habent ſcopos: ſemper autem de iis ſcopis imprimis tractandum eſt, à quibus reliqui maximè dependere videntur: ergo ubi, annon agendum ſit, certum non eſt, de primo ſcopo agendum eſt, quærendumque, an agendum, tandem ad quæ, & quot ad ordinem, & quid in uno quoque genere agendum ſit, progrediendum eſt. Prædicti ſcopi ita neceſſarii ſunt, ut ſine his cæcutiat Conſultor, nec pro vero Medico habeatur: ſi enim nec primum, nec ſecundum, intelligat ſcopum, qualis dicendus erit Conſultor, niſi arte carens? Antequam conſultationes noſtras hiſce ſcopis accommodemus, quærimus primò, utrum bene agant ii, qui, conſultantes v. g. de plevritide, propoſitâ eſſentiâ, ſeu genere, & differentiâ, cauſis & ſignis, dicunt, ejus curam quinque ſcopis abſolvendam eſſe; & *primum* dicunt, eſſe victûs rationem, qui debet eſſe tenuis & adſtringens; *ſecundum* ſcopum conſiſtere in avertentibus; *tertium* repellentibus; *quartum* intemperiem calidam partis corrigentibus; *quintum* in materiam digerentibus: utrum hic agendi modus omni ex parte irreprehenſibilis; beneq; faciant, qui, cùm de venæ ſectione, maximè neceſſariâ, agendum foret, incipiunt ab aëre, cibo, & potu, faſtidioſumq; contexunt diſcurſum de iis, quorum minùs intereſt. *Reſp.* ad *primum*: hos ab ipſis propoſitos ſcopos minimè ſubſiſtere: Nam licet omnia illa, per ſcopos illos, proponenda neceſſariò eſſent; non tamen ſemper locum habere poſſunt: Præſcribitur, v. g. in principio plevritidis, aër frigidus, & medicamenta repercutientia & avertentia; quæ in morbi progreſſu minimè conventura ſunt: ubi enim materia jam fluxit, ſi repercutiētia adhibeâtur, materia impingetur, & malum reddetur gravius. Quis ergo negabit, hîc maturantia, adeoque moderatè calida & expectorantia, quæ minimè ſunt adſtringentia, requiri? Ergo malè procedunt vates ex tripode, & novi-Legiſlatores, ſcoporum numerum præſcribentes, qui minimè ſubſiſtit; adeoque ſatius eſſet, ad magis neceſſaria progredi: in ſumma hac plevræ inflammatione, in morbo peracuto, quid opus eſt, diu hærere in arena, id eſt; in diæta tenuiſſima præſcribendâ, & aere refrigerando, remedio ſcilicet parvo, & improportionato pro maximo affectu, ubi maxime opus eſt venæ ſectione: adeoq; præferendus modus noſter Viennenſis, non tamen ab omnibus ſervatus: adoptantur enim ſæpius exteri, qui noſtram Practicam, & modum, non parum depravant: magis mihi arrident, qui diætam, ad res non naturales directam, ultimo loco ponunt: nam *diæta ſecundum morbi tempora maximè variatur; ergo perperam eadem pro toto morbo curſu præſcribitur.* Hinc bene addunt Noſtri, diætam quod attinet: hæc quidem pro nunc talis convenit, ſed dies diem docebit, &, mutatis morbi temporibꝰ, diæta à prudenti Ordinario mutabitur: deinde qui diſcurſum à victûs regimine, & rebus non naturalibus inchoant, eos in continuas tavtologias turpiter labi, neceſſe eſt; nam ſi, v. g. fluxionum remedia quærant, eadē ab aëre, aliisq; rebus non naturalibus, petere opus habebunt: idem omnino facere eos oportebit, ſi fluxionum cauſas oppugnare; idē, dum materiam in parte fixam evacuare velint: ſi autem præmittāt in diſcurſu, dicantq; de rebus non naturalibus; quomodo poterunt eas omnibus prædictis occaſionibus accommodare; cùm diverſimode omnino præſcribendæ ſint?

Quando his ſcopis utendum eſt.

Quinq; ſcopi tantùm non ſufficiunt.

Cùm diæta ſecundum morbi tempora variet, malè illa pro toto morbi tempore præſcribitur.

CAP.

Caput XV.

Proponitur modus agendi, prædictis ſcopis accommodatus.

Plevriticus curandus.

PRoponatur Medico aliquis, plevritide laborans; diſcuſſis eſſentiâ, differentiis, ſignis, cauſisque, dicat, duo eſſe, quæ Medici requirunt operam: illud nempe, quod eſt ſecundum naturam, ut conſervetur ſimilibus; & illud, quod eſt præter naturam, ut tollatur contrariis; &, cùm ad plevritidem generandam 5. præter naturam concurrant; utpote fluxio, cauſa fluxionis, id quod influxit, febris, & febris cauſa, & effectus; dicat, ab iis, quæ præter naturam ſunt, incipiendum eſſe: illa namque in hoc affectu magis urgent; ſemper verò ab eo, quod magis urget, incipiendum eſt: in unaquaque ex dictis rebus præter naturam, *quæ*, & *quot*, præſtare oporteat, diligenter inquirenda ſunt. In fluxione, v. g. quærendum, utrum revellendum, an derivandum; an utrumque ſimul; & quantum: quo in loco; quo tempore fluxionis cauſæ ablatio, illi, quod fluxit, maturatio & digeſtio, febri refrigeratio, effectibus, ſeu ſymptomatibus, correctio debeatur; febris cauſæ debentur præparantia & aperientia, per inciſionem & attenuationem; item concoquentia; tandem coctorum, vel corruptorum evacuantia: & in omnibus, *quæ*, & *quot*, præſtare oporteat, bene advertendum eſt. Nam ex illâ conſideratione eruitur certus numerus, & certa præſidiorum ratio, quæ ſub *tertio* ſcopo continentur: itaqua à principio certa rerum genera adſtruenda ſunt, à quibus præſidia omnia emanant. Genera autem ſunt illa quatuor, de quibus jam ſæpe dictum eſt, utpote ea, quæ aſſumuntur, quæ geruntur, quæ retinentur & excernuntur, & quæ forinſecus accidunt. Ex his fontibus hauriendа ſunt omnia præſidia: ſic, in caſu propoſito, plevritica ſcilicet fluxione, videbit Medicus, an ſolâ revulſione, an etiam derivatione, opus ſit; adeóque ex genere, quæ extrinſecus adveniunt, deſumet ea, quæ fluxionem ſiſtere poſſunt; ut ſunt defenſiva extrinſeca: vel quæ impulſione, vel attractatione ad partem remotiſſimam faciunt; qualia ſunt frictiones partis remotæ, venæſectio &c. motum item vetabit, & omnia illa, quæ humores agitare valent. *Tertius* tandem ſuccedet ſcopus, qui medicamenta, vel intrò ſumenda, vel extrà adhibenda, præſcribit. *Quartus* ſcopus ſuggerit illa, quæ aliquid vel ſenſibiliter, vel inſenſibiliter, æqualiter, vel inæqualiter, à toto, vel à parte, evacuant: quod quocunque modo fluxionem vel diminuere, vel totaliter poſſit tollere; ſed hic maximè ſpectatur quantitas; *quintò* Modus; *ſextò* Qualitas; *ſeptimò* Tempus, Locus, & Ordo, obſervanda ſunt: quibus ad amuſſim obſervatis, & debitâ victûs ratione additâ, Conſultor ſuo facit ſatis officio. Taliter enim non, ut cæcus, ambulat; verùm certis innititur fundamentis.

4. præſidiorum fontes.

Caput. XVI.

Expenduntur inſtrumenta, quibus hi ſcopi poſſint acquiri.

Tria adſtruuntur medendorum genera, quibus prædicti obtinentur ſcopi.

INſtrumenta, quibus prædicti ſcopi poſſint acquiri, ſunt, indicatio, obſervatio, & analogiſmus. Indicatione utuntur Medici rationales in iis, quorum natura ratione cognoſci poteſt; obſervatione, quando remedia per ſolam experientiam nota ſunt: analogyſmo, quando nec per rationem, nec per experientiam, quicquam, quod conſerat, habent; & tunc analogiſmo, ſeu ſimilitudine ab uno ad aliud ductâ, utuntur. Sed eò usq; exaltata eſt Ars Medica, ut pleraque ad Indicationes reduci poſſint: invenienda itaq; primò, & ſtatuenda ſunt, *quæ*, & *quot*, indicantia, eaque proponenda; coindicantia & contra indicantia, veluti indicantium ſigna, non omittendo: cavenda eſt confuſio & perturbatio, ne dicat Conſultor, ignorantum more, venæſectionem, v.g. indicari à morbo, causâ morbi, viribus, ætate, anni tempore, & pluribus aliis. Nam *unum unum tantùm indicat*; cætera ſunt coindicantia, uti teſtatur Galenus, vel con-

contraindicantia, ſi repugnent. Caveat item Conſultor, ne vel medicamenta, vel alimenta, proponat absque indicationibus: ſine his enim ſapienter ſtatui, præſcribi, aut exerceri, absque confuſione nihil poteſt. Neceſſe itaque eſt, ut Medicus optimè perſpecta habeat, quæ, & quot ſint, quæ indicent, & quid unumquodque indicet, quid contraindicet; quid indicet conſervationem, quid ablationem, quid præſervationem, quid reſtaurationem, quid victum, quid medicamentum, quid alterantia, quid evacuantia per venæſectionem, inſenſibilem vel ſenſibilem evacuationem; quis humor, & quibus remediis, in quali quantitate, & quomodo, ſit evacuandus: hæc ſi bene expenderimus, inveniemus, an quieſcendum, an agendum, *quid*, & *quantum, qualiter, quomodo, quo ordine, tempore*, & *loco*. Rem exemplo clariorem reddamus: Juvenis 25. annorum, temperamento bilioſus, gracilis, plethoricus, fortis, tempore autumnali incidit in *febrem tertianam intermittentem*, cum tumore hepatis, & ulceribus crurum phagedænicis. De hujus affectûs naturâ, differentiis, cauſis, ſignis, ſecundum antè tradita, propriis capitibus, præcepta, uti in primâ conſultationis parte, conſultum fuit: reſtat jam altera conſultationis pars, utpote agendi ratio proponenda: quod facturus Conſultor, ſuos ſtatim ſcopos proponat, & primò dicat, *an agendum*; ſecundo *quæ, & quot*, præſtanda; *tertiò quid* ex multis primo loco agendum; *quartò quantitas* præſidiorum addatur; *quintò modus*; *ſextò qualitas*; *ſeptimò tempus*; *octavò locus*; *nonò ordo* proponatur: unumquemque ex iſtis ſcopis conetur aſſequi per indicationes. Dicet itaque: cùm affectûs hujus natura talis ſit, ut nec deſperatus, nec tamen adeò levis ſit, ut ſolius naturæ beneficio tolli poſſit; hinc primus ſcopus indicatur, nempe: *agendum* eſſe. *Quid* verò, & *quot* præſtanda ſint, indicat numerus eorum indicantium, quæ præter naturam ſunt, & ſui ablationem requirunt: &, cùm hæc ſint quatuor: utpote *febris tertiana intermittens*, tumor hepatis, ulcera crurum, & cauſa; quatuor quoque indicantur ju-

Ex quo, & quomodo, primus ſcopus eruendus.

vantia, unicuique horum oppoſita: febris indicat refrigerantia; tumor minuens, &, quia durus eſt, molliens; ulcera uniens, ſeu impiens; cauſa, ob multitudinem, requirit id, quod vacuet, ob cruditatem, quod concoquat, ob humoris acrimoniam, quod temperet, ob partium intemperiem, malos humores generantem, quod corrigat: verbo: cuivis cauſæ ſuum indicatum opponendum. Tandem videndum eſt, cui, velut magis urgenti, vel à quo reliqua habent dependentiam, priùs occurrendum; cui poſterius: & ſic *tertius* ſcopus obſervandus eſt; utpote ordo: &, cùm nec febris, nec durities; nec tumor; nec ulcera, nec cauſæ, tolli poſſint, antequam vena ſecetur; ea in brachio dextro ſecanda, in bona quantitate; horâ matutinâ, ſemel, vel partitis vicibus: ſi craſſus ſit ſanguis, foramen amplum faciendum; ſi tenuis, anguſtum: cùm autem ſit tertiana, ſupponitur ſanguinem eſſe bilioſum, & conſequenter tenuem: per hoc indicatur qualitas remedii; qui eſt ſextus ſcopus. Quando dictum eſt, in dextro brachio, indicabatur locus; ſeu octavus ſcopus: per horam matutinam deſignatur tempus: per ſemel, vel partitis vicibus, indicatur ordo. Sic quicquid aliquid indicat, ſecundum hos ſcopos indicat: omnibus verò indicantibus ſua contraindicantia ſunt opponenda, & bene ponderanda: ſi, v. g. venæſectio prohibeatur ob virium debilitatem, videndum eſt, utrum hæc ſit à reſolutione, & prohibetur; vel ab oppreſſione, & tum conceditur: vel vires ſunt quidem infirmæ, ſed non omnino proſtratæ, & ſic conceditur quoque venæſectio; ſed in minore quantitate: ſic in omni præſidio, & ſingulis ejus ſcopis, ſemper videndum eſt, quid repugnet, quid permittat. Vide plura *in methodo medendi*. Diximus antè, id, quod eſt præter naturam, eſſe tollendum, quod verò eſt ſecundum naturam, conſervandum; adeòque de poſteriori hoc membro pauca dicenda ſunt. Victum itaque talem obſervandum eſſe, dicet Con-

Quid indicet febris: quid tumor: quid ulcera: quid cauſa.

Indicantibus ſua contraindicantia ſunt opponenda.

Qualis victûs chronicis: qualis acutis conveniat.

Conſultor, non, qui vires dejiciat, veluti ſi in chronicis morbis victus tenuis, in acutis craſſus, ordinetur; ſed qui eas reſtauret, & confortet. Vires enim, quarum intereſt, morbos debellare, ſi diſtrahantur à ſuo opere per nimiam quantitatem, morbum evincere non poterunt: ſi item per paucitatem debilitentur, nec poterunt cauſam morbi concoquere, vel expellere, ob defectum alimenti, ſpiritibus generandis, & actionibus edendis, ſummè neceſſarii: hinc victus debet ſemper eſſe proportionatus viribus, & rationi mixti; ut ſcilicet per eum reponatur, quod deperditum; vel, per ejus ſubtractionem, tollatur, quod ſuperfluum eſt. Habeant autem indicantium, & contraindicantium, naturam, vim, & dignitatem, optimè perſpectam, qui ordinatam victûs rationem præſcribere, & abigere, quæ moleſtant, deſiderant.

Caput XVII.

Formatur Conſilium de Plevritide, ſecundum regulas hactenus traditas, in genere.

Quando ad auctoritates confugiendum ſit.

Cùm in conſultationibus ratione experientiâ & auctoritate maximè utendum ſit; ad auctoritatem probatorum Scriptorum confugiendum eſt, cùm ratione, & experientiâ, lucem ſufficientem dare non poſſumus. Verùm in obſcuris tantùm rebus, non evidentibus, lippis ac tonſoribus notis, ad ingenii jactationem, & auditorum nauſeam, citandi ſunt Auctores; quorum non numerum, ſed ſenſus, bene perpendendus eſt, nec perperam ad quamvis, leviſſimam etiam, rem *Hippocat. Galeni*, aut aliorum, eſt abutendum nominibus: adeóque in conſultationibus pronuncianda ſunt omnia, non ad apparatum, aut ambitionem, ut alios ſuperare, iiſq; ſapientiores eſſe videamur: ſed modeſtè, humaniter, discretè, graviter, voce moderatâ, non elatâ, & concionatoriâ, aut ſuperbâ, ſed ad ſalutem Ægri, proximique commodum, tota conſultatio dirigenda eſt.

Hippoc. igitur, *l. de victûs ratione*, & *Gal. l. de conſtit. artis*, exemplo, *Plevritidem* conſultatione discutiendam ſuſcipimus, tanquam affectum ex acutis unum: ſic exordiendo, ut primò eſſentiam & naturam, deinde differentias & ſigna, tandem cauſas & curationem, in medium proferamus.

Plevritis eſt morbus complicatus.

Dico, hunc affectum eſſe *morbum*; contra Argenterium, qui dicit, eſſe inflammationem, &, conſequenter, *morbi cauſam*, & quidem *complicatum*, intemperiei ſcilicet, ob inflammationem, auctæ magnitudinis, ob tumorem, ſolutæ unitatis, ob ingentem dolorem, à re continuum ſolvente ortum: in ſpecie autem, ut analyticè, & per reſolutionem procedamus, hunc affectum, ſeu morbum, dico, eſſe *Plevritidem*; quæ eſt affectus lateris, ſeu membranæ coſtas ſuccingentis, cum tuſſi, dolore pungitivo, & febre, à ſangvine, aliiſque humoribus, in plevram, vicinasq; partes effuſis.

Differentiæ Plevritidis ab Eſſentiâ.

Differentias, *ab eſſentia* ductas, quod attinet, *Plevritis* alia eſt *legitima*, utpote quæ fit à ſangvine puro, in plevram internam, non alias pectoris partes, utpote muſculos, aut in plevram externam, ipſas coſtas extrinſece ſuccingentem, aut alias partes effuſo; ibidemque inflammationem, doloremque excitante: *ſpuria* plevritis fit ab inflammatione, & inflatione muſculorum pectoris, vel plevræ externæ, vel muſculorum intercoſtalium, à pituita, vel flatibus, vel ſero: & hæ ſunt *differentiæ ab eſſentia & cauſis* ortæ. Diximus, ſpuriam plevritidem fieri etiam ab inflatione, ut oſtenderemus, eam non eſſe veram inflammationem, quæ fit à flatibus. Item ab eſſentia, utpote à *partibus* ipſius *morbi*, differentiæ aliæ oriuntur, quòd alia fit Plevritis *in principio*; alia *in augmento*; alia *in ſtatu*; alia *in declinatione*: aliæ *à Proprietate* oriuntur differentiæ, quòd nempe plevritis alia ſit *maligna*; alia *benigna*: aliæ à *Cauſis* oriuntur differentiæ, quòd alia fit à calore, alia à frigore, à dolore, ſangvine ſincero, vel mixto, pituitâ, flatibus &c. nam ea, quæ fit à calore, ea eſt, quam gignit fuſio; à frigore verò condenſatio, ſeu compreſſio; ut in hoc caſu. Differentiæ aliæ ſunt *à ſubjecto*, ut cauſâ: alia enim eſt, quæ

A morbi temporibus. *A Proprietate.* *A Cauſis.* *A Subjecto.*

quæ primariò, alia, quæ ſecundariò membranam coſtas ſuccingentem afficit: alia eſt, quæ ſuperiores, hinc adſcendens,& pejor dicitur;alia,quæ inferiores plevræ, ſeu pectoris partes, occupat, & mitior eſt: alia dextram; alia ſiniſtram partem; alia totum pectus, quæ tamen rarior eſt, invadit.

à Cauſa finali ab Effectibus.

Aliæ ſunt à *cauſa Finali* differentiæ: nam alia eſt *ſalutaris*, alia *lethalis*: húc ſpectat *brevis*, & *longa*. Differentiæ ab *Effectibus* ſunt, quòd alia ſit *vehementiſſima*; alia *mitior*: alia *cum delirio*; alia cum *ſyncope*: alia eum convulſione; alia ſine his.

Cauſa ordinaria plevritidis aſſignatur.

Cauſa plevritidis in genere, *efficiens*, & conſtituens, progrediendo à conjunctis, ſeu proximis, ad remotiſſimas (uti faciendum ſupra tradidimus) eſt ſangvis ſyncerus, in legitima; eum aliis humoribus mixtus, in ſpuria: plevritis utplurimùm fit à ſangvine bilioſo, velut tenuiori, qui ſeſe in membranam inſinuare, penetrare ad capacitatam inter coſtas, & membranam ſuccingentem, ibidemq; diſtenſionem, divulſionem, & dolorem, cum inflammatione, excitare poſſit.

Collectio humoris quotupliciter fiat.

Collectio humoris, in quacunque parte, fit *bifariam*: vel *per congeſtionem*, quæ paulatim fit: dum nempe pars alimentum non digerit, & excrementa non expurgantur, fit paulatim apparatus materiæ peccantis, & fiunt tumores frigidi, duri &c. vel per *fluxionem*: fiuntq; calidi, vel laxi & frigidi tumores: plevritis non videtur fieri per congeſtionem; quia de repente & cito fit: ergo per fluxionem; quâ materia in plevram decumbit.

Quæ, & quot, ad fluxionem requirantur.

Ad fluxionem autem *requiritur motus*; in quo eſt *terminus à quo*; *medium*, ſeu *ſpatium*, *per quod* fit motus; & *terminus ad quem*, *movens* & *motum*: *motum*, ſeu *quod movetur*, eſt humor calidus, & multus; qui, ſi eſt craſſior, tardiùs movetur, faciliusq; in pulmones laxos decumbit, ibidemque peripnevmoniam; ſi tenuis, plevritidem gignit: *terminus à quo*, ſeu *pars mandans*, eſt cauſa fluxionis, eſtque ob ſuam viciniam, ſitum, ſubſtantiam mollem & ſpongioſam, expultricis robur, cavitates, viaſque latas, cauſa, ut una pars, quàm alia, faciliùs inflammetur. Haſce termini à quo, ſeu partis mandantis conditiones habet caput, reſpectu plevriditis; utpote ob ſitum ſuperiorem, ſubſtantiam mollem, expultricis robur, cavitates viaſque latas; quod humores vel à ſe ſolo, vel à toto, receptos in plevram præcipitat; vel, ab externo frigore, ipſum, velut ſpongiam, oomprimendo cogitur præcipitare. Cauſa fluxionis etiam eſt *pars recipiens*, ſeu *terminus motûs ad quem*. Hæc enim dum rara eſt, & mollis, inferiori loco ſita, cava, multis venis & arteriis, cum capite communicantibus, pervia, debilis caloris & reſiſtentiæ, facilè recipit fluxionem. *Movens*, ſeu impellens, hîc eſt, vel propria rel moventis forma, ob gravitatem, vel levitatem; vel id, quod expellit: idque duplex eſt, vel ipſa facultas expultrix, vel aliquod comprimens, aut conſtringens humores; ut frigus hyemale. Expultrix facultas expellit, irritata vel à dolore, vel à qualitate & quantitate humorum; quos in partem vicinam & aptam exprimit, & amandat. His accedunt illa, quæ humores, in parte contentos & impactos, liquant, & fluxiles reddunt; ut inſolatio, motus &c. tales enim humores reſoluti per ſe fluunt, & in partem vicinam decumbunt.

Ex his patet, quid ſit *cauſa movens*, quid *motum*, quis *terminus à quo*, quod *medium*, & quis *terminus ad quem*; omni, in quavis fluxione, Conſultori ſemper bene examinanda.

Quæ cauſa ſit fluxionis materialis quod ſubjectum: quæ via, per quam: quæ cauſa finalis.

Cauſa itaque inflammationis *materialis* eſt ſanguis: *ſubjectum* eſt pars affecta, utpote plevra: *via*, *per quam* fit fluxio, eſt cauſa ſine qua non: expultrix facultas eſt cauſa efficiens proxima, quam materia & dolor impellunt: cauſa *finalis* eſt deſiderium expellendi id, quod moleſtum eſt; quo facultas expultrix movetur. Si omnia hæc augeantur, ſunt auctrices cauſæ: ſi manent in eodem ſtatu, conſervatrices: quæ eas tollunt, juvantes; quæ fovent, lædentes dicuntur. Harum cauſarum pleræque ad illa rerum genera, quæ vim habent mixtum noſtrum immutandi, utpote *quæ aſſumuntur*, quæ *geruntur*, quæ *foris accidunt*, quæ *retinentur* & *excernuntur*, referendæ ſunt. Ad *primum* quidem genus cibus & potus, medicamenta, aqua gelida, corpore

pore æſtuante ſumpta, quantitate & qualitate peccantia referuntur. Ad *ſecundum* otium, motus nimius, animi pathemata. Ad *tertium* aër, aquilo frigidus, comprimens & conſtipans, balnea, unctiones &c. Ad *quartum*, quæ *retinentur*, ut hæmorrhoides, menſtrua, varices, corporis excrementa, ſudores ordinarii; quæ *excernuntur*, ut nimii qualescunque fluxûs, qui partes corporis noſtri debilitant, ut eæ faciliùs humores peccantes recipiant. Hæc ſunt, quæ membranam coſtas ſuccingentem, in verâ plevritide, primariò afficiunt; ſecundario muſculos proximos, & coſtas: tertiò cor; quartò totum corpus. Plevra autem, etſi non ſit pars nobilis & princeps, eſt tamen publici cujusdam officii; utpote quæ reſpirationi ſervit. Ex enarratis hiſce cauſis in genere facilè colligi poteſt, quænam unumquemque in ſpecie affectum cauſaverint; *ex foris occurrentibus* nempe, frigida & nivea tempeſtas, quæ, poros conſtipando, & cerebrum comprimendo, ex ipſo torculari ſanguinem expreſſit; ex *iis, quæ in corpore geruntur*, plethora, & cacochymia biliosa; ex iis, *quæ retinentur*, prohibita tranſpiratio; ex iis, *quæ aſſumuntur*, cibi, potûsque intemperatus uſus. Cauſas, inquam, differentiarum, & ſymptomatum, ex iiſdem quatuor capitibus deſumere nullo poterit Conſultor negocio; veluti ex ſequentibus, ubi ad magis particularem, de *Plevritide*, conſultationem perveniemus, evidentiùs colligere licebit.

Caput XVIII.

Conſultationis, per ſigna diagnoſtica, & prognoſtica, continuatio.

Per Signa.

IN tradendis *ſignis* ſequentem ordinem ſequemur: ut nempe primò illa adducamus, quæ ipſam plevritidis eſſentiam demonſtrant: ſecundò illa, quæ ejus cauſas: tertiò illa, quæ differentias: quartò illa, quæ certum, vel incertum ejus eventum nobis manifeſtant. Jam, ſive de eſſentia, ſive de cauſis, ſive de differentiis, ſive de eventibus, ſeu prognoſticis, dicam, in quovis fere excutiendi ſunt quatuor fontes, ſuperiùs à nobis præmemorati: ab iiſque deſumenda ſunt ſigna, nimirum à rei eſſentia, cauſis, effectis, & ſimilitudine. Videamus itaque primò, utrum ab eſſentia rei ſigna deſumi poſſint. Cùm dictum ſit, *plevritidem* eſſe inflammationem membranæ, coſtas ſuccingentis, adeoque tumorem, qui oculis, ob ſitum, non patet; *ab ea ſignum nullum deſumi poterit.* Itaque *ab effectibus* ſigna potiùs ſunt deſumenda: hi vel ſequuntur eſſentiam rei, vel cauſas, vel differentias, vel partem affectam, vel ex iis quædam ſimul: quædam *ſigna* ſunt *inſeparabilia*; ut dolor punctorius; niſi adſit delirium, quod ſenſum doloris impedit; qui tamen eſt magis punctorius, à ſanguine bilioſo, quàm pituitoſo: quædam verò *quibusdam tantùm propria*; quædam *immediata*; quædam *remota*: ex iis ſignis alia iterum ſigna oriuntur. Nam punctorius dolor vel eſt aſcendens ad claviculas, vel deſcendens ad diaphragma, vel ad ſeptum transverſum tendens, vel ad utramque partem declinans; vel eſt latè diffuſus, vel non: tuſſis item ſignum plevritidis, dolori pungitivo juncta, nobis præbet: ſitque vel cum ſputo, vel ſine ſputo; cum cruento, vel non: adeſt item febris acuta & vehemens, pulſus celer, frequens, durus, inæqualis, à pleriſque ſerratus dictus, ſpirandi difficultas, delirium, rigor, calor in parte affectâ, in quam decubitus fit, moleſtus, ſi partes externæ afficiantur; facilior, ſi internæ; ſitis, vigiliæ, dejectus appetitus: ſentitur item pulſatio quædam in parte affectâ; ubi magna adeſt inflammatio. Fit quandoque ut *admotâ manu dolor ſentiatur*, & tum ſignum eſt, inflammationem eſſe in muſculis intercoſtalibus: tuſſis autem fit ob pulmonum conſenſum: ſputum morbi tempora, & virium robur, indicat: nam paucum, & crudum, morbi principium, & materię cruditatem; multum verò, & coctum, augmentũ, vel ſtatum, vel etiã

A plevritide nullum deſumi poteſt ſignum.

ſed ab Effectibus.

Varia adſtruuntur ſignorum genera.

Si admotâ manu ſentiatur dolor, quid indicet.

declinationem ; quo tempore omnia ſymptomata remittunt, vel facultatis robur ſignificat: ſi ſputum ſit cum ſanguine, bile, vel pituitâ mixtum, oſtendit humorum diverſitatem: multum, & amarum, vel acre, patefacit quantitatem & qualitatem humoris rejecti, & rejiciendi.

In qua plevritide non ſit conjuncta febris.

Febris non ſemper eſt juncta plevritidi: ſpurias enim plevritides multas vidimus, abſque febri: ſed tum duntaxat, quando ſit ab humore calidiore; ſanguineo ſcilicet & bilioſo: ſi tertianæ acceſſiones habeat, ſignum eſt, fieri à bile putreſcente: ſuas quoque mutationes habet pulſus: quò enim major eſt inflammatio, eò ſemper pulſus eſt frequentior, & durior; quantò magis per inflammationem membrana tenditur; & tunc eſt inæqualis, ſeu ſerratus: in plevritide, à pituitâ ortâ, ob mollitiem, talis non reperitur pulſus.

Unde in omni plevritide reſpiratio læſa ſit.

Quòd verò *in omni plevritide reſpiratio læſa* ſit, eſt, quòd partes, reſpirationi dicatæ, ſint læſæ; utpote muſculi pectorales, vel etiam ipſa membrana coſtas ſuccingens; quæ in inſpiratione tenditur, & comprimitur: eſt tamen hoc ſignum pluribus aliis affectibus commune, quibus etiam non convenit: delirium, coma, convulſio plevriticis non ſemper contingunt, ſed, dum adſunt, morbi vehementiam, & malignitatem portendunt, & maximè, dum plures eodem tempore eâ laborant: eſt enim quandoque morbus epidemicus.

Signa plevritidis exquiſita.

Signa plevritidis exquiſita, ſeu quando membrana interior primariò afficitur, ſunt dolor, ad utramque partem magis extenſus, adeoque magis fuſus; adeſt præterea punctura major, cum tenſione, ſenſus profundior, febris vehementior, pulſus durior, crebrior, & minor, reſpiratio item eſt minor, frequentior, & difficilior, plus expuitur, faciliorque eſt in parte affecta decubitus, inflammatio muſculorum tam internorum, quàm externorum, in hoc diſtingvitur, quòd in inflammatione internorum major ſit dolor in inſpiratione; externorum verò in exſpiratione.

Malignitatis manifeſtatio.

Malignitas detegitur ex hoc, quòd ſymptomata ſint graviora, quàm morbi ratio poſtulat: veluti ſunt convulſiones, deliria, ſputum viride, ſeu æruginoſum, lividum, vel nigrum, ſyncerum, fætidum, paucum, ſumma virium dejectio, ſyncope, palpitatio cordis, frigidi ſudores, ariditas lingvæ, ſitis inexplebilis, urinarum ſuppreſſio, color lateris lividus, nigræ, vel purpureæ, in corpore maculæ, fruſtranea remediorum uſurpatio &c. contraria verò indicia in hoc affectu benignam plevritidẽ demonſtrant.

Quæ magna quæ parva plevritis.

Magna plevritis eſt, quæ parvis remediis non cedit, & cujus ſymptomata omnia ſunt magna: *parva* contrà dicitur, quæ parvis, vel nullis, cedit remediis.

Signa, materiam peccantem demonſtrantia.

Signa materiam peccantem demonſtrantia petuntur à natura, & qualitatibus, tum primis, tum ſecundis, ipſorum humorum.

Signa plevritidis generata à ſanguine.

Si fiat à *ſanguine*, adeſt dolor, & febris vehemens, quæ nullas habet exacerbationes; ſputum item rubrum, urinæque cum ſedimento, & ſubſtantiâ rubrâ, rubedo in corpore, venæ tumidæ & diſtenſæ, facilis maturatio & expectoratio: præceſſerunt omnia, quæ ſangvinem generandi vim habent; ut victus evchymus, aër vernalis, ætas juvenilis, melioratio ab iis, quæ ſanguinem minuunt.

à Bile.

Si fiat à *bile*, tunc dolor magis ſævit pungendo, pulſus ſunt duri & crebri, vehemens adeſt febris, quæ tertianæ habet exacerbationes, quandoq; crebra reſpiratio, ſiccitas lingvæ, ſputum, & urinæ flavæ; his accedunt ætas ipſa juvenilis, temperamentum bilioſum, anni tempus æſtivum, victus bilioſus, animi pathemata, ut cholera, bilis etiam manifeſtatur à juvantibus & lædentibus, item à ſimilitudinibus.

à Pituita.

Si plevritis ſit *à pituita*, omnia erunt remiſſiora, febris quotidie circa noctem exacerbata, dolor minus pungens, pulſus mollior, ſputum multum ſpumoſum, viſcidum, & album; adeſt quandoq; proclivitas ad ſomnum; denique vel adſunt, vel præceſſerunt, cauſæ phlegma generantes: quod etiam manifeſtant juvantia, & lædentia; item ſimilitudines à pituitoſis; vel etiam à bilioſis diſſimilitudines ductæ deducunt in cognitionem phlegmatis redundantis.

à Melancholia.

Signa *melancholici humoris*, plevritidem generantis, ſunt accidentia magis vergentia ad malignitatẽ, niſi adſint flatus; pulſus eſt parvus, adſunt vigiliæ, ſputum lividum, vel nigrum.

Ex

Ex impreſſionibus colligitur cauſa humores movens, & quomodo.

Ex impreſſionibus corpori factis, facilè *colligitur, à quanam cauſa humores commoti priùs fuerint*. Si enim à *frigore* fuerint commoti, apparebit durities cutis, & pororum conſtrictio: ſimiliter impreſſio à *calore* eſt, quòd corpus ſit mollius & poroſius, ob humorum liquefactionem.

Signa temporum morbi.

Tempora plevritidis noſcuntur ex hoc, quòd dum pars humoribus, & fluxione, repleri incipit morbus ſit *in principio*: tunc adeſt principium doloris, & febris, & tuſſis, per quam pauca adhuc expuuntur. *Augmentum* verò eſt, quando augentur omnia, & tamdiù durat, donec ad æqualitatem omnium, ad *ſtatum* ſcilicet, ſeu vigorem, perventum ſit: *declinatio* vero à remiſſione ſymptomatum, & materiæ concoctione colligitur. Et cùm non quovis morbi tempore eadem remedia conferant, *à juvantibus* quoque, *& lædentibus*, ſigna temporum deſumi poſſunt.

à Juvantibus & lædentibus. *Quæ dicenda in prognoſtico.*

In *prognoſtico* dicendum primò, quem ſit habitura plevritis finem, ſalutem ſcilicet vel mortem; deinde ſigna ſunt adducenda, quibus mutatio, vel ſolutio futura clarè cognoſcitur; deinde ſequitur, ut exponatur ſolutionis modus, cauſa, qualitas, locus, tempus, & ordo. Itaque ſi tantus eſt à ſtatu naturali receſſus, ut nullis remediis ad mediocritatem reduci poſſit, ſi funeſta adſint ſymptomata, ut delirium, ſyncopes, & ſumma pravaque omnia, velut ſputum cohibitum, ſuffocatio, urinæ ſuppreſſio, alvi fluxus, à principio colliquativus & fœtens, ſudores malè olentes, qui præſentem mixti reſolutionem deſignant, ſi adſint pravæ corporis qualitates, cauſæ magnæ, & malignæ; mors in propinquo adeſſe, pronuncianda eſt. Contraria his omnia ſalutem pollicentur: ſi verò ſigna inæqualia, bona malis commixta fuerint, dubius morbi eventus prædicendus eſt; præcipuè cùm *acutorum morborum incerta ſint prædictiones ſalutis, & mortis*: ſi verò ab initio facilè exſpuat Æger, bona ſit ſputorum quantitas, qualitas, & coctio, quarto, vel ſeptimo die morbi ſolutio, vel declinatio, exſpectanda eſt.

Unde intelligatur, quòd febr is magis affligat Ægrum, quàm plevritis?

Advertendum autem, Ægrum aliquando *ob febrem*, quæ ſæpius eſſentialis ſit, *mori*; quod apparet ex eo, quòd febris ſymptomata augeantur indies, plevritidis verò minuantur, ſit è contra, ut, remittente febre, ob plevritidem ſolam, vel ob utrumq;, æqualiter ſæviens, Patiens extinguatur. Facilè etiam contingit, ut plevritis, factâ metaſtaſi, mutetur in peripnevmoniam: pulmones enim, ob ſpongioſitatem, facilè recipiunt, & ſic ſit translatio materiæ morbificæ à parte ignobiliore ad nobiliorem; & conſequenter affectus gravior, & periculoſior evadit: plevritis quæ ad ſalutem tendit, paulatim deſinit, & longiori quidem tempore; dum facta eſt ſuppuratio: hæc enim, paulatim rejectâ materiâ, deſinit.

Quando ſit exſpectanda ſuppuratio.

Quando autem *exſpectanda ſit ſuppuratio*, ex ſequentibus patebit: idq; fiet præcipuè, ſi materia ſit concluſa, & ad ſuppurationem apta, cum alteratrice facultate validâ: deinde magnæ ſolùm plevritides ordinariè ſuppurantur; eæq; à ſanguine potiſſimum fiunt, niſi in peripnevmoniam mutentur; quando ſcilicet membrana, ob ſubſtantiæ anguſtiam, materiam peccantem continere ampliùs non poteſt, ſed eam in ſubſtantiam pulmonum confertim eructat.

Signa ſuppurationis futuræ.

Futuræ ſuppurationis ſigna ſunt, dolor pertinaciter uni affixus loco, febris intenſior, ſputi retentio, vel parcior rejectio, remediorum, ſuppurationem promoventium, fruſtranea adhibitio, rigor: qui ſemper eſt internarum ſuppurationum prodromus:

Factæ.

factam autem ſuppurationem demonſtrant, pulſus mollior, doloris & febris remiſſio.

Duplex aſſignatur ſuppurationis terminus.

Cùm vero *duplex* ſit *ſuppurationis terminus*, utpote pus, & putredo; ſi prius accidat, bonum; ſi poſterius, quod patet ex latere livido, vireſcente, aut nigricante, malum. Memorant nonnulli, plevritidem quandoque mutari in hepatis inflammationē; quod & nos obſervavimus, ſed rariùs ſit. Peripnevmoniæ ſigna vide in *Praxi noſtra, proprio capite.* Succedit etiam, Hipp. teſte, plevritidi tabes: nempe ſi 40 diebus non expurgentur Ægroti.

Caput. XIX.

De agendis, id eſt de indicationibus Plevritidis.

Indicationes Plevritidis.

Poſtquam explicavimus ea, quæ ad eſſentiam, genera, differentias, ſymptomata, cauſas, tempora, &

ſigna plevritidis pertioent; tandem ad actionem devenire intendimus, cujus gratiâ præcedentia omnia tradita ſunt: *agendum* enim eſſe in tam gravi affectu, qui ſolius naturæ beneficio tolli non poteſt, jam ſupra tradidimus: ſcopi ſunt *indicatio*, obſervatio, analogiſmus; *indicationi* tamen maximè hîc locus eſt. *Primo* itaque hîc *Actio* indicatur: ſecundò id, quod eſt ſecundum naturam, indicat ſui conſervationem, quod præter naturam, ſui ablationem: &, cùm ſemper ad magis urgens accedendum ſit, magisq; urgeat illud, quod eſt præter naturam; ab eo incipiendum eſt, ſecundum octo conditiones, ſupra à nobis propoſitas, quibus uſum addimus. Prima conditio fuit, *quid*, & *quot*, ſeu numerus, & natura eorum, cootra quæ pugnandum eſt: hæc verò non ſemper ſunt numero paria: nam plura oppugnanda ſunt in principio, & augmento morbi, quàm in declinatione; item in corpore cacochymo, quàm in alio: ſi affectus ſit *in principio*, vel *augmento*, *quinq*, ſuot *oppugnanda*: febris, inflammatio, utriusque cauſa, fluxio, & ejus cauſa: ſi inflammatio ſit in ſtatu, vel in remiſſione, tria tantùm ſunt oppugnanda: inflammatio ſcilicet, febris, & cauſa utriusque: ſymptomata non indicant, niſi induant rationem cauſæ: ſiquidem aliàs, pereunte eorum causâ, & ipſa pereunt. Curaodum itaque, præſervandum, & mitigandum, quæ præcipua ſunt tria agentia in hoc affectu: præſervat in hoc affectu, qui cauſam fluxionis, & ipſam fluxionem, tollit: curat, qui materiam, quæ jam fluxit, educit, qui inflammationem, febrem, & utriusq; cauſam abigit: mitigat, qui urgentius ſymptoma lenit. Nam urgentia docet, cuinam ſit priùs occurrendum; &, ſi omnia pariter ſimul urgeant, omnibus pariter obviandum erit. In principio, & augmento, fluxio, ejusque cauſa, magis urget; in vigore verò id, quod influxit, & inflammationem cauſat, magis urget: itaque in principio, & augmento, ſuccurrendum eſt fluxioni, per revulſionem, quæ fit ad loca diſtantiſſima; & per derivationem, quæ fit ad propinqua (ut bene præcipit Fernel. *C. de revulſione*) ſervatâ ſemper rectitudine fibrarum. *Derivatione* utimur, quando & fluxioni, & inflammationi, ob parem urgentiam, uno eodemque tempore conamur ſatisfacere: eſt enim evacuatio non ad diſtantiſſima, neque ad maximè propinqua, ſed media quodammodo: materia, quæ eſt fluxionis cauſa, quantitate peccans, indicat minuens, ſeu evacuans: ſi calida eſt, indicat refrigerans; ſi nimium tenuis, incraſſans; ſi acris & mordax, temperans; ſi cacochyma, purgans: pars mandans ſui curationem indicat, ut nempe tollatur illud, quod eſt fluxionis cauſa: ſi, v.g. ſit dolor capitis, à calidis vaporibus, ab imâ regione transmiſſis, epithemata refrigerantia hepati, & teſtibus, applicanda ſunt: ſic, in plevritide, ſi caput ſit fluxionis cauſa, huic medendum eſt: pars quoque recipiens, ob mollitiem, raritatem, aut debilitatem, fluxioni apta nimis, Medici curam ad ſe rapit; nec minùs ſuam petunt curam viæ, per quas fluxio tranſit: ſi enim hæ per defenſiva adſtringentia corrugentur, intercipitur fluxio: denique cauſæ, ſui ablationem indicantes, ſuot primò materia peccans, ſecundò illud, quod illam producit, commovet, vel agentem irritat, tertiò, quod illam recipit, quartò viæ, per quas materia fluit: cauſis hiſce remotis, reliquæ, antè dictæ, velut minoris conſiderationis, facilè recedent.

Si affectus ſit in principio, vel augmento, quæ, & quot, ſint oppugnanda.

Quando locus ſit derivationi.

CAPUT XX.

De materia Remediorum, ſeu Curâ univerſali, in Conſultatione proponendâ.

Materia remediorum.

POſitis indicationibus, non abs re foret, prognoſtica adjungere; ſiquidem dicere poſſet Conſultor, utrum commodè, vel incommodè, vel nunquam, poſitis indicationibus ſatisfieri poſſet: & difficile eſt, prædicere de eo, quod non eſt, id eſt, prognoſticon ante indicationes ponere: nihilominùs, multos alios ſecuti, cùm ſigna omnia ſint conjungenda, prognoſtica diagnoſticis, & reliquis, conjunximus. Diximus, fluxiones, earúmq; cauſas, indicare revellẽtia, derivantia, evacuantia, incraſſantia, refrigerantia, repellentia: dolorẽ ſedant

ſedant adſtringêtia: jam his adaptanda eſt materia Medica; qui eſt tertius ſcopus, ita, ut certos ſemper fontes ponam, qui ſunt famoſa illa, ſæpi, adducta, quatuor genera, *quæ aſſumuntur, geruntur, admoventur foriniſecus, excernuntur*, & *retinentur*. Si itaque revellendum ſit, in hiis bene examinatis materiam ſufficientem reperire poſſumus, & imprimis ab iis, *quæ aſſumuntur*, opem petere poſſumus: ut ſunt purgantia: quæ quamvis in plevritide aſcendente non conveniant, ratione materiæ conjunctæ, ne ea magis impingatur; attamen ad cauſam antecedentem tollendam, ſi moderata adhibeantur, conveniunt; clyſteres item materiam revellunt, & ad ea, quæ aſſumuntur, referri poſſunt; ſuntque in cura plevritidis frequentiſſimi.

Quæ auxilia ab iis, quæ aſſumuntur, petenda.

Secundò ab iis, *quæ geruntur*, auxilia revellentia hauriri poſſunt: v. g. affectui contraria animi pathemata procurentur, item motus contrarius; dum enim fluxio fit ad partes ſuperiores, commodè moventur inferiores; atq; ita fit revulſio; ſi partes inferiores infeſtent fluxiones, cogitatio, & motus partium ſuperiorum; ſi debilitas, aut nihil aliud contraindicet, aut prohibeat, revellit; eodem modo externæ partes motæ, aut frictæ, ab internis revellunt.

Quæ ab iis, quæ geruntur.

Tertiò plurima revellentia petuntur ab iis, *quæ admoventur*; ut ſunt aër, balnea, embrocationes, & lotiones partium remotarum, unctiones, emplaſtra attrahentia, cataplaſmata, fomenta, epithemata. Huc referuntur illa, quæ impulſu revellunt; ut ſunt vulnerantia, pungentia; contundentia partes adverſas; húc quoque faciunt ligaturæ arctiores, veſicatoria, & ea, quæ dolorem inferunt parti remotæ, vel oppoſitæ: ubi enim dolor, illuc eſt attractio humorum.

Quæ ab iis, quæ admoventur.

Quartó ea, *quæ excernuntur*, & *retinentur* revellere apta ſunt, uti eſt venæ ſectio, clyſteres. Retenta quoque revellere dicuntur, dum, v. g. parti mandanti talia adhibentur, quæ humores retinent, quò minùs ad partem affectum fluant: ſic quoque fit revulſio. Ponenda ſunt diligenter ad ſtateram hæc auxilia; &, ubi affectus eſt præceps, veluti plevritis, ad præceps auxilium, v. g. evacuationem ſenſibilem, non inſenſibilem, quæ tantùm ſufficit parvo affectui, confugiendum eſt: talis autem evacuatio eſt venæſectio, maximè, quæ vehementer revellit: deinde purgatio, ſi humores non tantùm quantitate, ſed etiam qualitate, uti fit in cacochymiâ, peccent; idq; ſi nihil prohibeat, veluti eſt ſitus partis, in quâ ſtabulatur cacochymia, ad quam vel non, niſi cum damno, pervenit medicamenti vis. Si nec copiâ, nec qualitate, evidenter peccent humores, adſitque leviſſima plevritis; ſufficiet inſenſibilis evacuatio; quæ fit per diaphoretica: appropriata etiam in fortiori plevritide minimè ſunt intermittenda.

Quæ ab iis, quæ excernuntur & retinentur.

Qualiter verò ſanguinis miſſio fieri debeat, per ea, quæ impulſu agunt, ut ſunt vulnerantia, mordentia, pungentia, videndum eſt. *Per venam ſanguis mittendus* eſt, ubi magna & vehemens adeſt fluxio, & dolor viresque conſtantes; *per hirudines* autem, in majori virium debilitate, vel ubi, poſt revulſiones & derivationes, ſanguis craſſus, & impactus, ex ipſa parte extrahendus eſt: ſimilis fere eſt *cucurbitularum ſcarificatarum* ratio; quæ tamen ad revellendum majorem vim habent, etiam ſiccæ, partibus oppoſitis applicatæ.

Quando ſanguis per venam mittendus.

quando per Hirudines,

quando per Cucurbitulas.

Sanguinis miſſionem, ubi magna adeſt *neceſſitas*, nec aëris frigida conſtitutio, nec tempus nocturnum, nec cibus, nec ætas, nec cruditas, nec corporis habitus, ubi aliqua ſpes ſalutis eſt, moderari enim poteſt, prohibet. Quis enim gravidæ, vel puero, vel ſeni, plevritide ſummâ laboranti, ſangvinem, licet parciùs, non mittat, niſi, cum Helmontio, vitam pertinaci longè poſtponat opinioni? Nolim tamen, ſemper intelligendam eſſe ſanguinis miſſionem, quæ fit per venam ſectam: ſiquidem hæc per cucurbitas ſcarificatas, & hirudines, fieri commodè poteſt, præcipuè ſi vel ætas, vel vires, venæſectionem non admittant. At dicet fortaſſis quiſpiam, in talibus ea ſufficere, quæ inſenſibiliter evacuant; uti eſt inedia. Reſpond. Inediam pueris eſſe fatalem; hanc enim tolerare minime poſſunt; adeoq; illi ſanguinis miſſio longè præferenda erit. *Utrum ex parte affecta mittendus ſit ſanguis*, vide

Venæſectionis neceſſitas.

Evacuatio per inediam an convenientior.

Utrum ex parte affecta, an oppoſita.

vide *Praxin noſtram, c. de Pleuritide.* Notandum: hîc ſangvinem *ad animi deliquium*, uti in ſynochis putridis fit, non eſſe mittendum, ne vires, expectorationi ſummè neceſſarias, tollamus, & per id materia, quæ fluxit, toto corpore refrigerato, condenſetur, magisque impingatur: nec ſemper exſpectanda eſt ſanguinis mutatio, præcipue in affectu leviori: ſemper enim quantitas commenſuranda eſt affectûs magnitudini; &, ubi res tantoperè non urget, ſanguis *per vices detrahendus* eſt; & in minima urgentiâ ſufficient, uti dictum eſt, hirudines, cucurbitulæ, vel etiam inedia; iis, qui eam tolerare poſſunt, ſi verò affectus fit à ſangvine multo & puro, multum urgens, *vena ſecanda* eſt, præmiſſo tamen clyſtere; ſi verò affectus foveatur à malis humoribus, primæ regionis *leniens*, ex *mannâ, caſſiâ, tamarindis, ſyrupo roſarum ſolutivo*, vel *moſchato*, non ex *peplio, colocynth. aut hellebоro*, cum *Hipp.* ratione cauſæ antecedentis, non conjunctæ, ſed cum grano ſalis exhibendum: multo enim talis evacuatio eget tempore; cùm tamen, in forti plevritide diu expectare, perniciosum ſit; adeoque, præmiſſo clyſtere, fiat venæſectio; dein, altero die, cùm turgeant humores, ſi morbus ſit in principio, ante humorum conjunctionem, quæ ſi facta eſſet, purgationem inhiberet, ſuperiorū lenitivorum quod exhiberi poterit. Nota, quòd, ſi malum, celebratâ primâ venæſectione cedat minimè, eam reiterandam tum in brachio, tum in pede, tum ſub lingvâ: tandem vel cucurbitulas ſcarificatas, vel hirudines, vel aliud, in ipſa parte affecta applicare oportet. Factis hiſce, dolori, cauſam inducenti, occurrendum, isque leniendus eſt. Et, cùm *tres* ſint *doloris cauſæ*: prima ſenſus partis; ſecunda facultas, quæ objecta ſenſibilia dijudicat; tertia objectum ſenſibile, ſeu quod ſenſum ferit, unitatem ſolvendo: illa, quæ parti ſenſum dement, ſeu illam reddent minùs ſenſibilem, uti ſunt anodyna & ſtupefacientia, immodicè refrigerando, vel quæ facultatem ad alia negocia retrahunt, vel impediunt, vel illa, quæ continuum ſolvunt, tollendo, dolorem ſimul ex toto extingvunt. Non immeritò quæritur hîc: utrum illa, quæ aliquo modo rareſaciendo, & digeſtionem juvando, ut ſunt cataplaſmata ex lacte, farinâ lini, micâ panis, cum lacte, oleo, &c. ſint *verè Anodyna.* Reſp. Negative: Anodyna enim ſunt ea, quæ ita dolorem leniunt, ut de illius cauſa ne minimum quidem demant, ſed eam relinquant integram; quod de prædictis dici nullâ ratione poteſt. Itaque, cùm eximii dolores plurimùm dejiciant; ii tollendi ſunt, ſublatis eorum cauſis. Jam calori, frigori, & partis raritati, vel aliis fluxionis cauſis, obviandum eſt. Ad tollendum calorem, faciunt refrigerantia, tum interna, tum externa; denſantia verò non niſi ab extrinſecis ſumuntur, quæ nucham, ad fluxionem intercipiendam, vel etiam ipſi parti applicantur, ad tollendam raritatem. Denique quicquid, vel partem mandantem impediendo, vel vias occludendo, vel illud, quod impetum humori dat, tollendo, vel ipſum humorem figendo, vel partem recipientem confortando, evacuandoque, confert, ut fluxio tollatur, diligenter procurandum eſt. *Febri item occurrendum refrigerantibus & humectantibus.* Sed dicet aliquis, non eſſe, quod indicet, humectandum eſſe; cùm ſiccitas perſæpe non ſit præſens in febribus. *Reſp.* eſſe indicans præſervatorium, etſi non ſit curatorium. Nam humectantia præſcribuntur ad præcavendam ſiccitatem, à magno calore, niſi obvietur, invehi ſolitam: ergo non ineptè humectantia adhibentur. Interea, cùm plevriticorum febris ſit una ex putridis, & duæ ſint cauſæ putredinis, materia, & id, quod putrefacit; materiæ corruptæ debetur evacuatio; illi verò, quæ eſt in via ad corruptionem, ſeu putredinem, correctio & coctio. Hæc enim humores, qui per exceſſum caloris ſunt diſſimiles redditi, alterat, purgatq;, &, ſi fieri poteſt, noſtri corporis partibus ſimiles reddit. Id verò, quod putrefacit eſt calor febrilis; & extraneus, qui refrigerans indicat. Hic febrilis calor tolli etiam ex facili non poteſt, niſi cauſæ, eum foventes, ut ſunt obſtructiones, fluxiones, aër, cibus, potus &c. tollantur. Materiæ jam putrefactæ, & ſeparatæ, in morbi declinatione, & poſt

An ad deliquium usq. ſangvis mittendus.

quando per vices detrahendus.

Venæſectio propria.

Purgatio lenitiva.

Si malum prima venæſectioni non cedat, quid faciendum.

Quæ doloris cauſæ.

Quæ dicenda ſint propriè Anodyna.

Febri refrigerantibus & humectantibus occurrendum.

Aſſignantur fontes caloris febrilis.

poſt concoctionem ejuſdem, debetur expurgatio, diaphoreſis, expectoratio: coctio materiæ in pectore variis procuratur; utpote nunc parum incraſſantibus, ubi materia nimium tenuis eſt; nunc calidis & attenuantibus, ubi craſſa; nunc ſiccis, ubi humida; nunc humidis, ubi ſicca; nunc incidentibus, ubi viſcida; nunc evacuantibus, ubi materiæ copia vires exſuperat. Inflammatio ſuprà fuit ad ea, quæ præter naturam ſunt, relata, adeoq; & ſua illi hic medela adhibenda eſt. Hæc cùm fiat à repletione, quantocyus inaniens, ſeu evacuans, indicabit; quod ſi fieri non poſſit, procuranda eſt *ſuppuratio*, non tamen temere. Hæc enim, quamdiu ſpes eſt reſolutionis, vel alterius curationis, fugienda, ſed tamen ipſa, quàm omnimoda corruptio; potiùs admittenda eſt: ſiquidem multi à ſuppuratione expurgantur, & ſalvantur. *In inflammatione* vehementer adſtringentia & repercutientia, quæ vel humorem ad pulmones repellere, vel partem indurare poſſunt; omnia *fugienda* ſunt. Quænam, vel extrinſeca, vel intrinſeca, ad humoris peccantis evacuationem eligi debeant, natura ipſius humoris, & partis conditio, facilè demonſtrabit. Nam faciliùs evacuatur, ſeu diſcutitur, humor tenuis, vel bilioſus, ex parte externâ, robuſtâ, rarâ & poroſâ, quàm humor craſſus, pituitoſus, vel melancholicus, ex parte internâ, denſâ. Si itaque ad Medicam ſtateram naturam partis affectæ, ſeu plevræ, referamus, inveniemus, eam non parum raram eſſe & poroſam, à cute non multùm diſtantem, pulmonibus ab intrinſeco contiguam, qui, ob ſpongioſitatem, non tantùm humores, à plevrâ tranſmiſſos, facilè recipiunt; ſed etiam attrahunt: item pars affecta eſt in loco, cordi & fonti caloris nativi proximo, adeoq; non parum roborata, & ad actiones bonas exercendas prona: vacuandus eſt itaque humor priùs per digerentia, foris adhibita, inſenſibiliter (nam inflammatio non admittit ea, quæ ſenſibiliter extrinſece evacuant, ante factam ſuppurationem) ſecundò per ſputum provocantia: digerentia extrinſeca ſunt, quæ, unà cum calore interno, non ſolùm conſumunt materiam, quæ ſub membranâ continetur, quæ per ſputum tantùm exſpuitur, ſed etiam quæ continetur in venis: talia ſunt vel calida, vel ſicca, vel humida, vel ex his compoſita, in ungventi vel emplaſtri, vel fomenti, formam redacta, adhibenda. *Materiæ valde calidæ conveniunt* magis fomenta, & unguenta; frigidæ vero emplaſtra, ad calorem naturalem parti majorem conciliandum, qui in denſiori ſubjecto majorem habet activitatem, ad materiam frigidam digerendam, & attenuandam. Huc pertinent hirudines, cucurbitulæ, loco affecto affixæ; uti ſupra diximus. Nota: *calorem naturalem conferre ad maturationem: ſed non propterea, ad confortandum eundem calorem calida eſſe adhibenda*; ſic enim & inflammationi, & febri fieret incrementum, motus itaq; & omnia, quæ calorem cauſare poſſunt, cane pejus, & angve vitanda ſunt. In pleuritide ſputum ante omnia promovendum eſt removendo ſcilicet omnia illa, quæ thoracis motum ad exſpuitionem ſumme neceſſarium impedire poſſunt, & contentum in thorace humorem aptum, & proportionatum facultatis expultricis objectum reddendo, efficiendoq; ne vel nimiâ tenuitate diffluat dum per exſpiratum aerem attollitur, aut propter nimiam craſſitiem, & viſciditatem adhærens rejici non poſſit, ſputum enim ut commodè rejiciatur debet eſſe moderatè craſſum, non nimium tenue, aut adhærens, & cum ad rejectionem ſputi requiratur fortis thoracis motus, vis ejus movens confortanda, & ſubſtantia ad conſtrictionem, & dilatationem emollientibus aptanda eſt per externè applicata, qualia ſunt chalaſtica, pingvia, & oleoſa pectoralia: virtus roboratur per alimenta boni ſucci, quæ nativum partis temperamentum augent.. Humorem quod attinet, ſi eſt craſſior, quam ut commode rejici poſſit attenuantibus, & incidentibus: ſi tenuior incraſſantibus corrigendus eſt, quæ vero ſumuntur paulatim glutiantur, ut aſperam arteriam facilius ingredi poſſint. Ultimum eſt, ut illud quod eſt ſecundum Naturam conſervetur. Hippocrates *lib. de diæta ait*: tantum ab extremo

Ad ſuppurationem non facilè, & temerè, deſcendere licet.

Quæ fugiendo in inflammatione.

Quæ materiæ calidæ conveniant?

Sputi promotio ſummè neceſſaria in pleuritide.

Sputi præparatio.

Quomodo Thorax confortandus & præparandus.

Receditur à Gal. victu recedendum eſſe, quantum morbus recedit ab extremis morbis: licet hic morbus acutus ſit, non tamen cum Galeno *lib. 1. acutor.* auderem ſolâ mulsâ usq; ad ſeptimum diem eſſe contentus, ſed victum omninò ipſi morbo, viribus, & conſuetudini conformarem, & in vehementiſſimâ pleuritide, cum virium robore tenuiſſimum victum ordinarem: in minori paulò craſſiorem, & ſic conſequenter; ubi etiam ad morbi tempora diligenter attendendum eſt, nam in augmento, & vigore tenuior requiritur victus quam in declinatione, dum ob virium dejectionem plenior victus requiritur. *Victus ſecundum morbi tempora.* Hic merito incidit quæſtio: *Objectio.* Cur *Galenus 11. Methodi* in thoracis, jecoris, & ventriculi inflammationibus, victum tenuiſſimum prohibeat, cum tamen loco citato contrarium faciat. *Solutio.* *Reſp.* Videtur hic Galenus potius qualitatem, quam ipſam victus quantitatem prohibere, idq; veriſimile eſt, ſi enim victus qualitative ſit tenuiſſimus, & parciſſimus ipſam morbi qualitatem oppugnare minimè poterit, licet ergo victus tenuiſſimus quo ad quantitatem prohibeatur, non tamen quo ad qualitatem prohibebitur; alias etiam potus refrigerans parciſſimus impèrandus eſſet, quod abſurdum, & in ſummo æſtu crudele foret. Hæc de conſultatione magis in genere factâ (in qua plurima utilia ad ſequentem particularem referri poterunt) dicta ſufficiant.

CAPUT Ultimum.

Conſultatio particularis in plevritide.

Hyſtoria affectus. VIr Annorum circiter 35. temperamenti ſangvineo bilioſi, corporis euſarchi, pectoris ampli, poſt varios in diæta commiſſos errores, tempore hyemali, & boreali, facto per niveos montes itinere, domum redux, conqueri cepit de pungitivo, tenſivo, & pulſante ſiniſtri lateris in regione pectoris dolore, cum tuſſi moleſtiſſima, febre continua, ſiti ingenti, pulſu celeri, inæquali, ſerrato & duro, inſomniis, urinis tinctis rubeis, craſſis & paucis, ſputo perexiguo, reſpiratione frequenti, & difficili, decubitu in utrumque latus dolorifico, alvi à triduo ſuppreſſione, oris amaritudine, & ſalſedine. Quæritur hic quis affectus? quæ ejusdem eſſentia? quæ differentia? quæ cauſæ? quæ ſigna diagnoſtica, & prognoſtica? quæ indicatio? quæ materia remediorum? Dicet itaque Conſultor ex præſuppoſita hac ægri, vel adſtantium, vel etiam ordinarii relatione, affectum hunc eſſe plevritidem, *Affectus determinatur.* ſeu inflammationem membranæ coſtas ſuccingentis cum febre, dolore pungitivo, tenſivo, & pulſante, nec eſſe ſimplicem affectum, ſed ex triplici morborum genere compoſitum, ſcilicet ex intemperie ob inflammationem, ex continui ſolutione ob dolorem, & ex morbo in aucta magnitudine, ſeu vitioſa compoſitione ob tumorem. *Signa.* Signa patent ex caſus propoſitione. *Differentia.* Differentiam quod attinet, hæc plevritis videtur ſpuria potius, quam legitima, ob phlegmatico bilioſam corporis cacochymiam, quæ ſeſe in partem unà cum ſangvine inſinuat; quod æger in neutro latere poſſit decumbere ex hoc patet muſculos intercoſtales, & membranam externam affici. *Affectus magnitudo.* Pleuritis hæc magna & vehemens eſt, ob cauſarum, quæ eam cauſant, & cauſarunt magnitudinem, ob ſymptomata vehementia, utpote dolorem, reſpirationem difficilem, & maximum actionum omnium à ſtatu naturali receſſum. *Tempus morbi.* Tempus morbi pro nunc eſt augmentum, utpote cum omnia ſymptomata de hora in horam fiant vehementiora. *Cauſa.* Cauſa hujus affectus eſt copioſus ſangvis cum bile, & pituitâ mixtus, id probat ingens dolor à diſtenſione magnâ partis, in qua collectus eſt excitatus, venæ amplæ, & tumidæ, amplum pectus, fluxioniq; aptum, cauſæ item validæ, pulſus vehemens, frequens, & durus, dolor pulſatorius. Pituitam adeſſe ſignificant cauſæ remotiores, victus, qui præceſſit liberalior, crapulæ, cruditates, tempus hybernum ambiens à montibus niveis frigidum. Quod autem & ſangvini, & pituitæ bilis conjuncta ſit, ſigna nobis præbent, oris amaritudo, temperamentum bilioſum, ætas Juvenilis &c. *Conjuncta.* Cauſa itaque conjuncta plevritidis eſt ſangvis præcipue,

mixtus

mixtus tamen cum pituitâ, & bile; ſubjectum eſt latus, ſeu ejus membranæ, partim interna, partim externa, & muſculi intercoſtales: utrum vero membrana interna, an externa magis patiatur ex ſignis colligendum eſt. *Signa partis affectæ.* Cum verò dolor ſeſe partim ad ſcapulam, partim ad inferiores thoracis partes extendat, ſignum eſt plevram internam magis affici, & pati, nam nec ab externa membrana, nec à muſculis intercoſtalibus, aut pectoralibus ortus dolor ad prædictas partes ſeſe poteſt extendere. Modus autem, quo humor ad partem affectam pervenit, eſt fluxio, cujus materialis cauſa fuit plethora, & cacochymia: *Pars mandans.* Terminus à quo caput, vel totum corpus: via per quam materia tranſivit venæ, & arteriæ; terminus ad quem eſt thorax, ſeu ejus membranæ. Cauſa humores movens fuit borealis tempeſtas, ſeu frigus externum, quod eos expreſſit in partes inferiores, & in membranas depoſuit. *Indicationes.* Indicationes hic deſumendæ ſunt à morbo, cauſa morbi, ſymptomatibus cauſæ rationem habentibus, & à viribus. Morbus eſt inflammatio magna in augmento, huic quamprimum occurrendum eſt fluxionem, quæ eam cauſat, impediendo, ejusque cauſam, ſeu ſangvinem illuc fluentem revellendo, derivando, intercipiendo, evacuando, deinde febris cum ſit intemperies calida, & ſicca indicat refrigerantia, & humectantia, talia tamen, quæ expectorationem minime impediunt; febris itaque, & inſignis illa inflammatio pari paſſu ambulant, & parem obtinent indicandi neceſſitatem ob utriusq; vehementiam, ſeu magnitudinem. Cauſæ itaque utriusque ſui indicant ablationem, indicatione ſcilicet præſervatoriâ, quæ & ſymptomatibus, ut dolori lateris pungitivo per dolorem lenientia, prohibitæ exſpuitioni per expectorantia, &c. convenit. *Prognoſis affectus.* His indicationibus ſatisfacere non facile erit, ſiquidem eſt morbus magnus, & vehemens in parte nobili, id eſt cordi proxima, & ſiniſtra pectoris regione: deinde *morborum acutorum incerta ſunt prædictiones ſalutis, & mortis*, *A cauſis.* cum ejus affectus cauſæ ſint vehementes, magna ſcilicet fluxio, humor copioſus, & mixtus, inflammatio, & ſymptomata gravia, neceſſe etiam eſt affectum hunc eſſe periculoſum. *A tempore.* Brevis erit morbus, non longus, omnia enim ſumma adſunt, quæ naturam ad criſin breviter faciendam invitant, verum cum vires adhuc conſtent, *A viribus.* ætas ſit juvenilis, *Ab ætate.* bonus corporis habitus, multi ſimili morbo laborantes pro tempore ſalventur, *A ſputo.* ſi in morbi ſucceſſu (quo tempore facilius erit de ſalute ægri prædicere) ſputa facile rejecta fuerint, eaque non cruda, ſed optime cocta, bonæ conſiſtentiæ, actiones omnes tum animales, tum vitales, tum naturales reſponderint; æger ſeſe ad oblata bene habeat, certa ſalutis ſpes eſt concipienda: ex iis tandem certior ſolutionis modus, ordo, tempus, & locus facile prædici poterit; nam omnibus ſeſe commode habentibus partim inſenſibili tranſpiratione, partim per urinas, rarius per alvum die critico, vel paulatim talis affectus ſolvitur. *Cura.* Nunc indicationibus ſatisfaciamus idq; ex triplici fonte *Pharmaceutico, Chirurgico*, & *Diætetico*; cum vero magis urgenti occurrendum ſit, hinc inflammationi, ejusque cauſæ fluxioni ſcilicet quantocyus occurrendum eſt: præmiſſo itaq; ob diuturnam alvi ſuppreſſionem per quam neceſſario *clyſtere emolliente*, & refrigerante, qualis eſt.

Clyſter.

℞. *Herb. violar.*
parietar.
mercurial.
atriplic.
ſolani ana mj.
hordei pug. j.
ſem. lini,
fanigraci ana ℥ß.
fanic. ʒj.
rad. althea,
lilior. albor. ana ʒiij.
coque in ſ. q. *aq.* ad colaturæ ℔j. in qua diſſolve
mellis mercurialis ℥iiij.
Elect. lenitiv. Florenzol. ℥j.
ol. lini ℥ij.
ſalis nitri pj. M. F. Clyſter.

Venæſectio. Cum id hic requiratur, quod æqualiter, & ſenſibiliter evacuat, & ad diſtantiſſima revellit, vena ſiniſtri brachii interna ſecanda eſt, & niſi patiens ſit picrocholus, confertim unâ vice bona ſangvinis copia extrahenda eſt. Quod

autem

autem hic magnum remedium in magna qualitate præſcribatur inde fit, quod *magnis morbis magna conveniant remedia;* magna autem hic eſt fluxio, & magna inflammatio. Si factâ primâ ſangvinis evacuatione malum non remittat, reiteranda eſt venæſectio in pede, dein ex brachio, & tandem ſub lingva: ſi malum adeo difficulter cedat ad cucurbitulas ſcarificatas, vel hirudines in eadem parte affigendos deveniendum eſt. In declinatione tandem, & præcipue in plevritide deſcendente, cum dixerimus aliquam bilioſo phlegmaticam adeſſe cacochymiam, quæ & fluxionem, & inflammationem, & dolorem fovent, intenduntq; ex fonte pharmacevtico lenis purgatio duobus hiſce ſcopis accommodata præſcribenda erit, ut.

Cucurbitulæ & hirudines.

Purgatio in plevrit. deſcendente.

℞. *Agar. rec. trochiſc.*
mechoacannæ albæ, utrimq; in petia ligat.
rhei electi ana ʒiß.
fol. ſenn. ſ. ſt. ʒiij.
mannæ electi ℥iß.
his ſuperaffunde *decocti pectoralis* bullientis in *aqua Taraxaconis* facti ℥v.
ſtent per noctem, mane in colatura forti expreſſione facta diſſolve
cremoris tartari,
nitri perlati ana ℈j.
ſpir ſulphuris gutt. vj.
lactis ejusdem gr. iiij.
M. F. Potio.

Dolor leniendus. Doloris urgentis occaſio minime negligenda eſt, utpote, qui eſt cauſa fluxionis attrahendo ſcilicet; dolori autem reſiſtunt anodyna, ſed cum expectorantibus mixta, nam ſola anodyna omnem evacuationem, & conſequenter etiam expectorationem impediunt; huic itaq; ſcopo ſequens *ſyrupus* inſervire poterit.

Expectorantia. ℞. *Syr. flor. papav. rheados,*
de jujubis,
oximelitis ſimplicis ana ℥iß.
Miſce de hoc ſæpius paulatim deglutiat æger, vel *oleum lini deſtillatum* ſumat:

Extrinſecus. extrinſecè in eundem finem applicentur *veſica bubula lacte calido*, in quo *ſemen lini*, & *flores camomillæ* bullierint, repletæ, & ſæpius in *aquam calidam* iterum immerſæ, & calefactæ parti dolenti applicatæ, quæ tamen à principio niſi dolor ſit à flatibus, eo quod partem rarefaciendo dilatent, & fluxioni reddant aptiorem, non conveniunt. Vide plura in *Praxi noſtra cap. de plevritide.* Itaq; antequam iſta anodyna calida, quæ partem dilatando fluxionem augere poſſent, applicentur, ſemper proſpiciendum eſt parti mandanti, utpote capiti, hoc ita confortando parum calefacientibus, ut *emplaſtro de betonica cum pulvere ſuccini albi*, ſacculis ex *herbis cephalicis* cum *nuce moſchata trita*, *balſamis*, *apoplectico*, *de ſuccino*, *de majorana* &c. Noſtrates applicant futuræ coronali *limaces* cum *conchis*, & *ſuccino* contritos, & ſtupa exceptos, quo omnes fluxiones ſiſti exiſtimant. Item non abs re erit nuchæ, & collo circa jugularium venarum, & arteriarum carotidum progreſſum applicare ſequens.

Cautio circa anodyna.

Corroborantia caput.

Medicamentum ſuſcipiens.

℞. *Aq. planteg.*
roſar. ana ℥iij.
nitri præpar. ʒij.
boli armeni
terræ ſigillatæ ana ℥j.
croci Martis adſtringentis ʒj.
aceti roſacei ʒiß.
M. F. Epithema prædictis partibus applicandum. Fluxione tandem ſedata ſtudendum eſt expectorationi per uſum *olei lini polonici deſtill.* ad duo cochlearia cum *ſaccharo cando* ſumptum; atq; ita humoris coctioni incumbendum eſt tum per interna, tum per externa, quæ petere poteris ex *citato praxis noſtræ loco.*

Victus. Victus uti ſuperius dictum eſt debet eſſe tenuiſſimus ob affectus acutiem, & vehementiam, ex *cremore hordei*, *juſculis gallinaceis*, emulſionibus ex *nucleis pini*, *amygdalis dulcibus*, *ſem papaveris albi* &c. aër debet eſſe temperatus, potus *decoctum hordei*, & *filiquarum* cum pauca quantitate *rad. liquiritiæ*.

Et hæc ſunt, quæ eâ, quâ potui brevitate de Arte, & Methodo Conſultandi tradenda putavi.

OBSERVATIONES RARIORES ET NOTATU DIGNIORES.

Caput I.

De Flatu Furioſo.

Temperamentum & Ætas.

VIr quidam 35. Annor. temperamenti biliosi ad melancholicum vergentis ſtudiis à pueritia deditus poſtquam, ob curas graviores utpote in commiſſione Cæſarea Viennæ obq; vitam ſedentariam, & ſpeculativam diu, multumq; hypochondriacâ paſſione divexatus fuiſſet incidit in flatum furioſum, quem *Albukaſis tr. 2. c. 95.* vocat *Nakir*, eſtq; *doloroſus tumor quibusdam membris eveniens, qui deinde locum permutat, ductibusq; venarum aut latentibus, aliud adoritur membrum à flatu ortus.*

Affectus deſcriptio.

In hoc viro flatus quidam inſtar argenti vivi à metacarpo, ſine dubio per venas inſtar vermis, ad humerum usque aſcendebat, deſerente priorem locum dolore, & novum occupante, utpotè qui ubi parum continuaſſet mox ad pedem, mox ad femur, mox ad dorſi ſpinam, mox ad caput, mira celeritate rapiebatur. *Hipp. l. de flatibus* omnes morbos oriri à flatibus aſſerit, ubi dicit ad ipſa nunc opera ſermonem convertens; demonſtrabo omnes morbos à flatu, ſeu ſpiritu oriundos, corporibus innaſci, ac generari. Et ſub finem ait hactenus morborum omnium cauſas flatus eſſe demonſtravi, dicit enim febres, tremores, horrores, hiatus, oſcitationes dolores, deſtillationes, phthiſes, hæmorrhagias, tuſſes, anhelationes, ſciſſuras, hydropes, ſiderationes, morbos comitiales, ſeu ſacros, convulſiones, rhevmatiſmos &c. à flatibus oriri: quomodo autem morbi omnes fiant à flatibus vide locum citatum *Gal. 2. de arte curativa ad Glauc. c. 6. & 14. m. c. 7o. Avicenn. fen. 3. doctr. 4. tr. 2. c. 19. Serapio tr. 3. c. 24.* clariſſimè decreverunt flatus craſſos, in qualibet corporis noſtri parte colligi poſſe, qui extendendo dolorem faciunt.

Morbos omnes à flatibus oriri poſſe.

In carnoſis partibus flatus congregati ob locorum amplitudinem nullum quandoque dolorem pariunt, ſed tantum vel tremorem, vel ut *Gal. teſtatur 13. M. c. 4.* plurimisq; aliis in locis, & *lib. de oculis c. 2.* apoſtema ventoſum, cujus curationem docet per reſolventia.

Quando Flatus dolores non excitant.

Flatus autem ab uno membro ad aliud permutari per aſcenſum præcipue teſtatur *Gal. l. de compſ. med.* ubi dicit flatus in ſtomacho genitos caput impetere, ſed non monſtrat viam, putarem Galenum intelligendum eſſe quod ob ſtomachi cruditates flatus generentur in capite, vel quod illuc ferantur per occultos meatus, vel per ipſas venas, & arterias mediante circulatione.

Via flatuum ad caput.

Quod autem per venas flatus incluſi per corpus diſcurrant ſolus hactenus (quantum ſcio) tradidit Albucaſis, niſi huc referre velimus illud, quod in *præſagio experientia confirmato* inter *Galeni* libros relato, ubi dicitur flatuum ablationes per venas fieri, ergo neceſſe erit flatus per venas ferri, ex iis extravaſari, & ad interſtitia muſculorum derivari, vel in iis generari, ut videmus in rhevmathiſmo, qui à flatu furioſo in hoc differt, quod non ita aperte per venas ferantur flatus, ſed in ipſis etiam partibus præcipue in interſtitiis muſculorum generentur, qui paulo poſt diſcuſſi, alium locum infeſtant, ſed noviter generati.

Flatus furioſus differt à rhevmatiſmo.

Flatus furioſus in hoc differt ab alio flatu, quod

Digitized by Google

tu, quod per venas celeriter diſcurrat.

Objectio. Sed dicet aliquis venarum valvulas impedire tranſitum flatuum.

Solutio. Reſp. flatus eundem cum ſangvine currendi modum habere, adeoq; valvulas eos non impedire.

Quomodò generentur Flatus. Generantur autem flatus à materia nitroſulphurea, craſſa, & viſcosâ, dum calor naturalis eam debiliter accendit, neq; ex toto ſubigit, vel eam uniformiter penetrat, ſed primò ad bullæ modum extendit, movet, & tandem fortius agente in materiam calore fit detonatio, & ſtrepitus cum dolore, ſi partes ſenſibiles allidat violenter, & affatim, nam tumores à flatibus paulatim facti, & elevati fiunt absque dolore, è contra qui affatim fiunt: uti bene notat *Benivenius de abditis morbor. cauſis c. 18. de Ludovvico Nicolao Ottonis filio.*

Tumores qui paulatim fiunt, non ita dolent.

Ad primum verò exemplum tradit. *c. 4.* de quodam cui cervix ventriculi, una cum cartilagine enſiformi absq; dolore ita elevebatur, ut pomi cydonii magnitudinem ſuperaret, qui tumor ligatura, ſeu lamina ferreâ comprimente additis ſine dubio carminativis diſcuſſus fuit: ſic plurimas urinarum & menſtruorum obſtructiones à magnis vel ad pubem, vel ad renes, vel ad ureteres, ingvinum & uteri partes flatuoſis tumoribus obſervavimus, qui dein carminativis ſunt diſcuſſi: Hiſce ſubſcribit *Arthaus. l. 2. c. 8.* Siverò ſciſcitetur ex aliquo, unde fit quod flatus ille furioſus per venas raptus non adeò intenſum excitet dolorem?

Venæ & Arter. non ſentiunt.

Reſp. cum *Gal. 13. de uſu part. & Avenzoar l. 3. tr. 2. c. 2.* venas & arterias non ſentire ſi ſecentur, ergò etiam ſi diſtendantur à flatibus non ſentiunt; attamen non omnem venis, & arteriis ſenſum negare poſſumus, aliquem enim doloris ſenſum habent pletorici, niſi eum dolorem, cujus meminit *Albucaſis* in vicinis partibus excitatum fuiſſe, vel etiam venarum villis ſenſibilibus utpote nervoſis adſcribamus: Dein cum flatus ille non ſecus ac materia turgens violenter feratur, impoſſibile eſt, eum partes ſenſibiles non vellicare. Nec flatus ille furioſus ſemper eſt contiguus, præcipue in carnoſis hominibus, ſed tantum in macilentis, hinc ſæpius dolores per corpus diſcurrentes ſentimus, ſed non videmus, qui ſine dubio proveniunt à flatibus. Diximus *c. 2. meth. conſult.* in omni conſultatione conſideranda eſſe circa quæ, & quot debeat verſari conſultor, addidimusque in univerſum duo eſſe objecta, utpote finis, & ea quæ ad finem obtinendum requiritur, cùm autem finis ſit cognitio & actio, ſine dubio hic non tantum cognitione, ſed etiam actione opus eſt. Cognitio videtur jam ex quadruplici fonte, eſſentia ſcilicet, cauſa, effectibus & proportione per jam antedicta ex parte fuiſſe obtenta. Dixi ex parte, nam ex quatuor hiſce fontibus plura libet addere ſigna tum diagnoſtica, tum prognoſtica.

Signa ab Eſſentia. Ab eſſentia tumorem flatuoſum eſſe demonſtrat, minor coloris in parte mutatio, ſonus à tactu, vel reſiſtentia renſiva: furioſum eſſe conſtat ex celeri loci per venas mutatione.

Signa à Cauſa. A cauſa quod ſit in homine hypochondriaco: A diſſimilitudine, quod reliqui tumores hunc progrediendi modum non habeant.

Ab Effectu. Ab effectu, quod carminativis diſcutiatur. Ab iiſdem fontibus prognoſtica deſumo. Ab eſſentia dico hunc affectum non eſſe periculoſum, eò quod ſit tumor flatuoſus non permanens. A cauſa longum eſſe, facilisq; recidivæ ſuſpicandum eſt; utpote qui à radicatis hypochondriorum obſtructionibus, & à materia melancholica, terreſtri & Saturnina dependet. A ſimili, quod ſimiles affectus plerumq; difficulter curentur, & curati facile redeant. Ab effectibus nimirum à tribus ſymptomatum generibus, actionibus ſcilicet læſis &c. dico hunc affectum non eſſe periculoſum, ſiquidem ſymptomata, quæ infert, tam gravia non ſunt; ut fatalem præſagiant exitum. Abſolutis jam quæ ad cognitionem primum ſcilicet finis membrum ſpectant requiſitis, & breviter conſiderato illo quod eſt ſecundum & illo quod eſt præter Naturam, nunc ad alterum finis membrum utpote ad actionem progrediamur,

An & quid agendum.

videamusq; hic ſecundum dicta *C. 14.* an agendum *primò*: *ſecundò* proponamus quid agendum: *tertiò* præſidia quæramus: *quartò* quantitatem remediorum: *quintò* modum: *ſextò* qualitatem: *ſeptimò* tempus: *octavò* locum: *nonò* ordo: *decimò* itaq; hic agendum eſſe abſolute dicimus, nam affectus hic

incura-

incurabilis non eſt: adeoq; de hoc primo ulterius diſſerere ſupervacaneum eſt: Ad ſecundum itaq; progrediamur, dicamusque *quæ* & *quot* agenda ſint, ut nempe id, quod eſt *præter naturam* tollatur, quod *ſecundū naturam* conſervetur, quod fiet indicationibus, obſervationibus, ſeu experientiis vel analogiſmis. Indicationes deſumuntur à morbo, à cauſa morbi, viribus, & cum hic ſit tumor præter naturam, ſeu morbus in aucta magnitudie, requiritur minuens, cumq; hujus affectus cauſa ſit humor melancholicus nitroſulphureus obſtructiones in hipochondriis cauſans ob multitudinem requirit, quod vacuet; ob cruditatem, quod concoquat, ob viſciditatem, quod attenuet, ob acrimoniam quod temperet, ob viſcerum intemperiem quod corrigat. Vires etiam ſui indicant conſervationem nam *quæ* & *quot* præſtanda ſint indicat numerus eorum, quæ præter naturam ſunt & ſui ablationem, vel quæ ſecundum naturam exiſtunt & ſui conſervationē poſtulant, idq; ex triplici fonte Chirurgico, Pharmaceutico, & Diætetico. Primum quod attinet ex hoc videndum, *quid ſit agendum*, & eſt 2. *ſcopus*, *qua præſidia* & eſt 3. *ſcopus*, ex hoc fonte petitur *quantitas* & eſt 4. inveſtigatur *modus* & eſt 5. detegitur *qualitas* & eſt 6. Indicatur *tempus* & eſt 7. monſtratur *locus*, & eſt 8. docetur *ordo* & eſt 9. Per omnes hos ſcopos trahenda foret ſanguinis miſſio, ſed hæc non videtur competere, utpote non indicata ratione affect., licet ratione cauſæ antecedentis ſanguinis ſcilicet melancholici aliquo modo convenire poſſe videatur, nempe in minori quantitate ſecundum 4. tum ſcopum: ex brachio ſiniſtro, ſalvatella, vel hæmorrhoidibus ſecundum 8vum ſcopum: alias ad ipſum affectum ex fonte chirurgico curandum, dum flatus v.g. in brachio eſt, & movetur fiat ligatura una ſupra ipſū & altera infra, & in medio intercipiatur, & facta ſectione flatus ille emittatur, dein locus cauterizetur vel carminativis veluti *emplaſtro, & oleo de baccis lauri, unguento carminativo Mynſichti*, *Emplaſtro de meliloto*, *diaphœnico calido*, *oleo & balſamo fœniculi, anethino, cumini, aniſi, carui corticum arantiorum*, frictionibus, corporis motu, & concuſſione, vel *pil. fœtidis*, & de *ſagapeno*, *Tartareis Schröderi*, *melanagogis Quercetani*, ſine *Cuſtodia* noſtræ

Varia Indicantia.

Scopi varii.

Carminativa.

deſcriptionis, vel *decoct. chamomill.* & *baccar lauri*, *aqua zedoariæ*, *eſſentia Coriandri*, *ſpirit. ſalis*, *abſynthii*, *tinctura Martis* cum *vino malvatico* extracta furioſus ille flatus impugnetur, & diſcutiatur. Si vero fuſius cauſæ antecedenti, utpote obſtructionib; hypochondriorum obviare velis vide Praxin noſtram cap. de hypochondriaca paſſione. Diæta debet eſſe evchyma ex cibis boni ſucci, & nutrimenti facilis digeſtionis, & diſtributionis, vitanda ſunt illa, quæ flatus generare apta, v. g. legumina, crambes conditæ, carnes infumatæ nitroſulphureæ, cereviſia minus cocta, & indefæcata, cruditates & ſuperfluitates ante factam digeſtionem: deniq; omnia animi pathemata præcipuè mæror, & triſtitia, longæ ſpeculationes, multiloquia, & vociferationes, hisq; ſimilia, quæ ſpiritus à concoctionibus abſtrahunt. Exercitia flatibus diſcutiendis apta frictiones &c. concedantur.

Caput. II.

De angina periculoſiſſima ter recidiva & tandem curata.

Mercator quidam 37. annor. temperamenti ſanguineobilioſi prævia humidiſſima anni 1661. hyeme verno tempore incidit in anginam ita gravem ut ex ſpiritus interceptione vix non ſuffocaretur, colluctabatur gravi huic affectui ſalutaribus remediis præpoſterè adhibitis 4to jam die, adeoque morbus in augmenti fine ad ſtatum accedebat, aphonus erat, omni deglutitione privatus, ita ut liquores per nares rejicerentur, febricitabat, ſummo faucium dolore afficiebatur, ita ut exigua ſalutis ſpes eſſet ſuperſtes. Ex his omnibus manifeſtabatur eſſe angina eamque legitimam, nimirum inflammationem muſculorum pharyngis & laryngis internorum, quæ deglutitionem & reſpirationē, licet non ex toto, impediebat, intercipiebat tamen. Si affectum hunc per modum conſultationis tractare vellimus ad bina Conſultoris objecta finem ſcilicet, & omnia illa, quæ ad illum acquirendū requiruntur collimandum eſt. Cùm vero, ut dictum eſt, duplex ſit finis cognitio, & actio, affectus cognitio per eſſentiam, differentiam, cauſas & ſigna prius eruenda eſt, deinde ad actionē progrediendum, quæ in ſumma

Ætas & Temperamentum.

Angina.

hac neceſſitate ſumme neceſſaria. Eſſentia affectus ſatis detegitur, per inflammationem muſculorum laryngis, quæ cognoſcitur ex tumore, calore, rubore, dolore deglutiendi & ſpirandi extrema difficultate, febre, ſiti, inquietudine, pulſu frequenti, tactu acri, ſputi paucitate. Differentia ex hoc patet, quod ſcilicet legitima ſit angina, quod febris adſit violenta, quæ in ſpuria non eſt. Cauſa interna fuit hic imprimis plethora in toto cacochymiæ non parum aſſociata, erat enim homo bilioſus intemperatus, variis exceſſibus deditus, cujus è vena ſanguis extractus, aliquot ab hinc annis crudus & hæterogeneus fuit, unde viſurum indiſpoſitioné præviam ſupponere difficile non erat; his acceſſit hyems humida, & pluvioſa, quæ non tantum auxit, ſed etiã fluidos reddidit humores, partes dilatavit, & receptioni magis habiles rddidit, unde caput pars alias ſpongioſa, ſolito plus imbibit humorum, quos ſuccedente Auſtro, Aquilone caput comprimente in ſubjectas partes venarum ſcilicet jugularium ramos, vel etiam per alias vias eructavit: uti bene *Hipp. lib. de victus ratione in acutis*. Angina fit cum fluxio ex capite multa, ac glutinoſa, tempore hyberno aut verno, ad venas jugulares fluxerit, & hæ fluxionem ampliorem propter amplitudinem attraxerint. Idem Hipp. *3. aph. 16.* ait: Morbi Pluviales ſunt febres, alvi profluvia, putredines, morbi comitiales, apoplexiæ & angina. Signa ab eſſentia, cauſis, effectibus & ſimilitudine eſſe deſumenda tradit ſæpe citatus *Hipp. lib. 3. de morbis* ubi inquit *ab angina appellata ſuffocatur homo, & in faucibus ipſi magis hærere videtur, neq; ſalivam neq; quicquam aliud detrahit, & oculi affecti ſunt, ac prominent velut ſtrangulatis, & intente per ipſos vides, & ipſos convertere non poteſt, & anxius eſt, & exilit frequenter, & facies & fauces ardent, immò & collum, at videntibus nihil mali habere videtur, & vides à cauſis obtuſius, & præ ſuffocatione non intelligit neque quid dicat, neque quid accidat aut faciat, verum hians decumbit ſalivam fundens, ac talia faciens 5. 7. aut 9. die moritur.* Hic tamē loquitur *Hip.* de deſperata angina: in noſtra hâc omnia paulò eſſe remiſſiora indicat ipſa affectus eſſentia, ejuſq; remiſſiores cauſæ, & ſympomata, ſeu effectus, nam dictum eſt ferè omni deglutitione, non ex toto fuiſſe privatum, nihilominus hic affectus brevis eſt, ſed acutiſſim9, finem dubium habiturus videtur; nam *acutorum morborum non omninò certa ſunt prædictiones ſalutis & mortis*: nam *tumores faucium ſine omni ratione repentè evaneſcentes lethales ſunt* Hipp. in coacis, ſignificat enim materiæ ad interiora receſſum, dein periculoſior eſt angina, quæ fixam habet ſedem uti hæc, quæ in principio neglecta fuit, dein tempus mutationis in talibus plerunq; eſt quartus, ſeptimus aut nonus tertio motus commutatio ſic eſt, quod vel tumor inſenſibiliter reſolvatur, vel ad ſuppurationem deveniat, vel ſuffocet: quarto tutius Artis, quam Naturæ, quamvis plerunque beneficio utriuſq; fiat, curatur: quinto mutationes qualitatem quod attinet, hæc non ſemper ſolet eſſe fida, uti in hoc patiente vidimus, qui ter recidivam paſſus eſt, nam fluxio facillimè recrudeſcit, niſi ſufficientiſſima fiat revulſio, derivatio, & evacuatio, præcipuè cum morbus ſit in parte capiti humido ſubjecta ob multitudinem, & amplitudinem vaſorum facile recipiente; ſexto ſi conſideretis viam, per quam futura eſt excretio commodiſſimam dicetis eſſe per ſputum, nam Hipp. in coacis ait, *niſi anginoſi cocta exſpuant, ſed pauca viſcida, craſſa ſputa reddant malum*: vel per poros tranſpirationem, ſcilicet inſenſibilem, quamvis nonnullos per hemorrhagiam narium, ſudores, alvum, liberatos fuiſſe doceant Authores, cum pares ſint omnium inflammationum indicationes, nimirùm eæ, quæ fluxioni, ejus cauſæ, ſymptomatibus & virib9 debentur. Gratia fluxionis indicantur revellentia, derivantia, intercipientia, evacuantia, fluens enim humor revellendus ad partem diſtantiſſimam, derivandus ad proximam, evacuandus ex ipſa parte, quæ tandem corroboranda, neq; ulla habenda eſt mora, ſed quamprimum ſanguis mittendus eſt ex brachio, præmiſſo tamen clyſtere, ſi morb9 patiatur, & licet ſanguis in bona quantitate mittendus ſit, non tamen ad animi deliquium, ne ſpiritus vi morbi diſſipati, vel ſuffocati defectu virium ad partem revocari, & congregari amplius non poſſint, atque ita æger fatis cedat. Itaque præſtat iteratis vicibus, qualiter Zacutus in muliere quādam gravidâ ſeptiēs una die venam ſecuit, eamq; liberavit

Angina legitima & ſpuria.

Locus Hipp. de Angina.

Prognoſtica Anginæ.

Non eſt mittendus ſanguis ad animi deliquium in Angina.

beravit. Nam hic nec ætas, nec menſtruæ purgationes, nec geſtatio uteri venæſectionem ullo modo impediunt. Obſervavimus item in praxi noſtra hæmorrhoidum per hirudines apertionem in omni faucium dolore, & angina ſummum afferre emolumentum, nempe ob conſenſum partium ſedalium, & faucium. Quod ſi facta ſufficienti evacuatione perſeveret affectus omnimodáq; adſit degluciendi privatio, cathetere in fauces immiſſo, carnium eſſentiæ liquidæ intromittantur, vel deveniatur ad laryngotomiam, quâ Gloſſator ſquinanticum gladio ad fauces adacto, & perforatâ trachæâ ſeſe revocaſſe aſſerit ab orci faucibus. Simile quid meminit *Albucaſis*, vocatque eos inexpertos & ſummè formidoloſos, qui hanc operationẽ facerè renuunt. *Antonius Muſa Braſſavolus in ſuis com. in 4. Hipp. lib. de victus ratione in acutis ait ſeſe propriis manibus id renuente Chirurgo*, in quodam ſquinantico jamjam ſuffocando laryngotomiam exercuiſſe, quod deinde feliciter pluries tentavit. Hujus operationis modum tradit *Paulus Ægineta l. 6. c. 33.* ex ſententia *Anthilli*, idem facit *Rhaſis*, aitq; ſeſe vidiſſe Medicum in gravi angina, ubi mors in propinquo erat, hanc operationem cum ſucceſſu exercuiſſe. Item *Alſaharavius l. pract. tr. 10. c. 9.* hunc operandi modũ approbat. *Avenzoar* ait ſeſe hanc operationem in caprâ feliciter exercuiſſe. *Avic.* quoq; *fen. 9. l. 3. c. ij.* eam docet, & laudat præcipuè in deſperatis. Item *Hali Abbas 3 pract. c. 38.* hunc agendi modum ambabus amplectitur manibus. Verum dicet aliquis cum *Hippoc.* dicat oſſa, nervos, cartilagines diſciſſos amplius non coaleſcere, ergo tentanda non erit hæc operatio, cùm deſuper periculum ſit, ne ſanguis ex ſectione ortus, in pulmones irruat, & ægrum ſuffocet. ℞. ad primum licet nervi, cartilagines, & oſſa nõ coaleſcant per medium homogeneum, coaleſcunt tamen per medium heterogeneum, uti bene *Andreas Laurentius* aſſerit in ſua Anatomia. ℞. ad ſecundum tantam nõ eſſe partium cartilaginearum tanquam exſanguium hæmorrhagiam, poteſt enim partis externæ, quæ ſecatur ſanguis ad externa eructari. At dicetur *Galenus* hujus operationis non meminit,

Approbatio Authorum pro Laryngotomia.

Objectio.

Reſponſio.

Objectio.

Ergo non videtur admittenda. Reſp. Neg. Antec. nam *Avenzoar c. de apoſtem.* ait, quondam Diſcipulus erat in hac arte ſcrutans dicta modernorum hujus artis in hac cauſa, qui dicunt, quod *Galenus* nullam fecerit mentionem hujus curæ mentiti fuerunt, eò quod *Galenus* ipſam poſuit, ubi præcipit incidere ſiphach, & ſcindere cannam pulmonis. Et dato, non conceſſo nec *Hipp.* nec *Galenus* hanc laryngotomiam adminiſtraverint à negante authoritate non ſequitur firmum argumentum. De curâ & coalitu poſt ſectionẽ poſſibili nullum penitus eſt dubium, nam *Albucaſis* in ſua Chirurgiâ tradit, ſe vidiſſe ancillam, quæ ſibi pulmonis cannam cultello præſcidit ita ut ventus ex vulnere exiret, quam perfectè curavit. *Nicolaus Flor. ſerm. 7. de vulneribus gulâ* ait, quemdam in gulâ à ſagittâ ita vulneratum fuiſſe, ut ad ſpatulam perforata fuerit, & tamen ſanatus eſt. Idem teſtatur *Braſſavolus* de Gallorum Duce, qui ex deſperatione in carcere detentus ſibi quinq; gulæ, ſeu tracheę annulos incidit ſanatusq; fuit. Dein cur in tàm deſperato caſu operatio velut unicum refugiũ, attẽtanda ó foret, cùm *Gal. ij. meth.* dicat *melius eſſe cum ſpe bonâ aliquid periclitari, quam derelictum ſine ſpe certiſſimè interire.* *Celſus l. 2. c. 6.* ait *Medicum quandoq; ſanare quosdam, de quibus deſperaverat.* *Hipp. l. de flatibus* refert pleroſq; à pernicioſiſſimis & penit. lethalib. morbis, per medicam opem liberari. Accidere autẽ in Arte Medica ſtupenda, tradiderunt *Averrhoes & Avicennas*, nempè ut ſalventur, qui morituri erant. Ego dicerẽ è contra multos fatis cedere, qui usq; ad ultimum nulla penitus mortis ſigna edebant, extincto ſcilicet dèrepentè calore naturali, rupto majori aliquo vaſe, vel vaſis alicujus valvulâ, uti Viennæ in filio Scannarii reperimus; vel per gangrænam internã &c. Modum verò hanc operationem exercendi nobis tradunt *Avic. Rhaſis, Avenzoar, Albucaſis, Paulus, Braſſavolus, Aetius, ſerm. 8. c. 37. Benivenius 6. de abditis morbor. cauſis c. 38.* ubi ſcribit anginam ferociſſimam patiebatur *Nicolaus Rota* nullo rubore, aut tumore, intus, aut extra exiſtente, cùm ſummâ ſpiritus difficultate, & ſuffocationis periculo, quicquid ſumebat per os, ſtatim per nares rejiciebat,

Solutio.

Exempla coaluiſſe in gulâ poſt Laryngotomiam [illegible]

areſce-

areſcebat jam corpus, facies pallebat, & gyratis jam oculis, nec minimum ſpei fuit ſuperfluum, ego etſi reliquis junior videns ægrum deſperatum, & derelictú in arena conſilium capio, & locum altioribus plagis ſub maxillis, & etiam ſupra collum incido, ex quo cum ſanies multa prorumperet morbus levat, fuit, & ex toto curatus. Nota quod ſicuti datur plevritis deſcendens ita etiam datur angina deſcendens, ſeu intus agens, quá nonnulli ſpiritus vitio, id eſt, in igneum & ſicciſſimum converſione abſque inflammatione fieri exiſtimant. Similis anginæ meminit *Aretæus l.1.c.7.* Quidam in anguina veſicatoria nuchę applicant, quæ nobis præcipue in augmento improbantur, utpote parti affectę nimiùm proxima, niſi forte in fine, ſeu in declinatione ad apparentis jam, & maturi tumoris rupturam. Hæc ex fonte Chirurgico. Ex fonte Pharmacevtico mirabantur homines me in ſumma febre, & angina cogitare de purgatione, immò huic evacuationi febre præſente plurimi Medici contrariantur: Ego autem cum *Hipp. in aph.* dico quibus fauces dolent, ſi excrementa alvi ſint bilioſa, in his bilis abundat; ergo adeſt cacochymia bilioſa & conſequenter indicans cholagogum alicujus pharmaci, idque non tantum in hoc, ſed in plurimis aliis etiam patientibus hactenus probavi, optiméq; ſucceſſit, nam plures anginas in corporibus cacochymis, & minus plethoricis ſolo catharctico percuravi: clyſteres interea emollientes, & contemperantes, immò etiam nutrices frequenter injiciantur. Hic quæſtio diſcutienda venit num clyſteres nutrientes in ſummâ deglutiendi difficultate injici debeant, & nutriant? R. Cum *Roderico à Fonzeca: conſul. 22.* Etſi clyſteres propter obſcem valvulam, ad inteſtinum jejunum non perveniant, attamen cum etiam ad inteſtinum colon hient meſeraicæ, lacteę per has attrahi poteſt illud, quod magis elaboratum, & naturæ (ut ita dicam) univocum quod ventriculi concoctione nó eget, dein omnem vim chylificandi inteſtinis, ob membranarum communionem cum ſtomacho, habentium viciniam, & ſubſtantiæ ſimilitudinem, ſi non identitatem, negare non poſſumus. Deinde ſi pituita, id eſt crudus ſanguis poteſt verti in ſanguinem coctum, uti alibi aſſeruimus, cur & ſubſtantioſa ejuſmodi juſcula præſtare id non poterunt? Imò præcitatus Author exemplum affert de moniali, quæ ſolis ejuſmodi injectis clyſteribus novem diebus ſervata fuit. Ad has extremitates in noſtro hoc patiente deventum nunquam fuit, ſiquidem relicta aliqua, eaque dolorifica deglutitione, ut non tantum plethoræ, ſed, etiam cacochymiæ obviaremus ſecundum Hipp. aph. quandoquidem pueris in dentitione, & inflammatione gingivarum fluxus alui bilioſus plurimum confert, cholagoga per intervalla propinabamus, non tam ad cauſam conjunctam, quam ad antecedentem attenti. Aliqui exhibent vomitoria, quæ tamen in affectu tam gravi ad præcavendam ſuffocationem, & partium exacerbationes ſuſpendimus. Remedium *Paracelſi* è Canceris n. vj. ſedi major. m iiij. contuſi in mortario, & expreſſi, quorum ſuccus inſigniter refrigerat, ſi eo fauces inungantur, vel paucæ de eo guttæ cum juſculo deglutiantur, & magis id efficit ſi cryſtalli, ſeu anodyni mineralis parum addatur. Externe applicabamus cataplaſma ex nidis hirundinum, & albo græco cum lacte coctis: Primus gargaryſmus erat.

Veſicatoria quando improbantur in Angina.

Clyſteres nutrientes approbantur.

Remedium Paracelſi ad Anginam.

Externa remedia.

℞. *Aq. plantag.*
Diamori ſimplic.
mellis flor. calendulæ ana ℥iß.
mucilag. tragacanth.
[illegible] *ſem. cydon. cum ſucco ſemperviv. extract.* an. ℥j.
M. F. Gargariſmus. Vel

Gargariſmi. [illegible]

℞. *Aq. ſemperv.*
Prunell.
Plantag. ana [illegible]
mellis roſati colati ℥ij.
ſalis armon. ʒj.
ſpirit. ſalis,
nitri ana ℈j.
M. F. Gargariſmus, exhibeatur ſæpius ℥j. Magiſterii dentis apri, vel tantundem cineris cancrorum fluviatilium, vel hirundinum uſtarum.

Vel

℞. *Mellis flor. calendulæ,*
ſyrupi de mentha ana ℥iß.
albi græci ſubtiliſſime pulveriſati, & non piloſi ʒiß.
M. F. Lambile.

Aliqui

Aliqui caput viperæ exſiccatum collo appendunt: nos Catholici quibus de meliori luto finxit præcordia Titan, nullam amuletis fidem adhibemus, ſed potiùs ad candelam S. Blaſii collo applicatam velut amuletum ſpirituale patientes confugere permittimus, immò ſuademus ſcientes illud Thomæ de Kempis; optimè equitat, quem gratia Dei portat, & conſequenter optime curat, qui Dei & ſanctorum opem implorat, cujus ſolius omnis benè, & ſalubriter inſtituta eſt Medicina, & optimum ſemper eſt omnis medelæ à Jove principiũ. Quod ſi eousq; res devenerit, ut pars affecta in abſceſſum abierit, ad eum rumpendum remedium nobiliſſimum eſt Agaricus trochiſcatus, & præfatis gargaryſmis commixtus, vel etiam ad ℥j. ſumptus. Idem facit pulvis noctuæ cum pennis combuſtæ, & in modica quantitate in guttur immiſſus, vel intingatur extremitas candelæ ceteæ in ſpiritum vitrioli, & tumor attingatur, uti in deſperato quodam Capitaneo nomine Gerliz adhuc vivente feliciter practicavimus. Si quod ſæpiùs fit, angina deſcendat ad pulmones his per becchica ex ſuis capitibus proſpiciendũ eſt: quod & in hoc noſtro patiente fecimus, nam incidit poſtea in graviſſimã tuſſim, cui variis pectoralibus & iteratis evacuationibus proſpeximus. His & ſimilibus priſtinæ ſanitati divina aurigante gratia fuit reſtitutus. Plura vide in praxi noſtra capite de angina.

Abſceſſus quomodo ſit rumpendus.

Caput. III.

De puella 18. Annorum phthiſi ſpuria, & mirabili laborante, quæ rejectâ tandem corneâ quâdam, vel verrucoſâ ſubſtantiâ ex toto convaluit, & nunc etiam valet, vivitq; incolumis.

Honeſta virgo annorum 16. Hoſpitis ad aureum Urſum filia, temperamenti calidi, & humidi, adeoq; ſanguinei quinq; circiter abhinc Annis imprimis incidit in tuſſim ſiccam moleſtiſſimamq; qua diu, noctuq; miſerrime torquebatur, nec quicquam rejiciebat, durabatque hæc tuſſis ſicca tempore ſat longo, quæ dein cum rejectione materiæ viſcoſæ, & phlegmaticæ non tamen verè purulentæ, ſeſe ad duorum Annorum ſpatium facile extendit, vires deficiebant indies, & corpus tabeſcebat, ita ut ab omnibus pro verè phthiſica haberetur; remedia à me ex omni Medicinæ fonte ſolerter deprompta nihil, aut parum efficiebant, ſanguis è vena extractus cruſtâ, lardi inſtar, obductus quandoque variegatus, conſpiebatur, tandem poſt diuturnum pectoralium, utpote decocti galli veteris cum pectoralibus facti; lactis caprini, balneorum aquæ dulcis tepidorum, unctionum pectoralium, ſyruporum, cauteriorum &c. uſum urgente ſemel violentiori tuſſi bolum corneum inſtar caſtaneæ verrucoſæ qualis meminit *Benivenius c. 88. & Abynzoar l. 1. tr. 11. c. 3* cum ſanguine, non tamen adeo copioſo rejecit, & adhibitis pauciſſimis medicamentis ſanguinem ſiſtentibus ex toto convaluit. *Columbus l. 15. de iis quæ rarò contingunt in anatome*, ait ſe non ſolùm in pulmonibus Steatomata comperiiſſe ſed & vidiſſe in Franciſco capello in pulmonibus oſſa non parva. Idem aſſerit *Avic. c. 46. de Tuſſi Quæſt. 1. in praxi noſtra citatus.* Quamvis Galen. *lib. 4. & 5. de locis affectis c. 11.* aſſerat, omnes qui pulmonis ulcere laborant, neceſſario perire & *5. meth. c. 8.* clariſſime tradat exulcerationes pulmonis omnes eſſe inſanabiles, eò, quod citra tuſſim expurgari nequeant, per quam ulcera magis dilatantur, & lacerantur, dein eo, quod medicamenta iis alias idonea non niſi in pauciſſima quantitate, aut per magnũ intervallum illuc perveniant, partique affectæ communicentur. Tertiò quod pulmo per inſpirationem, & exſpirationem ſit in perpetuo motu, ſoluta verò unitas ad reunionem opus habeat quiete: dein quod non niſi liquida, & humida illuc perveniant, quæ ad ulceris conſolidationem vel parũ, vel nihil faciunt, ſiquidem illud ſicca requirit. Attamen *Avic. fen. 10. l. 3. tr. 4. c. 15.* ait ulcera pulmonis, quæ proveniunt ex ſolutione ſingulari dum vulnera permanent, ſanationẽ recipere poſſe, cui & nos *Galenum* minime negantes, ſed explicantes ſubſcribimus, phthiſes enim ejuſmodi vidimꝰ & vel maxime ſpurias, qualis hæc fuiſſe videtur perſanatas fuiſſe, immò Aviariũ Imperatoris adhuc viventẽ à graviſſi-

Ætas & Temperamentum.

Ulcera pulmonum eſſe ſanabilia.

ma

ma phthiſi liberavimus. *Rhaſis* ait ulcera pulmonis per initia conſolidari poſſe, ſed antiqua, ſanioſa, & profunda ab humore corrodente orta cum febre hectica conjuncta vel difficulter, vel nunquam ſanantur, niſi ablata priùs hectica, nam ulcus exſiccantia, nocent febri, & hecticam diſpoſitionem humiditate ſua oppugnantia, nocent ulceri, præterquam quod humori corroſivo frænum injiciant. *Avicenn. l. 3. fen. 10. tr. 5. c. 5.* ita ſcribit, ſi non timerem dici mendax narrarem in hac intentione mirabilia, & referrè ſummam, qua uſa eſt mulier phthiſica, pervenit res ejus ad hoc, ut ægritudo cum ea prolongaretur adeò donec perveniret ad mortem, & vocarentur ad ipſam, qui præpararent ea, quæ morti ſunt neceſſaria, tunc quidam frater ejus ſurrexit ad eam, & curavit à cura longo tempore, & ſanata eſt, & ut dicam ſummam ejus quod commedit de ſaccharo Roſaceo. *Conſiliator diffra 194.* ſimilem de eodem ſaccharo adfert hyſtoriam. *Rhaſis 4. contr.* vidi, inquit, qui poſt ſangvinis ſputum incidit in phthiſin & perfecte curatus fuit, per lactis caprini uſum, nos aſininum vel potius humanum præferimus. *Franciſc. Arcæus l. 2. de curandis vulneribus c. 2.* ſcribit ſe phthiſicum & tabidum ſimul decocto ligni ſancti, per menſem uſurpato percuraſſe. *Hieronymus Fracaſtorius l. 3. de contagioſ. morbor. curatione cap. 8.* teſtatur in phthiſicis verè deſperatis plurimum ſpei haberi poſſe uſu decocti cujusdam, quod præter reliqua lbß. ligni ſancti ingreditur. Putamus tamen cum grano ſalis decoctum illud nimis frequens aſylum adhibendum eſſe, præcipuè ſi adſit febris niſi proveniat à lue venerea, & à craſſis humoribus qualiter feciſſe videtur *Aloyſius Mondella 3. dialogor.* ubi ſcribit ſe ſe colicam paſſionem cum febre nullis curabilem remediis decocto ligni ſancti percuraſſe. Ad quam curandam feliciter adhibuimus lignum guajaci ab *Amato Luſitano lib. centur. Medic. cap. de colica* deſcriptum. Sed dicet aliquis illos non vere ſanari, ſed tantum ulceribus eorum in pulmone exiſtentibus callosam cruſtam induci, cujus beneficio videntur ſanitati reſtituti, & vere non ſunt, uti ex *Avicenn. lib. 3. fen. 10.*

Decoctum ligni ſancti.

tr. 4. c. 18. patet cujus hæc ſunt, & quandoq; accidit phthiſico, ut protendatur cum eo phthiſis, producens eum ſpatio temporis, & ſimiliter extenditur à juventute ad ſenectutem. Vixit Illuſtriſſima Comitiſſa de Notthafft 30 Annis phthiſica; *Gentilis in com.* dicit ſe vidiſſe mulierem Peruſii, quæ vixit ultra 12 annos cum ulcere pulmonis, cui omni anno revertebatur ſputum ſanguinis obductâ, & ablatâ pervices cruſtâ quâdam calloſa. Etiamnum vivit Piſtor ad portam Cœli Viennæ cum phthiſi multis annis, quem hactenus ſingulis fere annis ingens hemopthoiſis enervavit, ita ut cum difficultate eum ſervaverimus. *Joannes Matthias de Grado Pract. part. 1. c. de phthiſi* ait ſe vidiſſe mulierem Mediolani igni perpetuo aſſiſtentem piſtricem ſcilicet 18. Annis & ultra phthiſicam, ſine dubio ab illo fumi calore, ſanioſa illa durities, & veluti ſcyrrhus inducebatur, cujus meminit *Ingraſſias* loco citato. Reſpond. phthiſicos non tantum palliative, ſed verè curari obducta nimirum cicatrice, huic adſtipulatur *Celſi* authoritas *in 2. de indiciis mortis*, dicentis multos à Medicis deſertos ſanari. *Averroës colliget 7. c. 31.* ſcripſit, quod aliquæ ægritudines inſanabiles ſunt, ut ulcera pulmonis, quæ tamen ſanantur. *Aretæus ait l. 1. c. 7.* in pulmonia ex abſceſſu paucos admodum ſenes liberari, multos vero juvenes, ergo quidam liberantur. Quantumvis *Galenus* loco citato, & alibi pluries aſſeruerit ulcera pulmonis eſſe inſanabilia, nihilominus *5. meth. cap. 8.* ulcera in pulmonibus hærentia difficilia curatu, non impoſſibilia eſſe tradidit. Nonnulli vomicas patiuntur in pulmonibus ſeu abſceſſus quosdam & puris collectionem propria cyſti, propriaque membranula incluſam ſic *Fernel. l. 5. de partium morbis, & ſymptomatibus* narrat Adoleſcentem quendam motu violentiori cum acerba tuſſi indeſinenter torqueretur, vomicam integram ovi columbini magnitudine excreaſſe; in qua aperta pus exquiſite album, & æquale deprehenſum eſt, ægerque ſanatus fuit, licet cruenta rejectio per biduum perduraverit: ſimilis vomicæ repentina ruptio ſuffocationem & mortē repentinam ſæpe cauſat,

quos

quoſdam moleſta tuſſicula abſq; ullius materiæ rejectione in tabem inducit, qui phthiſi impropriè tamen laborare dicuntur; ita in hoc noſtro caſu virgo prædicta phthiſi impropria, & mendoſa laboraſſe merito dicenda eſt, utpotè quæ continua tuſſi vexabatur cum rejectione materiæ phlegmaticæ, & glutinoſæ; uti ſuperius dixi, ſine dubio corpus illud toto genere præter naturam vel in ipſa pulmonum ſubſtantia hærens, vel ei ſaltem adhærens non exiguam ipſis inferebat labem, vel continuum ſolvendo, vel comprimendo, vel inflammando, unde & motus ejus una cum reſpiratione depravabatur, concoctio fruſtrabatur, hinc cum tempore ita ſuccedebat humoris glutinoſi, partis ſcilicet excrementi, vel alimenti depravati, à calore incraſſati rejectio, hinc totius corporis tabes ob nocturnæ quietis privationem, & inſufficientem domicilii vitalis flabellationem. Verum operæ pretium eſſe videtur ut cauſam ſubſtantiæ hujus corneæ inquiramus *Gal. 1. de uſu partium cap. 11.* ait omnes animalium particulas prominentes ex tali materia creavit natura, qualis neq; quaſſari facile propter mollitiem, neque rumpi propter ſiccitatem poſſet talis particula eſt ungula, calcar, cornu. Ex his apparet ſimiles partes ex materia craſſa & glutinoſa à calore ad hanc duritiem redacta conſtare, corneam hanc materiam in pulmonibus, tum vitio partis mandantis, tum etiam vitio recipientis, generatam fuiſſe, certum eſt. Pars mandans fuit caput humidum, & catharris obnoxium, pars recipiens fuerunt pulmones ob calorem rareſacti, ideoq; debiles, ac receptioni habiles. Factus itaque eſt infarctus; dein ut tumor durus cornu inſtar, potuit ad modum calli ſeu verrucæ adgenerari, quæ tandem vel areſcente periculo, vel putridis radicibus accedente motu violentiore decidit, & ejecta fuit. Sic obſervavimus in Illuſtriſſimo Comite de Traskowiz Hungaro, uti alibi etiam commemoravimus duram quandam in collo excreſcentiam, quæ rupto periculo rejecta tam dura fuit, ut cultro dividi, aut ſcindi vix poſſet. Simile quid narrat Sennertus de morbis faucium ex Aretæo.

Quomodo Cornea illa ſeu verrucoſa ſubſtantia creſcat.

Caput IV.

De hydrope deſperato, & curato.

Curſor quidam Cæſareus nomine Stigliz habitans Viennæ in angulo porcino ætatis ſuæ 49 temperamento alias ſangvineo præditus, poſt varias itinerum in Hiſpanias, & Turciam ſæpius factorum difficultates, incidit in hydropem, qui adeò ſuper eum magnificatus eſt, adhibitis etiam ab aliis Medicis pharmacis quam plurimis, ut finito tandem quatuor celebrium Medicorum conſilio, ſequens *Agryppæ lib.* de contemptu Artium & nobilitatis unanimi præſcripſerint conſilio. ℞. *Tyſles* num. vij. *Foſſores cum ligonibus* n. ij. *veſpillones* n. iiij. *Sacerdotem cùm aquâ & oleo benedictis. Diſpone domui tuæ, & morieræ.* Audita hac ſat durâ de imminenti morte ſententia, ultimum meditatus conatum ab adſtantibus fortaſſe perſuaſus, me advocavit, eumq; monſtri inſtar toto corpore tumidum, ſcrotum duorum hominum capitum magnitudinem facile adæquans, pedes & crura adeò turgida, ut naturalem ſtatum facile quater ſuperarent, reperi. Urinæ reddebantur pauciſſimæ, rubicundæ, ac ſi pulvis laterum in iis diſſolutus fuiſſet, tuſſi graviſſima moleſtabatur, verbo omnia mortem portendebant præter pulſum quod mihi anſam præbuit, ut attamen præſente ordinario quem eo quod deſperaſſet renuit, operam meam partim proximi Charitate, & commiſeratione ductus partim Artis Medicæ virtuti confidens pollicerer, nec invanum, nam iis, quæ ex ſequentibus patebunt juvante Numine ſanitati reſtitutus fuit. Antequam verò medicamenta ad methodum adhibita recenſeamus, prius videndum utrum aliqua curationis ſit poſſibilitas in caſu tam deſperato. *Cornelius Celſus* hunc affectum facilius in ſervis quam in liberis curari aſſerit, cum enim ad hujus morbi curam famem ſitimq; tolerare, medicamenta ſumere, aliasq; incommoditates ſufferre neceſſe ſit, ſervos quam liberos cogere facilius eſt. *Regis Antigoni* Medicus referente *Dureto* in primam Hip-

Ætas. Temperamentum.

Agrippæ præſcriptio.

Hydropem curari poſſe ex variis Authoribus probatur.

 coacam

Digitized by Google

Coacam intemperantem hydropicum dum pronunciaret inſanabilem, contrarium ſuſtinuit *Epicles* Medicus & ſeſe curaturum illum pollicitus eſt, reſpondit ſapienter primus Medicus ſeſe ad ægrum intemperantem, hunc verò ad morbum reſpicere, ex parte morbi curabilem quidem eſſe; non verò ex parte inobedientis ægri. Et dum tum Regis, tum Medici diligentiâ cuſtodiretur, ita ut nihil ipſi de cibo, aut potu, aut medicamentis porrigeretur, niſi quantum ad vires ſuſtentandas, & morbum debellandum requireretur, propria malagmata devorando, & urinas hauriendo ſibi vitæ filum præſcidit.

Abſtinentiâ Curatus hydrops.

Bennivenius c. 13. ait ſeſe ruſticum inveterato hydrope laborantem unius anni abſtinentiâ ab omni potu ex toto reſtituiſſe. *Nicolus ſerm. 5. c. 25.* aſſerit ſeſe hydropicum deſperatæ ſalutis, ſolo vini malvatici potu moderato tamen, in quo & carnes, & cibalia coquebat, percuraſſe. Sic *Gal. com. 4. in Hipp. de victs ratione in acutis* vinum antiquum & fulvum hydropicis in pauca tamen quantitate præſcribit. *Valleſius de Taranta* in ſuo Philonio teſtatur ſe vidiſſe plurimos hydropicos ſolo uſu pil. de Meſereo curatos. *Donatus ab Altomari cap. de hydrope* aſſerit ſeſe Biſſignani Principem ab inferis eodem remedio revocaſſe.

Trochiſci de Rhabarbaro ad hydropem.

Matthias Gradus Ducem Mediolanenſem *trochiſcis de Rhabarbaro* ab hydrope liberavit. *Nicolaus Maſſa Ep. 21.* ſeſe deſperantibus ſenioribus confirmatiſſimo hydropico crura ſcarificaſſe, & aquas intra 24. horas ex toto eduxiſſe, ægrumque reſtitutum. Similiter *Benivenius c. 109.* poſteritati tradidit mulierem hydropicam ex alto decidiſſe, & caſus violentiâ ex aperto ventre aquas plurimas effluxiſſe, mulieremq; ſanatam fuiſſe.

Laureola ad hydropem.

Rhaſes cent. 7. teſtatur ſeſe ſenem quendam præparata *laureola* infuſa, & aliquoties exhibita confortatis dein per cordialia viribus priſtinæ ſanitati reſtituiſſe; quin & plurimi ſolius naturæ ope percurati fuerunt, uti teſtatur *Hollerius* quendam hydropicum oborto ſudore copioſiſſimo ſanatum fuiſſe. Idem Author quidam refert Mercatorem quendam nomine Blancum in mari cum in Angliam navigaret demumuiſſe, & convaluiſſe. *Benivenius cap. 12.* refert hyſtoriam pueri cujusdam hydropici, qui ut citius à miſeranda hac vita liberaretur plurimum bibenti ruptus eſt umbilicus, & aquâ, per vaſa ejusdem, complurimâ exeunte ſanatus fuit.

Ruptura umbilicus curat Hydropem.

Simile quid evenit ſub ſigno 6 equarum Viennæ, ubi quidam per ſimilem umbilici rupturam evaſit. *Vallerıola lib. 4. Obſ. 5.* ſimilis rupturæ ſalutaris meminit. Attamen *Conſiliator. diff. 199.* notat hydropicos quosdam, quibus aquæ per umbilicum, vel per inguina effluxerant periiſſe, ſine dubio viſceribus jam deſtructis, & cauſa mali fomite permanente, vel dum aqua unâ vice, unâ cum ſpiritibus effluit, homines de repente moriuntur. Quod autem homines à confirmato hydrope liberati fuerint nos ipſi teſtari poſſumus plurimis exemplis. Inter alios Illuſtriſſima Comitiſſa de Schafftenberg bis ex toto per vinum hydragogum reſtituta fuit. Item Magnif. Dom. Doct. Grüner, qui tandem factis continuo exceſſibus interiit. Eodem remedio convaluit Illuſtriſſima Comitiſſa de Montrechir ſupervenientibus tamen in utroq; crure ulceribus.

Viennæ ab Hydrope multi curati.

Item quidam Telonarius, & Vietor in platea ſcholarium, qui & ictericus, & hydropicus erat iisdem remediis vivit omnis neſcius hydropis. Similibus Medicamentis Capellæ Cæſareæ Magiſtrum jam deſperatum curavimus. Vivit item adhuc Excellentiſ. cujusdam D. Comitis Oeconoma, quam ante 16. annos uſu radicis leviſtici, & tincturæ myrrhæ, paucisq; aliis ab hydrope liberavimus. Item præfecta in Dornbach Botanicorum hoſpita, quæ ab ictero, & hydrope duobus ab hinc annis liberata fuit. Item vivit adhuc Sileſitica quædam Domina, quæ 12. ab hinc annis noſtris medicamentis hydropem ſuperavit. Taceo infinitos alios tum adultos, tum etiam infantes, quos enumerare tædioſum foret, qui ope noſtrorum medicamentorum miſeram hanc luem evaſerunt. Ex his & ſimilibus hyſtoriis non fictis ſed veriſſimis evidentiſſime patet hydropem non omnino incurabilem eſſe. Quod etiam in deſperatiſſimo hoc caſu noſtro videre licet, quia non ſubitò intumuerat, uti ſæpius ex renum pigritia evenit, facileq; curatur apertis

ſcilicet

ſcilicet urinarum vias, ſed paulatim, quod indicat viſcerum non exiguam debilitatem, quæ vel ante fuit, vel ſaltem à tanta aquarum multitudine interea contracta eſt, ut mirum ſit calorem nativum non omninò extinctum fuiſſe. Si hic cognitionem ſecundum regulas ſupra traditas ab eſſentia, cauſa, effectibus, & proportione deducere velimus, ab eſſentia humore ſcilicet aquoſo per totum corpus diffuſo pluriinis aliis accidentibus juncto, dicemus eſſe aſcitem confirmatum. A cauſa, cum longa per nives itinera habitum corporis plurimum refrigerantia, (uti frequentia aquæ dulcis balnea facere conſueverunt) calorem nativum plurimum debilitent, mirum non eſt ſi primo cachexiam, deinde hydropem intulerint. Effectus ſeu ſymptomata quoq; nos deducunt in cognitionem ejuſdem, ſunt autem vel actiones læſæ, vel qualitas mutata nimirum depravatus totius corporis color, & magnitudo inſolita, item lentor, & pigrities excretorum paucitas veluti urinarum, & ſudorum retentorum cumulatio ſumma, unde tam monſtroſus ſubſequitur abdominis, ſcroti, & crurum tumor, dum enim humores à renibus non attrahuntur, vel illuc ab expultrice rejiciuntur, eos per univerſum corpus regurgitare neceſſe eſt. Deniq; à proportione talis affectus noſci oportet, ſiquidem ſumma eſt præter naturam hujus præſentis corporis à priori naturali improportio, & diſſimilitudo. *Fernel. l. 6. de partium morbis, & ſymptomatibus*, ait aſcitem non generari niſi exeſo, rupto, aut aperto vaſe aliquo. Verum ſi ab ipſo deſiderarem cur rupto vaſe vel ſeroſo, ſola exeat ſeroſitas, non verò ſangvis ipſe, non obſtat, quod dicat per aperturam venæ v. g. facta agglutinatione adhuc aliquamdiu effluere humores ſeroſos, ſed id in hoc caſu fieri deberet, ergo prius ſemper debuiſſet ſangvinis fluxus & effluxus præcedere, quod ex aliquibus ſaltem indiciis pateret. Non obſtat ſecundò quod dicat hepar inſtar terræ ſiccæ, & ſitibundæ dehiſcere in rimas, atq; ita humores effluere in capacitatem abdominis, licet hunc jecoris maraſmum, & humidi primogenii depopulationem, quæ cernitur in atrophiâ, cachexia, morbo regio, nec ipſi Fernelio, nec Dureto in coacas ex toto negemus. Ad tuendam hanc ſuam ſententiam innititur *Fernelius Hipp. 7. aph. 55. quibus jecur aqua plenum eruperit in omentum, iis venter aqua impletur*, & moriuntur; hic enim aphor: uti *Galenus in comm.* benè monet, intelligendus eſt de hepatis veſicis aquâ plenis ſeu hydathidibus, quæ & jecur & pulmones perſæpè occupant, & bullatos efficiunt, & dum rumpuntur fluxus alvi, vel ejuſdem tumor conſequenter cum malo ægri fit diſpendio, vel humores ſeroſi, & acres in capacitatem abdominis procumbunt. Hic perperam videtur Doctiſſimus *Fernelius* accuſare illos, qui dicunt ſeroſos humores per cæcos ductus ferri in capacitatem abdominis, cùm ipſemet priorum oblitus idem afferat *l. 5. c. 11.* ubi dicit in aſcite ex abdominis cavitate ſeroſum humorem per cæcos ductus ad pectoris cavitatem penetrare, & hydropem pulmonis cauſare; immo paulo poſt de tympanitide verba faciens tradit flatus, per cæcos ductus viam ſibi impetu facientes, in abdominis membranas irrepere, ac demum in cavitatem abdominis penetrare; ſi ergo hoc concedit de flatibus, quidni idem concedere cogatur de ſeroſis humoribus? *Gal. com. in aph. 55.* ait non ſemper naturam per manifeſtos ductus quicquid excoquit percolare, ſed etiam per inſenſibiles ductus; ſic à dextro ad ſiniſtrum cordis ventriculum ſecundum veteres, ſic à venis ad arterias per occultas anaſtomoſes, ſic urina per renum carnes, & pluentes caruncaulas excolatur; animalis ſpiritus per cerebri ſubſtantiam (ut multi volunt) fertur, ſic aluntur oſſa & membra per inſenſibiles meatus. Sed quæritur pro *Fernelio* cur non plures aſcite laborent, immò ſi natura cæcas vias eligeret, videretur invanum tot manifeſtos ductus fabricaſſe. Reſp. Ideò non plures aſcite laborant, quia non habent diſpoſitionem ad eam. Ad ſecundum Reſpond. naturam in benè conſtitutis corporibus hos ductus non ſequi, imprimis quia ordinarii meatus ſufficiunt, ubi verò natura tanto humorum pondere oneratur ductus ordinarii non ſufficiunt; ſecundò humores bene

Fernelius oppugnatur.

Seroſus humor à capacitate abdominis ad pectus ſecundum Fernelium fertur.

Cur natura in ſanis Cæcos ductus non ſequatur.

bene conſtituti, & cocti, & moderatè craſſi non facile per cæcos illos ductus motu naturæ inſveto feruntur, ubi verò ſangvis v. g. maximè aquoſus eſt, facilè ſerum illud ſecretum imbibitur à cæcis illis poris, & transcolatur in capacitatem abdominis.

Quæſtio.

Quæritur ſecundò pro Fernelio quomodo fiat, ut illis qui urinæ conſtipationem multis diebus paſſi ſunt, uti in multis obſervavimus urina delata non fuerit ad capacitatem abdominis per cæcos illos ductus, caput & totum corporis habitum repleverit, ita ut corpus monſtri inſtar turgeret?

Reſponſio.

Reſpon. non neceſſario urinam ferri per cæcos illos ductus ad capacitatem abdominis, præcipue ſi quantum generatur, & per vias ordinarias propter obſtructionem non evacuatur tantum per arterias in caput, & habitum corporis diſtribuitur, quod factum eſt in prænominato Præfecto. Tali affectu defunctus eſt ArchiCancellarius Drickelmayr dictus de Goldeck, qui ex infarctu utriusq; ureteris per habitum corporis tumere paulatim cœpit & adhibitis licet plurimis absq; ullo dolore ſomnolentus vivere deſiit.

Quæſtiones duæ.

Ad primum finem utpote cognitionem acquirendum duæ quæſtiones ſunt diſcutiendæ, nimirum cur tam paucas reddant urinas hydropici, & cur tanta eos ſemper ſitis divexet? Reſp. Ad primum, cum parum admodum ſeroſorum humorum ad maſſam ſangvineam pro vehiculo feratur, multum verò ad abdomen, & alias corporis partes, hinc eſt, quod non niſi exiguum illud vehiculum ab arterioſo genere in renes rejectum minus, vel debiliter attractum, totum rubicundum, utpotè non benè colatum, vel ob moras aduſtum in pauca quantitate excernatur.

Utrum Hydrops per urinas poſſit Curari.

Marcello ſubſcribere non poſſumus dicenti, nullum hactenus hydropicum per urinas fuiſſe ſolutum, hanc enim evacuationem non tantum in hydrocephalo, uteri, & pulmonis, ſed etiam in abdominis hydrope ſæpius obſervavimus. Et ſi hanc evacuationem nunquam moliatur natura, quorſum hydropicis tot paſſim ordinantur diuretica? nonne tum ut humores ſeroſi ad vias ordinarias dirigantur, tùm ut partes ſtimulentur ad excretionem, tùm ut viæ obſtructæ reſerentur, tum deniq; ut renum attractrix ſopita reſuſcitetur.

Reſponſio ad ſecundam.

Reſp. Ad ſecundum hanc ſitim provenire à ſalſedine humorum, per morbum longum acquiſita, tum ſæpe à maraſmo hepatis ſeu calore ejus adurente, qui ſæpius à potu febricitantibus præpoſterè inhibito provenit: major enim teſte *Dureto* eſt humidi primogenii jactura,

Damnum à febribus acutis illatum.

ab acutâ ſeptem dierum febre, quam à calore nativo 70. annis, conſumpto autem humido caloris præter naturam eſt prædominium. Tribunal veritatis audite *Hipp. 6. Epid. parte 5.* curatio eſt reſiſtere morbo, & repugnare illi, non conſpirare cum eo.

Cur bibentes ſitiant.

Vel cauſa ſitis cum *Quinto Caſſio problem. 4.* eſt, quandò in indigentes poros humidum non congregatur impedita ſcilicet arnadoſi, & humoribus alio tendentibus, tunc bibentes ſitiunt perinde ac non bibentes. Hic ſenſum meum abſolviſſe videor ſuper primo *cognitionis* fine, & adjunctis quæſtionibus, nunc ad alterum finem *actionem* ſcilicet in propoſito caſu progrediamur.

Hydrops curabilis ſecundum Hipp.

Hipp. 2. prog. ſcribit *oportet eum qui dominatu hydropis tenetur, & tamen ſuperſtes futurus, eoq; ſalubriter defuncturus primum quidem viſceribus præditum eſſe bene moratum, ut virtus naturæ luceat in concoquendo ex facili, tùm facile ſpiritum ducat doloris expers, totumq adeò corpus æqualiter pariterq; caleat, nec extima partes liquentur ac contabeſcant, ſatius enim fuerit ipſas tumere, præſtiteris autem detumere, nam partes extimas æqualiter eſſe decet, ac molliter conſtitutas, non verò nimium intenta ſit alvus, ſed molliuſcula, digitis attractata nulla tuſſis adſit, nec ſitis, nec lingva aſperitas, ne à ſomno quidem, cum ſolent hæc tria irritari & exacerbari, tum cibos libenter capere, nec ſatiari admodum, ſi fortè ceperit liberaliùs: quin etiam ſit alvus morigera, citoq; feratur expurgationis ad operam, alias verò ducatur mollibus excrementis, & figuratis, urina autem fundatur, appareatq; qualis eſſe debet pro vita inſtituto: Exercitationem & laborem ferat alacriter expers laſſitudinis. Opera pretium fuit hominem ſic in omnibus conſtitutum eſſe, ut ſecuritatem ſalutis conſequatur.*

Hippocratis Explicatio.

Si hæc omnia ſemper requirat *Hipp.* ad omnem hydropem ſanabilem, experientiam ſibi habet maximè contrariam;

verum

verum enim verò exiſtimandum eſt *Hipp.* hic de meliori, & ſecuriori hydropici ſtatu locutum fuiſſe, vix enim reperibilis eſt hydropicus hac conditionum ſyndrome ſtipatus, niſi planè in principio, dùm hydropis eſſentia Medicum adhuc latet, ex fruſtrato ſangvificationis opere, adjuncto functionis hepaticæ, ſeu ſecretionis impedimento, vel ab alienatione virtutis ſangvificantis, quæ eſt penes cor, fit ſeri pituitæ & flatuum perennis generatio, unde tres hydropum ſpecies aſcitis, timpanitis, & hypoſarca ſeu leucophlegmatia.

Species Hydropis.

Ex antenarratis verò ex parte conſtat primam hic adeſſe ſpeciem ſcilicet aſcitem, eumq; univerſalem, ſeu tumorem ab humore ſeroſo ortum per totum corpus diffuſum ob fruſtratum ſangvificationis opus & functionis hepaticæ ſeu ſecretionis impedimentum. Hujus alienationis duæ ſunt cauſæ exſolutio & maraſmus: Exſolutio eſt mala tùm per modum ſigni, tùm per modum cauſæ: per modum ſigni quoniam ſubſtantiæ, & facultatis debilitatem oſtendunt. Per modum cauſæ verò, quoniam in tantâ viſcerum offenſione non ſolum nutritius principatus, ſed etiam totus habitus naturali ſuo reciprocè deeſt ſervitio. Suppoſitis indicationibus, & prognoſticis alibi à nobis traditis cum in omni affectu ea, quæ ſecundum naturam ſunt conſervanda, ea verò quæ præter naturam tollenda veniant, videndum primo *an agendum* fuerit ſecundò *quid*, & quantum: tertiò ex multis *ſelectiora ſunt eligenda* quartò *quantitas*: quintò *Modus*: ſextò *qualitas* ſeptimò *tempus*: octavò *locus*: nonò *ordo* obſervanda ſunt.

Scopi obſervandi in curatione.

Quæ omnia ex quatuor ſummis illis generibus iis ſcilicet quæ aſſumuntur, quæ geruntur, quæ retinentur, & excernuntur; & quæ extrinſecus accidunt haurienda ſunt. Primum ſcopum quod attinet hic vulgares multi puſillanimes, & meticuloſi facto prognoſtico Chriſtianæ Charitatis immemores ægrum dimmittunt, verum impium fuiſſet affulgente vel minimâ ſalutis ſpe ægrum deſerere. Igitur fuit *agendum*. Secundum quod attinet, *qua & quot* fuerint indicantia patet ex triplici morborum genere ex cauſis, ſymptomatibus, & viribus, nam

Triplex morborum genus in hydrope.

fuit morbus intemperiei frigidæ ſcilicet, cujus indicantis indicatum fuit calefaciens, aderat tumor univerſalis, adeoq; morbus in aucta magnitudine ſeu malæ conformationis, qui indicabat minuens, inſuper continuum fuit ſolutum, idq; in variis locis, in quibus diviſa fuerunt reunienda. Hinc videndum fuit ex omnibus, quid conſervationem, quid ablationem, quid reſtaurationem per victum, quid medicamenta, quid alterantia, quid evacuantia ſenſibiliter, vel inſenſibiliter, per purgantia, ſudorifera; diuretica &c. Ad hos & reliquos ſcopos omnia ex quatuor prædictis genetibus deſumpta referebantur. Ex fonte Chirurgico tanquam uno ex iis, quæ forinſecus accidunt, nullus dabatur venæſectioni locus, nam *Eraſiſtratus cap. 5.* ait calorem nativum per ſangvinem ſubſiſtere, & nullum adhuc tàm audacem repertum fuiſſe, qui auſus fuerit hydropicis venam ſecare. *Hipp. lib. de carnibus* ad hanc rem non inaccommodabiliter ſcripſit, *anima, calor naturalis, & vita ſunt unum idemq; habens domicilium in ſangvine ergo* (quamvis hanc identitatem non admittant Chriſtiani) quantò plus de ſangvine extrahetur, tanto plus etiam de calore naturali deperdetur in corpore frigido, alias ſummè neceſſario. Idem ferè aſſerit *Arnoldus de Villâ novâ Fernelius lib. de febr.* &c.

Venæſectio in ejusmodi hydropico rejicitur.

In hac cura magis ad cacochymiam attendentes bina cruribus cauteria actualia apponi curavimus, quæ maximam aquarum proluviem expurgarunt; cruribus, & ſcroto applicabamus ſpiritum vini juniperatum, vel quandoque etiam matratiola ſale communi, & cinere ſarmentorum vitis impleta calide, ut medicamenta immutarentur eadem crura, & ventrem etiam ipſum aqua calcis ſale communi bene impregnata fomentabamus, & alternatim ſequens applicabamus: ℞. urinæ pueri ℔iiij. lapidis prunellæ ℥ij. bulliant invicem usque ad decidentiam tertiæ partis pro calidè poſt factas manibus frictiones linteis applicando. Mulierculæ applicant folia Bardanæ, vel Chelydonii majoris ad extrahendas aquas. Cucurbitulas ſiccas in dorſo verſus renes ſæpius trahi jubebamus, ut humores ſeroſi ad vias urina-

Cacochymio maximè attendenda in Hydrope.

Remedia ad Hydropem.

urinarias ducerentur. Hæc ex Chirurgia. Ex Pharmacia primo die ſequens hydragogum exhibebamus.

℞. *Rob. ebuli* ʒß.
Reſinæ Jalappæ, amygdalis parum tritæ gr. xviij.
ſpiritus ſalis coagulati gr. vj.
cremoris tartari ℈j.

M. Et cum pauca quantitate ſyrupi domeſtici fiat Electuarium molle pro una doſi. Altero ſtatim die ſequens vinum hydragogum præacceptis aliquot juſculi cochlearis omni die ſumebat:

Vinum hydragogum ad Hydropem probatum.

℞. *Herb. gratiol.*
ſoldanell. ana mj.
abſynth. Pont. mß.
rad. lappæ majoris,
vincetoxici,
leviſtici,
ireos ana ʒiij.
Jalappæ ʒß.
trochiſ. de rhabarb.
eupatorio ana ʒij.
fol. orient. mundat. ℥ij.
cort. ebuli,
mediani ſambuci ana ʒj.
tartari crudi veneti,
Martis cum ſulphure reverberati,
cinerum geniſtæ, omnium in ſingulari pettola ligatorum ana ʒiij.
croci,
macis ana ℈j.
paſſ. maj. mund. ℥ij.

Inciſa omnia & contuſa dentur ad petiam ligatam ſignetur *ſpecies in quinq. ſextariis vini albi antiqui* infundendæ 24. horis relinquendæ, quarum doſis ℥vj. omni mane. Vino hoc utebatur per octo dies optimo cum ſucceſſu, purgabat enim corpus omni die quinquies vel ſexies pedesq; & venter detumeſcebant; finitis octo diebus reiterabat electuarium hydragogum, & recentes vini medicati ſpecies infundebantur, continuabatq; circiter 14. diebus. Interea ſalia confortantia, & diuretica omni die ſumebat in juſculo à prandio.

Sales diuretica & corroborantia.

℞. *Sal. abſynth.*
cardui benedict.
tartari,
geniſtæ,
ſtipit. fabar.
ebuli,
juniperi ana ʒj.

M. doſis veſperi ʒß. ſuperbibendo *lixivii vinoſi Mynſichti* ℥iij. Hiſce urinæ copioſiſſimæ proliciebantur, & juvantibus tum catharcticis, tum emiſſariis crurum ordinatis poſtea thermis trium ſeptimanarum ſpatio corpus ita detumuit, ut ad naturalem penitus ſtatum rediret. Si iſtæ non ſuffeciſſent porrexiſſemus *pil. Bontii* ad hydropem, vel *Extract. Elaterii, gummi gottæ, gratiolæ,* vel *Extractum compoſitum Crollii ad hydropem, vel pulv. cachecticum* cum *decocto centaur. minor.* vel *eſſentiam Albandal.* vel *Extractum Eſulæ cum Mercurio,* à quo tamen in ſenibus cavenda eſt ani procidentia, vel *liquorem tapſi barbati,* vel *eſſentiam Croci Martis* cum *conſerva roſarum*, vel *pulverem bufonum*, vel *aquam lumbricorum terreſtrium.*

Remedia ad Hydropem.

Diæta erat ſecundum res non naturales ita inſtituta, ut ob morbi longitudinem tenuis nimium non eſſet, potus vinum fulvum, diureticum, in quo cortex *medianus ſambuci*, & radix leviſtici infundebantur, vel ejus loco decoctum ſaſſafras cum paſſulis, alias pro potu ordinario ſolemus præſcribere aquam *juniperatam compoſitam*, quæ fit ex *Tartaro crudo fructibus cynosbati, berberibus & paſſulis.* Cibus erat ex gallinis & columbis aſſatis, juſculis gallinæ cum ſucco citri pulpa caponum &c. Hæc de hydrope feliciter curato.

Diæta

Aqua Juniperata.

Caput V.

De ictero mirabili, & periodico cum excretione calculorum per alvum.

Ætas & Temperamentum.

Anno 1667. Mulier Burgunda ætatis ſuæ 36. annor. temperamenti ſangvineo bilioſi cum venis turgidis, & habitu corporis gracili, poſt multoties commiſſos in diæta errores, derepente incidit in colorem intensè flavum, non tantùm oculorum, ſed totius corporis cum oris amaritudine, membrorum laſſitudine, nauſeâ, ſiti, appetitus dejectione, capitis dolore, urinis cereviſiæ Brunaceæ ſimilibus. Color quandoq; ferme ex toto remittebat excretis aliquot per alvum calculis, pondere leviſſimis. Ad quam vocatus

Icteri definitio.

catus Icterum flavum eſſe pronunciavi, qui eſt flavus & depravatus totius corporis color à bile per habitum corporis propter obſtructiones meatus cholidochi, vel hepatis, diffusâ proveniens. Quam à variis cauſis oriri poſſit icterus ex ſequentibus patebit. *Galenus 5. de loc. aff. cap. 6.* ſcriptum reliquit quendam ex famulis imperialibus, qui viperarum ſectabatur venationes, cùm à vipera demorſus fuiſſet, univerſi corporis color mutatus eſt, ita ut porraceum præ ſe ferret colorem, quem ex Medici Conſilio epota *theriaca* ex integro convaluiſſe tradit. *Avenzoar, lib. 1. tr. 13. cap. 6.* narrat quendam aſſumpto veneno in omnimodam appetitus depravationem, & glaucum colorem inſtar corticis citri incidiſſe, qui potu gr. iiij. *lapidis bezoardici in aq. cucurbitæ* ℥v. laqueos mortis evaſit. *Galenus* cauſam reddit, eò quod extranea quadam vi veneni, ſanguis in bilem degeneret. Idem confirmat *Aetius lib. 11. cap. 17.* Exiſtimarem non ineptè hanc cauſam poſſe addi, quod vel viſcera vehementer incaleſcant, vel dum ſeſe viſcera, & meatus ad excludendum venenum conſtringunt, bilis ante jam ibidem exiſtens in corporis habitum effundatur; calidam verò intemperiem viſceribus ab ejusmodi venenis communicari patet ex refrigerante *Arabum* cura, velut dicti *Avenzoar aquam cucurbitæ* præſcribentis, item *Albucasis*, qui *aquam granatorum*, & *pomorum acrium* hauriri jubet, item *Haly Abbatis*, qui *mucilaginem pſyllii*, & *trochiſcos de camphora* ſumendos proponit. Sunt tamen quædam venena, quæ refrigerando magis enecant, veluti *Galen. 4. meth. 3. de loc. affectis* meminit unius, qui à ſcorpione ictus ſubito tam frigido ſudore toto corpore correptus fuit, ut frigidiſſima nive, & glacie opprimi ſeſe exiſtimaret. *Braſſavolus comm. in 4. aph. 62.* Vidimus inquit quendam ab Echidnâ id eſt Maraſſio ictum, qui intra tres horas defunctus fuit, & maculis in toto corpore luteis, violaceis, & nigris affectus fuit, quod vero hæ maculæ exiſtentem materiam referrent, quam natura ultimo ſuo conatu ad habitum corporis rejecit. Ex vulneribus capitis, & pectoris uti ſcribit *Hippoc. 7. de morbis* accidere poteſt icterus ab eodem ultimo naturæ conatu, ut *Cardanus in comm. prædicti aphor.* qui negat à ſerpentibus ictos talem contrahere colorem, vel adeò celeriter ſanguinem immutari, ſed potius accidere à naturâ expellente humores in corpore præexiſtentes. Quod autem à venenis humores immutentur, quandóque cùm his Authoribus mordicus negare non poſſumus, ſi enim venena vim habeant ſpiritus diſſipandi, calorem nativum extinguendi, & vitam tollendi, quin & humores, & conſequenter colores mutandi vim habebunt? *Cornelius Gemma de natura divina characteriſmis l. 1. cap. 7.* ſequentia tradit in ictericia, quadruplicem coloris viciſſitudinem obſervavi. Si tandem flaveſcente habitu corporis ut uno eodemque momento & ungues, & labia & crines, cum univerſo habitu coloris extremè fulvi, & aurei ſpectarentur, hæc autem illi ab obſtructis menſibus contigerunt. Verum ſi id ab obſtructis menſibus contigiſſet, cur idem frequentius non contingeret, cum in omnigeni temperamenti, & cacochymiæ bilioſæ corporibus frequentiſſimæ ſint menſium obſtructiones. Exiſtimarem hic *Cornelium Gemmam* locutum fuiſſe de causâ antecedenti partiali, ſeu coadjuvante facta ſcilicet menſtrui ſanguinis regurgitatione ad hepar depurationis, & ſecretionis principium, à quo per diuturnam moram aduſto meatus cholidochus obſtructus fuit, & tandem bilis per venas ad cor regurgitavit, ex hoc ad totum corporis habitum delata fuit. Quod verò ex hac pili etiam tincti fuerint rarum fuit, ſine dubio infecto (quod rarius accidit) pilorum nutrimento, uti *Marcellus teſtatur cap. 1.* ſequentia innuens. Nobilis urbis noſtræ Antonius Maria Catabenus ætate jam inclinante, canus effectus plurima bile ſanguini permixta in corpore redundante, non ſolum cutis auriginoſum colorem incurrit, ſed & ipſius cani luteo colore ad viridem vergente effecti ſunt. Simili ferè modo ab inſigni mæſti-

Icterus à veneno.

Bezoar ad icterum.

Refrigerantia ad icterum.

Venenum refrigerans.

Icterus à vulneribus capitis.

Icterus à venenis.

Pili flavo colore tinguntur.

mæſtitia refrigerato corporis habitû humoribus in pituitam abeuntibus una nocte quidam penitus cani evaſere, uti *Petrus Meſſias Hiſpan. in ſua varia lectionis ſylva* teſtatur *de Don Diego Oſorio* à Rege Catholico incarcerato qui unâ nocte canus evaſit, quamvis firmus, & juvenis & robuſtus eſſet. Similem narrat hiſtoriam *Julius Cæſar Scaliger* adverſus *Cardanum de ſubtilitate Exerc. 312*, ubi narrat Franciſci Gonzagæ Mantuæ Ducis affinem de conjuratione ſuſpectum, vel convictum incarceratum indicta ſupplicii die una nocte canum evaſiſſe, vita tamen ob novi prodigii genus poſteà donatum. Simile exprimentum narrat *Nicolaus Florentinus*. Item *Speronus Speronius Dialogo de partu. Hippoc. lib. 10. de natura pueri* tradit capillorum canitiem fieri ratione nutrimenti humidi ipſorum, & albiſſimi, cujus gratia & ipſa cutis, in qua implantantur albidior quoque evadit. Quam *Hippocratis* ſententiam ſequitur *Macrobius 7. ſaturnalium*. Argenterius *comm. in Gal.* dat duplicem eorum materiam, unam quæ ex terreno, & ſordido excremento fit in tertia concoctione: alteram verò ex pituita naturaliter ſubſiſtente, & cuti adhærente. Si itaque contigerit excrementum ſuperare, pilus refert illius excrementi colorem, ſi vero pituita excrementum ſuperaverit pili illius colorem referunt, veluti in ſenibus fit. *Averroës lib. de generatione animalium in comm. 1. cap. 5.* ex *Ariſtotelis* mente ſcribit canitiem, & cæcitatem duas affectiones eſſe conſequentes cruditatem humoris, & ejus paucam concoctionem. *Galen. 5. de temper. cap. 22.* ſequentia tradit: fit autem niger pilus cum deuſto caloris vapore, excrementum in exactam fuliginem mutatur, flavus verò cùm vapor minus torretur, quippè, quod tùm eſt impactum flavæ bilis non nigræ fœculentum excrementum eſt: albus v. g. pilus ex pituita naſcitur: ruffus ſicuti coloris eſt flavi albique medius, ſic ejus generatio ex pituitoſæ, bilioſæque fæcis media quadam natura provenit. *Hipocr.* de natura pueri ſtatuit, quod qualemcunque humiditatem caro attraxerit, tali etiam ſive albo ſive rubo colore pilum infici. Verum hæc de capillis, & eorum natura incidenter tantum; & in ordine ad probandum cutis auriginoſum colorem, qui in noſtro hoc caſu per periodos comparebat, & diſparebat, quod *Cornel. Gemma l. 2.* ubi de *hemitrithæis epidemicis* agit, ſeſe obſervaſſe aſſerit, quod quidam alternis diebus flavus eſſet, alternis non. Hanc coloris viciſſitudinem Joſephum Fontanæ in vico Montanariæ prope Mantuam pluries eodem anno paſſum fuiſſe, ita ut pili modo albi modo nigri comparerent, memoriæ traditum eſt. Si pili itaque à ſubjectis Humoribus ita tingantur, quidni etiam habitus corporis noſtri à ſubjectis humoribus colores recipiet. Fit quandoque ut icterus febres ſequatur ſecundum *Hippoc. 4. aphor. 62.* Quibus in febribus morbus regius ante ſeptimum diem accidit, malum, quod idem *Hippocr.* affirmat exemplo Hermocratis *3. de morbis vulgaribus*, cui febre laboranti ſexta die morbus regius ſupervenit, & 27. mortuus eſt. *Hollerius lib. 1. de morbis internis ſchol. 27.* refert, quod Anno 1545. quidam ſexto febris die ictericus factus eſt, qui commota alvo bilioſa multa pluries rejecit procedentibus interim urinis lucidis, febris tandem expers quaſi liber ambulabat, 14. recidivam paſſus eſt, & 27. obiit. Sciendum eſt hunc *aph.* intelligendum eſſe cum *Galeno comm. in eundem, & quarto de victus ratione in acutis*, quod in febribus, quibus ſupervenit morbus regius, ſi in hepate fuerit tumor durus, inflammatio, vel obſtructio, ſi morbus fuerit ſymptomaticus à natura multis humoribus crudis aggravata, non criticus, & cum levi rigore, malum. *Averrhoës 4. coll. cap. 43.* inquit, quod dicit *Hippocr. Icteritia adveniens ante ſeptimum diem in acutis febribus malum, reprobatum eſt ab experientia in noſtris terris, & ſi veniat in quinto die laudabile multum eſt, viva ratione, & maximè in temporibus, & corporibus calidis*; ea eſt ſententia Medicorũ

Ex metu canus factus.

Canities unde.

Varii pilorum colores unde?

Humores tingunt pilos.

Icterus post febres.

Morbus Regius ante ſeptimũ diem non ſemper malus.

Arabum,

Arabum, *Perſarum*, *& Indiæ majoris.* Itaque *Hippoc.* intelligendus eſt de motu ſymptomatico, & non critico, uti dictum eſt. Icterus verò noſter fiebat à calculo in veſicula fellis detento, & genito meatum cholidochum obſtruente, qui tandem à forti expultrice per ejus meatus ſatis patentes (uti videre eſt in iis, qui ſæpius per urinas calculos excreverunt, in quibus ureteres ita dilatati ſunt, ut index digitus iis ſine difficultate imponi poſſit) excernitur, & dùm hic meatus ad inteſtina hiat, calculi per alvum excluduntur, bileque ordinariam viam aliquamdiu ſervante, cutis auriginoſus color aliquamdiu evaneſcit, donec facta novi calculi generatione, nova fiat obſtructio, & novus redeat icteri paroxyſmus. Hanc calculi in veſicula fellis generationem ſæpius obſervavimus in diſſectis cadaveribus, idque teſtatur *Riolanus in ſuo Enchiridio anatomico l. 2. cap. 25. in conſideratione Medica*, tam verò levis & poroſus reperitur à bile ortus calculus, ut aquæ injectus ſupernatet. Hujus affectus cura non multum diſtat ab alterius icteri, qui ab aliis humoribus obſtruentibus cauſatus fuit, curatione, præterquam quod anteictericis medicamentis lythontriptica ſunt committenda. Vide tract. noſt. præc. caput de Ictero & calculo renum.

Meatus magis patens ex frequenti calculorum exclusione.

Calculus ſæpe in veſicula fellis obſervatus.

Differentia Curæ.

Caput VI.

De Podagra & Iſchiadica paſſione.

HActenus Podagræ incurabilitas vulgò ſecundum illud: *Tollere nodoſam neſcit Medicina Podagram*, tam certa habebatur, ut etiam ipſi patientes omne remedium veluti multoties invanum adhibitum reſpuerent, & podagram comitem usque ad ultimum tumulum ſibi adſciſcerent: non tamen ait *Hippocrat.* Id putat eſſe referendum in Medicorum inſcitiam, aut Medicinæ impotentiam, ſed in noſtri temporis hominum ingluviem, & intemperantiam, veluti Evnuchi *Hippocr.* tempore podagrâ non laborabant, jam verò eâdem ob intemperantiam, æque ac alii torquentur, multos autem hactenus curatos eſſe, & etiam nunc curari in ſequentibus demonſtrabimus. *Trincavellus l. 12. de curis part. morbor. cap. 2.* hiſtoriam ſequentem adfert. novi, inquit, Medicum Venetum multis annis podagra divexatum, qui poſtquam quatuor annis vini potum ſibi interdixiſſet, liber à podagrâ, usque ad mortem permanſit. Priori ſæculo Canonicus quidam provectæ ætatis contra *Hippoc. 2. prognoſt.* dicentem; quicunque ſenes ſunt, aut circa articulos callos habent, illi humana arte curari non poſſunt omni inceſſu ab arthritide privatus à Turcis in captivitatem ductus duriſſimè in ſummis laboribus habitus, pauciſſimo pane, & aqua nutritus, ſpatio quatuor annor: ita convaluit, ut redux nullam amplius ſenſerit podagram: ſed hæc eſt cura difficulter imitabilis, quæ tamen nobis monſtrat, per diætam, labores, & vini abſtinentiam, podagram eſſe curabilem. *Gattinaria* cap. de arthritico dolore pro hoc affectu curando vini potum vetat, idem præcipit *Avicennas*, idem *Cornel. Celſus* ait, ſeipſum per vini abſtinentiam, & paulatinam materiæ evacuationem, per pilulas minorativas quotidiè ſumptas, diverſionem, percuraſſe. *Galen. in com. 5. aphor. 28.* Podagram, & morbum articularem incipientem, & nondum nodos circa articulos facientem evacuatione multis annis prohibuimus, quod ſi rectam vivendi rationem à Medico præſcriptam ſervent, ſe podagram profligaturos non deſperent. Nos hac hominum ætate plures vidimus per diætam lacteam eſſe ex toto liberatos, ſaltem rariſſimis, & vix æſtimabilibus vexari doloribus. Narravit mihi S. Cæſ. Majeſt. Chirurgus Joannes Pilas ſeſe à tribus jam annis, quibus ſe huic diætæ emancipavit, etſi frequentiſſimis ante torqueretur paroxyſmis, ita ut in ſumma articulorum impotentiâ miſerandum traheret ſpiritum,

Cur plures jam podag. laborent quam Hipp. tempore.

Abſtinendū à vino podagram ſanat.

Senex per captivitatem curatus à podagra.

Vini potus interdicitur.

Quæ podagra Hipp. curabilis.

Exempla eorum qui à podagra per diætam lacteam curati fuerunt.

tum, nullis omninò cruciari doloribus, imò facies eſt vividi coloris, expeditiſſime ambulat, proles absque impedimento generat, ita ut renatus ex integro videatur. Similem ferè ex Diæta hac fructum percæpit Excellentiſſimus & Illuſtriſſimus Comes de Königs Egg: Cæſar. Majeſt. Conſiliarius intimus, item Illuſtriſſimus Comes de S. Hilario, itẽ cubicularius quidam Cæſareus, qui hac curâ nulla alia incommoditate quam dejiciendi frequentia torquetur, cui malo iturus ad ſervitium unico aquæ frigidæ hauſtu ſecuriſſimè obviat, ſine dubio ab aqua ſuo frigore vias occludente: plurimi item alii, qui alias ſummè erant flaccidi ex lacteo hoc fonte refloruerunt. Cùm enim ad Podagram generandam victus heterogeneus plurimum faciat (hinc etiam apud antiquos, & *Hippocratis* tempore rarior fuit podagra) ſequitur victum homogeneum, maxime lacteum ſumma cum Veneris articulorum hoſtis, & morbi hujus ferè generatricis, moderatione, ad eandem profligandam plurimum facere. Sed dicet nonnemo, ad corpus heterogeneum requiri alimentum heterogeneum Reſp. victum homogeneum, quem requirimus ad curandam podagram ſuam pati latitudinem, ſed nec mixti perfecti rationem excludere, cibi enim fiunt ex quatuor elementis, adeoque ſufficit ad reſtaurandum corpus noſtrum mixtum, quod autem heterogeneum victum alterum vocitemus; eſt, quia eſt diverſiſſimarum partium, & formarum ſæpius inter ſe per antipathiam, occultas, vel manifeſtas qualitates diſſidentium, vinum v. g. & braſſica, quæ ſimul actuata detonationes faciunt plurimas ob ſulphur vini, & nitrum braſſicæ. *Galenus de ſalubri diatâ* ait, cibum ſemel, & eum unicum capere, & vinum unum bibere intereſt, ut venter illa, & retineat, & concoquat. Et *1. de de aliment. facult.* cibi pauciſſimi ſunt, qui non agunt in corpus noſtrum. Item *de ſymptom. cauſis*, propter cibi qualitatem alienam, & intempeſtivam, coctio ab extrinſeco impeditur. Item *1. de aliment. facult.* ait: Cibos ex contrariis ſubſtantiis ventrem perturbare. Item *de vict. ration. in acutis comm. 1.* ait, ciborum varietatem, præſertim, ubi variis conſtant facultatibus, eſſe nocentiſſimam; Idque apparet maximè in theriacæ compoſitione, cui, eò, quod ex variis ſimplicibus conſtet, maxima adeſt fermentatio, & rarefactio, donec poſt diuturnam pugnam, frequentesque actiones, & paſſiones contenta ſibi invicem fuerint aſſimulata, cui rarefactioni, niſi locus relinquatur, fortiſſima etiam rumpit vaſa: Similes actiones, & paſſiones, fluctuationes, ebullitiones, fermentationes, & effumentationes, compreſſiones, & diſtenſiones, cauſantur à cibo heterogeneo, donec naturâ victoriam reportante congener generetur chylus, vel ante ejus generationem corrumpatur, vertanturq; cibi, in bilem flavam, vel in porraceam, vel in pituitam, vel originaliter, & radicaliter ſaltem in teroſos humores, qui ad articulos delati eos premunt, diſtendunt, inflammant, vellicant, & ſummo dolore afficiunt. Victum autem lacteum, & homogeneum *Galeno, & Hippocr.* notiſſimum fuiſſe patet, nam *Hippoc. l. de veteri medic.* à plurimis in hominem ingeſtis turbationem fieri, ac ſecretionem corporis Facultatum minimè contingere. Idem *Hippocr. lib. de internis affectibus*, lactis potum, velut homogeneum victum 45. diebus ordinat: Item libro eodem, ubi agit de morbo craſſo ad 20 dies cum tertia parte aquæ mulſæ, idem lac præſcribit. Item *lib. de curat. per. v. ſ.* bonam vel potiùs homogeneam commendans diætam, ait: qui rectam victus rationem ſervare nequit, huic medicamenta præſcribere ſupervacaneum eſt. *Galenus lib. de remediis paratu facilibus*, ad ventriculi dolorem demulcendum præſcribit lac recens mulctum. Idem præcipit *8. de compoſ. medicament. ſecundum loca cap. 4. Aëtius ſermone 9. cap. 35.* idem lac in linioſo alui fluxu commendat. *Galen. loc. cit. cap. 37.* idem cœliacis ordinat, cui aſſentiuntur *Archigenes, Oribaſius, Trallianus,*

Cur frigida conſtipet.

Objectio.

Reſponſio.

Simplicitas ciborum utilis.

Cauſa podagræ.

Lactis potus commendatur ab Hipp.

Lactis præſtantia.

Aver-

Averrhoës de ſimplic. cap. 44. ait: ſi corpus eſt mundum, nihil eſſe convenientius lacte, ad reſtaurandum, quod diſſolutum eſt ex membris radicalibus. *Aetius lib. 2. cap. 10. de re medica*, lac judicat eſſe optimi ſucci, & plurimi alimenti inter omnia, quæ aſſumuntur, eo quod optimum ſit, & ex oppoſitis ſubſtantiis, & facultatibus componatur, utpote ex dejicientibus & ſiſtentibus, obſtruentibus, & attenuantibus; ſeroſa enim ſubſtantia aperit, & abſtergit, butyroſa nutrit, & lenit; caſeoſa adſtringit, & prout temperatam habet ſubſtantiam, humorum acrimoniam retundit, adeoque dolores, tàm intrinſecè, quam extrinſecè demulcet. *Galenus lib. 10. de ſimplic. medic. Falculcatibus* ait, lac eſſe boni ſucci. Idem in *comm. in 5. aphor. 64.* ait, neque mirandum eſt ſi lac dicimus bonum ſuccum generare; etſi aliquid habeat flatuoſi. Intermiſſis infinitis aliis tam antiquis, quam recentibus lactis bonitatem confirmantibus, ex his ſatis liquet diætam lacteam ritè uſurpatam, ad podagræ curabilis curam ſufficere. Mirum eſt, quod etiam Eunuchi, & pueri ante pubertatem podagra corripi viſi ſint, contra *Hippocr. 6. aphor. 20.* in cujus *comm.* ſcribit *Braſſavolus*. Nos vidimus Magnum Alphonſum Taſſonum 15. Annorum ætate podagra laborantem, qua etiam ætate laborare cæpit Illuſtriſſimus Claudus Rangonius, uterque negavit ſeſe Venerem expertum fuiſſe, imo legimus ab Hageſſandro ex Phytermo apud Athenæum Trapicum per 20 Annos tam podagræ contagionem omnes infeciſſe, ut non adulti ſolum, ſed pueri, puellæ, evnuchi, & mulieres, imò & caprarum greges indiſcriminatim, hoc morbo laborarint. Mirum ſecundo eſt ſenes quandoque curatos fuiſſe contra eundem *Hippocr. 2. prognoſticorum*, ubi ait, quicunq; ſenes ſunt, aut circa articulos callos tophaceos concretos habent, hi omnes ſani fieri non poſſunt humana arte, quantum ego novi: verùm *Hippoc.* videtur intelligendus de ultimo ſenio & collectivè, non diviſivè. Quod ad pueros attinet, quos dixit ante veneris uſum Podagra non affici, diſtinguendus eſt, Podagra enim afficiuntur pueri hæreditariâ. Eunuchos quod attinet, ii etiam forſan tempore *Hippocr.* ob victus temperantiam podagra non laborabant, jam verò ob vini; & imaginatium non rarò Veneris uſum, ſummamque nervorum fatigationem, uti nobis quandoque faſſi ſunt; podagra ſæpius laborant. Iſchiatica Podagra conſectaria graviſſime laborabat Illuſtriſſimus Comes de Königsegg / quæ neque ſectâ venâ Iſchiaticâ, neque acceptis clyſteribus, neque ullis aliis topicis cedebat, tandem facta partis forti frictione, & applicato ſynapiſmo, id eſt, cataplaſmate ex farina ſeminis ſinapios, cum aceto rubefactâ cute, & excitatis veſiculis ex toto liberatus eſt. Cæſareus quidam linguarum Magiſter nomine Barnabè intolerabili Iſchiaticâ integrâ quatuor menſium ſpatio torquebatur, fueratque ab Archiatro quodam plurimis medicamentis curatus, ſed non reſtitutus, malum enim indies pejorabatur, ita ut tabes dorſalis ſpinam dorſi enervare inciperet, ad deſperatum hunc patientem, ad omnia paratum, vocatus pilulas ſequentes ordinavi.

Eunuchi & pueri podagrâ laborant.

Podagra Epidemica.

Hipp. Explicatur.

Exemplum Iſchiadica curata.

℞. *Extracti hermodactyl.* ℈j.
pil. cocc. ℈ß.
pulv. Syrii gr. iiij.

Cum ſ. q. *ſyrup. de betonicâ*: F. Pil. n. ix. Quibus acceptis plurimum bilioſæ materiæ ejecit, & levamen aliquod ſenſit: altero die repititionem earundem pill. juſſi; tertio die advocato peritiſſimo quodam Chirurgo curavi applicari duo cauteria profundiſſima in plica, ſeu interſtitio muſculorum gluteorum, ita ut unum ab altero diſtaret, quatuor digitorum latitudine: tertium cauterium in cruris parte externa ponebatur: poſt decidentiam eſcharararum exivit materia viridis inſtar porri, & illicò patiens à crudeliſſima hac lue curatus fuit.

Cauteria profunda.

 Cap.

Caput VII.

De apoplexia curata, & quibusdam fumo carbonum extinctis.

Prima hiſtoria. VIr quidam ætatis ſuæ 60 annorum Viennæ in Aula Freiſingenſi apoplexia tactus adhibitis adhibendis reſtitutus fuit, verum ſequenti anno ob inordinatam victus rationem, recidivam paſſus eſt, & eodem modo convaluit; atque ita aliquot annis conſequenter, circa hyemem gravius patiebatur, tandem & loquelâ, & ingenio privatus cum 67. ageret annum vitam cum morte commutavit: Alius nomine Sauter à ſervitiis Sereniſſimi Archiducis Leopoldi *Secunda hiſtoria.* apoplexia forti tactus levi duntaxat ſuperſtite membrorum debilitate convaluit, & multos ſupervixit annos: malum enim fuit à prohibita circulatione ſanguinis, quod ex nodo forti ad valvulam circa carothides arterias patebat, quibus ſectis mentis aliquo modo compos fieri cæpit, & factus eſt hemiplecticus, tandem adhibitis adhibendis reſtitutus fuit. Perilluſtris quidam vir ad Fiſcum Imperialem a- *Tertia apoplectici hiſt.* poplexia cum paralyſi linguæ tactus priſtinæ ſanitati reſtitutus fuit. Imperatricis viduæ Chirurgus loco hu- *Quarta hiſt.* mido ad radios lunæ jacens, in linguæ paralyſin incidit, & ſolo gargaryſmo ex farina ſem. ſynap. & hydromel. ſæpius calide uſurpato ex integro loquelam recuperavit. Longum & prolixum foret omnes recenſere, qui remediis noſtris à ſimili affectu liberati fuerunt; hoc ſemper obſervavimus eos, qui brevis ſunt colli, & craſſi capitis, poſtquam aliquamdiu linguam gravem, difficilemque loquelam habuerunt, cum inclinatione ad ſomnum, in apoplexiam incidiſſe. *Expenditur apoplexiæ Locus.* Quamvis communis Medicorum ſententia ſit apoplexiam oriri ab obſtructis cerebri ventriculis, attamen ſæpius obſervatum eſt, iis integris, & minimè obſtructis mali cauſam in plexu retiformi, ſeu mirabili, vel etiam in ſoporalibus arteriis prohibitâ ſanguinis circulatione, & ſpiritu vitali, inventam fuiſſe: *Fernel. lib. ſecundo de abditis morborum, cauſis cap. 15.* ita ſcriptum reliquit; cum aliquando *Fernelii obſervatio de apoplexia.* vidiſſem virum viribus integrum ſiniſtri oculi vehementiori ictu repentè attonitum fuiſſe, moxque ſenſu ac motu privari, cum ſpiritu difficili, ſtertore, & aliis fortis apoplexiæ ſignis, cumque nec venæſectione, nec alia potuiſſet ratione ſervari, quin horis duodecim interiret, mortis cauſam indagatione dignam putavi, diſciſſoque apertoque capite, neque oſſis, neque meningum, neque ſubſtantiæ cerebri quicquam confractum, divulſumve, ſed interiores duntaxat oculi venas contuſionis vi diruptas animadvertimus, è quibus ſanguis duorum cochlearium menſurâ in cerebri baſim procubuerat, qui concretus arterias eas obſtringebat, quæ retiformem contextum conficiunt, & quæ illinc in cerebri ventriculos propagatæ choroidem plexum conſtituunt, cerebri autem ventriculi prorſus illæſi, inanesque cernebantur: hinc edoctus alterum, qui citra cauſam ex- *Altera obſervatio ejuſdem de eadem.* ternam apoplexiâ extinctus eſſet, diſſecare volui, in quo humor craſſus, & viſcoſus ſimiliter ad plexum mirabilem inventus eſt; cerebri ventriculis non repletis, nec obſtructis: hinc ego ratiocinatus conſentaneum putavi iis arteriis vel obſtructis, vel compreſſis, apoplexiam gigni, quod tum cerebrum nihil ſpiritus à corde per ſubjectas arterias recipiat, ſitque neceſſe illius motum, ſenſumque perire. Procul dubio ſimilis fuit cauſa apoplexiæ illius ab inflictâ alapâ ortæ, quam *Benivenius cap. 100.* proponit. Ideò *Veſalius lib. 1. c. 5.* puellam hydro- *Hydrocephalus non cauſat apoplexiam.* cephalam ob compreſſionem ab aquis in cerebri ventriculis, apoplecticam non evaſiſſe refert, quia aqua illa rete mirabile, & baſin cerebri non *Cur id fit.* comprimebat, vel quia tenuis erat aqua, & non craſſa, aut viſcoſa, per quam velut aër per aquam, ad piſcium reſpirium, ſpiritus permeare poterant. *Carpenſis in anatomiâ de venis* locutus, ſæpe inquit illis (venis ſcilicet) accidit coarctatoria oppilatio à plethorâ cauſata, quæ ſi fiat in ramis carotidibus, ſemper ſequitur profunditas ſomni, a-

pople-

poplexia, & ſuffocatio extrema. *Julius Alexandrinus l. 24. c. 2.* attonitum morbum excitat, quando interceptis venis, & arteriis, multitudo ſangvinis eas usq; adeò obſtruit, & obturat, ut non ſuperſit vacuum, nec recipere extrinſecus, quod refocillando calori neceſſarium eſt, ulterius contingat, ſed ſuffocato illico calore nativo animal concidat. Item *Levinus Lemnius lib. 1. de occultis miraculis naturæ c. 11. de Animâ in cerebro conſtitutâ diſcurrens* ait: hujus tamen vis per ſingulas corporis partes diffuſa, omnia membra calore fovet, ac vivificat, ſuisq; viribus inſtruit cor, tanquam vitæ fontem, per arterias carotidas jugulum perreptantes, quibus præciſis ſterileſcunt homines, vel oppletis apoplexia feriuntur; neceſſe eſt enim vias eſſe quaſdam, atq; arteriarum venarumque diſcurſus, per quos humores, ſpiritusq; tùm animales, tum vitales ultrò citroq; poſſint commeare, ac calorem naturalem ab anima ſuſcipere. Scribit *Marcellus* Diſpenſatorem quendam forti apoplexia tactum, cui totum caput aqua plenum, & arteriæ carotides atro ſangvine plurimo oppletæ repertæ ſunt, hinc illarum arteriarum ſectionem ſine ullo metu nimiæ hæmorrhagiæ contra *M. Cattinariam in ſua praxi cap. de Apoplexia* velut ſalutare approbat. *Galenus 5. meth. c. 7.* & alibi pluries hanc arteriarum ſectionem in multo levioribus caſibus audacter ſuadet, quidni etiam in hoc affectu tam deſperato fieri poterit? Modum illas arterias ſecandi vide apud *Avic. fen. 4. 1. can. c. 20.* item apud *Braſſavolum in com. 4. de vict. rat. in acut. ſec. 9.* Item apud *Ambroſium Parræum*, & alios Chirurgiæ peritos. *Gal. lib. de curat. per v. ſ.* tradit apoplexiam fieri multo ſangvine incumbente in animantis principium.

Vis animæ quomodo per univerſum corpus diffundatur.

Strangulati vel ſuffocati à carbonibus.

Anno 1657. Comœdi quidam advenerunt, qui ingenti in hypodromo Cæſareo exſtructo theatro comœdiam, vel potiùs tragædiam Aulæ Cæſareæ, & Genicæo exhibituri erant, in adventu autem tres illorum ad accenſos carbones dormientes, ab eorum vaporibus in ſoporem apoplecticum inciderunt, & niſi vocatus ſubito factis revulſionibus per v. ſ. & medicamenta, ſcilicet piper in aceto diſſolutum, & odorifera naribus oblata, frictiones &c. ſubveniſſem omninò extincti fuiſſent omnes. Paulo ante id tempus cum hoſpitale F. F. miſericordiæ inviſerem, ad ædes cervi aurei vocatus, duos jam ab eadem cauſa extinctos reperi, tertium adhuc vivum remediis adhuc illico adhibitis ſervavi. Similem à carbonibus noxam duobus ab hinc annis Mercatorum famuli apud S. Petrum experti ſunt, quorum duo vel tres auxiliis intempeſtivè adhibitis perierunt. *Nicolus ſerm. 2. tr. 5. c. 10.* ait, ſciendum autem eſt obſtructionem ſolum cerebri cavitatibus, & cauſis à materiâ craſsâ apoplexiâ ſequitur intercepto ſpiritus animalis tranſitu: ſed hanc etiam fieri ex obſtructione à vapore craſſo facta, unde contractio ſubſequitur, totalisq; fit obſtructio, patet in exemplis allatis à fumo carbonum. Ita Teſte *Valerio Max. lib. 9. c. 11. Quintus Lactius Catulus, Orator collega Marii Conſulis*, ab ipſo mori juſſus cubiculo incluſus carbonum calce, recenter oblinitorum vapore ſeipſum ſuffocavit. Chriſtophorus à *Vega l. 3. de art. m. c. 8.* refert duos viros ſentinas, & cœnoſos puteos expurgantes præ fætore ſtrangulatos ſpumam ex ore emiſiſſe, & apoplexia tactos à ſe pulvere pulegii, & odoratis ex moſcho & ambra reſtitutos fuiſſe, atq; adeò *Hippoc. aphor. 43. ſ. 2.* dubium jure merito inferre poteſt, ubi dicit, ex ſtrangulatis, & diſſolutis ii minimè ad vitam redeunt, quibus ſpuma circa os collecta fuerit; ad quod dico ultimum illum nondum adfuiſſe naturæ conatum, neque ultimam illam *Hippoc.* diſſolutionem. *Joannes Matthæus de Gradis com. in Rhaſ. c. de angina* refert hiſtoriam Apotekarii famulorum, qui Mediolani ex fumo carbonum extincti ſunt. *Hieronymus Mercur. lib. 3. variar. lection. c. 2.* ait, carbones nimio calore exſiccante, & condenſante caput lædere. Nos cum *Gal. 7. de uſu partium c. 8. & lib. de utilitate reſpirationis*, cauſam putamus qualitatem narcoticam, & naturæ noſtræ contrariam, uti à cantharidibus, & lepore marino fieri ſolet; deinde cum animadverterimus non omnes carbones hunc affectum cauſare, exiſtimamus eos præcipuè id efficere, qui fiunt ex arboribus denſiorum ſylvarum minimè perflatis, vel ex iis, quæ in

Aliud ſuffocatorum exemplum.

Tertium ſuffocatorum exemplum.

Strangulati reſtituuntur.

Cur carbones ſint venenati, ſeu noxii.

terrâ arſenico, Mercurio, aliisq; venenatis mineralibus impregnatâ creſcunt; deinde quia carbones, dum à carbonariis uruntur, citius quam par eſt ſuffocantur, ut ejusmodi narcoticum ſulphur, & ſal volatile exhalare non poſſit, ſi dein in aperto aëre accendantur, aërem inficientes adoriuntur, & apoplexiam cauſant, hinc qui conclavia carbonibus in Bræſariis (uti vocant) calefacere intendunt, prius carbones accendi vino vel ſpiritu vini modico irrorari, & ventilabro purificari curet, extra cubile; carbones autem aliquoties accenſi, & iterum extincti corriguntur, ne ita fortiter urant, hinc malefici, quibus pedes aduri in tortura debent, tortores corrumpunt, ut carbones ex lignis rarioribus aliquoties extinctos adhibeant. Similiter à nitro ſulphureis fulminis, & mineralium vaporibus paralytici, & apoplectici fiunt, uti teſtatur *Benivenius c. 23.*

Objectio. 1. Contra ſuperius dicta in explicatione hiſtoriæ *Veſalii*, ubi piſcibus reſpiratio videbatur concedi objiciet nonnemo *Ariſtotel. lib. 3. de part. animal.* ubi piſcibus negat reſpirationem.

Solutio. Reſp. Cum *Averroë ejusdem interprete com. in eundem locum:* piſces quidem per pulmones non reſpirare, quia non habent, habere tamen actionem quandam reſpirationi analogam, natura enim illis nares, & genas, in quibus foraminula quædam ſeu ut *Gal. lib. de utilitate reſpirationis*, pori bronchiarum proportionati fiſtulis pulmonum reperiuntur, per quos aër admittitur, & rejicitur.

Objectio. 2. Sed dicet aliquis ſecundo Piſces aquam non aërem attrahere, ſiquidem hic in aqua non eſt, neq; eſſe poteſt, citra penetrationem corporum.

Solutio. Reſp. Cum *Gal. 6. de uſu part. c. 9.* cum enim crebris, & tenuibus foraminibus bronchiæ ſint interceptæ, aëri quidem, & vaporibus perviis, ſubtilioribus tamen, quam pro attractione aquæ, hanc quidem extra expellunt, illos autem promptè intromittunt; deinde cum piſces frigidioris ſint naturæ facili reſpirio contenti ſunt; nec propterea datur penetratio corporum, quia ille aër continetur in poris aquæ, quod ita fiat patet in aquæ congelatione, quæ excluſo aëre multo minus occupat ſpatium; item in aquâ calidâ evidens eſt, quæ admiſſo aëre per rarefactionem majus occupat ſpatium: animalia in terra reſpirant, ergo etiam in aqua, uti *Plinius c. 7. naturalis hiſtor.* probat; præterquam quod piſces extra aquam oſcitando reſpirare videantur. *Ariſt. 4. de natura animal. c. 10.* ait piſces dormire, at quis dormit ſine reſpiratione?

Objectio tertia. Objicies: *Ariſtoteles ſecundo de anima com. 76.* ait, piſces odorare ſine anhelitu.

Solutio. Reſp. ſine anhelitu propriè dicto Concedo; analogo Nego. Non ſine fundamento addit *Averroes*, piſces non ſentire niſi per medium aëreum, factâ ſcilicet diverſorum corporum colliſione, quod verò aëre gaudeant piſces, apparet in ſtagnis congelatis, in quibus facile pereunt, ſi verò aliqua fiat apertura, per foramen omnes illicò, quaſi tripudiantes, ad illud pro hauriendo aëre confluunt; ſi ergo aër aquam permeet ad piſcium analogam reſpirationem, multò magis ſpiritus animales poterunt permeare aquam in ventriculis cerebri exiſtentem, modo non ſit nimis craſſa; aut glutinoſa, quod factum fuiſſe in hyſtoria *Veſalii* plus quam certum eſt. (Piſces gaudere aëre.)

CAPUT. VIII.
De Miris Excreſcentiis.

ILluſtriſſimus & Excellentiſſimus Comes de Urſenbeck Sac. Cæſ. Maj. ſupremus venationum Præfectus tumorem quendam teſtudinem dictum, in ſiniſtro latere ad regionem lienis ſupra coſtas nothas ingentem geſtabat, qui indies paulatim tantum faciebat incrementum, ut dùm equitaret, reſpirationi incommodaret, ipſiq; quandam circa cor conſtrictionem cauſaret; multis perperam medicamentis uſus fuerat; tandem accerſitus ego ingentem hanc appendicem attentius conſiderans illico ab hac ſine manus operatione Excellentiſſimum Comitem liberari non poſſe audacter pronunciavi, adeoq; ad hanc velut ad ſacram anchoram confugiendum eſſe judicavi. Ad hanc autem operationem me præſente, & dictante faciendam ſvaſi, ut cordatus, & Expert, Sereniſſ. Ducis Lotharingiæ Chirurgus Nicolaus Pimon

voca-

vocaretur, qui nec hanc manus operationem aggredi nullo modo renuit: præparato itaq; corpore per purgationem, v. ſ. & alterantia primo applicatum fuit decuſſatim, ſeu ad modum crueis coroſivum, quod intra horam circiter ſuam perfecit operationem; factâ itaq; eſcharâ, & demptâ per eam cutis ſenſibilitate, facta eſt inciſio per totam eſcharam ſat profundè; dein reliqua cutis ab ipſo tumore digitis paulatim ſeparata fuit, & ſic ad fundum, ſeu radices perventum eſt, quibus abſciſſis tota maſſa facilè ℔iiij. extracta, & ad paropſiden poſita fuit, expalleſcente nonnihil Excellentiſſimo Comite. Materia autem fuit alba, denſa, partim carnoſa, partim fibroſa mucore, & tabo permixta, ac extracta, radices mundificativo Mercuriali conſumebantur, & tota capacitas plumaceolis digeſtivo inunctis, ne aër penetrans corruptionem cauſaret, implebatur, ſic tandem radicibus conſumptis ſarcotica adhibebantur, & vulnus carne replebatur, ſic adhibitis ultimò cicatrizantibus Excellentiſſ. Comes ex integro reſtitutus fuit, & vivit, vivatq; adhuc diu. *Luſitan. l. 5. curatione 88.* deſcribit mulieris cujusdam hyſtoriam in hoſpital. Piſaurenſi, quæ habebat carnoſam excreſcentiam ab ingvinibus naſcentem pondere ferè 25. ℔, quæ cum obiiſſet, & præeminentem carnoſitatem illam Chirurgi per medium diſſecuiſſent, invenerunt nihil in ſe continere, ſed totam eſſe carneam ſubſtantiam albam, & pituitoſam, uberis carnem præ ſe ferentem, cui mulieri viſcerum naturalium aderant indiſpoſitiones: hinc pituita in corpore ſtagnante talis generata fuerat excreſcentia. Tumores ſimiles differunt à naptis *Nicoli:* quem vide *tr. 5. ſ. 7. c. 69.* hæ ſcilicet folliculum ſeu cyſtin habent: Ejusmodi tumorum meminit *Galenus libro de tumoribus, c. 4.* utpotè inter duas tunicas contentorum, qui ſubſtantiam quandoq; liquidam, quandoque lutum, amurcam, fæcem vini, urinam, ſtercus, balnei ſordes, mel, pultem, ſævum, ungves, pilos, lapides, oſſa, corea, tophaceam ſubſtantiam, arenas, ligna, carbones, teſtes, clavos, grumos, ramenta ſulphuris in ſe continent: vide *Sprengerum acuratiſſ. veneficiorum perſcrutatorem in ſuo malleo, Albukaſis lib. 2. c. 8.* ait carneas excreſcentias velut ficus ſupra gingivas prius ulceratas naſci, quæ forcipibus, ſeu uncis apprehenſæ reſcindendæ ſunt, & cauterizandæ. Etiam in mulierum pudendis carneæ exereſcentiæ, quas *Paulus lib. 6. c. 70.* nymphas, alii clythorides vocant, quandoq; creſcunt coitum impedientes: *Hipp. lib. de natura muliebri* columnas vocat, ad quorum intolerabilem graveolentiam ſemen apii in vino jejunè propinat, jubetque excreſcentiam abſcindi. *Albukaſis lib. 2. c. 7.* Caro interdum naſcitur in orificio matrieis, donec impleat ipſam, & fortaſſe egreditur ad exteriora ſecundum ſimilitudinem caudæ, & ideo quidam vocant ægritudinem caudatam, & quandoq; magnificatur in quibusdam mulieribus, donec expandatur uti in viris, & perveniat usque ad coitum, tales autem plerunq; ſunt ribaldæ, & confricatrices. *Benivenius de abditis morborum cauſis*, ait ſeſe mulieri in coxa ſtrumam abſcidiſſe 60 ℔. pondus excedentem, putarem potius fuiſſe maſſam quandam carneam, ſiquidem ſtrumæ ſuis ineluduntur folliculis. Hic nihil dico de mariſcis, & polypis propendentibus usq; ad os, quales plures in Belgio vidi. Obſervavi in hiſpotali civium omnes pueros in uno hypocauſto plurimis mariſcis, ſeu ficubus contagioſè affectos, quos omnes poſt diligentem purgationem aqua quadam corroſiva, quam vocant Dopſwaſſer/ curavi. Civis mantuanus referente *Marcello* verrucas plurimas in gutture, faucibus, & radice lingvæ habebat ita ut deglutire vix poſſet. Nota verucas ab editiori & aſpera montis parte dictas eſſe, hinc loca dicuntur verrucoſa ob eminentiarum inæqualitates, verrucæ enim benè referuntur inter carneas excreſcentias, cum membranarum, aut partium duriorum videantur eſſe productiones excrementitiæ: clavi non referuntur ad verrucas ſed calli tantum ſunt, pelluntur q; ſempervivo ſæpius applicato, plura vide in chirurgia noſtrâ. Quæſtio hic oritur utrum verrucæ ſint contagioſæ? Reſp. affirmativa eſt *Braſſavoli com. in aph.* qui exemplo filiorum ſuorum id comprobat, qui à ſorore Margaritta verru-

Operatio Chirurgica.

Maſſa ℔iiij. pendens.

Mira excreſcentia,

A viſcerum dyſcraſiâ orta,

Gingivarum Excreſcentia.

Uteri Excreſcentia.

Struma 60 ℔.

Polypi extra nares propendentes.

Ficus ſeu mariſca.

Verruca.

Unde dicta.

Quæſtio.

Solutio.

Verrucæ ſunt Contagioſæ.

verrucis laborante, cum eodem ſe linteo abſterſiſſent, verrucis per contagium affecti ſunt; ſed maximè contagioſæ ſunt verrucæ gallicæ, quas aliquandò in Noſocomio S. Marci per totum corpus copioſiſſimas vidimus, harum curam non memorant Authores, quæ ſingularis eſſe debet, nam per ſudores magis redduntur contumaces: itaq; æger in balneo humido ſudet, quod aſſumpto ſudorifero ingrediatur, ibidemq; per 2. aut. 1. horam moretur, & tandem ad lectum redux iterum ſudet, quod ubi aliquandiu continuaverit ad Mercurii uſum compellatur.

Cura verrucarum Gallicarum.

CAPUT. IX.

De Peſte multoties curata.

Peſtis Viennæ graſſatur.

ANNO 1654. & 55. Viennæ peſtis non leviter graſſabatur, ita ut hoſpitale civium, cui tum temporis Medici ordinarii titulo præeram, ſemel vel bis occluſum fuerit, & non paucas ibidem peſte laborantes præcipue puerperas (quarum ob levitatem magnus ibidem ſemper eſt numerus) & alios imperterritè curavi. Eodem tempore Juris Prudentiam ſecundo loco profitebatur Clariſſimus Dominus *Fridericus Grüner V. J. D.* poſtea Univerſitatis Rector, & Excelſi Regiminis Conſiliarius, cujus filia primogenita in adeò feram peſtem incidit, ut velut Æthnæ mons ſeptem illico carbones, ſeu carbunculos eructaverit, & paulo poſt eâdem peſte quatuor alii fuerint correpti, qui omnes remediis poſtea dicendis reſtituti fuerunt. Eodem tempore vocatus fui ad cacabarium in foſſa profunda habitantem, ubi reperi unam puellam 14. Annor. jam defunctam, duos item alios jam peſte correptos, qui identidem ſanati ſunt, alii vero præſervati: plures apud lagenam cæruleam curavi, item in platea ſerariorum plures quam 20. ab ungulis hujus immanis feræ liberavi: prope Collegium Academicum in domo Societati propria Medicinæ ſtudioſus Helveta ingentem carbunculum, inſtar orbiculi geſtabat in pectore, quem illicò circum circa, & per totum candente cultro ſcarificari juſſi, ne ulterius ſerperet, imperavique

Carbunculus ingens.

ut Theriaca in aqua vitæ diſſoluta applicaretur, diaphoreticum ordinavi, & ipſum inſignem Helveticæ futurum Medicum, ex toto reſtitui. Sartor quidam Belga ædes meas accedens bubones peſtilentes mihi patefecit, quem illicò ordinata veſicatoriorum, ſupra loca affecta applicatione, & diaphoreticis eum utpotè pauperem in Lazaretum ire juſſi, ne plures inficeret, & hiſce remediis facta quarantana, ſive quadrageſima ſanus & incolumis rediit, mihique felicem medicamentorum ordinatorum ſucceſſum cum ſummâ gratiarum actione retulit. Longum foret hic omnes, quos tum in, tum extra civitatem, prælucente numine curavi, recenſere. Præſuppoſitis ex Tractatu noſtro de febribus, eſſentia, differentiis, cauſis, indicationibus, & prognoſtico, purgationis in hoc affectu curam ferè negligentes, & venæ ſectioni, niſi in ſumme plethoricis, & prophilactice tantum incumbentes, confugimus ad alexipharmaca.

Bubones peſtil.

Alexipharmaca.

℞. *Rad. leviſtici,*
vincetoxici,
imperatoriæ ana ℥iij.
fol. ſcordii,
galegæ ana mj.
F. decoctio in ſ. q *aquæ*, in colaturæ ℥iij. diſſolve
elect. diaſcord. Fracaſtor. ʒiij.
ſalis C. C. volatilis ʒß.
ſpiritus theriacalis camphor. ℈ß.
aceti theriacalis ʒiij.

M. F. potio quâ aſſumptâ in lecto bene tectus ſudet, ſi æger ob pororum conſtipationem ſudare non poſſit, ad poros aperiendos præmittenda eſt inunctio *Aetis*, mutatis tamen aquâ, & oleo, quæ talis eſt.

Unctio Aetii.

℞. *Nitri præpar.* ʒij.
aquæ ſcorzoneræ ℥ij.
diſſolve ad ignem, dein adde
olei ſcorpionum ℥ij.

hac mixtura inungi poteſt ſpina dorſi, & partes ei adjacentes, dein regio pectoris, hac enim celebrata facile ſudant ægri apertis ſcilicet poris. Quibusdam tantum exhibebamus *ſalis C. C. volatilis* ℈j. vel ʒß. in *aqua ſcorzoneræ*, vel *ſcordii*, & excitato violentiſſimo ſudore, vel urinæ profluvio aliquandò cùm, aliquando ſine hujus repetitione convalue-

Sal. C. C. volatile.

valuerunt. Ratio autem cur ad hoc alexipharmacum confugerim fuit, quod nempe ſcirem venenum peſtilens eſſe animale, & conſequenter debere oppugnari aliquo ſuo contrario; cum autem ſecundum *Ariſtotelem* contraria debeant eſſe ſub eodem genere, non immerito conjeci qualitatem hanc veneficam, & ejus alexiteriam ſub genere Animalis, non tamen univocè, ſed effectivè ſaltem, comprehendi debere; alia enim eſt animalis qualitas, ſeu quæ ab animali procedit, alia quæ à vegetabili, alia quæ à minerali. Quod autem *ſcordium*, & ejus confectionem à *Fracaſtorio* nobis traditam, plerisq; alexipharmacis addiderim, ratio licet in minori qualitatis vegetabilis gradu fere eadem eſſet, plus enim vitalis qualitatis, vel proprietatis habet vegetabile, quam minerale, & magis contrariatur vegetabilis qualitas veneno animali, quam mineralis, & diadiaphoretica ibibi; quæ ab eodem genere, nec univocè, nec æquivocè pullulat. At dicet nonnemo animali nihil eſſe contrarium, ſiquidem ſubſtantiæ ſecundum *Ariſtotelem* nihil eſt contrarium. Reſp. Animali nihil eſt contrarium immediatè concedo: mediatè nego: vel animali nihil eſt contrarium, vel venenatæ ejus qualitati nego, imo efficaciora non ſunt contraria, quam ea, quæ ab iis, unde manant, foventur: præterquam quod dici poſſet alexiteriam illam C. C. qualitatem ob caracterem ab animali ſibi impreſſum animali, ſeu homini affecto, perſimile, contra venenatam ejus qualitatem vere contrariam, idq; melius, & certius, quàm omnia alia ex vegetabilibus, vel mineralibus petita, quibus hæc deeſt conditio, opitulari; ideoq; contrarietas hæc neceſſariò non eſt inter duo animalia, ſed inter eorum qualitates, & verum quidem eſt duas illas qualitates eſſe contrarias ſub eodem genere animalis quidem, non tamen iis genuino, qualitas enim pro genuino, & debito ſuo genere animal vere, & univocè non agnoſcit. Inſtabis. Animal in ordine ad qualitatem venenoſam, vel alexiteriam non eſt genus, ergo adhuc non ſunt ſub eodem genere. Reſp. Animal non eſt genus univocum concedo: non eſt genus æquivocum nego; uti etiam ſuperius dictum eſt. Inſtabis ſecundo: genus debet per modum partis eſſentialis, de multis ſpecie differentibus prædicari, ſed animal non poteſt per modum partis eſſentialis, de qualitatibus prædicari; Ergo: alias deberet poſſe dici venenata illa qualitas eſt animal, quod abſurdum. Reſp. Non poteſt prædicari denominative, dicendo ſcilicet, venenata illa qualitas eſt animalis cauſaliter effective, & ob quandam impreſſam ab animali energiam nego: non poteſt prædicari identitativè & Eſſentialiter Concedo: Ergo non poteſt prædicari nego conſequentiam. De adhibendis tum intrinſecè, tum extrinſecè in cura, & Prophilaxi peſtis, vide locum ſupracitatum.

Contraria ſub genere. *Scordii virtus.* *Objectio.* *Solutio.* *Objectio.* *Solutio.* *Objectio.* *Solutio.*

Caput X.

De Colica curata.

ILluſtriſſimi Comitis, & Herois Dom. Erneſti de Stahrenberg Colonelli, & Gubernatoris Tokaiani filius ætatis ſuæ 4. & ½ annor. ante duos menſes incidit in febrem continuam ſynocham putrid. quæ tamen die ſeptimo adhibitis adhibendis ex toto ſoluta fuit; & ne, quæ remanſerant, facerent recidivam, optimè expurgatus, & bona ſanitate gaudere viſus eſt: cum ecce derepente accepta levi à Præceptore correctione excitataq; irâ in colicam ferventiſſimam incidit, quæ pluribus adhibitis, tùm internis evacuantibus, & clyſteribus tùm extrinſecis pertinaciter perſiſtebat, inſtituebatur conſilium coram Excellentiſſimis viris D. Chriſtiano Rechberger / & Antonio Depozis Sac. Cæſ. Maj. Archiatris, eaq; continuanda ſuadebantur, velut ex ratione adhibita paucis fortaſſe additis, ſed omnia incaſſum, nàm malum intra 8. dies adeò invaluit, ut imminentis jam jam convulſionis ſigna, continua nempe terriculamenta, & membrorum contractiones adeſſent: cum itaq; extremis morbis extrema debeantur remedia, cum *Galeno 11. meth.* uti dictum eſt de angina, ubi ait, melius eſſe

us eſſe cum ſpe bona, aliquid periclitari, quam derelinquere ægrotos ſine ſpe ulla certiſſime interire, uſum acidularum tali alias puerulo inuſitatiſſimum perſvaſi, & totus ob diurnas, & nocturnas vigilias ſitibundus vix ℥xviij. hauſerat, quin & rejecerit magnam bilis porraceæ & flavæ copiam, cumq; aſcendiſſet eodem die ad ℥xxxiij. plures habuit dejectiones, & colica ſtatim ex toto remiſit; altero die optimo cum effectu continuavit, & materiam nigram copioſè rejecit, tamdiu reiteravit, donec fieret materiæ mutatio, & ſanus adhuc vivit; acidulæ autem fuerunt Roidſcheſenſes, ante paucos annos à Zrinianis Comitibus, forſan, ut bilem contra Sereniſſimam domum Auſtriacam absq; cauſâ increſcentem diluerent, inventæ, quæ ex ultimis inferioris *Styriæ* finibus quatuor milliaribus infra *Petavium Toparchâ Perilluſtri Dom. Gurti* feruntur.

Deſcriptio acidularum Styricarum ex Rokitſch.

Acidulæ hæ, vel potius ſalcidulæ, ſulphure quodam ſolari, & pauco vitriolo Martis abundant, & utroq; temperatiſſimo, tantaq; eſt earum efficacia in curandis febribus præcipuè quartanis, colicâ, hypochondriacis obſtructionibus, ictero, contracturis (expertus loquor) ut reliquis palmam facilè præripiant: immò, quæ pulmoniacis ob prædictum ſulphur innoxiè propinantur: ſapor non eſt gratus, ſed quandoq; omninò ſulphureus, quandoq; planè aqueus, color quandoq; niger, ſed ejusdem ſemper efficaciæ, posſunt in lecto bibi, & applicatis ſæpius ad ſtomachum calidis petiolis nobiliſſimè tranſeunt, caput moderatè petunt, ſtomachum non lædunt.

Earum Encomia & Virt.

Si velimus probare efficaciam earum, quæ ſimplicis aquæ ſaporem referunt, projiciantur in vitrum vini recentis, & ſtatim incipient quaſi bullire, & mille atomos ad ſaltum excitare, unde patet actuationem fieri à potentiali vini, quantò fiet magis, ab actuali hominis calore? Hæ acidulæ maximè in uſu eſſe posſunt, ubi colicâ provenit à bile, cui ſi frænum, per aquas, eam ſcilicet diluendo, non imponatur, & evacuetur, facile ab inteſtinis ad meſocolon, ex hoc per ligamenta ad ſpinam dorſi tranſit, & degenerat in paræſin, & membrorum contractionem, vel etiam in convulſionem, uti benè *Sennert.* & hic in Auſtria ſæpiſſime obſervavimus.

Probatio earum.

Imò cum jam partes bilioſæ materiæ prædicta via, ad membra exteriora translatæ eſſent, ſummosq; excitaret dolores omnimodæ contracturæ prodromos, adhibitis ſine morâ acidulis, ex toto curati ſunt ægroti; bilis enim velut acetum forte, injectâ aquâ, acrimoniam, & vires amittit, quem tamen effectum aquæ communi, nequaquam conceſſerim, utpotè nobiliſſimis illis Comitibus, & viarum ducibus, ante dictis, privatæ. Simili colica laborabat Balneator ad S. Dorothæam, jam in ſummo ponte habitans, & eodem remedio, poſtquam empyrica plurima adhibuiſſet, ſanatus eſt; item Capitanei nomine Ruthlandt uxor nuper in alto foro habitans, poſtquam multis jam menſibus colicâ cruciata fuiſſet, plurimaque ex pharmacopæâ hauſiſſet medicamenta, iisdem aquis priſtinæ ſanitati reſtituta eſt.

Alia obſervatio de Colicâ.

Capitanei uxor his aquis liberatur.

Si vero colica à frigidis, & crudis humoribus, veluti eſt pituitoſus, in inteſtino colo hærentibus fiat, ex uſu eſſe poteſt vinum Guajaci ab *Amato Luſitano libro curationum Medicarum curatione 32. de colico dolore* præſcriptum; quod Recipit *Ligni Guajaci noviter limati, & nihil nigri habentis, ſed recentis* ℥x. *cort. ejusdem ligni gummoſi, pulverſſatorum* ℥ij. *vini albi generoſi* ℔xx. macerentur 24. horis, deinde bulliant ad lentum ignem ad conſumptionem medietatis, in cujus percolati ℔x. infunde, herbæ *hyſſopi, anethi* ana mj. iterum ad ignem bulliant usq; ad remanentiam ℔vij. Factâ iterum colaturâ vinum remanens, primum dicitur, quod calidè in aurora ℥viij. pondere ſumatur, & ſudor provocetur, idem aliquot horis ante cænam repeti poteſt. Pro potu ordinario ſic vinum ſecundum præparetur, relictæ ſcobi, ſive pulmento illius ligni, à quo primum extractum fuit, adde ℥iiij. novi ejusdem ligni raſpati, & ſuperaffunde vini albi ℔xx. bulliant ad ignem usque ad conſumptionem ℔viij. Fiat colatura, quâ utatur loco potus ordinarii, eſt vinum fragrans inſtar moſchi, utrumq; hoc vinum uſurpet patiens per xx. dies, & liberabitur à colicâ pituitoſâ. Experſiſſimus quidam Chirurgus natione Gallus

Gallus nomine l'Official hoc vino miras aliquando hic Viennæ fecit curas, ſed cum foliis *ſenna* reddebat laxativum, continuabatque uſum à quarta usque ad ſextam ſeptimanam correſpondente diætâ. *Remedia ad Colicam.* *Rodericus à Fonſeca conſultat. 81.* laudat pulverem ex *ſpongiis*, quæ reperiuntur in *roſis ſylveſtribus* ʒß. pondere in vino ſumptum; idem colici ventrem cingit exſiccato lupi inteſtino, vel idem præfatum ad ʒj. in vino exhibet, vel pulverem *Cornu Cervi calcinati* cum *pipere*, & *myrrha*; Item infuſionem *lapidis perci ſpinoſi*, qui tranſportatur ex Indiâ. *Galenus lib. de theriacâ ad Piſonem* laudat *alaudam uſtam*, & *ſumptam*, item *libro primo de locis affectis aloën* prædicat, item de ſimplicibus medicamentorum facultatibus. *Stercus vulpinum* ordinat inguinibus applicandum. Idem *Galenus* ſimilem colicam paſſus ſibi medicamentum præſcribit libro attributo de ſimplicibus medicamentis ad Puterianum capite de medicinis androſcos.

Caput. XI.

De Magnis vulneribus.

Ubi expenditur Hippoc. 6. aph. 81. Veſicam præciſam habenti &c.

Annis ab hinc aliquot Nobilis vir in platea S. Joannis gladio ſupra lambdoidem ſuturam, ita ictus fuit cum inciſione cranei, menyngum, & ſubſtantiæ ipſius cerebri, ut vulnus duorum digitorum profunditatem æquaret, aderant omnia mortis ſigna, & tamen reſtitutus eſt. *Exempl. 1.* In eadem platea pictoris cujusdam famulus vino vertiginoſus cecidit ex alto prævio capite in pavimentum lapideum, cum tanta capitis concuſſione, ut cerebri ſubſtantia per nares, & aures in magna quantitate exiverit, qui tamen quibusdam à me ordinatis medicamentis intra paucos dies ex toto ſanatus eſt. *Exempl. 2.* *Bardapalea de fracturis cranii c. 5.* & ſemel habui unum Ruſticum, inquit, cui erat remota pars medullaris cerebri, qui eſt ſervatus. *Exempl. 3.* *Braſſavolus in commentar. aphor. uni*, qui Valentis Magnificis inſerviebat tanta cerebri ſubſtantia exivit, quantum eſt parvum gallinæ ovum, & tamen evaſit, ſed ſtupidus permanſit. *Exempl. 4.* *Nicolaus Maſſa ſerm. 2. exemplo 11.* narrat, mageto. Juvenem Marcum Choro mucrone haſtæ, quam bipennem vocamus, ita vulneratum fuiſſe, ut non ſolum adeſſet fractura oſſis cranii, ſed panniculorum, & cerebri ſubſtantiæ usque ad os baſileare, quod atteſtabatur ſtylus argenteus in vulnus immiſſus, qui deſcendebat usque ad os baſileare, ita ut ſentiretur percuſſio facta à dicto ſtylo, ſupra prædictum os. *Exempl. 5.* *Exempl. 6.* Hic poſt plura, quæ paſſus eſt accidentia octodecim diebus mutus fuit, & extracto à fractura oſſe cerebri ſubſtantiæ infixo immediatè loqui cepit, & Dei benedicti, artisque Medicæ auxilio reſtitutus. Idem præcitatus Author refert *Alphonſum Bononienſem* enſe percuſſum in ſiniſtra parte capitis, inter ſagittalem ſuturam, & mendoſam cum inciſione oſſis, membranarum, & inſignis cerebri ſubſtantiæ, in quo vulnus longitudinem unius, & medii digiti æquabat, aderat rigor, febris, dein paralyſis lateris oppoſiti, deliria continua, omnia ſigna lethalia, optima victus ratione, & medicamentorum adminiſtratione fuiſſe ſanatum. *Exempl. 7.* *Nicolus ſect. 7. tract. 4. ſum. 2. cap. 91.* ſcribit hominem vulneratum in capite cum enſe profundato vulnere usque ad ſubſtantiam cerebri ſuper verticem ab anteriore parte frontis, usque ad medium capitis, qui ſequenti die poſt vulnerationem incurrit paralyſin univerſalem, & emittebat ſuperfluitatem primæ, & ſecundæ concoctionis inſenſibiliter, & ſtetit ſex diebus absque cibo, bibit tamen *aquam frigidam* cum *ſyrupo roſarum:* ſexto die petiit cibum, & cibatus fuit, poſteaque regulariter rectus evaſit. *Exempl. 8.* Item cerebri vulnera contra quorundam inexpertem ſententiam curari poſſe teſtatur *Conſiliat. diff. 181. Carpus, Franc. Arcaus, de curatione vulnerum lib. 1. c. 6.* Sed dicet aliquis nonnunquam, & ſæpius levia capitis vulnera homines è medio tollere. *Objectio.* Ergo non poterunt gravia tolerari Reſpon. *Reſponſio.* Id non ſine ratione evenire, nam licet extrinſecè parva videantur vulnera, latet tamen angvis in herbâ, nam in parte capitis percuſsâ ſæpius

Cur ſæpius in oppoſitâ parte ſit fractura.

non adeſt fractura, ſed in oppoſitâ, per ſuturas communicante; factâ enim v. g. contuſione in fronte, oſſa occipitis ſummè commoventur, & franguntur eorum venæ arteriæ, & nervi, qui per ſuturam tranſeunt, ex quibus dilaceratis ſuccedit putrefactio, unde etiam ſecundum omnes Chirurgiæ peritos debetur trepanatio parti oppoſitæ, quando in ea ſit putrefactio, omne enim fortiter tuſum neceſſe eſt cum tempore putrefieri, unde prava eveniunt accidentia, & ſæpe mors. *Celſus lib. 8. cap. 4. & Hippocr. de capitis vulneribus*, frangitur calvaria ſub vulnere alia parte, quam ubi plaga eſt, vel os nudatum. Id obſervavit *Carpus lib. 1. cap. de fracturis cranii*, item *Soranus, & Nicolus ſerm. 7. ſummar. ſecundo tr. 4. cap. 1.* Exemplum narrat unius in dextro tempore læſi, cui vigeſimo die ex alterâ parte apparuit livor, & aperta cute cranium fractum inventum eſt, unde mors. Hinc mirari cum multis deſinimus cui paralyſis oppoſiti lateris ſæpius contingat contra *Quintum Caſſium*, qui putat nervos decuſſatim ferri. Cauſam mortis ex levi ictu, ſeu vulnere aliam aſſignant *Paulus lib. 6. Serapio*, & alii omnes, nempè quandò venula quædam ſecatur ex iis, quæ in cerebrum, & ejus menynges perreptant, à quibus ſanguis effluens corruptionem cauſat, qui cum nullum habet exitum, rigores, & convulſiones efficit, ægrumque necat; item nervuli quidam quandóque feriuntur, & disrumpuntur imperitia Chirurgi, per quos membranæ externæ colligantur cum internis, per ſuturas, & cranii foraminula; Evenit quoque nonnunquam, ut ſanies à vulneribus externis tranſudet intro per poroſitates, uti teſtatur *Hippoc. lib. de vulneribus capitis*, ubi dicit vulnera occipitis eſſe minus periculoſa ob cranii majorem craſſitiem, quam in ſyncipite vel vertice. Idem aſſerit *Galenus in comm. 55. libro 7.* contingit item ut interna poſtrema, & inferior cranii tabula externa permanente integra frangatur, & meningibus ſuis aculeis infigatur, unde ſummi fiunt dolores, uti meminit *Galen. 2. de morb. cauſis in fine Carpenſis*; &

Vulnera occipitis cur minus periculoſa.

alii. Memorant quoque authores levia capitis vulnera quandóque lethalia evadere, quando nempè hyberno tempore, aër per artem nimium æſtuat, vel caput nimiis faſciis ligatur, ita ut gravatum inflammetur, nec tantum culpa Chirurgi, ſed per ſe vulnera facile mutationem, & criſin patiuntur, etiam poſt 46. diem contra Jurisperitos, qui decernunt nullum tùm amplius adeſſe periculum, & ſi quid mali eveniat non in vulnus rejiciendum eſſe, quod falſum eſſe ex hoc patet, quia communicatio humoris à parte ignobili ad nobilem per tenuiſſimos poros, & meatus tardiſſime fit, deinde criſes reperiuntur ultra 46. dies; ſiquidem ſecundum *Claudinum*, & *Sveſſanum*, dantur menſtruæ & annuæ criſes. *Hippocr. 2. Epid. 3.* Empyicos ſexageſima die judicatos fuiſſe. *Cleomactides octuageſimo. Heropytus 120.* perfecte fuit judicatus. *Darius in Thaſo 120.* mortuus fuit per malam criſin. *Hippocr. 3. aphor. 28.* ait plurimos morbos judicari puerulis ſeptem menſibus, & *5. aphor. 7.* annis totidem, Ergo non ſtat juriſtarum opinio. A magnis quoque oculorum vulneribus ſanantur homines. Pharmacopæi Viennenſis prævignus cultellum ſcriptorium ita oculo infixit, ut aqueus humor effluxerit, pupilla minor reddita, & tunica cornea corrugata fuerit, qui etiamnum vivit, & benè videt. *Benivenius cap. 74.* refert de puella 4. annorum ſimile, ſed gravius quid contigiſſe, ita ut viſum penitus amiſiſſe videretur, ſanatam tamen fuiſſe hinc ait, teneræ ætati tantam ineſſe vim, ut humores oculi perditos reſtaurare poſſit. Quemdam cordis parte dimidia conſumpta Viennę ad magnum Jordanum ad duos annos ſupervixiſſe ſcribit *Matthias Cornax Viennenſis olim Medicus celeberrimus* contra omnes illos qui putant, cor ſolotionem, nequidem minimam pati poſſe, uti *Galenus 1. de loc. aff. cap. 5.* ſcribit eſſe impoſſibile, ut cor apoſthema, vel abſceſſum pati poſſit. Idem *Ariſtoteles 7. de partibus animalium. Avicennas fen. 11. tract. 3. cap. 2. Haly Abbas c. 23.* idem aſſerit, ubi dicit impoſſibile eſt, ut cor apoſtometur, ut acci-

Juriſtarum argumentum.

Criſes ſerotinæ dari.

Oculorum vulnera.

Cordis vulnera.

accidat illi oppilatio in plures ejus ventres, ſicuti poſſibile eſt in cerebro, nam mors antecedit illud. Item *Meſue libro de appropriatis cap. 1.* *Serapio, & Avenzoar. Galenus tamen 5. de loc. affectis cap. 1.* ait ſimiam, quæ paulatim tabeſcebat, inventam eſſe corde puſtulato, ſeu hytadidibus affecto. Nos ipſi vidimus quendam Leodienſem, Valentium nomine, ſui ipſius interfectorem qui vulnerato corde 18. horas ſupervixit. *Benivenius cap. 81.* ſcriptum reliquit in *Ludovici Nicolini* cadavere diſſecto in ſiniſtro cordis ventriculo callum obduratum ad nucis magnitudinem inventum eſſe. *Duretus ſcholio in Hollerii caput 27.* tradit Archi Diaconum, qui palpitatione cordis interierat, inventum eſſe corde apoſtemato, & in ſubſtantia abſceſſum habente. Item alteram mulierem diſſectam multos in corde calculos cum abſceſſibus habuiſſe. *Thomas à Vega comm. in 4. de locis affectis* ſcribit, cervam captam fuiſſe, quæ ſagittam cordi ab aliquot jam annis infixam geſtabat: Ergo adhuc vita cum vulneribus, vel apoſtematibus cordibus perſiſtere poteſt.

Pulmonum magna vulnera.

Maximas continui ſolutiones in ipſis pulmonibus abſque animalis interitu, nos ipſimet obſervavimus, præcipue in puero, qui in obſidione Noveſienſi, cum gyraret veru, tormenti globo tactus dextra pectoris pars unà cum magna pulmonum parte avulſa fuit, & adhuc fugiebat, ac ſi ipſi nihil eſſet, tandem cecidit, ſed ope Chirurgi campeſtris, reſtitutus fuit. Dominus Lion filius Cammerarii Celſiſſimi Ducis Lotharingiæ ictu gladii per pulmones trajectus fuit, & à peritiſſimo ejuſdem Ducis Chirurgo Franciſco Nicolao König ſanitati priſtinæ reſtitutus eſt. Similem Mercatorem Gallicum à magno pulmonum vulnere me præſente liberavit Expertiſſimus Chirurgus Nicolaus Pinon: Lotharingus.

Diaphragmatis vulnera, ſanabilia eſſe.

Galenus quinto methodi teſtatur vulnera ſepti transverſi in carnoſa parte ſatis penetrantia fuiſſe ſanata, cum tamen diaphragma pars tam nobilis ſit, ut ab antiquis mens nominatum ſit.

Ventriculi vulnera eſſe ſanabilia.

Ventriculi vulnus ſanatum fuiſſe affirmat Nicolus *ſect. 7. ſum. 2. tract. 4. cap. 90.* ſequentia fatus. Ego inquit vidi quendam acuto cultello vulneratum ex anteriore parte ſtomachi, & fixus eſt cultellus oſſibus dorſi, & tam firmiter ei adhærebat, ut non ſentiretur motus ejus per convenientem quaſſationem, tandem, licet deſperatiſſimo, extractus eſt, & ſanaverunt eum, ſine dubio vaſa magna tacta non fuerunt, alias hæmorrhagia ſuffocatus fuiſſet. Ruſticus quidam Bohemicus tempore Sigiſmundi Imperatoris venabulo lato per ſtomachi orificium ictus fuit, & multis adhibitis vulneris labia coaluerunt remanente foramine rotundo, quod panniculis implebat, quibus extractis ſtomachum ad placidum eluebat, multoſque ſupervixit annos.

Hepatis vulnera.

Hepar vulneratum curari poſſe teſtatur *Arcæus in ſua chirurgiâ*, ubi ait, hiſpano Juveni magnam hepatis portiunculam per ilei dextrum vulnus exſudaſſe, qui tamen poſt aliquot menſes decoctis vulnerariis, & manuali operatione incolumis evaſit.

Inteſtinorum vulnera

Inteſtina quoque coaleſcere tradit Medicorum Princeps *Avicennas fen. 6. l. 3. tract. 1.* Idem affirmat *Rhaſis*, & *Chriſtophorus de Barzzatiis* capite de fluxu inteſtinali, vidi; inquit, mulierem quandam, nomine Antoniam, cui per venenum perforata fuerunt inteſtina, unde fæces exibant, & tamen taliter affecta per plures vixit annos.

Chirurgorum error.

Notandum eſt bubonocelen ab imperitis Chirurgis ſecari, atque ita inteſtinum perforari, quod valdè periculoſum eſt. Inteſtina quandoque putreſcunt, & gangræna afficiuntur, unde ægros è medio tolli neceſſe eſt, uti nuper contigiſſe percepimus Domino Tauſcha apotecario Neoſtadienſi viro botanico, & optimo, referente *Excell. D. Joanne Greiſel Med. Doct. & Anatomico.* *Aretæus lib. 2. cap. 6.* multi, inquit, vi torminum derepentè moriuntur, aliis inteſtinum ſuppuratum, dein nigricans, & putrefactum excidit, atque ita deficiunt ex iiſdem doloribus; idem tamen *Aretæus loc. cit.* ait: inteſtinum colon ſupporatum ob carnoſitatem ſuam ſanari.

Veſicæ vulnera.

De veſicâ vulnerata teſtatur *Beniven. c. 78.* de ruſtico, cui calculus acutus veſicam in inferiore parte perfora-

 vit,

vit, extractoque per idem foramen calculo, ex toto convaluit. *Uteri Vulnera.* Uterum ulceratum, imò gangrænatum poſt extractum fœtum mortuum curavimus in Illuſtriſſima Domina Lajalin nata de Schönkirchen. *Paulus lib. 3. & Aetius* prolapſum uterum, atque putrefactum nullius periculi metu, quod in muliere factitatum fuiſſe aſſerunt. Idem teſtatur *Avenzoar* putridis uteri ligamentis mulieri uterum excidiſſe, & poſtea cum ſanitate vixiſſe. Simile tradit *Gattinaria* in ſua praxi *cap. de exitu matricis.* *Uteri caſus non caret periculo.* Putamus tamen ad uteri exciſionem, ſi aliis poſſint remediis curari, non facile deveniendum eſſe, ſiquidem & nervis cum cerebro, & arteriis, veniſque multis cum corde affinitatem habet, hinc talis operatio non caret periculo. *Suidas* ait antiquitus puellas fuiſſe caſtratas, ut florem pulchritudinis diutius ſervarent, venas in magnis vulneribus regeneratas eſſe teſtatur *Galenus lib. 6. aphor. 29.* Ex prædictis patet magna partium etiam nobilium vulnera ab arte curari poſſe, *Examen præfati aphoriſmi.* etſi *Hippoc. 6. aphor. 18.* dicat, veſicam præciſam habenti, aut cerebrum, aut tenue aliquod inteſtinum, aut cor, aut ventriculum, aut hepar lethale eſt: *Galen. in comm. iſtius aphor.* ait, ſe vidiſſe vulnus cerebri magnum in adoleſcente quodam ſub Præceptore Pelope ſanatum, quod *octavo de placitis Hipp. & Platonis* repetit, nempe vulnus idem in ventriculum cerebri anteriorem receptum fuiſſe. Nos in hoc aphor. putamus Divum ſenem intelligendum eſſe de vulneribus iis magnis, quibus gravia ſymptomata ſuperveniunt, & præter cerebri ſubſtantiam etiam, vel plexus choroides, vel rete mirabile læſum eſt, vel de magnis iis vulneribus, quibus natura debilior ſuccumbit.

CAPUT XII.

De tumoribus quibusdam ſpongioſis genuum curatis, item de aliis abdominis tumoribus non curatis.

Illuſtriſſima quædam Domina ſpongioſum in utroque genu tumorem habebat, unde obambulandi ſuboriebatur impotentia, & cum eodem tempore multos ejuſmodi tumores in xenodochio civili obſervaſſem, quos vulgò fungos, vel ſpongias articulorum, Germanicè vero Gliedtſchwammen/ ſed impropriè, nominant, eorumque methodicam curam ab anteceſſore meo Excellentiſſ. & pientiſſimo Doctore Heberto accepiſſem, ſequentibus eam curare aggreſſus ſum divinâ prælucente gratiâ: *Cura ejuſmodi Tumorum.* Primo ad totius cacochymiam tollendam ſequentes pilulas ordinavi, quater alternis diebus ſumendas.

℞. *Extr. hermodactyl.* ℈j. *Pilula.*
aloës roſata ℈ß.
reſina Jalappa gr. vj.
ol. fœniculi gt. iij.

Cum ſ. q. *ſyrup. de beton.* F. *pil.* num. IX. pro una doſi, & ſic fiant quatuor doſes, modo ſupra dicto ſumendæ, & cum corpus eſſet plethoricum venam brachii dextri incidi curavi, interea ordinavi.

℞. *Rad. bryon.* ℥x. *Fomentum.*
Althea ℥vj.
fol. pulegii,
hyſſopi ana mjß.
malva mj.
ſem. aniſi,
fœniculi ana ℥iß.
flor. chamomill. mjß.
ſum. anethi mj.
coque in aqua libris XII. *ad quarta partis conſumptionem.*

F. Fomentum pro genu, quod duret per 1. integram horam, vel etiam diutius ad modum ſtillicidii manè jejuno ventriculo, deinde linteis calidis exſiccato genu, ſtatim applicetur Emplaſtrum ſequens.

℞. *Gummi ammoniaci,* *Emplaſtrum.*
bdellii,
ſagapeni in acet. diſſolutor. an. ℥iß.
ol. liltor. albor.
chamomill.
laurini ana ℥iß.

ol. ſpir.

Digitized by Google

ol. ſpir. vini ℥ß.
rad. iridis Florentinæ,
ſulph. vivi pulveriſat. ana gr. xxxvj.

M. f. l. a. Emplaſtrum, quod benè conſtringatur ſupra partem affectam. Interea abſtineat patiens ab omni genuflexione usque ad perfectam curationem, neque renovetur dictum Emplaſtrum niſi ſingulis decem diebus, quo tempore illud deponendum eſt, dein adhibito guttatim, per horam fomento, & ſtillicidio iterum applicetur, & ſic continuetur usque ad perfectam curationem. Hunc curandi modum cum feliciſſimo eventu multoties probavimus: poteſt tamen etiam durante cura patiens, ſi cacochymicus fuerit, optimè expurgari; alias etiam in ejusmodi ſpongioſis tumoribus optimè imperantur cauteria in crure ad regionem faſciæ cruralis. *Galen. 10. de ſimplic. medicament. facultatibus* ad genu tumores commendat ſtercus caprinum, item *nono de medicament. facultatibus* ſummè extollit *Gagatem bituminoſum nigrum*, vide *ſpurios Galeni libros. Foreſtus obſervationum chirurgic. lib 3. obſervat. 4. ſtercus bubulum cum canino pulveriſato* apponit. Quod autem ſæpius ejusmodi tumores ad genua procumbant, eſt quia articulis calor eſt minor; hi autem tumores diuturni ſunt, uti *Galenus loco citato* fatetur, quia non ſunt ædemata ſimplicia, ſed tumores mixti ex viſcoſâ quâdam materiâ à ligamentorum excrementis, viſcoſitatem nacta, & ſubinde flatibus conjuncta, ſiquidem non ut in ædematibus poſt preſſionem remanent foveolæ; nec etiam ea eſt tenſio, quæ in purè flatuoſis eſt tumoribus, neque ea luciditas, quæ in aquoſis, nec ea durities, quæ in ſcirrhoſis, hinc etiam ſpongioſam quandam naturam nacti ſunt ejusmodi tumores, & ſingularem curam requirunt. Hi genuum affectus licet frequentiſſimi ſint, à paucis tamen, quantum memini, methodica eorum cura tradita eſt, adeoque hanc eorum curationem, & informationem poſteritati tradere æqui bonique conſului. Quidam abdominis tumor vulgo Fieberzeltel poſt longam febrim, vel etiam citra febrim contingit & contigit Illuſtriſſ. cuidam Dominæ ab Unverzagt qui totum ferè abdomen occupabat, quæ tamen 30. annis, & ultra absq; magna incommoditate ſupervixit, hic tumor creſcente lunâ creſcebat, deficiente deficiebat. Similem tumorem etiam nunc habet Nobilis quædam Domina Jaurinenſis, quæ tamen omni anno ſuam enititur prolem, hæc quidem plurima adhibuit remedia, ſed oleum, & operam perdidit. Ejusmodi tumorē habet quidam Illuſtriſſ. Ungariæ Baro, quo non obſtante nuper tædas lætiſſim. acceſſit. Paucis ante diebus vir quidam ſpectabilis, & ob inſignes animi dotes omnibus chariſſimus, cum ſeſe violenter, & ſumma fortiſſimorum etiam medicamentorum copiâ à tali tumore parvo, & vix conſiderabili tribus digitis à liene diſtante vellet liberari, meum ſenſit prognoſticum, & Vitam cum morte commutavit, materiâ ſcilicet ab externo ad intrinſecum partim retractâ, & tumore tot topicis tandem lieni communicato, & corrupto. Suaſeram enim in publico clariſſimorum virorum conſilio ejusmodi duros tumores violenter irritari citra mortis periculum, aut graviſſimum ſaltem damnum non poſſe, aut debere, præcipue cum ob ſenſum nullum hic tumor incurabilis eſſet. Quales autem hi ſint tumores, quibus in locis ſtabulentur, & quibus remediis curentur, vix lego apud Authores, etſi frequentiſſimi ſint, memini tamen me legiſſe in aliquo, qui eos panos ſchyrroſos vocabat; *Galen. 6. de locis affectis* tradit partibus vicinis jecori propè nothas coſtas accidere tumores, ubi ægros fortiter jubet reſpirare, quod ſi difficulter faciant diaphragma comprimi enunciant; item *de ſimplicibus medicamentorum facultatibus* dicit, tumores ventris urticam ſedare, item *in ſpuriis cap. 20.* tumoribus ventris præſcribit peplium. Idem *Gal. in 5. aph. 67.* ait, tumores duros eſſe pravos, quos dicit *Hippoc.* crudos; hi profecto ſunt crudi tumores, & diuturni ſine dubio à materia melancholico phlegmaticâ, tùm in duplicaturâ omenti, Medicorum bursâ, dictâ, tùm inter peritonæum, & panniculum carnoſum, contentâ, illuc poſt longos morbos, vel magnas ſaltem cruditates à natura rejectâ, & indura-

Alia Gal. remedia.

Quales ſint tumores.

induratâ, quæ plurimis annis, abſque corruptione, & damno durare poteſt, quod autem ejusmodi diuturni, & ſaturnini tumores dentur, patet ex *Galen. 2. claſſe pag. 57.* ubi ait, tumore duro ſi quis doloris ſenſu carente per triennium, aut quadriennium laboraverit, nunquam ſanabitur, ſi vero irritetur ſeſe ad modum, *noli me tangere*, ſive carcinomatum ocultorum, ob materiæ ſimilitudinem habent, & ægrum præcipitant alias diutiſſime victurum.

Caput XIII.

De variolis periculoſiſſimis curatis.

Ætas & temperamentum.

Illuſtriſſima de Berg, ætatis ſuæ, quantum ſcio, 26. Annorum, temperamenti perexcellentiam ſanguinei, ante aliquot annos variolis laborabat, eam curante *Excellentiſſimo Practico Dno Anſelmo Rezer Medicinæ Doctore*, & cum ad variolas expellendas pulvere lapidis bezoardici ſat copioſè uteretur, variolæ quidem affatim per totum corpus eruperunt, ſed facta ingenti fermentatione, humores ita in caput irruerunt, ut totum unà cum facie intumeſceret, unde in ſoporem, & mentis alienationem, devoluta eſt, ita ut oculis apertis, & quaſi convulſis cum ingenti ſtertore dormiret, & ad funeſtum, Sereniſſimi Ferdinandi IV. recens exemplum, jam jam apoplexiâ tangi videretur, in tantis rerum anguſtiis vocatus Ego, & Excellent. Ordinario adjunctus ſuaſi ad faciendam humorum in caput irruentium revulſionem; ut utraque pedis vena ſecaretur, cui lubens aſſenſit alter, futurum tamen, objiciens, variolarum retrogreſſum poſt venæ ſectionem, unde alterum ſuffocationis periculum foret pertimeſcendum: huic malo replicui facile obviabimus, ſi diaphoreticum duplicatum, ſeu in duplici doſi, immediatè poſt venæ ſectionem propinaremus; aperta itaque pedis utraque vena fuit, & ad huc fluente ſanguine ægra loqui cæpit, & de præſentiſſimo mortis periculo erepta fuit; factâ itaque ſat largâ evacuatione; jam

Ferdinandus IV. apoplexia in variol. tactus eſt.

ſecundum prædictionem Dom. ordinarii omnes variolæ diſparuerant, hinc ſequens diaphoreticum propinavimus.

Potio diaphoretica.

℞. *Aq. fumariæ,*
ſcorzoneræ ana ℥j.
ſyr. de ſcordio ℥ß.
ther. optim. ʒij.
pulv. pannon. rubei ℈j.

M. F. potio, qua aſſumpta ægra benè tecta ſudores, & variolæ cum euphoria copioſiſſimè eruperunt, reliquumque morbi tempus feliciſſimè tranſegit, & absq; macula, multorum filiorum mater facta eſt. Eodem modo virgo quædam Noviſolienſis apud Illuſtriſſimam Comitiſſam de Brandeis variolis retrocedentibus, & caput impetentibus, ita furibunda reddita fuit, ut & induſia, & obvios quosque dilaceraret, reliquis omninò deſperantibus, ſimili modo eam ſanitati reſtituimus, cum verò pori eſſent valdè conſtipati (volverat enim ſe ſe tota nocte in frigido conclavi) panes recenter piſtos, & adhuc calidos per medium ſectos, ejus lateribus applicari juſſi, & propinato fortiſſimo diaphoretico ſudores una cum variolis prodierunt, vivitque adhuc ſana. *Celſ. Principis de Swarzenberg* filiolus ætatis ſuæ circiter decem annorum, malignis laborabat variolis, iisque copioſiſſimis, quibus inſperatus alvi fluxus materiæ nigræ acceſſit, ita ut retrocedentes variolæ, foveolas in medio acciperent, viresque deficerent, quod *teſte Riverio* in prognoſi variolarum, peſſimū eſt ſignum. Hinc inter me, qui ordinarius eram, & Excellentiſs. Doct. von der Burg aſſiſtentem, Sereniſſimi tunc temporis Archiducis Leopoldi Archiatrum, virum integerrimū lis oriebatur, utrum hic motus eſſet criticus, an ſymptomaticus? Symptomaticum dicebam, ob gravia ſupervenientia accidentia, utpotè, ob virium debilitatem, & oppreſſionem, intolerantiam, & variolarum receſſum, unde periculum ſummum adeſſe, niſi quamprimum ſiſteretur, mordicus defendebam, hinc ad decidendam litem ſuaſi, ut tertius advocaretur, nobisq; ad aliud conclave retrocedentibus acceſſit Excell. Doct. Rezer qui primo ſtatim intuitu velut in Medicinâ verſatiſſim, practicus meę ſubſcripſit opinioni, addiditq; niſi quantocyus noxio

Variolæ malignæ retrocedentes.

Motus ſymptomaticus.

noxio huic ſymptomati obviaretur, fore ut patiens brevi vitam cum morte commutaret. Facto itaq; conſilio clyſter abſtergens ordinabatur, cui illicò ſubjungebatur alius adſtringens, cum ʒj. *boli armeni* in *decocto hordei toſti, radicum tormentillæ & biſtortæ*, qui in pauca quantitate injectus retentus fuit; dato dein diaphoretico ex *pulv. pannon. rub.* ℈j. *panni ſcarlatti toſti* ℈ß. in *aqua tormentillæ* & *ſcorzoneræ*, variolæ denuo cumulatim apparuerunt, & incolumis evaſit, vivitque etiamnum magni, & ſapientiſſimi Principis, magnus filius, & unicus celſiſſimæ familiæ ſucceſſor.

Cura fluxus alvi ſymptomatici.

Obſervavi hic perſæpè variolas ſummè malignas, & maculis petechialibus permixtas, unde plurimi moriebantur, præſertim illi, quorum vel nulla, vel negligens habebatur cura, quandoque tam benignæ fuerunt, ut pueri ambulantes, & aëri ſeſe exponentes eas innoxie tolerarent. Hic incidit quæſtio. Utrum pueros in utero matris variolis laborare contingat. Reſpondeo hoc dubium jam ſolutum fuiſſe in tractatu noſtro de febribus capite decimo ſeptimo quæſtione prima. Et quamvis raro id fiat, tamen *Fernelius libro ſecundo de abditis rerum cauſis capite duodecimo*, id fieri author eſt. *Nicolus* refert ſe vidiſſe puellam, cui decimo ortus ſui die variolæ ſupervenerunt. Ergo illa fermentatio jam debuit fieri in utero, unde plura loco citato.

Quæſtio.

Reſponſio.

Caput XIV.

De Tinea Curata.

Nobilis quædam virgo, annorum ſedecim, à formâ, & virtute, alias commendatiſſima, laborabat tineâ, quam vocat Avicenna ſaphatum, alii Abas, nos tineam vocamus, ob ſimilitudinem vermiculorum illorum, qui veſtes corrodunt, ſic enim tinea in capitis integumentis, foraminula quædam efficit, & ſeſe latè diffundit, unde inter manantia ulcera refertur. *Gal. lib. 3. de tumoribus præter nat.* & *Paulus l. 3. c. 3.* dicunt eſſe ulcera capitis foraminulenta, cum aliquo tumore, à quibus ſanies tenax emanat; ſi melli ſimilis ſit vocatur cenon, ſeu favus, habetque foramina majora, ſi verò materia tenuior ſit, & glutinoſa, fluatque ex foraminibus minoribus achor dicitur, & ejuſmodi ulcera quandoque ſunt benigna, quandoque cacohetica, ſeu maligna, cum vel ſine dolore. Poſtquam nobilis hæc virgo multo tempore turpi hac lue laboraſſet, plurimaq; remedia incaſſum adhibuiſſet, meam imploravit operam, judicavi ſtatim eſſe achores tineæ malignæ, & contagioſæ, nempe, uti *Galenus de tumoribus p. n & Paulus l. 3. c. 24.* ulcus in capite pituitæ ſalſæ, & nitroſæ ſobolem, à quo ſanies quædam nec aquoſa ſimpliciter, nec ita ut mel craſſa defluebat ab humoribus ſub, & in cute putreſcentibus, & aduſtis ob partis intemperiem malignam alimentum proprium corrumpentem. Signum erat ſcabies per totum caput cruſtas albas, & aſpectu horribiles eructans, quæ tanto difficilioris erat curationis, quanto profundius cuti erat infixa. Ejuſmodi ulcera manantia infantibus ob adiphagiam, ſeu ingluviem magis accidunt, quam aliis, quia nempe in iis cutis capitis eſt mollior, & ad recipiendos humores aptior. Hanc itaque ſequenti methodo cum D. G. priſtinæ ſanitati, qua etiamnum viro nubilis vivit, reſtitui. Imprimis autem ſequentibus totius cacochymiam tollere, aut ſaltem minuere aggreſſus ſum.

Ulceris explicatio.

℞. *Herb. betonicæ,*
capillor. veneris,
adjanti nigri,
meliſſæ,
fumariæ,
cuſcutæ,
agrimoniæ,
linguæ cervinæ,
cardui benedicti ana mß.
rad. lapathi acuti ℥ß.
rubiæ tinctor.
lappæ major.
polypodii querc.
liquiritiæ
bugloſſæ ana ʒij.
folior. ſennæ S. ſtipitibus ℥ij.
cortic. myrobalanor. citrin.
chebulor.
rhei electi ana ʒij.
cort. ebuli,
median. ſambuci ana ʒj.

Remedia ad tollendam cacochymiam.

rad.

rad. galap. ℥iij.
tartari albi præpar. ℥ß.
macis ℈j.
poſſular. mundatar, minor.
conſervæ fumariæ ana ℥j.

his omnibus in petia ligatis ſuperaffunde *juſculi galli bullientis* ℔vj. ſtent infuſa 24. horis, deinde expreſſo pauliſper ſacculo, ſumebat omni die mane ℔ß: quam diu durabat: dein cum eſſet valde plethorica vena brachii dextri mediana ſecabatur, extrahebanturque ℥viij. tandem ſequentia topica fuerunt applicata, & imprimis raſo, vel ſaltem tonſo (quantum fieri poterat) capiti ſequens picatio. ℞. *Picis q. ſ. Extende ſupra pannum lineum ſubtiliorem, applicetur calide, & relinquatur quatuor, vel quinque diebus*, poſtea fortiter extrahatur, ut ſimul pili radicitus evellantur, unctoque capiti ſequenti linimento iterum applicetur picatio, donec omnes capilli deciderint: ungventum eſt quod ſequitur: ℞. *Cantharidum abſciſſis capitibus q. ſ.* contundantur in mortario, deinde alæ levi folliculo, vel oris flatu removeantur, donec ſolus pulvis remaneat, deinde per cribrum trajiciantur, adde *fuliginis camini duplam quantitatem*, & cum *ſ. q. adipis ſuillæ* ad ignem calefactæ, & trajectæ f. l. a. ungventum. Hoc ungvento etiam poſt decidentiam, & eradicationem à picatione omnium capillorum inungatur caput aliquoties, induaturque veſica bubula, donec caput videtur ferè mundatum, quibus factis propriâ ipſius patientis urinâ caput bene lavetur: tandem *butyro recenti*, vel *ſevo cervino*, vel *oleo olyvarum* inungatur, donec caput omnino ſanatum ſit: hiſce remediis priſtinam recuperavit ſanitatem. Hanc curam hic appono, ut qui Chriſtianæ Charitatis Zelo fervent, eam per vetulas pauperibus tineoſis curent adminiſtrari, ingentem ad animæ ſuæ ſalutem facturi acceſſionem, dicit enim Chriſtus ſervator noſter, quicquid minimo ex meis feceritis mihi feciſtis.

✱:(o):✱

CAPUT. XV.

De ſputo ſangvinis, & Catharris Periodicis.

CÆſareus quidam pabuli ſcriba, in ingenti crapulâ tam violenter vomere incepit, ut ſuccedente hæmoptoiſi, ad minimùm ſex libras ſangvinis vomuerit, jam totum corpus ſudores frigidos, & ſyncopticos exhalabat, pulſus erat myurus: qui tamen graviſſimus affectus factâ, per brachii ſectam venam, revulſione, applicato ad teſtes, & hepar fomento frigido ex *oxicrato, nitro, & croco martis adſtringente, maſticatâ, & gargariſata portulaca*; (quam tantæ efficaciæ putat *Paulus*, ut ea in ore detenta ſangvis ex aperta vena non fluat) aſſumpta confectione alchermes cum corallis rubris, & ſyrupo myrthino, aſſumpto deinde ſequenti à nobis probatiſſimo decocto ex toto evanuit, tale autem eſt decoctum, ab Excellentiſſ. noſtro quondam Collegâ Domino Caſparo Crafft, nobis communicatum, & proſpero ſemper cum effectu hæmoptoicis propinatum.

Vomitus ſangvinis ad ſex libras.

Remedia.

℞. *Herb. rutæ,*
alchymillæ,
hyſſopi,
capillor. Veneris,
auriculæ muris,
ſalviæ,
polytrichi,
pulmonariæ,
farfaræ,
ſcolopendriæ ana m.ß.
cort. ſambuci,
rhapontici,
hepatis lupi,
rhabarbari ana ℥j.
axungiæ porci ℥ij.
cerevíſiæ ℔vj.

Decoctum mirabile ad ſputum ſang.

Coque ad conſumptionem ℔j. doſis ℔ß. calidè id continuando, donec & vomitus ſangvinis, & omnis futuræ phthiſeos periculum evanuerit. Hoc eſt nobile illud decoctum, quod pluri mos ab orci faucibus eripuit. Perilluſtris Domina de Kória Equitis Bohemici conjux, perſæpe in anno, in gravem incidebat ſpirandi difficultatem, cum tuſſi, rejectione materiæ tenuis, & aquo-

Catarrhus ferinus ſeu vbravna ſenium.

aquoſæ, & copioſiſſimæ, palpitatione cordis, & ſummis anxietatibus, difficili decubitu, urinarum paucitate, nullâ omnino præcedente capitis gravitate, aut ad ſomnum inclinatione &c. Poſtquam graviſſima hæc ſymptomata aliquot diebus continuaſſent, ita ut ab omnibus phthiſica pronunciaretur, tandem materia paulatim craſſior reddebatur, faciliusque rejiciebatur, cum omnium ſymptomatum remiſſione, affectusque ex toto deſinebat. Similes duos paroxyſmos ipſemet ego cùm ſumma virium jacturâ 35. & 42. ætatis meæ anno ſuſtinui; nec abſimile quid nuper celſiſſima quædam Principiſſa, attamen cum rejectione ſangvinis loturæ carnium ſimilis, urinis ſcilicet, & menſtruis ſimul obſtructis, nobis conſulentibus, patiebatur. Ejusmodi ſymptomata in excretis fiunt plerunque urinis, vel menſtruis, vel hæmorrhoidibus motu præpoſtero accedente, quod in me expertus ſum, tali enim durante phtialyſmo pauciſſimæ ſuccedebant urinæ; ubi autem per medicamenta, vel thermas provocabantur, & hæmorrhoides aperiebantur, paulatim remittebat ferinum iſtud rhevma. Ejusmodi affectus hic in Auſtria plurimos obſervavimus, qui etiam ad ſuffocationem usque deveniunt, vel homines in pulmoniam, & tabem conjiciunt, præcipuè ſi ſæpius recurrant, nam pulmones per quos tranſeunt primo intemperatos reddunt, deinde etiam corrodunt, ſunt enim humores plerunque acres.

Diuretica in quomodi affectibus utiliſſima.

Conſvevit natura quasdam evacuationes moliri, vel in viris per hæmorrhoides, & urinas, vel in fæminis per uterum, & urinas, quæ ſi propter obſtructiones non ſuccedant, & ſupprimantur, magna inde damna oriuntur. *Hippocr. 5. aph. 32. mulieri ſangvinem vomenti menſtruis erumpentibus ſolutio.* Idem *Celſus l. 2. aph. 8.* confirmat. *Braſavolus* aſſerit ſeſe curaſſe religioſam, quæ omni menſe imminentibus purgationibus menſtruis ſangvinem vomebat. Idem aſſerit *Rabi Moyſes ſect. 24.* Item *Benivenius c. 41.* refert mulierem quandam intenſiſſimos capitis dolores omni menſe paſſam fuiſſe, qui erumpentibus per vomitum menſibus evaneſcebant, quæ tamen ſectâ ſingulis menſibus infra malleolum venâ à tali vomitu liberata fuit. *Amatus Luſitanus cent. 7. curat. 17.* refert, fæminæ cuidam Germanæ menſtruas purgationes non habenti ſangvinem omni menſe copioſiſſimè per os, & nares effluxiſſe, quo fluxu ad finem perducto gravia, quibus ante torquebatur ſymptomata, remittebant; immò ſangvis menſtruus etiam ad caput, & mammas refluit, teſte *Hippocr. 5. aphor. 4. Quibuscunq; mulieribus ſangvis ad mammas colligitur, furorem ſignificat.* Quod Braſſavolus ſe vidiſſe aſſerit in muliere Itala cujus ab uberibus fluebat ſangvis. *Luſitanus cent. 41.* refert uxorem Aſcanii ob menſium retentionem incidiſſe in lingvæ craſſitiem, ut vix loqui poſſet, & in capitis, ſcapularum, ac lumborum gravedinem, membrorum fractionem, ac laſſitudinem, mentis inconſtantiam cum fatuo riſu. *Rembertus Dodonaus c. 15.* refert ſeſe vidiſſe menſtrua per lachrimas ſangvineas expurgata adeoq; per oculos fluxere menſtrua. Viris quoque menſtruorum inſtar, quandoque omni menſe, vel ſtatis quibusdam temporibus fluunt hæmorrhoides, uti *Themiſtius in com. c. 10. de ſom. Ariſt.* Item *Veſalius in fabrica humana l. 5. c. 15.* Idem teſtatur *Luſitanus cent. 3. cent. 5.* & ſicuti menſtrua tutò in mulieribus non ſupprimuntur; ita etiam hæmorrhoidum ſuppreſſio in viris graviſſimos cauſat affectus, ut inſaniam, ſputum ſangvinis, dolorem lumborum, iſchii, dorſi, ſcapularum, hydropem, phthiſin. Vide *Gal. libro de atra bile*, item *lib. de v. ſ. ad Eraſiſtratum.* Item urinarum ſuppreſſionem infinita ſecum mala advehere quotidiana docet experientia, & patet ex *Gal. l. 3. de ſymptom. cauſis. c. 2.* fiunt nempe hydropum ſtatus, tuſſis, oppreſſiones cardialgiæ, phthiſes, ophtalmiæ, vertigines, apoplexiæ, paralyſes, arthritides, rigores, uti videre eſt in *Gal. in primum porret. com. 3.* regurgitantibus ſcilicet illis ad membranas, & nervoſum genus. Hinc mirum non eſt ſi obſtructis urinis, vel ob renum debilem attractricem, vel obſtructionem, vel ob nimium viſcerum calorem urinas ſuſpendentem, vel ob arteriarum emulgentium compreſſionem, vel ob conſtitutiones aquilonias ut

Conſuetarum evacuationum damnoſa ſuppreſſio.

Menſtrua per os rejecta.

Damna ab obſtructis menſtruis orta.

Suppreſſio urinar. cauſa Hydropis.

Hipp.

Aquilonia tempeſtas urinas ſupprimit.

Hipp. 3. aphor. 5. aquilonia tempeſtas tuſſes movet, fauces exaſperat, alvos indurat, urinam ſupprimit, horrores excitat, laterum, & pectoris dolores &c. His conſtat ex urinæ ſuppreſſione maxima damna oriri, unde non tantum urinæ qualitas inveſtiganda eſt, ſed etiam quantitas, utrum ſufficiat? nec ne? ſi enim humores ſeroſi à ſangvine per renes minus ſegregantur, circulantur una cum ſangvine, & tum ob copiam, tum ob qualitatem naturæ moleſti, rejiciuntur ad partem aliquam reliquis debiliorem, uti ſæpe ſunt pulmones, qualiter ſine dubio fiebat in prænominata perilluſtri Domina. Feruntur humores ſeroſi (teſte *Galeno lib. 6. de loc. affec.* ubi dicit anheloſos fieri hydropicos) à pectore ad lumbos, & ex his ad abdomen; quin etiam à lumbis ad pectus ferri poterunt humores ſeroſi motu contrario nempe à renum viis aberrantes. Hinc eſt quod in Auſtria tot fiant hydropici, tot phthiſici; tot aſthmatici, apoplectici, paralytici; potus enim, ſeu vinum ſulphureum, & ſpirituoſum ſurſum potius tendit, aquæ nitroſæ vias ſibi præcludunt; cereviſiæ minus coctæ flatibus ſuis urinarum vias obſtruunt. Contrarium expertus quandoque fui à cereviſiis Bavaricis, Flandricis, Weſtphalicis, quæ vix hauriuntur, & ſollicitant exitum, ob inſignem, quâ pollent, diureſin. vide plura alibi.

Quomodo anheloſi fiant hydropici.

CAPUT XVI.

De variarum partium, utpote capitis, gingivarum, cutis, narium, uteri, hæmorrhagiis curatis.

Hæmorrhagia ex Arteriis temporalibus.

CApitaneus quidam ad Portam cœli, nomine Stauer gladii ictu arteriarum temporalium diſſectionem paſſus eſt, & tanta ſupervenit hæmorrhagia, quæ tribus integris, diebus nullis à Chirurgis, & aliis adhibitis remediis cederet, corpusque jam cacheeticum redderetur, intumeſcebat enim, & profluens ſangvis omnino aquoſus eſſe videbatur: vocatus ego illico, cautherium actuale applicari juſſi, & ne minima quidem amplius gutta effluxit: corpus refici, & vires cibis euchymis, velut ovis ſorbilibus conſumatis &c. corrobarari curavi, & vivit adhuc ſaniſſimus. Juveni cuidam ex cavo dente ſedecim ſangvinis libræ ad minimũ effluxerunt, qui tamen fluxus impoſito ad cavitatem dentis vitriolo, ex integro reſtitutus fuit. Similem mihi narravit hyſtoriæ Excellentiſ. Dominus Petrus Leonhardus de Monrquintin Collega meus chariſſimus, ſed ipſius maturo conſilio; ignis actualis ſuum ſangvini fluxum dempſit. Bajulus quidam conquerebatur ſibi omni menſe plurimum ſangvinis infra axillam dextram effluere, ſeſeque ulceratum putabat; ſed autopſia contrarium docebat, cutis enim integerrima fuit, his tamen factis, quater in anno ex brachio oppoſito, revulſionibus, ſanatus fuit. *Benvenius l. de abditis morborum cauſis c. 4.* ſimilem narrat hyſtoriam de robuſto quodam homine, cui talis hæmorrhagia ex ilibus profluebat copioſiſſimè, & velut ex ſectâ venâ. Exiſtimavi (inquit Author) venulam foraminibus, ſeu poris cutis, ſuâ cervice inhæreſcere, indeque ſtatis temporibus ſangvinem effluere. Simile quid narrat *Marcellus de Mantuana quadam muliere nominata Laura de Cizzolis*, quæ multoties, dum interulam exueret, eam inveniebat ſangvine tinctam, circa partes thoracis; inventus autem fuit ſangvis fluere ex foramine papillæ mammæ ſiniſtræ. Prævigni mei Excell. D. Doctoris Greiſel Anatom. Profeſſ. uxori aliquando, ingens ſangvinis copia ex poro in capitis ſuprema parte dilatato, & ſpongiolam eructante effluxit, quæ revulſionibus, ad pedes factis, convaluit. Vidi ego quendam ad gradus B. V. habitantem, cui per ſolam ſcarificationem 20. ſangvinis libræ effluxerant, & niſi prævenissem applicatis regioni hepatis cucurbitulis, & epithemate refrigerante ex poſcâ, & nitro cum croco Martis, & bolo ad teſtes, infallibiliter exſpiraſſet, vel ejusmodi arteriolam ad cutim hiantem tetigit Balneator, vel habuit illud artificium, quod Monacenſis quidam, qui lancettâ ſuâ, alicui pulverum mixturâ, affrictâ tantum ſangvinis extrahebat, quantum deſiderabat, & pro libitu ſiſtebat: quod

Hæmorrhagia ex dente Cavo.

Hæmorrhagia per poros axillæ.

Similis hæmorrhagia per poros.

Cauſa ſimilis hæmorrhagiæ.

Hæmorrhagia ex papilla.

Ex poro capitis ſpongiolam eructante hæmorrhagia.

Ex ſcarificatione Hæmorrhagia.

Balneatoris Monacenſis artificium.

Cautherium actuale.

quod autem tenuiſſimæ arteriolarum propagines ad poros deſinant, ac aërem attrahere valeant teſtatur *Galenus lib. 3. de nat. facult. c. 14.* Cutis autem noſtra ita eſt poroſa, ut teſte *Oribaſio com. in aphor.* & *Amato Luſitano cent. 4. cur. ult.* bene exſiccata ad ſoleas calceorum conficiendas omninò ſit inepta. Equi Hungarici, qui optimi cenſentur, ejusmodi per poros habent ſangvinis evacuationes.

Cutis humana exſiccata ad ſoleas inepta ob poroſitatem.

Simile prioris meminit *Aloyſius Mundella Epiſtol. 28. Petrus de Oſma refert in quadam Epiſtol. Anno 1568.* ex Inſula Peruviana ad Doctorem Monardem miſſa, fuiſſe ſcilicet Indum quendam, hac methodo omnes morbos feliciſſimè curantem; partem affectam quamlibet herbæ cujusdam ſucco illiniebat, pannisque multis tegebat, atque ita ſangvis extrahebatur, quo abſterſo, renovatoque linimento tantum, & toties extrahebat, donec ex toto morbus curatus eſſet; ſed herbam hanc nulli, vel minis, vel donis patefacere unquam voluit. Simile fermè ex verbena contuſa farinâ hordei, & albuminibus ovorum, hepatique in ſacculo appoſitâ obſervavi. *Gal. lib. de purg. med. c. 4.* refert quendam ad ſupplicium velatis oculis fuiſſe ductum ne herbam quandam depurandi ſangvinis vim habentem, in via ſpectatoribus propalaret, ſine dubio alicui Magnati ſoli eam coactè manifeſtaverat.

Cura Indi medica.

Prænobilis virgo in foro antiquo, ruſticorum dicto, cum petechiis fortiſſimè laboraret, iis evaneſcentibus ingens hæmorrhagia narium ſucceſſit, ita ut lipothymiis, & animi deliquiis confici videretur, quæ tamen hactenus adhibitis reſtituta fuit. Similem, in ſimili morbo, paſſus eſt hæmorrhagiam Mercator quidam Moſchon dictus in aureo lupo habitans, & iisdem, vel non longè diſſimilibus remediis fuit curatus.

Hæmorrhagia ſymptomatica in petechiis. Curata.

Excellentiſſ. quædam Comitiſſa tantam uteri hæmorrhagiam patiebatur, ut jam exanimis jaceret, quam tamen applicatis quamprimum infra mammas ventoſis, & ingvinibus epithemate ante dicto, propinatoque *ſyr. Granor. Chermes*, & *pulv. ſem. plantag.* in *aqua plantaginis* diſſoluto feliciter reſtitui.

Uteri hæmorrhagia.

Quod *ſemen plantaginis* omnem hæmorrhagiam ſiſtat, eſt ſecretum Sereniſſimæ domus Mantuanæ.

Secretum Sereniſſim. domus Mantuanæ in omni hæmorrhagia.

Uxor mea chariſſima pertinaci narium hæmorrhagia usque ad non exiguam virium debilitatem, vexabatur, omniumque & Medicorum, & medicamentorum conatus eludebat pertinacia mali, denique applicatis ad venas ſedales hirudinibus malum remiſit, factâ ſine dubio revulſione ab hæmorrhoidibus naſi ad hæmorrhoides ani.

Hirudines venis ſedalibus applicatæ hæmorrhagiam narium ſiſtunt.

Tibicinis cujusdam Uxor ante Portam Carynthiacam, longam uteri patiebatur hæmorrhagiam, tota erat cachectica, viriumq; omninò debilium, quæ tamen Eporiſtis nempe *pulv. rad. Galapp.* aliquoties propinato, ut ſeroſitas, & conſequenter fluiditas ſangvini demeretur, aliisque fuit percurata remediis, vivitq; ſana, & incolumis.

Radix Galappæ ad diuturnam menſium & uteri hæmorrhagiam.

Et hæc ſunt, quæ in Univerſam Medicinam conſcribere permiſere ingenii tenuitas, & vacationum anguſtiæ: æqui bonique conſule amice, Benevoleque Lector, nec à prælo ad prælium quæ ſcripſi, ſtatim tendant, quamvis me, prælumque meum mendis ſcatere non paucis refertum, corrigi non abhorream, ſi tamen benevolum meum animum, omnis oſtentationis, aut arrogantiæ neſcium (ſiquidem in toto hoc opere neminem à me læſum memini) benigno, & Chriſtiano reſpexeris oculo, nullam mihi ſuccenſendi, aut contradicendi anſam capeſſes, & plura propediem, in aphoriſ. Hipp. Commentariis, & controverſiis dilucidata conſequeris. Vale.

Epilogus totius operis.

Omnia ad majorem D E I ter Optimi Maximi gloriam, & proximi ſalutem.

MO-

Digitized by Google

MODUS
PROMOVENDI
DOCTORES,
IN
ARCHILYCÆO
VIENNENSI,

TRIBUS

APOLOGICIS DISCURSIBUS,

IN

MEDICINÆ, ET MEDICORUM
ENCOMIA EXORNATUS.

A

PRÆNOBILI, MAGNIFICO, ET EX-CELLENTISSIMO VIRO,

D. PAULO de SORBAIT,
Philoſophiæ & Med. Doctore, ejusdemque Praxeos, in Univerſitate Viennenſi, Profeſſore Primario, Sacratiſſimæ Imperatricis Eleonoræ Perſonæ Medico, nec non Inclytæ Facultatis Medicæ p. t. Decano Spectabili.



NORIBERGÆ,

Sumptibus MICHAEL. & JOHAN. FRIDERICI ENDTERORUM.

Anno M. DC. LXXII.

Primus Extemporaneus,

In Promotione Septem D. D. Med. Doctorum

Utpote

Clariſſimi Dn. Joannis Melchioris Schubert, Franconis:
Dn. Valentini Laurentii Wagner, Auſtriaci:
Dn. Conradi Kremer, Rhenani:
Dn. Laurentii Wiberti Ragatchin, Bruntrutani:
Dn. Jacobi Stumpff, Franconis.
Dn. Michaëlis Wiener, Franconis:
Dn. Georgii Loga, Sileſii: Anno 1658. 28. Martii.

II.

In Inauguratione Quatuor D.D. Doctorum

nempe

Clariſſimi Dn. Georgii Ignatii Hettmer, Sileſii:
Dn. Georgii Johannis Schönaich, Sileſii:
Dn. Georgii Götz, Franconis:
Dn. Chriſtophori Reſch, Auſtriaci: Anno 1662. 21. Martii.

III.

In Promotione D.D. Sex Doctorum,

nempe

Clariſſimi Dn. Jacobi Henrici Kielman, Moravi:
Dn. Ferdinandi Sculteti, Luſati:
Dn. Eſaiæ Plöckner, Auſtriaci:
Dn. Auguſtini Franciſci Vogel, Sileſii:
Dn. Henrici Wenceslai Poſmitii, Sileſii:
Dn. Chriſtophori Nabroth, Auſtriaci: Anno 1667. die 18. Julii.

AD BENEVOLUM LECTOREM.

AMICE LECTOR, è pulpito nuper Medicas extuli merces: ſed quorundam invidiâ dictio dicta minimè periit; ſiquidem in neſcio quos objectorum vitioſos anfractûs vox mea impegit; unde rauca quædam, & diſſona, arguta tamen, aures perculit repercuſſio. Sic vaſa intus putrida levi motu fœtidam ſpirant mephitim: ſic membrum ulceroſum, dum tangitur, dolet: ſic vapores, in terræ cavernis condenſati, levi injecto, erumpunt in tempeſtatem, lapillo. Medicinam, & Medicos, non, ut debui, ſed ut potui, tutatus ſum. Adverſarios in genere, neminem in particulari, parumper titillavi. Nihilo ſecius in hoc felis cœcutientis ludo, velatis (uti ſolet) oculis, obvii quidam, ſed planè claudicantes, capti ſunt; eosque illico vox notos fecit, quæ per totum amphitheatrum Viennenſe, usq; ad Auguſtisſima ſubſellia, percrebuit. Sed præcox excuſatio degeneravit in accuſationem. Ut itaque calumniæ in Auctores, unde profectæ ſunt, retorqueantur; hoc typo cuivis conſtare volui, quàm talia ex ore meo hallucinanti auditu excepta fuerint; utpote, cui totâ dictione neminem in particulari lædere, ſed potiùs ad meliora hortari, mens fuerit & voluntas. Suſcipe igitur, CANDIDE LECTOR, crudam hanc ſolius innocentiæ Apologiam, & nullius gloriæ aucupem dicendi ſtylum; Qui, ſi Medicis faves, multum; ſi Tuæ patrocinaris honeſtati, plurimum Tibi conciliabit emolumenti. Vale.

ORATIO I.
HABITA
IN PROMOTIONE SEPTEM DOMINORUM MEDICINÆ DOCTORUM.

QUænam hæc, in Ampliſſimo hoc, Celeberrimo, Reverendiſſimo, Illuſtriſſimo, Politiſſimo Auditorum conſeſſu Licentiatorum corona? Quæ acies? Quis inſvetus iſte apparatus? Quæ expectatio? Quod deſiderium? Quisnam ſumma hæc dignitatis ſubſellia, culmina decoris, honoris faſtigia, tranſcendere vos juſſit? Forſan tolluntur in altum, ut lapſu graviore ruant? Vana ſemper, & periculoſa, ſublimitas: vana honoris, gloriæ, laudis, famæ, cupiditas: graviſſima cuivis imminet exaltationi ruina: quin immo alta petentis in malo meminit Regius Pſaltes: *Vidi*, inquit, *impium ſuperexaltatum & elevatum, quaſi cedros Libani; & tranſivi eum, &, ecce! non erat; & quæſivi eum, & non inventus eſt locus ejus.* Arborum, ad præcipitia naſcentium, fructûs devorant vultures & corvi: cavete: cœleſtia veſtris imminent verticibus fulmina. Nam ſuâ moroſitate Saturnus, lubricitate Venus, Jupiter fulmine, Sol calore, cuſpide Mars, inconſtantiâ Mercurius, falcatis Luna cornibus minatur. Sed Phœbi fortaſſis, ſeu Apollinis, fulti patrocinio, ſeptem Pſeudo Planetas agere, aut repræſentare intenditis: vel ad Æſculapii clariſſimam familiam, titulo, neſcio quo, anhelatis? Quid? Ex Medicina mercimonium, aut nundinationem facere cogitatis? An ignoratis, omnem à Deo eſſe medelam? Perniciosiſſimos eſſe in Republica Medicos, ob quorum uſum, in majorem vitæ licentiam, & breviorem vitam, incidêre homines? An ignoratis, Reges & Principes, frequentiſſimâ Medicorum catervâ ſtipatiſſimos, breviſſimam; Ruſticos verò, omnibus Medicinæ præſidiis deſtitutos, longiſſimam producere vitam? Adſtipulantur Julius Cæſar, qui annis duntaxat quatuor; Cajus tribus; Galba ſeptem menſibus; Otto tribus; Vitellius octo, Siſinnius, Romanorum Pontifex, diebus ſolùm viginti; Bonifacius quindecim; Urbanus ſeptimus duodecim; Valentinus quatuor tantùm diebus ad medicamentoſa Reipublicæ gubernacula perdurarunt. An ignoratis, Romanos Medicinam, quæ iis ſexcentis annis incognita fuit & illibata, ante rerum luxum non admiſiſſe? Æſculapii templum, in ſummum Medicinæ contemptum, extra urbem effabricaſſe: eam mancipia duntaxat exercuiſſe? An ignoratis, mortales tunc primùm ſui curam neglexiſſe, dum ſeſe Medicis tradiderunt? Plures Medicorum copiâ, quàm inopiâ, committi errores? An ignoratis, naturam eſſe morborum medicatricem? Argonautas, & Agricolas, uſu, non ſtudiis, fieri Medicos? Conſtitutum eſſe vitæ terminum, qui præteriri non poterit? An veſtras non vellicat aures tritiſſimum illud: *Medicè vivere, miſerè vivere?* An vobis non conſtat, Ægyptios, Scythas, Luſitanos, Medicis caruiſſe? Babylonios langventes in publicum forum adduxiſſe, ut quisque, quod in eo compertum morbo teneret, gratis inculcaret?

Non

Non auditis Plinium, dicentem: *Medicos eſſe terræ filios, & ex egeſtatis carceribus, & fullonia natos, in communem hominum necem conjuraſſe?* Non horretis turpiſſimum illud viri dicterium, qui, dum apud Ægrotum quendam plures vidiſſet Medicos, de genere, cauſa, ſignis, tùm diagnoſticis, tum prognoſticis, diu multùmque in utramque partem, ambiguo Marte, diſceptantes, & minimè concordes: *Tot*, inquit, *vultures ſupra unum cadaver!* Non ignoratis denique, Medicos delinquentibus in pœnam eſſe datos? *Qui enim peccaverit in conſpectu ejus, qui fecit eum*, teſte Eccleſiaſte, *incidet in manus Medici: cui ſoli impunè occidere, ſumma eſt impunitas.* Nec mirum: Medicinæ enim pars Curativa Marti & Scorpioni; unde lites, jurgia, contentiones, altercationes, iracundiæ, phreneſes, avaritiæ, lepræ, inconſtantiæ, cæcitas, invidiæ, tabes: pars verò præſervativa Tauro & Veneri; unde continuus in luxuriæ paralyſin defluxus, ſubeſſe, ab Aſtrologis demonſtratur. Videtisne putatitiam Medicorum famam ad ultimam usque Thulen relegatam, & ad abditiſſima terræ viſcera præcipitatam? Et necdum veſtra ceſſat ambitio? At, reſpirate pauliſper, animosq; reſumite. Erravi: monſtra ſunt, quæ dicta ſunt & momorum calumniæ, ſcommata, barbaries, & commentitiæ cavillationes: hæc obtrudunt minutuli ſciendi obſoniti magiſtelli: manet tamen inconcuſſa ſaluberrimæ Medicinæ, origine cœleſtis, mundo coævæ, manet, inquam, inconcuſſa ſublimitas:

Utq; viret laurus ſemper, nec fronde ca[illegible] duca
carpitur; æternum ſic habet illa de[illegible] cus.

Hiſce compendioſiſſimè occurrit Eccleſiaſtices, *cap. 38.* *Da*, inquit, *ſuavitatem ſimul, & memoriam, egenis, & impingua oblationem, & da locum Medico: creavit enim illum Deus; nec recedat à te; nam opera ejus tibi ſunt neceſſaria*: hinc à Deo, & natura, per Medicum, eſt Medela: & quis delirus Medicus ſibi inferet manus, hâc vel ſimili curâ:

Si vis ſanari de morbo, neſcio quali,
Accipias herbam, ſed qualem neſcio, vel quam,
Ponas neſcio quò, & curabere, neſcio quando?

Inſanus neget, Reges & Principes longiſſimam annorum ſeriem numeraſſe: cùm Regius ille Propheta, David, annis quadraginta ſceptrum geſtarit; Oſias, item Aſa, quadraginta & uno; Ezechias triginta & uno; Auguſtus Imperator, ſed abſque exemplo, octoginta ſex; Aurelius Verus quinquaginta; Carolus Quintus triginta octo; Rudolphus triginta quinque; Ferdinandus Tertius, feliciſſimæ & recentiſſimæ memoriæ, annis viginti duobus, ſacrum imperii diadema geſſerit, & diutius, per ſummos urbis & orbis Medicos, geſſiſſet, niſi vetus eſſet tragœdia, in qua Deus eſt choragus, hiſtrio homo, argumentum calamitas, chorus viri & fœminæ, apparatus purpura, aurum, veſtes, omnia mutuata, omnia reddenda, Theatrum mundus, in quo hominem natura collocavit, alium alio citiùs calamitoſiſſimæ huic ſcenæ ſubducendum; ita, ut ſempiterna ſit à DEO lex: Naſci, Denaſci, Oriri, Aboriri, &, pro obolo mortis, bolo ſuffocari, evocari, intoxicari, necari. Quòd accuratiſſimo Medicinæ regimine ſummus ille Medicorum coryphæus, Hippoc. centum ſexaginta novem annis mortem deluſerit, Galenus Pergamenus centum quadraginta, teſtantur Annales: & adhuc vitam non producet Medicina? Romanos Medicinâ ſexcentis annis caruiſſe, non inficior; idem tamen & de Theologia, & Philoſophia intelligas, velim. Barbari enim fuerunt; Æſculapii templum ſummis in deliciis habuerunt; ideo hortenſes inter voluptates eſſe voluerunt. Mancipia Medicinam quidem exercuerunt, ſed veterinariam, equis tantùm, & aſinis ſalutiferam. Vitæ terminum, indefectibili determinatione præfixum, transgredi non poſſumus; accelerare tamẽ valemus. Hinc duplex eſt vitæ terminus: præfixus unus; acceleratus, & quaſi ſceleratus, alter. *Medicè vivere, optimè vivere*; quod ex genuina, & fideli Græci textûs interpretatione conſtat. Hinc Epicuri de grege porci ſunt, & gulæ mancipia, quicunq; ſaluberrimas Medicinæ leges aſpernantur iniquè, contemnunt imprudenter, periculosè negli-

 gunt.

gunt, ad turpes & fœdos morum nævos ſeſe devolvunt. Sicuti nemo, decidente id SS. Eccleſiâ, ita nec Medici ab aſtris neceſſitantur: Pſeudo Medicos verò, & Ciniflones Chymicos, terræ filios, ex egeſtatis carceribus, ex fullonîâ, immo carnificinâ natos; ſanguinis humani ſitibundas hirudines, perniciosiſſimas Reipublicæ peſtes eſſe, cum Plinio, apertiſſimè confirmo & declaro; quorum ſermo prodit, Medicina intoxicat; pietas damnat, ſinceritas decipit, affectus incantat, fidelitas inſidiatur, benevolentia necat, honeſtas ſimulat: Medicos verò Rationales cœleſtis & divinæ mentis participes eſſe, teſtatur, ex antiquitate, Strabo, qui Ægyptios Mercurio, Græcos Apollini, Romanos Æſculapio, Medicinæ originem adſcripſiſſe, & in Deorum numerum retuliſſe, confirmat. Videtis nunc, ut Medicinæ ſumma Numina excelſa inter ſidera collocentur?

Medicinæ Autores: Adam. Primus, ſecundum nos, Medicinæ Author fuit Protoparens noſter, *Adam*; qui ſua plantis nomina impoſuit, & barras herbæ, in expellendis dœmonibus; dictamni, in extrahendis telis; lunariæ, in reſerandis & confringendis repagulis; hypericonis, in fugandis præſtigiis; herbæ Draconis, in reſuſcitandis mortuis; origani, in delendis ſerpentibus, vires & energias invenit. Ideoque Medicus. *Joſeph.* Medicus fuit *Joſeph*; qui genitoris ſui corpus diutiſſimè ſervavit incorruptum. Medicus fuit ſummus ille Patriarcha, *Moyſ.* *Moyſes*; qui nobile illud reperit lignum, quo dulcificarentur aquæ, & manna aureo vaſe in Arca fœderis repoſuit. *Eſaias.* Medicus fuit *Eſaias*; qui ulcera Regis ficu mundavit. Medicus *Eliſeus.* fuit *Eliſeus*; qui ſuum in Hierico colocynthidi invenit contrarium. Medi- *Salomon.* cus fuit ſapientiſſimus *Salomon*; qui plantarũ vires penitiſſimè repeſſulavit; *S. Paulus.* Medicus fuit magnus ille Doctor gentium; qui Timotheo victum præſcripſit. *Angelus Raphael.* Medicus fuit Angelus *Raphael*; qui de Seraphim miſſus eſt, ut polluta *S. Lucas.* Prophetæ labia mundaret. Medicus fuit *S. Lucas*; uti patet *Rom. 14.* Medici fuerunt *Cæſareus*, *Joannes Damaſcenus*, *Antonius Aquilanus*, *Dionyſius*, *Juvenalis*, *Samſon*, *Theodatus*, *Æmilius*, *Rochus*, *Philippus Penitius*, *Reginaldus Pandaleon*, *Urſinus*, SS. *Coſmas & Damianus*, & infiniti alii. Medici fuerunt Reges innumeri, qui Medicinæ addiſcendæ ſtudio, & gloriæ inde captandæ avidi, ſua plantis nomina impoſuerunt: unde *Gentiana* à *Gentio*, Illyricorum; *Mithridatia* à *Mithridate*, Ponti Rege; *Achilleia* ab *Achille*; *Lyſimachia* à *Lyſimacho*, Macedonum; *Centaureum* à *Centauro*, ſuas traxêre nomenclaturas: atque ita ſtirpium altis, & immortalibus radicibus gloriam ſuam, etiam renaſcentibus earum pullulantibusque ſurculis, & ſtolonibus, redivivam propagaverunt: verbo: Boni quicunque vel Medici hactenus fuêre, vel ſummi Medicorum Patroni. Sed totum orationis meæ curſum abrumpo, crudique hujusce mei, & extemporalis ſermonis cardinem in vos devolvo, Nobiles, Excellentes, & Doctiſſimi D. D. Neo-Licentiati. Video enim, vos ad veſtris debita laboribus inſignia anhelare, adeoque in Academicas prurire cupedias, ut veſtri natent in ſaliva dentes. Veſtris annuam votis; ſi priùs Antiquiſſimæ hujus, & Celeberrimæ Univerſitatis decreto ſatisfeceritis. Prælege, Pedelle.

Hic juramentum prælegitur.

Quod igitur felix, fauſtum, fortunatumque ſit, Ego PAULUS de SORBAIT, Philoſophiæ & Medicinæ Doctor, ejusdemque Theoriæ Profeſſor Primarius, Sacratiſſimæ Ingentis Imperatricis ELEONORÆ Medicus Aulicus, Vos Nobiles, Excellentes, & Doctiſſimos Dominos Saluberrimæ Medicinæ Baccalaureos & Licentiatos formatos, & Te imprimis &c. Vos, inquam, omnes, & ſingulos, Authoritate Pontificia & Cæſareâ Saluberrimæ Medicinæ Doctores creo, facio, promoveo, creatos, factos, & promotos, in hoc Ampliſſimo conſeſſu publicè pronuncio ac declaro, dans vobis Licentiam, Doctoralem cathedram aſcendendi, in ea profitendi, de Medicina diſputandi, omnibus juribus & immunitatibus, privilegiis & prærogativis, gaudendi, utendi, fruendi, quibus

Celeber-

Celeberrima hæc noſtra, & Antiquiſſima Univerſitas, nec non omnis alia, in toto terrarum orbe, gaudet, fruitur, utitur: id quod cedat ad majorem SSmæ Triados honorem, & Reipublicæ Chriſtianæ emolumentum: in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Amen.

Surgite nunc, Clariſſimi Neo-Doctores, & congrua vobis inſignia capeſſite.

Pallium. Accipite *Pallium*, quaſi Palladium, Minervæ templum, ſolis genuinum Muſis domicilium. Purpura hæc quaſi bis puratos decet, ut ſcilicet & corpore ſitis, & animo, puri: Medicorum errores terrâ, non pallio, tegi, antiquum eſt, ſed falſiſſimum diverbium. Rubicundus cœli color ventos portendit: Cavete animi ventos, & ſuperbam inflationem, ne inaudire quandoque cogamini: *Medice, cura te ipſum.* Juſtus Jonas, Juriſconſultus, cùm ob graviſſima læſæ Majeſtatis facinora ad ſupplicium duceretur, in hosce verſiculos erupit:

Quid juvat, innumeros ſcire, atq; evolvere caſus:
Si facienda fugis, ſi fugienda facis?

Birretum ſeu Pileum. Libertatis prototypon eſſe *Pileum*, teſtatur Livius; hinc ſervos olim ad Pileum, id eſt, ad libertatem, vocatos fuiſſe, teſtatur Antiquitas. Animo itaq; veſtro libertatem aſſerat Pileus iſte; ſapientiæ verò captivitatem. Hinc tegite capita veſtra, ne ſapientia evaporet, vel gravioribus cœli injuriis impetantur ſacræ Palladis arces: ejus tamen, ab intellectûs ſublimitate profectam, cavete fixationem: aliàs non ſapientiam tantùm, ſed ſtultitiam quoque captivabit.

Catena aurea. Concatenati eſtote, ne, abeuntibus vobis in varias ſententias, abeant Ægroti in varios tumulos. *Aurea* vos decet *catena*: dat enim Galenus opes, &c. Aurum, dum capitur ab hominibus, homines captivos reddit; hinc captivum toti dominatur Orbi. Aurum defoſſum creſcere, eſt Ariſtotelis ſententia: aurum defodite, non homines: & ſic, veluti Romanis ferrum parturiebat aurum; ſic nobis Medicina.

Annulus. Legimus apud Platonem, Gygi, Lydorum Regi, *annulum* fuiſſe ſtupendæ virtutis; cujus ſigillum poſtquam in palmam convertiſſet, omnes videbat; à nemine videbatur: Reginæ turpem violentiam, Regi necem intulit; & regium illius vertici diadema impoſuit.

Liber clauſus. Accipite *Librum clauſum*, theſaurum nempe reconditum; in quo mortuorum vivunt animæ: verſari enim cum libris, eſt verſari cum mortuis: & libros Plebejis argenti, Nobilibus auri, Principibus gemmarum loco eſſe debere, præcipit Æneas Sylvius.

Apertus. Et cùm moderatâ lectione ſaginandus ſit animus, frequentiſſimè *aperiendi* ſunt libri. Scientiâ enim egere, egeſtas eſt peſſima: & vita ſine literis mors eſt, & vivum hominis ſepulchrum. Alphonſus Parthenopæus, Rex, cùm audiviſſet, quendam Caſtiliæ Regem aſſeruiſſe, parum decere Principes, eſſe literatos; Vox, inquit, bovis eſt, non hominis: ego & arma, & armorum jura, ex libris didici.

Amplexus. *Salvete*, Neo-Doctores, ſeu novi Sanitatis Conſulti, chara animæ meæ pignora. Quàm lubens vos, ex longa & procelloſiſſimis expoſitâ tempeſtatibus itineratione reduces, intueor! Quàm vobis patrii gaudent ſinûs, qui in communem patriæ conjuraſtis incolumitatem!

Sedere jus honor. *Sedete* nunc: honoris argumentum, *ſedes*, eſt vobis condecens. Nam, teſte Homero: unus homo Medicus cunctis æquandus honore eſt. Sedete, inquam: Nam à ſenticeto ad roſetum; à curſu ad metam; à metu ad ſecuritatem; à labore ad requiem, jure meritiſſimo deveniſtis: quieſcite, & reficimini. Nam: quod caret alternâ requie, durabile non eſt. Quieſcite, inquam, donec crepera languentium multitudo nocturnas vobis rumpet moras.

Concluſio inſignium. Gloriabatur Auguſtus Cæſar, quòd è Romà lateritiâ fecerit marmoream. Glorior & ego, & potiori jure tripudio, ſupra ſtupendam hanc veſtram metamorphoſin, quâ in *ſeptem Imperii Medici Electores* evaſiſtis.

Verùm diuturna quies periculo non vacat. Aquæ enim ſtagnantes immotæ putreſcunt. Age igitur, Nobilis & Excellentiſſime Domine Neo-Doctor, *Conrade Kremer*, quamvis tacitâ commendatione Tuam dudum ſingularem eruditionis prærogativam ſuſpexerim: tamen, quia ſcire tuum nihil eſt, niſi, te ſcire hoc, ſciat alter, aliquod doctrinæ ſpecimen evulga; hancque diſcutiendam aſſume ſententiam: *Utrum ars ſit melior Galenica, an Paracelſica.* Tu interea, Laurenti Ragatſchin, optimè conditis, & opiparas gratiarum epulas AA. appara, ut ſaturatus quivis proprias diſcedat ad ædes.

F I N I S.

O. A. M. D. T. O. M. G.

ORATIO II HABITA IN PROMOTIONE QUATUOR DOMINORUM MEDICINÆ DOCTORUM.

NOn hîc fortunam Priami, nec aureas Gangis arenas, nec Thyri murices, nec Erythræi maris venamur apparatûs, Magnifice Domine Rector, Reverendiſſime, Illuſtriſſime, Ampliſſimèque Conſeſſus, Senatus Academice. Non, inquam, Amorem, cum Phœdo; Aniſum, cum Pythagora; Aves, cum Ariſtophane; cum Catone, Braſſicam; Capillitium, cum Syneſio; Calvitium, cum Apulejo; Cæcitatem, cum Quintiliano; Culicem, cum Virgilio; Equeſtre Gymnaſium, cum Plinio; Furorem, cum Platone; Grillum, cum Plutarcho; Muſicam, cum Luciano; Nucem, cum Ovidio; Ranas, cum Homero; Satyram, cum Lipſio; Senectutem, cum Cicerone; nec Stultitiam tractamus, cum Eraſmo; ſed de hominis vitâ, Mundi gemma pretioſiſſimâ, per Medicinam, Artium omnium Coryphæam, diutiſſimè protrahendâ, nobis eſt negotium. Omnis quidem alia ars ad naturam propè, ſed Medicina proximè accedit. Si enim natura ordinavit gyrantes ſphæras, Solem ſplendentem, falcatam Lunam, ſcintillantes ſtellulas; cœlos, ſoles, lunas, & ſtellas elaboravit configuratio idearum, & nuntia voluntatis, Ars. Si natura ſagax è pampinoſis vitibus ſapidos produxit birillos; ars etiam hiſce curioſas decepit aviculas; arte propugnantur urbes, ſubiguntur adverſarii, perſvadentur Auditores, corriguntur ſontes, gubernantur populi, fundantur Reſpublicæ, domantur feræ, conciliatur amor: ſine arte mundus eſt nudus ferarum nidus, & ferum animalium domicilium: Arte laudantur Virtuoſi, jactatur Manſvetudo, detegitur Liberalitas, vincuntur invincibiles, captivantur judices, lumina ſine igne accenduntur, juventutem mentitur ſenectus, aſtra ſpectantur in meridie, ſulcantur maria, velantur maleficia. Quin & ſurgere facit ars vapores & fumos, quibus cœlum obducitur, glomerentur nubes, pluviæ crebreſcant, ruant imbres, grando crepitet, reboent tonitrua, fulmina coruſcent, miſcent fulgura, ferociant tempeſtates. Mira quidem ſunt hæc, ſed levia: Artium Regina, Medicina, motrix eſt im-

peratrix abſolutiſſima, eam è corporeâ eliminat compage, & ad numeroſam annorum ſeriem vitam producit feliciſſimam. Et, ſicuti mel reficit, quia dulce; medetur, quia ſalubre: ita Medicina reficit, delectat, medetur. Reficit, per diætam: delectat, per rerum ſuarum varietatem; medetur, auxiliis. At unum mihi vellicat aures: prima, quæ vitam dedit, aura carpſit; & ſumma vitæ felicitas in momento cecidit: Æmilius excuſſo pollice animam efflavit; Anacreon uvæ paſſæ acilis, in faucibus, ætate grandævâ ficcis, hærentibus ſuffocatus eſt; Aponius ex ovo ſorbili; Auffidius offenſo pede; Clio per gaudium, exſpiravit: ô læta mors! Durius Valla ex mulſi potione: ô dulciſſima mors! Pudore cecidit Diodorus: ô caſta mors! Homerus ex dolore non ſolutæ quæſtionis: ô ſuperba mors! Philemon à riſu: ô lepida mors! Socrates accepto tragicæ hiſtoriæ nuncio: ô ſtulta mors! At difficultas hæc levi velatur cortice, cuivis perforatu non difficili. Sat ſenex eſt, qui pervenit ad ultimum ſui fati: Inſanus neget, hominem eſſe imbecillitatis exemplum, temporis ſpolium, fortunæ luſum, inconſtantiæ imaginem, calamitatis & invidiæ trutinam; de reliquo, bilem & pituitam: Qui, dum naſcitur, plorat, & vitam à lachrimis auſpicatur, ut, eam lachrymoſam fore, pronuntiet. Nihilominus, licet infinitus rerum plaſtes, DEUS, vitæ hominis terminum poſuerit centum viginti annorum, *Geneſis 6.* cum tamen ope Medicâ exceſſiſſe non paucos, teſtatur Antiquitas. Diodorus refert, homines Traprobani, Medicinæ beneficio, centum quinquaginta annis vixiſſe: Plinius, in Ætoliâ, alios centum quinquaginta, alios centum triginta annis lucis hujus uſurâ fuiſſe gaviſos, affirmat: quin & non ita pridem homo quidam, in India, trecentorum annorum repertus eſt: totidem fuit Caroli Magni Armiger: S. Severus (vide Martyrologium Leodienſe) cùm, per accuratè ſervatas Medicinæ regulas, annum ætatis ducenteſimum quadrageſimum ſeptimum ageret; factus eſt Epiſcopus Tungrenſis, ſedituque ſeptuaginta ſex annis, atque adeò anno ætatis trecenteſimo quadrageſimo tertio animam, fidelem illum inquilinum, ex labyrinthæis iſtis corporis rugis exhalavit: Adſum oculatus teſtis, quòd interroganti mihi Arnemienſis, in Batavia, Medicus, quânam vitæ Methodo annum ætatis centeſimum vigeſimum quartum ageret incolumem, reſpondit hâc unicâ Medicinæ Regulâ: *Iraſci crede prophanum:* ſeſe proinde nunquam vel diſcordiam, vel ejus pediſſequam, iram, cœli, mundi, hominiſque turbatricem, toto vitæ ſuæ tempore admiſiſſe. Nec prophylaxin duntaxat, ſed & feliciſſimam exercet Therapiam, ars Thaumaturga. Telluris inutile pondus, & Epicuri de grege porcus, Heracleotarum Tyrannus, tantæ molis erat, tamque pingvis, ut non, niſi acicùlis punctus, à ſomno excitari poſſet: hic exciſis, ſine dolore, ducentis, è portentoſo corpore, ſaginæ libris, & ſanitati & maciei reſtitutus eſt. Sanctius, Hiſpaniarum Rex, à ſaginæ mole Craſſus cognominatus, ſolo aceti ſcillitici uſu periculoſiſſimam ſuffocationis charybdin enavigavit; Paulus Molinus ſolo imbris fulminantis balneo à deſperata contractura liberatus fuit. Spicius à podagra, unicâ nidi hirudinis applicatione, immunis evaſit. Religioſus quidam, plurimis notiſſimus, ſolâ Reguli avis ſumptione ingentem è veſica calculum fruſtratim excluſit. Scribit Matthias Cornax, Anno ſalutis 1522. Bibliopolam Viennenſem, conſumptâ & putrefactâ cordis mediate, per Medicos à fatis diu fuiſſe vindicatum. Cœlius Rhodiginus, & Martinus Delrio, aſſerunt, Homerum herbâ cynocephalæâ; ſeu oſiride Arabum, à morte ipſa ad vitam fuiſſe revocatum. Ut infinita paucis complectar, ea eſt *Artis ſaluberrimæ dignitas*, ea perfectio & ſublimitas, ut, quicquid infirmitatum miſerrimam corporis noſtri turbat œconomiam, Medicis cedat auxiliis. Nec mirum: nullibi enim major eſt naturæ luxuries, nullâ in re pariter, ac in Medicinæ opibus, eſt ambitioſa; plurimæ ad voluptatem, ſingulæ ad ſalutem: in fæce rerum, & carie, in rebus obſoletis, latent res præſtantiſſimæ: in apiculâ quàm variè laboravit Natura! Quantas in

Medicinæ dignitas.

tas in

tas in eâ Medico largitur opes? Mella nempe dulciſſima, & naturæ familiariſſima, ceram, univerſale Divorum linimentum, propolim, ſandaracham, meryn, favos, quicquid denique dives illa alveorum continet Reſpublica. Sic non lateribus, ſed firmamento, tegitur Schola Medica. Ad amœniſſima hæc naturæ viridaria, ad Pœonios hosce campos, noſtra rotatur quadriga: ſed ubi mel, ibi fel: ubi uber, ibi tuber; ubi roſa, ibi ſpina: ubi voluptas, ibi dolor. Hæc adamantino, à Jove, vinculo colligata eſſe, non ineptè finxit Antiquitas. Multis opitulatur galea in capite, lorica in pectore, anchora in æquore: multi tamen galeâ tecti perimuntur, loricâ muniti trajiciuntur, anchorâ inſtructi ſubmerguntur. Hinc nulla reperitur galea, nullis ſecanda vulneribus, lorica nullo penetrabilis telo, anchora nulli obnoxia naufragio. Gloria crocodylus eſt, quærentes fugit, fugientes quærit; & ſæpius Auſter imbricus largiſſimas arvo ſitienti minatur pluvias, & nubes pumicis induunt ariditatem. Sic *nulli fortuna minùs bene, quàm optima, creditur*: & quos natura ditat, hos fortuna perſequitur: quos autem alit virtus, hos adorat fortuna, & ad ſuprema celſitudinis elevat faſtigia. Fortunatiſſimus eſt ſui poſſeſſor, qui craſtinum ſine ſollicitudine exſpectat: felix eſt, ſed non beatus, quem talem dicit vulgus, ad quem magna divitiarum confluxit opulentia: ſed verè beatus eſt ille, *cui omne bonum in animo erectum & excelſum eſt*. Mirabilia calcantem, qui neminem vidit, cum cujus fortuna ſuam velit eſſe commutatam: qui hominis eam ſolam partem æſtimat, quâ homo eſt: qui naturâ magiſtrâ utitur, ejuſque ad leges componitur: quem aliqua vis movet, nulla turbat: quem, cùm in eum ſuum contorſit fortuna telum, pungit, non vulnerat: premit, minimè ſupprimit: ita, *quiquis ad naturam vivet, nunquam erit pauper: qui ad opinionem, nunquam dives. Natura* enim *exiguum deſiderat; opinio immenſum.* Scientiam verò qui poſſidet, omnia poſſidet. Aurum, inquit Salomon, *Proverb. cap. 2.* multitudo gemmarum, & vas pretioſum, labia ſcientiæ: morali tamen interpretatione. Sic jucundum eſt humanum eſſe, abſque levitate; ridere, ſine cachinno; relaxare animum, abſque diſſolutione; conſtantem eſſe, ſine pertinacia: gravem, ſine ſuperbiâ; prudentem, ſine aſtu; ſimplicem, ſine ſtupiditate; loquacem, ſine garrulitate: decurias verborum, ad ſalutem proximi, non centurias fabularum proferre, ſcientis & prudentis eſt Medici: qui ita dicit, ut doceat; ita ſvadet, ut flectat; ita allicit, ut moveat; ita blanditur, ut honeſtè captivet; ita ordinat, ut corpus, non crumenam, evacuet. Annos verò Mathuſalem Ægrotis polliceri, divitias Salamonis jactare, auctoritatem Moyſis prætendere, Aronis reſpectum, eminentiam Davidis, & conſtantiam Noë mentiri, fertilitatem Saræ, Abrahæ, & Jacob, ſterilibus polliceri, genus à Jove, à Venere decorem, eloquentiam à Mercurio, ab Apolline Medicinam, & omnia naturæ ſecreta penitus exhauſta venditare, dente canino, & viperinâ omnes linguâ lacerare, omnes lactucas aſininis labris deguſtare, vaſorum eſt inanium, quæ maximè tinniunt. Primus ſtultitiæ gradus eſt, ſeſe ſapientem credere: ſecundus, profiteri. Et utinam tot eſſent ſapientes, quot ſapientiæ Profeſſores, Hinc:

Tot ſunt Auctores, quot verò tempore flores:
Inde tot errores, quot habet natura colores.

Judicat nimirum ſæpius, de colorum interludentium varietate, cœcus; de æquo & bono, proditor; de caſtitate, ſcortum; de clementia, Nero; de conſiliis, tenebrio; de gravitate, ſcurra; de integritate, latro; de legibus optimis, Tyrannus; de lingvæ moderatione, levis; de lumine myſtico, prophanus; de modeſtiâ, Thraſo; de probitate, Ganeo; de pudore, Galba; de rectis rationibus, Sophiſta; de religione, Lucianus; de ſapientiæ laude, Saperda; de ſimplicitate, verſipellis; de ſobrietate, gaſtrimargus; de ſymphoniaco tenore, ſurdus; de virtute, ſceleſtus. Non ſic, mea Quadriga, non ſic *exploras pertica pulſûs*: nec in aure colica; in digito ſurdities, in talo cæcitas, quærenda eſt:

Nec

> *Nec tales tribali noſtris generantur in*
> *hortis.*

Si enim quatuor Neo-Licentiatorum univerſalem, in rebus Medicis, ſcientiam ſpecto, eos quatuor Medicinæ Elementa jure nuncupo: ſi pietatem, quatuor animalia Sanctitatis, & quatuor Evangeliſtas: ſi maturitatem, quatuor ætates, & quatuor anni tempora: ſi Spiritum generoſum, quatuor, ex quatuor orbis cardinibus flantes, ventos: ſi mores ingenuos, quatuor humores, quatuor qualitates temperatiſſimas, & quatuor virtutes cardinales: ſi unionem, quatuor mixtorum genera: ſi felicitatem, quatuor ſignorum cœleſtium, optimè diſpoſitorum, triplicitates: ſi futuram, in curandis Ægrotis, induſtriam, quatuor Angelos præſidentes quatuor cœli cardinibus: ſi ſoliditatem, rerum tam artificialium, quàm divinarum, fundamenta quadrata: ſi dignitatem, quatuor, in ſcala naturæ, gradus: Eſſe, Vivere, Sentire, Intelligere. Eſtote itaque Medici per Eſſentiam, id eſt, Rationales, non Empirici latrones: & licet vita ſit brevis, & incerta brevitas; vivite tamen diu, & aliis producite vitam. Eſtote in ſenſu ſagaces, inquirendo, quæ neſcitis, abſque curioſitate; dicendo, quæ ſcitis, abſque ſtultitia; credendo, quæ auditis, abſque levitate; dando, quæ habetis, abſque prodigalitate; judicando, quæ auditis, abſque temeritate: hos ſapientiæ nervos & artûs tenete. Quartus, in ſcala naturæ, gràdus eſt intelligere: intelligite itaque, & ſapite. At, altè ſapere, & nimium ſapere, pluſimorum eſt lerna malorum: ex hac perverſæ voluntatis ſemente meſſis illa hodie perverſarum opinionum ſurgit, uberique ſpicâ ſeſe per omnium ſcientiarum agros diffundit; ſic, ut, unde collegimus purum putum Antiquitatis fructum, non cogamur quisquilias, & novitatis paleas, corradere. Veteres, araneam Palladi inviſam eſſe, non ineptè finxerunt; cujus ſubtile foret opus, & fragiles telæ; ita ſubtilia nimis ingenia rarò ſunt durabilia; & magni errores non, niſi ex magnis, prodierunt ingeniis. Intelligite itaque, ut in omnibus medium teneatis, ut hinc invidiâ, inde ſordibus, careatis: ſapite, ut ſitis in virtute Delphini; in vitio callipedes: intelligite, quidquid ſalubre eſt: ſapite, quidquid ad ſalutarem & longam, à qua orſi ſumus, facit vitam.

VErùm dentes omnium in ſaliva natare, & Laureatas cupedias prurire, animadverto: inhiantem hanc veſtram gulam opportunâ promulcide demulcebo; veſtris annuam votis, & Doctorales capitibus veſtris imponam Corollas; ſi priùs Antiquiſſimæ hujus Univerſitatis conſvetudini morem geſſeritis. Prælege, Pedelle: &c.

EGo PAULUS de SORBAIT, Philoſophiæ & Medicinæ Doctor, Theoriæ Medicæ Profeſſor Primarius, nec non Sacratiſſimæ Imperatricis Perſonæ Medicus. Vos Nobiles, Excellentes, & Doctiſſimos Dominos AA. LL. & Philoſophiæ Magiſtros, Saluberrimæ Medicinæ Baccalaureos & Licentiatos formatos, & Te imprimis: &c. Vos, inquam, omnes & ſingulos, Auctoritate Pontificiâ & Cæſareâ, Saluberrimæ Medicinæ Doctores creo, facio, promoveo; creatos, factos, promotosque in hoc Ampliſſimo Conſeſſu publicè pronuncio & declaro; dans vobis Licentiam Doctoralem, cathedram aſcendendi, de Medicina diſputandi, omnibus juribus, immunitatibus & prærogativis, gaudendi, utendi, fruendi, quibus Antiquiſſima hæc, & Celeberrima Univerſitas, ſimul & omnis alia quæcunque in toto terrarum orbe; gaudet, utitur, fruitur: id, quod cedat ad majorem SSmæ Triados honorem, Reipublicæ Chriſtianæ emolumentum, & animarum veſtrarum ſalutem:

In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti: Amen.

SUrgite nunc, Clariſſimi Neo-Doctores, & condigna vobis inſignia capeſſite.

> *Turpe pecus mutilum; turpis, ſine gramine, campus;*
> *Et ſine fronde frutex; & ſine crine caput.*

Hâc *fronde* ſcapulas tegite, quia veris initium adeſt: Amygdalus ſtulta dicitur, quòd ante omnes floreat arbores: *quod* nempe *citò fit*, *citò perit*: ut hanc vitetis notam, lauri erunt frondes; Palli.

des; tum quia in Quadrageſima; tum quia perennes: frondes & gramina mento ætas apponet: bonum eſt, quòd non verificetur hoc de Vobis: *Medicus imberbis, politus in verbis, indoctus in herbis.* Inſigni caſtitatis prærogativâ, laudabilis & generoſus quidam Hungarus, cùm, ſubſtrato ſibi *pallio*, clyſterem refractariè admiſiſſet, ſeſe virginitatis jacturam paſſum ratus, in criminis deteſtationem, & pallium, & ſtragulas, Medico donavit.

Pileum. *Pileus*, quaſi pilæ, ſeu capitis, jus, teſte Livio, olim fuit honoris & libertatis ſymbolum. Calviniſtæ in Batavia, ad menſam orantes, faciei, & oculis, pileum obducunt; vel quia impii oderunt lucem; vel ut carnificinum illum ferri candentis, Calvini genis & dorſo, Novioduni, in Piccardia, ob Sodomiam, impreſſum abſcondant characterem. Altas tantùm fulmina turres feriunt: ab his illæſum fore Te, exiſtimo, quia magnus quidem doctrinâ es, ſed parvus corpore: *parvo etiam gaudet ſapientia nido.* Tu cucurbita hac capella (deſtillatorium puto) ex quâ, luto Sapientiæ lutatâ, fragrantiſſima virtutum exſtillet Ambroſia; cucurbitâ hortenſi, humi ſerpente, abjectionis hieroglyphico velut fungo defungaris.

Catena aurea. Hac compage ligamini. Nimia enim ſæpe nocet libertas. *Aurea* vos decet *catena*: dat enim Galenus opes. Aurum ab hominibus adorari, mirum non eſt; eſt enim omnipotens: Aurum, dum capitur ab hominibus, homines captivos reddit: capite; ſed non capiamini. Eſt enim aurea libertas: avaritia autem eſt idolorum ſervitus: *Epheſ. 5.* Chryſopæus, ſeu fraudulentus quidam Alchimicus, libellum quendam Leoni X. Pontifici Maximo, de auro, ex quavis etiam materiâ viliſſimâ conficiendo, non ſine inſigni eruditionis fucò, dedicaverat, aureum munus, pro aureo munuſculò, expectans. At Sanctiſſimus Pater loculos ipſi amplos, & acu artificioſè pictos, ſed vacuos, præſentari juſſit, ut, quod conficeret, aurum imponeret. Sic, ut plerunque fit, tota Ciniflònis Alchimici ſpes abiit in fumum.

Annulus. *Annulum* accipite; non anum: nam poſt factum pœnitet actum: manum extendite, non ad munera, ſed ad onera. Non enim mercenario ſtipendio gaudent Medici; ſed honeſtâ & liberali literarum mercede: apud quos potior eſt Reipublicæ ſalus, quàm negotioſi quæſtûs diligentia. Quod dexterâ Vobis datur, ne ſiniſtrâ rependatis. Abominabile enim eſt, quòd filius parentis, diſcipulus Magiſtri, non rarò petit interitum; ut nempe illius prædiis, hujus ſuccedat honori. Annulus apud Romanos ſolis Legatis dabatur: & vos eſtote, apud Ægrotos, Legati, conſtantem inter eos, & ipſorum morbos, pacem ſtabiliturì.

Binos Creatoris *libros* eſſe, mundum, & hominem, quibus, velut tabellis, digito & calamo, ſuam nobis ſapientiam deſcripſit, teſtatur D. Irenæus: utrumque, *apertum*, & *clauſum*, accipite: mundum apertum: *artem quævis alit terra*: clauſum; ne vos immunda mundi immundos reddat immunditiès: Hominem apertum, anatomico ſcilicet artificio ſpeculandum: clauſum, id eſt, illæſum; ut ſciatis, cum corio humano non temerè ludendum eſſe. *Liber Clauſus & Apertus.*

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Infelix verò Medicus, qui per aliorum ſtrages, & funera, ſuam conſequitur artem. Divus Hieronymus 600 libros, quos ſcripſit Origenes, ſeſe legiſſe, affirmat. Gal. 400 de re Medica: 240. de aliis diſciplinis, exaravit libros: illos

Nocturnâ verſate manu, verſate diurnâ:
præmia nam veſtro digna labore dabunt.

nec tranſeat dies ſine lineâ. Et ſic ſcintilla in flammam, ſurculus in ſylvam, gutta excreſcet in mare.

Salvete, Amandiſſimi Neo-Doctores, recipite *Oſculum* amoris, non ab adulterio ſuſpectum, & pœnâ legis Juliæ plectendum, ſed honeſtum & pudicum, quo vos ſponſa veſtra, Medicina, humaniſſimè ſalutat, & in cives, Æſculapii filios, Hippocratis agnatos, Galeni nepotes, & morborum Imperatores, benigniſſimè recipit. *Amplexus.*

Jam dicere poteſtis, cum Pſalmiſta, 54. Quis mihi dabit pennas, ſicut columbæ, ut volem, & requieſcam? Columba, animal ſemper gemens, ſicuti *Sedere jubentur.*

Pati-

Patiens: ad gementes eundum eſt, ut eorum pennis induamini, & requieſcatis: deplumare poteſtis, non jugulare. Nam plumæ quidem recreſcunt, non vita: ut hiſce plumis concitatiori volatu impoſterum voletis, *reſpirate* pauliſper, feſsáque membra *quieti* reponite. Nam,

quod caret alternâ requie, durabile non eſt.

Abſolutâ, non immeritò gaudet, Architectus fabricâ; confecto itinere, Viator; obtentâ, belli Dux, victoriâ. Gaudete & Vos: abſoluta eſt fabrica: ædificavit namque in vobis ſapientia domum: iter confectum eſt, quod, à pueritiæ ignorantia; ad ſcientiæ virilitatem, indefeſſo pede, emenſi eſtis. Denique obtenta eſt victoria; poſtquam venenatiſſimas invidiæ & difficultatum machinas, fortes athletæ, deviciſtis.

Cùm ergo tot perplexos hactenus nodos gladio Delphico ſecaveritis, age, ſingulari eruditione conſpicue Georgi Ignati Hettmer, homines ex ſermone, aves ex plumis, ollas ex ſono, judicat Plato: *loquere, ut te videam*, ait Socrates; cur non, ut audiam? Nempe: *lingua facit interna videre.* Cùm potus non frangat jejunium, ſicca mihi loqueris: madefac labia; ediſſere: *Utrum vinum lymphatum, ſeu aquâ mixtum, magis ſanitati conferat: an merum, cum lixis & calonibus, ſit hauriendum.* Tu interea, Nobilis, & Doctiſſime Domine Georgi Schönaich, Leoninam indue, &, ſi quæ monſtra pepererit, ea ſtrenuè perdoma, & multitudine argumentorum, velut grandinibus, obrue: Reliqui gratioſiſſimas gratiſſimis Auditoribus apparent gratiarum actiones. *Impoſitio quæſtionis.*

F I N I S.

O. A. M. D. T. O. M. G.

ORATIO, SEU PROMOTIO TERTIA SEX D.D. DOCTORUM:

die 18. Julii Anno 1667.

NOva claſſica! Magnifice Domine Rector, ſonceſſus Ampliſſime: Nova, inquam, geminato lituorum & tubarum clangore, perſtrepunt claſſica; Telis, Balliſtis, Ceſtubus, Rhomphæis concurrendum eſt agmine toto: eminus, cominus, cæſim, punctim, decuſſatim præliandum eſt. Nova claſſica! Academicas haſce colonias ingentes hoſtium armatorum copiæ, à tergo, à latere, à fronte, clàm & apertè, adoriuntur; horum exploranda, & ad internecionem delenda ſunt caſtra: hi proſternendi; iſti conculcandi: illi trucidandi: iſti ad ultimam usque Thulen profligandi. Tela tamen noſtra maximè infeſtos ferient, & prurigihoſos. Nova claſſica! præter numeroſiſſimos inſidiatores, aciei hujus frontiſpiciū tenent copioſiſſimæ morborum catervæ, quibus circumvallamur: Nec tot Protheus finxit perſonas, Empedocles transmutationes, Pythagoras emigrationes, Chaldæi tot varietates, Evantius tot imagines, quot malignantes induunt morbi figuras. Et ſcire cupis, quot ſint morbi? *Numera coquos: numera delicta.* Mortalibus enim, in ſaliares cupedias prurientibus, in Cacoparadigmo hoc epulo, Luxus eſt dapifer, Caſus ſtructor, Vertigo pocilla-

tor.

tor. Adſunt peſſimarum Embammata conſvetudinum, politiâ, plus quàm Machiavellicâ, elixæ carnes, Neronianâ tyrannide aſſatæ, Ferinæ violentiæ, Aprugnæ feritatis, Suillæ fœditatis, Bubulæ ſervitutis, Vervecini ſtuporis, Hœdinæ libidinis; Ovillæ nulla ratio. *Numera coquos, numera delicta.* Inter hæc avium apponitur Vanitas, pavonis Philavtia, anſeris Loquacitas, caponis Effœminatio, perdicis Stupor, alaudæ Timor; abſente ſolius columbæ Innocentiâ. *Numera coquos: numera delicta.* Nec deſunt pultes Commixtionis, lac Credulitatis, butyra Opinionum, ova Cogitationum, farcimina Avaritiæ, gelatinæ Stuporis, ſinapi Curioſitatis, lardum Æſtimationis, ſal Scurrilitatis, vinum Eloquentiæ; ſcilicet Creticum Mendacii, Maſſicum Sophiſtices, Falernum Jactantiæ; cereviſia Furoris, poma Fortunæ, ſaccharum Impoſturæ. *Numera coquos: numera delicta.* Hiſce cupediarum ſtruibus, inter tripudia, impprægnati Hoſpites morbos generant Theophyſicos, Medicis expugnandos: Sic Zephyros, & Favonios, plumbeus Auſter, & imbricitor Boreas; ſic innubes dies ſæviſſimæ excipiunt tempeſtates: ſic *extrema gaudii luctus occupat;* & felicitas, virtutis Noverca, beatulis ſuis plaudit, ut noceat: Nam hos delictorum ſtrangulat Angina; illos in furorem agit Bilis: hos conſcientiæ torquet Calculus; illos ebrietatis proſternit Epilepſia: Hos incontinentiæ Febris urit; illos exedit Atheiſmi Gangræna: hos luxuriæ tumefacit Hydrops; illos gulæ Lumbrici devorant: hos inſaniæ Mania dilacerat; illos pietatis Nauſea moleſtat: hos livoris deturpat Icterus; illos invidiæ Peſtis extingvit: hos furti Rhevma ſuffocat; illos auri Sitis exanimat: hos parſimoniæ Tabes exenterat; illos inconſtantiæ Vertigo gyrat; iſtos Venereæ libidinis Ulcera depaſcuntur. Scire cupis, quot ſint morbi? *Numera coquos: numera delicta.*

Nova Claſſica! In Medicinæ campos irruunt Nobiles, Ignobiles, Hebræi, Nundinatores, Sacrificuli, Carbonarii, Idiotæ, Caminarii, Vetulæ, Caculæ, Lixæ, Calones. Id probat Schaffeneus Auctor, dum ſcribit: Quidam Ducis Mediolanenſis Aulicus, ut ſuam, in Medicos, invidiam refocillaret, unius Carolini impoſitionem, ſupra quemvis Dominii illius Medicum, pro gratiâ, precariò impetravit: adeoque, Medicorum factus venator, urbem perambulavit, & odontalgiâ, ſive dentium dolore ficto, tot Medicos reperit, quot obvios, quot vetulas, quot agyrtas, quot Hebræos, quot ſacrificulos; qui omnes in venatoris caſſes inciderunt. Ii verè ſunt Medici, de quibus Angelus Politianus, *lib. 2. Epiſtolarum:* Doleo, inquit, generis humani vices, quod tamdiu in ſe graſſari impunè patitur hanc triſtem inſcitiam, atque ab his vitæ ſpem pretio coëmit, à quibus certiſſima mors conſequitur. Quis cæcus non videt, plus ab ejusmodi Medicaſtris, quàm ab ipſo morbo langvidis, imminere periculi; qui non tam armantur Æſculapii pharetrâ, contra morbos, quàm inſcitiâ, & temeritate ambitionis, contra Ægrotos? Conſimili Medicaſtro, interroganti; num quid etiamnum mali perſentiret, facetè Pauſanias, à morbo convaleſcens, replicaſſe fertur: Nil mali ſentio; quia te Medico non utor. Cùmque ad tam abſynthiacum reſponſum ſtomacharetur agyrta; & quòd opem ſuam nunquam expertus fuiſſet: reſpondit Philoſophus: Rectè quidem, quia, ſi te Medico uſus fuiſſem, nunc te non increparem ampliùs: ſcivit nempe Philoſophus, ejusmodi peſſimos ardeliones, & verboſiſſimos gerrones, velut araneas, omnia in virus convertere, & tum vel maximè noxios eſſe, cùm officioſiſſimi, qui, ad capeſſendam langventium gratiam, vetita quæque velut proficua deprædicant, &, quod alii ex arte prohibent; hoc illi, ut arrideant, imperitè concedunt, & depravatum Ægrorum appetitum opportunâ, ſed vel maximè noxiâ, promulſide demulcent: ita, ut veriſſimè de iis dici poſſit, quod de

illo

illo, mendacium Ephemeridum Scriptore, Noſtradamo dictum eſt:

Noſtra damus, cùm verba damus:
nam fallere noſtrum eſt:
Et, cùm verba damus, nil niſi Noſtra damus.

De his Galenus *12. met. med. cap. 1.* *Qui cubantis*, inquit, *deliciis ſubſcribit, & voluptatem, non ſanitatem, pro agendorum metâ habet, adulatoris gerit officium.* Et tamen à vulgo, cui, teſte Cicerone, *pro Planco*, nec mens, nec ratio, nec conſilium eſt, ob ſimilitudinem, ac ſympathiam (nam terreſtres cucurbitæ convolvuntur, & aſinus lambit aſinum) laudantur, promoventur, adorantur: ſapientes verò, & intelligentes, deſpiciuntur.

Senec. in Herc.

O Fortuna, viris invida fortibus!
Quàm non æqua bonis præmia dividis!

Quorum ingenia nec mechanicis quidem, aut ſervilibus, apta forent artibus, hi mirificam naturæ Majeſtatem perſcrutari, & omnes lactucas aſininis deguſtare labris moliuntur, humana corpora, tanquam lapides & ligna, tractant, de corio humano ludunt, technis, vafritie, & doloſis artibus humanæ vitæ inſidiantur. O quis non exclamet cum Marcello!

O miſeræ leges, quæ talia crimina fertis!
O Cæci Reges, rem qui non cernitis iſtam!
Vos, quibus imperium eſt, qui mundi fræna tenetis,
Ne tantum tolerate nefas, hanc tolliте peſtem.

Contra hos armetur legum vigor, tanquam contra graſſatores, ſangvinis humani ſitibundas hirudines, gentis carcinomata, crumenimulgas, omnis literarii ſalis expertes doctrinæ verrucas: ad quos tantùm ſpectat: *ſplendidè veſtiri, ſtrenuè mentiri, audacter mactare:* At, ſuccedere nonnunquam, dices, ac apud peritos artifices. Reſpondeo: in his ſola operatur artificis induſtria; in illis natura, morborum medicatrix. Hipp. *lib. de vet. med.* Medicos nautis comparavit, qui in maris tranquillitate ex facili naves gubernant; imminente verò tempeſtate, peritus deſideratur Nauclerus. D. Paulus, *Epiſt. 26. Ceſſat*, inquit, *in tranquillitate peritia, nec nomen præſtat artificis, niſi ubi magna adeſt periculi vis.*

Nova claſſica! Tot venena, quot ingenia; tot pernicies, quot ſpecies; peſſimas quoque, de Medicis, cenſuras evomunt, qui à Toparchiis, prôh pudor! ad matulas ſeſe devolvunt. Liberè loquor: non, quia placet, aut diſplicet, dicenda eſt veritas; ſed ut profit:

Æquo animo pœnam, qui meruêre, ferunt:

quam nemo, niſi infecti, ſentient, & pruriginoſi. Nævos turpiſſimos, & ſtigmata, veris inurunt Medicis: antiqua, vera & germana, in faſtidio ſunt: nova, falſa, & peregrina, in delectu: ita, ut nihil egregium, aut elaboratum, putent, quòd non exotici mores, ab ultima Thule, aut aliena elaboravit induſtria.

Tot ſunt Medicorum contemptûs, quot conventûs. Nunquid non vipera eſt, inquit Bernardus, lingva detractoris ferociſſima? Planè nimirum, quæ tam lethaliter inficit uno flatu. Nunquid non lancea eſt lingva detractoris venenatiſſima? Profectò acutiſſima, quæ tres, immo tres & viginti, uno penetrat ictu. Vipera ut vivat, matris ſuæ ventrem rumpendo, eam necat: ita, vivere ſeſe non poſſe, autumant detractores, niſi alios lingvâ ſuâ ſerpentinâ perimant. Medicos, & Medicorum leges, pedibus calcare conantur, quibus tot Pontifices, Imperatores, ſummique Reges, aut paruerunt, aut non impune refragati ſunt; quibus, inquam, vel inviti colla hactenus ſubmiſerunt, qui omnium gentium populos ſubjicere ſibi contenderunt; tantique Medicinam fecerunt, ut, poſtquam ad Majeſtatis ſupremum gradum conſcendiſſent, cùm jam humani nihil ſupereſſe videretur, ad Numinis originem, per morborum curas, pervenire contenderint.

Adſtipulantur, ex Antiquitate, Rex Pyrrhus, & Adrianus Veſpaſianus; quorum ille, virtute digiti, Lienoſos omnes; hic plurimos ſanabat Febricitantes. Adſtipulantur, è Modernis,

Potentiſſimi Hiſpaniarum, Galliarum, Angliarum, Reges; quorum primum, à Dæmone obſeſſos; ſecundum & tertium, ſcrophulatos percuraſſe, teſtantur Annales. Hi Medicinam, velut gemmam pretioſiſſimam, ſuo Diademati appenderunt: Moderni, Regibus ideo plurimùm inferiores, eam contemnunt. At Medicina nulli unquam fuit probro, niſi probroſo.

Nova claſſica! Hîc iterum pro aris & focis dimicandum eſt. Ingentem novorum hoſtium phalangem, perfrictâ fronte, depoſito pudore, relicto ſummi Numinis miniſterio, Medicorum fines depopulari conſpicio. His ſordet cœlum, dum terram aſpiciunt: ab animæ cura, ad corporis inquinamenta; à Divinis ad humana; à ſacris ad prophana, ſeſe devolvunt. Hic multis phaleratis dictis, ac hyperbolis, famam ſuam ſpargunt. Jactant Catholici, Hiſpanici, ac Indici, Compoſitionem, Encyclopediæ Hippocraticæ, Harmoniæ Macro- & Microcoſmicæ, concentû, Hermeticæ profunditatem, Spagirico-Paracelſicæ ſublimitatem, Orphei & Amphionis Lyram; Divina humanis miſcenda dicunt: ut Divina prophanent, & humana pervertant; iisque eſt, pro pietate, lucrum; fraus & dolus, pro conſilio; pro diſciplina, libertas, pro Religione, diſſolutio; pro DEO, Mundus. At *Væ! illi*, inquit Hieremias, Propheta, *qui opus DEI negligenter fecerit. Nemo poteſt duobus dominis ſervire. Domus mea, domus orationis:* inquit Servator noſter, *non venditionis aut emptionis, non humanæ negotiationis.* Surdis canunt tot Pontifices; veluti Urbanus, Alexander Tertius, Nicolaus Quintus, qui Religioſis, Ægros curantibus, & mundanos quæſtûs facientibus, tot anathemata, irregularitates, & ſacra fulmina impoſuerunt. Surdis canunt tot Apoſtoli, & S. S. P. P. velut Paulus, *ad Corinth. 1.* Hieronymus, Ambroſius, Arnobius, Caſſiodorus. Bernardus, *Epiſt. 26.* Religioſum, ob id è Flavienſi Monaſterio recedentem, ſummis in cœlum usq; laudibus effert. *Abbas meus*, inquit Monachus, *non Monachum me, ſed Medicum, cogebat ſervire, non DEO, ſed mundo; mederi me compellebat:* quorundam tandem ſapientum conſilio fretus, meam damnationem, non congregationem; perditionem, non Religionem, fugio. Sed objiciet non nemo; etiam charitatis opus eſt, curare infirmos: per Ægrorum curas conciliatur honor, amicitia contrahitur, comparantur divitiæ. Reſp. Tibi, ad alia divinitus ordinato, & Medicinam verè ignoranti (Anatomiam enim nec vidisti, nec didiciſti; veram Medicinam nec vidiſti, nec didiciſti; Botanicam nec vidiſti, nec didiciſti) Tibi, inquam, ad alia divinitus ordinato, Avaritiæ & Temeritatis, non charitatis, opus eſt. Tua ſint, preces; medicamenta: his tu medere; & curabis Podagram, cum Valentino, Calculum, cum Liborio, Peſtem, cum Carolo, Anginam, cum Blaſio, Lepram, cum Antonio, Aphoniam, cum Severino, Colicam, cum Eraſmo: adeoque merè charitativa, cum Xaverio; non lucroſa, cum Mammone, meditaberis obſequia. At replicabit argutus non nemo: Dic, ſodes, Medice; quid morbos Theophyſicos curare; quid iracundas Dei manûs vincire, arroganter præſumis: cum infirmitatem delictorum pœnam eſſe, aſſeras? Ipſe tu es, qui aliena metis; corporis, non animæ, curam meditare. Reſp. Deum ſauciare, ut ſanet; dejicere, ut virtutem in firmitate erigat; minari, ut parcat; malis onerare, ut bonis cumulet; infirmitates mortalibus impertiri, ſed Mediatorem è cœlo Medicum creare, ut pietate & induſtria infixa extrahat tela: adeoque, ſi captivo pateat carcer, cur non exeat? Neque hoc eſt carcerem effringere, ſed oblatum beneficium non reſpuere. Neque aliena metit, dum ſacra prophanis præmittenda ſuadet Medicus: nam ſacra eum ad id obligat Synodus: quin & infinitæ hominum myriades ſalutari Medici prognoſtico, & ad ſacra monitu, animæ ſalutem conſecuti ſunt.

Nova Claſſica! Novi, è tabulis Medicis, in hoc pulpito aliquoties jam nati, extergendi ſunt nævi. Sed pedem nonnihil referre cogor. De honoris puncto, Medicos inter, & Juriſperitos,

lis

lis eſt. *Infimum petas locum, qui ſupremum aliquando petis contigere*, inquit Seneca. Nemo minùs Medicas infeſtat colonias, quàm Juriſta: quia *os juſti meditabitur ſapientiam, & lingua ejus loquetur judicium; & lex DEI ejus in corde ejus: Pſal. 36.* Quid pulchrius; quid honeſtius; quid Chriſtiano homine dignius, quàm ſuum cuique tribuere, neminem lædere? Conſimiles Juriſtæ fuerunt Ambroſius, Irenæus, Chryſoſtomus, Moyſes, S. Gregorius, Paulus IV. S. Carolus Boromæus, S. Thomas Cantuarenſis, S. Joannes Damaſcenus, S. Godegrandus, S. Dionyſius, Aaron, Job, Daniel, Caſſiodorus, S. Hubertus, Bonifacius, S. Jvo, S. Raymundus, S. Auguſtinus, S. Athanaſius, S. Gregorius Thavmaturgus, omnes S.S. P.P. Canoniſtæ, adeoque S.S. Juriſtæ: Chriſtus ipſe, Servator noſter, teſte Paulo, noſter eſt, apud Patrem cæleſtem, Advocatus. Ad hanc itaque gladio Delphico dirimendam litem, Jurisprudentiam eſſe duplicem, apud nos in confeſſo eſt: alteram, in gerendis Reipublicæ, Regnorúmque Magiſtratibus; alteram litigioſam, & in cauſis forenſibus occupatam. Primæ Claſſis Jurisperitis primas jure meritiſſimo damus. Nam *legitimus eſt honor, quem propria parit virtus; nec turpe eſt, inferiorem eſſe illo, qui à natura ſuperior eſt.* Illi namque communi, nos particulari, hominum medemur incolumitati: Hæc eſt Ariſtotelis ſententia, *2. polit. cap. 3.* Secundam Jurisprudentiæ partem Sacrâ Medicinâ longè inferiorem eſſe, dilucidè conſtat; cùm non de communi, ſed particulari, litigantium jure, & bonis, coram Judicibus, etiam nobis inferioribus (quorum etiam arbitrariæ pœnæ, ad majorem ſui vilitatem, ſubeſſe coguntur) pertractent Juriſtæ; Medici verò de vita & ſanitate; quæ quantò magis omnibus fortunis præſtantior ac æſtimabilior eſt, tantò Medici nomen magis illuſtre ac glorioſum eſſe debet. Medici enim non de fidejuſſionibus, de ſtipulationibus, aut jure hæreditario, quæ ad conſervandam rem familiarem duntaxat ſpectant; ſed de propulſandis morbis, te tuendâ valetudine, de propagandâ vita, quâ mortalibus nihil aut charius, aut pretioſius eſſe poteſt, aut debet, pertractant. Quis ergo, niſi avarus, vilia fortunæ bona vitæ ipſi, quæ nihil aliud eſt, quàm ipſum eſſe, præferat? Vita bonis privata, depoſitâ veluti ſarcinâ, ſæpe liberior, imò productior eſt. Quid autem ſunt bona, ſine vita? Ergo melior eſt (contra Neo-Legiſtam, ex hoc pulpito perperam gloſſitantem) melior, inquam, eſt una Rhabarbari, pro vitâ conſervandâ, exhibitio, quàm centena, pro bonis conſervandis, omnium legum citatio: ita ſapienter hanc dirimunt litem Eucherius, & Valleſius. Quin & Joannes Moianus, ex Nobilitate medendi Medicos id conſequi, aſſerit, ut Comitibus, in Privilegiis & Dignitate, coæquentur; quemadmodum ex titulo Juris, & Cæſaris Oratione funebri, per Gregorium Theologum dictâ, abunde probari, fatetur. Nil hîc dicam de Medicis, ab Ethnicis in album Deorum relatis; de tribus electis Pontificibus; de duobus Cardinalibus; de Sereniſſima magnorum Hetruriæ Ducum Proſapiâ, à Medicis oriunda; de Regibus ac Principibus; de viris ſanctiſſimis. Hoc unum dico: ſi ſanitas, & vita, omnibus univerſi Theſauris infinitis (ut aiunt) paraſangis eſt præferenda; præferendus eſt Medicus: ſi ſanitas eſt omnis felicitatis Cymba; Medicus eſt Nauclerus; ſi Sanitas Hæreditas eſt opulentiſſima; Medicus eſt Benevolus Teſtator: ſi Sanitas eſt quietiſſima Poſſeſſio; Medicus eſt fideliſſimus protector: ſi morbus eſt naufragium; Medicina eſt ſecunda illa tabula, quâ prehenſâ, optatiſſimus Sanitatis recuperatur portus. O! liceat mihi, cum Amphione Sicyonio, pretioſiſſimi hujus Gazophylacii acroamata decantare:

O ſanitas beata!
O ſanitas colenda!
O ſanitas amanda!
Tecum mihi beata
Reliquum manere vita
Liceat, mihi perennis
Comes adeſto vita:
Nam quidquid eſt bonorum,
Et quidquid eſt leporum,
Et quidquid eſt honorum,
Et quidquid eſt decorum;
Et quidquid eſt amorum,
Magnis in auri acervis,

In liberis venuſtis,
In Principum decore,
In conjugum favore:
Et quidquid eſt, quod ampli
Largitur Orbis Auctor.
Quietis à labore,
Salutis à dolore,
In te viget viretque.
O ſanitas beata!
Tu ver facis ſuave
Fulgere Gratiarum.
O ſanitas amanda!
Sine te nihil beatum.

Ad pretioſiſſimam hanc acquirendam margaritam fortiſſimis athletis, impavidisque heroibus dimicandum. Faceſſe igitur, quisquis in Medicinæ ſacrarium blaſphemo ore, ſacrilegis & violentis irruis manibus.

Nundinator es? Apage: nam licet nundinæ, & commeſſationes, ſint Medicorum altrices; Nundinatorem tamen, & mendaciſſimum impoſtorem, non patitur vera Medicina.

Pſevdo Chymicus es, qui mactas potiùs, quàm curas? Apage: nam tuus toties in fumum abiit Mercurius, ut fama tua omnino ſit fumoſa.

Detractor es, qui peſſimas, de Medicis hujatibus, cenſuras evomis? Apage: Nam detractiones ſunt tela, in Solem jacta, quæ jactoris percutiunt caput.

Clericus es, qui te, ab animæ cura, ad corporis quisquilias devolvis? Apage: nam licet togam diligat Medicina; Togatum tamen Apoſtatam, & indamnatæ aliàs religionis carcinoma, tollit, non tolerat, Medicina.

Cauſidicus es, qui Medicum, origine cœleſtem, alterum vitæ Authorem, ſupremum naturæ Marſchallum, ante ire prætendis? Apage: nam quousq; vilia fortunæ bona ſanitati, & vitæ, præferre non poteris; & huic, & iſti, & illi, patienter cede.

Vetula es, quæ mederis? Apage: ad colum propera; ne, quos præſtigiis curare intendis, lippientium oculorum faſcino trucides.

Magus es, aut Hebræus, qui morbos tranſplantas potiùs, quàm curas? Apage: nunquid non DEUs eſt in Iſraël, *4. Reg. c. 1. v. 3.* ut eant iniqui ad Beelzebub, Deum Acharon? Illud deſperatiſſimi hominis, & perditè vitam amantis eſt, à Magis, aut Hebræis, omnium ubiq; ſcelerum Authoribus, aut complicibus, vitæ ſubſidium quærere.

Vos autem, agite, inter tot irruentium hoſtium turmas, fortes Athletæ: virtus adverſis agitata creſcit, vulnere vireſcit; inter miſerias floret; inter injurias erigitur; absque adverſario tabeſcit. Veſtra hæc flumini innatantis ſit Ephigraphe: JACTOR; NON MERGOR; vel Admiralli Chabotii pilæ ventoſæ inſcriptum Symbolum; PERCUSSA SURGO. Rotatur in noctem dies, ut reſurgat ſerenior; Thuris virtus in prunis vel maximè ſentitur; aromatum tunc ſuaviſſimus eſt odor, cùm in mortario teruntur; unguenta ſvaviùs olent, cùm moventur. Non eſt fortis, nec ſolida arbor, in quam non frequens incurſat ventus: ſic ignis flatu premitur, ut creſcat. Itaq; ut & vos, in adverſis, malleum inter, & incudem, creſcatis, Academicas armaturas, Æs, & Ahenum, circa pectus, & Doctorales caſſides in caput luſcipite. Sed priùs Antiquiſſimæ hujus, & Celeberrimæ Univerſitatis, laudatiſſimæ conſvetudini morem gerite, & conſvetum deponite juramentum. Prælege Pedelle.

Quod itaq; felix, fauſtum, fortunatumq; ſit, Ego PAULUS de SORBAIT, Philoſophiæ ac Medicinæ Doctor, &c. Vos Nobiles, Excellentes, ac Doctiſſimos Dominos A. A. L. L. & Philoſophiæ Magiſtros, ſaluberrimæ Medicinæ Licentiatos formatos; &c. Te imprimis &c. Vos, inquam, omnes & ſingulos, Auctoritate Cæſareâ & Pontificiâ, ſaluberrimæ Medicinæ Doctores creo, facioq;, creatos factosq;, in Ampliſſimo hoc conſeſſu publicè pronuntio & declaro, dans vobis licentiá, Doctoralem cathedrá aſcendendi, de Medicinâ diſputandi, omnibus juribus, privilegiis, immunitatib., prærogativis utendi, gaudendi, fruendi, quibus Antiquiſſima hæc, & celeberrima Univerſitas, ſimul & omnis alia, in toto terrarum orbe, gaudet, utitur, fruitur. Id quod cedat ad majorem SS. Triados honorem, Reipublicæ Chriſtianæ emolumentú, & Animarum veſtrarum ſalutem: in Nomine DEI Patris, & Filii, & ſpiritûs Sancti.

Surgi-

Surgite nunc, Clariſs. Neo-Doctores, & condigna vobis inſignia capeſſite.

Pallium. Recipite *Pallium*: non pellicium illud Evangelicum, quo rapaciſſimos tegatis lupos, omnium vitiorum dentibus mordaciſſimos; ſed quo pulcherrimam virtutum Pandoram, quæ, ſi oculis cerneretur, omnium in ſe animos raperet, modeſtè recondatis; quo, velut cymbâ, ſubſtrato ultimum laborum veſtrorum mare trajiciatis; quod adverſis perſecutionum ventis opponatis; quo os quandoque, ne malè loquatur; aures, ne perversè audiant; oculos, ne curioſa videant; manûs, ne nimis avidè rapiant, aut pulſum minùs caſtè tangant, obveletis.

Aurea catena. *Aureâ* Vos *catenâ* vincio, ne otio diffluatis: ſic ferreæ veſtræ catenæ in aureas mutentur, ut veri ſitis Alchimicis, qui, ſudorum Veſtrorum ſtillicidio, lucubrationum digeſtione, igne Philoſophico, diſciplinæ præcipitatione, hâc denique Dignitatum ſublimatione, veram ferri, in aurum, faciatis metamorphoſin. Sic pergite: nam quisque Veſtrûm plus auri ex Hippoc. Aphoriſmis, & Galeni Commentariis conficiet, quàm totâ Hermetis officinâ centum Alchimici. Aureo hoc vellere in Principum familiares adoptamini; quibus liberè recenſere poteſtis, quæ à nobis didiciſtis;

Digna velut laudis, nullius conſcia fraudis.

Pileus. *Pileo* hoc capitoſitatem Veſtram tegite; ſi moralis eſt. Nam vitiorum proprium eſt, tegi, & latere velle: attamen Phyſicam potiùs Vobis ineſſe capitoſitatem, ſuſpicor: & hanc tegite, ne nudi ſitis Phyſici. Quærebat non nemo, quid eſſet Phyſica? Et, cùm interroganti nullæ ſufficerent Ariſtotelis, & aliorum, definitiones, reſpondit: *Phyſica eſt uxor Phyſici.*

Annulus. *Aureis* hamis apud iniquos Judices piſcandum eſt: ſecus apud Medicos; quorum ſcientia inæſtimabilis, tota charitativa eſt. Si tamen aureis hîc piſcandum ſit hamis, non Lucios rapaces, lubricas Angvillas, aut venenatas Torpedines; ſed Fundulos, piſces illos nobiliſſimos, promptos, humiles, ſanos, providos, & quorum in epulis nulla pars rejicitur, extrahere deſiderarem.

Liber clauſus. *Librum* Vobis *Clauſum* trado, non tamen, ut ſatis eſſe putetis, ſi doctos, multóſque teneatis Authores; ſi proavos ſapientiſſimos numeretis. Nam cum libris doctis & multis, cum proavis ſapientibus, poteſt quis indoctum & tumultuoſum caput gerere: & *Ægri curantur in libris; moriuntur in lectis.*

Apertus. *Hippocratem* Vobis *apertum* exhibeo; ut ejus jusjurandum ſervetis, & Præceptores Parentum loco, pro Minervali, ac Didactro, habeatis, ut arcana ſervetis, fraudem & avaritiam cane pejus & angue fugiatis, ut divinum illud Hippocratis ſervetis: *A Jove principium*: Curatâ namque animâ, carinæ noſtræ corporeæ nauclero & gubernatrice, ex facili curatur corpus.

Amplexus. Hæc Divin. Hippocr. præcepta ſi ad amuſſim ſervaveritis, digniſſimi eſtis, quos ulnis *amplectar* paternis.

Salvete, Neo-Hippocrates. Nulla ſit in Vobis carbonum macula. In Hippocr. quidquid optabile, reperibile eſt; in hoc omnia ſimul, quæ alii disjunctim ſcripſêre, continentur. Hic Fluvius; illi degeneres Rivuli. Nemo poſt eum ſcivit, quod ipſe ignoravit. Nil ſcivit, quod ignorare nos voluerit. In hoc Religio, Pietas, quæ ad omnia, & præcipuè ad Medicinam, utilis eſt, & Modeſtia perdiſcitur. Salvete, Neo-Hippocr. ad metam, nî fallor, perveniſtis.

Sedere jubentur. *Salvete*, Nova ſidera: *Sedete*, Novi Firmamenti circuli: Sidera nuncupo, quorum debilitas eſt, moveri, creſcere, decreſcere, eclipſari, deficere, occidere. Sedete, novi & invictiſſimi morborum Imperatores, ſideribus multò nobiliores; utpote quorum virtutes ſemper in meridie, nunquam in occaſu; ſemper in profectu, nunquam in defectu, fore confido. Sic

Sapiens dominabitur aſtris.

Denique

Inſignium concluſio. Denique in altiſſimo hoc Dignitatum Olympo, ubi quilibet veſtrûm quaſi

ſub pedibus nimbos, & rauca tonitrua calcat:

non terna, verùm ſena, animitus opto vobis tabernacula, & auream ſimul Neronis Domum, Eminentiam Davidis, Opulentiam Salomonis, Crœſi Divitias, Magnificentiam Cyri, Honores & Victorias Alexandri, 127. Provincias Ahasveri, 300. Helenas, 200. Eſtheres in Uxores, Ætatem Mathuſalem, Authoritatem Moyſis, Reſpectum Aaronis, Conſtantiam Noë; denique, poſt amariſſimum laborum Veſtrorum abſynthium, in horto felicitatis optimæ vitæ; æternum gaudii & tranquillitatis jaſminum: ut cum Pericle dicere poſſitis:

Obtento portu: Spes, & Fortuna, valete.

FINIS.

IN-

AC1 146 1114

Digitized by Google

INDEX

Rerum, & Verborum in hoc Opere contentorum.

UT Benevolus Lector veram hujus Indicis rationem ſciat, obſervandum ei eſt, numerum primum ſignificare folium; ſecundum verò columnam: ſi vero tres inventi fuerint, primus folium, ſecundus, & tertius columnas indicat: ſi quatuor numeri, aut plures apud unum quæſitum fuerint, ſignum eſt, illud in pluribus diverſis locis poſſe inveniri: Ex: gratia ſi quis quærat febris definitionem, inveniet in indice 490, 1. id eſt folio 490, columna 1. ſi quæſiverit febris humoralis differentias, inveniet in indice 505, 1, 2. id eſt folio 505, columna prima, & ſecunda. Si vero deſideraverit ſcire febris ſubjectum, inveniet id 490, 2. 491, 2. 492, 1. &c. id eſt ſemel reperiri fore fol. 490 columna ſecunda; alia vice folio 491. columna ſecunda, & iterum alia vice fol. 492, columna prima; & ſic conſequenter de ſingulis intelligendum. Hanc admonitionem Benevolus Lector ſequatur, & non falletur.

A.

ABas vide Tinea.
Abdominis ulcera, eorum differentiæ, prognoſis, & cura. 676, 1
vulnera vide Vulnera abdominis.
Abortus quid, ejus cauſæ, & præcautio. 465, 2
an ex cacochymia, & an ex ictu fulminis, vel multo gaudio. 466, 2
Abortum facientia. 154, 2
Abſceſſus quid, & ejus cura. 603, 1
vide Apoſtema.
Abſorbentia. 159, 2
Abſtergentia. 150, 1
Abſtinentia quid boni faciat. 89, 2. 91, 1
Accidentia quomodo dependeant à ſuis ſubjectis. 50, 1
Acerba quomodo appetitum excitent. 704, 1
Acetabulum. 23, 2
Acetoſa cur menſibus immodice fluentibus adhibeatur. 448, 2
Acetum. 97, 2
Aceto demonſtratur ſigillatio materiæ. 8, 1
Achores quid, & unde. 569, 2
eorum cura. 570, 1
v. Tinea.
Acida quomodo appetitum excitent. 704, 1
Acidularum Roidichenſium deſcriptio, earumque uſus contracturas curat. 750, 2
uſus vulgaris. 138, 1
Acidulas bibendi modus. 393, 2
Aconitum aſſumptum. 556, 1
Acrimoniam humorum retundentia. 183, 1
Acrochordones quid. 631, 1
Actio abolita, & diminuta ſunt etiam actiones. 60, 2
conſervativa datur in morbis. 50, 1
in Conſultatione quid. 694, 1
in Methodo Medendi quid. 106, 2
læſa quid. 88, 2
quotuplex. 59, 1
tripliciter læditur. 701, 1
Actionis læſæ ſymptomata. 59, 1
Actiones unde deſumantur. 693, 1
quotuplices. 701, 1
principes quæ. 16, 1
Actus ſpiritualis quomodo poſſit producere materialem. 115, 1
Adſtrictio, vel obſtructio quomodo contineat calorem. 51, 2
Adſtringentia. 153, 1
alvum. 154, 1
extrinſece tantum applicata nihil in hernia faciunt. 426, 2
Adurentia. 191, 1
Æger de die quoties cibandus. 141, 2
non moritur in morbi declinatione. 82, 1
Ægri an de nocte cibandi. 138, 2
poſſint proferre linguam exoticam. 249, 2
à ſomno ſint excitandi, cibi aut medicinæ causâ. 141, 2
cur quandoque tertio die incidant in anginam, vel pleuritidem. 139, 1
Ægros cibandi modus in morbis acutis. 241, 2
Ægrotis an ſit liber aër concedendus. 142, 1
Ægylops. 278, 2. 632, 2.
quotuplex, ejus cauſæ, ſigna. 632, 2
prognoſis, & cura. 633, 1
Aër quid. 3, 2
calidus quid faciat. 52, 2
frigidus appetitum demit. 705, 1
humidus, & ſiccus quid faciant. 52, 2
humidior aquâ. 4, 2
impurus, & craſſus quid faciat. 52, 2
in mixtis quid faciat. 3, 2
neceſſarius eſt. 52, 2
quomodo varios morbos ſecundum anni tempora producat. 55, 1
nos refrigeret. 4, 2
magis refrigeret abſente Sole, cum tamen ſit calidus. ibid.
refrigeretur motu. ibid.

Aër temperatus qualis, & quid faciat. 52, 2
tenuis & putridus quid faciat. ibid.
Aëris varietas unde. ibid.
à varietate loci. 53, 1
ventorum. 58, 2
Aëre, & igne ad quid natura utatur. 4, 1
Æris ſquamma aſſumpta. 555, 1
Ærugo aſſumpta. 555, 1
Ætas quid. 20, 1
Ætatibus convenientia temperamenta. 21, 1
Aetii inunctio. 784, 2
Affectus, & conſtitutio idem. 43, 2
Agaricus niger aſſumptus. 557, 1
Agendi ratio quibus ſcopis obtineatur. 710, 1
Alauda. 96, 2
Albugo quid, ejus differentiæ, cauſæ, prognoſticum, & cura. 270, 2
Alexipharmaca. 258, 1. 553, 1
Alexipharmaca potio. 259, 1
Alexipharmacum electuarium. ibid.
Alexipharmacus pulvis. ibid.
Allium. 93, 2. 94, 1
ano impoſitum febrem facit. 94, 1
Alimentum quid. 89, 1. 53, 2
quotuplex. 53, 2
unde deſumatur. 89, 1
bonum. 89, 1
copioſum, & materia humida non ſunt idem. 52, 1
medicamentoſum. 53, 2
pravum. 89, 2
Alimentorum ſubſtantiæ. 89, 1
qualitates, & ordo. 90, 2
quantitas. 89, 2
Alimentoſa facultas in potu debilior, quam in cibo. 53, 2
Aloë quomodo ſit grata ſtomacho. 138, 1
Alvi adſtrictio in pueris, quid, & ejus cauſæ 583, 2
prognoſis & cura. 584, 1
adſtrictione laborantibus an ſubito oleis calentibus ſuccurrendum. 146, 1
adſtrictioris cauſa. 705, 2
fluxus ſpecies ex ratione mixti. 699, 2
laxioris cauſa. 706, 1
Alvum adſtringens Electuarium. 154, 2
Julapium. ibid.
Linimentum. ibid.
Pulvis. ibid.
Tinctura. ibid.
humidiorem cauſat ſangvinis fluxus. 290, 1
Amara, & acria quomodo appetitum excitent. 704, 1
Amatorius pulſus an poſſit explorari. 453, 2
Ambi inſtrumentum. 683, 2
Ambuſtio puerorum quid, & ejus cura. 290, 2
Ambuſtiones v. Vulnerum ambuſtiones.
Amentia quid. 251, 1
ejus cauſæ. 251, 2
cura. 252, 1
Amor eroticus. 452, 2
Ampulla in urina quid ſignificet. 66, 2
Amuletis Medico non utendum. 110, 1, 2
Anacardia aſſumpta. 557, 1
Analogiſmus quid. 116, 2
Empiricus, & Dogmaticus inter ſe differunt. 120, 1
in Empirica quid. 126, 2
ejus falſitas oſtenditur. 126, 2
Indicatio, & obſervatio quomodo inter ſe differant. 711, 2
Anaſarca quid. 377, 1
Anates. 96, 2
Anatomes dignitas, & neceſſitas. 128, 1
Anchylops quid. 278, 2
Angina quid, & ejus differentiæ. 303, 2
cauſæ, indicationes, & prognoſticum. 304, 1
cura. 304, 2
cur ægris aliquando tertio die accidat. 139, 1
an ſemper habeat febrem adjunctam. 306, 1
an frequentius à pituita, an à ſangvine oriatur. 306, 2
an phlebotomiam petat. ibid.
cur purgationem potius admittat, quam pleuritis. 139, 1
quæ periculoſa. 727, 2
ejus differentia, & prognoſticum. 728, 1
quoties venæſectionem indicet. 140, 2
Anginæ an conveniat gargariſmus adſtringens 306, 2
Anginâ affecti pueri an curandi. 306, 1
ſi ſpument, quid ſignificet. 306, 1
Anguilla. 96, 2
Anhelitum difficilem ſanant millepedes. 630, 1
Anima quid. 15, 2
in cerebro. 37, 1
eſt cauſa continens intemperiei habitualis. 50, 2
principalis vermium. 58, 1
quale ſit principium actionum. 17, 2
Animæ paſſiones quomodo ſint cauſa caloris. 52, 1
morbum calidum producant. 51, 1
pulſus mutent. 75, 1
vis quomodo per totum corpus diffundatur. 745, 1
Animal an vivere poſſit ſine reſpiratione. 331, 1
Animalia ex putredine habent etiam calidum innatum. 20, 1
ſi à ſuis inimicis occidantur, tenerrimas habent carnes. 91, 1
venenata. 752, 2
Animalium carnes ut tenereſcant. 91, 2
extrema. 95, 2
Animi deliquium quid. 337, 2
in venæſectione. 595, 1
Animi deliquium in venæſectione quænam deſignent, & quid faciendum. 596, 1
deliquio affectæ mulieres quomodo reficiendæ. 340, 2
affecti quomodo vires reaſſumant. 340, 1

Animal

Animi pathemata quid faciant. 54, 2
Ani fiſſuræ v. Ani rhagades.
  procidentia quid. 422, 2. 588, 2. 679, 2
    ejus cauſæ, & ſigna. 588, 2. 679, 2
    cura. 422, 2. 588, 2. 679, 2
  rhagades. 678, 1
  rimæ v. Ani rhagades.
Anodina. 123, 2. 157, 2
  quæ propriè dicantur. 720, 2
Anorexia quid. 353, 2
Anſeres. 96, 2
Anthrax peſtilens. 537, 1. vide Carbunculus.
Antimonium aſſumptum. 555, 1
  an porrigat Medicinam antipeſtilentialem. 539, 2
  quid in metallis faciat. 109, 1
Antimoniata an in mania conveniant. 244, 2
Aorta deſcendens. 34, 2
Aperientia. 150, 2
  extrinſece. 159, 2
  vulnera. 155, 1
Aphoriſmus. 18. ſect. 6. examinatur. 754, 1
Aphthæ quid. 298, 1. 578, 1. 674, 2
  earum differentia, cauſa, prognoſis, & cura. 674, 2. 298, 2. 578, 1
Apoplexia quid, ejus differentia, ſubjectum, ſigna, & cauſæ. 211, 2
  locus. 744, 1
  indicationes. 212, 1
  prognoſis. 212, 2
  cura. 213, 1
  an à calore, vel à frigore. 216, 1
  an ſit affectus cordis. 236, 2
  à paralyſi quomodo differat. 215, 2
  cum reſpiratione ablata quomodo curetur. 216, 2
  an à ſanguinis impedita circulatione. 216, 1
Apoplexiâ cur [illegible]eriq; ſuſpenſi prius intereant. 216, 1
  ſemel tacti cur deinde pleriq; pueriles fiant. 216, 2
Apoplecticus an reſpiret. 215, 2
Apoplectico an ſit ſecanda vena. 130, 2
Apoplecticorum hiſtoriæ. 744, 1
Apoplecticos cur venæſectio curet, vel occidat. 216, 2
Apoſtema quid. 599, 2
  ventoſum. 725, 2. v. Ulcus.
Appetitus abſurdorum cur gravidis, & puellis menſtruis carentibus accidat. 352, 2
  an excitetur ab evacuantibus. 704, 1
  quomodo ab acidis, & acerbis excitetur. ibid.
  cur deſinat elapſa hora ordinaria. 91, 1
  qualem ſenſum requirat. 704, 1
  cur ſummus in morituris. 352, 2
Appetitum dejicit frigida & humida corporis intemperies. 705, 1
  frigidum ambiens. ibid.
  ſomnus longior. ibid.
  excitantia. 704, 1
Aqua quid. 3, 1. 98, 1
  ejus diverſitas. 98, 1
Aqua pluvialis optima. 103, 1
  inter cranium quid, ejus ſigna, & cura. 571, 2
  fortis aſſumpta. 555, 1
  in mixtis quid faciat. 3, 2
  nephritica. 419, 1
  Regis Ferdinandi. 242, 1
Aquâ, & terrâ ad quid Natura utatur. 3, 2
Aquæ deſtillatæ an bonæ. 133, 2
Aranei aſſumpti. 554, 1
Ardorem lenientia. 180, 1
Areſacientia eſculenta. 152, 1
Arenæ in urina quid ſignificent. 67, 1
Argemon quid. 673, 2
Argentum vivum aſſumptum. 554, 1
Ars quotuplex. 2, 1
  liberalis quæ. 2, 2
Arſenicum aſſumptum. 554, 2
Arſenici aſſumpti ſigna. 526, 2
Arteria quid, & quomodo à vena differat. 34, 1
  aorta. 30, 2
    ejus divaricatio. 34, 1
    ſi vulnerata ſit, unde cognoſcatur. 655, 1
      quomodo curetur. 657, 1
  axillaris. 34, 1
  coronalis. ibid.
  venoſa. 30, 2
  vulnerata. 647, 1
Arteriæ aſperæ vulneratæ ſigna. 655, 1
  cura. 657, 1
Arteriam ſectam quæ damna ſequantur. 596, 1
Arteriæ carotides. 34, 1
  & eas ſecandi modus. 745, 1
  & cor eodem tempore dilatantur, & conſtringuntur. 77, 1
  impleantur, quia dilatantur. ibid.
  emulgentes. 34, 2
  hæmorrhoidales ibid.
  intercoſtales. 34, 2
  plus aqueæ ſubſtantiæ continent, quam venæ. ibid.
  pulſificam vim an habeant. 77, 1
  ſeminales. 34, 2
  ſenſum non habent. 726, 1
  temporales diſſectæ. 760, 1
  umbilicales. 34, 2
Arteriotomia ubi, & quando conveniat. 597, 1
Arthritis quid, ejus differentiæ, & cauſæ. 403, 1
  indicationes, & prognoſtica. 404, 1
  cura. 404, 2
  de ea Conſultatio. 700, 1
  vide Podagra.
Arthritidi incipienti an repercutientia admovenda. 407, 2
Arthritica. 156, 1
Arthritica cathartica potio. 157, 1
Arthriticæ pilulæ. 157, 2
Arthritici an ſuppurentur. 407, 2
Arthritico an vena ſecanda, & ubi. 407, 2
Arthriticum unguentum. 157, 2
Arthriticus liquor externus. ibid.
Arthrodia quid. 25, 1

Arthros quid, & quotuplex. 25, 1
Aſcites. 377, 1
Aſpera arteria. 40, 2
Aſpera lævigantia. 182, 2
Aſperitas, & lævitas quomodo dicantur morbi. 46, 1
ſint morbi, & ſymptomata 59, 2
Aſthma quid, ejus cauſæ, & differentiæ. 329, 1
ſigna, prognoſis, & cura. 329, 2
puerorum quid, & ejus cura. 576, 2
aliud à calore, aliud à frigore. 331, 1
ex percuſſione ad occiput. ibid.
Aſthmatici paroxyſmi unde. ibid.
quomodo ſint purgandi. 331, 2
Aſtra quid emittant. 86, 1
quomodo agant. 85, 2
ſint cauſæ mutationum. 87, 1
Aſtrologia qualis Medico commendetur. 87, 1
Aſtrologicæ regulæ de decubitu infirmorum. 85, 2. 87, 2
Atheroma, quid. 603, 1
Gallicum quid. 485, 2
Atomi in urina quid ſignificent. 66, 2
Atra bilis quæ, & unde. 57, 2
Atriplex. 93, 1
Atrophia in luxationibus. 684, 2
Attenuantia. 152, 1
Attenuantium, & incraſſantium medii cibi. 157, 2
Attractio quotuplex. 52, 1
Attractiva cum putredine. 191, 1
Attrahentia. 155, 1
Auditur melius aperto ore. 36, 2. 287, 1
Auditus quomod fiat. 286, 2
Auditus gravitas quid, & ejus cauſæ. 285, 1
cura. 286, 1
organum. 36, 2
an aër vernaculus, an quintæ conjugationis nervus. 287, 1
Aves. 96, 2
Auris oſſicula. 22, 2
tympanum ſi fricetur cauſat tuſſim. 36, 2
Aurem qui fricat cogitur exſpuere. 287, 1
Aurium dolor quid, ejus cauſæ. 280, 1. 275, 2
ſigna, & prognoſis. 280. 2. 575, 2
cura. 281, 1. 575, 2
an repercutientia admittat. 283, 1
ſibilus, tinnitus, & ſuſurrus quomodo inter ſe differant. 284, 1
ſonitus quid. 283, 1
ejus ſubjectum, & cauſæ. 283, 2
ſigna. 284, 1
cura. 284, 2
ulcera. 281, 2
vulnera v. Vulnera aurium.
Auribus applicanda remedia quomodo eſſe debeant. 283, 1
convenientia. 155, 1
illapſa quomodo extrahenda. 282, 2
per Aures educentia. 158, 1
Auripigmentum aſſumptum. 554, 2.
Aurum comminuendi vim an habeant carnes pulli. 140, 1
Auſtria cur flatuoſa, & cur ventoſa, aut venenoſa. 380, 1
multos hydropicos, aſthmaticos, paralyticos, phthiſicos, & ſimiles habeat. 760, 1
Auſtriaci cibi multum ſangvinis generant. 203, 2
Autopſia in Empirica quid. 126, 2

B.

BAculus cur in aqua videatur curvus. 269, 2
Balbuties quid. 301, 2
quale in homine ſignificet temperamentum. 303, 1
Balneum artificiale. 312, 1
in febre ardente non eſt tutum. 511, 2
lithontripticum. 188, 1
Balnea pedum & manuum an in febribus putridis ordinanda. 138, 2
Batrachus quid, ejus cauſa, diagnoſis, & cura. 298, 1. 579, 1. 2
vide Ranula.
Becchica. 160, 1
Beta. 93, 1
Bibentes plus cur magis ſitiant. 736, 2
Bilis quid, & unde. 12, 2
ubi generetur. 35, 1
eſt clyſter naturalis. 699, 2
quotupliciter peccet. 56, 2
licet in venis ſit, non tamen ſemper facit febrem continuam. 517, 1
vitellina unde. 515, 2
pallida, æruginoſa, glaſtea, porracea quid, quæ & unde. 58, 2
Bilis differentiæ variæ. 57, 1
à calore. 56, 2
à motu, & ſubſtantia. 57, 1
digeſtiva. 178, 2
& pituitæ complicatæ diſpoſitioni ordinat Galenus ptiſanam cum pipere. 139, 2
Bilem attenuantia. 160, 1
contemperantia. 159, 2
gignentia. ibid.
incraſſantia. 160, 2
quomodo attrahat veſicula fellis. 35, 1
atram alterantia. 160, 2
præparans julapium. 161, 1
pulvis. ibid.
refrigerantia, & attenuantia. 161, 2
incraſſantia. ibid.
Snlioſorum ſigna. 10, 2
Blitum. 93, 1
Blutſtillung. 195, 2
Borrago. 93, 2
Botryon. 673, 1
Brachium. 24, 2
die venæſectionis non eſt vehementer agitandum. 596, 2
Braſſica. 93, 1
Bubo quid, ejus differentiæ, cauſæ, ſigna, prognoſis. 611, 1
cura. 611, 2
peſtilens. 537, 1

Bubonis Venerei à peſtilenti differentia, cùm ejus cura. 688, 1, 2
 ſectio. 482, 2
Bubonum differentiæ. 481, 2
 curandorum ſcopus duplex. 481, 1
 Venereorum repercuſſio cauſat morbum Gallicum. 482, 1
 cura. 481, 2
Bubonocelen an ſecare oporteat. 753, 2
Bufones aſſumpti. 554, 1
Bulimos quid, ejus ſubjectum, cauſa, prognoſis. 349, 2
 cura. 350, 1
 differt à fame canina. 352, 2
Bullæ in urina quid ſignificent. 66, 2
Butyrum. 96, 1

C.

Cachexia quid, ejus cauſæ, & ſigna. 375, 1
 cura. 375, 2
 poſt hæmorrhagiam. 290, 1
 an ſemper præcedat hydropem. 379, 1
Cachexiæ qui magis ſint ſubjecti. 379, 1
Caeochymia, quid & unde. 56, 1
Cadaver non habet intemperiem frigidam. 50, 2
Cæpæ. 93, 2. 94, 1
Calculus, ubi, & unde generetur. 58, 1
 quomodo fit morbus. 58, 2
 quotuplex. 427, 1
 ejus cauſa. 427, 1. 430, 2. 431, 1
 exploratio, & ſigna. 685, 2
 doloribus an purgatio, & venæſectio conveniant. 143, 1
 v. Dolor. nephriticus.
Calculum frangentia. 176, 1
Calculi per alvum excreti. 741, 1
Calculus renum, ejus ſigna. 427, 2
 cura. 428, 1
 an diuretica petat. 431, 2
 veſicæ & ejus ſigna. 427, 2
 in veſica puerorum. 561, 2
 in urina quid ſignificet. 67, 1
Calculi in veſicula fellis reperti ſunt leves. 741, 1
Calculoſis ſupinus decubitus eſt nocivus. 431, 1
Callus quid. 631, 2. 670, 1. 690, 1
 quando fiat. 680, 2
 an generatus ſit, quomodo cognoſcatur. 681, 1
Callum generantia. 176, 1
Calli in corde reperti. 753, 1
Calor attrahit, & facit fluxum materiæ. 52, 1
 quomodo generetur. 496, 1
Calor elevatus à facultatibus naturalibus plus facit, quam non elevatus. 52, 1
Caloris idem gradus fiens, & factus, non habent eandem reſiſtentiam. 112, 1
Calor an ſit de eſſentia febris. 491, 2
 omnis an ſit febris. 491, 1
 ſuperadditus an ſit calor febrilis. ibid.
 febrilis quomodo ante mortem videatur remiſſior. 492, 2
 an per totum corpus debeat eſſe diffuſus. ibid.
Calor febrilis quomodo à naturali diſtinguatur. 697, 1
 & ſitis qualia ſint ſigna in febribus. 512, 1
 nativus quid. 18, 2
 ejus natura. 19, 1
 varia acceptio. 18, 2
 non eſt elementaris. 19, 1. 20, 1
Calidum innatum quid. 18, 2
 differt ab humido primigeneo. 18, 1
 non putreſcit. 20, 1
Calvariæ fractæ ſigna. 649, 2
Calvities ubi fiat. 25, 2
Calx. 24, 1
 viva aſſumpta. 555, 1
Camaroſis, v. Concameratio.
Canalis urinæ ulcera v. Urethræ ulcera.
Cancer quid. 689, 2. 627, 1
 ejus ſigna, differentiæ, & cauſæ. 627, 1
 ſymptomata, prognoſis, & cura. 627, 2
 occultus an aperiendus. 690, 1
 quando fiat ulceratus. 627, 2
Cancroſi fiunt, qui frequenter lentes comedunt. 93, 1
Cancri. 97, 1
Canis cur magis, quam reliqua animalia, rabie laboret. 257, 1. 259, 2
Canis rabidi morſus. 554, 2. 257, 2
 an periculoſus. 259, 1
 ejus ſigna. 257, 2
Canis piſcis fel aſſumptum. 554, 1
Cantharides aſſumptæ. 553, 2
 veſicæ inimicæ. 599, 1
Capitis figura. 251, 1. 253, 1
 affectus qualem venam ſecandam petat. 595, 1
 dolor, ejus differentiæ, ſigna diagnoſtica & cauſarum. 205, 2
 cauſæ, & indicationes. 206, 1
 prognoſis, & cura. 206, 2
 non admittit vinum. 208, 2
 cauſæ rationem indult. 205, 1
 ut exeitetur tria requiruntur. ibid.
 in peſte qualis. 537, 1
 an venæſectionem requirat. 209, 1
 cur ab urina tenui denotetur. ibid.
Capitis contuſio unde. 640, 1
 inflatio in pueris. 570, 2
 à flatibus, & ejus ſigna. 571, 2
 prognoſis, & cura. 572, 1
 pori ſangvinem fundentes. 760, 2
 tumor aquoſus v. Hydrocephalus.
 ulcera manantia v. Tinea.
 vulnera v. Vulnera capitis.
 vulnera magna cur quandoque ſanabilia, parva quandoque lethalia. 751, 2
 dolor an epithemata indicet. 209, 1
Caput confortantia. 167, 2
 ad Caput ducentia. 177, 1
Capite vulnerato quid faciendum Chirurgo, & an olea tunc conveniant. 688, 2
Carbonum fumus ſuffocat. 745, 1

Carbunculus quid. 604, 1
ejus differentiæ, cauſæ, ſigna, prognoſis, & cura. 604, 2
peſtilens quid. 537, 1
ejus cura. 605, 2
Cardialgia quid, ejus ſigna. 346, 2
cauſæ, prognoſis. 347, 1
indicationes, & cura. 347, 2
cur cauſet ſyncopen. 349, 1
quomodo differat à ſtomachi dolore. ibid.
Cardialgiaci cur calidis lædantur. ibid.
aliquando ſuffocari videantur. ibid.
Cardialgiâ mortui cor an uri non poſſit. ibid.
Caries Gallica quid, ejus cauſæ. 482, 2
ſigna & cura. 483, 1
Carus quid, ejus cauſæ, ſigna, indicationes, & prognoſis. 218, 1
cura. 220, 1
an ſemper ſit cum febre & cum læſa reſpiratione. 221, 2
tollat ſenſum. 222, 1
venæſectionem indicet. 130, 2
Caro quas habeat differentias. 94, 2
agnina. 95, 1
bovina. ibid.
caprina. 95, 2
cervina. 95, 1
cuniculorum. ibid.
hircina. Ibid.
hædina. Ibid.
leporina. ibid.
ovilla. ibid.
porcelli. ibid.
porcina. ibid.
ſalita recenti melior. 103, 1
vervecina. 95, 1
vitulina. ibid.
Carnem in ulceribus generantia. 175, 1
Carnes aſſæ ſunt elixis humidiores. 103, 1
ſub aſſatione non perforentur cultro. 91, 2
Carnium bullitio quomodo fieri debeat. ibid.
elixarum, & juruſentarum differentia. ibid.
Carpus. 24, 2
ejus luxatio v. Luxatio carpi.
Carunculæ in urina quid ſignificent. 67, 1
ejus ſigna, prognoſis, & cura. 677, 1
Cartilago & os quomodo ſint partes ſimplices. 41, 1
Cartilaginis enſiformis elevatio à flatibus. 726, 1
Cartilagines. 25, 1
Caryophylli. 100, 2
Caſeus. 96, 1
Caſſia lac adimit, & menſes pellit. 675, 1
Catalepſis quid. 218, 1
ejus differentiæ. 218, 2
indicationes & prognoſis. 218, 2. 222, 1
cura. 220, 1
an ſit cum læſa reſpiratione. 222, 1
unde cauſet circuitus. ibid.
Cataputia aſſumpta. 556, 2
Cataracta quid, ejus differentiæ, ætates. 264, 1
cauſæ & ſigna. 264, 2
prognoſis. 265, 1
ſigna & cura. 265, 2
Catarrhus quid. 306, 2
ejus differentiæ. 307, 1
prognoſis, cauſæ, & indicationes. 307, 2
cura. 308, 1
ferinus. 718, 2
Catarrho an conveniat phlebotomia. 313, 2
purgatio, & qualis. 311, 2
ſternutamentum. ibid.
ungventum pectorale. ibid.
Catarrhum quænam curent. ibid.
Catarrhi cur in Auſtria frequentiores. 312, 2
puerorum cum cauſis, ſignis, & cura. 576, 1
Cathæretica. 176, 2
Cathartica cholagoga cum doſibus. 166, 1
melanagoga cum doſibus. 167, 1
phlegmagoga cum doſibus. 166, 2
Caudata mulierum ægritudo. 747, 2
Cauſa antecedens quæ. 47, 2
continens quæ. ibid.
febris non eſt putredo. 50, 1
reperitur in omnibus morbis. 47, 2
qualis præſupponit proceſſum in infinitum. 50, 1
efficiens maxime in morbis conſideratur. 47, 1
morbifica in Methodo. 222, 1
procatarctica quæ, & ejus diviſio. 47, 2
ſemper eſt extrinſecùs adveniens. 49, 2
quomodo ſit in actu ſecundo. ibid.
morbi productionem attingat. ibid.
Cauſæ diviſio in cauſam per ſe, & accidens eſt bona. 49, 2
Cauſam continentem qualis morbus habeat. 50, 1
requirunt etiam res permanentes. ibid.
Cauſæ unde deſumantur. 48, 1
efficientes quomodo ad morbum producendum concurrant. 699, 1
morbi calidi. 51, 1
frigidi, humidi & ſicci. 51, 2
Cauſarum morborum diviſio. 47, 2
Cauſandi modi. 699, 1
Cauſtica. 175, 2
Cauſus quomodo à tertiana differat. 512, 1
Cautelæ de mulierum urina. 68, 2
Cauterium quid, quotuplex, & ubi applicandum. 598, 2
faciat, quando applicandum, & claudendum, & poſt ejus applicationem quid faciendum. 599, 1
ejus fluxus quomodo promovendus. ibid.
Cauterizandum eſt, ſi aliter ſangvis ſiſti non poſſit. 688, 2

Cenon

Cenon v. Tinea.
Cerebellum. 36, 1
Cerebrum quas arterias habeat. 34, 1
an inflammetur. 241, 2
refrigerandi cordis gratia eſt. 37, 2
quomodo ſentiat. 38, 1
vulneratum curatur. 751, 1
Cerebri anatome. 35, 2
clunes. 36, 1
glandula pinealis. ibid.
pituitaria. Ibid.
infundibulum. ibid.
Cerebri læſi Conſilium. 701, 1
cum meningibus ſigna. 688, 2
meninges. 35, 2
principes actiones à quo dependeant. 37, 2
plus habet homo quam reliqua animalia. 306, 2
teſtes. 36, 1
ventriculi. ibid.
vulnera v. Vulnera cerebri.
vulva. 36, 1
Cerebrum animalium. 95, 2
Cereviſia. 99, 2
Cervinæ caudæ venenum. 554, 1
Cervix, & ejus vertebræ. 25, 1. 2
Cervicis ventriculi elevatio à flatibus. 726, 1
Ceruſſa an adhibenda ad hepar. 374, 2
aſſumpta. 555, 1
Chalybs quid in hernia faciat. 426, 2
Chalybeata in fluore mulichri quare adhibeantur. 452, 1
obſtructiones tollant. 367, 1
medicamenta quomodo venas uteri reſerare poſſint. 445, 2
Chamelæa aſſumpta. 556, 2
Characteres Pharmaco-Chymici. 203, 1
Chemoſis quid. 260, 1
China Chinæ an & quando ſumenda. 522, 2
Chirurgia quid. 592, 1. 687, 1
ejus neceſſitas & diviſio. 592, 1. 687, 1
ſubjectum & finis. 592, 2
in quot rebus verſetur. 687, 2
Chirurgiæ adminiſtrationes. 592, 2
Chirurgus qualis eſſe debeat. 668, 2
quibus debeat eſſe inſtructus. 687, 1
Chirurgorum examen. ibid.
Chloroſis quid, ejus cauſa, & differentia. 444, 1
progpoſis & cura. 444, 2
Chloroſi cur Domicellæ Aulicæ tam frequenter laborent. 446, 1
laborantes aliquando innoxiè vomitum nigrum habent. ibid.
laborantibus Virginibus an ſaphena ſit ſecanda. 141, 1
Cholera quid, & ejus differentia. 357, 1
ſigna, prognoſis, & cura. 357, 2
Cholera laboranti cur alvus conſtipetur. 360, 1
quomodo cibus ſit porrigendus. 360, 2
Cholera laboranti an lac aſininum præſcribendum. 360, 1
cur ſtomachus debilis. 360, 2
an vena ſecanda. 360, 1
vomitus provocandus. ibid.
Cholidochi pori. 30, 1
cur ſangvinem excludant. 35, 1
Chordapſum quid Authores vocent. 402, 1
Chylus quid & ubi ſanguificetur. 22, 1
Chyli receptaculum. 30, 1
Chymici cum Galenicis conciliantur. 207, 2
Cibus & potus quis maxime vitandus. 90, 1
ingeſtus mutatus in phlegma. 34, 2
Cibi copia quomodo ventriculi coctionem lædat. 54, 2
defectus quomodo cauſet morbum frigidum. 52, 1
quantitas. 90, 1
Cibo aſſumpto an movendum ſit corpus, & cur motus fortis prohibeatur. 142, 2
Cibi Auſtriaci multum ſangvinis generant. 163, 2
bilem generantes. 163, 2
calefacientes. 164, 2
digeſtionis difficilis. 163, 2
facilis concoctionis. 164, 2
humectantes. 165, 2
humores crudos generantes. 163, 2
inflantes. 164, 1
non inflantes. ibid.
melancholiam generantes. 163, 1
medii inter attenuantes & incraſſantes. 157, 2
phlegma generantes. 163, 1
redundantes. 164, 2
refrigerantes. ibid.
ſangvinem generantes. 163, 1
ſucci boni, & mali. 162, 2
ſuccum craſſum generantes. 164, 1
tenacem generantes. 164, 2
an tempore certo in ſtomacho morentur. 346, 1
tranſitus tardioris. 193, 2
ventrem moventes. 194, 1
Ciborum numerus. 100, 1
ordo. 90, 2
præparatio. 91, 1, 2
ſimplicitas laudatur. 742, 1
varietas vitanda. 90, 2
Cibis non bonæ miſcentur cordialia. 136, 2
medicamenta. 137, 2
Cibos ſumendi tempus. 91, 1. 103, 1
Cibandi conſuetudo. 92, 1
modus ægros in morbis acutis. 241, 2
Cibandus an ſit æger de nocte. 138, 2
quoties ſit æger de die. 241, 2
Cibare multum in ſtatu non eſt bonum. 134, 2
Cicatricem vulneribus inducendi modus. 642, 1
Cicatrizantia. 162, 1. 183, 2
Cicuta aſſumpta. 556, 1

Cinnabaris aſſumpta. 555, 2
Cinnamomum. 100, 2
Circulus in urina quid ſignificet. 66, 2
Cirſocele quid, & ejus cura. 426, 1
Claviculæ. 23, 2
Clavus quid. 631, 2
Clithoris. 40, 1
Clithoridis mira excreſcentia. 747, 2
Clyſter an jejuno ſtomacho applicandus. 145, 2
nivis Martialis an proſit. 146, 1
Coagulantia. 162, 2
Coccyx. 24, 2
ejus luxatio v. Luxatio coccygis.
Cochlearia. 93, 2
Cochleæ. 97, 1.
Cæci ductus in hydropicis. 736, 1
Cœloma quid. 673, 1
Cœna largior cur quibusdam impediat ſomnum. 132, 2
an debeat eſſe prandio. ibid.
ſit parcior prandio. 102, 1.
quomodo finienda. ibid.
Cœnæ carentia cui æquipolleat. 89, 2
Cognitio in Conſultatione quid. 693, 1
Coitus frequens an poſſit generare morbum Gallicum citra aliud contagium. 489, 2
cum impuris an ſemper inficiat. 488, 2
Colchicum aſſumptum. 556, 3
Colica paſſio quid, & ejus cauſæ. 395, 2
ſigna. 396, 1
differentiæ, & prognoſis. 396, 2
cura. 397, 1
remedia. 751, 1
curata. 749, 2
quomodo in paralyſin mutetur. 399, 1
pertinax cur acidulis cedat, & non aliis medicamentis. 399, 1. 2
puerorum, & ejus cauſæ, prognoſis & cura. 581, 1
ſpuria. 396, 1
Colico quando narcotica propinanda. 399, 2
an unicuiq; danda ſint narcotica. ibid.
Theriaca recens proſit. ibid.
Colici quomodo fiant arthritici. 399, 1.
ſi utantur calidis in materia biliosa, cur reliquis citius paralytici evadant. 399, 2
Colicis doloribus an ſtatim calentibus oleis ſuccurrendum. 146, 1
Collyrium. 165, 2 166, 1
Colocynthis aſſumpta. 557, 1
Color corporis quid. 43, 2
viridis in oculo eſt morbus. 45, 2
quomodo dicatur morbus, & ſymptoma. 47, 1
urina unde. 86, 1
Coloſtrum quid. 566, 2
Columbæ. 96, 2
Columella. 40, 2
quid faciat ad reſpirationem. 299, 2
Columellæ amputatio. 299, 1
inflammatio. 79, 1
Columellæ relaxatio, ejus ſigna, & cura. 299, 1
an curetur tractis capillis. 299, 2
Columnarum excreſcentiæ. 747, 2
Coma quid, & ejus diviſio, cauſæ, ſigna, indicationes, prognoſis. 217, 1
cura. 220, 1
an venæſectionem petat. 350, 1
Concameratio quid. 649, 1
Concoctio in quo conſiſtat. 88, 2
à quibusnam qualitatibus magis lædatus. 346, 2
Concoctionis ſigna quænam ſint. 81, 2. 85, 1
quando apparere debeant, & quotuplicia ſint. 82, 1. 2
Condenſantia. 176, 2
Condimenta improbantur. 100, 1
Condylomata quid. 631, 1
Conferentia dentibus. 165, 1
oculis. ibid.
Confortantia caput. 167, 2
cor. 169, 2
hepar. 172, 1
inteſtina. 174, 1
pulmones. 168, 2
ſplenem. 173, 1
ſtomachum. 171, 1
Confricatrices quæ. 747, 2
Congeſtio in tumoribus quid. 600, 1
Conſilium de inappetentia. 703, 2
de pleuritide. 713, 1
Conſtringentia. 175, 2
hæmorrhoides. 174, 2
menſtrua. ibid.
Conſuetudo quid. 43, 2
Conſultandi modus. 129, 1
doctrina laudatur in Medico. 691, 1
Conſultatio diſtinguit doctum ab indocto. ibid.
Conſultationes circa quæ, & quot verſari debeant. 691, 2
Conſultationum utilitas. 691, 1
Conſultor quæ ægri honorem lædunt non proponat. 692, 1
de ægri naturali, & præternaturali ſtatu quando ſuum diſcurſum incipere debeat. 691, 1
temperamento an in conſilio diſcurrere debeat. 694, 2
ſuis auditoribus ſe accommodet. 692, 2
duo objecta habet, ſicut & duplicem finem. 692, 2
præ oculis ſemper habeat. 695, 1
de morbo dum deliberat, quænam de illo proferre debeat. 696, 1
quid de morbi eſſentia, & differentiis conſiderare debeat. 697, 2
cauſa dicere debeat. 699, 1
ſignis dicere debeat. 706, 2
ſymptomatibus dicere debeat. 700, 2
à ſermone ſuo non deflectat. 692, 1

Conſulto-

Conſultorum ordo obſervandus. 692, 1
varii errores. 692, 2
Contagium quid, ejus requiſita. 531, 2
differentiæ, & fomes. 525, 2
quomodo communicetur. 526, 2
an à vivis, an à mortuis magis ſit periculoſum. 532, 2
Contenta cineroſa quid in urina ſignificent. 67, 2
crimnoidalia à carne proveniunt. ibid.
triticea quid in urina ſignificent. ibid.
In urina ſtatus ſignificant 69, 2
Continuitatis ſolutio non habet cauſam continentem. 50, 2
Contractura unde. 395, 2
acidulis curatur. 750, 2
ex colica quomodo curetur. 398, 1
Contracti cur ſint rauci. 313, 2
Contrafiſſura. 752, 2
Contrapellentia. 176, 2
Contraria contrariorum ſunt remedia. 108, 1. 111, 1, 2
debent eſſe in eodem gradu. 111, 2. 112, 1
Contuſa an pro cibo bene exhibeantur. 132, 1
Contuſio quid, ejus ſigna, & cura. 643, 1
in luxationibus. 648, 2
Convaleſcentes omnium morborum tempora percurrunt. 85, 1
Convulſio quid, ejus diviſio, & differentiæ. 222, 2. 232, 1
indicationes. ibid.
prognoſticum. 224, 1
an ſit incurabilis. 23 , 2
quomodo à febre curetur. 232, 2
an curetur aquæ frigidæ infuſione. ibid.
quomodo habeat ſenſum, & motum abolitum. 224, 2
qualis ſit affectus. 232, 1
hyſterica quomodo ab aliis differat. 457, 1
menſibus fluentibus an malum. 448, 2
paralyſis, & tremor quomodo inter ſe differant. 232, 2
poſt vulnera. 689, 1
puerorum, ejus cauſæ, & ſigna. 573, 2
cura. 574, 1. 232, 1
Convulſiones puerorum. 590, 2.
cur in Auſtria frequentiores. 232, 2
poſſunt etiam fieri ab alimentis, aëre & vino. ibid.
Convulſivus motus quomodo à naturali differat. ibid.
Cor & arteriæ eodem tempore dilatantur & conſtringuntur. 77, 1
implentur quia dilatantur. ibid.
generat diverſos humores. 33, 1. 35, 1
cur principatum obtineat. 33, 2
Cordis anatome. 33, 2
auriculæ. ibid.
figura. ibid.
ſeptum. ibid.
ſitus. ibid.
vaſa. ibid.
ventriculi ibid.
quid propagent. 30, 2
Cordis palpitatio quid, & ejus cauſæ. 340, 2
differeutia, ſigna, prognuſis. 341, 1
cura. 341, 2
ab arteriæ cœliacæ palpitatione quomodo differat. 343, 1
In chloroſi quare tanta ſit. 243, 1
à vaporibus malignis an fiat. ibid.
an venæſectionem ſemper petat. ibid.
à tremore cordis quomodo diſtinguatur. 342, 2
palpitationi bene applicatur ventoſa. 343, 1
patheinatum proditores qui. 34, 1
ventriculorum vulneratorum ſigna. 655, 1
vulnera. 752, 2
quando ſecunda vice detegenda. 657, 2.
vulnerati ſigna. 655, 1
cura. 657, 1
Cor confortantia. 169, 2
confortans epithema. 170, 2
julapium. ibid.
mixtura. ibid.
Cordialia cibis non bene miſcentur. 136, 2
Cor animalium. 95, 2
Coriandrum recens aſſumptum. 556, 1
Cornu Cervi cur in peſte fuerit ordinatum. 539, 2
cujus ſit temperamenti. ibid.
Cornu rejectum tuſſi. 334, 2
Corona in urina quid. 63, 2
Corpus calloſum. 36, 1
humidum cur facilius ſit deſiccare, quàm ſiccum humectare. 257, 1
neutrum quodnam dicatur. 44, 1
cur melle inungendum. 4 2, 1
Corporis diviſio ſecundum Hippoc. 85, 2
alia. 20, 2
frigida, & humida intemperies appetitum dejicit. 705, 1
temperaturæ unde cognoſcantur. 43, 2
Corrodentia. 175, 2
Coſtæ fractura v. Fractura coſtæ.
Coſtæ. 23, 1
Coſtarum luxatio v. Luxatio coſtarum.
Coturnices. 96, 2
Coxendix. 24, 1
Coxendicis fractura v. Fractura coxendicis.
dolor qualem venam ſecandā petat. 595, 1
ſedatur apertione hæmorrhoidum. ibid.
Crabronum ictus. 554, 2
Crampa quid. 224, 1
Cranium. 22, 2
depreſſum quomodo tractandum. 652, 2
Cranii ſuturæ, & oſſa. 22, 2
Cranio fracto cute remanente integra an poſſit fieri ſectio. 652, 1
Criſis quid, & ejus conditiones. 78, 1
fit apparentibus ſignis coctionis. 82, 2
die exacerbationis. 83, 1
critico. 82, 2

Criſis requirit concoctionem urinæ. 82, 2
qualis ſit futura. 78, 2
qualem motum ſuſcipiat. 80, 1
cauſatur etiam à motu Lunæ. 83, 1
principaliter à natura. ibid.
quid notabile & conſideratione dignum habeat. 78, 2
ſit in ſtatu. 82, 2
ſymptomatica. 79, 1
per quas vias ſit futura. ibid.
victus rationem mutat. 77, 1
Criſis bonæ & malæ ſigna. 79, 1
formalis ratio eſt ſubitanea nutatio. 82, 1
tempus. 83, 1
Criſin præcedentia ſigna per alvum, hæmorrhoides, nares, ſudores, vomitum, urinas & uterum. 80, 1
ſequentia ſigna. 80, 2
Criſes longæ. 75, 2
in quibus morbis eveniant. 81, 1
Criſium differentiæ. 78, 2
Critica ſigna quæ. ibid.
quotuplicia. 78, 1
Criticis diebus nihil agendum. 77, 2
Criſtæ quid. 631, 1
Crocus. 101, 1
Crurum ſiſſura v. Fractura crurum recta.
Cruſta lactea quid, & ejus cura. 568, 1
Cruſtas ulceribus inducentia. 175, 1
Cryſtalli Vidi Vidii quid. 545, 2
Cubitus. 24, 2
Cubiti luxatio v. Luxatio cubiti.
Cucumeris agreſtis ſuccus aſſumptus. 557, 1
Cucurbitulæ dupliciter adhibentur, & quare. 597, 2
quando conveniant. 136, 1
Cucurbitulas applicandi modus. 598, 1
cur non præcedat purgatio. 141, 1
Cura an ſemper à levioribus incipienda. 133, 2
per temperata cur non dicatur per contraria. 139, 1
Curare per characteres & verba quid ſit. 109, 2
Curatio in Methodo Medendi quid. 106, 1
Curæ poſt V. S. vitandæ. 596, 2
Cutis humana eſt valde poroſa. 761, 1
Cutem mundantia. 175, 2

D.

DÆmon quibus rebus expellatur. 113, 1
quomodo operetur quid materiale. 115, 1
ejus actiones in corpus. 247, 1
v. Diabolus.
Daucus. 93, 2
Decoctum pectorale. 151, 2
vitulini cruris an pro potu ordinario bene exhibeatur. 132, 1
vulnerarium. 195, 1
Decoctis an aurum imponendum. 139, 2
Dedolatio quid. 649, 1
Defenſiva. 181, 2
Definitiones plures poſſunt dari de una re. 2, 2
Delirium in peſte. 537, 2
Dentis cavi hæmorrhagia. 760, 2
Dentes. 23, 1
quomodo apoſtomentur. 296, 1
cur callo non obducantur. 296, 2
non ferro, ſed frigore lædantur. ibid.
integri recreſcant & non pars. ibid.
mulieribus fucatis fæteant. 295, 2
cujus naturæ ſint. 296, 1
quomodo ſentiant. ibid.
Dentium caries. 295, 2
color pravus unde, & ejus cauſæ. 293, 2
Dentium dolor, ejus ſigna, & cauſæ. 293, 1
prognoſis & cura. 293, 2
amuletum. 578, 2
remedium. 560, 2
evulſio quando, & quomodo facienda. 295, 1
nigredo. 295, 2
ſtridor. 223, 1
ſtupor. 296, 2
Dentibus conferentia. 165, 1
nocentia. 176, 2
Dentitio dolorifica, ejus ſigna, prognoſis, & cura. 578, 2
promotio. 578, 1
eam juvantia. 560, 2
Derivatio quid. 123, 1
Deſidentia quid. 649, 1
Detergentia. 180, 2
Diabete, ejus cauſa, ſigna, prognoſis, & cura. 437, 1
quomodo ab urinæ incontinentia differat. 238, 2
Diabolus an ſit ſemper præſens obſeſſo. 250, 1
poteſt curare remediis naturalibus. 115, 2
v. Dæmon.
Diæta qualis imperanda. 113, 1. 124, 1
tenuis, an craſſa in principio morbi conveniat. 131, 2
variat ſecundum tempora morbi. 710, 2
Diaphoretica. 176, 2
Diaphragma. 41, 1
quale ſit reſpirationis inſtrumentum. 331, 1
Diaphragmatis vulnera. 753, 1
vulnerati ſigna. 655, 1
Diarrhœa quid, ejus differentiæ, & cauſæ. 410, 1
ſigna & prognoſis. 410, 2
cura. 411, 1
quale ſymptoma. 61, 1
puerorum, & ejus cauſæ. 581, 2
ſigna, prognoſis, & cura. 582, 1
in dentitione. 579, 1
Diarrhœâ laborantibus ſi acidus ructus incipiat, quid ſignificet. 413, 2
an purgatio proſit. ibid.
vomitus procurandus. 413, 1
Diarthroſis. 25, 1
Dies criticus quis. 83, 1
primus debet eſſe criticus. 85, 2
decimus quartus eſt impar. 86, 1

Diem criticum cauſandi quomodo Luna habeat virtutem. 85, 2. 86, 1
Die critico an ab omni cibatione abſtinendum. 138, 2
quando movendum, & quando quieſcendum. 88, 1
Dies critici boni, mali, indifferentes, indices & intermedii qui. 83, 2
intercalares & provocatorii qui. 88, 2
non ſunt alii præter enumeratos. 86, 1
quomodo ſint impares. 85, 2
Dierum criticorum cauſa. 84, 1
non eſt conſonantia, nec humor melancholicus, nec proportio agentis ad paſſum, nec virtus aucta, vel diminuta. 88, 1
numerus non eſt. 86, 2
quomodo procedat. 83, 2
Diebus criticis nihil eſt faciendum. 77, 2
Digeſtiva bilis. 178, 2
melancholiæ. 179, 1
pituitæ. 178, 1
Digiti. 24, 2
eorum luxatio v. Luxatio digitor.
pulpa eſt analogice temperata ad pondus. 10, 1
Dilatantia vulnera. 155, 1
Diotica. 158, 1
Diſcurſus in conſilio à morbi cauſis. 693, 2
eſſentia. 693, 2
effectibus. 694, 1
ſimilitudine. ibid.
formandus declaratur per exemplum. 698, 1
Diſcutientia. 181, 1
quæ in aliqua corporis parte coaluerunt. 179, 2
Divinum quid ſit apud Hippoc. 78, 1. 115, 1
Diuretica. 179, 2
Dogmaticus & Empiricus analogiſmus inter ſe differunt. 129, 1
Dolor quid. 123, 2
non eſt actio. 701, 1
capitis cur ab urina tenui denotetur. 209, 1
quando curandi ordinem invertat. 208, 2
an ab humido excitetur. 209, 1
ad jugulum, vel ad ilia tendens quale ſit ſignum in pleuritide. 62, 2
in luxationibus. 684, 2
oſtocopus in morbo Gallico quomodo tollatur. 480, 1
an ſemper ſtupefacientia, & ſummus quando venæſectionem petat. 137, 2
Doloris cauſæ. 720, 1
an ſola alteratio. 209, 1
Conſilium. 701, 1
ſpecies. 280, 1
nephritici differentia. 4·7, 2
Dolorem, & ardorem lenientia. 180, 2
Dolorem & fluxionem ſedantia. 179, 2
mitigantia quæ, & quotuplicia. 603, 2
Dolores Gallici cur majores in juncturis. 489, 1
& humores diſſipantia. 180, 2
poſt partum, & eorum cura. 47·, 2
Dormiendum non eſt poſt V. S. 596, 2
Dorſum. 23, 2
Dorycnium aſſumptum. 556, 1
Doſes medicamentorum ſecundum alphabetum. 96, 1
Ducentia ad caput. 177, 1
fœtum & ſecundinas. 179, 1
ad hepar. 177, 2
juncturas. 178, 1
matricem. ibid.
pectus. 177, 2
renes. 178, 1
ſplenem. 177, 2
veſicam. 178, 1
Ductus Wirſungicus. 39, 1
Dura mater, & ejus ſinus. 35, 2
Dyſenteria quid. 413, 2. 414, 1. 4 8, 2
ejus diviſio. 413, 2
pars affecta, differentia, cauſæ. 4 4, 2
ſigna & prognoſis. 414, 2
cura. 4 ·, 2
quæ bona, quæ mala, & quæ deterior. 419, 1
an tantum fiat inteſtinis affectis. 4 9, 2
Dyſenterico an vena ſecanda ſit. 130, 2
Dyſenterici quale mortis ſignum præbeant. 560, 2. 583, 1
Dyſentericum fermentum cur contagioſum. 699, 2
Dyſenteria puerorum, ejus cauſæ, ſigna, & prognoſis. 582, 2
cura. 583, 1
Dyſpnœa ex percuſſione ad occiput. 33·, 1
Dyſuria. 535, 1

E.

Ecchymoſis quid, ejus cauſa, ſpecies, ſigna, prognoſis, cura. 643, 2
Ecſtaſis quid. 248, 1
quotuplex. 248, 2
an fiat relicto ab anima corpore. 250, 2
D. Pauli qualis fuerit. 250, 2
ejus differentiæ, cauſæ, & curatio. 249, 1
Ectropium quando, & unde fiat; ejus cura. 276, 2
Edulia qualia in febribus eſſe debeant. 524, 1
Elaterium aſſumptum. 557, 1
Electuarium alexipharmacum. 159, 2
alvum adſtringens. 154, 2
Elementum quid, & quotuplex. 3, 2
Elementa quomodo mixta conſtituant. 3, 2
in mixto non manent formaliter. 5, 1
à principiis Phyſicis quomodo differant 4. 1
quomodo ſint ſimpliciſſima. ibid.
Grammaticæ quomodo dicantur elementa. ibid.
Elementorum cognitio neceſſaria eſt. 3, 1
formæ producunt ſuas qualitates ſine determinante, non verò formæ mixtorum. 6, 2

Elementorum materiæ non manent ſub minima particula mixti, 7,1
qualitates. 4,1
virtualis continentia quid. 6,1
Elementis reſpondent humores, 11,2
Elephantiaſis quid. 628,2
ejus differentiæ, cauſæ, ſigna. 629,1
cura. 629,2
morbus Gallicus, & variolæ an eandem habeant originem. 551,1
Elephantiaſi viri facilius quam fœminæ laborant. 628,2
Elephantiaci fiunt, qui frequenter lentes comedunt. 93,1
Emollientia. 182,1
Empirica quotuplex. 126,1
Empiricus & Dogmaticus analogiſmus inter ſe differunt. 129,1
Empirici. 126,1
Emplaſtica. 183,1
Emplaſtrum de cicuta an venenatum. 371,2
ſemper tutò applicetur. 626,2
Emproſthotonos. 223,1
Empyema quid, ejus cauſæ, differentiæ, & ſigna. 320,1
prognoſis & cura. 320,2
an uſtionem requirat. 321,2
Empyici unde fiant. 41,2
Enarthroſis. 25,1
Endivia. 93,2
Encanthis quid, & ejus cura. 279,1
Energumeni qui. 246,2
Entis naturalis unitas dependet à ſua forma. 5,1
Entreſiaſmus quid. 120,1
Ephemeræ quomodo conveniat V. S. 130,1
Epicaum.i. 673,1
Epiceraſtica. 183,1
Epididymis. 39,2
Epiglottis. 40,2
Epilepſia quid. 224,2
ejus cauſa. 225,1
differentiæ, ſigna, indicationes. 226,1
prognoſticum. 226,1
cura. 272,1
qualis ſit convulſio. 224,2
periodica quomodo fiat. 518,1
Puerorum, ejus cauſæ, ſigna & cura. 572,2
Epinyctis quid. 613,1
ejus cauſæ, ſigna & cura. 613,2
Epiphora quid, ejus cauſa & ſigna. 279,1
prognoſis & cura. 279,2
Epiploon. 38,2
Epiploocele quid. 426,1
Epithema cordiale. 170,1
Epulis quid. 297,1
ejus cura. 297,2
Epulotica. 183,2
Errhina. 182,2
Eruca. 93,2
Ervilia. 93,1
Eruum. ibid.
Eryſipelas quid, ejus differentiæ & ſigna. 613,2. 688,1
Eryſipelas, ejus cauſa, ſubjectum, prognoſis, cura. 614,1
quomodo tractetur. 628,2
quales tumores ſub ſe contineat. 600,1
Infantis. 568,2
Eſchara ex cauterio quomodo ſolvenda. 599,1
Eſculenta areſacientia. 152,2
Eſula aſſumpta. 556,2
Evacuantia an appetitum excitent. 704,1.2
Evacuatio quid. 123,1
magna à quibus prohibeatur. 125,1
Evacuationibus dubiis quid faciendum. 130,1
Evnuchi cur podagrâ laborent. 741,1
Evocantia. 182,2
Euphorbium aſſumptum. 557,1
Exanthematum proventus unde. 551,1
Exanthematibus apparentibus quartâ die quid faciendum quoad V. S. 130,2
Exciſio quid. 649,1
Excæcationis cauſa. 272,2
Excreſcentiæ miræ. 746,2
Excrementum ubi fiat. 69,1
Excrementa quomodo generentur in corde. 35,1
Excrementorum quantitas poſt paſtum. 703,1
Excreta quidnam conſiderare jubeant. 702,1
& retenta quotuplicia. 54,1
Excretio duplex. 97,1
bona quæ dicenda. 54,1
per quas vias tendat. 79,2
Exedentia. 182,1
Exercitium quotuplex. 54,2
cur appetitum cauſet. 704,2
an a cibo prohibeatur. 142,2
Exomphalos quid, & ejus cura. 426,1. 634,2
Experientia unde deſumatur. 127,2
quid pariat in cognitione. 128,2
ejus falſitas in Empirica demonſtratur. 127,1. 128,2
Exſoluti qui moriantur. 339,2
Extrahentia. 181,2
Extravaſatio quotuplex. 36,2

F.

FAbæ. 93,1
Facultas quid. 15,2
Animalis quid. 16,1
quibus ſymptomatibus divexetur. 703,2
Altrix & Auctrix quomodo inter ſe differant. 18,1
Attractrix. 26,2
Auctrix. ibid.
Concoctrix. ibid.
Concupiſcibilis. ibid.
debilis quotupliciter reddatur. 73,2. 119,2
Expultrix. 26,2
Formatrix. ibid.
Generatrix. ibid.
Imaginatrix. 16,1
Iraſcibilis. 16,2
non læditur. 44,1
Memoratrix. 16,1

Facultas

Facultas Miniſtra. 16, 2
Movens. 16, 1
Naturalis. 16, 2
quiqus ſympromatibus divexetur.
Pulſans. 16, 2 [703, 2
Ratiocinatrix. 16, 1
Reſpirans. 16, 2
Retentrix. ibid.
Sentiens. 16, 1
& Temperamentum quomodo inter ſe diffe-
Vitalis. 16, 1 [rant. 18, 1
præcedit reliquas. 125, 1.126, 1
nulla durante vitâ poteſt omnino deficere. 125, 1.2
Facultates principes ſedibus non diſcluduntur. 37, 1
declarantur ab earū actionibus.
Facultatum numerus. 124, 2 [124, 2.125, 1
ſedes. 16, 1
Fames canina. 349, 2
quo referatur. 59, 2
differt à bulimo. 352, 2
Famem cur faciliùs quam ſitim toleremus. 350, 1
paucis ſedantia. 184, 1
vini potus ſolvit. 352, 2
Fatuitas quid, & ejus cauſæ. 251, 1
cura. 252, 1
à V. S. ſomno & vigiliis. 253, 2
Favus quid, unde, & ejus cura. 570, 1
v. Tinea.
Febris quid. 490, 1
ejus ſubjectum. 490, 2. 491, 2. 492, 1. 493, 1
diviſio. 492, 2. 495, 1
differentiæ. 493, 1
eſſentiales. 494, 1
cauſæ. 496, 1
quomodo curetur. 821, 1
an antevertere poſſit. 519, 1
conſiſtat in ſolo addito calore. 492, 1
ab humoribus non alteratis poſſit accendi. 495, 2
lædat omnes actiones naturales. 493, 1
obſtructiones tollat. 367, 1
qualis æquali dierum numero finiatur. 86, 1
proponitur pro diſcurſu in conſilio formando.
Febris variæ acceptiones. 490, 1 [693, 2
Febre præſente cum Syncope, Lipothymia, aut Car-
dialgia, quid faciendum quoad V. S. 130, 2
Febres appetitum dejiciunt. 705, 1
Febribus quænam corpora ſint magis obnoxia 497, 1
Febrilis calor quomodo communicetur. 491, 2
inæqualitas quid. 77, 1
Febricitantib' quomodo aqua frigida conveniat. 509, 1
an carnes & ova exhibenda. 131, 2
piſces exhibendi. 133, 1
Febris Ardens quid, ejus differentiæ, cauſæ & ſigna. 510, 1
indicationes & cura. 510, 2
Biliosa an poſſit terminari per hæmorrhagiam. 511, 2
Continua an fiat in vaſis, & intermittens ex-
tra vaſa ab humore putreſcente. 506, 1
etiam ſit ab humore extravaſato. 698, 1
Febris Ephemera quid, & ejus diviſio. 497, 1
cauſæ & ſigna. 498, 1
indicationes & cura. 498, 2
quomodo cognoſcatur, & cur ſudo-
re ſolvatur. 499, 1
und oriatur. 498, 2
dignoſcitur ex pulſu. 75, 2
ſi mutata ſit in humoralem, quibus
ſignis cognoſcatur. 499, 2
Fiens & facta quid. 495, 1
Hectica quid. ibid.
ejus differentiæ. 500, 1
cauſæ. 500, 1. 6, 2
ſubjectum. 503, 1
ſigna & prognoſis. 500, 2
indicationes. 501, 1. 504, 1
cura. 501, 1
an ardente ſit intenſior. 504, 1
ſit calor præternaturalis. 503, 1
habeat cauſam conſervantē. 504, 1
fiat ſine alia febre præcedente. 504. 2
ſit habitus. 503, 2
debeat habere ſiccitatem conjun-
ctam. 504, 1
cum hepatis tumore & ulcere crurum phage-
dænico. 712, 1
Humoralis unde, & ejus differentiæ. 505, 1. 2
ſigna. 506, 1
Hungarica v. Morbus Hungaricus.
Intermittens cur non oriatur ex ſangvine 509, 2
Lactea unde. 471, 1
an non tranſeat in putridam. 473, 1
Latica an ſit quotidiana. 517, 2
Maligna an indicet ſpecies de gemmis frigidis. 136, 2
venæſectionem. 145, 2
Nonana. 519, 1
Particularis. 698, 2
Petechialis v. Morbus Ungaricus.
Peſtilens an detur ſine peſte, & an ſemper ſit
peſtis comes. 527, 1
Puerorum. 590, 1
Putrida an indicet pediluvia. 138, 2
Puerperarum. 471, 2
Quartana quid. 519, 1
ejus diviſio, cauſæ, indicationes pro-
cura. 520, 1 [gnoſticum. 519, 2
an à melancholiâ oriatur & à liene
v. ſ. indicet. 523, 2 [foveatur. 523, 2
Quintana. 519, 1
Quotidiana quid, ejus cauſæ, & ſigna. 516, 1
indicationes, prognoſis
Sextana. 519, 1 [& cura. 516, 2
Symptomatica an detur. 494, 2
Tertiana exquiſita quotuplex. 512, 1
ejus cauſæ, ſigna, indica-
tiones, & prognoſis. 512, 2
locus. 698, 1
cura. 513, 1
an ſit acutus morbus. 515, 1
notha quid, ejus differentiæ, ſigna, in-
dicationes, prognoſis & cura. 514, 1

Febris Tertiana notha an fiat ex bile cum melancholia permixta. 515,2
qualem petat victum. 516,1
duplex quomodo differat ab hemitritæo. 515,2
Febris ex vigilia quò referatur. 51,1
Felis cerebrum aſſumptum. 554,1
Fellis veſicula. 30,1.39,1
turget quandoq; calculis. 39,1
Femur. 24,1
Femoris luxatio v. Luxatio femoris.
Ferri ſquamma aſſumpta. 555,1
Ferrugo aſſumpta. 555,1
Ficus quid. 631,1.747,2
Fieber-Zelten quid. 612,2.755,1
Filamenta in urina quid ſignificent. 67,2
Filetum quid & ejus cura. 579,1
Filii prudentes cur à ſtultis, & vice verſâ generentur. [253,2
Fiſſuræ ani v. Ani ragades.
crurum v. Fractura crurum recta.
uteri v. Uteri rhagades.
Fiſtula quid. 689,2.670,1
ejus prognoſis & cura. 670,2
ani. 672,1
lachrymalis quid, ejus cauſæ, & ſigna. 671,1.278,2
prognoſis & cura. 672,1.278,2
Fiſtula ſacra quid. 36,2
Flagellati quomodo tractandi. 643,1
Flatus quid & unde. 57,2
an ſit cauſa omnium morborum. 725,1
quomodo generetur. 726,1
Furioſus quid. 725,1
differt à rhevmatiſmo. 725,2
ejus ſigna. 726,2
Flatus an compreſſionem faciant. 402,1
ubi generentur. 58,1
an hepatis obſtructionem poſſint cauſare. 336,2
quomodo peccent, & quomodo ſint ſymptomata & cauſæ morborum. 58,1
Flatuum cauaſ nova oppugnatur. 361,1
Flatus diſcutientia. 184,1
Flatuoſa cur ſit Auſtria. 380,1
Fluxio in tumoribus quid & ejus cauſæ. 600,2
examen. 702,2
origo. 667,2
requiſita. 714,1
Fluxionem ſedantia. 179,2
Fluxus alvi quomodo cohibendus, & quomodo fluxu curetur. 419,1
Hepaticus quid. 417,2
ejus ſpecies. 419,2.420,1
cauſæ, ſigna prognoſis. 418,1
cura. 418,2
an per ſtiptica tentanda.
victus. ibid. [420,1
an facilè curabilis. ibid.
unde ſuâ tenuitatẽ accipiat. 702,2
Fomenta refrigerantia cur calidè applicentur. 141,2
Fœtus ſi extruſo brachio prodeat, quid faciendum. [468,2
Fœtus mortui ſigna. 467,1
Fœtum ducentia. 179,1
Fornix. 36,1
Foſſula. 673,1
Fractura quid. 679,2.690,1
quotuplex. 690,1
ejus differentiæ, cauſæ, ſigna, & prognoſis.
coſtæ. ibid. [680,1
coxendicis. 681,1
crurum recta. ibid.
Humeri. ibid.
Maxillæ. ibid.
Oſſis ſacri. ibid.
Spinæ dorſi, ejus ſigna, prognoſis & cura. ibid.
aliorum oſſium. 680,2
Frictiones in quibusnam morbis conveniant. 135,2
Frigida quomodo appetitum excitent. 704,1
Frumentum. 94,1
Fuchſius excuſatur erroris de colore in oculo. 47,1
Fuligines quid & unde. 57,2
ubi generentur & quomodo peccent. 58,1
Funduli. 96,2
Fungi aſſumpti. 556,1
Furfures in urina quid ſignificent. 67,1
Furor uterinus unde & ejus diagnoſis. 452,2
prognoſis, indicationes, cura. 453,1
quomodo ab Hyſterica paſſione differat, & quomodo mutetur in maniam. 453,2
unde habeat ſuos paroxyſmos. 454,1
Furori uterino ſimilis affect' cur non accidat viris. ib.
Furunculus quid & quotuplex. 612,2
ejus cauſæ, differentiæ & cura. 613,1

G.

Gammari. 97,1
Ganglion quid. 625,1
Gangræna quid. 606,1.688,2.689,2
ejus differentiæ & cauſæ. 606,2
ſigna. 607,1
prognoſis & cura. 607,2
Gargariſmus pro attenuandâ in capite pituitâ. 152,2
Gargariſmi quidnam notandum habeant. 313,2
Gelatina Caponis cum cornucervi. 537,2
Gelatinis an aurum imponendum. 139,2
Generatio quid. 6,1
Genethliaci inſaniæ arguuntur. 86,2.87,1
quomodo puniti fuerint. 87,2
Genu luxatio v. Luxatio genu.
Genuum ſpongioſi tumores. 754,2
Gibbi repoſitio. 683,1
Ginglymus. 25,1
Gingivarum affectus. 297,1
abſceſſus, caro ſuperflua, fungi, Inflammatio, tubercula & veſiculæ. 578,1
prurigo quid, ejus cauſa, prognoſis, cura. 577,2
Glandula quid. 625,1
Glandulæ animalium. 95,2
Glaucoma quid. 264,1
ejus definitio, ſigna, differentiæ, prognoſis. 269,1
Glieder-Schwam. 754,2

Gluti-

Glaſtanda. 184, 1
Gobius. 96, 2
Gonorrhœa quid & quotuplex. 438, 2
ejus cura. 439, 1
an poſſit fieri ſine contactu Venereo. 441, 1
cujus facultatis ſit ſymptoma. ibid.
Gallica quomodo à non-Gallica differat. 441, 1
in fœminis cur ægrius tollatur quàm in viris. ibid.
mulierum quomodo differat ab albo fluxu. ibid.
v. Mulierum gonorrhæa.
Gonorrhææ gallicæ cura. 480, 2
Gonorrhæâ affecti cur adeò Venere tententur. 441, 1
laborantes mulieres cur non tam facile incidant in morbum gallicum quàm viri. 441, 2
Gomphoſis. 25, 1
Gonzagianum balſamum. 635, 1
Grando quid, ejus cauſa, ſigna & cura. 633, 1
Gravidæ etiam innoxiè poſſunt habere menſes 594, 2
Gravidis unde menſes fluant. 32, 2
Grumos diſſolventia. 184, 2
Gulæ vulnera ſunt curabilia. 729, 2
Gumma gallicum quid & quotuplex. 485, 2
ejus materia & prognoſis. ibid.
cura. 486, 1
Guſtatus organum. 36, 2
Guſtus læſus, ejus cauſa & cura. 301, 1
cur ab acidis augeatur. 303, 1
cur magnus & bonus in hydropicis & melancholicis. ibid.
Gutta roſacea unde & quomodo curetur. 375, 1
ſerena quid & ejus cauſæ. 276, 1
prognoſis & cura. 276, 2
Gypſum aſſumptum. 555, 2

H.

HÆmodia quid. 296, 1
Hæmoptoiſis quid, ejus ſpecies & cauſæ. 335, 1
ſigna. 335, 2
prognoſis & cura. 336, 1
Hæmorrhagia quomodo dicatur ſymptomatica. 82, 2
ex hæmorrhoidibus quomodo ſiſtenda. 647, 2
ex inteſtinis, veſica, utero vel aliis locis profundioribus quomodo ſiſtenda. 647, 1
Hæmorrhagiam vulnerum ſiſtentia. 395, 2
Hæmorrhagiæ variæ. 760, 1
Hæmorrhoidalis fluxus retentio quæ mala inferat. 703, 1
Hæmorrhoides quid. 410, 1. 678, 2
quotuplices. 420, 1
earum cauſæ, ſigna, differentiæ, prognoſis & cura. 421, 1. 420, 2. 679, 1
quales aperiendæ. 423, 2
cur poſt magnas curas aut melancholiam turgeant. 423, 2
Hæmorrhoides cur quidam patiantur ſingulis menſibus. 424, 1
Hæmorrhoidum apertio quibus proſit. 423, 2
Hæmorrhoidum apertio prodeſt in dolore faucium. 729, 1
utilitas ab Hippocrate. 424, 1
profluvium qualem venam ſecandam indicet. 595, 1
ſuppreſſio mala. 719, 2
Hæmorrhoidib' an ſangviſugæ ſint applicandæ. 423, 1
Hæmorrhoides conſtringentia. 173, 2
provocantia. 185, 1
Harmonia. 25, 1
Hectica v. Febris hectica.
Hecticæ quomodo conveniat V. S. 130, 1
Hectici cur à cibo majorem ſentiat calorem. 505, 1
Hecticis qualis aër competat. ibid.
Helleborus aſſumptus. 556, 2
Hemicrania quid, ejus cauſæ. 209, 2
ſigna, prognoſis, & cura. 210, 1
à cauſa frigida. 210, 2
cur tantum fiat ex una parte & cur faciat ſulcos. 211, 1
Hepar male affectum quid mali cauſet. 376, 1
habet facultatem alteratricem ſangvinis. 363, 2
animalium. 55, 2
Hepatis debilitas quotuplex. 361, 1
Inflammatio, ejus cauſæ, & ſigna. 372, 2
prognoſis. 373, 1
cura. 373, 2
Intemperies, ejus cauſæ & ſigna. 361, 1. 2
Indicationes & cura. 362, 1
calida, ejus cauſæ ſigna & cura. 372, 1
Obſtructio quid & ejus cauſæ. 364, 1
ſigna, Indicationes, prognoſis. 364, 2
cura. 365, 1
an poſſit fieri ſine ſangvinis craſſitie. 366, 2
an poſſit provenire à ſolo flatu. ib.
cur difficilem reſpirationem cauſet. 367, 1
cur profundat urinas aqueas. 366, 2
cur pulſũ intermittentẽ faciat. ib.
quæ mala cauſet, & quare plerunque gravitatẽ à cibus. 367, 1
quomodo à chalybeatis tollatur. ibid.
Scirrhus quid & quotuplex, ejus cauſæ & ſigna. 370, 1
Indicationes & cura. 370, 2
Hepatis ſubſtantia an aliquando rejiciatur. 419, 2
v. Fluxus Hepaticus.
vulnera. 753, 2
vulnerati ſigna. 658, 1
Hepati applicata medicamenta non probant ibi fieri ſangvificationem. 361, 2
extrinſecè emollientia applicata quomodo id confortent. 371, 2
præſcripta medicamenta ſumantur ventriculo vacuo, & deinde moveatur corpus. 39, 2
Hepar calidum habentibus cur ſtomachus ſit frigidus. 375, 1
confortantia. 172, 1

Hepar per urinam purgantia. 186, 1
ad Hepar ducentia. 177, 2
Hepatici qui. 363, 1
Herculei lapidis pulvis. 555, 2
Hernia quid & quotuplex. 424, 1
unde. 38, 2. 40, 1
ejus ſigna & cura. 424, 2
Aquoſa v. Hydrocele.
Humoralis quid & ejus cura. 426, 1
Puerorum, ejus cauſæ, ſigna, & cura. 588, 1
in pueris quæ deterior. 561, 1
umbilicalis v. Exomphalos.
Herniâ laborantes multi ſolâ quiete ſanati ſunt. 427, 1
Herpes quid. 569, 1. 615, 1
quotuplex. 615, 2
ejus differentiæ cauſa & cura. 569, 1. 615, 2
Hirudineæ aſſumptæ. 554, 1
quomodo ſangvinem trahant, quibus morbis conveniant, quomodo ante earum applicationem præparandæ ſint 598, 1
ſponte decidere debent, & ſi non, quid faciendum ut decidant, & anum illapſæ quomodo eximendæ. 598, 2
Hirudinum applicationis locus quomodo præparandus. 598, 1
Hirudines applicandi modus. 679, 1
Hiſtoria in Empirica quid. 126, 2
Homo quomodo dicatur calidus & ſiccus. 9, 2
à nativitate ſit morbus. 42, 2
Homines cur diutius quam equi vivant. 20, 1
lenti ab eſu lentium. 93, 1
Hordeolum quid, ejus ſigna. 633, 1
cura. 633, 1. 277, 2
Humeri fractura v. Fractura humeri.
luxatio v. Luxatio humeri.
Humor non poteſt ſibi ſimilem generare. 33, 1
crudus in urina quid ſignificet. 67, 1
excrementitius quid & quotuplex. 13, 1
quotupliciter colligatur. 714, 1
Humores quid, & quomodo reſpondeant elementis. 131, 1
alimentarii quot. 12, 1
omnes alunt. 33, 1
quare ſint aliud quaſi elementorum genus. 11, 2
quomodo fiant. ibid.
in venis ſunt formaliter diverſi. 13, 1
Humorum acrimoniam retundentia. 183, 1
cauſa efficiens materialis & finalis. 11, 2
cum elementis comparatio & analogia. 12, 1
naturalium, utilium & inutilium enumeratio. 13, 1
cruditate exiſtente an bona ſit evacuatio. 81, 2
Humores diſſipantia. 180, 2
incidentia. 185, 2
Humidum quid. 4, 2
primigenium quid. 19, 1
quomodo ſit vinculum mixtorum. 700, 1
Humiditas qualis in Hecticâ reſtituatur. 39, 2
Hydrocele quid. 426, 1. 623, 1
ejus differentiæ, cauſæ, ſigna. 623, 1
prognoſis. 623, 2
cura. 623, 2. 426, 1
Hydrocephalus quid. 622, 1
ejus cauſæ, ſigna. 571, 1. 622, 1
prognoſis & cura. 622, 1. 571, 1
Hydromphalon quid, ejus cauſa ſigna & cura. 622, 2
Hydrophobia quid. 257, 1. 645, 1
ejus cauſæ. 257, 2
ſigna. 645, 1. 257, 2. 258, 1
gradus. 258, 1
ſymptomata. ibid.
prognoſis. 258, 1. 645, 2
cura. 645, 2. 258, 2. 259, 2
Hydrophobiâ affecti cur aquam horreant. 258, 1
an balneandi 259, 2
per ſtolam S. Huberti curantur in Belgio, & vires hujus ſtolæ quales. ibid.
Hydrops quid, ejus cauſa & ſigna. 376, 2
prognoſis. 377, 1
cura. 377, 2
deſperatus. 733, 2
poſt fluxum ſangvinis. 290, 1
qui periculoſior. 378, 2
an ſemper à jecore. 376, 1
triplex morborum genus comprehendit. 737, 1
* pectoris. 322, 1
Hydropem an Cachexia ſemper præcedat. 379, 1
Hydropici cur habeant guſtum acutum. 303, 1
parum mingant, ſemper ſitiant, & an per urinas curentur. 736, 1
Hydropicorum aqua unde. 735, 1
variae exempla. 734, 1
Hydropicis an ſit Vena ſecanda. 130, 2. 379, 1
lac conveniat. 379, 2
Hymen. 40, 1
Hyoſcyamus aſſumptus. 555, 2
Hypercatharſis quomodo ſiſtenda. 547, 2
Hypnotica. 185, 1
Hypochondriaci cur habeant ſtomachum debilem. 446, 1
v. Melancholia hypochondriaca.
Hypopyon quid. 262, 2
ejus cura. 263, 1
Hypoſphagma quid. 654, 1
Hypoſtaſis quæ optima. 66, 2
unde proveniat. 70, 1
v. Sedimentum.
Hypoſtaſia quinque conditiones. 68, 1
Hyſterica paſſio quid. 454, 1
ejus cauſa & diagnoſis. 454, 2
differentiæ. 455, 1
prognoſis & cura. 455, 2
unde fiat. 456, 2
cur extremorum refrigerationem habeat, & motum tollat. ibid.
Hyſtericæ convulſiones quomodo ab aliis differant. 457, 1

Hyſtericæ mulieres an poſſint abſq; aliâ cauſâ incidere in morbum Gallicum, & cur aliquæ poſſint odorata tolerare, aliquæ verò non. 457, 2
Hyſtericis cur Mercurius proſit. 457, 1
moſchus proſit. 457, 2
Hydatides in corde repertæ. 753, 1

I.

IChores quid. 70, 1
Ictericiâ contumaci laborantes cur ſubitaneâ morte pereant. 369, 2
Icterus quid, ejus cauſa & ſigna. 367, 2. 706, 1
materia an craſſa. 369, 2
prognoſis & cura. 368, 1
an ante diem ſeptimum pernicioſus. 369, 1
mirabilis. 738, 2
Ictero diu laborantes cur plerumq; cachectici & hydropici evadant. 370, 1
Icterici an ex cereis ſcyphis bibere debeant. 369, 2
ſi urinam parum tinctam reddant, cur malum. 369, 2
Ictericorum varia exempla. 739, 1
Ictericis cur balneum & motus prohibeatur. 369, 2
ubi vena ſecanda. 595, 1
Jecur non eſt fons humorum. 13, 2
Jecoris anatome, figura, partes, & ſitus. 29, 2
venæ. 30, 1
Jejunare quadraginta dies non eſt ſupra naturæ vires. 114, 1
Ignis quid. 3, 2
quomodo ſit calidiſſimus. 4, 2
quid faciat in mixtis. 3, 2
ad mixti generationem concurrit. 4, 1
Igne & aëre ad quid natura utatur. Ibid.
Ignis ſacer quid. 600, 1
ſylveſtris v. Phlyctænæ.
Ileon quale ſymptoma. 61, 1
Iliaca paſſio quid, ejus cauſæ, ſigna, differentiæ. 400, 1
prognoſis & cura. 400, 2
an à frigidis humoribus proveniat, & an ex ſtranguria oriatur. 401, 2
ab inteſtini compreſſione fiat. 402, 1
Iliaco an tutò Medicus poſſit dare acidulas. 402, 2
Mercurium. 402, 1
Ilium affectus quid. ibid.
Ilia (partes corporis) ſangvinem fundentia. 760, 2
Impetigo quid & quotuplex, ejus ſubjectum, cauſa, ſigna & cura. 617, 1
Impotentes an ſint qui habent vocem gracilem. 313, 2
Impotentia coëundi in viris unde, ejus prognoſis & cura. 440, 1
quomodo tollatur. 115, 2
Inappetentia ex delirio, item ex vulnerato & contuſo cerebro. 703, 2
ex febribus & nimia inedia. 705, 1
ejus cauſa. 344, 1
cura. 344, 2
Incantationes rejiciuntur. 112, 2
Incidentia humores. 185, 2
Incolæ longævi ubi ſint, item & valetudinarii, item meridionales & ſeptentrionales quales. 53, 1
Incraſſantium & attenuantium medii cibi. 157, 2
Indicans quid. 116, 1
quotuplex. 116, 1. 119, 2
curatorium quid. 120, 2
præſervatorium. 122, 1
eſt cauſa morbi. 124, 1
à ſignis differt. 119, 1
vitale. 124, 2
ejus vehementia. 121, 1
requiſita. 116, 1 118, 1. 2
Indicatio quid. 116, 1
quotuplex. 116, 2 131, 1
obſervatio, & analogiſmus quomodo inter ſe differant. 711, 2
vitalis ſpectat ad methodum. 106, 1
Indicatum quid & quotuplex. 119, 1
ſpecificum quomodo indicetur à ſpecifico indicante. 120, 2
Indurantia. 185, 2
Infans quid. 558, 1
quando & quomodo ablactandus. 567, 2
an qui lacte alieno nutritur, diſcrepet à naturâ matris, & magis nutricem quam matrem diligat. 558, 1
quali lacte nutriendus. 558, 2
quamdiu lactandus. 559, 2
Infans cur quasdam litteras male pronunciet. 560, 2
aliquando à lumbricis exeditur. 560, 2
quomodo mingat in utero. 559, 2
quibus morbis ſit obnoxius. 559, 2. 560, 2
qualem naturam & qualia oſſa habeat. 559, 2
quales puſtulas habere ſoleat. 561, 1
an ſanus ſit, quomodo cognoſcatur. 559, 2
quomodo tractandus & recens natus alendus. 559, 1
vinum non bibat. 559, 2
Infantis alvum laxantia. 560, 1
conſtipatio. 568, 2
cubandi locus. 567, 1
Eryſipelas. 568, 2
Infanti aër qualis conducat, & qui venti admittendi. 566, 1
frictio utilis. 567, 1
lac craſſum nocet. 563, 2
medicina porrigenda non eſt, & quid hujus loco. 566, 2
quomodo ploratus proſit & ſomnus concilietur. 567, 1
quomodo umbilicus abſcindendus. 559. 1. 566. 2
Infantes ægritudines magnas tolerant. 560, 1
ut curentur, curandæ ſunt earum nutrices. 560, 1
faſciandi quomodo ſint. 567, 1
iliacâ paſſione non laborant. 581, 1
Infantium morbi quando judicentur. 560, 1
diæta. 566, 1. 567, 2
Infirmi quoties viſitandi. 121, 2
Infuſum menſes movens. 189, 1
Inſtrumentorum elevatio quid. 115, 2

Intemperies eſt morbus. 46, 2
qualis. 124, 1
habitualis habet cauſam continentem. 50, 2
an poſſit eſſe naturalis. 352, 1
Intertrigo in pueris, & ejus cura. 588, 2
Inteſtina. 38, 2
Inteſtina: Cæcum, Colon, Duodenum, Jejunum, & Ileon. ibid.
rectum. 39, 1
an ſemper lædantur in vulneribus ventris inferioris. 689, 1
Inteſtinorum Gangræna & vulnera. 753, 2
vulneratorum ſigna. 658, 2
cura. 659, 1
Inteſtina animalium. 95, 2
Intybus. 93, 2
Jovis filii qui. 114, 2
Jovialium ſigna. 10, 2
Iſchiatica paſſio qualem venam ſecandam petat. 595, 1
ejus cura. 743, 2
v. *Podagra.*
Iſchium. 24, 1
Iſchuria quid & quotuplex. 433, 1
ejus ſigna, cauſa, prognoſis, & cura. 434, 1
Itinerantes cur quidam bene valeant. 143, 1
Itrion quid. 97, 1
Juguli luxatio v. Luxatio juguli.
Julapium alvum adſtringens. 154, 2
bilem atram præparans. 161, 1
cor confortans. 170, 2
lithontripticum. 187, 2
menſes movens. 188, 2
ad Juncturas ducentia. 178, 1
Juriſtæ carpuntur quoad cognitionem vulnerum. 752, 2
Juſcula an ventriculum corroborent. 142, 1
Juvantis comprehenſio eſt abſq; experientia. 117, 2
Juvenum temperamenta. 11, 1

L.

LAbium leporinum. 654, 2
Labiorum fiſſura. 675, 2
Lac quomodo cognoſcatur. 674, 2
quale eſſe debeat 561, 1. 558, 2
eſt ſangvinis purior pars. 558, 1
acre quid faciat. 559, 1
aquoſum vel bilioſum unde, & ejus ſigna. 563, 2
quomodo corrigatur. 564. 1
coagulatum. 559, 1. 565, 1
ejus ſigna & cura. 565, 1
aſſumptum. 554, 1
craſſum quomodo corrigatur. 563, 2
craſſius quid faciat. 559, 1
deficere quomodo cognoſcatur. 559, 1
grumoſum unde, ejus ſigna & cura. 565, 2
an ad oculorum morbos conferat. 263, 1
phthiſicis an conducat. 328, 1
recenter enixæ eſt vitioſum. 566, 2
ſuperfluum in mammis. 559, 1
Lactis abundantia quomodo tollenda. 565, 1
Lactis boni & mali ſigna. 561, 2
butyroſa ſubſtantia eſt ſangvis. 13, 2
cura an antiquis fuerit nota. 407, 1
defectus unde, & ejus cura. 564, 1
potus commendatur. 742, 2
vitia unde, & eorum ſigna diagnoſtica. 563, 1
vomitum prohibet corallum. 560, 2
uſus in phthiſicis & podagricis diverſus eſt. 328, 2
Lac generantia. 186, 1
minuentia. 188, 1
Lacte proprio filii ſunt nutriendi. 558, 1
utentes quomodo cibandi. 328, 1
Lac animalium. 95, 2
Lactea cruſta quid. 560, 1
febris unde. 471, 1
Lactuca. 93, 2
Lædens operationes requiritur in morbi definitione. 45, 2
Lævigantia aſpera. 182, 2
Lævitas & Aſperitas quomodo dicantur morbi. 46, 2
& ſymptomata. 59, 2
Lagophthalmia quid. 278, 2
Lamina plumbea quomodo applicanda. 375, 1
Lapis in veſica eſt tantùm cauſa morbi. 46, 1
Laringotomia approbatur. 729, 1
Laſſitudo ſpontanea ad quod ſignum referatur. 62, 2
Laureola aſſumpta. 556, 2
Laxantia. 185, 2
Legumina. 93, 1
Leontiaſis v. Elephantiaſis.
Lepra v. Elephantiaſis.
Lepus marinus aſſumptus. 353, 2
Lethargus quid. 217, 1
ejus differentiæ, ſigna, indicationes, prognoſis. 217, 2
cura. 220, 1
an ſit cum febre. 222, 1
Libum quid. 97, 1
Lichen Græcorum v. Impetigo.
Lien. 39, 1
ſangvinem per quas vias mittat ad narem ſiniſtram. 383, 1
ſangvine melancholico an nutriatur. ibid.
animalium. 59, 2
Lienis affectus. 380, 2
apoſtemata an ſalubria. 383, 1
doloris differentia & cura. 381, 2
inflammatio. 380, 2
cur criſi per hæmorrhagiam naris ſiniſtræ factam ſolvatur. 381, 1
Lienis Inflammationis ſigna, prognoſis & cura. 381, 2. v. Splen.
ſcirrhi prognoſticum. 381, 1
cura. 382, 1
vulnerati ſigna. 658, 1.
Lieni obſtructo qualia evacuantia danda. 382, 1
Lienem confortantia. 173, 1
ad Lienem ducentia. 177, 2

Lienoſi læduntur multo potu. 39,2
an urinas reddant nigras. 382,2
Lienoſorum ſymptomata. 380,2
urinæ cur ſupernatet ſerum. 383,1
Lienoſis an diuretica proſint. 381,2
lac conveniat. ibid.
vena ſecanda. ibid.
Lienteria quid, & ejus cauſa. 358,2
differentiæ, ſigna, prognoſis, & cura. 359,1
quale ſymptoma. 61,1
Ligamentorum vulnera v. Vulnera ligamentorum.
Ligatura qualis eſſe debeat in Venæſectione. 595,2
Lingua. 40,2
an poſſit decurtari. 300,2
Linguæ triplices morbi. 301,2
gravedo & ejus cura. 579,2
paralyſis. 301, 2.744,1
ejus prognoſis & cura. 302,1
ſciſſura. 675,2
tumor quotuplex. 299,2
ejus cauſæ, ſigna, prognoſis & cura. 300,1
puſtulæ. 300,2
Lingua animalium. 95,2
exotica an ab ægris poſſit proferri. 249,2
Linimentum alvum adſtringens. 154,2
Lipothymia an prius ſtiptica vel reficientia petat. 340,1
Lippitudo quid. 260,1
Liquor externus arthriticus. 157,2
Liquida ſunt primo ingerenda. 101,2
Lithargyrium aſſumptum. 555,1
Lithontriptica. 187,1
Lithontripticum balneum. 188,1
Julep. 187,2
ungventum. ibid.
Lithontripticus pulvis. ibid.
Lithotomia quando facienda. 685,1
quomodo facienda & quid requirat. 685,2
ubi facienda in fæminis. 686,2
viris. 686,1
Lithotomiæ ſupervenientia accidentia quomodo tractanda. 687,1
Lithotomiam quæ ſequi debeant. 686,2
Lochia quid, eorum cauſæ & diagnoſis. 469,2
quomodo purganda. 471,1
Lochiorum immodici fluxus cura. 469,2
retentio quid & ejus cauſæ. 470,1
ſigna, prognoſis & cura. 470,2
purgatio cur neceſſaria. 471,1
Lumbi. 23,2
Lumborum vertebræ. 23,2
Lumbrici qui deteriores. 560,2
lati unde fiant. 409,2
in morbis quale ſignum. 560,2
eorum differentiæ. 409,2
Puerorum, eorum differentiæ, cauſæ, ſigna, prognoſis. 585,1
Lumbricorum Puerorum cura. 585,2
v. Vermes.
Lumbricis cur pueri ſummè obnoxii. 410,1
Lumbricos enecantia. 186,1
Luna quomodo agat in Epilepticis. 86,2
diem criticum cauſandi virtutem habeat. 85,2
quando mutationes vehementiores faciat. 86,1
Lunæ motus eſt cauſa ad criſin. 83,1
vires. 84,1
Lunarium ſigna. 10,2
Lupia quid. 625,1
Lupulus. 99,2
Lupus piſcis. 96,2
Luſci quando bene videant. 274,2
Luſcoſitas. 274,1
Luxatio quid, ejus differentia. 681, 1. 690,2
cauſa, ſigna, prognoſis, cura. 681,2
quinque ſcopi. 682,1
Carpi. 683,2
Coccygis. 683,1
Coſtarum. ibid.
Coxæ, quare periculoſa. 690,2
Cubiti. 683,2
Digitorum. ibid.
Femoris. 684,1
Genuum. 684,2
Humeri. 683,1
Juguli. 682,2
Maxillæ. ibid.
Metacarpi. 683,2
Patellæ. 684,2
Spinæ. 682,2
Vertebrarum, & ejus ſigna & cauſæ. 682,2
colli quare periculoſa. 690,2
quomodo molleſcat nervos. 237,1
Luxationibus ſupervenientia ſymptomata. 684,2
Lycanthropia quid. 245,2
ejus ſigna & cura. 245,2
Lycanthropi andentur. 249,2
Lympha quid, & quotupliciter peccet. 57,2

M.

Macis. 101,1
Maculæ in febribus peſtilentialibus. 80,2
Madaroſis. 278,1
Magnes aſſumptus. 555,2
Malacia quid, & ejus cura. 350,2
Malleoli. 24,1
Mammæ ſiniſtræ papilla ſangvinem fundens. 760,2
Mammarum poſt ablactationem dolor, durities & inflammatio. 473,2
Mamillarum abſceſſus durities & rimæ unde, & earum prognoſis & cura. 562,2
inflammatio & dolor. 562,1
Mandragora aſſumpta. 555,2
Manducandum paulatim. 100,1

Mania quid, & ejus differentiæ. 242,2
caufæ, ſigna, prognoſis. 243,1
cura. 243,2
an Antimoniata aut Mercuriata petat. 244,2
Dæmoniaca quid. 246,1
ejus cura. 246,2
Maniaci aliquando ſine remediis curantur. 245,1
virgis cædendi. 244,2
Manus. 24,2
Mariſcæ quid. 631,1
Martialium ſigna. 10,2
Mater nutrici præferenda. 558, 1. 561,1
non eſt, quæ ſuum filium non lactat. 558,1
Materia morbifica quomodo revellenda, derivanda, evacuanda, & transponenda ſit. 82,1
prima manet ſubſtantificè ſigillata per præceſſiſſe formas antecedentes. 6,2
Matrix. 40,1
ad Matricis ſuffocationem. 189,1
caſum. 189,2
ad Matricem ducentia. 178,1
Maturantia. 188,1
Maturativum in Bubonibus Venereis. 482,1
Maxillæ fractura v. Fractura maxillæ.
luxatio v. Luxatio maxillæ.
Maxillarum oſſa. 22,2
Mediaſtinum. 41,1
Medicamenta tantùm in actum reducuntur, non intenduntur. 30,2
cathæretica qua vi operentur. 144,1,2. 145,1
danda non ſunt cum cibis. 237,1
purgantia an debeant eſſe diverſæ naturæ. 147,1
an ſint venenata. 143,2
vendere & præparare an Medico ſit honeſtum 147,1
veris tempore an bene tot ordinentur. 138,1
v. Medicina.
Medicamentorum ad capitis anteriorem vel poſteriorem partem applicatio non indicat facultates ſede diſcluſas. 37,2
Doſes ſecundùm Alphabetũ. 196,1
præparandorum modus. 151,1
Medicamentis Chymicis an utendum. 147,2
evacuantibus non ſunt admiſcenda corroborantia. 125,2
venenatis an liceat uti. 143,2
an utendum frequenter. 133,1
Medicina quid. 1,1
quotuplex. 1,2
dicitur ars, & quomodo verſetur circa particularia. 2,1
non eſt ars inutilis ibid.
Medicinæ Auctores. 768,1
dignitas. 771
Elementa quæ. 1, 2
Finis. ibid.
hoſtes refutantur. 775,1
objectum. 1,1. 2,2
Medicinâ aſſumptâ an dormiendum. 141,2. 144,1
benignâ an ſemper tuto utendum. 135,1
Medicinas exhibitas in ſtomacho retinentia. 193,1
qui exhibet, debet tempus operandi expectare. 137,1
Medicus accidentia non debet venari. 140,1
an ægros deſperatos bene deſerat. 137,2
in caſibus complicatis quomodo ſe gerere debeat. 139,1
ſit cautus in prognoſtico circa ſyncopticos. 340,2
conſulturus quid facere debeat. 691,2
cur ad conſilium vocetur. 695,1
univerſam Medicinam exercere debet. 135,1
miniſter naturæ. 636,2
quid obſervare debeat in ingreſſu ad infirmum. 62,1
in ſuo officio quomodo ſe gerere debeat. 69,1
qualis ſit. 135,2
Medico intervientes miniſtri. 1,2
Medicorum ſectæ quot. 3,1
Medulla animalium. 95,2
Mel. 97,1
Melle cur corpus inungendum antequam applicetur medicamentum ſiccum. 452,1
Melancholia quid, & unde. 12,2
quotupliciter conſideretur. 13,1
P. N. quæ, & unde. 57,1
ſæpius quantitate peccat. 57,2
Hypochondriaca quid, ejus cauſa, differentiæ, diviſio. 389,1
ſigna. 390,1
prognoſis. 391,2
cura. 391,2
Melancholiæ digeſtiva. 179,1
Melancholici ad quid apti. 11,1
an cum comitialibus communicent. 394,2
cur guſtum acutum habeant. 303,1
longævi. 395,1
plerique ſint ſapientes. ibid.
Melancholicorum ſigna. 11,1
Melancholicis cur proſit hæmorrhoidũ apertio. 395,1
Meliceris. 625,2
Gallica quid. 485,2
Melones. 132,1
Melopepones cur facilè corruptibiles. 700,1
Membranarum origo eſt dura mater. 35,2
Membrorum extirpatio quomodo facienda, & quæ requirat. 609,1
Memoria quid, ejus ſubjectum & differentiæ. 254,1
an poſſit depravari. 257,1
ſenum qualis. ibid.
Memoriæ læſionis cauſa. 254,2
ſigna. 255,1
cura. 255,2
Menſium diverſitas. 84,1
Menſes mulierum ſuppreſſi. 441,2
quali venæſectione movendi. 595,1

Menſium ſuppreſſio unde. 442, 1
èjus prognoſis & cura. 442, 2
à graviditate quomodo differat. 443, 1
an ſangvine ex naribus fluente ſolvatur. 445, 2
à victu craſſo. 445, 1
Fluxus immodicus quid, quotuplex, ejus differentiæ & cauſæ. 446, 2
cura. 447, 1
obſtructorum exempla. 759, 1
profluvium qualem venam ſecandam indicet. 595, 1
Menſibus immodicè fluentibus cur adhibeatur cectoſa, & an convulſio ſuperveniens ſit malum; cur ad mammas & non ad heparapplicentur cucurbitulæ. 448, 2
cachexia & tandem hydrops ſuccedat. 449, 1
pelliculæ ſubter oculos tumentes aut parum liveſcentes ſint. 448, 2
obſtructis ubi ſecanda vena. 141, 1
Menſes ducentia medicamenta, cur aliquibus plus noceant. 445, 2
moventia. 188, 2
movens infuſum. 189, 1
julepus. 188, 2
pulvis. 189, 1
ſuppreſſos an mulier poſſit habere citra noxam. 445, 2
Menſtrua conſtringentia. 174, 2
Menſtruatæ cur cibos non appetant. 449, 1
dolores lumborum patiantur. ibid.
Menſtruus ſanguis aſſumptus. 554, 2
Meningum inflammatarum ſigna. 649, 2
vulnera v. Vulnera meningum.
Mercurius ægritudines quales cauſet. 488, 1
cur frigidus. 488, 1
in impetigine. 617, 2
nervis inimicus. 488, 2
ſalivationem non ſemper facit. 478, 1
in ulceribus cautè uſurpandus. 674, 1
Mercuriata an in Mania conveniant. 244, 2
Merulæ. 96, 2
Meſenterium. 39, 1
Meſenterii vulnerati ſigna. 658, 2
Metacarpus. 24, 1
Metacarpi luxatio v. Luxatio metacarpi.
Metatarſus. 24, 2
Methodus quid 104, 1. 105, 2. 106, 1
ex Galeno. 106, 1
ejus etymologia. ibid.
diviſio 104, 1, 2. 105, 1, 2
eſt bona. 106, 2. 118, 1
finis duplex. 106, 2
Methodus conſultandi. 619, 1
quomodo fiat. 105, 2
fuit etiam tradita ab Hippoc. 106, 1
Methodi principia Chymicorum. 107, 2
Galenicorum. 107, 1
Hermeticorum. 108, 2
Methodi principia Spagyricorum. ibid.
Methodicorum doctrina explicatur. 127, 2
rejicitur. 128, 1
Microcoſmi animalia, meteora & mineralia. 58, 1
Mictio nocturna quò referatur. 438, 2
Mictus ſanguinis unde & ejus cauſæ. 435, 2
ſigna indicationes & cura. 436, 1
an adſtringentia concedat. 438, 1
quam venam ſecandam petat. 438, 2
Millepedes ad difficilem anhelitum. 636, 1
Minium aſſumptum. 555, 2
Minorativũ an die intermiſſionis ſit exhibendũ. 134, 1
Miraculum quid. 113, 2
Miraculorum differentiæ & conditiones. 114, 1
Miraculoſa morborum curatio quænam conſideranda præſupponat. 114, 2
Mixtio non fit in venis. 13, 1
Mixtionis duplex motus. 9, 1
Mixtum corporeum non requirit neceſſariò principia corporea. 4, 2
eſt ens completum & per ſe. 7, 1
habet quaſdam proprietates nõ oriundas à formis elementorum. 5, 1
Mixti forma determinatur per partes materiales elementorum, ut qualitates ſibi debitas producat. 6, 1
minima pars quotupliciter dicatur mixta. 7, 1
ratio quid ſit. 120, 1
quomodo ex actionum caloris, & qualitatum menſura eruatur. 697, 1
ratio cognoſcitur à priori & poſteriori. 120, 1
reſolutio in quatuor elementa. 5, 2
ſal, ſulphur, & Mercurium qualis. 4, 1
Mixta non viventia non habent novem temperamenta. 10, 2
Mixtorum formæ non producunt ſuas qualitates ſine determinante, ut formæ elementorum. 6, 2
Mixtura cor confortans. 170, 2
Modi in curandis contrariis affectibus obſervandi. 139, 1
Mola quomodo diſtinguatur à vero fœtu. 462, 1
ab uteri ſcirrho. 462, 2
Mollia ſunt primò ingerenda. 101, 2
Moneta non eſt ſeminarium contagii. 531, 2
Montagnana 40 annis ſumpſit pilulas. 138, 1
Morbilli quid, & eorum à Variolis differentia. 545, 2
cura. 548, 1
Morbus quid. 48, 1
non habet cauſam finalem. 49, 1
formalem. 48, 2
quatuor cauſarum genera. 48, 1
eſt ens reale, & ponitur ſub prædicamento qualitatis. 43, 2
entitas realis. 46, 2
quomodo ſit diſpoſitio. 45, 1
forma accidentalis. 48, 2
pro formali habet cauſam. 49, 1
dependet à morbo pro materiali. 50, 1

Morbus

Morbus pro formali & materiali quis dicatur. 46,1
quomodo dicatur ſemper intemperiei. 47,1
qualis inſenſibiliter lædat. 45,2
materiæ non datur. 44,2-46,1
quomodo fiat ex materia. 48,2
dicitur color viridis in oculo. 45,2
quomodo dicatur permanens. 48,1
eſt privatio. 46,2
qualis ſit unus ſecundùm ſpeciem numam. 45,1
totius ſubſtantiæ non datur. 47,1
quomodo ſit viventis paſſio. 46,1
omnis an ſit ulcus. 210,2
Morbi cauſa. 47,1
calidi cauſa. 51,1
frigidi humidi & ſicci cauſa. 51,2
cauſa & ſymptoma idem eſſe poteſt. 61,2
& ſymptomatis poteſt eadem eſſe ratio. 61,1
Morbum quod ſequitur ſymptoma dicitur. 66,1
Morbo curabili vel incurabili exiſtente ubinam ſit copioſiùs alendum. 133,1
evaneſcente cur aliqui tam tardè vires reſtituant. 340,2
Morbi formæ non dantur. 46,1
dicti habituales quomodo ſint habitus. 45,2
quomodo dicantur naturales. 45,2
omnes an à flatibus oriantur. 725,1
incurabiles quomodo ad Medicinã referatur. 2,2
à Medico tractandi. 131,1
longi & breves diverſimodè terminantur. 86,2
occultarum qualitatum quò referantur. 46,1
quales debeant inhærere parti viventi. ibid.
Morborum curatio triplex. 113,2
dæmoniaca rejicitur. ibid.
Divina admittitur. 113,2
declinatio quotuplex. 82,1
differentiæ eſſentiales, accidentales, & ratione partium. ibid.
à qualitatibus adjunctis. 44,2
à tempore. 45,1
triplex genus. 44,1
Morbis extremis extrema remedia. 131,2
Morbos veneficio illatos poteſt curare Medicus. 115,2
Morbi acuti differentia. 84,1
qualem modum ægros cibandi requirant. 241,2
Morbis acutis cur tenuis victus imperetur, & V.S. prohibeatur. 345,2
Morbus Caducus, Comitialis, & Herculeus quid. 224,2
Complicatus uter citiùs terminaturus ſit, quomodo ſciri poſſit. 85,1
Gallicus quid. 474,2
cujus ſit temperamenti. 487,1
poteſt dici Epidemialis. 475,1
poteſt evenire etiam Religioſis. ib.
eſt morbus communis. 487,1
cur maximè noctu torqueat. 488,1
cur plerunque à pudendis incipiat & terminetur in os. ibid.
cur aliquando in principio quibusdam remediis cedat, quæ tamen poſtea nihil amplius efficiunt. 488,2
Morbus Gallicus an à ſcortis ex India deductis provenerit. 487,1
an poſſit curari ſine ſalivatione. 489,1
an ſemper ſit cum puſtulis. 487,2
an non amplius ſit tam ſævus, ac fuerit à principio. 489,2
an communicetur in diſtans. 489,2
Elephantiaſis & Variolæ an habeant eandem originem. 489,1
factus eſt ex influxu aſtrorũ. 487,1
Morbi Gallici etymologia. 474,1
cauſæ. 475,1
ſpecies. 489,2
ſigna. 475,2
ſubjectum. 480,1
cura per balneum humidum. 477,2
diætam. 476,1
emplaſtra. 479,2
inunctiones. 479,1
Mercurium cum annotationibus. 478,1
palliativa. 480,1
per ſudores. 477,1
ſuffumigia. 479,2
non poteſt accommodari ſcorbuto. 188,2
alexipharmacum eſt Mercurius. 480,2. 478,1
præſervatio. 486,2
dolores cur augeantur ſecundo aut tertio inunctionis die, & quarto die exhibitionis Mercurii ceſſent. 488,2
ſymptomata quam cauſam habeant. 488,1
Morbo Gallico ſupervenientium accidentium correctio. 480,1
an competat V.S. 488,2
qui faciliùs aut difficiliùs inficiuntur & curantur. 475,2
in Morbo gallico quomodo procuretur ſalivatio. 479,2
Morbus Ungaricus & ejus differentia. 539,2
cauſæ & ſigna. 540,1
cura. 540,2
an Venæſectionẽ admittat. 544,2
Morbo Ungarico ſupervenientia ſymptomata quomodo tollenda. 543,1
Moroſis ex ſtercore cur ſit lethalis. 253,2
Mors repentina, ex ruptâ vulvula ſemilunari in arteria magna penes cor. 719,2
Mortis cauſa communis. 79,1
Moribundi qualia ſigna præbeant, & an omnia morborum genera percurrant. 85,2
Morituri cur ſummè appetant. 352,2
Morſus v. Animalia venenata.
Motus quomodo corrumpat frigus, & producat calorem. 51,2. 52,1. 54,2
in convulſione ſit abolitus. 224,2
à cerebro. 56,2. 57,2

Motus

Motus cur pereat remanente ſenſu. 38, 1
an putredinem prohibeat. 519, 2
Mulier nimis calida cur rarò concipiat. 464, 2
cur tempore menſium ſit magis calida. 448, 2
multùm menſtruata cur ſterileſcat. 464, 1
quæ nunquam habet menſtrua cur non concipiat. 464, 1
quæ parere non poteſt an moriatur. 468, 2
pingvis cur rarò concipiat. 464, 1
præfocata quomodo vivat deficiente reſpiratione. 226, 2
Mulieris pudenda cur aliquando in fluore exulcerentur. 452, 2
Mulieres in animi deliquio quomodo reficiendæ. 340, 2
gravidæ cur non lædantur eſu abſurdorum. 352, 2
Hyſtericæ cur audiant & tamen non moveantur. 457, 2
quoſdam cibos non poſſint tolerare. 456, 2
convellantur. 457, 1
cur quædam diutiùs theſes patiantur. 448, 2
pallidæ cur ſæpe fluore uterino laborent. 452, 1
ſalaces unde cognoſcantur. 454, 1
Mulierum caudata ægritudo. 747, 2
Gonorrhæa quid, ejus differentia & prognoſis. 451, 1
cura. 451, 2
Sterilitas unde. 462, 2
ejus ſigna. 463, 1
Mulieribus fucatis cur fœteant dentes & os. 295, 2
Muliebris fluor quid. 449, 1
unde & ejus ſigna. 449, 2
differentia, prognoſis, cura. 450, 1
Mutterfluß oder Kindsfluß. 473, 1
Mundificantia pectus. 199, 1
Murena. 69, 2
Murmurilla in acutis quid indicent. 63, 1
Muſculus quid. 26, 2
ejus ſubſtantia, partes, & differentiæ. 27, 1
Muſculi Abdominis. ibid.
Arteriæ aſperæ. 27, 2
Aurium. 28, 2
Capitis. 28, 1
Carpi. 28, 2
Cervicis. 27, 2. 28, 1
Colli. 27, 2
Cremaſteres. ibid.
Cubiti. 28, 2
Cucullares. 27, 2
Digitorum manus. 28, 2
pedis. 29, 1
Femoris. ibid.
Frontis. 28, 1
Humeri. 28, 1, 2
Indicis. 29, 1
Intercoſtales. 27, 2
Labiorum. 28, 1
Linguæ. 27, 2
Muſculi Lumborum. 28, 1
Maxillarum. ibid.
Narium. ibid.
Oculorum. ibid.
Oeſophagi. 27, 2
Oſſis hyoidis. ibid.
Pectoris. 27, 1
Penem erigentes. 27, 2
Pollicis. 29, 1
Pyramidales non ſemper adſunt. 27, 1
Radii. 28, 2
Rhomboides. 27, 2
Subclavii. ibid.
Tarſi. 29, 1
Tibiæ. ibid.
Trapezii. 27, 2
Triangulares. ibid.
Mydriaſis quid & ejus cauſæ. 272, 1
Myopes qui. 269, 2
Myopia quid & ejus cauſæ. 274, 1
Myrmeciæ quid. 631, 1

N.

Napellus aſſumptus. 526, 1
Napelli aſſumpti ſigna. 526, 2
Napi. 93, 2
Naptæ. 747, 1
Narium fœtor, ejus cauſa, prognoſis, & cura. 296, 2
hæmorrhagia quid. 287, 1
ejus cauſæ, ſubjectum, differentiæ.
ſigna. 287, 2
prognoſis. 288, 2
cura. 288, 2
in peſte. 557, 2
Naſturtium. 93, 2
Naſus an poſſit regenerari. 654, 2
Naſi vulnera v. Vulnera naſi.
Natura eſt cauſa criſis. 83, 1
in criſi quare non ſemper vincat. 81, 1
ubi ſit morborum medicatrix. 82, 1
ſeptenario numero gaudet. 83, 2
per ſimilia quomodo curet. 111, 1, 2
Naturæ conatus in criſi qui movendi, & qui cohibendi ſint. 82, 1. 83, 1
Nauſea quid 353, 1
ejus cura 352, 1
differentia à vomitu. 353, 1
Necromantici cur verbis ignotis utantur. 10, 1
Nephritica. 189, 2
Nephritidis nomine quid intelligatur. 415, 1
Nerium aſſumptum. 536, 2
Nervus quid. 36, 1
non eſt pars diſſimilaris. 21, 1
Nervi motus & ſenſus ſunt idem. 38, 1
Nervum ſectum quæ damna ſequantur. 596, 1
Nervi unde oriantur. 37, 2
à cerebro non oriuntur. 36, 1
cervicis, lumborum, & oſſis ſacri. 36, 2
quomodo à luxatione molles fiant. 237, 2
Nervorum à cerebro prodeuntium numerus. 36, 2
conjugationes explicantur. ibid.
diſtributio. 36, 2

Nervo-

Nervorum à ſpinali medulla prodeuntium diſtributio. 37, 1
numerus. 36, 2
vulnera v. Vulnera nervorum.
Nervos roborantia. 190, 1
Nocentia oculis. 189, 2
Nodus quid. 625, 1
Noli me tangere. 627, 1
Nubecula in urina quid ſignificet. 66, 2
Numerus non eſt cauſa dierum criticorum, & nec quidquam agit quà numerus. 86, 2
an ſit ens reale. ibid.
Nutrices quot adhibendæ. 558, 2
quomodo alendæ. 558, 2. 561, 1
quales eſſe debeant. 558, 2. 561, 1
quomodo ſe gerere debeant. 559, 1
Nutricum diæta. 561, 2
morbi. 562, 1
Nux Metella aſſumpta. 556, 1
moſchata. 101, 1
Nyctalopia quid, ejus cauſa & cura. 274, 1
Nympharum miræ excreſcentiæ. 747, 2

O.

Obumbratio in urina quid ſignificet. 66, 2
Oblivio in acutis an lethalis. 257, 1
Obſervatio, indicatio & analogiſmus quomodo inter ſe differant. 711, 2
Obſeſſionis requiſita, cauſæ & ſigna. 247, 1
Obſeſſo an ſemper ſit præſens diabolus. 250, 1
Obſeſſi qui. 246, 1
cur aliquando inſenſibiles. 250, 1
Obſtructio vel adſtrictio quomodo contineat calorem. 51, 2
quot modis fiat. 706, 2
Obſtructionem an tollat febris. 367, 1
Occipitis vulnera cur minus periculoſa quàm ſyncipitis. 752, 1
Oculus cujus ſit complexionis. 263, 2
Oculi apertio prohibita. 277, 2
Bulbus vulneratus. 653, 1
Clavus quid, ejus differẽtia & prognoſis. 274, 2
cura. 275, 1
Exitus quid, ejus cauſa & cura. 275, 2
Procidentia. 274, 2
ejus cura. 275, 1
Profundatio quid, ejus cauſa & cura. 276, 1
Unguis quid, ejus differentia, cauſa, & cura. 270, 1
Oculorum morbi quotuplices. 260, 1
ulcera v. Ulcera oculorum.
vulnera. 752, 2. v. Vulnera oculorum.
Oculis conferentia. 265, 1
conferens unguentum. 266, 1
illapſa quomodo excipienda. 276, 1
nocentia. 189, 2
per Oculos educentia. 190, 2
Odontalgia. 578, 2
Odontica. 190, 2
Odoratus organum ſunt proceſſus mamillares. 36, 2
Oedema quid, ejus ſubjectum & cauſæ. 617, 2. 688, 1
Oedema ejus ſignum, prognoſis & cura. 618, 1
quomodo curetur. 688, 1
quales humores ſub ſe contineat. 600, 1
Oeſophagus. 38, 2
Oeſophagi vulnerati ſigna. 655, 1
cura. 657, 1
Oleander aſſumptus. 556, 2
Olera. 93, 1
in morbis an concedenda. 131, 1
Oleum. 97, 2
Olfactus quot modis lædatur. 290, 1
ejus læſionis prognoſis & cura. 290, 2
Omentum. 38, 2
Ophthalmia quid, ejus diviſio, ſpecies, ſigna & cauſæ. 269, 1
differentiæ. 260, 2
prognoſis & cura. 261, 1
Ophthalmiæ an ſtupefacientia conveniant. 263, 1
Ophthalmica. 190, 2
Oppilantia. ibid.
Opiſthotonos. 223, 2
Opium aſſumptum. 555, 2
Orationes incognitæ damnantur in ætis. 110, 2
Ordo in conſilio narrandorum. 695, 2
Organum debet eſſe omnis alienæ qualitatis expers. 38, 1
Orobus. 93, 1
Os. 40, 2
cur fœteat mulieribus fucatis. 291, 1
Oris putredo in pueris. 578, 2
per Os educentia. 190, 2
Oſcitatio unde. 237, 1
Os anonymum. 23, 1
& cartilago quomodo ſint partes ſimplices. 4, 1
cubi. 24, 1
denudatum quomodo tractandum. 651, 1
femoris. 24, 1
fractum quomodo reponendum. 690, 2
Ilium. 24, 1
Naviculare. ibid.
Palati corruptum ſtiloe Venerea. 484, 1
Pubis. 24, 1
Sacrum. 23, 2
Sternum. 23, 1
Xyphoides. 23, 2
Oſſis fracti ſigna. 651, 1
& repoſiti ſigna. 690, 1
repoſiti ſigna. 680, 2
Sacri fractura v. Fractura oſſis ſacri.
Oſſa quomodo poſt fracturã iterum coaleſcant. 690, 1
in pulmonibus. 731, 1
Oſſium corruptio unde. 667, 1
in lue Gallica ejus cauſæ & cura. 483, 2
deſcriptio, eorumque apophyſes & epiphyſes. 22, 1
fractura v. Fractura oſſium.
Otium quid faciat. 704, 2
Ova. 96, 2
ſorbilia an in febris continuis admittenda. 312, 1
Ozæna quid, ejus differentiæ. 673, 2
cauſæ, ſigna, prognoſis, & cura. 674, 1

P.

PAlatum. 40, 2
Palpebrarum depilatio. 277,1.278,1
fiſſuræ. 277,1
læſio v. Vulnera palpebrarum.
laxitas. 277, 2
Palpebrarum pruritus. 277, 1.571,3
ejus ſigna, cauſa, & cura. 575,1
tumor ex fletu. 277,1
tremor. 278, 2
ulcera. 277, 1
Palpitatio unde. 237,1
Panacéa. 108, 2
non datur. 109, 1
Panaritium quid, ejus differentiæ, cauſæ, ſigna, prognoſis, cura. 634, 1
Pancreas. 39, 1
Pandiculatio unde. 237,1
Panis. 94, 1
Panus v. Phygethlon.
Pani ſcirrhoſi. 755,2
Papaver nigrum aſſumptum. 555, 2
Papillarum rimæ. 562, 1
Paracelſus an habuerit medicinam univerſalem. 109,2
per characteres & verba curavit. ibid.
Paracenteſis an facienda in hydrope. 379,1
Paralyſis quid, & ejus differentiæ. 233, 1
unde. 395, 2
ſigna & indicationes. 233,2
prognoſis. 234, 1
cura. 234,2
an calida admittat. 236, 2
quando à fortioribus incipienda. 236,2. 237, 1
convulſio & tremor quomodo inter ſe differant. 232,2
quomodo ab Apoplexia differat. 236,2
ex colica quomodo curetur. 398, 1
quomodo à ſiccitate cauſetur. 237, 1
quales vires reſolvat. ibid.
poſt vulnera. 689, 1
Puerorum, ejus cauſa, ſigna, prognoſis, & cura. 574, 1
Paralytici cur ſint rauci. 313,2
Paraphrenitidi an conveniat venæſectio. 241, 2
Paraſtatæ. 40, 1
Pardi fel. 554,1
Pariſthmia. 40, 2
Paronychia v. Panaritium.
Parotica. 191, 1
Parotis quid, ejus differentiæ, ſigna, prognoſis & cura. 632, 1
Paroxyſmorum cauſa in febribus. 517,2.518,2.524,1
Pars quid. 20, 1
quotuplex. 20,2
quomodo ſit æquivocum. 21, 1
præſtans & ignobilis. ibid.
principalis. 17, 2. 20,2
ſimilaris & diſſimilaris. 20, 2
Partis corruptio quomodo impedienda. 604,1
diviſio qua oppoſitione conſtet. 21, 1
ſubdiviſio. 20,2
mandantis & recipientis examen. 702,1
oppoſitio quid ſit. 602,2
Partes corporis humani differunt accidentaliter. 21,1
Partibus principalibus datur influxus. ibid.
Partus difficilis unde. 467,1
ejus cura. 467, 2
cur ſeptimo menſe frequenter in Hiſpania accidat. 468, 2
quare in ſurdis & ſenibus. ibid.
an tormina ſemper requirat. 469, 1
Partus præſentis ſigna. 467, 1
Parulis quid. 297,1
ejus cura. 297,2
Paſſeres piſces. 96, 2
Paſſio in Methodo medendi quid. 806,2
Paſtinaca. 93, 2
Paſtum quæ quantitas excrementorum ſequatur. 703,1
Patella. 24, 1
ejus luxatio v. Luxatio patellæ.
Patientis confidentia acquiritur per Conſilia. 698,2
Pediculos necantia. 191,1
Pectoris Hydrops quid, & quomodo fiat. 322,1
ſectio & uſtio quomodo facienda. 325,1
ad Pectus ducentia. 177, 2
Pectus à flatibus diſtenſum an liceat aperire. 330,2
Pectus mundificantia. 189, 1
Pectorale decoctum. 150, 1. 152, 2
Pectoralis ſyrupus. 150, 2
Penis quomodo decurtetur. 25, 2
Penis ulcera & eorum cauſæ. 676, 1
prognoſis & cura. 676,2
Penem cur Monachi habeant longiorem. 26,1
Perca. 96, 2
Perdices. ibid.
Periaptis non utatur Medicus. 110, 1
Pericardium. 33, 2.41,1
Pericardii vulnerati ſigna. 655,1
Peripneumonia quid, ejus ſubjectum, cauſæ, differentiæ. 318,2
ſigna, indicationes, prognoſis, & cura. 319,1
ſine dolore an fiat. 319,2
cur fiat à pleuritide. 320,1
an ex ſanguine vel pituita fiat. 319, 2
Peripneumoniæ an narcotica conveniant, item, & quæ Venæſectio. 320,1
Peritonæum. 38, 2
Pernio quid, ejus, differentiæ, cauſæ, ſigna, prognoſis & cura. 606,1
Perſpicilia qualia & quibus conveniant. 274
Pervigilium quò referatur. 60,1
Pes, & ejus diviſio. 24, 1
Peſtis quid. 748,1.524,1

Peſtis ſubjectum. 526,1,2. 527,1
differentiæ. 528,2
cauſæ. 530,1
ſigna. 533,2
indicationes & prognoſis. 534,1
cura. 535,1. 748,2
ab aſtris cauſatur. 532,2
an contagioſa ſit. 527,1
an febrem ſemper habeat conjunctam. 527,1,2
an poſſit generari per imaginationem. 533,1
refertur ad unum ex tribus morborum generibus. 524,2
putredinem ſummam habet. 527,2. 528,1
eſt qualitas occulta. 526,1
Peſtis alexipharmacum unde ſumendum. 7,9,1
amuleta. 539,1
antidotus. 538,2
fomes cur aliquando tam diu conſervetur. 532,2
ſymptomata. 537,2
Peſtilens bubo. 537,1
carbunculus. ibid.
Ephemera an detur. 529,2
qualitas non eſt morbus. 46,2
Peſtiferorum exempla. 748,1
Peſtiferis an liber aër ſit concedendus. 142,2
Petechiæ in febribus peſtilentialibus. 80,2
Petroſelinum. 93,2
Phaſeoli. 93,1
Phlebotomia quando facienda. 15,1
Phlegmone quid. 688,1. 601,2
quotuplex. 601,2
ejus cauſa, ſigna, tempora & cura 602,1
quales tumores ſub ſe contineat. 600,1
Phlyctenæ quid, earum ſubjectum, cauſa, ſigna, prognoſis & cura. 616,2
Phreneſis quid, ejus differentiæ, ſubjectum & cauſæ. 237,2
ſigna. 238,1
indicationes. 238,2
prognoſis & cura. 239,1
an ſit ſine febre. 241,2
quoties petat Venæſectionem. 130,2
Phreniticis an aër frigidus conveniat. 241,1
lucidus conveniat. 241,2
frigida conveniant. 242,1
ſanguis retro aures mittendus. 130,2
cur ſenſus minuatur remanente motu. 38,1
Phthiriaſis quid, & ejus cura. 278,1
Phthiſis quid & ejus pars affecta. 322,1
differentiæ & cauſæ. 322,2
ſigna. 322,2. 323,2
Indicationes. 324,1
prognoſticum & cura. 324,2
à cornea ſubſtantia. 731,1
an à ſiccitate fiat. 327,2
Phthiſicus agonizans quomodo ad tempus poſſit aſſervari. 101,1
Phthiſicorum varia exempla. 732,1,2
Phthiſicis an lac conducat. 328,1
ſaccharum roſaceum conducat. 328,2
ſcreatus ſit utilis. 337,1
vena ſecanda. 130,2
vomitorium dandum. 328,1
Phygethlon quid, ejus cauſæ. 610,1
ſigna indicationes & cura. 610,2
Phygma quid, ejus prognoſis & cura. 612,2
Pia mater. 35,2
Pica quid & ejus cura. 350,2
Pili in urina quid ſignificent. 67,1
Pilorum nutrimentum. 749,1
Pilos auferentia. 191,2
Pilulæ arthriticæ. 157,2
Pinguedo in urina quid ſignificet. 67,1
Piper. 100,2
Piſa. 93,1
Piſces. 96,2
an febricitantibus exhibendi. 133,1
reſpirent. 746,1
Pituita quid & unde. 12,2
acida, inſipida, putrida, ſalſa, vitrea quæ, & unde. 57,1
Pituitæ & bilis complicatæ diſpoſitioni ordinavit Galenus ptiſanam cum pipere. 139,2
differentiæ à qualitate deſumptæ. 57,1
digeſtiva. 178,1
præternaturalis ſpecies, quæ & unde. 57,1
Pituitoſorum ſigna. 10,2
Plantaginis ſemen ad hæmorrhagias utile. 761,2
Plethora quotuplex & unde. 56,1
Pleura. 41,1
Pleuritis quid. 314,1
qualis morbus. 713,2
ejus diviſio. 314,1
differentiæ. 713,2. 722,1
cauſæ. 714,1. 314,1. 722,2
ſigna. 314,2. 715,1
indicationes. 314,2. 317,2. 723,1
cura. 315,1. 718,2. 723,2
cur ægris quandoque tertio die accidat. 139,1
aſcendens & deſcendens quibus ſignis dignoſcantur. 62,2
an ſit febris effectus. 318,1
an ſemper ſit cum febre. 317,2
qualis ſit inflammatio. 318,1
quæ perículoſior. ibid.
cur purgationem minus quàm angina admittat. 139,1
reſpirationem læſam, ſed non febrem ſibi habet adjunctam. 716,1
quoties Venæſectionem petat. 130,2. 317,2

Pleuritidis Conſilium. 713, 1. 722, 1
Pleuritidem cauſantia. 711, 1
Pleuriticus curandus proponitur. ibid.
Pleuritico an alvi fluxus malus. 317, 1
quando fomenta ſint applicanda. ibid.
an repercutientia admovenda. 318, 1
an purgatio conveniat. 317, 2
ubi ſit ſecanda vena, 136, 1. 318, 1, 2
Plexus choriformes. 36, 1
Plumbum uſtum aſſumptum. 555, 1
Pneumatocele quid & ejus cura. 426, 1
Podagra cur incurabilis. 741, 1
ejus cauſa. 742, 2
v. Arthritis.
Podagrici cur maximè in hyeme, & circa æquinoctia vexentur. 407, 2
cur plures moriantur ex eo, quod materia podagrica à natura non expellitur, & quonam remedio tunc ſit attendum. 407, 2
Podagricorum varia exempla. 742, 2
Podagricis ſummè urgentibus doloribus quid faciendum. 408, 1
Pollex. 24, 2
Pollutio nocturna. 452, 1
Polypus quid, quotuplex ejus ſigna, prognoſis, cura. 630, 2
Pori v. Verruca.
Pororum axillarium hæmorrhagia. 760, 2
Porrum. 93, 2
Portulaca. ibid.
ſanguinem ſiſtit. 758, 2
Porum quid & quotuplex, ejus cura. 485, 1
Potio alexipharmaca. 159, 1
purgans arthritica. 157, 1
Potus & cibus qui maximè vitandus. 90, 1
glaciatus vitandus. 98, 2. 103, 1
jejuno ſtomacho nocivus. 102, 1
ex liquiritia, cinamomo, & coriandro adſtringit. 103, 2
non eſt miſcendus. ibid.
Præcipitatum aſſumptum. 554, 2
Prægnantes cur poſt tres vel duos menſes quædam abortiant. 466, 2
cur ex ictu fulminis, vel multo gaudio abortiant. ibid.
Prægnantium morbi & cura. 464, 2
per chirurgiam & pharmaciam curandi. 465, 1
cur primis & ultimis menſibus periculoſiores. 466, 2
Prægnantibus an vena ſecanda. 466, 2
an 15. diebus ante partum vena ſecanda. 468, 2
Præputii callus. 484, 2
exulcerati cura. 481, 2
tumor & ejus cura. 484, 2
Præſentia in methodo medendi quid. 106, 2
Præſidiorum medicorum fontes. 711, 1
Prandium ſit cœnâ largius. 102, 1. 132, 2
Prandii horâ elapsâ cur multi eſurire deſinant. 705, 1
Priapiſmus quid. 439, 1. 441, 2
ejus cauſa, prognoſis, cura. 439, 2
quomodo à Satyriaſi differat. 441, 2
Privatio quomodo lædat actiones. 46, 2
Proceſſus falcatus. 35, 2
Proceſſus mamillares. 36, 1
Pruna v. Carbunculus.
Pſyllium aſſumptum. 556, 1
Pſilothra. 191, 2
Pſora v. Scabies puerorum.
Pſorophthalmia quid. 575, 1
Pterygium quid, ejus differentiæ, cauſæ, prognoſis, cura. 634, 2. 470, 1
Pudendum muliebre. 40, 1
ejus nymphæ ſeu labia. ibid.
Puellæ menſtruis carentes cur non lædantur eſu abſurdorum. 352, 2
Puer quid. 558, 1
Pueri cur melius appetant quàm ſenes. 704, 1
ſæpius cibandi. 91, 1. 92, 1. 102, 1
an in utero variolis laborent. 157, 1
potius Venæſectionem quam purgationem tolerant. 719, 2
verminoſi cur nares fricent. 297, 1
Puerorum temperamentum. 11, 1
Puerperæ febre acutâ laboranti an ſudorifera exhibenda. 473, 2
Puerperæ morbo acuto laborantes cur pueros abſiciant. 473, 2
Puerperarum morbi quid. 471, 1
febres putridæ. 471, 2
earum prognoſis & cura. 472, 1
Pulli carnes an habeant vim aurum comminuendi. 140, 1
Pulmo. 40, 2
Pulmonis temperamentum quomodo cognoſcatur ex voce. 313, 2
ulcera cur incurabilia. 731, 2
Pulmones cur tam crebrò adhæreant coſtis. 318, 2
an aliquid ex cavitate thoracis recipiant. 321, 1
an materiam recipiant purulentam ex cavitate thoracis. 328, 1
an ab humiditate ulcerentur. 327, 2
Pulmonum exulcerationem an ſemper ſignificet materia purulenta. 372, 2
purulenta materia quà viâ per renes & urinas expurgetur. 321, 2. 328, 2
vulnera. 753, 1
vulneratorum ſigna. 655, 1
Pulmones confortantia. 368, 2
Pulmonibus affectis cur rubeſcant genæ. 319, 2
Pulſus quid, & quomodo fiat. 70, 1, 2
in quem finem ſit. 75, 1
quot habeat partes. 77, 1
quomodo ſit obſervandus. 77, 1
in diaria & hectica differunt. 76, 1
non eſt in omni febre inæqualis. ibid.

Pulſus in febribus intermittentibus finito acceſſu non redit ad ſtatum naturalem. ibid.
in inflammationibus qualis. 76,2
quare in morbis malignis ſit naturali ſimilis. ibid.
in tertiana qualis. 77,1
amatorius. 76,1
an poſſit explorari. 453,2
intermittens in febre Ungarica. 544,2
magnus celer & creber magis exceſſivè reperitur in diaria quam in exercitio. 75,2
ordinatus melior. 76,2
Pulſus cauſæ. 71,2. 72,1,2. 73,1,2. 74,1,2.
differentiæ. 70,2. 71,1,2. 72,1,2. 73,1,2. 74,1,2.
exploratio ubi fiat. 34,1
officium. 51,1
adſtrictione cognoſcitur putredo. 76,1
ſyſtole ſentitur etiam. ibid.
Pulſifica facultas non agit propter bonum animalium. 75,2
non eſt ſubordinata appetitui, ſicut loco motiva animali. ibid.
Pulvis alexipharmacus. 159,1
alvum adſtringens. 154,2
pro attenuanda pituita in ſtomacho. 152,2
bilem atram præparans. 161,1
lithontripticus. 187,2
menſes movens. 189,1
vulnerarius. 19?,2
Pupilla in ſenibus cur minor. 272,2
vetulis cur duplex. 27?,1
Pupillæ nimia conſtrictio quid. 27?,1
ejus cauſa. 272,2
dilatatio & ejus cauſa. 27?,1
Purgare in morbi declinatione an conveniat. 134,2
ſtatu non eſt bonum. ibid.
Purgatio quando conveniat. 140,2
eradicativa quando in principio adhibenda. 133,2
Purgationem præcedat Venæſectio. 123,1
Pus quid & quotuplex. 661,1
quomodo bonum eſſe cognoſcatur. 689,2
Puris ſigna. 601,2
Pus moventia. 191,1
Putredo quid. 505,2
non eſt cauſa continens febris. 50,1
quomodo cauſet febrim. 51,2
Putredinem cauſantia. 191,1
cum Putredine attractiva. 191,1
Pylorus. 38,2
Pyrotica. 191,1

Q.

Quadraginta dies jejunare non eſt ſupra naturæ vires. 114,1
Qualitas peſtilens non eſt morbus. 46,2
Qualitatis mutatæ Conſilium. 701,2
ſymptoma quotuplex. ibid.
Qualitates tales vel actu vel potentia. 9,2
per ſe vel per accidens. ibid.
quomodo conſtituant morbos & etiam ſymptomata. 708,1
Qualitates occultæ dantur. 9,2. 11,1
quænam ſint magis nocivæ ſtomacho. 346,1
primæ non neceſſario producuntur à formis elementorum. 5,1. 6,1
quomodo faciant continui ſolutionem. 211,1
ſint ſymptomata. 59,2
ſecundæ, tertiæ, & quartæ ad quodnam morbi genus referantur. 46,1
Qualitatum gradus. 9,2
occultarum morbi ad quodnam genus referantur. 46,1
Quaternarii numeri dignitas. 83,2
Quies quid faciat. 54,2
Quieſcentes cur quidam ægrotent. 143,1

R.

Rabies v. Hydrophobia.
Rabidi animalis morſus quomodo cognoſcatur fuiſſe animalis rabidi. 645,1
Radicula. 93,2. 101,2
Radiculâ comeſtâ cur alii fœtidum, alii non eructent. 353,2
Radius. 24,2
Ranæ venæ ſub linguâ. 40,2
Ranula quid. 300,1. 633,2
ejus differentiæ, cauſæ, prognoſis, cura. 633,2
Ranunculus aſſumptus. 556,2
v. Batrachus.
Rapa. 93,2
Raphanus. ibid.
Rarefacientia. 191,2
Rarefactio eſt fundamentum Venæſectionis. 593,1
Rationis duplex læſio. 250,2
Raucedo quid, ejus cauſæ. 312,2
prognoſis & cura. 313,1
Rauci cur ſint, qui contracti aut paralytici ſunt. 313,2
Refrigerantia in febribus malignis an conveniant. 136,2
Regionum mundi temperies & deſcriptio. 51,1
Remedium anceps melius eſt quam nullum. 729,2
Remedia quando ſint augenda. 222,1
Remediorum cunctatio an ſit bona. 134,1
mutatio ſecundum varias circumſtantias. 128,1
Renes. 39,2
Renum inflammatio unde & ejus ſigna. 431,2
ulcus, ejus ſigna, prognoſis & cura. 432,2
ulceratorum ſigna. 658,1
& veſicæ ulcera quomodo ab invicem dignoſcantur. 435,1
ad Renes ducentia. 178,1
Renes animalium. 95,2
Repellentia. 192,1
Repletionis ſigna. 90,1
Repletioni faciliùs eſt occurrere quàm inanitioni. 90,1
Res naturales. 1,2
contra ſeu præternaturales quæ. 1,2. 43,1

Res

Res non naturales quæ. 1, 2
ſunt cauſæ conſervatrices ſanitatis. 42, 1
quomodo morbos cauſent. 54, 2
percipiendæ & perceptæ in Methodo Medendi quid. 117, 1
Reſolventia. 191, 1
Reſpiratio an animali neceſſaria. 331, 1
difficilis ex ſcirrho hepatis aut lienis. ibid.
quare in febre intermittente lethalis fit. ibid.
Reſpirationis intermiſſio quid in ægrotis ſignificet. 331, 2
proprium inſtrumentum an ſit diaphragma. 331, 1
Rete mirabile. 34, 2
Retentio nimia quæ mala adferat. 54, 1
Revulſio quid. 123, 1
Revulſionis modi quot. 209, 1
Rhagades & earum curæ. 427, 1. 486, 1
ani v. Ani rhagades.
uteri v. Uteri rhagades.
Rheuma ferinum periodicum. 758, 2
Rheymatiſmus quomodo fiat. 309, 1
à flatu furioſo differat. 725, 1
curetur. 310, 1
Rhonchi in acutis quid indicent. 63, 1
Rhyas quid. 278, 2
ejus cura. 279, 1
Ribaldæ quæ. 747, 2
Rigor unde. 237, 1
ejus cauſæ in febribus. 317, 2
Rima quid. 649, 1
Rimæ ani v. Ani rhagades.
uteri v. Uteri rhagades.
Riſigallum aſſumptum. 554, 2
Riſus Sardonius quid. 556, 2
Ructus unde. 257, 1
ejus cauſa, differentia, cura. 351, 1
Ructus acidi quid ſignificent & quale ſignum præbeant. 360, 2
Ruminatio quid. 356, 2

S.

Sabulum quid & unde. 58, 1
Saccharum. 101, 1
pueris inhibetur. 101, 2
roſaceum an phthyſicis conducat. 328, 2
Sal. 101, 1
ad vomitum compeſcendum. ibid.
in cibis an aliquando bene omittatur. 146, 2
Salſa cur appetitum excitent. 704, 1
Sal C. C. volatile cur in peſte ordinetur. 545, 1
Salamandræ ſpuma aſſumpta. 554, 2
Salivatio quid. 356, 2
Salivanti in morbo Gallico ſi febris accidat quid faciendum. 488, 1
Salivantes cur ita fœteant. ibid.
Salmo. 97, 1
Sanatio quid. 106, 1. 108, 1

Sandaraca aſſumpta. 554, 2
Sanguis quid & quotuplex. 12, 2
eſt rubra illa ſubſtantia in phlebotomia. 13, 2
biliofus quotupliciter conſideretur. 13, 1
coagulatus quomodo diſſolvendus. 647, 2
in corde generatur. 363, 2. 364, 1
quomodo corrumpitur. 58, 2
corruptus poteſt etiam homini non febricitanti extrahi. 14, 2
degenerat dupliciter. 56, 2. 602, 1
excrementis commixtus unde. 701, 2
ſupra excretus quomodo ſit malum. 136, 2
febrem intermittentem non facit. 11, 2
an putreſcat. 509, 2
in qua quantitate mittendus. 337, 1
per Venæſectionem extractus ut reponendus. 596, 1
in Venæſectione ut ſiſtatur. 596, 2
è venis cur profiliat. 37, 2
in urina quid ſignificet. 67, 1
Sanguinis boni & mali per phlebotomiam extracti ſigna. 14, 2
circulatio. 12, 1
Harveiana. 30, 1
defectus duplex & unde. 56, 1
egreſſus quid denotet & quomodo promoveatur. 14, 2
extracti fibræ. 597, 1
fluxus ab hirudinibus cauſatus quomodo promovendus, & ſiſtendus, ſi diuturnior ſit. 598, 2
in venæſectione quomodo promovendus. 596, 1
grumoſi & putridi effectus. 56, 2
miſſio quid. 591, 2
dicitur evacuatio univerſalis. 591, 1
omnes humores evacuat. 591, 2
quanta eſſe debeat. 596, 1
v. Venæſectio.
motus in affectibus cordis. 35, 1
officina cor. 12, 1
officinæ variæ. 53, 1
proba. 15, 1
qualitates quomodo ſub Venæſectione cognoſcantur. 596, 1
rejectio qualis ſit mala. 337, 2
ſigna. 12, 2
ſpumoſi differentia. 337, 1
ſputum quid. 335, 1. 778, 2
ejus ſpecies & cauſæ. 335, 1
ſigna. 335, 2
prognoſis, cura. 336, 1
an periculoſum. 337, 2
an prius Venæſectionem quam purgationem requirat. 337, 2
quantam Venæſectionem indicet. 336, 1
per Venæſectionem extracti ſubſtantia, arenulæ, color, guſtus, pinguedo innatans, odor, ſpuma, ſerum conſiderantur. 596, 2
vitium. 56, 1

 Sangui-

Sanguinem ſiſtentia. 192,2. 646,2
v. Hæmorrhagia.
Sanguine quomodo nutriamur. 13,2
Sanguineæ maſſæ ſtatus præternaturalis. 12,2
Sanguineorum ſigna. 10,2
Sanguificatio cordi attribuitur. 33,1. 35,1
Sanguiſugæ v. Hirudines.
Sanies quid. 661,2
aquoſa quid in ulceribus indicet. 689,2
in urina quid ſignificet. 66,2
Sanitas quid & quotuplex. 41,2
unde cauſetur. 6,2
dicitur diſpoſitio. 42,1
habet cauſas conſervatrices. 41,2. 89,1
gradus. 42,1
in quo conſiſtat. 42,2
& morbus quomodo ſint contraria. 43,1
poſſunt eſſe in eodem ſubjecto. 43,2
perfecta datur. 42,6,2
ſub quo prædicamento contineatur. 41,2
Saphatum v. Tinea.
Sapientes cur ſint melancholici & ſtiptici. 395,1
Sarcocele quid & ejus cura. 426,1
Sarcoma quid & ejus cura. 290,1
Sardonia aſſumpta. 556,2
Saturninorum ſigna. 11,1
Satyriaſis quid. 439,2. 628,2. 441,2
quomodo differat à Priapiſmo. 441,2
ejus cauſa, prognoſis, cura. 439,2
Scabies puerorum, ejus differentiæ, cauſę ſigna. 589,2
prognoſis & cura. 589,2
Scabiem ſanans unguentum. 630,1
Scammonium aſſumptum. 557,1
Scapulæ. 23,2
Scarificandi modus & uſus. 598,1
Scarificationem quandam ſucceſſit ingens hæmorrhagia. 760,2
Sceletum conficiendi modus. 26,2
Scientiæ effectivæ finis quis. 1,1
Sclerophthalmia unde & ejus cura. 277,2
Sclopetorum vulnera v. Vulnera ſclopetorum.
Scopus in Methodo medendi quid. 116,1
Scorpio plagæ impoſitus quomodo eandē ſanet. 559,1
Scorpionis ictus. 554,2
Scorbutus quid. 383,2
ejus cauſæ. 384,1
ſigna. 384,2. 388,1
prognoſis. 385,2
cura. 386,1
Scorbuto non poteſt accommodari cura morbi Gallici. 388,2
Scorbuticus dolor qualis ſit. 388,1
Scroti Inflammatio unde & ejus cura. 440,1
Scirrhus quid. 688,1. 625,1
ejus diviſio, differentiæ, ſigna, ſubjectum, 625,2
prognoſis & cura. 626,6. 688,1
confirmatus cur non doleat. 371,2
qualis ſit curabilis. 371,2
Scirrhus induratus cur incurabilis. 626,1
quales tumores ſub ſe contineat. 600,1
Secundinæ quid. 469,1
Secundinarum retentiō quid, ejus cauſa. 469,1
ſigna. 469,1. 471,2
cura. 469,2
retentione cur mulieres moriantur. 470,1
Secundinas ducentia. 179,1
Sedes quid. 549,2
Sedimentum in urina quotuplex. 66,2
album duplex. 69,1
ſubrubeum duplex. 68,1
v. Hypoſtaſis.
Semeiotica unde ſuam petat materiam. 1,2
Semen viri cur album, mulieris autem ſubrubeum. 464,2
Semen extinguentia. 193,1
generantia. ibid.
Semine quomodo nutriamur. 17,2
Senes ſæpius cibandi. 91,1. 101,1
Senum memoria. 455,1
temperamentum. 31,1
Senſus quid & quotuplex. 16,1
ad appetitum qualis eſſe debeat. 304,1
à cerebro. 35,2. 37,2
& motus quomodo ſint aboliti in convulſione. 214,2
cur pereat remanente motu. 218,2
Septenario numero gaudet natura. 83,2
Septum transverſum. 4,1
Serpentum pulvis in peſte. 539,1
Serum unde & quotuplex. 57,2
eſt etiam alimentum. 12,2
à quo attrahatur. 69,1
peccat in qualitate, quantitate, motu, & ſubſtantia. 57,2
Sexus quid. 20,1
Sibilus aurium quomodo à tinnitu & ſuſurro differat. 284,1
Siccitas an ſit de eſſentia febris. 492,1
hecticæ. 504,1
Sideratio v. Sphacelus.
Sigillatio quid & quotuplex. 7,2
demonſtratur in aceto. 8,1
Sigillis non utatur Medicus. 1005,2
Signum quid & quotuplex. 61,1. 62,1
Signa quotuplicia ſint & quare. 707,1
duraturæ ſanitatis & convaleſcentiæ futuræ quomodo perpendenda ſint. 707,2
unde deſumantur. 708,1
à morbi eſſentia, ab effectibus, cauſis & ſimili. 709,1
unde petantur. 61,1
univoca & æquivoca quæ. 62,2
Signorum fontes quatuor. 693,1
Simile an gaudeat ſimili. 352,2
Similitudo in Empirica quid, & quotuplex. 321,2
Sinapi. 101,1
Singultus quid. 351,1
ejus cauſa, prognoſis, cura. 351,2
à pipere & pane. 353,1
cur malus habentibus fluxum ventris. 260,2. 413,2
Puerorum, ejus prognoſis & cura. 580,2

Siriaſis

Siriaſis quid. 570, 2
Siris & calor qualis ſunt ſigna in febribus, 512. 1
 morboſa quid, ejus locus & cauſa, 350, 1
 cura. 350. 2
Sitim cur minus quam famem toleremus. 350, 1
 vini ſpiritus extinguit. 352, 2
Solanum furioſum aſſumptum. 555. 2
Solarium ſigna. 20, 2
Somnus quid faciat, 54. 1
 longior cur appetitum dejiciat. 705. 1
 an conveniat poſt aſſumptam medicinam. 141, 2
 poſteridianus quibus noxius, 142, 2 [144, 1
 ſuperfluus puerorum. 572, 2
Somnum inducentia. 285, 1
Somnifera, 123, 2
Sopor quò referatur. 60, 2
Soporifera. 123, 2
Sordes quid. 662. 1
Spaſmus Cynicus. 223, 2
 ſiccus an incurabilis. 232, 1
 puerorum, ejus cauſæ & ſigna. 573. 2
Species cur in aqua inverſæ videantur. 269, 2
 de gemmis frigidis an in febribus malignis conve-
 niant. 136. 2
Speculum lucidum. 36, 1
Sperma in urina quid ſignificet. 67, 2
Sphacelus quid. 606, 2
 ejus ſigna. 607. 1
 prognoſis. 607. 2
Spina. 24, 1
 ejus diviſio. 25, 2
Spinalis medulla quare ſit. 36. 2
Spinalis medullæ vulneratæ ſigna. 655. 1
 cura. 657, 1
Spinæ dorſi fractura v. Fractura ſpinæ dorſi.
 luxatio v. Luxatio ſpinæ dorſi,
Spinachia, 93. 1
Spiritus quotuplex. 17. 1
 Animalis. ibid.
 ejus generatio. 36, 1
 Influens quid & quotuplex, 17. 1
 Inſitus. ibid.
 eſt calidum innatum. 17. 2
 Naturalis. 17. 1
 influens non datur. ibid.
 Vitalis. ibid.
Spiritus animales non oriuntur in cerebro. 27. 2
 an poſſint putreſcere. 495, 2. 529, 2. 530. 1
 quomodo putreſcant. 58. 2
 morborum cauſæ fiant. 55. 2
Spirituum vitium quotuplex. ibid.
Spiritus reficientia. 193. 2
Splenem confortantia. 173. 1
ad Splenem ducentia. 177. 2
Spuma in urina quid ſignificet. 66, 2
Squamæ in urina quid ſignificent. 67. 1
Steatoma. 625, 2
Sterilitas utriuſque ſexus. 462, 2
Sterilitas ut vitetur, quæ proportio inter maritum & uxo-
 rem eſſe debeat. 464. 1
Sternutatio quid, ejus cauſa. 291, 2. 575. 2
 prognoſis. 292. 1
 cura. 292, 1. 575. 2
Sternutatio an à morbo, an à natura, an à cauſa morbi.
 292, 2
 cujus facultatis ſit ſymptoma. ibid.
 cur fiat elevato capite. 292. 2
 cur in ægris habeatur pro bono ſigno. ibid.
 cur à Sole cauſetur. 293. 1
Sternutationis benedictio unde orlatur. 291, 2. 293. 1
Sternutamentum unde, 217. 1
Stomachi debilitas in infantibus, ejus cauſa, ſigna, & cura.
 dolor pertinax unde. 349. 1 [579. 2
 cur aliquibus ante, aliquibus poſt cibum
 accidat. 349. 2
 v. Ventriculus.
 ſiſtitur aliquando aquâ frigidâ applicatâ,
 & cur. 349. 2
Stomacho an noceat humidum. 346, 2
Stomachum confortantia. 171. 1
 ſubvertentia. 193. 1
in Stomacho medicinas retinendâ. ibid.
Stomachica. ibid.
Strabiſmus quid. 223, 1. 269, 2. 574. 2
 ejus cauſæ & ſigna. ibid.
 prognoſticum. 269. 2
 cura. 575. 1
Stranguria quid & quotuplex. 433. 1. 435. 1
 ejus cauſa. 435. 1
Strepitus ſtertoroſi in acutis quid indicent. 63, 1
Stridor dentium. 225, 2
Struma quid, ejus pars affecta, differentiæ, cauſæ, ſigna
 differentiarum, prognoſis. 624. 1
 extirpatio & cura, 634. 2
Struma coxæ. 747, 2
Stupefacientia an in Ophthalmia conveniant. 263, 1
Sublimatum aſſumptum. 554. 2
Subſiſtentia in Methodo medendi quid. 106, 2
Sudor cur magis fiat in fine quam medio paroxyſmi. 499, 2
Sudor & urina in quo conveniant. 69, 1
Suffuſio quid. 264, 1. 574, 2
 quomodo cauſetur. 269, 1. 574, 2
 ejus locus & quomodo curetur. 268. 2. 574. 2
Sugillatio quid. 260, 2. 262, 2. 654. 1
 ejus cura. 262. 2
Sulphur aſſumptum. 555. 1
Suppurantia. 192, 1
Surditas quid. 285, 1
 ejus cauſæ & prognoſis. 285. 2
Surdi à nativitate cur etiam ſint muti. 36, 2. 285, 2
Suſpenſi cur plerunq; prius intereant apoplexiâ. 216. 1
Suſurrus aurium quomodo à tinnitu & ſibilo differat. 284, 1
Syllabarum repetitio unde, 303, 1
Symphyſis. 25, 1
Symptoma quid & quotuplex. 58. 2
 datur. 60. 2
 dicitur quod morbum ſequitur. 60, 1
 cauſæ, ſed non morbi rationem induere poteſt.
 morbo abſente non datur. 60, 1. 2. [58, 2
 & morbi cauſa idem eſſe poteſt. 61. 2
 qualitatis mutatæ quatruplex. 701, 2
Symptomatis & morbi poteſt eadem eſſe ratio. 61, 1
Symptomata actionis læſæ quot. 59. 2
 in excretis & retentis quot. ibid.
 in qualitatibus mutatis. 59. 2
 iſto modo ſumpta ſunt plurima. 60, 1

Symptomata qualem curam Medici ad ſe trahant. ibid.
urgentia quæ. 123, 2
Symptomatum cauſæ quò referantur. 81, 1
quæ. 703, 1
in excretis & retentis; item in qualitatibus mutatis. 705, 2
genera. 701, 1
Synchondroſis quid. 25, 1
Syncipitis vulnera cur periculoſiora quam occipitis. 35, 1
Syncope. 337, 2
ejus ſubjectum & cauſæ. 338, 1
ſigna, indicationes & prognoſis. 338, 2
cura. 339, 1
Syncope v. Animi deliquium & Virium debilitas.
Syncopticum non ſtatim deſerat Medicus. 340, 2
Syncoptici quomodo liberandi. 340, 1
Syncopticis an conveniat V. S. 340, 1
Synneuroſis. 25, 1
Synochus putrida quid, ejus differentiæ, cauſæ, ſigna, indicationes, prognoſis. 507, 1
cura. 507, 2
non habet exacerbationes. 509, 1
non putrida quid, ejus diviſio, cauſæ, prognoſis, & cura. 506, 2
Syrupus pectoralis. 150, 2
de pomis qualis ſit parandus. 146, 2
Syſſarcoſis. 25, 1

T.

Tabes in luxationibus. 684, 2
Tectus cur in extremis validior quàm prope cerebrum. 38, 1
Talus. 24, 1
Tarantulæ morſus. 554, 2
Tardi tranſitus cibi. 193, 2
Tarſus. 24, 1
Tauri ſanguis aſſumptus. 554, 1
Taxi fructus & folia aſſumpta. 556, 2
Tela infixa quomodo extrahenda. 636, 2
Temperamentum quid. 8, 1
non eſt nova qualitas. ibid.
unum. 10, 2
ad juſtitiam duplex. 9, 1
ad pondus non datur. 9, 1. 10, 1
utrumq; quatruplex. 9, 2
qualitativum quid. 8, 2
eſt in prædicamento qualitatis. 10, 1
quotuplex. 9, 1
ad juſtitiam quid. ibid.
ad pondus quid. ibid.
ſubſtantificum quid. 8, 2
eſt in prædicamento ſubſtantiæ. 10, 1
Temperamenta ætatibus, anni, & diei temporibus convenientia. 11, 1
non ſunt innumera. 10, 1
Temperamentorum numerus. 9, 2
ſigna. 10, 2
Temperies non eſt facultas. 15, 2
Tendinem ſectum quæ mala ſequantur. 596, 1
Tendinum vulnera v. Vulnera tendinum.
Teneſmus quid, ejus cauſæ, ſigna & prognoſis. 414, 2
quid ſit verus, quis non, & unde. 419, 2
Teneſmus Puerorum, ejus cauſæ & cura. 583, 1
Tentigo quid. 439, 1
ejus cauſa, prognoſis & cura. 439, 2
Terminthus. 613, 2
Terra quid & quale officium in mixtis habeat. 3, 2
Terra & aqua, ad quid utatur natura. ibid.
Terræ globi diviſio in quinq; Zonas & ſeptem climata. 53, 1
Terror puerorum in ſomno quid portendat, & ejus cura. 572, 1
Teſtes. 39, 2
Teſtium inflammatio unde. 440, 1
ejus cura. 440, 1. 481, 2
Teſticulis frigida admota ſiſtunt ſanguinis fluxum. 290, 1
Teſtes in cerebro. 36, 1
Teſtes mulierbres. 40, 1
animalium. 91, 2
Teſtudo. 43, 1. 97, 1
Teſtudo excreſcentia quædam. 146, 2
Therapeuticæ ſubdiviſio. 4, 2
Thermæ cur anno biſſextili dicantur noxiæ. 524, 1
Thermarum uſus. 138, 1
Thimelæa aſſumpta. 556, 2
Thimi quid. 631, 1
Thoracis apertio ubi fieri poſſit. 321, 2
vertebræ. 23, 1
ulcera. 675, 2
eorum cura. 676, 1
vulnera v. Vulnera thoracis.
Tibia. 24, 1
Tinctura alvum adſtringens. 154, 2
Tinctura in linteis refert humorem dominantem. 65, 1
Tinea quid. 570, 1. 672, 1
ejus differentia, prognoſis, & cura. 570, 2. 672, 1
Tinea curata. 757, 2
Tinnitus auris quomodo à ſibilo & ſuſurro differat 284, 1
Tithymali aſſumpti. 556, 2
Tonſillæ. 40, 2
inflammatæ. 579, 1
Torcular. 35, 1
Triticea contenta in urina quid ſignificent. 67, 2
Tremor, Paralyſis, convulſio quomodo inter ſe differant. 232, 2
unde. 237, 1
Trepanatio quomodo, & ubi facienda. 651, 1
Trusa. 96, 2
Tumor quid. 687, 2
aquoſus quid, ejus differentiæ & cauſæ. 619, 2
ſigna, prognoſis & cura. 619, 2
capitis v. Hydrocephalus.
umbilici v. Hydromphalon.
flatuoſus quid, unde, ejus differentia & pars affecta. 620, 1
cauſæ ſigna, prognoſis & cura. 620, 1
ſpongioſus in genubus. 621, 2
umbilici v. Exomphalos.
Tumores quot habeant tempora, & quomodo Chirurgus ſe in illis gerere debeat. 688, 1
cholerici. ibid.
melancholici. ibid.
pituitoſi. ibid.
poſt puerperium. 475, 1
ſangvinei. 688, 1

Tumorum cauſæ. 600, 1. 601, 1
  differentiæ. 600. 1, 2
  genera. 687, 2
  relatio ad quamlibet ſpeciem. 600, 1
  ſigna. 600, 1. 601, 1
  tempora & temporum ſigna. 601, 2
  terminationes. ibid.
Turdi. 96, 2
Tuſſis quid & quotuplex. 331, 2
  ejus cauſæ. 332, 1. 335, 1
  ſigna. 332, 2
  prognoſis & cura. 333, 1
  an ab alteratione ſolâ fiat. 334, 2
  plus noceat quam vomitus. 335, 1
  hydropicorum. 337, 1. 339, 2
  infantium, ejus ſigna prognoſis & cura. 577, 1
  ſicca unde. 334, 2
  uterina. 335, 1
Tuſſi rejectum cornu. 334, 2
Tympanites. 376, 2. 377, 1

V.

VAcillatio quid. 260, 1
Valvula ſemilunaris rupta cauſavit mortem ſubitaneam. 34, 1
Valvulæ ſigmoides. 30, 2
  tricuſpides. 30, 2. 33, 2
Valvularum tricuſpidalium uſus, & morbi. 33, 2
Vapores quid, unde, ubi generentur, & quotupliciter peccent. 37, 2
Variolæ quid, earum ſubjectum, & differentiæ. 542, 2. 550, 2
  cauſæ. 546, 1
  ſigna. 547, 1
  indicationes, & prognoſticū. 547, 2
  cura. 548, 1
  elephantiaſis, & morbus gallicus an eandem habeant originem. 551, 1
  cur maxime faciem, manus, & pedes impetant. 551, 1
  aliquibus tam turpes faciant cicatrices. 551, 2
  an ſine febre contingant. 551, 1
  cur oculos petant. 551, 2
  petreæ quid. 545, 2
Variolarum periculoſiſſimarum cura. 756, 1
Variolis ſupervenientia ſymptomata quomodo tollenda. 548, 1
  an infantes in utero matris corripiantur. 550, 2. 757, 1
  laboranti puero quatuor, aut quinq; annorum an vena ſecanda. 130, 2
  quoties laborandum. 551, 1
  cur omnes fere laborent. 551, 2
  aliqui paucis, aliqui multis tententur. 551, 2
Variolantes cur ſubuculis rubeis tegantur. 55, 2
Variolantibus an liber aër concedendus. 124, 2
Vas breve. 30, 1
Vaſa ſeminaria. 39, 2
  ſpermatica. 33, 1
Vena arterioſa. 30, 2
  azygos. ibid.
  baſilica. 31, 1
    quæ loca citius evacuet. 594, 2
Vena cava. 30, 2
  ejus uſus, & diſtributio. ibid.
  an vulnerata ſit, per quæ ſigna cognoſcitur. 655, 2
  cephalica. 31, 1
    ſecurius ſecatur. 595, 2
    quæ loca prius depleat. 594, 2
  coronalis. 30, 2
    ſtomachica. 30, 1
  frontis pro quibus malis inſcidatur. 595, 1
  hæmorrhoidalis interna. 30, 1
Vena humoralis. 31, 1
  jecoraria. ibid.
  iſchiatica. 32, 2
    quare ſecetur. 595, 2
  malleoli quando ſecanda. 460, 2
  mediana. 31, 1
    ſecta quibus morbis proſit. 595, 1
  naſi. ibid.
  poplitea. 32, 2
  portæ. 30, 1
  ſalvatella. 31, 1
    quæ loca citius depleat. 594, 2
  ſplenetica. 31, 1
  umbilicalis. 32, 2
  quomodo quærenda. 595, 2
  ubi ſecanda in obſtructis menſibus. 125, 1
Venæ apertio quanta, & qualis eſſe debeat. 595, 2. 125, 2. 126, 1
  inferioris ſectio quomodo difficultatem meiendi ſolvat. 133, 2
  ſectio an conveniat in animi motibus repentinis. 594, 1
      apoplexia. 594, 1
      capitis dolore. 209, 1
      caſu. 594, 1
      contuſione. ibid.
      dolore. ibid.
      epilepſia. ibid.
      febribus intermittentibus. 593, 2
      fractura. 594, 1
      hæmorrhagia. 593, 2
      humorum putredine. 593, 2
      hydrope. ibid.
      ictu. 594, 1
      lethargo. ibid.
      luxatione. ibid.
      ophthalmia. 263, 1
      paraphrenitide. 241, 2
      partium inflammatione. 594, 1
      phrenitide. ibid.
      vulnere. 594, 1
    uſque ad animi deliquium. 540, 1
    cur apoplecticum curet, vel occidat. 218, 1
    cacochymiæ ſoli per ſe non convenit. 593, 2
    quare celebretur. 593, 2
    qualia commoda præſtet. 593, 1
    quando conveniat. 140, 2
    differenda non eſt. ibid.
Venæ ſectio in quibusnam evacuationibus violentis prohibeatur. 360, 1

Venæ

Digitized by Google

Venæ ſectio quomodo ſit facienda. 595, 2
 fatuitatis cauſa. 253, 2
 in febribus malignis. 145, 2
 gravidis an conveniat. 594, 1
 in malignitate quomodo conveniat. ibid.
 in multis morbis periculoſis dubitatur, 130, 1.
 quales morbos arceat. 593, 2 [2
 à plethora indicatur. 593, 1
 pueris an conveniat. 594, 1
 purgationem præcedat. 593, 2. 125, 1
 à virium debilitate. 712, 2
 ſi ex eodem vulnere reiteranda eſſet, quid faciendum. 596, 1
 an quovis tempore fieri poſſit. 438, 1
ſectionis fundamentum. 593, 1
 locus. 594, 2
 ſcopi. 593, 2
 tempus. 597, 1
ſectionem quid præcedere debeat. 595, 1
 ſequi debeat. 596, 1
ſectiones tot non bene tempore veris ordinantur. [138, 1
à tumore, & aliis diſtinctio. 595, 2
Venæ baſilicæ, ſive jecorariæ arteria ſubjacet. 595, 2
 medianæ nervus ſubeſt. ibid.
Venam ſecare quando melius ſit, frigido, an calido; æſtivo, an hyberno tempore. 140, 2
Venæ axillares. 38, 1
 capillares. 32, 2
 emulgentes. 32, 1
 iliacæ. ibid.
 jugulares. ibid.
 ſupra jugulum quomodo aperiendæ. 595, 2
 lacteæ. 30, 1
 mammariæ. 31, 2
 meſaraicæ. 30, 1
 non ſentiunt. 726, 1
Venarum definitio. 30, 2
 origo. 32, 2
 ſublingualium apertio. 595, 2
 vulnera v. Vulnera venarum.
Venis brachii ſubjacent tendines. 595, 2
Venenum quid, & ejus differentiæ. 552, 1
Veneni aſſumpti ſigna. 552, 2
 cura. 553, 1
 cutem exulcerantis cura. 557, 1
Veneno extincti ſigna. 552, 2
Venena quomodo in noſtro corpore generentur. 532, 2
Venenatorum animalium morſus quomodo cognoſcantur, & curentur. 644, 1
 v. Rabies.
Venereorum ſigna. 10, 2
Venus poſt V. S. vitanda. 569, 2
Venti quomodo diverſimode nos alterent. 55, 1
Ventorum natura, & numerus. 53, 2
 diverſitas unde, & eorum cauſæ. 55, 2
Ventilatio an poſſit prohiberi ſine obſtructione. 366, 2
Ventrem moventes cibi. 194, 1
 in tympanite an liceat aperire. 330, 1
Ventris dolor in pueris. 581, 1
 fluxus qualis ſit malus. 413, 2
 inflatio in pueris, ejus cauſæ, ſigna, prognoſis, & cura. 584, 2
Ventriculus. 38, 2
 an ſemper primam curam ad ſe trahat. 136, 1
Ventriculi ardor. 349, 2
Ventriculi elevatio à flatibus. 726, 1
 ſubverſio in pueris. 580, 2
 vitia, eorumq; cauſæ, & ſigna. 343, 2
 indicationes, & prognoſis. 344, 1
 cura. 344, 2
 vulnera. 753, 1
 vulnerati ſigna. 658, 1. v. Stomachus.
Ventriculum an juſcula corroborent. 142, 1
Ventriculi animalium. 95, 2
Ventriculorum in cerebro nobilitas non indicat facultates ſede diſtinctas. 37, 2
Veratrum aſſumptum. 556, 2
Verba ſancta in curis non adhibenda. 110, 1
 nihil operantur per imaginationem in infirmo. 110, 1
Vermes quotuplices, ubi, & unde generentur, quomodo morbos cauſent, & quæ eorum ſit cauſa principalis. 58, 1. 408, 1. 2
 eorum cura. 409, 1
 cur corpus emoriens fugiant. 410, 1
 in ulceribus. 666, 2
Vermes necantia. 194, 2. v. Lumbrici.
Verrucæ quid, & quotuplices. 631, 1 747, 2. v. Porrum.
Vertigo quid, ejus cauſæ, & differentiæ. 219, 1
 ſigna, indicationes, & prognoſis. 219, 2
 cura. 221, 2
Veſica, & ejus ſphincter. 39, 2
Veſicæ calculus in pueris, ejus ſigna. & cura. 586, 2
 inflammatio, & ejus prognoſis. 431, 2
 cura. 432, 1
 & renum ulcera quomodo diſtinguantur ab invicem. 435, 1
 ulcus, ejus ſigna, prognoſis, & cura. 432, 2
 vulnera. 753, 2
 vulneratæ ſigna. 658, 1
 cura. 659, 1
ad Veſicam ducentia. 178, 1
Veſicantia. 194, 2
Veſicatoria unde fiant, & ubi applicentur. 599, 1
 antequam applicentur, & poſtquam applicata ſint, quid faciendum: ubi ponenda: mitiora quomodo paranda: quomodo eorum fluxus promovendus. 599, 2
 ad ſpinam dorſi applicata qualia mala cauſent, & quomodo eadem curentur. ibid.
Veternus quid. 217, 1
Vetulis quare pupilla duplex. 275, 1
Victus adoleſcentum, juvenum, & ſenum. 92, 2
 pro anni temporibus. 92, 2. 722, 1
 chronicis, & acutis morbis ſit diverſus. 712, 2
 puerorum. 92, 1
 tenuiſſimus prohibetur in inflammationibus jecoris, ventriculi & thoracis. 722, 1
Victus ratio quotuplex. 90, 1
Vierſtiger quid, & cura. 568, 1
Vigiliæ quid faciant. 54, 2. 704, 1
 in peſte. 537, 2
 puerorum, earum cauſæ, & cura. 572, 1
Vinculum quid, & quomodo à tendine differat. 25, 2
 penis quale. ibid.
Vinum. 98, 2
 ægris an concedendum. 132, 1
 bilioſis noxium. 103, 1
 in capitis dolore non admittitur. 208, 2

Vinum cum cereviſia nocet. 100,1
humidum non eſt. 99,2
cum lacte nocet. 100,1
mejendi difficultatem quomodo ſolvat. 435,2
nutricibus interdicitur. 99,2
oculis an conferat. 263,1
pueris interdicitur. 99,2.92,1
vulneribus optimum. 641,1
Vini potus in podagra interdicitur. 741,2
famem ſolvit. 352,2
ſpiritus ſedat ſitim. 100,2.352,2
Viperæ fel aſſumptum. 554,1
morſus. ibid.
Viperarum caro in Elephantiaſi. 630,1
Virium imbecillitas quid. 337,2
Virorum ſterilitas. 463,1
ejus prognoſis, & cura. 463,2
Viſio quomodo fiat. 263,2
Viſionis ſpecies ubi recipiantur. 264,1
Viſione quidnam fieri poſſit. 263,2
Viſus debilitas unde, & ejus cura. 272,2
à longe, vel prope. 274,2
obſcuritas, ejus cauſæ, & cura. 273,2
Vita quid. 70,1
Vitæ noſtræ quotuplex terminus. 2,1
Ulcus quid. 661,1. 689,1
ejus differentiæ, & cauſæ. 661,2.689,1
ſigna, & prognoſis. 662,1
indicationes. 662,2
tempora & cura. 663,1
à vulnere quomodo differat. 689,2
an ſit omnis morbus. 210,2
ambulativum. 668,1
cacoeticum. 667,2
chironium. 667,2
depaſcens. 668,1
dyſepuloticum. 667,2
eryſipelatoſum. 665,1
cum humorum affluxu. 667,2
ejus cauſæ, ſigna & cura. 668,1
nome quid. 668,1
œdematoſum. 665,2
cum oſſe corrupto. 666,2
ejus ſigna, prognoſis, & cura. 667,1
phagædenicum optime curatur igne. 668,2
phlegmonoſum. 665,1
ſanatum jam ſæpius, & ſemper recrudeſcens quid ſi-[gnificet. 689,2
ſcirrhoſum. 665,2
ſinuoſum. 669,1
ejus cauſa prognoſis & cura. 669,2
ſordidum, ejus cauſæ, ſigna, prognoſis, & cura. 669,1
varicoſum. 665,2
ejus cura. 666,1
virulentum, ejus cauſæ, & ſigna. 668,1
cura. 668,2
Ulceris benigni ſigna. 690,2
excrementum quotuplex. 689,2
Ulcera abdominis v. Abdominis ulcera.
aurium, eorum differentiæ, ſigna & cura. 675,2
canalis urinæ, v. Urethræ ulcera.
capitis manantia v. Tinea.
Gallica quomodo ab aliis differant. 462,1
oculorum, eorum cauſæ. 673,1
ſigna, & curæ. 673,2
Ulcera oris v. Aphtæ.
penis v. Penis ulcera.
quæ peſſima. 689,2
ſimplicia, eorum differentiæ, & curæ. 663,2
thoracis v. Thoracis ulcera.
uteri v. Uteri ulcera.
Ulcerum intemperies quomodo corrigendæ. 664,1
calida, frigida, humida, ſicca quo-modo cognoſcendæ, & corrigendæ. 664,2
Ulceribus ſupervenientia accidentia quomodo tractanda. [665,1
carnem generantia. 175,1
cruſtas inducentia. 175,1
Umbilicus quomodo infanti abſcindendus. 559,1
Umbilici inflammatio, & ejus cura. 586,1
tumor abſq; inflammatione, ejus cauſæ, & cura. [586,1. v. Exomphalos.
Unctio Aetii. 748,2
Unctuoſitas in urina quid ſignificet. 66,2
Ungventum abſtergens, & mundificativum. 150,2
arthriticum. 157,2
pro oculis. 166,1
lithontripticum. 187,2
Ungventa refrigerantia cur calidè applicanda. 141,2
Ungvis in oculo quid, & ejus cura. 270,1
Unio in mixtis ab humiditate provenit. 3,2
Univerſale medicamentum. 108,2
non datur. 109,1
Unterwachſen ſein. 371,2
Voci tremulæ an lamina plumbea conveniat. 311,2
Voluntarium duplex. 75,2
Vomicarum variarum exempla. 732,2
Vomitus quid, ejus differentia à nauſea. 353,1
alia differentia. 353,2
cauſæ, & ſigna. 354,1
prognoſis & cura. 354,2
balneo aquæ dulcis curatus. 357,1
in mania an conveniat. 244,2
an ſit motus violentus, an naturalis, an ſemper tuto, quando & quibus provocandus. 356,2
an tuſſi magis nocivus. 335,1
puerorum, ejus cauſæ, prognoſis, & cura. 580,1
Vomitum quæ præcedere, & ſequi debeant. 357,1
Vomitoria. 194,1
in bubonibus cavenda. 482,1
Urachus. 39,2
Ureteres. 39,2
Urethræ ulcera. 676,2
Urina quid. 63,1
ubi generetur. 35,1
animalis ſemper eſt cum bile. 69,1
eſt cordis excrementum. 63,1
in corde generatur. 69,1,2
& craſſa dupliciter. 69,1
utrum craſſa, an tenuis ſit quomodo judicetur. [70,1
hominis ſani qualis eſſe debeat. 64,1
quæ maxime laudabilis. 63,2, 66,1
nigra an lethalis. 369,2
quomodo ſit renum excrementum. 69,1
& ſudor in quo conveniant. ibid.
tenuis unde dicatur. 69,2
cur dolorem capitis denotet. 209,1
parum tincta cur mala in ictero. 369,2
non tranſit cæcos ductus. 736,1
utrum turbida mixta ſit, vel an talis evaſerit, quo-modo ſciatur. 70,1

Urinæ

Urinæ ardor unde, & ejus cura. 433, 1
color, & nigredo unde. 69, 2
concoctio requiritur ad criſin. 82, 2
corona. 63, 2
fœtor. 66, 1
hominis ab animalis differentia. 68, 2
incontinentia & cura. 437, 2. 587, 1
quomodo differat à diabete. 438, 2
inſpectio quid requirat. 64, 1
obſtructio in catarrhis. 759, 1
quæ mala cauſet. 759, 2
retentio. 433, 2. 587, 2
ejus cauſæ, ſigna, & cura. 587, 2
ſapor ſalſus unde. 69, 2
ſedimentum quotuplex. 66, 1
tranſitus velox in bibulis. 70, 1
à vino differentia. 68, 2
Urinæ craſſæ unde dicantur. 69, 2
in morbis malignis cur ſint naturalibus ſimiles. 76, 2
nigræ à lienoſis. 382, 2
quæ malæ ſint. 66, 1
non oſtendunt ſignum concoctionis in febribus [malignis. 66, 1
Urinarū differentiæ ab ætate, & ſexu. 64, 1
à colore. 63, 1
contentis, qualitate, quantitate, & ſub-[ſtantia. 63, 2
temperamentis. 64, 1
prognoſis ex colore. 64, 1
ſubſtantia. 65, 2
contenta quid præſagiant. 66, 1
quot ſint. 66, 2
Uſus in Methodo Medendi quotuplex. 219, 1
pulſu triplex. 71, 2
Uterus. 40, 1
ejus cervix, fundus, ligamenta, prolapſus, vagina, vaſa, & tubæ. 40, 1
Uteri cancer, & ejus cura. 461, 1
quomodo differat ab inflammatione. 462, 1
Uteri clauſura unde, ejus ſigna, prognoſis, & cura. 458, 2
deſcenſus quomodo à procidentia differat. 458, 2
exciſio an tentanda. 754, 1
hæmorrhagia. 761, 1
hæmorrhoides. 459, 1
hydrops quid, & quotuplex. 459, 2
ejus differentia, & prognoſis. 460, 1
cura. 460, 2
hydrope præſente an menſes fluant. 461, 1
inflammatio unde, ejus ſigna, & cura. 459, 1
mola quid. 461, 1
ejus prognoſticum. 461, 2
cura. 462, 1
præfocatio. 454, 1
prolapſus unde. 457, 2
ejus ſigna, prognoſis, & cura. 458, 1
rhagades, & earum cauſæ, ſigna, & curæ. 678, 1
ſcirrhus quomodo à callo differat. 460, 2
ſtrangulatus. 454, 1. v. Hyſterica paſſio.
tumor unde. 459, 2
ulcera unde, & eorum ſigna. 677, 2
prognoſis, & cura. 678, 1
vulnera, & gangræna. 754, 1
vulnerati ſigna. 658, 2
cura. 659, 2
Uterina tuſſis. 335, 1
Uterus animalium. 95, 2
Uvæ penes Moſellā creſcentes facile cauſant dyſenteriam. [699, 2
Vulnus quid, & ejus differentiæ. 635, 2. 688, 2
cauſæ, ſigna, & prognoſis. 636, 1
cura. 636, 2
contuſum v. Contuſio.
lethale quale. 636, 1. 688, 2
profundum quomodo tractandum. 641, 1
ſanabile quale. 636, 1. 688, 2
ſimplex quomodo tractandum. 640, 2
venenatum quomodo tractandum. 660, 2
Vulneris mali ſigna. 644, 2
Vulnera abdominis an penetrent. 658, 1
eorum cura. 658, 2
aurium. 654, 2
capitis. 649, 1
eorum prognoſis. 649, 2
cura. 650, 1
cerebri. 652, 1
duræ, & piæ matris. 651, 2
gulæ ſunt curabilia. 729, 2
ligamentorum. 648, 2
meningum. 651, 2
naſi. 654, 1
nervorum, eorum differentiæ, cauſæ, & ſigna. [647, 2
cura. 648, 1
oculorum, eorum prognoſis & cura. 653, 1
bulbi. 653, 1
palpebrarum. ibid.
ſclopetorum an ſint venenata. 659, 2. 689, 1
eorum cura. 660, 1
tendinum. 648, 1
thoracis, eorum differentiæ. 654, 2
cauſæ. 655, 1
ſigna, an penetrent. ibid.
prognoſis & cura. 655, 2
vaſorum, eorum prognoſis, & cura. 646, 2
Vulnerum ambuſtiones quomodo tractandæ. 660, 1
excrementa duplicia. 641, 2
hæmorrhagiam ſiſtentia. 195, 2
ſupercreſcentia carnea. 642, 2
ſymptomata quomodo corrigenda. 639, 1
Vulneribus cicatrix quomodo inducenda ſit. 642, 1
inhærentia quomodo extrahenda. 660, 1
Vulnera aperientia, ſeu dilatantia. 155, 1
purgantia. 194, 2
Vulneraria. ibid.
Vulnerarium decoctum. 195, 1
Vulnerarius pulvis. 195, 2 [637, 1
Vulnerata pars quomodo in ſua temperie ſit ſervanda.
Vulnerata aliqua parte cur in oppoſita fiat paralyſis. 752, 1
Vulnerati mortui in aqua reperti ſigna an ſubmerſus, an mortuus introjectus ſit. 689, 1
qua diætâ tractandi. 637, 2
purgandi quomodo, & per quas vias ſint. 638, 2
venæſectionem admittunt. 638, 1
Vulneratorum exempla. 751, 1
Uvula quid faciat ad reſpirationem. 299, 2
Uvulæ amputatio. 299, 1
relaxatio, ejus ſigna, & cura. 299, 1
an curetur tractis capillis. 299, 2
Z.
Zinziber. 100, 2

F I N I S.

Errata Typographica:

Nota: numerus primus indicat folium, ſecundus columnam, tertius lineam.

Fol. 5. col. 2. lin. 26. Symptomata lege Symptoma.
9, 3, 19. portio l. proportio.
9, 2, 27. acrior l. rarior.
10, 2, 18. eſt l. &.
13, 1, 14. motum l. modum.
16, 1, 48. indicat l. judicat.
17, 1, 4. Valleriolam l. Valleriola.
17, 1, 6. quot, l. quorum.
17, 2, 28. ob deleatur.
20, 1, 8. ſexu partis, l. ſexu qui partis.
21, 2, 43. eſſe, l. oſſe.
22, 1, 36. epiphyſes illæ l. epiphyſes & apophyſes, illæ.
22, 1, 38. coagmenta, l. coagmentata,
22, 2, 52. muſculus l. muſculi.
23, 1, 7. oſſificantur l. oſſificatur.
24, 1, 40. Venæſectione l. genu flexione.
25, 1, 27. articula l. articulata.
25, 2, 56. puerilis l. puerulis.
28, 2, 7. adducit l abducit.
28, 2, 37. protonatorum l. pronatorum.
29, 1, 40. moſculos l. muſculus.
33, 2, 6. cordis l. corporis.
33, 2, 42. ſilentia l. ſalientia.
35, 1, 43. affectus l. affectibus.
36, 2, 37. geat l. get.
38, 2, 16. proceſſum l. proceſſuum.
39, 2, 30. viſi, l. viſitur.
40, 1, 12. dilatio l. dilatatio.
43, 2, 26. uti antea l. uti, quæ antea.
59, 2, 28. coctiones, l. actionis.
62, 2, 25. anamiſtica, l. anamniſtica,
62, in titul. part. II. l. part. III.
83, 2, 48. finis l. index 7mi, initus 14ti,
116, 1, 2. ʒiiij. l. ℥iiij.
136, 2, 5. florem l. fluorem.
139, 1, 12. nihil l. in his.
152, 2, 43. inumfata l. infumata.
179, 2, 12. fructus l. flores.
205, 2, 46. dura l. pura.
214, 1, 28. ʒj. l. ℈j.
215, 2, 32. non, deleatur,
236, 2, 23 adſit l. abſit.
258, 2, 32. demerſum, l. demorſum.
263, 1, 20. ovo l. oculo.
266, 1, 28. non, deleatur.
295, 2, 33. pulvere l. opiata.
301, 2, 27. primi l. tertii,
314. Caput 40. l. 39.
318. 41. l. 40.
320. 42. l. 41.
322. 43. l. 42.
329. 44. l. 43.
331. 45. l. 44.
336. 46. l. 45.
336, 2, 22. ʒiv. l. ℥iv.
337, 1. 12. roſarum ℥iij. l. roſarum, ana ℥iij,
337. Cap. 47. l. 46.
340. 48. l. 47.
343. 49. l. 48.
346. Cap. 50. l. 49.
349. 51. l. 50.
353. 52. l. 51.
357. 53. l. 52.
361. 54. l. 53.
362, 2, 29. calidam l. frigidam.
364. Cap. 55. l. 54.
365, 2. 43. venere l. ſulphure.
367. Cap. 56. l. 55.
370. 57. l. 56.
372. 58. l. 57.
375. 59. l. 58.
380. 60. l. 59.
383. 61. l. 60.
389. 62. l. 61.
389, 2, 8. molle l. nolle.
390, 2, 37. periades l. parietes.
394, 1, 43. altra l. atra.
395, 1, 52. materiæ l. naturæ,
395. 63. l. 62.
400. 64. l. 63.
403. 65. l. 64.
403, 2, 7. externas l. arterias.
414, 1, 29. διαίρεσιν l. ῥῆξιν.
418, 1, 41. &, deleatur.
445, 2, 9. abruit l. obruit.
451. C lxxiii de gonor. priap. infl. teſt. l. lxxvi. de fluor. mulieb. item de gonorrh. mulieb.
471, 1, 55. ſteber l. fieber.
473, 1, 23. Kelbernitzl l. Kelberſchnitzl.
476, 2, 33. poſt ana ℈ß. deleantur ſequentes quatuor lineæ, & loco earum l. M. F. hauſtus pro doſi. Vel
℞, Extract. panchim. Croll. ℈j.
Merc. dulc. ol. ſulph. correct. gr. xv.
pul. Syr. gr. iiij.
c. ſ. q. Syr de Fumar.
F. pil. n. vii. pro doſi.
509, 2, 48. tertio l. quarto.
510, 1, 37. cauſæ l. cura.
511, 2, 36. non l quo.
512, 2, 40. omnimodam l. inſenſibilem in febri.
514, 1, 54. purgantia l. præparantia.
529, 2, 53 ſyncopatica l. ſyncoptica.
539. titul. in genere & ſpecie, adde & ejus cura.
562, 2, 17. reperientia l. repercutientia.
562, 2, 23. una l. vena.
562, 2, 39 conſolidum l. conſolidandum.
562, 2. 44. riantur vinæ l. oriantur rimæ.
567, 1, 22. endi l. andi.
570, 2, 47. xi. x.
578, 1, 49. tendines l. dentes.
597, 2, 32. rhagia adde uteri.
598. titul. tract. IV. l. V.
604. titul. tract. IV. l. V.
602, 1, 21. mundica l. mundifica.
609. titul. quid ante V. ſectionem faciendum l. cap. IIX. de gangræna & ſphacelo ſeu ſideratione.
612. tit. tract. IV. l. V.
612, 1, 30. finem, adde ſi.
612, 1. 49 gutt. l. gr.
613, 1. 19. poteſt l poſſunt.
624, 1, 43 iumore l. humore.
630, 2, 51. tingitur l. tangitur.
633, 1, 28. phlebotomia l. phlebotomo.
633, 1, 42. olvi l. ovi
634, 1, 47. ovi l ovo.
635, 2, 44. emplaſtri l emplaſtrum.
645. titul. verorom l. venenatorum.
661, 2, 43. 5. l. 3.
661, 2, 12. vulnere l. olcere.
667, 1, 42. corroſa, aut valida, ab inciſione & uſtione abſtinendum eſt l corroſa potentialibus tantum urendum, ſed ſi valida ab uſtione & inciſione abſtinendum eſt: in aliis.
667, 2, 39. rum, l re cum.
671. titul. cap XL. l. XLV.
673, 1, 39. expreſſionem l. extractionem.
673, 2, 13. uvea l. uveæ.
674. titul. cap. XLVI. l. XLVII.
678, 1, 2. ſyncipit l. ſyncipur.
679. tit. cap. XLVI. de ulceribus oris & partium in eo contentarum l. cap. XLIX. de ulceribus uteri item de Rhagadibus ejusdem & ani: item de hæmorrhoidibus.
679, 1. 53. per l. poſt.
680. 2, 40. biginem l. bedinem.
690, 2, 24. nutirio l. nutritio.
695, 2, 33. dolorum l. doloreur.
711, 2, 3. attractatione l. attractione.
713, 1, 37. numerum l. numerus.
719, 1, 28. cogitatio l. agitatio.
724, 1, 2. qualitate l quantitate.
725, 1, 13. venarum adde arteriarum.
726, 2 6. requiritur l. requiruntur.
726, 2, 54. adde uſum, itaque.
727, 2. 41. angina l. anginam.
728, 1, 17. viſurum l. viſcerum.
722, 2, 19. mutationes l. mutationis.
729, 1, 11, cathe-re l. cathe-tere
747. tit. de minis excreſcentis, l. mixis excreſcentiis.
748, 1, 51. lotum l. totum.
751, 2, 4. mageta. l. magnific.
751, 2, 9. choro l. Goro.
752, 1, 26. cui l. cur.
753. titul XII. l. XI.
753, 1, 28. cordibus l. cordis.
754, 1, 6. Actius adde ſcribunt.
755. 1. 4. explaſtrum l. emplaſtrum.
ibid. 9. aſſerunt: adde: auſſerri poſſe.
Nota: quotieſcunque habetur forma mixtæ l. mixti.

A02
165444

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

G.65.

Digitized by Google

Digitized by Google